ALPHONSI
TOSTATI
HISPANI
EPISCOPI ABVLENSIS

PHILOSOPHI THEOLOGI,
Ac Pontificij Iuris, Cæſareique conſultiſſimi; necnon
linguæ Græcæ, & Hebraicæ peritiſſimi

Opuſcula Varia;

ANTEQVAM IMPRIMERENTVR CORRECTA, DVM EXCVDERENTVR
diligenter reuiſa, ac demum impreſſa a quamplurimis erroribus expurgata.

Addito Quadruplici Indice copioſiſſimo, fideliſſimoq;

PER R. P. F. PAVLINVM BERTI LVCENSEM ORD. EREMIT.
S. Auguſt. Congreg. Lombardiæ Sacræ Theologiæ Lectorem, & S. Iacobi Florentiæ Priorem.

Ad COSMVM II. Magnum Hetruriæ Ducem IV.



VENETIIS. M DC XV.
De Licentia Superiorum, & cum Priuilegijs.

ALPHONSI TOSTATI
Epiſcopi Abulenſis
PARADOXA.
AD MARIAM REGINAM CASTELLAE, &c.

PRAEFATIO.

ILLVSTRISSIMA, ac Excellentiſſima Domina; Humillimus vaſſallus, atque ſeruorũ veſtrorum minimus Alphonſus de Madrigal, in artibus magiſter, ſeipſum, & ſua cũ omni promptitudine poſt veſtrarum manuum oſculum veſtræ altitudini commendat. Quæ mihi licet indocto, inexpertoque ſtudenti inter magiſtros ætate, & ſapientia minimo, deficienti altiſſimarum ſpeculationum in ſeparatiſſimis theorijs, in eloquentia rudi, carenti floridis, rhetoricisque exornationibus, pridem iniunxeras, vt ſuper aliquas ſecretas metaphoras earum eliciendo medullas interpretis officio fungerer, omni excluſa repugnantia, cum omni deuotione, atque promptitudine ſeruiendi ſecũdùm paruam ingenioli mei tributam à ſpiritu diſpertitore menſuram, omni operis difficultate poſtpoſita inchoaui. Sed, vt euidentius, quod volumus, in patulum proponamus, dictas metaphoras exordio operis duxi inferendas, quarum prima ſub hac verborum ſerie notabatur.

Fuit quoddam vas clauſum, & non clauſum: paruum, & non paruum: luminoſum, & non luminoſum: vacuum, & non vacuum. Præterea, vas mundum, & non mundum.

Secunda autẽ talis erat, fuit vnus leo, qui videbatur, & non videbatur; qui audiebatur, & non audiebatur; qui tenebatur, & non tenebatur; qui cognoſcebatur, & erat incognitus. A

Tertiæ autem earum tenor hic erat: fuit quidam agnus tonſus, & non tonſus: agnus verberatus, & non verberatus: agnus, qui clamabat, & non clamabat: agnus, qui patiebatur, & non patiebatur: agnus, qui mortuus eſt, & non mortuus eſt.

Quarta autem metaphora in his verbis expreſſa erat: fuit poſitus ſerpens, qui iacuit: & non iacuit; qui mouebatur, & non mouebatur; qui audiebat, & non audiebat; qui vidit, & nunquam vidit.

Quintam verò in hac ſerie verba expreſſerãt:
B fuit aquila, quæ volauit, & non volauit: venit ad locum, à quo nunquam receſſit: quæ quieuit, & non quieuit: quæ renouabatur, & nunquam renouabatur: quæ gaudebat, & non gaudebat: quæ honorabatur, & non honorabatur.

De triplici Scriptura Sacra. Cap. I.

IN PRINCIPIO autem harum metaphorarum continebatur, has à Deo verbotenus fuiſſe prolatas: iuxta quod ſolerti ſtudio attendendum eſt, Sacrarum Scripturarum continentiam peruagantes antiquos Doctores eas trifariam diſcuſſiſſe. Primam autem diffe-
C rentium partitionum canonicam vocauere, quàm quælibet orthodoxorum turba, tanquam ſolidiſſimas continentem veritates, omni ſcrupulo mentis excluſo recipere obligatur ſub pœna in hæreſim incidendi. Secundam verò partitionem hagiographam appellarunt; quod nomen ex origine Greca in Latinum idioma tranſlatum Sanctas deſignat Scripturas: hagios enim ſanctum eſt, graphia autem ſcripturam cognominat, in quibus celeberrima mora-

ha documenta veritateſque hiſtoricæ continentur, auctores tamen ipſarum à nobis communiter ignorantur: quæ in re non parem canonicam auctoritatem ſortitæ ſunt. In tertia autem partitione ſcripta apocrypha collocarūt, quorum ſenſum an ſolida veritate ſubſiſtat, vel oppoſita falſitate deliret, apud orthodoxorum Eccleſiam ignoratur. Quapropter inter eos auctoritate omnimoda prorſus carent, & eadem facilitate contemnuntur, qua recipiuntur. De hac ſcripturarum triſaria partitione diſputat Hieronymus in multis locis prologorum Bibliæ, præcipuè in prologo, quem vulgato nomine, tanquam caput, ſiue Galeam omnium ſcripturarum Galeatum vocauit, qui quatuor libris Regum apponitur, & incipit: Viginti duas literas: vbi totius Bibliæ triſariam efficit partitionem, exemplariter deſcribendo quot ſub qualibet harum partium volumina includantur. Præaſſumpta verò propoſito applicando, neceſſariò dicendum erit, propoſitas metaphoras, ſiue locutiones tranſumptas ſub aliqua harum trium differentium partitionum locari non poſſe: ſub his quippè tribus partibus diuidentibus ſolos Sacræ Scripturæ libros, qui in volumine Bibliæ continentur, ſupputari manifeſtum eſt, quorum ſingulis ſolertiſſima indagine per minutas particulas inquiſitis, metaphoras præaſſumptas in nullius eorum continentia ſub hac verborum ſerie contineri cuilibet diſcurrenti patet.

De cuiuſdam generis ſcripturarum ſectione. Cap. II.

ALIVD autem ſcripturarum genus eſt inter noui ac veteris teſtamenti volumina non contentum, quod triſariam in canonicis diſtributionibus diuiſum eſt: primas autem authenticas vocauere, quarum ſententiæ ab omnibus legentibus, tanquam ſolidiſſimæ approbantur, in quibus omnia catholicorum Doctorum ſcripta locari neceſſe eſt. Quæ Gelaſius Papa auctoritate Sedis Apoſtolicæ robur obtinere confirmat in quadam Epiſtola Decretali, & habetur in Decretis diſtinctione quintadecima, capitulo, Sancta Romana Eccleſia. Secunda huius generis partitio damnatorum ſcriptorum titulum ſortita eſt, ſub qua omnes prohibitæ artes dæmonibus auctoribus inuentæ, & vſui hominum traditæ includuntur, quarum finis interitus, & illaqueatio miſerabilium animarum, alligando, atque aſſentire inducendo quibuſdam erroneis ſuperſtitionibus nullam virtutis naturalis efficaciam continentibus, per quaſdam immundas abominabileſque cæremonias; hæ autem necromanticæ ſunt aliæque coniunctæ his; neque traditiones. In hac etiam procul dubio parte omnia ab hæreticis auctoribus ſcripta confecta reponuntur, quæ cum auctoribus ſuis ab orthodoxorum Eccleſia condemnantur, ſicut habetur extra in Decretalium volumine titulo de Hæreticis, capitulo, fraternitatis. Hos autem omnes Hæreticos, & eorum damnatos errores deſcribit Iſidorus Etymologiarum libro octauo, capitulo quinto: habentur quoque in Decretis vigeſimoquarto, quæſtione tertia, in capitulo, quidam autem: hos autem Hæreticos vetus Eccleſia vſque ad Iſidori ſæculum habuit: quoſdam autem ſucceſſores poſterior contulit ætas, quorum nomina, & errores à multis conſcripta ſunt: alia quoque plurimorum auctorum Conciliorumque ſcripta auctoritate Eccleſiaſtica condemnata ſunt, quia Catholicæ aſſertioni non modicum obuiant, de quibus identidem in Decretis diſtinctione quintadecima, capitulo, Sancta Romana. Huius autem generis tertia partitio ſcriptorum apochryphorum nomen aſſumpſit: hæ autem, vt ſupra dictum extitit, auctoritatis dubiæ ſunt, cum de earum ſententia, an verum falſumuè contineat, apud nos nullatenus conſtet.

Quo tempore Hæreticorū ſecta Chriſtianā pietatem occuparunt. Apochrypha ſcriptura.

Sub qua parte præſentes metaphoræ contineantur. Cap. III.

INTENTIONI autem noſtræ prædicta applicantes, circa metaphoras præaſſumptas dubitatio ſubori-
ſub qua huius triſariæ partitionis parte nomen ac-
re mereantur. Circa quod duplex dubitatio ſubap-

F paret. Prima de earum ſententia, an authentica ſit, an apochrypha, vel damnata. Secunda inquiſitio de auctore eſt, & non immerito, ab auctore quippè ſcripta conſtantiam obtinent, ſi quam habent, & ſi auctor de hæreſi damnatus eſſet, ſcripta quoque de hæreſi notarentur, aut ſaltem eorum dubia, atque de hæreſi eſſet ſuſpecta auctoritas, nec quidquam firmitudinis obtineret ex auctoris merito infirmanda, ſic habetur in volumine Decretalium in titulo de Hæreticis, in capitulo, fraternitatis. Primæ autem dubitationi, quæ de harum ſcripturarum ſententiæ qualitate orta eſt, reſpondere conuenit, præfatas metaphoricas locutiones inter ſecundæ partis huius partitionis triſariæ ſcripta non debere vllatenus contineri, quæ damnata nominauimus, quod euidenti argumentatione concluditur. Illa namque iuris Canonici firma ſententia
G ſcripta damnata dicuntur, quæ auctores Hæreticos habuere, aut aſſertiones quaſlibet, vel cæremoniales continent obſeruationes directè, aut indirectè poſitioni, aut cæremonijs catholicis obuiantes: hoc autem de præpoſitis metaphoricis locutionibus affirmari non valet, non autem conſtat earum auctorem de hæreſi ab Eccleſia condemnatum. Item earum ſententiam non conſtat alicui Sacræ Scripturæ teſtimonio repugnare. Item ſcripturarum nulla authentica, aut damnata dici poteſt, niſi cum quatenus ſententiam firmiſſimè, aut veram, aut omninodè falſam eſſe conſtat catholicę poſitioni, aut conformem, aut aliquatenus diſcordantem, quod præfatis tranſumptis locutionibus applicari non poteſt: nam cum aliquam literam ſecundum metaphoram exponi oportet, ſenſus eius eſt parabolicus, & in hoc eſt generalis regula inter omnes
H Sacræ Scripturę Doctores, quòd talia verba nūquam, aut ſignant, aut exponi debent ſecundum id, quod in cortice præfigurant. Quamobrem in verbis illis veritas, aut falſitas inueniri non valet: nam earum ſenſus non eſt ſecūdùm id, quod videtur: ſed earum veritas, aut falſitas reperitur in expoſitione ipſorum, quòd hæc verba à veſtra regia celſitudine mihi humillimo ſeruulorum veſtrorum directa, ſenſum parabolicum faciant, ex eorum tenore euidentiſſimè liquet: non enim in ſenſu hiſtorico, vel literali vllatenus intelligi valent. Sic namque intellectu eorum ſignatum impoſſibile erat, abſurditas quoque magna, & imperitia eſſet talia proferendo. Liquet ergo propoſita verba in ſuo formali tenore vllam, aut falſitatem, aut veritatem continere non poſſe, donec exponantur. Et ſi eorum expoſitio à veritate catholica in vllo penitus nō delirat, om-
I ni abiecta ambiguitate liquebit, propoſita fore vera, firmiſſima conſtante ſententia, ſin autem ab orthodoxorum tramite vllatenus delirauerint, ea pari modo falſitatem continere manifeſta ratione conſtabit. Et quia iſtæ figuratę locutiones poſſunt recipere ſolum ſenſum conformem omni catholicæ poſitioni, & poſſunt recipere cōtrariū obuiantem catholicis aſſertionibus. Et quia ſecundum regulam iuris, res potius debent interpretari, quòd valeant, quàm quòd pereant, exponendæ ſunt tales parabolicæ locutiones in ſenſu ſano, conformi orthodoxorum catholicæ poſitioni, hoc modo figuratæ locutiones hæ, firmá veritate conſtabunt; nec poterunt inter ſecundæ partitionis ſcripta, quæ damnata appellantur, collocari. Speculandum autem reſtat ſub qua aliarum duarū partium ſcripturarum collocentur, ſcilicet, an inter apochryphorum, an authen-
K ticorum genus. Cui inquiſitioni reſponderi non inconuenienter poteſt, prædictas metaphoricas locutiones inter authenticas ſcripturas collocari debere. Illæ namque ſolum ſcripturæ apocryphæ nominantur, de quarum veritate apud nos conſtantia nulla habetur. Et quoniam hæ figuratæ locutiones expoſitæ in ſenſu, in quo exponi debent, ſicut infra in proſecutione liquidius apparebit, omni orthodoxorum catholicæ poſitioni concordant, neceſſaria concluditur illatione inter authenticarum partem locari debere.

Quæ ſint ſcripta damnata.

Quæ ſcriptura digna ſit fide, & quæ calūnia.

Metaphora in Sacra Scriptura non ſunt intelligēda, vt verba ſonant.

Quomodo ambiguus ſenſus in Sacra Scriptura exponi debeant.

Scriptura accipit firmitatem ab auctore. Cap. IIII.

SECVNDA autem in hoc ordine ſpeculatio eſt de harū figuratarū auctore: ſcriptura namq; cuiuſcunque
condi-

conditionis ſit, firmitudinem, aut infirmitatem ex aucto- A
ris conſequetur cōditione hac forma, quòd quotiens con-
ſtiterit aliquod ſcripturæ genus ab aliquo hæretico, aut
hæreſiarcha confectum, quantūcunque verba ipſa catho-
licæ poſitioni conſentire videantur, ſemper de hæreſi ſu-
ſpecta nominantur, hoc auctore quatenus inducente.

Scriptura à Deo procedens eſt veriſſima. Cap. V.

HAE enim tropicæ locutiones, prout in cedula à re-gia altitudine mihi deſtinata contineri notum erat, verbo oris Domini prolatæ ferebantur, cuius ſi apud nos fidelia teſtimonia haberentur, tantam ſortirentur auctoritatem, quantam quælibet ſcriptura totius Sacri Canonis noui, ac veteris teſtamenti, cum omnes vtriuſque Canonis Scripturæ Spiritu Sancto agente dictatæ ſint, qui eſt B veritas indeficiens, & omni tempore æqualis ſine aliqua extranea peregrinarum impreſſionum mutatione: omnia autem, quæ à Deo auctore procedunt, quantū ad auctorē ſuum æquiualentiam ſortiuntur, vt tamen eas ore Domini prolatas dicamus, quāuis in libro, à quo ipſæ extractæ fuerint, ſic fore aſſeratur, non eſt aliquod ſolidum fulcimentum. Qua in re ſicut culpa caret eas ore Domini prolatas fore ſuſpicari: ita ab omni criminis labe prorſus alienum eſt, eas ore Domini non fuiſſe reuelatas, aut proditas aſſeuerare. Ex omnibus ergo ſuperius diſputatis in modum aphoriſmatis, ſiue corollarij inducitur, has figurales locutiones quantum ad ſententiam ſuam locari inter authenticas ſcripturas, eas verò diuino ſermone fuiſſe prolatas, prorſus apocryphum eſt.

Hæ propoſitiones conuenienter Paradoxa dicuntur. Cap. VI.

EX præcedentibus narrationibus, quantum ad iſtum punctum, tanquam proæmialiter concludentes illi ſpeculationi accedamus, in qua de occultis harum tropicarum locutionū veritatibus inquiritur, in quo tanquam in alijs diſciplinis ſolēt petitiones, atque ſuppoſitiones apponi: ex quibus cætera fulciuntur, teſte Ariſtotele in principio primi Poſteriorum, ita hic tanquam pro euidentiſſima hypotheſi ſupponamus vnam harum figuratarū locutionum communem proprietatem, ſ. has eſſe admirabiles propoſitiones dignæ nomine, aut titulo Paradoxorū. Eas autem admirabiles eſſe ſic manifeſtatur: illæ namque propoſitiones admirabiles ſunt, quarum veritates ſunt duræ, & inquiſitione difficillimæ, ac difficulter à falſitate ſepa- D rabiles propter eā magnam ad falſitatē habere affinitatem, nihilque, aut parum à falſitate diſtare videri: huiuſmodi aūt ſunt hæ tropicæ trāſumptiones, quia illæ propoſitiones, quæ inter ſe aliquā oppoſitionis legem habent, ſic ſecundum regulam dialecticā ſe reſpiciunt, quòd ſi vna eſt falſa, reliqua eſt vera, vel quaſi, quia verò inter omnes has figuratas propoſitiones oppoſitio eſt, & non quædam, ſeu parua, ſed maxima earum contradictio, ſ. de qua Ariſtoteles in primo Poſteriorum Analeticorum, & in libro Perihermenias primo de interpretatione nominato dicit, quòd contradictio eſt oppoſitio, in qua ſecundùm ſe nihil eſt medium: ſi ergo vna contradictoriarum propoſitionū eſt vera, reliqua eſt falſa, & eſt regula conuertibilis, ſ. ſi vna eſt falſa, alteram veram eſſe ſit neceſſarium. Eſt & vlterius contradictoriarum lex, quòd altera eſt affirmatiua, altera ve- E rò negatiua, quod euidenter in his figuratis apparet locutionibus, ſicut in prima metaphora continetur, ſcilicet: Vas clauſum, & non clauſum: luminoſum, & non luminoſum: paruum, & non paruum. Conformiter de cæteris figuratis propoſitionibus. Cum autem has propoſitiones dialecticas leges proſequēdo liqueat eſſe cōtradictoriè oppoſitas, alteram quoque neceſſariò falſam exiſtere, reliquā autem veram, per ſpeculatiuum diſcurſum reperire omnes illas veras, atque catholicas videtur eſſe admirabile.

Concluditur de ſuperius dictis aſſignans quibus competant hæ figuratæ locutiones. Cap. VII.

SECVNDA pars proprietatis harum propoſitionum eſt, eas debere rationabiliter Paradoxas nominari: ſi-

ca T[illegible] … Quod tenet[illegible] … Paradoxon[illegible] … cæteris Paradox[illegible] … ctum ſecundum v[illegible] … ſcientificis prote[illegible] … efficiebantur. Sic a T[illegible] … xorum. Habent ſe autē [illegible] … nes: quia cū contradictoriæ [illegible] … cuilibet eas inſpicienti prima [illegible] … tur, præcipuè vulgarib. vi[illegible] … culationem rariſſimè extollun[illegible] … ter expoſitę omnibus, & ſingulis ve[illegible] … ſimæ videbantur in cōformitate [illegible] … licam poſitionem. Ita autem, vt qui has [illegible] … propoſitionib. congruentem titulum au[illegible] … laborauerit, in libelli formam eas quinque [illegible] … doxas propoſitiones appellabit. Sciendum aute[illegible] … que numero eſſe, ſecundum quòd formantur quinque [illegible] … cæ, aut attributales locutiones: vna autē, quæ inter cæ[illegible] … ras prior eſt, ſi Virgini competit. Quattuor aūt ſequentes Redemptori N. Christo Ieſu cōpetere dignoſcūtur, ſicut in proſecutiua expoſitione earundē euidentius apparebit.

[illegible] narum. Quod apparet, quia fundamentum [illegible] s Eluidianæ eſt, quia iſtud nomē primoge[illegible] m, & prædicatur in relatione ad alios [illegible] enitos. Sic enim vt ille ſolùm primo[illegible] i habet alios fratres, aut fratrem po[illegible] ipſum nemo de fratribus ſuis na[illegible] imogenitus erat virginis Do[illegible] alios, aut alium poſt Chri[illegible]. Recipit autē hoc funda[illegible] èt iſtud nomen primo[illegible] nē, interdū tamen ſo[illegible] et ſignificat filiū, non [illegible] ioritatis, aut po[illegible] ex hoc nomine [illegible] tū ſignificat [illegible], eſt de natu[illegible] o, ad quod [illegible] ura ple[illegible] nificat [illegible] mo[illegible] ro;

Primogenitus non ſemper reſpectu indicari, ſed quandoq. etiam abſolute ſignificat.

Expoſitio primæ metaphoræ de Virgine Domina noſtra. Cap. VIII.

C ANTE cæteras verò prima eſt. Fuit vnum vas clauſum, & non clauſum: paruum, & non paruum: luminoſum, & non luminoſum: vacuum, & non vacuum: inſuper mundum, & non mundum. Hanc autē cæteris priorem de Virgine Domina noſtra exponi debere ex eis patet, quæ ſequuntur. Debent namque omnes metaphoricæ locutiones de perſonis illis aut rebus exponi, quib. propriè totius metaphoræ partes ſingulæ applicantur: & quia in hac prima metapho. ſic eſt, quòd eius aliquę partes alicui, ſeu aliquibus rebus, vel perſonis applicari poſſent, omnes autem nequaquam: virgini tamen Dominæ noſtræ omnes conueniunt, ſicut in prædictæ figuræ expoſitione cōtinebitur, neceſſaria concluditur illatione de ipſa, & nō de aliqua alia perſona exponi debere. In huius metapho. propoſitionis exordio cōtinetur. Fuit vnum vas clauſum, & non clauſum: in quo Domina noſtra Maria vaſis recipit cognomentū, hoc aūt non in ſenſu literali, ſed in metaphorica locutione, quod apud oratores tranſumptio, aut metaphora appellatur. Et hoc eſt quotienſcunque de aliqua re ſermonē facere cupientes, non eā ſuo nomine, aut ſuis proprietatibus adnotamus, extraneæ rei nomen cū proprietatib. adiungentes: hoc autem non indifferenter, & vt cuilibet indiſtinctè libuerit, faciendum eſt, vt cuiuſcunq. rei nomen alteri rei, qui voluerimus apponamus: ſed ſolū alicui rei nomen alterius apponimus, quæ aliquam conditionem conformē ei rei, de qua loquimur, ſortita eſt: aliàs autem facientes non metapho. aut tropos ſiue figuratas, vel attributales locutiones conficimus: ſed publiciſſimè deuiantes, errores nimios, & ſententiarum obſcurā intricationem cauſauerimus. Sic. n. Ariſt. noſter in libris Phyſicorum vulgariter dictis libri de naturali inquiſitione inquit; omnes transferentes, ſecundum aliquam ſimilitudinem transferunt; quaſi ſi hominem leonem, aut porcū appellemus, neceſſe eſt aliquā conuenientiam in proprietatibus aſſignare inter hominem, aut leonem, aut porcum. Sic autem ad id, quod attinet, attendentes, cū Dominam noſtram vaſis nomine appellemus, oportet ei conformem vaſi conditionem aſſignare, vas autem eſt ens artificiatū, non natura ſubſiſtens, nec productionis ſuæ habens primordia naturalia, ad aliquid continēdum fabricatum, hic autem eſt finis, ad quē illud artifex fabricauit, opus quoq; ſuum eſt continere: ideo quādo aliqua tranſumptio huius nominis vas faciēda eſt, ad alteram rem attributalem, neceſſarium eſt ſecundum continentiæ fieri proprietatem, ſcilicet vt res illa ad quàm tranſumimus illud nomen vas,

Tranſumptio quid.

Quō Virgo Maria vaſi aſſimilari poſſit.

de ipſa ſermonem facientes aliquid in ſe contineat. Sic enim declarat Grego. in ſermone, quē fecit ad Epiſcopos: & vocatur in titulo ad fontes Lateranenſes; & eſt homilia ſiue explanatio ſuper Euangelium illud Lucæ, quod incipit: Deſignauit Dominus & alios ſeptuaginta diſcipulos: in quo cùm metapho. rerum tabernaculi ſub ſenſu allegorico, aut potius Tropologico, quorum vterque metaphoricè dicitur ellucidaret, dicit in tabernaculo fuiſſe vaſa, in vaſis autem ſculptos boues, & cherubim, ſuper quæ vaſa ſacerdotes eſſe aſſerit: nam ſicut vaſorum opus eſt continere ad continendumq. illa artificis plaſmauit initio, ſic ſacerdotes Domini in ſe debent aliquid continere. Quid autem ſacerdotes in ſe cōtinere debeant, ſubiungitur, per id quod boues, & ſculpta in vaſis Cherubim in ſēſu allegorico prefigurāt, ſicut proſequitur beatus Greg. in præfato ſermone.

Ob multiplicem continentiam Virgo Maria virginitatis vas vocitatur. Cap. IX.

PRAESENTI autem inquiſitioni particularius accedentes, quia Domina noſtrā virgo in prænominatis metapho. locutionibus vaſis nomine appellatur, oportet in ipſa conditionē cōtinentiæ aſſignare, qua in re ſicut in ſe ipſa pleraque continebat, ita multipharie vaſis nomine nuncupatur. Cōtinuit autem præcipue Domina noſtra virginitatis integritates, ex qua rectè vas virginitatis appellatur: virginitas autem eſt integritas carnis, & mētis. cum omni priuatione experiētiæ actus venerei: ſic declarat ſanctus Thomas ſuper quartum ſententiarū diſtinctione 33. fuit autem hæc virginalis integritas perfectius in Domina noſtra, quàm in omnibus mulieribus, quippe quæ virgo & mater extitit, vtrūque autē cōpletiſſime. Virgo quidē antequā pareret, & dū peperit virgo, poſt partū virgo, virginitatis lauream immarceſſibilē nō amiſit, ſemperque incognita viro. Quidā tamen iniquitatis filius, qui inter Chriſticolas natus Antichriſtus factus Eluidius nomen accipiens, aſſeruit Beatā virginē poſtquā concepit, & peperit noſtrū Redemptorē, a Ioſeph viro ſuo carnaliter cognitā alios poſteriores Chriſto filios peperiſſe. Sic refert Auguſti. ſuper Matth. in cap. 2. accepit autē occaſionē errādi infidelis ille Eluidius in quadā auctoritate beati Matthęi, quę habetur Matth. 1. c. in fine eſ. & accepit Ioſeph Mariam coniugem ſuam, & non cognoſcebat eam, donec peperit ei primogenitum filium ſuum; & vocauit nomen eius Ieſum. Ex quibus verbis dupliciter conatur Eluidius arguere Beatam Virginem poſtquam Chriſtum peperit à Ioſeph cognitam alios filios peperiſſe. Primò autem, quia in præaſſumptæ auctoritatis ſerie continetur, & accepit Ioſeph Mariam coniugem ſuam, & non cognoſcebat eam donec peperit. Secundariò idem probare conatur ex eiuſdem teſtimonij verbis, cùm dicitur: Donec peperit ei filium ſuum primogenitum, ex quo neceſſariò inferri videtur alios ſecundò, & tertiò genitos peperiſſe. Primogenitus namque nomen relatiuum, & non abſolutum eſt, ſicut iſtud nomen pater. Sicut igitur pater ſine filio, aut filijs nullus prædicatur, ita primogenitus ſine alijs ſecundò, aut tertiò genitis nullatenus dicitur. Idem autem inferri videtur ex alio teſtimonio Matthæi primo capitulo, cùm dicitur: Antequam conuenirent, inuenta eſt in vtero habens de Spiritu Sancto, quod manifeſtè innuere videtur eos poſtea conueniſſe, quod eſt Virginem Dominā m carnaliter à viro cognitam: aliter autem non rectè diceretur, antequam conueniſſent, inuenta eſt in vtero habens de Spiritu Sancto, ſed diceretur nunquam conuenerunt Maria & Ioſeph, tamen inuentum eſt eam concepiſſe in vtero de Spiritu Sancto aut ſolum alijs tacitis expreſſiſſet, inuenta eſt in vtero habens de Spiritu Sancto.

Virginitas quid ſit.

Eluidij ratio: dicit B. Virginem à Ioſeph cognitam fuiſſe.

Rationum Eluidij iniqui ſolutio. Cap. X.

DEBILISSIME firmata argumenta Eluidij nullatenus inferunt, quod intendit. Cum autem primò arguit: Ioſeph autem non cognoſcebat Mariam, donec peperit: non ex hoc neceſſariò infertur eam fuiſſe poſterius cognitam: nam licèt ſecundùm vulgarium acceptionem

F cùm alias dicit, non cenauimus vſque ad vnam horam noctis, vel donec pulſaretur prima hora noctis, innuitur nos poſt vnam noctis horam cenauiſſe, nō tamen hoc infertur ſecundum vim conſequentiæ dialecticæ, ſicut ſi quis ſilogizet, tu non veniſti vſque ad vnam noctis horam. ergo poſt vnam, ſiue primam veniſti, non valet conſequentia iſta: ſtat enim contradictorium conſequētis cum antecedente, ſcilicet, quòd nō tu veniſſes vſque ad primam noctis horam, poſtea quoque, quòd nō veneris. Sic etiam reſponderi debet Eluidio ſuam ineptam conſequentiam non valere, ſcilicet, Ioſeph non cognouit Mariam donec peperit: ergo poſtquam peperit cognouit eam: ſtat namque ſine vlla incōuenientia Mariam, antequam Chriſtum peperiſſet à Ioſeph incognitam, & quòd nec poſt partum eandem cognouerit; ſed ſecundum vulgatam regulam logicorum, quando contradictorium conſequentis ſtat cum

G antecedente, conſequentia eſt nulla.

Quæ abſurda ſequantur ad Eluidium. Cap. XI.

HABVIT autem prætetea Eluidius occaſionem errandi ignorans modos loquendi Sacræ Scripturæ, in qua cum ſatis euidēter liquet argumēto fuiſſe ineptiſſimum ſtudentem, ac tarditatis ingenij, malitiaque memoriæ. Satis autē colligitur ex pleriſque locis Sacræ Scripturæ iſtud aduerbium, Donec, vel Vſq; in contextu poſitum aliquem alium actum conſequutum fuiſſe, nō inducere. Sic habetur Gen. cap. 8. vbi de coruo, quē Noe miſit ad videndum, vtrum terra deſiccata eſſet ſermo agitur, ſci-

H licet, emiſit coruum, qui egrediebatur, & nō reuertebatur, donec ſiccarētur aquæ. Sed, ſicut cōuincitur ex textu Geneſeos præcipuè ſecūdum textū literæ Hebraicæ, coruus nunquam reuerſus eſt in arcam. Amplius autem rationabiliter inducitur coruum nūquam ad arcam rediſſe, poſtquam aquæ diluuij deſiccatæ fuit: cùm enim coruus animal eſui carnium valde inhians ſit, & multa hominū brutorūq; cadauera reperiret, quę vniuerſalis diluuij alluuionibus deleta fuerant, nō recederet ab eis, niſi eſſet aliquod impedimentum, abigens illum inde, cogensque in arcam repedare, quod contigiſſe non conceditur, nec contingere potuiſſet, cum nulla auis, aut quadrupes animal eſſet quod illū inde abigere valuiſſet, quia omnia memorato vniuerſali diluuio abſorpta, deletaque referuntur. Reſtat ergo ſolam aquam diluuij exundantem potuiſſe ei impedimento

I fore: ſed hoc non fuit: nam in prænominato Geneſeos textu continetur, Et non reuertebatur, donec ſiccarentur aquæ: ſequitur ergo nihil fuiſſe quod coruum a comeſtione carnium abigere valuiſſet in arcam cōpellens remeare. Infertur ergo eum non fuiſſe reuerſum: ſi enim coruus redire debuiſſet, rediſſet tempore inundationum aquarum, cùm terra adhuc madida, opertaque aquis congruū nō faceret incolatum, & nō tēpore deſiccatæ terræ: quod ex ſimili conuincitur argumento, cū idē de columba factū videamus, cum miſit Noe colūbam, vt ſic videret an terra deſiccata foret, vt habetur Geneſeos 8. cap. cum dicitur: Emiſit quoque colūbam, poſt eum, vt videret, ſi ceſſaſſent aquæ ſuper faciē terræ, quæ cum nō inueniſſet vbi requieſceret pes eius, reuerſa eſt ad eū in arcam. Aquæ enim erāt ſuper vniuerſam terrā: extenditque manum, & apprehen-

K ſam miſit in arcam. Ante hoc autē Noe coruum miſerat, vt euidenter ex Geneſeos textu cōcluditur, & nō reuerſus eſt, licèt inueniſſet exundātes aquas diluuij: quomodo ergo rationabiliter dici poſſet eū poſtea reuerſū, cùm ceſſaſſent aquæ diluuij? Nullatenus videtur. Sequitur autem in textu, expectātes vltra ſeptē diebus alijs, rursū dimiſit colūbā ex arca; at illa venit ad veſperā ad eū portans ramum oliuæ virētibus folijs in ore ſuo: intellexit ergo Noe, quòd ceſſaſsēt aquæ ſuper terrā: ſequitur autē in eadē litera Expectauitque nihilominus ſeptē alios dies, & miſit colūbā, quæ non eſt reuerſa vltra ad eū. Huius autē in eadē litera cauſa aſſignatur, quia deſiccatæ eſſent aquæ ſuper terrā. Si ergo colūba, quæ nunciorū conueniens baiulus eſt, bis regreſſa eſt in arcam, cùm repperiſſet terrā opertam aquis, & poſtea eū eam deſiccatā reperit non reuerſa fuit in arcam,

quomo-

quomodo veriſimile erat coruum in arcam rediſſe, cum deſiccata eſſet terra, qui cum terra fluctibus innundantis diluuij cooperta eſſet, nunquam reuerſus eſt? Litera tamen Gen. dicit, quòd coruus egrediebatur, & non reuertebatur, donec ceſſarent aquæ diluuii, & poſtea tamē non reuerſus eſt. Sequitur ꝙ hoc aduerbium, Donec, non ſemper inducat aliquem actum poſtea ſequi.

Error Eluidij ſuperior oſtenditur. Cap. XII.

AMPLIVS autem, & hoc apparet ex quodā alio teſtimonio, quod habetur Gen. 28. cap. vbi Deus benedicit Iacob promittens ei bonorum multiplicationē, & multa alia proſpera, & in fine eorum ſubiūgit, Ego ero cuſtos tuus quocunque pertexeris, & reducam te in terram hanc, nec dimittam, niſi compleuero vniuerſa, quę dixi. Et ſecundum aliam literam dicitur: Donec compleuero vniuerſa, quę dixi. Ex quibus verbis ſecūdum modum arguendi Eluidii concluditur, ꝙ Deus dimitteret Iacob non habens eum in ſua ſpeciali protectione poſtquā vniuerſa, quæ pollicitus fuerat compleſſet: contrarium tamen patet ex toto Panthateuco Moyſi, in quo ſæpe aſſeritur Deum pepigiſſe pactum ſempiternum cum Iacob, & ſemine eius. Hoc idē perſpicuè apparet ex omnibus libris hiſtoricis totius veteris teſtamenti. Solida ergo veritate concluditur, ꝙ iſtud aduerbium Donec non inducat ſemper poſt ſe aliquem actum conſequentem.

Error Eluidij clarius pateſcit. Cap. XIII.

AD hoc autem eſt & aliud teſtimonium Pſalmographi Pſalmo 108. qui incipit: Dixit Dominus domino meo, & ſequitur: Sede à dextris meis, donec ponā inimicos tuos ſcabellum pedum tuorū. qui Pſalmus de Meſſia Chriſto neceſſariò exponitur, ſecundum quòd apparet Matth. 22. c. vbi cū agatur de Chriſto arguente cōtra Phariſæos, Meſſiam futurum verum Deum, & verum hominem, & non ſolum eum filium Dauid futurum: ſed etiā filium Dei ſequitur ipſum dixiſſe: quō Dauid vocat eum Dominum loquens in ſpiritu, ſi filius eius eſt, dicens: Dixit Dominus domino meo, ſede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedem tuorum? Et ſic in hoc Pſalmo Deus pater loquens ad filium Deū, & redemptorem noſtrum Ieſum verum Meſſiam dixit, ſede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Ex quo ſecūdum ſupra habitum modum arguendi Eluidii inferebatur neceſſariò, ꝙ poſtquam Deus pater poſuiſſet hoſtes Redemptoris noſtri Ieſu ſub pedib. eius, non deberet Redemptor noſter ſedere ad dexteram Dei Patris: quod penitus impoſſibile atq; abſurdum eſt; nam cum Redemptor noſter Chriſtus Ieſus patri conſubſtantialis ſit, eiuſdemque naturæ, inſeparabilis ab ipſo eſt: & neceſſe eſt eum ſemper ſedere ad dexteram Patris eo modo accipiēdi quo in ſacra ſcriptura dicitur ſedere ad dextram Patris. Euidenter ſufficienterque concluſum ſuperioribus liquet argumentis Eluidium hæreticum non intellexiſſe modum loquendi ſacrarum ſcripturarum, nec vim conſequentiæ logicalis, & inde errandi originem aſſumpſiſſe.

Quō Dauid vocat Deum Dominum loquens in ſpiritu ſi eſt eius filius.

Reſponſio ad ſecundam Eluidij rationem. Cap. XIIII.

ACCEDENTIBVS nobis ad inquiſitionem ſecundi argumēti Eluidiani, in quo concludere nitebatur dominam noſtram Virginem poſt Chriſtum conceptum, & in luce proditum, ruſus alios filios concepiſſe, quia in teſtimonio verbi Matthæi ſic continebatur; Ioſeph non cognoſcebat eam donec peperit eius filium primogenitum. Reſpondendum eſt iſtam rudem argumentationem Eluidianam multiplicem pati defectum, tū propter non cognouiſſe modum locutionis ſacrarum ſcripturarum, tum propter non perpendiſſe modos expoſitionū dialecticarum, tum propter non attendiſſe mores poetarum, tum propter neſciuiſſe continentiam regularum canonicarum, tum propter ſuperficialiter aſpexiſſe dicta le-

A gum humanarum. Quod apparet, quia fundamentum argumentationis Eluidianæ eſt, quia iſtud nomē primogenitus eſt relatiuum, & prædicatur in relatione ad alios ſecundò, aut tertiò genitos. Sic enim vt ille ſolum primogenitus prædicetur, qui habet alios fratres, aut fratrem poſterius generatos: & ante ipſum nemo de fratribus ſuis natus eſt. Si ergo Chriſtus primogenitus erat virginis Dominæ noſtræ, inferebatur eam alios, aut alium poſt Chriſtū filios concepiſſe, & peperiſſe. Recipit autē hoc fundamentū magnā inſtantiam: nā licèt iſtud nomen primogenitus aliquando ſignificet relationē, interdū tamen ſolum ſignificat abſolutū, ſ. ꝙ ſimpliciter ſignificat filiū, non importando aliquē alium reſpectum prioritatis, aut poſterioritatis, quod exemplariter apparet ex hoc nomine filius: quia ſecundum ſuū primariū ſignificatū ſignificat B relationē, & cùm in aliquo contextu ponatur, eſt de natura ſui ſignificati, quòd ponatur cum ſuo relatiuo, ad quod refertur tanquam ad terminū: ſacra tamen ſcriptura plerūque eo vtitur nō ſignando relationē, & tunc ſignificat abſolutè hominē, quod apparet in libro quodā Salomonis, qui dicitur Cantica canticorū in cap. 2. in principio, vbi ſponſus loquens ad ſponſā dicit: Ego flos cāpi, & liliū conualliū, ſicut liliū inter ſpinas ſic amica mea inter filias, & nō accepit hic proprie filias pro filiab. ſed pro mulieribus abſolutè: nam ſi pro filiabus propriè ſumēdo acceperat, non dixerat filias tacito eo, aut illis, quorū filiæ erant: quia filia nomen relatiuum ſiue ad aliquid eſt. Sunt autē relatiua huius naturę, ꝙ vnū ſine altero expreſſo nō intelligatur, quia relatiua ſimul ſunt naturali intelligētia, ſicut ait Ariſt. in Prædicamentis in prædicamento, Ad aliquid: C ideo neceſſariū eſt in vtriſq; diffinitionibus vtriuſq; vti. In præallegato capitulo ſequitur conſimilis locutionis modus, vbi ſponſa ad ſponſum loquens ait: ſicut malus inter ligna ſiluarum, ſic dilectus meus inter filios, & accipiuntur filij, ideſt homines abſolutè: non enim poſſunt filij accipi relatiuè: tunc enim poneretur, cuius filij ſunt; ſicut ſupra annotatum eſt.

Primogenitus non ſemper reſpectu indicari, ſed quandoq. etiam abſolute ſignificat.

Primogenitus quis ſit ſecundum expoſitionem ſacræ ſcripturæ. Cap. XV.

PRÆTEREA verò, & iſtud nomen primogenitus ſecundùm ſacrarum ſcripturarum morē ille dicitur, qui primò de materna erūpit vulua, ſiue alius poſt eum ſequatur, ſiue nullus: quod liquet ex eo, quòd ſcribi- D tur in ſecundo libro Moyſi, qui Exodus dicitur cap. vndecimo, vbi ſic habetur. Hoc dicit Dominus, media nocte ingrediar in terram Aegyptiorum, & morietur omne primogenitū in terra Aegyptiorū à primogenito Pharaonis, qui ſedet in ſolio eius, vſque ad primogenitū ancillæ, quæ ſedet ad molā, & omne primogenitū iumentorum. Deinde verò in prædicti libri cap. duodecimo, dicit quòd media nocte Deus ingreſſus fuit in terram Aegypti, & occidit omnia primogenita Aegyptiorū, & ſequitur in eadē litera, quòd non erat domus in tota Aegypto, in qua non eſſet mortuus, & omnes iſti erant primogeniti, quia vltima plaga quàm Dominus inflixit, fuit mors primogenitorū. Si ergo nō erat aliqua domus in tota Aegypto, in qua non eſſet aliquis mortuus, vt in præaſſignata litera Exodi continetur, & omnes ij primogeniti erant, neceſſa- E riū erat quēlibet virū patrē familias, qui haberet domum ſiue œconomiam in Aegypto, plures filios habere, vt aliquis eorum primogenitus diceretur, quod credibile nulli videtur: ſequitur ergo illū hic primogenitū dici, qui primò erupit de vtero materno, ſcilicet antequam quiſquam alius naſceretur, ſiue poſt eum alij ſequerentur, ſiue nulli. Præterea, & adhuc liquidiori patet argumento eū primogenitū vocari, ante quē vllus natus non ſit, ſiue poſt eum alij naſcerentur, ſiue non, quoniam in præfato ſecūdo libro Moyſi in capit. decimo tertio, & in trigeſimo quarto, & in pleriſque alijs locis hæc continentur, ſcilicet. Sanctifica mihi omne primogenitū, quod aperit vuluā in filijs Iſrael tam in hominibus quam in iumentis; in quo manifeſtiſſimè primogenitum vocat, qui primò de vulua matris erumpit: hic autē neceſſario illos primogenitos ap-

pellat, qui primò naſcuntur ab vtero, ſiue alij poſteriores fuerint, ſiue nõ. Si enim primogeniti ſoli illi vocãtur, ſicut in Eluidiana argumẽtatione accipiũtur, illi qui ante alios de materno vtero in lucẽ erũpunt, & poſt eos alius; vel alij naſcuntur, multiplices ſequerentur errores. Primus, quòd ſi quiſpiam filiũ genuiſſet, & ſolum illũ generaret, non teneretur ſeparare illum in partem Domini, aut ſanctificare illum, vel redimere dando quinque ſiclos, ſicut mandauerat Dominus de primogenitis: & habetur Numeri tertio capitulo: ꝙ certiſſimè eſt falſum, ſicut inferius abundantius declarabitur. Item ſequebatur alius error, ſcilicet, quòd ſi aliqua ouis, aut capra, vel bos vnicum filium genuiſſet, non deberet domino offerri in holocauſtũ: quod magnũ inconueniens eſt, ſicut infra magis declarabitur. Item alius error ſequebatur, ſcilicet, quòd cùm aliqua femina primũ filiũ peperiſſet, quòd ille non debe-

G bat offerri, aut ſiſti corã domino, nec redimi pretio quinque ſiclorũ, donec ſciretur an mater ſua aliũ eius ſequentẽ pareret, vt ille ſic primogenitus vocaretur: qua forma obſeruata, neceſſariũ erat ſaltẽ poſt primi filij natiuitatem nouẽ menſibus, aut quaſi per annũ expectari, donec mater ſua rurſus grauidaretur, & pareret. Hoc tamen falſum eſt, quia cùm aliqua femina filiũ primũ maſculini ſexus peperiſſet, die quadrageſimo debebat corã domino in tẽplo ſacerdotibus præſentari, & ſoluebatur in redemptionẽ eius pretium quinque ſiclorũ, ſecundùm legis diſpoſitionẽ oblatis cũ quibuſdam alijs ſacrificijs, nullũ tempus vlterius expectãdo, ſicut de Christo Redemptore noſtro euidenter apparet. De quo Lucas ſcribit capitulo ſecundo: Et poſtquã completi ſunt dies purificationis eius, ſci-

Ritus antiquiſſimus quo primogeniti Deo offerebatur & redimebantur.

H licet Mariæ, ſecundùm legem Moyſi: tulerunt illũ in Ieruſalẽ, vt ſiſterent illum coram Domino: hoc autẽ totũ tempus in quo infans primo natus in tẽplo offerendus erat, triginta nouem, aut quadraginta dierum ſpacio dumtaxat coarctatum eſſe manifeſtè cõuincitur ex hoc ꝙ feſtũ purificationis Beatæ Mariæ Virginis vulgariter nominatum feſtũ candelarũ, triginta nouẽ, aut quadraginta diebus à feſto Natalis Domini eſt ſeparatũ. Et in hoc purificationis die Chriſtus fuit in tẽplo præſentatus, & redemptus fuit à parẽtibus ſuis quinq; ſiclorũ pretio, ſicut ceteri redimi conſueuerant. Eadẽ termini præfixo apparet ex his, quæ habentur Leui. 12. c. vbi dicitur. Mulier ſi ſuſceptto ſemine maſculũ peperit, immunda erit ſeptem diebus iuxta immunditiã mulieris mẽſtruatæ, octauo autẽ die circumcidetur puer, poſtea autẽ triginta diebus purifica-

Dies celebrationis feſti Purificationis Mariæ Virginis.

I tur à ſanguine ſuo, quibus expletis ibat ad templũ ferens ſecũ agnũ anniculũ in holocauſtũ: ꝙ ſi non poterat eum inuenire manus eius. ſ. ſi pauper erat, quæ peperiſſet, ferebat par turturũ, aut duos pullos colũbarũ. Cõcluditur ergo ex his, ꝙ nõ expectabatur poſtquã femina primò pepererat, an iterũ pareret, vt ſciretur vtrũ ille, antequẽ nullus natus fuerat, primogenitus eſſet. Data nãque hac forma nunquã facta fuiſſet purificatio, aut oblatio, & primogenitorũ redẽptio tẽpore à lege præfixo. Itẽ & aliud inconueniens ſequabatur. ſ. ſi capra, ouis, aut bos peperiſſet, non debebat natus ſexus maſculini domino immolandus offerri, etiã ſi primus eſſet, ſiue cũ nullus præceſſiſſet quãtum attinebat ad legẽ primogenitorũ, donec videretur, ſi aliũ ſequentẽ mater illa genuiſſet: quod liquidè falſitatis

K redarguitur: nã poſtquã aliquod primogenitũ in pecoribus immolandis naſceretur, ſcilicet in bobus, ouibus, & capris, ſeptẽ diebus expectabatur, quibus cuſtodiebatur cũ matre ſua, ſeptimo autẽ die domino offerebatur: ſicut habetur Exo. 22. c. Primogenitũ filiorũ tuorũ dabis mihi, de bobus quoque, & ouibus ſimiliter facies, ſeptem diebus ſit cum matre ſua, octauo autem die reddes illum mihi. Ex quibus omnibus in vnam formam collatis, aut ex quolibet eorum ſolidiſſimè, & ſatis euidenter infertur ſecundum ſacrarum ſcripturarum morem illos primogenitos vocari, qui primò de materno vtero eruperunt; ſiue de eodem vtero ſequentes fratres habeant, ſiue non.

Error argumentationis Eluidij in Dialectica. Cap. XVI.

APPARET autem ſecundariò argumẽtationem Eluidianam prorſus viribus eſſe carentẽ, quia circa terminos expoſitiones dialecticas ignorauit. Eſt enim apud dialecticos quidã tractatus de modo exponendi terminorũ, in quo datur regula de modo exponẽdi iſtorum ſuperlatiuorũ. ſ. primus, & vltimus, & quandoq; aliorum ſuperlatiuorũ, & dicitur de omnib. ſuperlatiuis, ꝙ ſuperlatiuus dupliciter exponi poteſt. ſ. abſolutè, & cõparatè. Si autẽ iſte ſuperlatiuus primus abſolutè exponatur, ſic exponẽdus eſt. ſ. primus eſt, quo nullus eſt prior, ſiue, ante quem nullus eſt, ſiue poſt eũ aliquis ſequatur, ſiue nõ. Et iſtud ſuperlatiuũ, vltimus, cũ abſolutè exponitur, ſic exponendũ eſt, vltimus eſt, quo nullus eſt vlterior, ſiue poſterior, aut poſt quẽ nullus venit, vel eſt, ſiue ante eũ aliquis præceſſerit, ſiue nõ. Si aũt hos duos ſuperlatiuos cõparatè exponere voluerimus, habebũt duas expoſitiones, & tũc primus dicitur, antè quẽ nullus eſt, ſiue quo prior nullus eſt, & poſt quẽ alij ſunt: vltimus eſt, quo nullus eſt vlterior, aut poſterior, ſed ante eũ aliqui ſunt. Et quia iſtud nomẽ, primogenitus, habet ſenſus huius nominis primus & filius, accipiet expoſitionem duplicẽ, ſicut iſtud nomẽ primus. ſ. abſolutè, aut comparatè; abſolutè autẽ primogenitus vocatur quo non eſt alius prior genitus, ſiue ante quẽ nullus ex eadem vulua erupit, ſiue poſtea aliqui eruperint, ſiue non. Si autem exponatur cõparatè, primogenitus vocatur, quo nullus prior eſt genitus, & alij poſt eũ geniti extitere. Primus autem iſtorum modorũ in Sacra Scriptura vſitatior eſt, ſicut ex ſuperioribus probatum eſt, & hoc modo Redemptor noſter Chriſtus Ieſus eſt primogenitus Dominæ noſtræ Virginis, quia ante eũ nullus alius, ſiue alij de illa nati ſunt, licet poſt eũ nullus natus fuerit ex eadẽ. Secundũ autẽ horũ duorũ modorum aſſumpſit Eluidius, ex quo errandi habuit occaſionem.

Argumentum Eluidij fuit etiam ex imperitia poetarum. Cap. XVII.

PARVIS Præterea ſolidata eſt fulcimentis Eluidiana argumentatio: quia non attendit circa hoc morem loquendi poetarum: nam iſta nomina filius, & nurus, quæ ex ſua ſignificatione primaria ſignant relationẽ, aliquando more poetico in abſolutis præcisè ſignificationibus aſſumuntur, ſicut ex Virgilianis Ouidianiſque, atque Statianis euidenter apparet narrationibus aliorũque poetarũ: ponunt quippè nomen iſtud filius, pro ſolo viro, & nomen iſtud nurus pro ſola femina, quod ſic manifeſtatur aliquot argumentationib. Si. n. nomẽ iſtud nurus in ſua propria ſignificatione aſſumatur quotieſcunque fuerit in cõtextu adiungetur ſuũ correlatiuũ, ſcilicet, cuius nurus eſt, ſed plerũque abſolutè in eiſdem collocatur: ſic apparet in Ouidiana narratione Metamorphoſeos libro 11. qui vulgariter de tranſmutationibus nuncupatur, finita infelici Phaẽtontica morte, expleta quoque narratione de inſolita mutatione ſororũ ſuarũ in populeas arbores; quæ vlmi vulgariter nuncupantur ſuper flumen Eridanũ vulgariter nũcupatũ Pòum Lõbardia, & cõfinibus Italiæ.

Inde fluunt lacrymæ, ſtillataq; ſole rigeſcunt.
De ramis electra nouis, quæ lucida amnis
Excipit, & nuribus mittit geſtanda Latinis.

Scilicet, cùm Phaẽtontiacæ ſorores in planctu diuturno permanentes vltimo in populeas arbores mutarentur, lacrymæ, quæ in eis aſſiduæ in vita fuerant poſt defunctum vita corpus in arboribus permanſere, quæ in reſinã congelantur, & cadit in fluuium Eridanum, vbi arbores illæ vehementer abundant, feturq; per aquam in terram Italorum, in qua matronæ reſinam illam, quæ electrum dicitur accipiunt, & in vſus multiplicis ornatus muliebris conuertunt. Dicitur etiam in fine verſuum illorum Ouidianorum, quòd electra proſunt nuribus Latinis, vbi nurus non pro nuru propriè, ſed pro femina abſolutè accipitur. Idem ponit Ouidius in prædicto Metamorphoſeos libro vndecimo in exordio libri, cùm dicit.

Ecce nurus Ciconum tectæ lymphata ferinis.

In quo verſu cùm vellet continuata ſuſpenſius narratione hiſtoriam morientis Orphei texere incipit, quomodo eũ Thraces mulieres occiderint, quas vocat nurus Ciconum, ideſt, nurus Thracas, ſcilicet, mulieres de Thra-

cia.

cia. Conſimiles loquendi modos ponit idem Ouidius
in libro de Arte Amandi,& in pleriſque alijs libris.Sic
ergo iſtud nomen nurus,& nomen iſtud filius in ſignifi-
cato abſoluto inueniuntur apud poetas, cum illorum
prima ſignificatio ſit nō abſolutè ſignificare. Inuenitur
& iſtud nomen primogenitus interdū in ſignificationę
abſoluta,licet eius ſignificatū ſit primarie relatiuum.

Error Eluidij in iure canonico. Cap. XVIII.

FVit autem alia deficiendi occaſio Eluidianæ argu-
mentationis propter regulas canonicas ignorare.Se-
cundum modum regularum iuris canonici , iſtud no-
men primogenitus non ſemper ſignificat primogenitū
in hac expoſitione,ſcilicet,quod primogenitus eſt,ante
quem nullus primus natus eſt,& poſt quē alius,ſeu alij
nati ſunt:ſic apparet extra in volumine Decretalium in
titulo de verbo.ſignifi.in cap.Ioſeph autē,&c.vbi dici-
tur Ioſeph autē non cognouit Mariam,donec peperit ei
filium ſuum primogenitum. Ex hoc loco multi peruer
sè ſuſpicari ſunt Mariā alios filios habuiſſe ,cum mos
ſit ſanctarum ſcripturarum illum primogenitum ap-
pellare,quem nemo præceſſit, & non ſolum eum, poſt
quem alij nati ſunt .

Error Eluidij in continentia modorum humanarum legum. Cap. XIX.

HAbuit autē pręter hoc Eluidiana argumentatio de-
ficiendi occaſionem : quia continentiam modorū
legum humanarum non attendit. Sunt enim multi ter-
mini vſitati ſecundum leges , quorū licet ſit primaria
ſignificatio relatiua,plerumque tn̄ abſolutè ſignificare
reperiuntur,vt nomen iſtud proximus,& ſupremus.Si
.n.iſtud nomē proximus exponeretur,accipiendo in ſi-
gnificato relatiuo,diceretur ꝓximus, quo nullus eſt ꝓ
pinquior,& poſt eū ſunt alij minus ꝓpinqui.Si aūt ex-
ponatur abſolutè,dr̄ proximus, quo nullus ꝓpinquior
eſt,ſiue poſt eū ſint alij propinqui, ſiue nō. Hunc ſcd̃m
modum leges ſequuntur humanæ. Sic hr̄ in digeſto no
Proximus. uo in titulo de verb.ſign.in lege proximus,vbi dr̄,pro-
ximus eſt,quem nemo antecedit: expoſuit.n.proximū,
in abſoluta ſignificatione exponēdo per negationem,ſ.
proximus eſt,quem nemo antecedit,nec exponitur cō-
paratè: quia tunc poneretur neceſſariū eſſe alios minus
propinquos,& poſteriores. Idē apparet in eodem titu-
lo,& eodem libro in lege proximi, vbi dr̄,proximi ap-
pellatione ēt ille continetur,qui ſolus eſt.Ex quo mani
feſte innuitur ibi non accipi ſcd̃m ſignificationē relati
uam:nā in vno ſolo relatiuum nunꝗ eſt , cum relatiuū
ſp ſit ad alterum,tanꝗ ad terminum,qđ eſt ſuū correla
tiuū,& ſic ſaltem duo ſunt.Itē iſte terminus ſupremus,
licet ſcd̃m ſe ſignificationem habeat relatiuam, plerū-
que in abſoluto ſignificato reperitur, ſicut in prædicto
Primogenitus quādo accipi. lib.digeſti noui in p̄nominato tit.in lege ꝓximus.Cōſi
militer igr̄ iſtud nomē primogenitus interdū accipiet̃
in ſignificatione abſoluta, licet ſit ſua ſignificatio cū re-
latione, & accipietur primogenitus duntaxat pro eo,
qui prior de vulua materna erupit. Ita ſiue ante eū ne-
mo natus eſt,ſiue poſt eum aliqui nati fuerint,ſiue nō .

Reſponſio ad tertiam Eluidij rationem. Cap. XX.

SPeculationi autē , in qua Eluidianæ argumentationi
tertiæ reſpondendū eſt,accedentes,quę pro fulcimē
to innititur auctoritati Beati Matt. infra cap. ſ.antequā
conuenirent,inuenta eſt in vtero habens de Spiritu Sā-
cto,in quo Eluidius ſolum accipit, tanꝗ ſolidū funda-
mentum modū locutionis vulgaris:quod re vera infir-
mū valde eſt.Cum.n.vulgaris quiſpiam dicat,antequā
ille comederet, cucurrit, innuit eū poſtea comediſſe: ſic
ergo Eluidius vult,ꝙ cum dicatur, antequam cōueniſ-
ſent,inuenta eſt habens de Spiritu Sancto , ꝙ poſtꝗ in-
uēta eſt habēs de Spiritu Sācto, cōuenerint.ſ.carnaliter,
commiſcēdo ipſa Domina noſtra,& Ioſeph.Iſta Eluidia-

A na argumentatio non habet vllas vires concludēdi, li-
cèt ſecundum aliquem modum loquendi vulgariter
hoc habere videatur:non tamen tenet hic conſequētia
logicalis,quia contradictorium conſequentis ſtat cum
antecedente,ex quo neceſſario ſequitur conſequentiam
non valere: quod ſic apparet:quia ſatis ſolida veritate,
& ſine vlla repugnātia ſubſiſtit,antequā Ioſeph,& Ma
ria carnaliter conueniſſent,Mariā de Spiritu Sancto gra
uidatam , & poſtquam concepiſſet, à Ioſeph carnaliter
manſiſſe incognitam:nam in hoc nulla cōtradictio eſt.
Hoc idem apparet ex regula iuris, quæ habetur in vo-
lumine decretaliū:extra de verbo.ſign.in c. quod dici-
tur, antequā conueniſſent, non ſequitur, ꝙ poſtea con-
uenerint,ſed ſcriptura,ꝙ non ſit factū,oſtendit.Conclu
ſum ergo apparet euidētiſſimis rationibus Eluidianas
B ſillogizationes prorſus deficere fundamēto,& ſine ali-
quo hæſitandi incentiuo intactā manere Dominam no
ſtram V. Beatiſs.virginem ante conceptum, & partum
extitiſſe,in conceptu quoque,& partu,& poſtquā con-
cepiſſet,& peperiſſet ēt, eam ſolius Redēptoris noſtri
Ieſu Chriſti extitiſſe genitricē, & prorſus à viro fuiſſe
incognitam,propter qđ congruentiſſimè vas appella-
tur.ſ.vas virginitatis,quippe , quæ in ea excellentius ,
quàm in cęteris mulieribus,fuit. In quo nimis eā ſacra
laudat ſcriptura,dicens : Sola ſine ęxēplo placuiſti fœ-
mina Chriſto. ſ. quia Domina nr̄a in alijs mulieribus
virginitatis exemplum nō reperit,qđ ideo laudabilius
fuit.In ſtatu nanq; veteris teſtamēti,tam apud Hebręos
quam gentiles populos,licèt puellæ vſq; ad nuptias in
virginitate manere ſtuderent,non tamen vlla virginita
C tis perpetuæ votū vllatenus emittebat,quin potius in-
fœlix habebatur mulier,quę in virginitate permanens,
ab hac luce receſſerat:quia per hoc non genuiſſe innue-
batur.ſicut patet Iudicium 11.c.de filia Iephtę galaadi
tis,principis,ac Iudicis Iſrael,qui cum victoria habita
de hoſtili turba vouiſſet,primū,qđ ei de domo,aut poſ
ſeſſione ſua a cęde reuertēti occurreret,Domino immo-
lare:Accidit,vt vnica filia eius prę gaudio obuiam pa-
tri in oſcula exiiſſet,cuius cū pater,quæ licet indiſcre-
tè vouerat , ſignificaſſet, & illa paternis votis obuiare
nollet,ait:dimitte me, vt plangā duobus menſibus vir
ginitatē meam ſuper montes Iſrael cū ſodalibus meis.
Cū nulla ergo in antiquis ſęculis vouiſſet fęmina vir-
ginitatē,Domina autē noſtra prima hoc votum emiſiſ-
ſet,certè ſola ſine exemplo placuit hęc fęmina Chriſto.
D

De Virgine Maria, omnis mundiciæ vaſe. Cap. XXI.

AMplius autē fuit Domina noſtra omnis puritatis,
& mūditiæ vas,nullius fęculentę contagionis ac-
ceſſibus maculata.Sic.n.de ipſa dicitur in lib.Salomo-
nis,qui dicitur Cantica canticorū.c.4.Tota pulchra es, *Cant. 4.*
amica mea, & macula non eſt in te.Quippe quā domi-
nus,in eam ſuperueniens,& ex eius vtero naſciturus to
taliter purificauerat,aut potius purā creauerat ſm̄ ange-
licā ꝓmiſſionem:ſicut ſcribitur in Luc.1.c. Spiritus ſan
ctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obūbrabit ti-
bi. Ideo non fuit in ipſa vlla macula peccati actualis,
mortalis,aut venialis,qđ proculdubio magnū priuile-
giū fuit. Sic.n.ait Aug.in li. de Natura,& gratia, Cū de
E peccatis agitur,de virgine pp eius filiū , nulla omnino
volo fieri mentionē.Fuit etiam a peccati originalis ma-
cula prorſus immunis . Circa qđ conuentus fratrū Mi-
norum,& Prædicatorum antiqua habent litigia,& pe-
nè cum ipſis ſuis ordinibus antiquata , qđ fiet procul-
dubio immortale,niſi interueniat decretū,aut ſententia
ſuperioris,qui,habēs pleniſſimam poteſtatem ſup hoc,
ſuam interponat auctoritatē.Hoc autem non eſt in Præ-
dicatorū collegijs:quia ipſi ſunt veritatis ſolliciti, atq;
ardentiſſimi inquiſitores,& eius tenaciſſimi,& acerri-
mi defenſores amore veritatis cuilibet repugnādo , ſm
Ariſtotelicam regulam in primo Ethi.1.c.de Platonica
idea,exiſtentibus amico,& veritate,ſolum eſt pię hono
rare veritatē,& propter veritatē oportet familiaria de-
ſtruere.i.ſi aliquando contingat amicum noſtrū, & ve-

ritatem inuicē aduerſis frōtibus diſſidere, magis veri- F
tati pp ſe, quam amico propter beneuolentiam deſera-
mus: quia pp veritatē cuſtodiendam, oportet interdum
omnem amicitiam ſuam familiaritatē deſtruere. Iden-
tidem Minorū fratrū collegia, quæ ſunt pro altera par-
te virginalis mūditię defenſores, non ideo huic ſtudēr
occupationi, quia ſint diligentiores, quā cęteri hominū
virginis matris noſtrę zelatores: ſed, quia ſatanas ſuam
inexcogitabili aſtutia transferens ſe in angelum lucis,
cum ſit verè filius tenebrarum, ſummo ſtudio inuigilat
illaqueare miſerabilia corda noſtra, non ſolū in his, quę
ex genere mala ſunt, ſed ēt in his, quæ, licèt ex ſe bona
ſint, interdum tñ mala fieri poſſunt. Sic autē huius ma-
teriæ diligēs inueſtigatio ac frequēs diſputatio, quę de
ſe licita videbat̃, aut ad veritatis inquiſitionem, aut ad
puritatis Dominę noſtrę ſolidā defenſionem conuerſa G
eſt in venenū omnibus non occultum, quod ſm̃ morem
naturæ, ex poſterioribus liquet effectibus multiplicato
odio inter collegia vtriuſq; ordinis, infixoq; tenaciſſi-
me in viſcerib. eorū, ex hoc ſolū diſputationis incētiuo,
tanq̃ ſi in alterutrū fouerent inimicitias capitales iuſtiſ
ſime vtrinq; inductas, & iuſtius ab vtraq; parte defen-
ſas: ita vt cuiuſcūq; ordinis fratres ꝑeligerent alios ſup
hac re ſufficienter apparenterq; cōcludere eis perpetuū
ſilentiū imponendo, q̃ ſectā Mahometicā funditus ex-
tirpare. Argumenta tñ vtriuſq; partis, in quib. miſerabi
les ipſi, ſed nō miſerandi, cum vera ſpiritus afflictione
nocte, dieq; laborāt infęlicem ſpūm conſumentes, ſi ab
aliquo habente granū intellectus inſpiciant̃, nihil pror
ſus neceſſitatis inducunt. Item non eſt magna grauitas,
aut difficultas alterutrā earū partē ſouere, licèt vulgari H
ter intelligentes exiſtiment magnā Dominæ noſtrę in-
iuriam irrogari, ſi eam in peccato originali conceptam
aſſeramus: cuius cauſa eſt: quia ipſi quid ſit, culpa origi
nalis, aut qualiter contrahatur penitus ſunt expertes, &
huius veritatis ignari, præcipuè cum illi, qui dicūt Do
minā noſtram in peccato originali fuiſſe conceptā, non
aſſerunt eam in hac diutius labe manſiſſe, ſed eam im-
mediatè fuiſſe purgatā, aut, vt alij dicunt, fuiſſe redem-
ptam, nec in hoc aliquaten⁹ laus, vel gloria Virginis do
minæ noſtrę minuitur, aut mutatur: ita vt manifeſtè ma
ioris culpæ, atq; diſcriminis ſit diſſenſio, in vtrunque
inueterata collegium, & odium antiquatum, & penè
a iuuenibus connutritum, & quaſi in vtriuſque ordinis
naturam tranſiens, quam alterutram huius quæſtionis
partem aſſerere, aut non pertinaciter defenſare. I

Conſulerem autē cuilibet catholico bonę affectionis
de diſputatiua huius quęſtionis inueſtigatione ſe nulla
tenus intromittere. Et, quia in rebus dubijs qđ tutius &
fauorabilius eſt eligendū: & cum tutius ſit, atq; fauora-
bilius, & ſine pręiudicio alicuius veritatis cognitę, aut
apparentis Dominā noſtram prorſus ab omni originali
labe fuiſſe immunem, q̃ eam originali contagione aſſe-
rere, fuiſſe pollutā: rectè eligere debemus aſſerere eā ſi-
ne originali peccato fuiſſe conceptā. Si aūt quiſpiam fi-
lius ſeditionis ſpiritu diſſenſionis ſtimulatus in nos in-
ſurgere voluerit, non ei in eodē contentionis ſpiritu re-
ſiſtamus; qa Eccleſia talē morem non habet, nec nos ſu
mus cōtendere aſſueti. Sic ait apoſtolus primæ ad Cor.
11. c. Hoc autē ſine pręiudicio melioris ſententiæ, aut
conſilij, vel ſalua auctoritate maiorū, quibus in ſimili- K
bus pertinet iudicare. Concluſū ergo ex ſuperioribus
patet Dominam noſtram totius munditię vas extitiſſe.

*Virgo Maria vas extitit omnium virtutum conten-
tiuum. Cap. XXII.*

FVit autē & pręterea Virgo domina noſtra vas om-
nis virtutis contentiuū, quippe in qua tā theologicę,
quā morales virtutes liberius, atq; perfecti⁹ fuere, quā
in cęteris creaturis. Sic. n. de ea inquit Hier. Cæteris per
partes, in Maria autē tota plenitudo gratię ſe diffudit:
nec immeritò: quia excellentius ornari thalamum ad-
uenientis redemptoris decebat, quam cuiuslibet crea-
turę, quę adornatio conſiſtit in plenitudine gratiarum,
& omnimoda repletione virtutum: ita vt de ea aptiſſi-
me prædicetur id, quod habetur Eccleſ. 50. c. Tu es vas Eccleſ. 50.
argenti ſolidum ornatum omni lapide pretioſo. Lapi-
des autem pretioſos virtutes nominari, non eſt apud ſa-
cram ſcripturam nouiter inductum.

*Virgo benedicta propriè vas nuncupatur, quia Deum
redemptorem continuerit. Cap. XXIII.*

QVamuis autem his prelibatis modis, alijsq; quàm
pluribus Domina noſtra virgo Maria vas aptiſſi-
mè appellari debeat, proprius aptiuſq; dicitur vas pp
in ſe cōtinuiſſe noſtrū redemptorem Chriſtum Ieſum:
& cùm in hac preaſſumpta metaph. in cuius expoſitio-
ne laboramus, ipſa vas appellatur, non ſm̃ aliquem pre
poſitorum modorum vas appellari pōt, licet omnes, &
ſinguli aptiſſimi ſint, vt ipſa vas nūcupetur. Solum. n.
hunc in pręſenti accipimus. ſ. quia in ſe noſtrum conti-
nuit redemptorem, qđ lucidè manifeſtatur in applica-
tione ſenſus particularum ſequentiū, quia in hoc ſenſu
oēs particulę conſonant, in alijs autem nequaquam. ſ.
cum in eadē dicitur. Fuit vas clauſum, & non clauſum:
luminoſum, & non luminoſum: paruum, & non paruū.
Et ſic de particulis ſubſequentibus. Vacuum, & nō va-
cuum: Quæ ſi ad virginitatē compararentur, coaptari non
poſſunt: non. n. clauſum, & non clauſum reſpectu virgi
nitatis dici poterat: nā licèt ſm̃ virginitatem diceretur
vas clauſum, cùm virginitas ſit perfecta clauſura, non
tñ ad eam referendo poterat dici vas nō clauſum. Item
ad ꝓpoſitum, nihil attinebat Dominam noſtrā vas par
uum, & nō paruum ad virginitatem referendo dici. Itē
licèt Domina noſtra ad virginitatē referendo dici poſ-
ſet vas vacuū, quia nihil omnino in ſe virginitas alie-
num admittit, cum ſit omnino ſterilis, virginitas tñ nō
pōt dici non clauſum. Item omnia hic non poſſunt coa-
ptari referendo ad munditiā Dominæ noſtræ, vel ple-
nitudinem ſuarū virtutum, ex quibus etiam vas diceba
tur: oēs tñ hæ particulæ coaptantur eam vas nominan-
do, quia in ſe continebat Chriſtū noſtrum redemptorē,
ſicut inferius in proſecutione declarabitur. In quo Do-
mina noſtra non ſolū vas, ſed etiam vas maximum, &
perfectiſſimum nuncupatur; quia in ſe continebat rerū
omnium perfectiſſimum. ſ. cęli, & terrę conditorem,
ſcilicet, redemptorem noſtrum Chriſtum Ieſum.

Dupliciter virgo continet Chriſtum. Cap. XXIIII.

QVa in re virgo Domina noſtra, dupliciter vas ap-
pellatur: quia dupliciter continebat noſtrū redem
ptorē. ſ. in ſuo ſacratiſſimo aluo realiter, & in mēte con
ceptualiter, aut ſm̃ fidem aſſentiēdo. Cōtinuit aūt ſalua-
torem noſtrū virgo Maria in ſuo vtero realiter: qa mox,
vt ipſa verbis Gabrielis archangeli aſſenſum prębuit,
Secundò, preterea in benedicta immenſaq; Trinitate,
quę eſt filius Dei patris, qui tunc in vtero virginis erat,
& ab ęterno cum patre, & Spiritu ſancto in omni loco
erat, & eſt, nouiter carnē aſſumpſit de sāguinibus puriſ
ſimis, atq; ſanctiſſimis virginis Dñæ noſtræ, non com-
mixtis alicui ſanguini facto ex virili ſpermate: ſicut in
alijs cōceptionibus fieri cōſueuit, & naturaliter fieri ne
ceſſariū eſt: & organizauit carnem illam in cōuenientī
armonia, & ꝓportione corporis viuentis, vſquequo ꝑ-
fectè eſſet corpus animę receptiuū. Et hęc oīa in inſtanti
completa fuerunt. ſ. ſine aliqua tēporis menſuratiua du
ratione: non. n. fuit factum in tempore, nec in parte tem
poris, nec in aliquo modo cōmenſurationis tēporis: qa
in rebus, aut actionib⁹, quæ a Deo ſunt, quia ab infinita
potentia procedunt, non eſt neceſſaria temporis ſucceſ-
ſio, aut aliqua actionis, & temporis cōmenſuratio: ſicut
in naturalibus actionibus, ꝓcędētibus a cauſis operati-
uis continentibus in ſe virtutem actiuam multum fini-
tam, atq; limitatam, Et in hoc eodē organizationis in-
ſtanti fuit quędam anima nouiter creata: quę nunquam
ante eſſe, aliquod pręhabuerat, atq; in eodē inſtanti illi
ſacratiſſimo corpori, atq; ſecūdę pſonę Trinitatis fuit
hipoſtaticè ſiue ad vnitatem ſuppoſiti coniuncta, dādo
eſſe, & vegetationem, & omnem naturalem motum,

atque actionem, quem omnes aliæ animæ corporibus, A quibus viuuntur, naturaliter præſtare ſolent.

Quantitas corporis Chriſti in vtero matris. Cap. XXV.

FVit aũt iſtud dñicum corpus, ſub valde parua q̃titate formatũ, cũ fuit pfecte organizatum, ita, ꝙ nullum vnq̃ corpus humanum fuit in aliqua regione, qđ tã paruę q̃titatis exiſteret, cum pfectè organizatum eſſet, quod fuit in inſtanti incarnationis. In exitu tñ in lucem de benedicto virginis vtero. ſ. poſt expletos nouẽ menſes, fuit tantæ q̃titatis, q̃tæ erant oĩa alia corpora hoĩum, qui tunc in cõmenſurata q̃titate naſcebant̃. Qđ ſic in patulum deducit̃, quia hoc ſacratiſſimũ corpus nři redẽptoris nõ fuit pfectè organizatum eo tpe, quo B oĩa alia corpora humana naturaliter organizata pfectã hñt organizationem. Non. n. organizat̃ corpus humanum in vtero mřis illico, vt virile ſemẽ in matrice recipit̃, atq; muliebri menſtruo cõmiſcetur: ſed prius fiunt q̃dam naturales tráſmutationes. Eſt. n. virile ſemẽ mox, vt in aluo recipitur, per aliquot dies pmixtũ menſtruo muliebri, qđ fæmina in gñatione adminiſtrat, ſicut vir ſemen propinat: in quib. dieb. ſub colore, & figura ſeminis manet, donec factis paulisper in vtroque multis tranſmutationib. p virtutem formatiuam, & digeſtiuã deciſam in ſemine virili adiutam a cęleſtib. influentiis tranſmutat̃: & ſic cõdenſatur, & magis ſolidatur, donec decurſis aliquot dieb. per decoctionem, & digeſtionẽ, magnam virtutis formatiuæ in ſanguinis ſubſtantiam vertit̃, & colorem. Manentib. aũt pdictis virili & muliebri feminib. p aliquot dies ſub hac ſubſtantia & colore continuatis naturalib. alterationib. in carnis tenerrimę ſubſtantiã vertit̃, poſtea verò ſolidat̃, donec in nervos, & muſculos cõuertatur, in quib. caro ſolidior eſt. Tunc quoq; chartilagines gñantur, q̃ ſm̃ duritiem ſunt medię naturę inter carnẽ & oſſa. Vltimò aũt magis materia ſolidata de durioribus partibus, oſſa corporis pcreãtur: & ſic p multorum dierum curricula, ſibi ſuccedentib. naturalib. tranſmutationib. corpus pfectè organizatur humanum. In toto autẽ hoc tpe ſemen illud, qđ eſt ſubſtãtia harum tranſmutationũ cõtinuè augmentat̃ p intus ſuſceptionẽ, ſm̃ modũ oĩum aliarũ augmentationũ, ſicut p ̄nit Ariſt. in 2. de gñatione, & corruptione. & in 2. li. de Aĩa. Hoc aũt corpus per cõtinuã augmentationem maiorẽ ſuſcipit q̃titatem, donec tantæ q̃titatis exiſtat, ſub quanta de vtero materno procedit. Hæc aũt augmentatio, atq; dilatatio in vtero fęmineo celebrata fit eodẽ modo, quo naturaliter corpora infantium per alimentum continuatum augentur, donec ad ætatem virilem perfectam deuenerint, & attigerint integram corpulentiam. Iſtam autem augmẽtationem, in materno vtero ante fœtus organizationem, & poſt illud organizatũ celebrari experientia euidẽtiſſima, atq; cõtinuatiſſima manifeſtat. Mulier namq; mox, vt cõceperit, nõ habet aluum in tumorem eleuatum amplius ſolito: quia ſemen virile in matrice ſuſceptũ, non eſt alicuius notabilis quantitatis: ita vt aliquid tumoris appareat. Poſtea vero ſuccedentibus ſibi inordine diebus aluus paulisper erigitur in tumorem, donec in magnam q̃titatem ſurrexerit, cuicunq; notabilem: nec poſſit aliquatenus occultari. Prædicta autem nullatenus eueniret, ſi ſemen tam maſculinum q̃ muliebre, dum his naturalibus mutationibus ſubiectum eſt, & organizatur, ac pfectè organizatum eſt, non ſuſciperet cõtinuum augmẽtum: alioquin vnum ex duobus dandum erat inconuenientibus, ſ. ꝙ ſemen virile nunq̃ in vtero creſceret, dũ iſtæ tranſmutationes continuè celebrantur: ſed maneret in eadem q̃titate, in qua ab vtero deciſum eſt, qđ euidẽti falſitate notatur: quia tunc nõ magis fæmineus aluus tumeret die, qua fæmina parit, q̃ tũc, cum concepit, qđ omni obuiat experientiæ, & ſolidæ veritati. Aut daremus alterum inconueniens, ꝙ ad tantam quantitatẽ fęmineus ſurgeret vterus die, qua fęmina ſemi ̃e ſuſcepto cõcepit, ad q̃tam die, qua paritura eſt, exſurrexerit;

Mod° quo partus in vtero augetur.

hoc identidem falſum eſt, vt euidentiſſimè liquet. Concluditur ergo neceſſario ſemen, de quo eſt ſubſtãtia fętus, ſ. ſemẽ maſculinum, & fæmininum, eſſe minoris q̃titatis die, qua fęmina carnaliter cognita eſt, q̃ tunc cũ fętus perfectè organizatus eſt in vtero matris. Die nãq;, qua mulier carnaliter cognita eſt, id, quod eſt ſubſtãtia fætus, eſt duntaxat modica quãtitas ſeminis à viro deciſi permixti paruæ quantitati ſanguinis menſtrualis, qđ fęmina propinauit, quod totum cõmixtum eſt ſatis paruæ q̃titatis: poſterius autem, dum ſuper hoc cõmixtum fiunt multæ naturales tranſmutationes, vſq; ad pfectè organizatum eſſe continuè augmentatur. Hoc pacto valde maior eſt quantitas corporis humani die, qua deſinit perfectè organizari, quàm dĩe, qua ſemen virile menſtrual ſanguini permiſcetur. Si tñ mox, vt ſemẽ virile matrici mulieris infunditur, corpus humanum organizatum eſſet, non eſſet maioris q̃titatis fętus organizatus, q̃ ſemẽ virile permixtum menſtruo muliebri eo die, quo alterum alteri pmiſcetur, quin potius minoris q̃titatis eſſet, cùm ſemen, qđ fluidum, & valde humidum eſt, ad ſolidationẽ membrorum condenſetur: cum debeat fieri perfecta organizatio corporis humani.

Quomodo organizatum fuerit corpus. Cap. XXVI.

IN ſacratiſſimo corpore noſtri redemptoris organizãdo, è contratio factum eſt: nam in eo inſtanti, quo fuit conſenſus perfectus virginis in verba Archangeli Gabrielis, fuit de puriſſimis ſanguinib. eius menſtrualib. portio q̃dam abſciſa, de qua formatum fuit in inſtanti C corpus noſtri redemptoris, qui ſanguis in tanta q̃titate fuiſſe credendus eſt, in q̃ta cõiter in alijs fęminis ſolet cauſari conceptio, cum ſanguis menſtruus in illis virili ſemini permiſcetur. Et, cùm de illo ſanguine mox formaretur corpus redẽptoris noſtri, non poterat eſſe tunc tantæ quantitatis, quantæ eſt corpus humanum, cũ attigit organizationem perfectam, ſm̃ modum cõem, quo organizatio ſolet naturaliter celebrari. Nã ſi corpus ſaluatoris in inſtanti conceptionis ſuæ perfectè organizatum tantæ quantitatis tunc ſuiſſet, quantæ ſunt q̃titatis corpora humana naturaliter perfectè organizata, neceſſarium erat in tanta quantitate ſanguinem de corpore benedictæ virginis aſſumptum fuiſſe, quantæ fuiſſet quãtitatis iſtud corpus Chriſti perfectè organizatum, & adhuc multo maioris quantitatis ſanguinẽ aſſumi q̃ D eſſet corpus organizatum, quia ſanguis multum ſubſtatiæ raræ eſt, paucum obtinens denſitatis, & cùm ex ſanguine aliquid denſum corpus formari debet, neceſſarium eſt, vt de multo ſanguine paruum corpus organizetur. Si ergo tantæ quantitatis corpus de ſolis ſanguinibus virginis beatæ formari debuiſſet, non ſuffeciſſet totus ſanguis menſtrualis: quinimmo nec ſanguis eius, quantuſcunq; in venis eſſet: qđ factum non fuit, quia hoc conceſſo neceſſarium erat corpus B. V. ſanguine penitus carens, ac per hoc oĩ vegetatione, ac animali motu, & operatione deſtitutum in mortẽ corruere. Erat. n. impoſſibile vitam ſine ſanguine remanere, cum anima oĩs carnis in ſanguine ſit, vt hř Leuitici 17. c. & Deut. 12. Item, quia adhuc omnia hęc inutilia erant, cũ totus ſanguis in vnum locum conueniens ad prædictũ tantæ E quantitatis corpus formandum nullatenus ſuffeciſſet.

Obiectio de informatione corporis noſtri Redemptoris. Cap. XXVII.

FOrtaſſis autem, ſi quiſpiam reſpondere conaretur, ꝙ licèt ſanguis menſtrualis virginis benedictæ de ſe non ſufficeret ad formandum tantæ q̃titatis corpus ſub q̃ta erat magnitudine corpus nři redẽptoris, Deus tñ miraculosè operans multiplicauit illũ humorẽ menſtrualem ad tantam quantitatem, in qua ſufficeret ad formãdũ corpus ſacratiſſimum Saluatoris. Sic. n. Deus in rerum primaria origine cũ fęminam de viri dormiẽtis latere formaſſet, vt Gen. 3. c. continetur, accepit vnã de coſtis eius cum parua quantitate carnis, & cutis illi *Gen. 3.*

coſtæ

coſtæ adhærentis,& inde tantũ corpus formauit,quan F
tum fuit corpus Heuæ.quia carnem,& os illud multi-
plicauit. Itẽ,quando redemptor noſter Chriſtus Ieſus,
de quinq; panib. & duob. piſcibus,quinque millia ho
minũ ſaturauit abſq; mulieribus,& infantib. ſuperfue
runt duodecim coſini pleni fragmentis , quæ ſaluator
noſter colligi imperauit,ne perirent:vt patet Matth.14
c. quod per multiplicationẽ factum fuiſſe ſatis euiden
ter apparet.Cui ineptę reſponſioni in argumentationis
formam propoſitæ reſpondetur, ſubſiſtere non valere.
Deus.n.nunq̃ aliquid miraculosè operatus eſt, ſi illud
idem,& æque bene ſine miraculo, ſola naturali opera-
tione confici potuiſſet;facere nãq; aliquid miraculosè,
quod ſine operatione miraculoſa æque conuenienter p-
fici potuiſſet,eſt prætem fruſtratoriam oſtentare , quod
Deo nullatenus conuenit:ſicut ait Ariſt.in 1.Polit. Deus G
& natura nihil faciunt fruſtra.Si ergo corpus ſacratiſſi
mum noſtris redemptoris poterat conuenienter forma-
ri de pauco illo ſanguine menſtruali B. Virginis exiſtẽ
te in matrice , in qua ſolet celebrari conceptio ſine ali-
qua multiplicatione mẽſtrualis humoris , ſuperfluum
eſt talem multiplicationẽ aſtruere , & eſt ſatis magnus
error,ſicut teſtatur Ariſt.in 8.Topicorũ in princ.ſ.Pec-
catũ eſt per plura facere,qđ fieri pōt per pauciora.Con
cluditur ergo, neceſſariò dicendũ eſſe corpus redẽpto-
ris noſtri fuiſſe in inſtanti formatũ ex aliqua parte ſan-
guinis mẽſtrualis exiſtẽtis in loco, vbi ſolet conceptio
celebrari,& ſicut ſanguis ille mẽſtrualis,ex quo forma
tũ eſt corpus noſtri ſaluatoris, fuit paruæ quãtitatis,ita
corpus illud,cũ inde in inſtãti perfectè organizatũ eſt,
fuit paruæ quantitatis,minus quolibet alio corpore hu H
mano,cũ perfectam organizationẽ attigerit:&hoc quia
alia humana corpora naturali modo organizata nõ im-
mediate , vt virile ſemen in matricẽ fœminæ deciſum
eſt,organizatur:ſed multis factis tranſmutationib. per
dierum circuitus ſuper materiam ſeminalem .

*Eadem veritas de formatione corporis Chriſti compro-
batur. Cap. XXVIII.*

APparent prætetea ſupra dicta,quia ſi corpus beati-
ficũ noſtri ſaluatoris fuerat ex prima die,qua con
ceptũ eſt, in tanta quantitate organizatũ quãta corpora
alia humana naturaliter organizata formantur, ex pri-
ma die, qua Dña noſtra de ſpiritu ſancto concepiſſet ,
aluus eius ſurrexiſſet in altũ,q̃tum aliarũ fęminarũ vte I
ri inſurgũt,cũ ab earũ cõceptu multi dies decurrerint ,
aut cũ propinquę partui ſunt. Sequeretur aũt & alterũ
inconueniens,ſ. ꝙ vterus B. V. poſtquam Saluatorem
Noſtrum concepiſſet,non cõtinuè turgidis elationibus
in altum exſurgeret , ſicut continuè aliarum fęminarũ
vteri eleuantur,cum grauidatæ fuerint.In quibus dua-
bus rebus cõceptus iſte ab alijs vſitatis cõceptibus diſ-
ferentiſſimus videretur,ad quem contemporanei attẽ-
dentes ſtuperent,atque ſuſpicarentur malum inde gra
uiſſimum aliquod affuturum:ſicut.n. ait Iſid.11. Etym.
in c.de monſtris,cum monſtra , q̃ ſunt præter naturalẽ
conſuetudinem,eueniunt, ſolent hoĩes inde aliqua ma
la præſtolari de proximo euentura, ſicut exẽplificat de
quodam monſtro,qđ accidit tpe Darij Arſamidæ , qđ
deletionę regni Perſarum ſignificauit,quæ conſumãda K
erat tpe eiuſdem Darij regis per manuum Alex.Magni
regis Macedoniæ. Simile ponit Aug.de Ciuit. Dei lib.
3.c.vlt.in quo monſtra multa enarrãtur,q̃ fuerunt ſigna
multarum peſtium,& bellorum vehementium, & cõ-
buſtionum multarum domorũ,atq; locorum, & ruina-
rum ingentium ædificiorum , fulminumq; dę cęlo ca-
dentium, ſicut ſequentia illico tempora experientiali-
ter oſtenderunt. Idem narrat Paulus Horoſius in libris
de Ormeſta mundi. His aũt ſic ſe habentibus,cũ Phari
ſęi,qui inter oẽs Iudęos ſingulis actibus Chriſti magis
æmulantes erant,hoc in conceptione Chriſti vidiſſent:
deinde in actibus ſui aliqua reſpexiſſent,quibus Chri-
ſtum redarguere molirentur,& maius ad redarguendũ
haberent incentiuum dicentes, iſte diabolicus hō , aut
potius hominis monſtrum,quemadmodum contra na- F
turam aliorũ hoĩum conceptus,& in vtero geſtatus eſt,
ſic contra eandem hoĩum conſuetudinem oĩa operatur,
& oĩbus hoſtis eſt.Item in eum hoſtiliter,atq; mordaci
ter arguendo,poterant ſaltem apparenter in eum talia
probra conijcere, non eſt admirandum,qđ iſte maledi-
ctus vir contra oĩum hoĩum cõſuetudinem faciat,ſitq;
totius generis humani hoſtis,cùm contra conſuetũ cõ-
ceptionis modum oĩum ſit conceptus,& geſtatus in v-
tero Et,qa Deus volebat auferre oĩa maledicẽdi Chri-
ſtum,ac improperandi ei incitamenta, ne peccantibus
in eũ qualiſcunq; eſſet malefaciẽdi occaſio colorata eſ-
ſet precipue Phariſæis,& alijs ęmulis inter Iudęos,liq̃
dius apparet eũ, hoc abſtuliſſe improperãdi,atq; male
dicendi Chriſtũ qualecunq; incitamentũ.concluſũ er-
G go ex ſuperioribus liquet, ꝙ Chriſtus in ſua cõceptio-
ne,& perfecta organizatione, q̃ duo in eodem inſtanti
fuere,non potuit eſſe tantæ quãtitatis corpulentæ, q̃tæ
fuit poſt multos dies in eodem aluo Virginis benedi-
ctæ,& ſub q̃ta eſt magnitudine quodlibet corpus natu
raliter organizatũ in omnib.aliis humanis corporibus.

*Corpus Chriſti in natiuitate æquale fuit cæteris infan-
tibus. Cap. XXIX.*

HVius autem præpoſitę concluſionis pars ſecundã
erat , ꝙ tantæ quantitatis erat corpus Dñi Ieſu re-
demptoris noſtri,cum de materno vtero in lucẽ exiuit,
quantę erãt magnitudinis aliorum infantium corpora
cõiter naſcentium mediocris ſtaturę ſm̃ commenſura-
tionem humanę ſtaturę in tpe illo,quo Chriſtus natus
H eſt.Nam cum à tempore natiuitatis redemptoris noſtri
anni mille quadringẽti trigintaſeptem decurſi ſint , &
cõtinuè varietur q̃titas ſtaturę corporum humanorum
à maioritate in minus,ſm̃ cauſarũ naturalium cõfluxũ ,
de quibus abundãtius diſtinximus ſup 5.c.Gen.neceſ-
ſariũ erat tunc tpis corporis humani ſtaturã proceritã-
tis extitiſſe maioris, q̃ nunc humana corpora cõiter ele
uentur. Corpus aũt benedictum noſtri redẽptoris fuit
ſm̃ ſtaturæ quantitatem commenſuratiſſimum: nã non
fuit magnũ ad proceritatem magnitudinis gigãtis, neq;
rurſus ad paruitatẽ tantillorum hoĩum depreſſus eſt :
ſed habuit proceritatẽ ſtaturæ conformẽ commenſura-
tioni optimæ,& mediocri corporum humanorũ illius
tpis,quo conceptus,& natus eſt. Et, quia q̃titas infan-
tilium corporũ in naſcendo proportionaliter correſpõ
I det ſtaturę virilis perfecteq; magnitudinis, & corpora
commenſurata virorum debitæ magnitudinis tũc ma-
ioris pceritatis, q̃ nunc exiſterent,neceſſarium erat cor
pora infantilia naſcentia tunc tẽporis proportionaliter
maiora fore corporibus cõibus nunc naſcentium paruu
lorum. Et,quia Chriſtus,vt prælibatum eſt,non aſſum
pſit deformitatem, ſiue differentiam in q̃titatę corpulẽ
tiæ ab aliis commenſuratis corporibus , tunc tpis exi-
ſtentibus,neceſſaria illatione concluditur,corpus ſalua
toris noſtri Ieſu paulo maius fuiſſe corporib. nũc naſcẽ
tiũ paruulorũ. Euidẽter ex ſupra narratis infert,Dñam
noſtrã vas aptiſſime appellari, quia ĩ ſuo Sacratiſſimo
vtero nouẽ menſib. noſtrum continuit redẽptorẽ à die ,
qua de sãguinib.eius corpus illud formatũ extitit,vſq;
in diem,qua de eodem in lucem hanc cõem erupit.

Continuũ humana corpora minuũtur: & duratio.

K
*Secundus modus , quo virgo Chriſtum continuit .
Cap. XXX .*

SEcundus modus,quo benedicta Domina noſtra in ſe
Chriſtum continuit redemptorem , eſt continere in
mente conceptualiter,ſiue per fidem,& conſenſum,ſci
licet ꝙ cum Archangelus Gabriel à diuina maieſtate
legatus altiſſimæ legationis verba propoſuit , firmiter
tenuit hoc Deo operante ſine vlla difficultate perfici
poſſe:licet conceptum virgineum omnis naturalis vir-
tutis terminos operationemque excedere omnibus ex-
cluſis ambagibus liquidiſſime cognoſcebat , conſenſit
autem tanquam vere obediens fieri matrem Dei . In
quo multæ laudis digna extitit: nam,cùm intellectum
noſtrum diſponimus ad credenda illa,q̃ nobis dicente
Domi-

Domino proponũtur, aut eius interpres quiſpiam enarrauerit, licet omne naturale excedant iudicium, captiuando omnem intellectum noſtrũ in obſequium Chriſti, ſicut ait Apoſtolus 2. ad Corint. c. 10. multum coram Deo promeremur: ſic declarat Apoſtolus in Epiſtola ad Hebræos cap. 11. vbi merita fidei deſcribit, & quoties, & qui homines per fidem Deo placuerint.

Beatiſſima Maria Virgo fuit vas in ſe perfectè continens attinentia ad fidem noſtri Saluatoris. Cap. XXXI.

FVIT quoque Beatiſſima Domina noſtra, vas in ſe perfectè continẽs, & explicitè quicquid pertinebat ad fidẽ noſtri Saluatoris. ſ. omnia, quæ de Chriſto credenda erant: ipſa nanque perfectius atq; explicatius ſciuit, quicquid ex Chriſto credere obligamur omnibus hominibus, B & firmius ei, quàm ceteri homines aſſenſit: Ideo cùm inſtante tẽpore paſſionis dominicæ, & paſſo Domino Ieſu, vſquequo ſua reſurrectio cunctis innotuit, cùm fides de reſurrectione redẽptoris noſtri, & de ceteris quę in poſterũ facturus erat, in omniũ Apoſtolorum cordibus abolita foret, vel penitus, vel in parte, in Domina noſtra firmiter ſine vlla ſcrupuloſa hæſitatione permanſit. Ideo quantũ ad iſtam fidem Domina noſtra ſingularibus laudibus celebratur, ſolaque præconijs miris attollitur. In quo valde eam laudat beatus Auguſtinus, & beatus Bernardus: nam licèt beatiſſima Domina noſtra multa receperit priuilegia, & dotes gratia maternitatis noſtri Saluatoris: quia excellentiæ valde magnæ eſſe decebat eam, quæ noſtri redemptoris mater erat: tamen gratior fuit acceptiorque, atque magis placens ei recipiendo, & tenendo C firmiter fidem eius: de quo beatus Bernardus in ſecũdo libro, qui dicitur Speculum virginum, poſitionẽ recitans beati Auguſt. ait: Nã vt ait beatus Auguſtinus, beatior Maria accipiendo fidẽ Chriſti, quàm cõcipiẽdo carnẽ Chriſti. Ex prælibatis omnibus liquidò conſtat argumẽto Dominã noſtrã Mariã fuiſſe vas, & quotupliciter vaſis nomine appellari poſſit, & quid modis ſingulis cõtinebat, & quo eorũ modo proprius ei nomẽ vaſis coaptetur.

Vnde Virgo benedicta ſumpſerit nomen: Vas clauſum. Cap. XXXII.

IN harum prima metaphora, in cuius expoſitione cõtinuè laboramus, cõtinebatur de prępoſito vaſe, quod erat clauſum, & non clauſum, quod Dominæ noſtræ virgini coaptatur referendo ad conceptionem noſtri redẽ- D ptoris Ieſu. Præponitur autem in his verbis, de hoc vaſe, quod erat clauſum: clauſum. n. cõmuni voce prædicatur, quod nullã patitur, aut continet aperturã: hæc autẽ apertura ſuſcipitur pro apertione vteri virginalis, & eſt hæc vna de ſingularibus laudibus noſtræ Dominæ glorioſæ. ſ. quòd licet ipſa concepiſſet, atque peperit, nullam tamen apertionem paſſa eſt, vt ceteræ mulieres perpeti conſueuerunt. Quantũ verò ad præſentẽ attinet ſpeculationem, duæ ſunt vteri apertiones. Prima autem eſt apertio, ſiue ruptio virgineorũ clauſtrorũ, quę in prima viri ad feminã carnali copulatione perficitur, quę tollit prorſus virginalẽ integritatẽ. Secũda apertio eſt cum in effuſione infantis, in partu clauſtra vteri totaliter aperiũtur. Hanc autem ſecũdã frequentius cõmemorat ſacra ſcriptura. Sic habe- E tur Exodi 13. & 34. cap. & in pleriſque alijs ſcripturæ locis: Omne primogenitũ maſculinũ adaperiens vuluã ſãctũ domino vocabitur. Nullã autẽ harũ apertionũ Virgo beatiſſima paſſa eſt: quia fuit ab omnibus præſeruata, quamobrem non inconuenienter vas cõcluſũ dicta eſt.

De quadam Metaphora virginis, quæ habetur Ezech. cap. quadrageſimoquarto, & eiuſdem declaratio. Cap. XXXIII.

MANIFESTAT autem propheta Ezechiel prę libata libri ſui cap. 44. vbi dicitur: Et cõuertit me ad viã portę ſanctuarij exterioris, quæ reſpiciebat ad oriẽtẽ, & erat clauſa, & dixit Dominus ad me: porta hæc clauſa erit, & non aperietur, & vir non tranſibit per eã, quo- A niam dominus Deus noſter Iſrael tranſiuit per eã. In quibus verbis Ezechiel totus altiſſimis ſpeculationibus propheticis deditus, ſicut ex ſuſpẽſiua ſententia continuata ab exordio c. 40. eius manifeſtè apparet, ſub metaphoris quorundã ædificiorũ magni tẽpli multa ſecreta rerũ futurarũ reuelata ſuſcepit: in hoc autẽ ſcripturæ Ezechielis loco ſub metaphora cuiuſdã portæ magnæ illius templi, quę erat ad orientẽ accepit à domino ſecretũ incorruptionis virginis benedictę. Et cùm dicitur, cõuertit me ad portã ſãctuarij exterioris, loquitur Ezechiel propheta de Angelo, vnus nanque angelus omnia iſta Ezechieli reuelabat, & erat viſio iſta imaginaria, quia videbatur Ezechieli, quòd vnus angelus eum aſſumeret, & ducebat eum in diuerſa loca, ſicut apparet ex c. 40. a principio, vbi reuelatio facta per iſtam myſtici templi ædificationẽ inchoat, & B vſque ad finem libri eiuſdem cõtinuatur. Et cùm angelus ei iſta oſtendit, videbatur ſibi quòd eum in aliam partem trãsferebat. ſ. ad viam portæ ſanctuarij exterioris: nã eum de loco ſacrificiorũ transferebat; ſicut ex litera ſuperiori continuatur. ſ. in fine 43. c. & tunc tranſtulit eũ ad viam portæ ſanctuarij exterioris. De hac porta dicit, quòd erat ad oriẽtem: cùm autem ſibi ad iſtam portam accedere videretur in viſione imaginaria, reuelauit ei dominus ſecretũ de incorruptione virginis benedictę, quod per myſteriũ portæ huius nominabatur, & ſequebatur, & dixit dominus ad me. Vocat autẽ hic Ezechiel dominũ, ſiue Deũ angelũ, qui eũ per omnia iſta trãſducere videbatur, & eũ in his omnibus in viſione imaginaria erudiebat. Sic enim quidã alius angelus multa Zachariæ prophetæ ſub viſione imaginaria oſtẽdebat, quorũ myſticas ei ſignificatio- C nes exponebat, ſicut habetur Zachariæ 1. c. Hunc verò angelũ Deũ, aut dominũ nominauit, quoniã ſic eſt mos ſacrarũ ſcripturarũ, vt liquet ex pluribus libris veteris teſtamenti. Sic habetur Exodi 3. c. vbi Moyſes dicit, ſe vidiſſe rubum, qui ardebat, & non cõburebatur, & locutus eſt ad eũ dominus de rubo. Nõ appropies, inquit, huc: locus enim in quo es, terra ſancta eſt, ſolue calciamẽtũ de pedibus tuis. In lib. tamen Actuũ Apoſtolorum c. 7. dicitur ꝙ ille, qui in rubo loquebatur angelus domini erat, & non Deus. Itẽ in lib. Exodi cap. 20. & Deut. c. 5. dicitur, quòd dominus dederit legem in monte Sinai: Apoſtolus tamen ad Galatas 3. c. dicit legẽ factã eſſe per angelos, & datam in manu mediatoris. ſ. Moyſi, de quibus diffuſè tractauimus Exodi 19. c. rationem fundamentalẽ reddẽtes, quare in veteri teſtamẽto angeli interdum Dei nomine nun- D cupẽtur, in nouo autẽ teſtamẽto nequaquã, & quare aliquando Deus nominentur, aliquando autẽ non. Angelus autẽ, qui iſta Ezechieli reuelabat, dixit: porta hæc clauſa erit, & nõ aperietur: in quo Beatiſſimæ Virginis nominat incorruptionẽ, ſicut ait Auguſt. exponẽs hunc locũ Ezechielis: nõ enim poteſt hoc vllatenus de aliqua materiali porta exponi: cùm enim Deus in eſſẽtia ſua infinitus ſit, nec per aliquã portã ingreditur, nec aliquãdo exit, eſt ergo neceſſariò de Beatiſſima Virgine exponẽdũ, quæ porta dicitur, quia ſicut porta ad introeundũ, & exeũdũ eſt: ita Domina noſtra fuit, in qua Deus intrauit & exijt, cùm de ea redẽptor noſter carnẽ verã aſſumpſit humanam, & exiuit per ipſã, quando poſt nouẽ menſes exiuit de ipſa factus verus homo. Hanc portã dicit clauſã eſſe in ęternũ: quia Domina noſtra licet cõceperit, atque peperit, vir- E ginitatis integritatẽ non amiſit, ſicut aliæ feminæ perdere cõpellũtur. Dicit, vir nõ intrabit per eã: quia Domina noſtra, nũquã fuit ab vllo viro carnaliter cognita: ita vt clauſtra virginea rũperentur, quorũ Ezechiel cauſam ſubiungit, ſcilicet, quòd ideo vir non ingredietur per eam, quia dominus ingreſſus eſt per eam. ſ. quòd dominus introiuit in ea, cùm introiuit ad carnẽ aſſumendum, & exiuit per eam, cùm exijt factus verus homo, & erat valde rationabile, quòd tẽplũ tãtę venerationis, in quo tãto tẽpore dñs habitauerat, aliquo virili cõtactu nõ pollueretur.

Maria porta dicitur.

Confirmatio ſuperiorum ex dictis Salomonis. Cap. XXXIIII.

Virgo Maria horti nomẽ ſumpſit.

CONFIRMANTVR autẽ ſupradicta ex his quę habẽtur in libro Salomonis, qui dicitur Cãtica canti-

canticorum. ſ. Hortus concluſus ſoror mea ſponſa, hor-
tus concluſus, ſons ſignatus. Vocatur hortus propter
delectationes hortorum, & dominus noſter in ea quie-
uit, & delectatus fuit, cùm ibi nouem menſibus manſit
carnem aſſumēs: ſic enim habetur Eccleſiaſtici. 25. c. Qui
creauit me, requieuit in tabernaculo meo. ſ. Deus, qui me
creauit, requieuit in tabernaculo ventris mei: cùm ibi ve-
ram carnem aſſumpſit. In hoc horto dominus requieuit,
& nullus alius vnquam introiuit. Vocatur Domina no-
ſtra fons, quia ſicut a fonte ſunt emanationes aquarum, &
ipſe eſt primordialis ſcaturigo: ita a Virgine Domina no-
ſtra Saluator noſter effluxit, qui totius boni nobis fuit
primordiale principium. Fons autem iſte ſignatus dicitur:
quia ad eum ſolum noſter Saluator acceſſit.

De prima vteri apertura. Cap. XXXV.

PRIMA vteri apertura eſt, quæ fit per primum ac-
ceſſum virilem, quæ aliàs dicitur violatio, aut de-
floratio: in hac autem infligitur violētia, & corruptio in-
tegritatis virginalis non manentibus cōtinuatis partibus
corporis, ſicut ab origine fuerunt, & hic vocatur ruptio
virgineorū clauſtrorū, in qua violatione, aut virili acceſ-
ſu vtrunque ſuſtinere dolores ſatis multa naturalia indi-
cia ſunt. In quo euidētiſſimè acerrimè arguuntur vehe-
mentes carnalium amatores illecebrarum, cùm ibi acrius
affligantur, in quo ſuam fęlicitatem perfectiſſimam conſi-
ſtere arbitrantur, de quibus per ſingula diſputando illu-
cidare, licèt in eo ſint altiſſimæ, atque naturaliſſimæ ſpe-
culationes, non cōuenit inueſtigare, quia hæc nimis par-
ticularia ſunt, præcipueq́; quia ad regiā celſitudinē di-
rigūtur, coram qua a quibuſdā etiam honeſtis locutioni-
bus eſt ſani conſilij abſtinere, de quo aliter diſputauimus
etiā de quibuſdam ſatis particularibus ſuper 29. c. Gen. &
ſuper 38. Quantū ad hanc apertionē fuit Domina noſtra
virgo, vas clauſum: quia nullus eā vnquā carnaliter co-
gnouit, ſicut in prælibatis fuit abundantius declaratū, &
quātū ad hoc eſt miraculoſa, ſupernaturaliſque cōceptio
ſine ſpermate virili aliquam conceptionem poſſe patrari.

Miraculum conceptionis Saluatoris, in quo conſiſtat ex ſententia quorundam. Cap. XXXVI.

QVANTVM verò ad iſtam attinet ſpeculatio-
nem, plerique vulgariū vſque hodie ignorant, ru-
dique ſententia diffiniunt, in quo ſit miraculum virgineæ
conceptionis: aliqui enim miraculū hoc exiſtere putaue-
runt, quia conceptionē fetus in vtero materno de ſolo ſe-
mine virili fieri æſtimabant, hic autē cū nullius virilis ſe-
minis ad mēſtrualē virginis humorē cōmixtio facta fuiſ-
ſet, ſatis miraculoſa conceptio videbatur. Horū autē fun-
damentū nulla veritate ſubſiſtit, quia ſi ſolùm de virili ſe-
mine fetus formatio compleretur, nulla admixta particu-
la de menſtruo muliebri, nūquā fetus maternas imagines
exprimerent: ſicut aliquando patrū effigies repræſentant.
Similitudo autē in fetu inducitur intra vterū femineum:
quia fetus gignitur ſecundùm virtutem generantis, ideo-
que cum euenerit virtutem vnius generantis virtute alte-
rius, quæ in ſemine eſt, fortiorem eſſe, fetus inde genitus
eius ſortitur effigiem, cuius virtus in ſemine ad gignēdum
fortior eſt. Ex hoc infert Iſidorus; in 11. Ethymologiarū.
cap. 1. quòd filij procreati, nec patrū, nec matrū accipiunt
effigies, ſed auitas, aut proauitas imagines præferūt: quia
virtus ſeminis auiti, aut proauiti, in patre, aut matre for-
tior eſt, quàm virtus patris, aut matris in ſemine ſuo. Et
quia aliquādo ſic cōtingit, vt filij maternas præferāt ſimi-
litudines, ſicut ſolēt interdū præferre paternas, neceſſariū
eſt, vt filij quoque de materno ſemine oriātur, ſicut de pa
terno nō eſt dubiū eos gigni: de quibus Ariſt. in 8. Ethico
rū. Itē ſi filij de ſemine materno ad ſubſtātiā ſuā nihil ac-
ciperēt, ſicut de ſemine paterno accipiūt, nō dicerētur il-
le feminæ matres illorū, quos pepererūt, quia nihil eis de
ſua ſubſtantia impertirētur, ſicut patres in ſemine aliquid
de ſua ſubſtātia cōmunicant, ſed ſolùm obtinerent matres
loca conſeruatiuorum vaſorum ſeminis maſculini, quod
non ſufficit, vt poſſint matres veriſſimè prædicari. Quia
F tunc ſi ſemen virile in aliquo vitreo, aut metallino vaſe
poneretur, & ibi aliquo artificio corpus formaretur hu-
manum, vocaretur vas illud mater illius hominis ibi cō-
cepti: quod euidentiſſimæ falſitatis arguitur. Fecit autem
ſimile in quodam vaſe Arnaldus de Villa Noua medicus
opinatiſſimus, & peritiſſimus in experiētijs naturalibus:
qui ſuſcepto ſemine maſculino in vaſe artificialiter fabri-
cato, conſeruauit illud diebus aliquot adiunctis quibuſdā
tranſmutatiuis ſpeciebus adiuuantibus virtutem formati-
uam deciſam in ſemine, denique factis pluribus tranſmu-
tationibus, per aliquot dies corpus humanū inde forma-
tum eſt: nec tamen perfectè organizatum: non enim ſu-
ſtinuit Arnaldus vlterius præſtolari frangens vas illud cū
G ſemine iam formato, ne Deum tentare videretur, cōſide-
rans vtrū Deus corpori illi ſic concepto animā rationalē
inſunderet. Item hanc viam inſequentes neceſſariò dice-
remus dæmones incubos, & ſuccubos matres eſſe: quod
nullus fatetur, qui rectè intelligat. De his dæmonibus in-
cubis, & ſuccubis tractat Auguſ. de Ciuitate Dei. lib. 15.
vbi ait, quòd tā euidēs eſt dęmones incubos, & ſuccubos
eſſe, vt ſatis impudentię videretur eos eſſe negare. Iſti au-
tem dæmones incubi, & ſuccubi nominātur. Incubi autē
ab incubādo, ſcilicet, ſupra feminas, quod ad feminā ope-
rantur: ſuccubi autē a ſuccubendo. i. ſubtus iacēdo, quod
ad viros efficiūt. Nec eſt imaginādū alterū incubum, al-
terum ſuccubum eſſe, ſed idē incubus, & ſuccubus eſt. Et
ſi fortè multi ſunt, quod cōfiteri neceſſe eſt, oportet quē-
libet eorum incubū & ſuccubum profiteri. Quilibet au-
tem iſtorum, primò ſuccubus dicitur: quia viro ſuccūbit
ad ſemen maſculinum recipiendū in forma feminea: po-
H ſtea autē incubus dicitur, quia feminæ incumbit, ad idem
ſemen in vaſe femineo ſub virili forma decidendum. De
modo autē, quo dæmones iſti, qui incubi, & ſuccubi no-
minantur ſemen recipiunt, & de modo, quo ſemen ſuſce-
ptū emittunt, & quomodo illud aliquo tēpore cuſtodiūt,
vt naturalem calorē non amittat, in quo formatiua, & or-
ganizatiua fundatur virtus, & quæ vaſa, & qualiter for-
mant ad prædicta perficienda, & a quibus viris, & femi-
nis iſta recipiant: & in quibus decidāt, & quomodo hinc
gigantes generātur corpore robuſti, & ingenio valde pol
lentes, quamuis in ſe ſint naturaliſſimæ inquiſitiones, nō
expedit tamē de eis per ſingula inueſtigare ex fundamē-
to rationis ſuperius aſſignatæ, de qua materia diſputaui-
mus ſuper textum quinti capituli Gen. Sic Merlinus per
dæmones incubos & ſuccubos genitus eſt: & fuit verè
I filius viri & feminæ: tamen nec pater in generatione illa
feminam vllam cognouit: nec mater identidem a viro ali-
quo cognita eſt: dæmones ergo iſti incubi & ſuccubi ma-
tres vocari non poſſunt, licet in ſe ſemen contineant, ex
quo poſtea corpus formatur humanum. Si tamen femi-
na ſolùm ſemen virile ſuſcipiens de ſuo nihil impertire-
tur, non poſſent magis rationabiliter mulieres matres, quā
dæmones ſuccubi appellari: ad hæc autem additur, quòd
ſi femina de ſuo ſemine, aut ſubſtantia, ad formandū cor-
pus filij impenderet, non eſſet conueniens ad perfectas
ſoboles corpore & ingenio procreandū feminas ſpecialiū
conditionum inueſtigare, & ætatū, cùm ſolum tanquam
contentiua vaſa ſe haberent reſpectu ſeminis maſculini:
eſt tamen magna vtilitas prædicta ſolicitè inueſtigare: er-
go feminæ aliquid de ſuo ſemine ad formādas proles im-
K partiuntur. Maior autē huius ſyllogiſticæ inductionis, ex
ſe apparet, minor apparet per Ariſtotilē in 7. Politicorū.
vbi magnam eſſe differētiā dicit in corpore, & intellectu
ſobolis procreatæ, matres tantæ, aut tantæ ætatis eſſe, aut
talis cōditionis exiſtere, quod experiētia liquidiſſimè ma-
nifeſtat: damna autem, aut horum vtilitates ſatis declarat
Ariſ. in ſeptimo Politicorū. Itē ſi femina de ſemine ſuo in
generatione nihil impertiretur, nec differret ad prolis ge-
nerationē feminā phlegmaticā, aut colericā, aut alterius
cōplexionis eſſe: ſed hoc manifeſtè falſum eſt, ſequitur er
go eas aliquid ad proles procreandas impertiri. Patet hoc
idētidē, quia mulieres phlegmaticæ cęteris paribus filios
maioris corpulētiæ mulieribus colericis, aut ſanguineis,
vel melācholicis gignūt: mulieres aūt ſāguineę cęteris pa
ribus maiores filios, mulieribus colericis, atq; melācholi-
cis.

Arnaldus de Villa noua.

Quæ Mulieres fetus maioris gignāt fortiores & ſapientiores.

cis. Cuius cauſa eſt, quia mulieres phlegmaticæ propter humiditatem indigeſtam abundant nimis in materia menſtruali deficiente calore digerente, & deſiccante: quapropter mulierum phlegmaticarum filij carnes teneras, molliter muliebres habent laxas, atque indigeſtas, & faciliter corruptibiles, atque ægrotatiuas. Mulieres autẽ cholericæ, ex abundantia caloris cholerici humoris conſumunt materiam menſtrualẽ, de qua generatio prolis patratur, & manet in quantitate pauca, ipſa tamen conuenienter digeſta, & conſumpta: ideoque filij mulierum cholericarum, cæteris paribus exiſtentibus, corpulentia cæteris hominibus ſunt minores, ſunt tamen corpore agiliores, quia carnes ſunt digeſtæ, nulla humiditate phlegmatica deprimuntur, habentque carnes duriores, dẽſiores, & muſculoſas, atque neruoſas: quia à materia illa excluſa eſt omnis phlegmatica humiditas indigeſta, mollitiem femineã cauſans in membris. Sunt etiã ſaniores filiis mulierum phlegmaticarum, & minus ægrotatiui: quia in eis bene digeſta eſt ſuperflua humiditas, quæ eſt materia corruptionis, & omnem ægritudinem cauſat. Sunt etiã iſti cæteris hominib. ingenio acutiores: quia intellectus habet operationes magis, aut minus perfectas, ſecundum quod organa phantaſtica ſunt magis, aut minus diſpoſita. Cum n. organa phantaſtica totaliter perturbata ſunt, intellectus humanus nihil penitus valet intelligere, ſicut liquidè in hominibus ebrijs totaliter comprobatur: qui penitus nihil intelligunt; quia fumi à ſtomacho ſurgentes totam cellam phantaſticam indiſponunt, omnes ſpecies phantaſticas, per quas cauſatur intelligere, perturbantes: & quia homines filij cholericarum mulierum habent carnes bene digeſtas, in quorum etiam armonia eſt cerebrum nimis bene temperatum, & cella phantaſtica diſpoſita. Ex quo perſpicue infertur eos cæteris hominibus ingenio viuaciores exiſtere. Infertur ergo ex ſupra memoratis, mulieres potiorem menſtrualis humoris locum teminis ad prolis formationem impertiri; quare in te miraculum ſupernaturalis conceptionis Virginis glorioſæ non eſt in eo, quod iſta opinio aſſerebat, ſcilicet, quòd miraculum fuit, quia ibi non fuit aliquod ſperma virile, de quo ſolum corpus humanum formandum erat.

Filij mulierũ cholericarum ſunt ingenio acutiores cæteris hominib.

De opinione quorundam circa Conceptionem Beatæ Virginis. Cap. XXXVII.

ALII autem vlterius delirantes arbitrati ſunt miraculum conceptionis in hoc exiſtere: quia cum ex ſemine maſculino mixto mẽſtruali humori fetus procreetur in vtero, quod ſemen ſolum femineum ad hoc nullatenus eſſet ſufficiens, & quia in hac conceptione nulla virilis ſeminis particula menſtruali humori permixta fuit; ſolus humor menſtrualis ſufficiens non videbatur ad hanc generationem perficiendã: quia ipſe ſolus in parua quantitate ſubſiſteret. Iſta poſitio ſolida veritate ſubſiſtere non valet, ſicut nec ea, quam ſupra improbauimus: ſemen nanque modicum, aut multum eſſe non facit ad poſſe gignere, vel nõ gignere: ſed ad magnã, aut paruam prolem procreare. Sic ergo rebus ſe habentibus, ſi alia non obſtarent feminæ ſolæ de ſemine ſuo poſſent prolem gignere etiã incognito viro; eſſet tamen iſta differentia inter filios generatos, quia filij à ſolis feminis procreati eſſent paruæ corpulentiæ: geniti autẽ à feminis & viris ſimul maioris procreatis exiſterent: quia maior eſſet quantitas ſeminis, cũ ſemen maſculinum femineo menſtruo iunctum eſſet, quàm cum menſtrualis humor ſolitarius in vtero permaneret. Item filij à feminis & viris geniti viribus robuſtiores, & corde audaciores eſſent: filij autem à ſolis feminis procreati, eſſent viribus debiliores, & animo timidiores. Item prædicta poſitio exiſtere non poteſt, quia ſi ob hoc ſolum femina ſola concipere non poſſet, quia ſemen femininum per ſe paruæ quantitatis eſt: ſemen autem virile femineo ſanguini menſtruali coniunctum maioris eſt quantitatis, poſſet aliqua femina reperiri, quæ ſola de ſemine ſuo poſſet concipere. Poteſt nanque aliqua femina eſſe; & plerunque erit, quæ tantæ quantitatis habeat ſanguinẽ menſtrualem, quantæ magnitudinis eſt ſanguis menſtrualis alicuius mulieris cum ſemine virili commixtum: ſicut ſi fuerit

Mulieres quæ ſpermate plurium abũdant.

A aliqua femina phlegmaticæ cõplexionis, quæ nimis abundat in materia menſtruali, tanta erit quantitas ſanguinis menſtrualis huius mulieris, quantæ fuerit magnitudinis ſemen viri cholerici commixtum ſemini muliebri; quia omnes cholerici, tam maſculi, quàm feminæ deficiunt in quantitate materiæ ſeminalis: nunquam tamen aliqua femina corporea naturaliter eſt, aut poterit reperiri, quæ ſola incognito viro concipere poſſet, quantumcunque abundet in materia ſeminali. Inducitur ergo ex his, non ideo feminã ſolam de ſemine ſuo viro incognitam concipere nõ poſſe, quia in ea modica eſt quãtitas materiæ ſeminalis.

De tertia opinione quorundam. Cap. XXXVIII.

B DELIRANTIBVS autem & pleriſque alijs, quidam præterea æſtimauere huius conceptionis virginalis miraculum eſſe, propter non fuiſſe virginalia clauſtra violata. Arbitrantur quippe filium genitum in lucem non poſſe prodire à materno vtero, nec aliquam fieri conceptionem, niſi virginalium clauſtrorum ruptio antecedat, & quia Domina noſtra nullã omnino virgineorum clauſtrorum apertionem paſſa eſt, miraculum indubitatiſſimum videbatur eam potuiſſe concipere. Iſta poſitio ſtare non debet, ſicut nec præcedentes; quia iſto habito, & conceſſo non ponebatur miraculum in conceptione: ſed in emiſſione ab vtero, ſcilicet, in partu, ex qua infertur poſitione eos arbitrari, non eſſe inconueniens feminam ſine vllo virili contactu concipere, pariter autem viro incognitam impoſſibile æſtimabant. Apertiuram autem clauſtrorum vteri virginalis per ſe ad conceptionem C non poſſe proficere, euidentiſſimo liquet argumento. Sicut enim in acceſſu virili clauſtra virginalia corrumpuntur: ita quouis alio modo aperturam perpeti poſſent: ſola enim femina ſeipſa poteſt ſuæ virginitatis clauſtra infringere, non tamen vlla conceptio ſequeretur. Poterat identidem manu, aut ferro, aut alia quauis virginitas integritatis ſuæ pati iacturam. Liquet igitur clauſtrorum apertionem per contactum virilem ad conceptum minimè poſſe proficere, & ſi in acceſſu virili, in quo clauſtra virginalia violantur, interdum ſequitur fetus conceptio, non propter clauſtrorum apertionem fit, ſed ad aliam longè diſtantem pertinere cauſam dignoſcitur. Horum autem fundamentum, ſcilicet, ad conceptionem perficiendã clauſtrorum virginalium apertionem eſſe neceſſariam, falſum eſſe liquet. Interdum nanque ſine ruptione clauſtrorũ con- D ceptio ſequi poteſt, & aliquando ſequuta eſt, cuius modũ nobis per ſingula exponere non cõuenit: eſt enim modus ſatis groſſus, & cuilibet ſpeculanti ſatis imaginatione cõprehenſibilis: Aliquãdo nanque hoc viſum eſt, & plerunque euenire cernitur, & non ſolum hoc, ſed & aliquid alterum, quod ſatis videtur mirabile, contingit, ſcilicet, quòd aliqua mulier totaliter virgo carne, & mente nullam omnino corruptionem perpeſſa, prolem concipit naturaliter: ſed in virginitate permanens concipere non poteſt, quia ſaltem corporis integritatem deſtrui neceſſe eſt manente mentis incorruptione, quòd identidem particularius declarare intentionis noſtræ non eſt, cauſa horum ſupra prælibata eſt. Ponit tamen aliqualiter Sanctus Thomas hunc modum in quadam quæſtione cuiuſdam quodlibeti. Poteſt autem & vir, ſua virginitatis integritate ma- E nente totaliter in mente & corpore gignere, licet integritas corporis non ita omnimoda ſicut in femina ſit: huius autem exemplum cõforme patet, ſicut in cæteris, quæ de femina dicebantur. Omnia autem hæc quantumcunque integritas mentis & corporis ſalua maneat, ſine ſemino maſculino, & muliebri menſtruo non paterentur: item iſta ruptio clauſtrorum virgineorum in acceſſu virili, non eſt neceſſaria ad emiſſionem infantis ab vtero pariendi. Nam dato, quòd talis ruptura per virilis genitalis violentiam non parietur, parietur femina poſterius eandem clauſtrorum apertionem in partu ſine virili contactu, quàm in conceptu per virilem actionem perpeſſura erat. naturaliter nanque in effuſione infantis ab vtero, clauſtrorum maxima apertura cauſatur, & maioris doloris, quàm fuerit prima delibatio virgineorum clau-

ſtrorum in acceſſu virili:& hoc violentius fieri in ea, quæ nunquam virilem contactum experta eſt, quàm in illa, quæ virili actione clauſtrorum ſuorum paſſa eſt corruptionem. Item apertio facta in acceſſu virili non ſufficit ad partum, quia poſt eam neceſſariũ eſt maiorem in partu fieri apertionem, ſine qua etiam ſi alia ruptio clauſtrorum præceſſerit, impoſſibile eſt ab vtero infantem emitti: euidenti ergo illatione concluditur clauſtrorũ virgineorum apertionem, quæ in primo acceſſu virili perpetratur, ad partum, qui poſtea ſequitur, poſſe nullatenus adiuuare.

De opinione aliorum circa idem. Cap. XXXIX.

SICVT nec cæteris prælibatis deliramentorum generibus aſſenſimus, ita nec huic, quòd dicitur aſſentiendum eſt: ſcilicet, quòd aliquorum opinio fuit, ſolum hic miraculum in conceptione virginis exiſtere: quia non fuit ibi aliqua particula ſeminis maſculini, ex qua ſecundum partem fetus in materno vtero plaſmaretur. Nam vt medicorũ plurimi opinantur, licèt vir, & fœmina ſpermatizent: tamen corpus formatũ in vtero pro nulla ſui parte de ſemine maſculino formatur, ita quòd totũ corpus filij geniti de muliebri formetur humore, nullo penitus de virili ſemine intermixto.

Medicorũ quorundã opinio de formatiõe fetus in vtero.

Dicunt nanque ſemen virile ad hoc ſolum proficere, quòd ſemẽ femininum digerit, & informat atque organizat, & contemperat: deinde verò per ſuam magnam caliditatem diſſoluitur in exhalationes fumoſas, nullo penitus de ſubſtantia eius manente ad particulam corporis procreandam in fetu. Conforme autem exemplum eſt de oleo ardente, aut de lucerna, quia in oleo cũ ſit humidum vnctuoſum, vnde paſſibile a calido cũ igne conſumptum fuerit, nihil de eo manet, tota eius ſubſtantia in vapores aereos teneros reſoluta: lychnum verò, quòd talis complexionis non eſt, licèt cõburatur, tamẽ aliquid manet, quòd ignis non vaſtat vltimatè conuerſum in cineres. Ita ſemen maſculinum cùm habeat in ſe incluſum calorem, & ipſum ſit humidum vnctuoſum, vnde paſſum a calido totum in fumos exhalat, nullo de eius ſubſtantia manente reſiduo. Humor autem menſtrualis, quia groſſior eſt, nec ita a calore paſſibilis, potiſſimè a nõ magno valde calore, cũ aliqualiter digeſtus fuerit, remanet aliquid, ex quo fiat plaſmatio corporis infantis. Iſta medicorum opinio licèt aliquã naturalem apparentiam continere videatur, non tamen habet ſolidum fulcimentum: multas namque inſtantias patitur, de quibus nunc gratia breuitatis ſpeculandum nõ eſt: ideo non eſt Ariſto. poſitio, aut aliorum naturalium philoſophorum, de ſolo menſtruali humore feminco corpus humanum compingi virili ſemine non commixto, ſed vtrunque ſemen compactum totalem infantis corporis fore materiam.

Ad quid virile ſemen proficiat.

Opinio Doct. de miraculo virgineæ Conceptionis. Cap. XL.

QVIA ſecundum Ariſtotelicam aſſertionem in 1. Ethicorum, omnes ſcrutari opiniones fortaſſis inutile eſt, ſufficiens autem ad quæ aliqualiter rationem habere videntur: alijs ergo deliramentorum generibus derelictis, ſecundum ſolidiam, atque catholicæ poſitioni cõformem veritatem concludentes, dicendum erit miraculum virgineæ conceptionis in hoc exiſtere, non in hoc, ꝙ clauſtra virginea illæſa manſere, nec in aliquo ſimili: omnia namque iſta ſine miraculo ſatis erat poſſibile fieri, ſed quia nõ fuit menſtruali humori virgineo aliquod maſculinũ ſemen cõmixtum, ſ. ꝙ benedictum corpus redemptoris noſtri de ſolis puriſſimis ſanguinibus Virginis extiterit nullo virili ſemine accidente, & magis attẽdendo dicendum eſt, non fuiſſe præcipuè miraculũ: quia non fuerit ibi aliquod maſculinũ ſemẽ menſtruali humori commixtum, ex quo partialiter corpus benedictũ Saluatoris plaſmaretur, ſed quia nõ erat ibi virile ſemen cõmixtũ ad contẽperandũ, & digerendũ, formandũ, atq; organizandũ ſanguinem virginis menſtrualem: quia ſicut lignum ſine igne ardere impoſſibile eſt, ita impoſſibile eſt ſemen femineum ſine maſculino ſemine poſſe digeri, atq; formari. hoc autẽ nõ fuit in ſanguine mẽſtruali virginis benedictæ, nõ enim fuit ibi aliquod virile ſemẽ immixtũ, ꝙ tẽperaret, digereret,

F formaret, atque organizaret ſanguinẽ menſtrualẽ Dominæ noſtræ, ad formationem corporis noſtri redemptoris. Totum autem hoc, quòd in humore menſtruali virginis beatæ ſemine virili operante conficiendũ erat, diuina Spiritus paracliti operatione patratũ eſt: ideo in ſimbolo fidei continetur; qui conceptus eſt de Spiritu ſancto: id eſt quod Spiritus ſanctus ſupernaturaliter ad conceptionem illam operatus eſt, ſemen virgineum diſponendo.

Qualiter Spiritus ſanctus operatus eſt ad Conceptionem Chriſti. Cap. XLI.

QVO circa, operæprecium eſt ſpeculari, cum multi circa hoc errauerint, aut ſaltem delirare potuerint, qualiter Spiritus ſanctus ad conceptionẽ virgineam operatus eſt. Non enim eſt intelligendum Spiritum ſanctum G operatum fuiſſe conceptionem virginis admirabilem, aliquod ſemen in virgineum vterum per ſe nullo alio agentẽ decidendo, quod menſtrualem virginis humorem temperaret, digereret, atq; formaret, & organizaret: ſicut ſemẽ maſculinũ operatiuũ erat naturaliter operãdo, ſi illi menſtruali humori fuiſſet admixtũ: quia Spiritus ſanctus Deus eſt: Deus autẽ eſt ſpiritus, ſpiritus autẽ corpus nõ habet, & ſic Deũ incorporeũ confitemur, ex quo manifeſtũ eſt eum ſemen nõ habere, quod ad gignendũ decidere poſſet aut debuiſſet. Semen namq;, ꝙ ſic deciditur, ſolis animalibus pertinet: nec rurſus fingendũ eſt Spiritum ſanctum ſemen aliquod viri alicuius aſſumpſiſſe, & cõſeruaſſe ſicut dæmones incubi, & ſuccubi faciunt, vt poſtea in virgineo vtero poneret, ꝙ naturaliter ſemẽ ſemineũ digereret, atq; formaret. Hoc quippe diuinæ repugnat dignitati: vt dæmonis illuſoris formam aſſumeret. Item quia hoc conceſſo ſeque- H retur violatio virgineorũ clauſtrorum, ſicut fieri contingit, cùm dæmones incubi ſemen à viris ſuſceptum in vas genitale femineum effundunt: tũc enim verè clauſtra rumpuntur virginea, ſicut ſi a viro quantũcunq; potente femina carnaliter tangeretur: ꝙ de Domina noſtra virgine nullatenus profitemur. Itẽ quia hoc directè repugnat catholicæ aſſertioni. ſ. Chriſtum de nullo ſemine virili fuiſſe cõceptum: præterea ſi Chriſtum ſic conceptum de aliquo virili ſemine fateremur, ſicut dicimus eum filium virginis eſſe, quia de eius ſemine conceptus atque formatus eſt: ita eum filium alicuius viri concedere neceſſarium erat, cum de ſemine virili factus extiterit, quod valde repugnat catholicæ poſitioni. Item nec arbitrari quiſquam debet, Spiritũ ſanctũ aliquod ſemen nouiter creaſſe de nihilo, nec I alicuius viri ſemen eſſet, ſi talẽ in ſe virtutem contineret, qualẽ continet ſemen quodlibet maſculinũ, & eadẽ ſuper menſtrualẽ virginis humorẽ efficeret, quia ex hoc quoddã maximum inconueniens cauſabatur, ꝙ magis obuium erat intentioni Chriſti carnem aſſumentis, quàm eidẽ incarnationi, aut diuinæ dignitati repugnaſſet, Chriſtum ex maris & feminæ vſitata coniunctione fuiſſe progenitum. Quod ſic euidenter apparet: Deus enim ex ſua infinita potentia, & bonitate potuiſſet totius humani generis culpam remittere, atq; prorſus peccatum prothoparentum iſtorum omniumq; poſterum peccata, atq; delicta delere eo modo, quo nũc cunctorũ peccatorũ remiſſio fit; vel quouis alio modo voluntati ſuæ beneplacito: exegit tamen diuina iuſtitia, vt culpæ pœna correſponderet, ſicut virtuoſo actui premium correſpondet, & ſic aliqua pœna illi prime K trãſgreſſioni daretur, ne totaliter impunita remaneret, & quia ſi homines huius tranſgreſſionis pœnã totaliter ſuſtinere debuiſſent, ad eã tollerandã nõ ſufficerẽt: quia peccatũ erat infinitæ iniuriæ, quia erat cõtra Deũ, qui eſt infinitæ excellẽtiæ: vt redẽptio atq; ſatisfactio æquualẽs pateretur, oportebat eũ, qui infinitus foret pœnã huius criminis tolerarẽ, & quia poſt Deum nullus infinitus eſt, voluit Deus. ſ. tota Trinitas benedicta filiũ Dei Patris iſtam facere redemptionẽ. Et quia iuſtitiæ regula hoc expoſcit, vt præuaricationis animaduerſione immerita crucientur iuxta illud: Peccata ſuos debent tenere actores, vt in iuribus habetur ſæpe pro palea: & homines fuerant in hac parte tranſgreſſionis actores, oportebat eum hominem fore, qui huius reatus dignam pœnam aſſumeret: quã in re filius Dei Patris carnem humanam aſſumere dignatus

Filij non ſicuti viri ... ſemen ... pro carnis ...

Ratio diuinæ incarnationis.

gnatus eſt. Quod ſi fortaſſis ſemen illud quod Spiritus ſanctus poneret in aluo virgineo, eſſet nouiter creatũ, nec eſſet alicuius viri de genere Adam, Chriſtus ex illo ſpermate præcipuè genitus, non fuiſſet de genere Adæ: non ideo congruè redemiſſet genus humanum deriuatum ab Adam, præcipuè cum illa culpa, pro qua Chriſtus patiebatur, erat culpa ipſius Adæ. Eligibilius ergo meliuſque fuiſſet Chriſtum genitum fore de ſemine virili, atque ſemineo modo naturaliter conſueto, exiſtentibus maſculo & femina de genere Adæ, quam quod de aliquo ſemine fuiſſet genitus, quod non eſſet alicuius viri deſcendentis de genere Adæ, quod ſic liquidius manifeſtatur. Cum enim menſtrualis humor feminarum per ſe ad conceptionem inutilis ſit, niſi ſemine maſculino ſuperfuſo, atque permixto temperetur, digeratur, atque formetur: neceſſario nos profiteri debemus filium genitum magis ad actionem, & naturam patris, quam matris pertinere, cum magis a patre, quàm à matre generetur. Et ſic dato, quòd corpus redemptoris noſtri Ieſu formatum fuiſſet de menſtruali ſanguine virginis benedictæ, quæ erat de genere Adæ, ſi ibi interciderat aliquod creatum nouiter ſemen, quod non fuerat alicuius viri de progenie protoplaſti, & illud temperaſſet, digeſſiſſet, atque formaſſet ſanguinẽ virginis menſtrualem, magis Chriſtus progeniem, ortum, atque naturam ab illo ſemine traxiſſet, quam ab Adam ex parte ſeminis virginalis: ſicut ſi quiſquam foret, qui patrem, & matrem habens, patrem non de ſemine Adæ habuiſſet, mater verò de Adæ ſemine eſſet progenita, nõ de Adæ progenie diceretur præcipua denominatione facta à ſemine maſculino: & ſic Chriſto illud ſemen nouiter creatum loco patris ſucceſſerat, & erat ſic maius inconueniẽs magiſque intentioni eius, ſecundum quam carnẽ humanam aſſumere dignatus eſt, repugnas, quam ſi de virili, & ſemineo ſemine pariter gigneretur. Concluditur ergo nullatenus eſſe dicẽdum, Spiritum ſanctum, aliquod ſemen nouiter creaſſe, quòd in virgineo vtero poſuiſſet. Cum ergo dicimus, quòd Chriſtus redemptor noſter de Spiritu ſancto conceptus eſt: eſt ſenſus, quòd Spiritus ſanctus ſupernaturali operatione, nullo alio naturali agente mediãte, aut tanquam principali agente, aut tanquam inſtrumento ſemen menſtruale beatæ Virginis tẽperauit, digeſſit, & organizauit, donec corpus perfectè formatũ eſſet, ſicut virile ſemen facturum erat, ſi ibi commixtũ fuiſset. Ita enim de igne dicimus, ignis, quòd naturaliter comburit, & incinerat quodlibet combuſtibile ei appropinquans, & lignum quodlibet actione ignis, in illud naturaliter comburi poteſt: quòd ſi fortaſſis Deus, per ſeipſum nullo alio agente naturali mediante lignum combureret illa ligni combuſtio ſupernaturalis diceretur, & Deus hic operaretur ſupernaturaliter, quidquid ignis naturaliter facere debuiſſet. Sic autem in præſenti erat, quia ſemen virile, quodcunque illud foret, ſi menſtruali humori B. Virginis fuiſſet commixtum, temperauerat, digeſſerat, atque formauerat menſtrualem humorem Virginis benedictæ, vſque ad perfectam corporis organizationem: & quia Spiritus ſanctus per ſe hæc omnia operatus eſt, nulla alia operante creatura, dicitur Chriſtus conceptus de Spiritu ſancto, ſicut aliter diceretur conceptus de ſemine virili, ſi ibi fuiſset admixtus.

Filiorum genitura plus patri quam matri debetur.

Virile ſemen duplicem ſortitur habitudinem cauſalitatis, Cap. XLII.

IVXTA quam ſpeculationem attendendum eſt, quòd virile ſemẽ duplicem ſortitur habitudinem cauſalitatis reſpectu ſeminis feminini, & reſpectu corporis formati in vtero. Prima eſt habitudo cauſalitatis materialis: nam ſicut corpus in vtero formatur de ſemine muliebri: ita partim de ſemine virili formatur: nec eſt aliqua pars corporis formati, in qua non ſit aliquid de ſemine maſculino, & feminino, cum alterum alteri perfectè mixtum ſit, ſicut cum aqua vino perfectè fuerit adiuncta: eſt ergo vtrunque ſemen cauſa materialis partialis corporis formati, & vnum ſemen reſpectu alterius nõ habet reſpectum cauſalitatis materialis, ſed reſpectum concauſalitatis: quia vtrunque cauſa eſt, in quo & æqualia ſunt ea. Secunda habitudo

A cauſalitatis quam habet ſemen virile ad corpus formatum in vtero, eſt reſpectus cauſæ efficientis: nam licet humor menſtrualis femineus ſit cauſa materialis corporis organizati: tamen non habet aliquã efficaciam in formando membra, aut diſtinguendo. Semen autem virile eſt cauſa materialis corporis organizati ſecundum partem, & inſuper habet in ſe virtutem formatiuam, ſecundum quam ſemen femininum temperatur, & digeritur: & corpus formatur atq; perfectè organizatur. Habet autem ſemen virile habitudinem efficientis cauſalitatis, ſicut ignis ad lignum, aut aliud combuſtibile: quia ſemen femininum, quamuis ſit pars materialis corporis organizandi, in ſe tamen nullam virtutem continet alteratiuam, ſecũdum quam in alteram qualitatẽ, aut diſpoſitionem mutetur aut organizetur. Si ergo ei nullum virile ſemen miſceretur, remaneret ei priſtina diſpoſi-
B tio, aut qualitas ſtatus, & ſic impoſſibile erat vllam fieri generationem. Semen autẽ virile ſuperueniens menſtruo muliebri, mutat illud à diſpoſitione, in qua erat: & digerit illud: eſt enim ipſum humidum, & rarum atque frigidum, ita quòd non conuenit generationi futuræ permanendo in illa diſpoſitione. Digerit ergo illud, & facit eſſe maioris caloris, & condenſat, minus de humiditate relinquendo, atq; ſolidando, vt inde partes corporis duræ, atq; ſolidæ formari valeant: ſicut ſunt carnes, & oſſa, poſtea verò organizat illud, figurando diuerſas corporis partes, ſingulis ſua tribuendo lineamenta, prout ſpeciei corporis humani conuenire dignoſcitur: ſic.n. tota humani corporis machina perficitur, quę nullo modo fieri poſſent, manẽte ſemine femineo in ſua primaria diſpoſitione. Sic ergo cõcludendum eſt, maius fuiſſe miraculum, Chriſtũ ſine virili ſemine fuiſ-
C. ſe conceptum in quantum ſemen virile continet in ſe virtutem digeſtiuam, & organizatiuã menſtrui muliebris, quàm ſecundum quòd ſemen maſculinum eſt cauſa materialis fetus formandi: nam ſi in ſemine virginis benedictæ fuiſſet virtus formatiua, & organizatiua, licet non fuiſſet ibi ſemen virile commixtum, non fuiſſet tantum miraculum fuiſſe Chriſtum conceptum, ſicut de ſemine virginis benedictæ, in quo non erat virtus digeſtiua, formatiua, atque organizatiua, potuiſſe per ſe ſolum corpus aliquod generari: ſicut in ligno, aut aliqua re combuſtibili non eſt virtus combuſtiua, quod ipſum ſeipſum comburere poſſit, aut quòd ſine applicatione alicuius combuſtiui comburatur, eſt admirabile. Quod ergo virginale ſemen, in quo nõ erat aliqua vis digeſtiua, aut formatiua ſine admixtione ſeminis virilis, in quo eſt poteſtas organizatiua, organizetur, atque
D perfectè diſponatur, eſt magnum miraculum.

Actio ſeminis humani in principio generationis.

An ex ſemine ſolùm virili fieri poſſit generatio. Cap. XLIIII.

EX hic prædictis autem fortaſſe aliquis arguendi occaſionem acciperet, ex ſolo virili ſemine corpus aliquod humanum poſſe compingi: quod apparet, quia ſemen virile eſt cauſa materialis corporis organizandi: etiam ipſum continet in ſe virtutem organizatiuam, digeſtiuam, atque alteratiuam, nihil ergo deeſſe videtur ad hoc, quòd ex ſolo virili ſemine corpus perfectè humanum compleri poſſet nullo ſanguine menſtruali commixto, ſic igitur poterat per ſeipſum concipere, femina nihil agente, videmus tamen ſine femina nullam omnino fieri conceptionem, relinqui
E ergo videtur, in virili ſemine digeſtiuam, atque organizatiuam virtutem minimè conſiſtere. Cui argumẽtationi fortaſſis aliquis reſpondebit, quòd quamuis in virili ſemine ſit virtus organizatiua, formatiua, atque digeſtiua, tamen virile ſemen per ſe ad formandum corpus non valet, quia virile ſemen modicæ quantitatis eſt, nec per ſe valet ad formandum corpus aliquod humanum. Hæc autem poſitio ſubſiſtere non poteſt, quia ſemen eſſe multum, aut paucum non facit ad poſſe gignere, aut non poſſe: ſed ad gignere paruam, aut magnam ſobolem, & ſic licet geniti à ſolo viro minoris eſſent ſtaturæ, quàm geniti à mare & femina, tamen aliqui eſſent à ſolo maſculo generati, tamen iſtorum nulli ſunt: ergo ſequitur, quòd non eſt iſta cauſa, quare maſculus ſolus nõ poteſt generare. Item poſitio iſta ſtare non poteſt, quia licet vnus maſculus, & vna femina commu-

niter

niter maioris quantitatis ſint in ſemine, quàm vnus vir, ſolus tamen aliquis vir eſſe poterit tantæ abundantiæ in materia ſeminali, quantæ eſt vna fœmina, & vnus vir: ſicut ergo vnus vir & vna fœmina generare poſſunt, ita ille vir ſolus generare poſſet: ſed hoc nunquam reperitur. Infertur ergo virum non ideo non poſſe ſolum gignere, quia eſt in eo paucitas materiæ ſeminalis.

Alia reſponſio ſubiectis improbanda. *Cap. XLV.*

FORTASSIS aliqui alij, adhuc delirantes, dicent, maſculum non ideo ſolum non poſſe generare, quia in eo paucitas materiæ ſeminalis eſt: ſed quia in maſculo non eſt aliquod vas, ſiue locus receptiuus ad conceptionem faciendam, vt organizetur corpus, atque organizatum corpus debitam recipiat quãtitatem. Certum quippe apparet, ſemen maſculinum & fœmininum paruę eſſe quantitatis, de qua corpus formatur humanum, donec formatum ſit. Cùm verò fetus de vtero materno exiuit in lucem magnæ quantitatis eſt: quia in vtero ſuſcepit magnum incrementum. Ad hæc autem omnia facienda locus eſt in vtero fœminino in quodam vaſe piloſo, in quo multæ cellæ ſunt ad ſimul fetus multos formandum, quod vas apud nos pellis ſecundina, ſiue ſecundina vocatur, aut matrix. Hoc autem vas huius conditionis eſt, quòd cum aliquis fetus interius formatur, & organizatur, extenditur: cum autem nullum ſemen virile intra receptum commixtum fœminino mẽſtruo eſt ad formandum fetum, eſt collectum in formam panni non occupans aliquam notabilem quãtitatem: cum autem intus formatur aliquis fetus, paulìſper quotidianis incrementis extenditur, ſecundum modum augmenti fetus intra formari. Huius autem exemplum eſt in vtre, qui cùm non ſit plenus aliquo liquore, aut ſaltem aere, habet latera complicita, & ſubſiſtit ſub modica quantitate, atque modicum occupat locum; cùm verò incipit repleri, continuè maioris quantitatis efficitur: atque maiorem occupat locum. In viro autem intra corpus eius non eſt aliquis locus, in quo ſemen organizari valeat, & recipere debitam quantitatem. Semen quippe virile partim eſt de ſuperfluo alimenti quotidiani, quod alimentum in ſubſtantiam corporis alimentati conuertitur, partim de ſuperfluo non conuerſo: iſtud autem ſuperfluum alimenti non trãſiliens in ſubſtantiam rei alimentatæ, in tertia digeſtione recipitur in vaſis ſeminarijs, quæ ſunt intra corpus virile lumbis affixa, poſtea verò in tempore acceſſus virilis ad fœminam defluit de vaſis illis in matricem vteri fœminini. Sunt igitur vaſa illa paruę quantitatis. Nam ſolum eſt ibi locus materiæ ſeminalis. Ab his autem vaſis ſeminarijs ſemen nõ diffueret, niſi vaſa illa tangerentur, & ſemen cogeretur diffluere euerſo vaſe: fit autem iſte contactus mediantibus teſticulis: nam cum iſta vaſa lumbis adhæreant, ſunt quædam chordę à virga virili, per loca illa vaſorum ſeminariorum tranſeuntia, per quas aſcendunt teſticuli tempore coitus, & faciunt euerti ſemen contentum in vaſis, quod aliàs defluxurum non erat, niſi ex magna commotione totius corporis ex poteſtate phantaſiæ ſuper totam materiam corporalem. Sicut contingit in ſomnis, vt viri circa hoc ſomniantes nocturnam pollutionem patiantur, vel ex nimia repletione ſeminalis humoris: quia tunc ſuperfluere neceſſarium eſt: aut ex impotentia virtutis retentiuæ, quod contingit in ieiunantibus, qui potentiam retentiuam debilitatam habent. Ideo viri ieiunantes, niſi ſint valde debilitati, potius nocturnam patiuntur pollutionem diebus quibus ieiunant, quàm diebus quibus comedunt abundanter: & potiſſimè, cùm ante accubitum aquam ſolam biberint: quia aqua nimis laxat potentiam retentiuam, licet nullo modo multiplicet materiam ſeminalem. Ex quo etiam ſequitur, quòd facilius homines pollutionem patiuntur nocturnam, ſi ante accubitum aquam biberint, quàm ſi vinũ: nam licet vinum calorem ſuo feruore cauſet libidinis, & ſemen faciat deſpumare, quod aqua nullatenus frigiditate ſua efficere valet, tamen aqua potentiam retentiuam relaxat, quod vinum non facit. Ieiunantibus ergo, qui potentiſſimi ad ieiunandum ſunt, aut qui in materia ſeminali vehementer abũdant, eligibilius, atque vtilius eſt per noctem

Natura et diſpoſitio loci i quo fetus formatur in vtero.

Quare emittatur ſemen in ſomno.

Ieiunãtes facilè polluũtur, & quare.

F ante accubitum vinum, quam aquã bibere, ſi pollutionem nocturnam deſiderant euitare. Semen ergo de vaſis ſeminarijs, nullo modo valet defluere, niſi concuſſis vaſis ſeminarijs poſt quam in caſibus prælibatis, ſeminariorum autem vaſorum concuſſio fit aſcendentibus teſticulis ad locum vaſorum. Ex quo ſequitur id, quod communiter videmus, ſcilicet quod viri caſtrati, licet in materia ſeminali ante teſticulorum abſciſionem abundauerint, & poſtea eodem modo abundent, & patiantur virgæ inflationem, quæ eſt quædam diſpoſitio ad actum venereum, nullo tamen modo valent decidere materiam ſeminalem, etiam ſi multoties interioribus ſtimulis ad venerem impellantur: quod accidit, quia vaſa ſeminaria non concutiuntur, cum teſticuli ad illa aſcendere non valeant. Ad incepta redeuntibus dicendum erit, in viro conceptionem fieri non poſſe: G quia non habet locum, in quo ſemen digeratur, formetur, & organizetur. In vtero autem fœminino omnia iſta loca aptiſſimè collocata ſunt: ſicut ſupra annotauimus. Ex quo infertur in fœmina & non in viro generationem poſſe celebrari.

De quadam cauſa ſuperiorum. *Cap. XLVI.*

AMPLIVS autem & ſuperiorum alia cauſa reddi poteſt attentius ſpeculantibus, quia vt eſt de intentione Ariſt. & ſui commentatoris Auerrois ſuper ſecundum Phyſic. opus naturæ eſt opus intelligentiæ idest quod omnes motus idest naturales actiones diriguntur ab aliqua ſubſtantia intelligente, ſiue illa Deus ſit, ſiue angelicus intellectus, qui omnia iſta reſpiciens omnia dirigat. Si enim H non daretur iſta alicuius ſuperioris intellectus regulantis directiu, res naturales carentes intellectu nõ haberent motus tam certos, & in operationibus ſuis vniformitatem non ſequerentur, ſed variè in diuerſis temporibus mouerentur, quod in naturalibus nunquam videtur: ſed conceptiones fiunt naturaliter, ergo neceſſarium eſt eas ab aliqua intelligentia regi, in rebus autem operantibus ſecundum intellectum iſta eſt conditio, quod nunquam aliquid operentur, niſi ſine præſuppoſito: ſequitur ergo, conceptiones neceſſariò ad aliquem finem fieri, finis autem immediatus conceptionis non poteſt alius aſſignari niſi naſci, & viuere, quia concipi rebus animatis nihil prodeſſet, niſi naſcerentur & viuerent: vbi ergo naſci, aut viuere ſequi non poteſt, non fiet naturaliter generatio humana. Sed in viro ſic eſt, quod dato quod in eo conceptio fieret, & fetus totalis or- I ganizatio, non poſſet fetus conceptus naſci, & viuere, cum vir non habeat loca, per quæ fetus exire poſſit, ſicut liquet cuilibet intuenti. In fœmina autem iſta loca diſpoſitiſſima ſunt: ideo in fœmina, & non in viro conceptio fieri poteſt. Cauſas autem quare in fœmina talia loca ſint diſpoſita, & non in viro, per ſingula ſtyli officio diſputare ad præſens non eſt meum: licet hic ſint ſatis naturales inquiſitiones, quia à quibuſdam verbis me abſtinere oportet, cum hæc ad veſtram regiam celſitudinem dirigãtur. Etiam quia ſingula inquirendo oportebat valde dilatare ſermonem, quod nimis abhorreo.

Conditio in reb. operantibus ſolum intellectum.

Inſufficientia prædictæ reſponſionis.
Cap. XLVII.

K VENTILATA ſuperius poſitio, licet aliquam veritatem contineat, plenariè tamen materiam non elucidat, nec directè quæſito reſpondet: nam verum eſt intra virile corpus nulla loca ad fetus formationem eſſe, & nullo modo interius fieri poterat, etiam data cõceptione non erat locus per quem fetus genitus naſceretur: ſed hoc ſufficiens non eſt, quia hoc ſolùm negat intra virum conceptionem poſſe celebrari: ſed de eius ſemine ſolo poſſe fieri conceptionem nullo modo tollit. Item iſti concedere videntur aliquid, quod eſt valde falſum, ſcilicet, quod ſi intra virilia viſcera locus ad celebrandam conceptionem eſſet, quod de ſolo virili ſemine fetus formari poſſet; cuius falſitas magis inferius apparebit. Item ſi ſemen virile per ſe ſolum ad formandum fetum ſufficeret, & propter hoc ſolum tolleretur, virum ſolitarium gignere non poſſe, quia

intra eius viſcera congrua vaſa non erant,quotieſcunq;
vir ad aliquam mulierẽ , cuiuſcunq; conditionis eſſet,
accederet,quæ vaſa haberet,in quibus poſſet cõceptio
celebrari,celebraretur cõceptio: ſed hoc eſt falsũ mul-
tipliciter. Primo, quia hoc conceſſo nõ eſſet aliqua fę-
mina ſterilis,qđ falſum eſt.Ratio autem in patulo eſt,
quia ꝙ ex quolibet acceſſu ad fęminam, ſiue ex multis
acceſſibus conceptio non ſequatur, licet aliquando ſit
ex defectu virorũ,qui ad gignendum impotentes ſunt,
aut quia aliqui viri sũt,qui in vna fęmina gignere poſ-
ſunt,in alia aũt nullatenus valent;ſequitur ergo tũc de-
fectum ſeminarum,& non virorum eſſe:ſi tñ ſemen vi-
rile ſolum ad perficiẽdam generationẽ ſufficeret,nihil
ibidem fęmina operante: ſed ſolum præſtante vaſa, in
quibus ſemẽ recipi poſſit in qualibet fęmina fieri poſ-
ſet conceptio,& nõ eſſet aliqua fęmina ſterilis,vel non
eſſet vna alia ſterilior.Itẽ ſi aliquis vir potens generare
alicui puellę paruæ ętatis carnaliter miſceretur,ſeque-
retur ibidẽ generatio, quantumcunq; fęmina paruæ eſ-
ſet ætatis, cum ibi vaſa ad generationem conuenientia
ſint,& tñ non fit generatio:quin potius è conuerſo cum
aliqua puella valde paruæ ætatis carnaliter cognoſci-
tur,poſtea concipere nõ valet, licet multotiens ad eam
carnaliter accedatur,quod in quotidiana cernitur expe
riẽtia. Item,ſi aliquis ad mulierem,quantumq; inuete-
ratam accederet,ibi generare poſſet,cum ibidẽ ſint va-
ſa ad hoc requiſita: tñ hoc fieri nõ poteſt,ſicut ſemper
accidere ſpeculamur. Cauſa autẽ, qua mulieres valde
paruæ ætatis,& valde prouectæ ætatis ad conceptionẽ
ineptæ ſunt, & penitus impotentes eſt, quia in eis non
eſt ſanguis menſtrualis. In puella namq; nondũ cæpit:

Quare puellæ & anus non cõcipiũt.

in ueterata aũt iam deſijt materia mẽſtruorum.Sunt aũt
menſtrua in fęmina materia generationis, ſ. id ex quo
fętus formatur in vtero,& ſicut,cum puella ſit ita par-
uæ ætatis,ꝙ nondum ei fiat ſanguis mẽſtrualis,qui per
ſingula menſium tẽpora mulieribus iam in ætate con-
ſtitutis euenire ſolet,eſt impotens ad gignendum:adeo
quamuis ad hãc puellã carnaliter accederent oẽs viri,
quotquot potẽtes ſunt ad generandũ,nõ erat poſſibile
vllo modo puellã concipere.Cum aũt menſtrua puellę
fieri incipiunt,eſt pure potens ad concipiendũ,& iſtud
eſt proprie tp̃s,vel anni pubertatis in mulieribus: licèt
iura de hoc alios inſtituerint modos. De hoc in volu-
mine Decretalium in tit. de deſponſatione impu. in c.
puberes. idẽ ponit Iſidorus Etymol.li.11.c.2.Inueteta-
tæ aũt mulieres concipere non poſſunt,quantumcunq;
a viris generare potentibus cognoſcãtur ,ſi iam eis non
fiant tp̃a menſtrualia. Aliquam aũt mulierem, cui non
veniat ſanguis menſtrualis, concipere miraculum ma-
gnum eſt, & operatio ſupernaturalis, hoc autẽ apparet
Gen.18.c.vbi cũ ſcriptura referret magnum Dei mira-
culum Saram vxorẽ Abrahę iam centenariã concepiſſe
Iſaac, &, cum cauſam qua Sara de annunciatione con-
ceptus miraretur, & riſiſſet, poneret,ait: & erant ambo
ſenes,& prouectæ ætatis,& deſierant Saræ fieri mulie-
bria. Vocantur autem muliebria ea, q̃ ſolis mulieribus
accidunt.ſ.ſanguis menſtrualis,qui nunq̃ viris euenit,
in quo ſignificat miraculũ eſſe concepiſſe Saram , cum
iã deſijſſent fieri muliebria.Ex præmiſſis ergo conclu-
ditur liquidiſſimo argumento, ex ſolo ſemine maſcu-
lino generationem fieri non poſſe , licet in viſceribus
virilibus ad hoc conuenientia vaſa ſubſiſterent .

Vera reſponſio Doctoris. Cap. XLVIII.

DElirantibus autem opinionibus relictis , Dicẽdum
eſt virile ſemen ſolum ad conceptionem aliquam
non ſufficere,ſiue ſemẽ illud paruæ,ſiue magnæ quan-
titatis ſit:& intra virilia viſcera cõceptionem fieri non
poſſe,non quia dicitur, ꝙ in viro vaſa ad conceptionẽ
apta non ſunt,ſed quia ad quamlibet cõceptionem ne-
ceſſarium eſt maſculini & fęminini ſeminis fieri mix-
tionẽ,quia,ſicut ſanguis menſtrualis, qui eſt ſemen fę-
mininum,non ſufficit ad cauſandam conceptionem ex
cauſis ſupra aſſignatis : ita virile ſemen ſolũ non ſuffi-

A cit,licèt in ſemine virili ſit virtus digeſtiua,formatiua,
organizatiua:q̃ non eſt in ſemine fęminino. Cauſa autẽ
prædictorũ eſt,quia in omni naturali actione ſunt duo
principia neceſſaria.ſ.actiuum,& paſſiuum. Actiuum
namq; ſolum non ſufficit,quia actiuũ non agit in ſe ip-
ſum,ſed in alterum:paſſiuum aũt ſolum agere non po-
teſt in ſe,aut in alterũ: quia non habet in ſe principium
actionis . Cum ergo ſemen virile ſit actiuum,quia ha-
bet in ſe virtutem alteratiuã, digeſtiuam,formatiuam,
& organizatiuam,non poterat agere in ſe ipſum,ſed in
alterum.Ita ſemẽ fęmininum,quod eſt pure paſſiuum,
non poterat agere, aut pati ſolitarie. Sequitur ergo ſo-
lum ſemen virile ad conceptionem non proficere , nec
ſolum ſemen fęmininum:ſed in vtroque permixto de-
bet celebrari conceptio maſculino ſanguine operante
B in ſanguinem menſtrualem,ſicut ex prælibatis liquet.

Obiectiones prædictorum. Cap. XLIX.

SVper quo aliquis fortaſſis argueret , dicens ſemen
maſculinum ſolum ad conceptionem ſufficere:nam
inter res naturales dña eſt , quia quædam habent in ſe
Principiũ ſui motus, & mouent ſe ipſas,nec ab aliquo
extrinſeco mouẽtur vllatenus.Sunt aũt alię,quæ ſe ip-
ſas mouere non valent,ſed ab alijs totaliter mouentur:
ſic aũt in agendo differentia eſt,quia quædã res actiuæ
ſunt per ſe ipſas,alię aũt non:mouere aũt actio quędam
eſt. Item manifeſtum eſt,ꝙ ſemen virile recipit altera-
tionem ad hoc,ꝙ ex ipſo fiat partim corpus qđ formã-
dũ eſt: ſicut fit de ſemine fęminino,quia non manet in
C diſpoſitione illa, in qua eſt,cum a vaſis ſeminarijs viri
diſcinditur: quia ſub eadẽ qualitate nõ eſſet cõueniens
ad formandum oſſa. & neruos,& alias partes corporis
duras,q̃ ſunt de ſolida ſubſtantia: neceſſarium ergo eſt
dari,quod ſemen virile tráſmutetur,& organizetur.Et
tũc aut ipſum ſe ipſum organizat,& mutat,aut a ſemi-
ne fęmineo tranſmutatur: quia non eſt ibi aliquid alte-
rum,quod organizare,aut organizari poſſit.Nõ eſt au-
tem dicendum , ꝙ ſemen fęmininum organizet ſemen
maſculinum, cum ipſe humor mẽſtrualis a ſemine vi-
rili digeratur , temperetur , formetur , & organizetur ,
etiam quia in ſe non habet aliquam virtutem actiuam,
formatiuam,aut organizatiuã:neceſſario ergo dicendũ
eſt maſculinum ſemen ſe ipſum organizare. Sicut ergo
ſemen virile commixtum menſtruo muliebri ſe ipſum
D digerit, format, atq; organizat. ita,cum ſolitarium ex-
titerit,ſe ipſum poterit digerere,atq; formare:fiet ergo
iſto modo conceptio in ſolo ſemine maſculino.

Reſponſiones ad obiectiones ſuperius adductas. Cap. L.

PRimæ autem argumentationi reſpondentes dicen-
dum erit ,multa eſſe naturalia entia ſe ipſa mouen-
tia,& ꝙ actio motus ſit,& ꝙ ſemen maſculinum ſe ip-
ſum organizare poſſet per virtutem organizatiuam in
eo exiſtentem ſine aliquo alio, ſicut aliquod animal ſe
ipſum ſanare põt, ſine aliquo adiutorio medicinæ,per
ſolam virtutem ſuæ naturæ , non tñ ex hoc infertur, ꝙ
ex ſolo ſemine maſculino poſſit generatio celebrari .
Nam ad generationem cauſandam ſunt multę alię di-
E ſpoſitiones, quæ in ſolo virili ſemine minime reperiri
poſſunt.Ad ſecundum reſpondetur,cum dicitur,ꝙ ſe-
men virile tranſmutatur ad conceptionem faciendam,
aut ergo tranſmutatur a ſe,vel ab altero.Dico,ꝙ ſemen
maſculinum digeritur, & organizatur,& ipſum orga-
nizat,& format ſe ipſum,& tñ nõ poterat ipſum ſe ip-
ſum organizare,niſi quædam alię diſpoſitiones pręce-
derent , q̃ facerent ſemen virile eſſe cõueniens ad con-
ceptionem, & corpus organizãdum,& hæ diſpoſitio-
nes inducuntur in ſemine maſculino per actionem ſe-
minis fęminei . Neceſſarium eſt ergo ſemẽ fęmininum
ad conceptionem celebrandã. Quocirca reſpiciendum
eſt,ꝙ ſemen fęmininum eſt tantę frigiditatis,& humi-
ditatis,ꝙ ſub eiſdem qualitatibus manens,non eſt ap-
tum ad hoc,ꝙ ex eo corpus humanũ generetur.Semen

Semen fęmininũ eſt ferè frigiditatis in ſũmo: virile autem eſt, quaſi caliditatis in ſũmo.

etiam maſculinũ tantæ caliditatis eſt, ꝙ ſub eadem diſpoſitione non eſt conueniens ad conceptionẽ cauſandã. Si.n. virile ſemen ſolũ exiſteret, calore ſuo totũ deſiccaretur, & in exalationes ſolueretur, nec quidquã inde gigni poſſet: oportuit ergo dari, ꝙ vnũ ſemen alterum tẽperaret, & ſic ex vtroq; conceptio compleretur. Nã ſemen fœmininũ, ꝙ eſt excellenter frigidum, tẽperatur per excellentẽ calorem ſeminis maſculini, & humiditas magna eiſdẽ ſeminis fœminini tẽperatur per ſiccitatem, & calorẽ magnum ſeminis maſculini. Semen virile eſt calidũ in exceſsiuo gradu caloris, & non cõuenit conceptioni, ſed reducitur ad conuenientẽ armoniã per magnã humiditatẽ, & frigiditatẽ menſtrui fœminini. Hoc ergo modo, licet ſemen fœmininũ organizetur per ſemen maſculinũ, tñ ſi ſolum fuerit ſemen virile, ex ipſo conceptio fieri non poterit: quia eſt exceſsiuè calidum, & ageret in ſe ipſum, agẽdoq; deficeret, nec maneret aliquid de quo cõceptio cõpleretur, & fœtus formaret: cum aũt cõmiſceretur propter frigiditatem menſtrui muliebris, & humiditatem nõ poteſt ſemen virile, etiam ſi calidum ſit, exhalare. F G

Obiectiones penes eandem materiam. Cap. LI.

QVòd, ſi fortaſſe quiſquam argueret, ꝙ poterat eſſe aliquod ſemen maſculinũ talis cõplexionis, qualis eſt ſemen maſculinũ, & fœmininũ: cum vtrũq; mixtum eſt, & hoc ſufficeret ad conceptionẽ cauſandam, & organizaret ſe ipſum, atque formaret. Rñdetur, ꝙ tale ſemen dari eſt impoſsibile: quia aut dicemus, ꝙ daretur vnum ſemen, quod eſſet talis complexionis, qualis eſt ſemen maſculinũ, & fœmininũ, cum ſint mixta digeſta, & formata, vel quod ſit vnum ſemen talis conditionis, quale eſt ſemen maſculinũ, & fœmininum, qñ vnum in alterum agens eſt. Si aũt dicamus, quòd ſit vnum ſemen talis conditionis, qualis eſt ſemen maſculinum, & fœmininum cum in ſe agũt, hoc impoſsibile eſt, quia tunc eadem res eſſet calida, & frigida; humida, & ſicca: & non ſolum in qualibuſcunq; gradibus, ſed in gradibus exceſsiuis: gradus nãque pauci non denominant formã: quia ſunt in parua latitudine formali, gradus aũt multi denominant formas. Daretur ergo vna res calida, & frigida; humida, & ſicca in gradibus, in quibus poſſet fieri denominatio formæ, ſicut ſemen fœmininum denominatur humidum, & frigidum, licet habeat aliquos gradus caliditatis, & ſiccitatis, licet remiſſos: & ſemen maſculinũ eſt calidũ, & ſiccum, licet habeat aliquos gradus frigiditatis, & humiditatis remiſſos. Denominaretur ergo tale ſemen calidum, & frigidũ, humidum, & ſiccũ in gradibus exceſsiuis: ſed hoc eſt impoſsibile, quia tunc eſſet aliquod ſemen duarũ complexionum contrarium, quod identidem erat impoſsibile. eodẽ modo, ille, in quo tale ſemen eſſet, nec eſſet vir, nec fœmina, quia quilibet horum eſt determinatæ complexionis. Si fortaſsis diceremus, ꝙ illud ſemen eſſet talis cõplexionis, qualis eſt ſemen muliebre, & maſculinum, qñ digeſta ſunt, & formata, hoc non põt exiſtere propter multa. Primò, quia ſemen ſic permixtum non eſt in aliqua extremitate contrarietatis notabilis, ſicut eſt magna caliditas, aut magna frigiditas, & ſic de cæteris, ſed eſt in medio contrarietatis, quod non põt ſubſiſtere, quia tunc, qui tale ſemen haberet, eſſet mediæ complexionis, quod non reperitur. Secunda ratio eſt, quia, ſi tale ſemen daretur, ille, cuius tale ſemen eſſet, nec eſſet maſculus, nec fœmina, quia ſi eſſet vir, eſſet ſemen illud tale, quale ſemẽ virile: ꝙ ſi forte eſſet fœmina, q̃ tale ſemen hẽt, eſſet illud ſemen tale, quale fœmininũ, & ſic non poſſet eſſe mediæ cõplexionis. H I K

Tertia ratio eſt, quia tale ſemen nunquam poſſet organizari, quod erat maius inconueniens: quod probatur, quia omnis actio, & naturalis motus fit de cõtrario in contrarium, ſicut probat Ariſt. in quinto Phyſi. qui vulgariter libri de Natura nominantur: contraria aũt ſic ſe habent, ꝙ, cum vnum eorũ eſt in paucis gradibus, non habet aliquam actionẽ: ſicut caliditas, quæ eſt in paucis gradibus, & conformiter de frigiditate, & cæteris: quod apparet in tepido: quia ꝙ tepidũ eſt, hẽt gradus caliditatis, & frigiditatis, tñ remiſſos. Ideo nullam hẽt actionem: quod vero valde calidum eſt, agere põt. ſ. calefaciendo, & frigidum põt facere frigefaciendo: & ſic, qñ ſunt duæ qualitates contrariæ in eſſe caliditatem, & frigiditatẽ in gradibus excellẽtibus faciunt in ſe, cum vero ad tepidum redeunt, nihil vlterius operantur, quia manent in medio contrarietatis: & ſic ſemẽ iſtud proprie eſſe in medio contrarietatis non poterat vllam actionem hr̃e, ideo nec erat poſsibile organizari, cum actio fiat per contrarietatẽ, & organizatio debeat fieri, atque diſpoſitio per contrariorum actionem in alterutrum. Ex prælibatis ergo infertur, impoſsibile eſſe vllum ſemen mediæ cõplexionis dari, quod eſſet tanquã ſemen maſculinum, & fœmininum cum perfecte mixta ſunt, & ꝙ impoſsibile eſt, aliquẽ virum, aut fœminam reperiri, qui talis complexionis ſortitus fuerit materiam ſeminalem. Ex quibus oĩbus pariter, & prælibatis neceſſaria, concatenataq; illatione cõcluditur, ex ſolo virili ſemine, qualitercunque ponatur, conceptionẽ fieri eſſe impoſsibile, licet hẽat virtutem formatiuam, atq; organizatiuã: ſicut nec ex ſolo menſtruali humore confici vllatenus poſſe, minime dubitatur. Eſt tñ dria hæc inter maſculinum ſemen, & menſtruum fœmininũ ex qualitate ſeminariorum vaſorũ, quia, ſi ſemen virile humori menſtruali in vaſis genitalibus fœmininis, in quibus cõceptio celebrari ſolet, fuerit permixtum, licet nullus acceſſus virilis ad fœminã fuerit, nec corruptio virgineorũ clauſtrorũ, conceptio perfecta cauſabitur. Si tñ humor virilis ſemini fœminino cõmixtus fuerit intra vaſa ſeminaria virilia a lũbis virorũ dependẽtia, ſ. ꝙ aliquatenus menſtrualis ſanguis fœmininus vaſa ſeminaria virilia poneretur, atq; miſceretur eidem, erit impoſsibile fieri conceptionẽ, aut fœtus formationem, vel organizationẽ vllius humani corporis. Diſsimilitudinis autẽ ratio patet, quia inter virilia viſcera, ſiue in vaſis ſeminarijs, ſiue alibi ad conceptionẽ faciendã, fœtuumq; formandũ locus nullus patet: intra fœmineũ autem aluum loca ad hoc diſpoſitiſsima ſunt. Ampliori ergo illatione, longiorique ſyllogiſmo, ex ſuperioribus inductum apparet, Dominam noſtram vas clauſum congrue dici poſſe, quantum ad primam apertionem virgineorum clauſtrorum: hac enim caruit, quæ primo fit in acceſſu viri ad conceptionem.

De ſecunda apertura, quam mulieres in partu patiuntur. Cap. LII.

VTerus aũt fœmineus ſcdam patitur aperturã, quæ eſt totalis muliebrium apertio clauſtrorũ: fit autem hæc in effuſione infantis ab vtero, quam ſatis liquet eſſe doloròſam, quia perfecta, oĩmodaque clauſtrorum apertio fit. Prima aũt, q̃ in apertione ſolius virginalis clauſtri erat, huic in quantitate doloris ſimilis non eſt, cum æque perfecta non ſit. Si ergo eueniat paruæ ætatis, & paruæ corpulentiæ fœminas parere, præcipue ſi fœtus magnos corpore eſſe contingat, ex paruitate fœmineorũ vaſorũ genitaliũ, per quæ fœtus ab vtero effundi ſolet, eas plerumq; in partu periclitari, atque mori contingit, paruitate teneritudineq; ætatis impenſum non ſuſtinentes dolorem: ſic teſtatur Ariſt. 7. Politicorum dicens, paruæ ætatis fœminas matrimonaliter ſumi ad coitum non debere coniugi, vbi damna, quæ ex talibus coitibus cõſequuntur diligenter enumerat. Primum aũt talis cõmixtionis immaturæ dãnum eſt, ꝙ taliter coeuntes puellæ in effuſione infantum ab vtero periclitari plerumque ſolent. Secũdum vero eſt, quia cum tenerrimæ ætatis ſint, impreſsiones fortes fiunt in eiſdem, & citius, intenſiuſque caleſiũt membra earum, ſiuntque valde incontinentes coituſque auidiſsimæ, quæ vix multiplicatis virilibus acceſſibus ſacientur. Tertium vero in hac immatura commixtione

Coitus q̃ detrimẽta afferat paruæ ætatis puellis.

ixtione eſt, quód valde in coniugatis euitanda eſt, quum præcipuè intentioni matrimoniali repugnat. Nā dum tenerrimæ ætatis fęminas carnaliter cognoſci cōtingit, corrumpitur in eis conueniens armonia ad concipiendum: ita quód ad gignendum ineptæ efficiuntur. Vnde pleraſque ſic cognituram contingit poſtea ſteriles fieri: nec vnquam quibuſcunque, aut quotcunque multiplicatis coitibus grauidari. Quartum autem damnum eſt, quia huius ætatis fęminæ propter paucitatem ſanguinis menſtrualis fętus paruæ corpulentiæ gignunt: ſicut de mulieribus colericis dictum eſt: quæ propter magnitudinem colerici caloris humorē menſtrualem digerendo diſsicandoque diminuunt, ſicque proles paruas cæterarum mulierum ſobolibus minores conficiunt, ſicut in prælibatis perſtrinximus. Quintum, & maius inconueniens eſt, quia talibus conceptibus proles corpore, & intellectu imperfectæ naſcuntur: eſt enim regula generalis omnium eſſe nouorum animalium proles imperfectas: quod euenit, quia ſemē primum in animalibus non eſt bene digeſtum, ex qua indigeſtione fętus malam proportionem armonicam ſortiuntur in phantaſticis organis, quæ intellectui ad omnem ſuam operationem deſeruiunt.

Quòd ſecunda hæc apertura neceſſaria ſit. Cap. LIII.

HAEC autem ſecunda apertio muliebrium omnimoda clauſurarū in omnibus parientibus neceſſario inducitur; licet ad conceptionem per acceſſum virilem illibatæ ſuit; aut nullam vnquam deflorationē in acceſſu virili paſſæ fuerunt, ſine qua fieri poſſe conceptionem in ſuperioribus manifeſto ſermone cōpræhendimus. Et, ſicut in acceſſu virili, atq; defloratione virginitatis integritatem manere, eſt impoſſibile, cōformiter in emiſſione infantis ab vtero virginitatem omnino tolli neceſſarium eſt: quia virginitas eſt integritas carnis, & mentis cum omnimoda inexperientia actus venerei. Integritas aūt carnis conſiſtit, cum clauſtra virginea illabata ſunt: & quia in partu virgineorum clauſtrorum, atq; oīmoda muliebrium emiſſione maior, quàm in conceptu, aut primario acceſſu virili apertio fit, eſt q̄nque neceſſariū tunc oīmodam virginitatis corruptionē eſſe ſicut in conceptu, quę præcedit clauſtrorum libatio, & maſculini, atq; fęminini ſeminis perfecta cōmixtio. Aliud quoque eſt. ſ. ꝙ magis neceſſariū eſt virginitatem in partu, quàm in cōceptu libari. Quapropter in ſuperioribus præalloquendo, concluſimus ſatis naturaliter poſſe aliquas fęminas viro incognitas fętus quoſque concipere, & virginitate omnimoda permanente, parere tamen naturali virginitati manente clauſura eſt omnino impoſſibile.

Nullam aperturam B. Virgo paſſa fuit. Cap. LIIII.

AD hoc autem maius, & vlterius ſignum eſt in his, quæ Dominæ noſtræ præconijs orthodoxa cantat Eccleſia. ſ. eam ante partum illibatam ſeruaſſe virgineam integritatem: in partu quoq; virginitatē manſiſſe, poſt partum verò perpetuam carnis integritatem tenuiſſe. Iſtam triphariè diſtinctam in Domina noſtra virginitatem aliqui ad inexperientiam actus venerei in acceſſu viri perpetrandam totaliter transferre. ſ. ꝙ antequam dn̄m Ieſum peperiſſet, viro incognita fuit. in partu quoq;, poſt partum nullam identidem carnis commixtionem habuiſſe. Hoc tn̄ ad carnalem cōmixtionem penitus applicare abſonum, atque ineptū eſt: quia, licet prima huius, atq; tertia particula de hoc cōueniēter exponi poſſint: ſecundam tn̄ de hoc exponi omni diſcongruit rōni. Prima aūt huius dicti pars eſt Dn̄am noſtram ante partum benedicti Ieſu perfectè virginem extitiſſe: ꝙ euidenter ſignat Dn̄am noſtrā a nullo viro carnaliter cognitam fuiſſe ad hoc, vt ex illius viri ſemine Chriſtus in virgineo vtero formaretur. Et, ſicut viro incognita extitit, ita nec quouis alio

A modo virgineorū clauſtrorū ſuorum ante cōceptionē Dn̄i Ieſu ruptio facta eſt. Idētidē Chriſto nato clauſuræ virgineæ illibatæ manſerunt, nec vnquā quouis modo poſtea libatæ ſunt, ſicut ante conceptionem inuiolatæ conſtiterant. Hoc autem ponitur ad excludendam ſtultam, ineptamq; Eluidij poſitionē, qui Dn̄am noſtrā ante Chriſti natiuitatē extitiſſe virginē confirmat, ſed eo nato eā carnaliter cognitā alios filios aſſeuerat peperiſſe, quæ poſitio liquidiſſimè ſup. eliſa eſt.

Maria Domina noſtra in partu fuit virgo. Cap. LV.

SEcunda huius dicti particula. ſ. Dominam noſtram in partu virginem extitiſſe, de virili acceſſu, carnalique commixtione intelligi non valet, quia licet fę- B mina ante partum, & poſtquam peperit, poſsit cognoſci carnaliter, aliquam tn̄ fęminam carnaliter cognoſci, dum parit, nō cōtingit, quin potius impoſsibile eſt, partu vrgente fęminā aliquam virilē pati cognitionē: Non igitur vocari pōt fęmina virgo in partu, quia tūc a viro carnaliter cognoſci nō valet. Iſto namq; mō oēs, quotquot corruptæ fęminæ ſunt, in partu virgines vocari poſſent, quia nulla earū a viro, dū parit, carnaliter cognoſcitur, aut cognoſci valet: ſed falſum eſt, quia nūlla fęmina in partu virgo dr̄ poſt Dn̄am noſtram, quæ hoc ſingulari priuilegio titulatur. Itē fęmina illa, quæ in partu virgo prædicatur, aut ante partū. ſ. in cōceptione virgo extitit, aut nullatenus. Si fortaſsis fęmina tūc vſq; ad partū virgo permanſit, in partu eā virginē eſſe neceſſe eſt: cum nullis carnalibus acceſsibus eius vir- C ginalia clauſtra reſerentur. Si aūt fęmina, quæ in partu virgo prædicari dēt, ante partū virgo non extiterit, impoſsibile eſt eā tunc virginē vere dici: quia fęmina, quæ ſemel ſuā perdit virginitatē, impoſsibile eſt eam quouis modo in ſtatum priſtinum reuerti. Neceſſaria ergo illatione cōcluditur non poſſe intelligi aliquā in partu virginē eſſe, quàm ad cōmixtionem carnalē per virilem acceſſum: ſed iſta virginitas in partu de virgineorum clauſtrorū illibatione neceſſariò exponenda.

Virginitas namq; eſt integritas mentis, & carnis cū inexperientia actus venerei: integritas aūt carnis ſolū accipitur quantū ad virginalia clauſtra. Et ſic eſt ſenſus, ꝙ virginei pudoris clauſuræ in Dn̄a noſtra nunquā reſeratæ fuerunt, aut acceſſu virili, aut quouis alio modo ante partū ad Chriſtū concipiendū, aut in par- D tu ad Chriſtū pariendū, q̄ reſeratio in partu oībus alijs mulieribus fit. Et hoc eſt eā in partu virginē fore, nec poſt natū Dn̄m Ieſum fuere clauſtræ Dn̄æ noſtræ ad alios filios concipiendos, aut in lucem emittendos apertæ: ſicut inſane poſitio Eluidiana aſſeuerat. *Virginitas quæ ſit.*

Maria virgo non eſt paſſa ſecundam aperturam. Cap. LVI.

QVantum ad iſtam ſecundariam clauſtrorum apertionem fuit Domina noſtra virgo. In oībus autē parientibus hanc clauſtrorū apertionē fieri neceſſe eſt: ſola Dn̄a noſtra ſpeciali priuilegio ab hac apertione fuit immunis. Hanc aūt fieri in partu clauſtrorū reſe- E rationem experientia oīum parientiū manifeſtat. In hac aūt virginitas recte amittitur: quia diſcontinuantur, & rumpuntur virginea clauſtra fortius, quā in acceſſu, & cognitione carnali. Itē euidēter manifeſtatur, quia in partu infans de materno vtero emittitur, qui ibidem formatus ſatis magnę quantitatis extiterat. Eſt igitur neceſſarium ad eius exitum magnam fieri aperturam, cum partes ſolidas corporis egredi nullatenus poſsit, cum vnū corpus per alterum tranſire nō poſsit: quia ſequeretur corporum penetratio neceſſariò, quā Ariſt. excludit in quinto Phyſicor. Et quia vaſis ſeminei genitalis apertio præexiſtens ad tantæ quantitatis infantem recipiendum ſufficere non valet, neceſſariū eſt aliam maiorem clauſtrorum fieri aperturam. Hæc aūt eſt ruptio totaliter virginalis clauſuræ: & ſcd̄m ꝙ iſta clauſtrorū apertio maior, aut minor eſt, ita in eſ-

fuſione infantis ex vtero maior, vel minor cauſatur dolor. Et hæc eſt cauſa, qua quædam mulieres maiores in partu, q̃ aliæ experiuntur dolores: quia, q̃n præ corporis mulieris parientis magnitudine virginalis clauſtri ruptio minor fuerit, tantò parientis dolor minorabitur: & hoc cæteris paribus exiſtentibus, ſ. ꝙ non ſit filius genitus magnæ quantitatis. Nam, ſi fuerit magna quantitas fœtus, quātumcunq; magni corporis pariens extiterit, præ magnitudine aperturæ magnū ibi dolorem cauſari neceſſe eſt. Hanc cauſam aſſignat Ariſt. in 7. Polit. Quare, cum mulieres paruæ ætatis, atq; corpulentiæ viris carnaliter cōmiſcentur, ſolent in partu periclitari. In partu aūt fœminæ nullę virgines ſunt, dato ꝙ vſq; ad partum virginitatē ſeruauerint: quia in partu integritas carnis tollitur, in qua conſiſtit partim virginitas, & hic totaliter clauſtra aperiuntur, atq; diſcōtinuātur. Dn̄a autem noſtra in partu nullam apertionem paſſa eſt, quare ſequitur eā in partu virginem extitiſſe.

Cũ maioris & minoris doloris in partu.

Dubie pœnes prædicta. Cap. LVII.

SPeculantibus autem vlterius circa hoc duplex occurrit dubitatio. Prima eſt, quare Domina noſtra virgo in partu non paſſa eſt aperturam clauſtrorum virginei pudoris, ſicut mulieres cæteræ patiuntur. Secunda autem, quomodo ſine hac clauſtrorū apertione potuit infans emitti ex eius virigineo vtero. Ad primam dubitationem aliqui reſpondentes dixerunt, ꝙ pœna propter peccatū in homines inducta eſt, quia ergo in virgine culpa nulla fuit, nec pœna ei ineſſe debuit. Cōtra hos autem aliquis arguere conabitur inquiēs, quód paruuli, qui ſine baptiſmate deceſſerunt, peccatū nullum omnino geſſerunt, ſed æternaliter inferno carceri mancipantur diuina viſione priuati. Potuit ergo conformiter in Domina noſtra fieri: quia, licèt culpam nullam habuerit, pœnæ tamen omnino expers non eſſet. His autem poteſt faciliter obuiari: & ꝙ, licèt paruuli ſine baptiſmate decedentes nullam mortalem, aut venialem culpam in actu habuerunt, tamen originalem maculam contraxerunt, quæ ſufficit ad eos æternaliter condemnandum. Deus tamen, qui omnimode iuſtus atq; iuſtitia eſt, pœnas culpis totaliter adæquat: & quia culpa iſta morientium paruulorum fuit in ſola priuatione originalis iuſtitiæ, ſiue innocentiæ, nec fuit ibi aliquis actus poſitiuus, pœna eis in ſola priuatione conſtituta eſt, ſ. quód in ęternum diuina viſione priuentur, nulla tamen ignis, aut frigoris alteriuſue generis cruciatus patiuntur. Et hæc pœna apud Theologos doctores pœna damni, & non ſenſus appellatur. Et vocatur pœna damni, quia damnum dr̄ diminutio rerum: &, quia paruuli ſic diem claudentes extremum priuantur diuina viſione, quam aliter habituri eſſent, pœna dāni rectè nuncupatur: non tn̄ dicitur pęna ſenſus, quia nullam omnino ſenſationē doloris, aut alicuius afflictiui experiuntur. Alij autem, qui mortalibus actionū nexibus implicati de hoc ſæculo deceſſere, vtrunq; pœnarū genus tolerare coguntur: priuantur.n. æternaliter diuina viſione, & beatificorum perceptione gaudiorum, inſuper doloribus, atq; erumnis frigoris, atq; ignis infernis ſedibus mancipantur. De pœna aūt morientium paruulorum ſine baptiſmatis vnda, paruulorumq; ſine circunciſione ante Chriſti paſſionem inter Hebræos diem extremum claudentium qualiter iuſta foret, & qualiter iſti paruuli peccauiſſent, diffuſius ſcripſiſimus ſuper Gen. in cap. 17. & in plerıſq; alijs locis. Sic ergo dicemus, ꝙ iſti paruuli ſic morientes pœnam aliquam patiuntur: quia, licet nunquam peccauerūt mortalem, aut venialem actionem gerentes, culpam tn̄ originalem cōtraxere, cuius immeritò hæc æternaliter tolerabunt. De Dn̄a noſtra virgine ſic dicere nō valemus, q̄m ſecundum poſitionum firmiorem, ſecurioremque Domina noſtra ſine originali macula cōcepta eſt, & ab omni culpa actuali, mortali, atq; veniali omnino immunis fuit, ſicut de ipſa orthodoxorum cātat Eccleſia. Non erat igitur aliqua cauſa talis, qualis in paruulis

Quæ pœna iniuncta ſit ſi qui ſine baptiſmo infantes moriuntur.

Quid pęna damni ac ſēſus.

F ſine baptiſmate decedentibus reperitur, propter quam deberet aliquid tolerare. Et, licet aliam poſitionem ſequi vellemus, qui eam originalem maculam contraxiſſe aſſeuerat: nō erat eius aliqua ad paruulos ſine baptiſmate morientes conſonantia, quia, licet dicant eam culpam originalem contraxiſſe, eam tamen in ea diutius manſiſſe diffitētur, ſed mox ab ea deletam dicunt, poſtea igitur in ea nulla culpa manente nihil rationis eſt, cur eam alicui pœnæ ſubijcere debeamus, nullam ergo in partu pœnam tolerare debebat.

Omnis pœna pro aliquo crimine ſemper datur.
Cap. LVIII.

G QVamuis prędicti ſic opinantes huic debiliter firmato argumento faciliter valeant reſpondere, nihilominus ſua manet infirma poſitio. ſ. pęnam homini pro aliquo crimine ſemper dari. Quod ſic manifeſtatur, quia Chriſtus originalem culpam nullam contraxit: actualem autem, aut mortalē, aut venialem nullam habuit, ſicut tota catholicorum Eccleſia confitetur: & ſic ait Petrus in ſua prima Can. Qui peccatum nō fecit, nec inuentus eſt dolus in lingua eius. Chriſtus tn̄ multiplices dolores, atq; omniū generum cruciatus tolerauit: ſicut in eius paſſione ab omnibus Euangeliſtis manifeſtatur: frigus quoque, calorem, atque debilitationē membrorum, eſuriem, & ſitim, atq; omnia alia incommoda paſſus eſt, ſicut declarat Iſaias cap. 53. & B. Ioan. cap. 4. Euidenter ergo cōcluditur aliquos à culpa prorſus immunes pœnis aliquo modo non carere. Ad hoc
H fortaſſis reſpondebitur, ꝙ, ſicut Chriſtus omni prorſus crimine caruit: ita omni culpa carere debebat, nec vlli pœnæ obligatus erat. Si autem pœnalitates aliquas aſſumpſit, non ideo tolerauit eas, tanquam iuſtum, & neceſſarium eſſet eum prædicta ſubire debere, ſed quia ipſe ad humanam generis ſalutem omnia hæc voluit tolerare. Sic enim communis ſermo propheticus eſt: Oblatus eſt, quia ipſe voluit. Et ſic argumentum iſtud non concludit cōtra Dominam noſtram, quia Domina noſtra non ſic pœnalitates aliquas, ſicut Chriſtus ſubiuit. Quia Chriſtus pœnalitates omnes, quas ſubijt, non neceſſitate, ſed volūtate ſubiuit: Domina autem noſtra virgo, ſi aliquam pœnam habuit, non voluntariè eam ſubiuit, ſed neceſſariò tollerauit, quia ipſa naturæ Domina non erat, ſicut Chriſtus, qui omnibus dominaba-
I tur: Chriſtus ergo, quæcunq; paſſus eſt, voluntariè pertulit, Domina autem noſtra ſi quas pęnalitates habuit, illas naturæ neceſſitate tolerauit. Adhuc contra prædictam argueretur, quia Domina noſtra virgo culpam mortalem, aut venialem nullam habuit, maculam autem originalē nullatenus contraxit. Et, ſi dicamus eam originalem contraxiſſe labem: ab ea tn̄ fuit protinus emundata: ita ꝙ nihil reſtabat, propter ꝙ pęnas aliquas ſubire deberet: de ipſa tn̄ reperitur, multos, acerboſq; tolleraſſe dolores, ſicut fuit ille dolor Dominicæ paſſionis, alijque plerique dolores. Dolorem autem eius in Dominica paſſione prænunciauit ſenex ille Simeon ſpiritu diuino afflatus, ſicut B. Lucas ſcribit cap. 20. Et tuam ipſius animam doloris gladius pertrāſibit. Suſtinuit aūt & alios cruciatus, ſicut, cum benedictum filiū
K ſuum perdidit in Ieruſalem, vt ſcribit B. Luc. c. 20. dum dicit: Fili, quid feciſti nobis ſic, quia ego, & pater tuus dolentes quærebamus te? Habuit igitur Domina noſtra ſine culpa dolores, & ſic in partu dici poſſe videretur.

Nonnullis pœnas infligi abſque culpa. Cap. LIX.

APparet autē adhuc in paruulis baptizatis, quia, licèt originalē culpam cōtraxerunt, in baptiſmo tn̄ eis prorſus deleta eſt, poſt baptiſmum aūt in eis nulla culpa actuali, mortali, veniali, aut originali manente, multi dolores eis inſunt, atq; aliç pœnalitates, incōmoda, ꝑp quæ plerumq; plorare coguntur. Ineſt eis inſuper mortalitas, & interdū in illo moriunt̄ ſtatu, mors tn̄ oīum terribilium vltimū eſt: ſicut ait Ariſt. in 3. Ethic.

Euidenti

Euidenti ergo concluditur argumẽto pœnas plerumq; aliquibus infligi, qui oĩbus criminibus prorſus immunes ſunt. Et, ſicut hæc apud Sacram Scripturã fiunt, ita in canonicis iuribus: atq; humanis reperitur, de iure autem Can. ſunt exempla in patenti, vt ſi quis in ordine Clericali ſacro conſtitutus filiũ genuerit, ille ad ſacros ordines eſt inhabilis, nec aliquatenus promouebit. Et dato ꝙ ex diſpenſatione ad ſacros ordines promoueatur: in eadem tñ Eccleſia, in qua pater immediate proxime miniſtrauit, miniſtrare non põt, ſicut apparet extra in volu. Decre. in tit. de fil. presby. quaſi per totum. Item ſecundum antiqua decretorum conſtituta Presbyterorum filij Eccleſiarum ſerui efficiebantur. Idẽ patet de bigamis, quia multi ſine culpa aliqua bigamiã incurrunt, qui tñ ad ſacros ordines promoueri non valẽt: nec obtinere vllatenus Eccleſiaſtica beneficia. ſicut patet in titulo de bigamis quaſi per totum. Idẽ fit in corpore læſis: ſi percuſſio, aut mẽbri mutilatio grauis, aut deformis ſit, quia ad ſacros ordines promoueri nõ valent: nec beneficia Eccleſiaſtica obtinere, vt patet extra in volu. Decre. in tit. de corpore vitia. per tot. tit. & ſi forte iſti promoti ad ſacros ordines fuerint, adminiſtratione priuantur. Item ſi quis plagã lepræ incurrerit, aut aliquem aliũ grauem morbum non promouebitur, nec beneficia Eccleſiaſtica obtinebit: qđ ſi poſt q̃ ordinatus fuerit incurrat, ab officij adminiſtratione priuatur. Si verò dignitatem habuerit, pro adminiſtratione, & alijs dabitur ei coadiutor, vt patet extra in volu. Decre. in tit. de cle. ægro. & debilitato per totum. Item hoc fit ſm̃ leges humanas: nã ſi aliquis incurrat in crimine læſæ maieſtatis, occiditur filijs eorum exhæredatis, bonisq; omnibus confiſcatis, ſola eis vita ex pietate relicta, vt patet extra in volu. Decret. in tit. de Here. in cap. vergentis. Multi quoque alij caſus ſunt, tam ſm̃ humanas, quàm Can. ſanctiones, in quibus pœna ſine omni peccato infligitur, qui sũt fere tredeci caſus, de quibus amplius in præſenti non oportet dilatare ſermonẽ. Ex prælibatis infertur, non ſolos eos, qui peccauere, puniri. Ex quo identidẽ concluditur eorũ reſponſionem infirmã fore, qui dicunt pro ſola culpa pœnã iuſtè infligi: & Dñam noſtram virginẽ, quia ab omni labe prorſus immunis fuit, ab omni pœna debere abſolui totaliter.

Reſponſiones ad quæſitum tactum. *Cap. LX.*

SVperioris reſpõſionis deliramento relicto, duobus
D modis ad prædictam reſponderi põt: primo modo, ꝙ ex hoc ex priuilegio factum eſt, quia nullam aliam fœminarum Deũ concepiſſe, aut peperiſſe præter hanc liquet: erat ergo rationabile dici, hanc à cæteris mulieribus debere differre: quia ergo cæteræ fœminarũ cum dolore, atq; virgineorum clauſtrorum apertione cõcipiebant, atq; pariebãt, rationabile erat Dñam noſtram ab omni dolore, atq; clauſtrorũ apertione in partu immunem fieri debere. Item abſq; omni immũditia partus ille beatificus fuit: aliæ autem mulieres cũ pariunt immundæ ſunt, quia partes quaſdam menſtrualis humoris cõcreti, atq; denſati, cum fœtu emittunt ex vtero cõplicatas, corpori autem benedicto Saluatoris noſtri nihil tale in partu adhæſit, ſed eãdem in naſcendo
E habuit corporis puritatem, q̃ ſemper poſtea in viuendo ſeruauit. de quo in ſubſequentibus amplius declarabitur. Contra prædicta aliquis arguet dicens, hæc ex priuilegio facta non fuiſſe, nec aliquod in prædictis Dñæ noſtræ fuiſſe priuilegium attributũ, quia eodem modo priuilegiata fuiſſet, vt poſtea dolores non ſuſtineret: ꝙ tamen non fuit, cùm poſtea plurimarum genera pertulerit afflictionũ, de quibus in ſuperioribus prelibauimus. & ſic ab omnibus alijs fœminis totaliter differens eſſet. Huic autem argumentationi aliquis faciliter in modum ſolutionis Dialecticæ reſpondebit. ſ. quòd Domina noſtra in vno priuilegium habuerit, ꝙ in partu nullos perferret dolores: non tñ inde infertur vllatenus in cæteris eam priuilegiatã fore debere. Sic enim in oibus accipientibus priuilegia à magnis dñis,

A aut principibus euenit, quia rariſſimè aliqui quantum ad oĩa priuilegiati ſunt. Et huic immediatè argumentationi ſolidius, & magis in radice poſſumus reſpõdere. ſ. aſſignando cauſam, quare Domina noſtra in quibuſdam, & non in alijs priuilegium ſortita ſit. Circa ꝙ dicendum eſt, aliqua eſſe, circa quę Domina noſtra pœnalitates aliquas ſubire poterat, q̃ ad ipſam ſolam pertinebant, alia autem eſſe, circa q̃ eadem Domina pœnis poterãt ſubiacere, q̃ ad eã, & ad Redẽptorẽ nr̃m cõiter attinebant. Quantũ ad ea, in quib pœnis poterat ſubiacere, quoad ad eam pertinebant, a pœnis immunis non erat, ſicut ꝙ ipſa frigus, calorem quoq; atq; membrorum debilitationem, triſtitias, & timores, ſimiliaq; incommoda ſuſtinuiſſet humana: quia ad redemptorem noſtrum nihil horum directè attinebat, ꝙ Domina noſtra ſubſtineret illud, aut nullatenus toleraret. Alia au-
B tem erat, in quibus ipſam pœnalitatibus ſubiacere nimis Chriſti dignitati repugnabat, & in his plenaria habuit priuilegia, ſicut ꝙ virgo Chriſtum pareret, atque conciperet. Magna namque Chriſti dignitas naſcentis erat à matre naſci ſine acceſſu virili: ne eodem modo de ſtirpe Adæ deriuaretur, quo alij naſcebantur, per quæ peccati originalis maculam incurrebant. Quod ſi forte Chriſtus ex ſemine virili genitus fuiſſet, & originalem maculam nõ incurreret, neceſſarium erat, vt præſeruaretur, ne ſic genitus eãdem originalem labem incurreret: & quia maior dignitas Chriſti naſcentis erat, nullo horum indigere, voluit à matre naſci, quæ ſine aliquo acceſſu virili eum pareret, atq; conciperet. Eodem modo magna erat dignitas corporis Redemptoris noſtri
C potuiſſe naſci de matre ſine aliqua genitalium clauſtrorum apertione, qđ in nullo aliorum humanorum corporum fieri põt, ſicut fit in ſolis corporibus glorioſis.

Chriſti dignitas in ortu ſuo.

De dignatione corporis noſtri Redemptoris. *Cap. LXI.*

MAior aũt adhuc dignitas corporis noſtri Redemptoris erat, poſſe de vtero virgineo erumpere ſine clauſtrorum aliqua apertione, q̃ ipſum ex ſolo fœminino ſemine fuiſſe progenitum ſine aliquo acceſſu virili: nam ex ſolo ſemine fœminino genitũ fuiſſe tollit poſſe maculam originalis culpe cõtraheret. Identidem eſt dignitas magna fœtus naſcẽtis fuiſſe taliter genitum, qualiter nulli alij homines vnquã ex matribus generantur, maior tñ corporis naſcentis oſtẽditur, potuiſſe ſine clauſtrorum apertione de matre fœtum erumpere. Nam matrem viro incognitam eſſe, & cõcipere, eſt dignitas corporis naſcẽtis, magis tñ ad dignitatem mulieris ſic concipientis dignoſcitur attinere. Nulla autem clauſtrorum facta ruptura naſci potuiſſe, licet dignitatem matris atteſtatur, quia doloris expers eſt, quem in clauſtrorum ruptura ſuſtinere cogeretur: maiorem tñ corporis naſcentis indicat dignitatẽ, quia ſpeciale aliquid miraculi eſt, vnũ corpus per alterum corpus ſolidum poſſe trãſire, ſicut & parietem, aut tabulam, ſi ſine aliquo foramine trãſeat. ſic enim magnus erat honor corporis Redemptoris noſtri per cutem, & viſcera benedicti vteri virginalis nulla facta, aut rupta, aut aperta potuiſſe tranſire, ſicut ſi per illũ nihil penitus tranſijſſet. In quo innuitur corporis Dñi noſtri Ieſu maioris dignitatis eſſe, quàm radij ſolares ſint, qui tabulam, aut cutem aliquam penetrare non valent, niſi prius aliqua fuerit ibidem facta ruptura. Item peccati originalis labes, quæ per non cognitam eſſe fœminam cõcipientem à viro, quòd non ſit, cauſatur poterat alio modo, ꝙ non eſſet, cauſari: ſicut fuit in virgine benedicta, ſiue dicatur eam originali labe polutam, ſiue ſine aliqua labe originali natam penitus extitiſſe. Dignitas autem, atque ſubtilitas corporis Saluatoris noſtri, quæ apparuit in hoc, quod de virgineo vtero ſaluis clauſtris virginalibus natum eſt, nullo alio modo manifeſtari poterat, quã manifeſtata eſt. Sequitur igitur maiorem in Chriſto dignitatem eſſe ſaluo genitalis feminei virgineo clauſtro natum eſſe, q̃ de ſolo ſemine fœmineo ſine virilis ſeminis mixtione fuiſſe progenitum.

Obiectiones penes præcedentia. Cap. LXII.

FOrtaſſis aliquis ea, q̃ determinata ſunt, impugnabit, ſ. ꝙ aliqua erant, in quibus Dña noſtra pœnalitatibus ſubijci poterat, & pertinebãt ad eam pariter, & Redemptorem noſtrum, in his tñ à pœnalitatibus priuilegium non accepit. Sicut in temporibus Dñicę enutritionis in infantili ætate, quia ſatis laborioſe victum quotidianum inquirebat: etiam in tpe, quo eum perdidit grauiſſimè affligebatur, ſicut ſcribit B. Lucas capit. 20. Item & in paſſione Dñica, in qua mater acerbiſſimo dolore cordis intrinſecus tacta eſt. Non ſolùm ergo in eis, quæ ad Dñam noſtram pertinebant, ſed in eis quoque, quæ ad Dñm noſtrum, & parte virginis attinebant, ipſa affligebatur. Quibus reſponderi valet, ꝙ aliqua erãt ex parte Dñe noſtræ, quæ Chriſtum attinebant, & hæc dupliciter ſe habebant. Aliqua erant, in quibus Chriſtus nihil patiebatur, ſed potius ſuã dignitatem oſtendebant: alia aũt erant ambobus communia, & in parte illa, qua Chriſto attinebãt, aliquem dolorẽ, aut paſſionem ſuſcipiebat. Quantum ad illa, q̃ Chriſto, & virgini communia erant, in quibus Chriſtus nihil paſſionis, aut doloris habebat: dicendum eſt virginem quoque nihil pati, aut defectum aliquem ſuſtinere. Sic erat in hoc, ꝙ Chriſtus abſq; virili ſemine cõciperetur, in quo paſſio Chriſti nulla erat, ſed eius magna dignitas monſtrabatur: ideo quantum ad iſtam partem Dña noſtra nihil doloris in conceptione paſſa eſt, ſicut cæteræ mulieres pati conſueuerunt, ſine clauſtrorum virgineorum violatione ad cauſandam cõceptionem, quæ primo virili acceſſu perpetratur. Eodem modo corpus Dñi Ieſu, de vtero virginis matris ſine aliqua genitalis violatione, aut partium diſcõtinuatione in lucem prodijſſe fuit magna Chriſti dignitas: nec fuit aliqua imperfectio, aut læſio corporis eius: ideo Domina noſtra, in partu Dñi Ieſu, non debuit aliquem ſuſtinere dolorem, qui cauſatur apertione vteri virginalis. Infertur ergo eã ſine benedicti vteri ſui apertione debuiſſe dominicum corpus emittere: prædicta autem dicta ſunt quantũ ad hoc, quod dicebatur Dñam noſtram ex priuilegio ſine dolore, & apertura virgineorũ clauſtrorum contra aliarum mulierum conſuetudinem peperiſſe.

Qũo mater Dei ĩ paſſione Chriſti paſſa ſit.

Corpus Chriſti ſine genitalis violatiòne ĩ lucẽ prodiit.

Doct. ſolutio, ac de modo deſcendendi ab Adam primo parente. Cap. LXIII.

ALiter autem propoſitæ illi argumentationi reſpõderi poteſt, ꝙ pœnæ omnes, q̃ hominibus infligũtur, in eos ex immerito primæ prępuaricationis prothoplaſti deriuatę ſunt: nam ipſo non peccante, in nos nulla pęna dominata fuiſſet. Et ſi prothoplaſti nõ peccaſſent, atq; in illa benedicta paradiſi terreſtris fælicitate manſiſſent, de qua ad cæleſtis paradiſi fælicitatẽ transferendi per generationes erant, ſicut ait B. Aug. & cęteri doctores, & ſicut in illis rebus afflictiones aliquas paſſuri non erãt, aut vllas cordis moleſtias: ita in cõceptione, & partu futurũ erat, quia oẽs fœminæ, ſine vlla grauitate, aut afflictione concepiſſent, aut peperiſſent. Oẽs ſequẽtes dolores illius primæ prępuaricationis merito euenerũt. Oẽs autem ab Adam progeniti afflictiones ab Adã hæreditaria ſucceſſione ſortiuntur. Et quia dupliciter hoies ab Adam originẽ trahunt, ita dupliciter in eos primę prępuaricationis pęna peruenit. Primus modus deſcendendi ab Adam eſt, ab ipſo eſſe, aut ſubſtantiam trahere, ſ. ꝙ tota ſubſtantia corporis noſtri ab ipſo peruenerit, & in ipſo fuerit. Secundus modus deſcendendi ab Adã eſt deſcendere ab ipſo trahẽdo eſſę per modũ illum, quo ipſe ſuũ eſſe propagabat: Adam aũt eſſe ſuum per modum a Deo ſibi, & omnibus ſpeciebus aĩalium perfectorum traditum propagatione in coniunctione maſculi, & fęminæ deuiabat. Coniungebatur aũt Adam fœminæ ſuæ ſpeciei. ſ. Heuæ: iſte modus in oẽs homines peruenit, quia oẽs eſſe multiplicauerunt: & ipſi, quia quoq; multiplicati ſunt per commixtionẽ ſeminis maſculini, & fœminini. Primus mo-

F dus iſtorũ deſcendendi ab Adam in oĩbus hominibus generaliter fuit: oẽs namque de ſemine Adę deſcenderunt, & in lumbis ſuis præextiterunt: & ſic eſt verũ de Chriſto, ꝙ eſt de ſemine Adæ, quia totum eſſe ſuũ fuit in Adam, quantum ad ſubſtantiam corpulentam. Sic enumerat euangeliſta Lucas in cap. 3. vbi ponit generationem Dñi Ieſu ordine tranſmutato, conuertẽdo a Ioſeph viro Mariæ vſque in Adam, quæ enumeratio ab Euangeliſta nullatenus fieret, niſi Chriſtus de Adã deſcenderet, ſecundùm ſubſtantiam corpulentam. Secundus modus deſcendendi ab Adam non eſt cõis omnibus hominibus: nam licèt cõiter homines ex commixtione maſculi, & fœminæ propagentur deriuatione ſeminali: Chriſtus tñ non deſcendit de Adam per deriuationẽ: nam non ex carnali commixtione fuit procrea-

Quomodo Chriſt⁹ ſit ex ſemine Adæ.

G tus. Et ſicut oẽs homines, vt communiter his duobus modis à prothoplaſto Adam originem trahũt: ita merito primæ prævaricationis illius pęnalitates dupliciter ſubeunt. Primus aũt modus eſt, ꝙ veniunt ab Adam quantum ad corpulentam ſubſtãtiam, & hoc omnibus generale eſt: ita oẽs in ſua ſubſtantia pœnalitates ſuſcipiunt. ſ. ſinguli in corporibus. Et, quia Chriſtus deſcendit ab Adam, quantum ad iſtum modum. ſ. quãtum ad ſubſtãtiam corpulentam: ità in ſubſtantia ſua, ſiue corpore ſuo, pœnas multiplices tolerauit, quia ſuſcepit in ſe oẽs amaritudines nĩas, cum teſtante Iſaia, liuore eius ſanati ſimus. Et ſicut eſt ſecundus modus deſcendendi ab Adam trahere ab ipſo originem per deriuationẽ ſeminalẽ commixtione maſculini ſeminis, & fœminini; ita eſt ſecundus modus ſuſcipiendi aliquas pœnalita-

Quomodo Chriſt⁹ habuit pœnalitates.

H tes ab Adam, in ipſa commixtione, quapropter in ipſa carnali cõmixtione neceſſarium eſt, vtrinq; veros ſentiri dolores. Item ex hac parte in cõceptione dolor ſequitur: quia conceptio eſt, per quam eſſe noſtrum deriuatur, in hac conceptione, ſcilicet in toto tempore, quo mulier à conceptione vſque ad effuſionem infantis ab vtero prægnans eſt, dolores, atque faſtidia, & tædia, afflictioneſque multiplices generantur. Et quia per partum ab Adam quoq; eſſe trahimus: quia non eſſemus, niſi a materno vtero prodiremus in lucẽ, in partu quoque pœnalitates patuere multiplices: fit namque ibi clauſtrorum virgineorum, aut totaliter muliebrium perfecta apertio, aut potius ruptura, quo maximos fieri dolores ſtatus parientium indicat euidẽter. Sæpiſſime

I enim præ doloris magnitudine fœminæ in partu periclitari ſolent, ſicut patet de Rachel in partu Beniamin Gen. 35. cap. vbi dicit, ꝙ præ doloris magnitudine in partu periclitari cępit: & cum eſſet in mortis anguſtiã, vocauit nomẽ filij ſui Benoni, i. filius doloris mei, licet pater eius Iacob conſtanti, viriliq; animo meliori ductus, conſilio verteret nomen eius dicens Beniamin, i. filius dextræ. Et quia Chriſtus nõ deſcẽdit de Adam quantum ad iſtum ſm̃ modum, ſ. quantum ad deriuationem ſeminalem, non debuit recipere aliquam pœnalitatem in iſto modo contrahendi eſſe, ſ. in naſcẽdo, ſ. ꝙ benedicta mater ſua nullos oĩno in conceptione experiretur dolores, & in acceſſu virili ad conceptionẽ, qui nullus fuit, nullas pateretur anguſtias: & in toto tpe à conceptione vſq; ad effuſionem infantis ex vtero

K nullas moleſtias, aut faſtidia ſuſtineret, in partu autem ab omni quoq; doloroſa contorſione debuit eſſe prorſus immunis. Hæc autem omnia Dña noſtra virgo ſortita eſt, non quaſi ex aliquo priuilegio aliarum: quaſi enim aliarum legi in hac parte foret obnoxia: quia non erat iuſtum eam in conceptione. aut partu ſimiles alijs mulieribus tolerare dolores, cum nullam rationem prorſus habuiſſet qua eos tolerare deberet, quia in iſto ſecundo modo ab Adam eſſe non aſſumpſit.

In partu virgo Maria omni dolore, & pœnitus immunis.

Quomodo ex vtero virginis Redemptor noſter ſaluo virgineo clauſtro in lucem prodire potuerit. Cap. LXIIII.

ERat autem circa prædicta ſecundaria dubitatio, quomodo ex vtero virginis Redemptor noſter Ieſus

ſus ſaluo virgineo clauſtro erumpere potuerit in lucē. Ad quod fortaſſis aliquis reſponderet, ꝙ licèt tempore natiuitatis corpus Dñi Ieſu ſatis magnæ quantitatis extitiſſet: tñ per valde paruā aperturam genitalis vaſis Dñæ noſtræ abſq; vlla rupturæ offenſione erumpere potuit, quia non tranſiuit in modum rei quantæ, & extenſæ: ſed in modū rei quantitate prorſus carentis, & vt clarius dicam, trāſiuit per modum rei indiuiſibilis.

Quomodo Chriſti corpꝰ ſit in hoſtia conſecrata. Ad hoc autem conforme exemplum eſt, quia, ſicut, cum Chriſtus eſt in hoſtia cōſecrata, quia, licèt ibi omnes partes ſuas ſubſtantiales habeat, ſicut ſunt pedes, & manus, & caput, & cętera membra, & etiam omnes capilli ſui, ita vt nullus deficiat, & tota qualitas ſua, ita vt nulla ei pars deſit: partes tñ ſuæ ſubſtantiales non ſunt per modum quantitatis, ſed indiuiſibiliter. Et ita Chriſtus eſt in omnibus partibns hoſtiæ diuiſę actualiter, & in qualibet earum, quantumcunq. paruæ quantitatis ſit. Si ergo corpus Dñi Ieſu in hoſtia indiuiſibiliter eſſe poteſt, melius potuit per genitale vas virginis ſine vlla ruptionis offenſione tranſire: quia id quod in indiuiſibili cōtineri poteſt, melius in re diuiſibili continebitur. Et quantumcunq; vas genitale virginis benedictæ cōcluſum eſſet, nullatenus apertis clauſtris virginei pudoris, manebat tñ aliqua diuiſibilis apertio, ſicut in cæteris mulieribus perfectè virginibus eſſe ſolet: nā manente fœmina in perfecta virginitate carnis, manet aliqua vaſis genitalis apertio, per q̄ fieri valeat emiſſio venarum. Hæc autem apertura naturaliter cōſtituta eſt, nullatenus virgineis clauſtris præiudicans.

Improbatio, ac vera reſponſio doct. pœnes prædicta. Cap. LXV.

QVibus reſponderi valet, ꝙ, licèt prædicta poſitio aliquam veritatem continere poſſit, propter eſſe in ea aliquem poſſibilitatis modum, & habere cōformem huic exemplum: non tñ eſt iſta poſitio conformis modo loquendi ſanctorum doctorum, & miraculoſæ Chriſti operationi ſæpius vſitatę. Erit ergo dicendum, Chriſtum de virgineo vtero erupiſſe nō modo indiuiſibili, ſed per modū ſatis magnæ, atq; diuiſibilis quantitatis: erupit tñ per partes corporis ſolidas, ſ. per carnem, cutem, & viſcera vteri benedicti, ſ. quòd vbi erāt partes ſolidę ventris virginei, ibi erant partes corporis Chriſti de illo vtero exeuntis. Tales autem ſunt modi aliarum operationum mirabilium nñ Saluatoris, ſicut cū de ſepulchro clauſo reſurrexit, atq; totaliter ſignatoriā non eſt dicendum, ꝙ lapidem, qui aduolutus erat ad hoſtium monumenti, & quo monumentum cōcluſum, atq; ſignatum erat, Chriſtus aduoluiſſet illum auferens inde, atq; poſtea exiret: nam, ſicut ex euāgeliſtarum verbis colligitur angeli illum abſtulerunt. Erupit ergo Dñs Ieſus tantus, quantus erat, ſ. ita longus, & latus ſicut fuerat tpe paſſionis, erupit autem per ipſum lapidem, non tamen ꝙ partes lapidis cederent corpori tranſeunti, aut condenſarentur, ſiue diſcontinuarentur: ſed ita manebant, ſicut manere ſolebant, cùm nihil per illas tranſibat. ſ. quòd ſi Chriſtus in lōgitudine decem palmorum eſſet, in latitudine autem trium, tantum de lapide monumento aduoluto occupauit, & vbi erant decem palmi lōgitudinis lapidis, & tres palmi latitudinis, erāt decem palmi longitudinis, & tres palmi latitudinis redemptoris noſtri, & quātitas illius lapidis non excludebat quātitatem corporis Chriſti: & partes Chriſti erant ibi exiſtentes, vbi tunc erant partes lapidis: nec ſe adinuicem aut impediebāt, aut aliquatenus excludebāt. Sic ergo vnum erat in loco alterius, & alterum in loco alterius. ſ. Chriſtus in loco lapidis, & è contrario. Hoc autem vocat Ariſt. eſſe ſimul, vel eſſe vnum in loco primo, & proprio alterius, vt patet in quinto Phyſicorum, licet hoc naturaliter fieri nō poſſit, ſed ſolum ſupernaturaliter: & eſt hæc vna de donibus corporis glorioſi, quā Chriſtus ſemper habuit poſt reſurrectionem ſuā, ante reſurrectionē autem habuit, cum ei cōlibitum fuit. Simile autem miraculum fuit, A quod fecit Dominus Ieſus cū intrauit per portas clauſas domus illius, in qua Apoſtoli poſt Dominicam reſurrectionem congregati, atq; concluſi erant propter metum Iudæorū. Intrauit ergo ad eos per ianuas clauſas: & non intrauit tunc modo indiuiſibili, ſed per modum magnitudinis extenſę ſecundum totam ſuā quantitatem, ſ. ſecundùm totam longitudinem, & latitudinem: ita vt tantum, quanta erat longitudo, atq; latitudo Dominici corporis redemptoris noſtri, de magnitudine clauſarum ianuarum corpus Chriſti occuparet: &, vbi erat quantitas ianuarum, erat quantitas corporis Chriſti: & nō erat Chriſtus in tota ianuatum quantitate: ſed in tanta quantitate, quanta erat Chriſtus, ſicut ſi tota magnitudo portarum aerea magnitudo ipſe tranſiuſſet per tantam illius aeris magnitudinem, B quanta erat quantitas corporis ſui.

Vnde ſit, quòd Deus ex matris vtero non eruperit modo indiuiſibili. Cap. LXVI.

AD hoc autem fortaſſis aliàs arguere conabitur dicēs, cur potius dicemus Chriſtum, hoc modo quā prædicto, ſ. indiuiſibiliter dę virginis vtero erupiſſe. Reſpondendum eſt, ꝙ, ſicut peccatum eſt, ponere miraculum in eo, quod abſque miraculo compleri poteſt: ita inconueniens eſt aliquid per plura fieri, quod fieri poſſet per pauciora, ſicut ait Ariſtot. octauo Topicorū. Et maius eſt aliquod corpus indiuiſibile eſſe, quam vnum corpus alterū penetrare. Quod apparet manifeſte, quia vnum corpus poſſe alterum corpus ſolidū penetrare, cuilibet glorioſo corpori datū eſt, quia quodlibet glorioſum corpus poſt generalem corporum reſurrectionem poterit per vnum lapidē, aut parietem, aut maſſam ferri pertranſire. Eſſe autem aliquod corpus C ſimilis in multis locis, aut in indiuiſibili ſoli Dominico corpori Chriſti collatū eſt, qui in hoſtia eſt in multis hoſtiæ partibus, & in qualibet earum totus. Item, ſi viginti mille hoſtiæ ſimul conſecrentur, in omnibus earum ſimul eſt. Item eſt in hoſtia pariter, & in cœlo empyreo. Sed hic poterat dici eruptio Saluatoris de virginis vtero quolibet iſtorum duorum modorum celebratam eſſe. Dicendum ergo eſt minori illorum duorum modorum factum extitiſſe, ſ. in eo, qui minus de miraculo habet, qui eſt tranſire diuiſibiliter per aliquod corpus, ſicut tranſeunt corpora glorioſa. D

Obiectio pœnes prædicta. Cap. LXVII.

COntra hoc autem quiſpiam arguere conabitur, quòd prędicta ſolida veritate minime fulciantur: quia hac exiſtente Chriſtus nō exiſteret in hoſtia indiuiſibiliter, ſed diuiſibiliter per modū quantitatis, ſicut tranſeunt corpora glorioſa per alia corpora ſolida quaſiacunque. Quibus reſpondendum eſt regulā illam ſolida veritate conſiſtere. Cum autē arguitur de benedicto corpore Chriſti in hoſtia cōſecrata reſpondendū, ꝙ Chriſtus in hoſtia cōſecrata nullo alio modo exiſtere poteſt, quā eo, quo exiſtit, ſ. indiuiſibiliter: quia cum aliqua corpora in alijs eſſe debent, ſicut ſunt corpora glorificata, cum tranſeunt per aliqua alia corpora: neceſſarium eſt illa corpora ſolida, per q̄ tranſeunt corpora glorioſa tantæ quantitatis eſſe, quantæ ſunt corpora glorioſa tranſeuntia, aut ſtantia in illis, quia, cum corpora iſta in quantitate diuiſibili ſint: quælibet pars glorioſi corporis tantam quantitatem requirit, quanta eſt ipſa pars corporis glorioſi. Et ſi deberet eſſe Chriſtus in hoſtia modo corporum glorioſorum, nō poterat eſſe maior pars corporis Chriſti in hoſtia, quam erat quantitas hoſtiæ conſecratæ, ſ. quædam modica pars manus, aut pedis, aut capitis intra hoſtiam maneret: reliquę aūt Chriſti partes extra ſubſiſterent: quod abſurdum eſt, quia, cum communicamus, quantacunque ſit particula paruæ quantitatis totum ibi Chriſtum ſumimus. Et ſi Chriſtus eſſe deberet in hoſtia eo modo, quo vnum glorioſum corpus per alterum tranſire pōt, ne- *Chriſti corpus indiuiſibiliter eſt in hoſtia, nec alio modo eſſe poſſet.* E

ceſſarium erat tantæ quantitatis hoſtiam conficere. ſ. in
longitudine, latitudine, & profunditate, quantę longi-
tudinis, latitudinis, & profunditatis Chriſtus erat, qui
in ea ſubſiſtere debebat: quo conceſſo, nunquam com-
municantes ſumere poteramus totum corpus Saluato-
ris noſtri, cum non poſſemus tantæ magnitudinis ho-
ſtiam conficere, q̃ coqui non poſſet. Quod ſi fortaſſis
quiſquam tantę molis hoſtiã faceret, & aliquo artificio
coqueret, nullus poterat in ea cõmunicare, quia intra
viſcera ſua, nullus tantã valeret ſuſcipere magnitudi-
nem. Et ſi fortaſſe non totam illam confectam hoſtiam
ſumeremus, ſed eius quandam particulam, non ſume-
remus totum noſtrum redemptorem, ſed eius quãdam
particulam: vt ſi quis de digito Chriſti particulam ſu-
meret, alius vero de digitis, aut de capillis, quod non
erat communicare. & hoc eſt magnum inconueniens.
G Sequebatur autem & aliud inconueniens deformius, ſ.
ꝙ quotidie Chriſtus in multas laceraretur mẽbratim
particulas, ad quam diuiſionem dolorem ſequi neceſ-
ſarium erat. Nam ad diſcontinuationem partium tan-
tum cauſatur dolor in re, quanta ſentiente, qđ de Chri
ſto ſentire nefas eſt. Item ſequeretur neceſſario quoti-
die Chriſtum multoties mortem ſubire, & corpus ſuũ
quotidie exanimari, quia, cùm aliquod corpus viuens
eſt, qđ in partes minutatim diuiditur, neceſſarium eſt,
vita defungi, cum in ſic diuiſis anima nequeat facere
mãſionem, & vnitas rei, q̃ viuens erat, deleta eſt, quod
hæreticum valde eſt, ſicut teſtatur Petrus in canonica
Hebr. 8. ſua prima. Et Apoſtolus Paulus ad Hebręos cap. 8. Chri
ſtus ſemel mortuus eſt, & iam nõ moritur, & mors illi
H vltra non dominabitur. Itẽ ſequeretur, Chriſtum quo-
tidie hoiem eſſe, & quotidie deſinere eſſe hoiem: nam
Chriſtus in triduo mortis ſuæ, cõputando per ſinecdo-
chem, nõ fuit homo, ſicut oẽs ſancti doctores Theolo-
gi diffiniũt, licèt in hoc obſtiterit magiſter Petrus Lõ-
bardus in 3. lib. ſuarum ſententiarum, qui in hac parte
communiter non tenetur. ad qđ ſunt ſatis ſolidæ pro-
bationes: de quibus gratia breuitatis ad præſens no in-
ſiſto. Cum ergo Chriſtus quotidie moreretur, neceſſa-
riũ erat ipſum quotidie deſinere eſſe hoiem. Sequere-
tur aũt & aliud inconueniens, ſ. ꝙ Chriſtus quotidie a
morte reſurgeret: nam, cum Chriſtus quotidie more-
retur, vt ex prælibatis concluditur: & tñ quotidie ho-
mo eſt, neceſſariũ erat quotidie ipſum reſurgere, cum
ſit reſurrectio reunio diuiſorum: ſicut mors erat ſepa-
I ratio vnitorum, ſ. animæ, & corporis. Multiplicia quo-
que alia innumerabilia inconuenientia ſequerentur,
q̃ quilibet per ſe inducere poterit prædicta reſpiciens.

Quomodo Chriſtus ſit in hoſtia, & quomodo Chriſtus ex vtero virginis exierit. Cap. LXVIII.

EX prælibatis ergo deducitur, Chriſtum nullo alio
modo in hoſtia eſſe poſſe, quam indiuiſibiliter. &
non eo modo, quo corpora glorioſa per alia ſolida cor-
pora tranſeunt. Sic quoq; inducitur Chriſtum natum ex
vtero virginis non indiuiſibiliter prodiiſſe: ſed modo
diuiſibilis quantitatis: ſicut tranſeunt corpora glorioſa
per alia corpora ſolida omnino obſtantia. Ex quo itidem dẽ
neceſſaria illatione concluditur, Chriſtum de virginis
K vtero in lucem nullatenus exiſſe per eum locum, quo
cætera humana corpora de fęminino vtero expellũtur.
Omnes aut per genitale vas fęmininum emittuntur in
lucem: ex quo neceſſarium eſt tanta fieri genitalis vaſis
apertionem, quanta eſt fœtus magnitudo naſcentis. Et,
quia in vtero virginali nulla fuit virgineorũ clauſtro-
rũ apertio. & corpus Redemptoris noſtri exiuit de vir-
ginis vtero ſub tanta magnitudine, quantę erat quanti-
tatis, cum in vtero erat: neceſſarium erat non naſci per
genitale vas Dñæ noſtræ. Si fortaſſis corpus Redẽpto-
ris noſtri indiuiſibiliter prodiiſſet de vtero, quẽadmo
dũ in hoſtia eſt, poterat per vas genitale virginis emit-
ti, licet apertio clauſtrorũ nulla ſequeretur: ſicut in aliis
corporibus ſequi ſolebat fęmineis: ſed nõ natus fuit in-
diuiſibiliter, vt in præpoſitis probatũ eſt: ſequitur ergo
F Dñm Ieſum per genitale virginis vas non fuiſſe in lucẽ
emiſſum. Erit ergo dicendum, Chriſtum Deum, ſecun-
dum totam ſuam quantitatem de vtero prodiiſſe, ſ. ꝙ
quantus erat Redemptor noſter in vtero, tantus natus
eſt, nulla facta diminutione in corpore ſuo, aut ad indi
uiſibile reducendo. Et, quia corpus Dñicum in vtero
virgineo ſatis magnã occupabat quantitatẽ, ſicut ſupra
declaratum eſt, neceſſarium eſt, ꝙ in exitu tantã quan-
titatem occuparet in partibus vteri virginalis: ita ꝙ ſi
corpus illud trium palmorũ in longitudine foret, tres
palmos lõgitudinis in vtero virgineo in exitu occupa-
ret: ſi aũt latitudo vnius palmi eſſet, tm̃ de latitudine
in partibus vteri occuparet. Qua ex re neceſſarium erat
ipſum per vmbilicum, & per totum ventrem, atq; illa
natum fore, hæc oia occupãdo: nihil tamen de illo, aut
G diuidendo, aut rumpendo. Et ſic dicendum eſt, non
magis Dominũ Ieſum per vas genitale virginis natum,
quam per vmbilicum, quàm per alias vteri partes: ſed
per omnes illas natus eſt. Apparet ex ſupradictis in v-
nam formam redactis, Dominam noſtra in partu nul-
lam clauſtrorum virgineorum ſuſtinuiſſe fracturã. Pa-
ter etiam longiori deductione ex prælibatis Dominam
noſtram aptiſſime vas clauſum dici, continens omnem
virgineam clauſionem, ſcilicet clauſtri ſaluationem in
concipiendo, & eadem inuiolata clauſura in pariendo.
Hæc autem quantum ad particulam illam primæ me-
taphoræ, in qua dicitur, vas clauſum, dicta ſufficiant.

Dña noſtra aptiſſime equidem vas clauſum vocitatur.

De vaſe non clauſo. Cap. LXIX.

H COntinuato ordine in prępoſita metaphorica locu-
tione ſequebatur, vas non clauſum: qđ eſt contra-
dictorium particulæ iam expoſitæ, ſ. vas clauſum. Quę
ſi totaliter contradictorię eſſent, oportebat alteram ea-
rum falſam fore: ſed ſunt non totaliter contradictoriæ,
ſ. quantum ad veritatem, licèt in voce aliqualiter con-
tradicere videantur. Qua in re conſideratione dignum
eſt inueſtigare, cur Domina noſtra vas nõ clauſum vo-
cetur. Cui reſpõdendum eſt, ꝙ illis modis, quibus Dña
noſtra vas clauſum dicebatur, vas nõ clauſum dici põt.
In præpoſitæ particulæ declaratione, prælibauimus
Dñam noſtram Saluatorem Ieſum dupliciter cõtinuiſ-
ſe, ſ. in animo conceptualiter, & in ſuo benedicto vtero
realiter. Quãtum ad primum modum, quo Dña virgo
I continuit Saluatorem, neceſſarium eſt, ipſam eſſe vas
non clauſum, ſiue vas apertũ. Continuit enim Domina
noſtra in ſe redemptorem conceptualiter, cũ verbis di-
uinæ orationis ei per Gabrielem Archangelum relatæ
conſenſit. Recepit enim in ſe Dñm Saluatorem per fi-
dem, & electionem, quia non continuerat Dña noſtra
ſemper ante hoc Redemptorem noſtrum fide, & ele-
ctione, cum eum nũc nouiter propoſitis diuinis verbis
Archangeli voce conſenſit, eſt dicendum cor illius, qđ
ante clauſum erat nullam talem fidem, aut electionem
cõtinendo, vel recipiendo, cum nouiter iſta accepit ad
aſſentiendum, atq; credendum apertum fore. De hac
mentis apertione Iſaias cap. 45. loquebatur, cum deſide-
rium aduentus Meſsię depromeret, dicens: Rorate cęli
deſuper, & nubes pluant iuſtum, aperiatur terra, & ger
K minet Saluatorem, exprimens in præaſſumptis verbis
Iſaias deſiderium aduentus Meſsiæ exprimit illa, ſine
quibus aduentus ille fieri nõ potuiſſet: ſunt autem hæc
duo. Primum eſt voluntas diuina mittens Saluatorem,
qui eſt ſecunda in benedicta trinitate perſona, ad nos
ſaluandum, atq; redimendum. Secundum erat volunta
virginalis, conſentiens fieri noſtri Saluatoris genitricẽ.
Inuita namq; nunquã fuiſſet genitrix Saluatoris: ideo
quouſq; audiens, & intellectis verbis orationis diuinæ
reſpondit. Ecce ancilla Dñi, fiat mihi ſecundũ verbum
tuum, vt ſcribit B. Lucas primo cap. nunquam Dei ge-
nitrix facta eſt. Primum autem horum duorum neceſ-
ſariorum expreſſit Iſaias in verborum ſuorum exordio
dicens: rorate cæli deſuper, & nubes pluant iuſtum.
In quo metaphorice fingendo perſonam rei, q̃ perſo-
nam non habet, cęlis, & nubibus loquitur, quia Deus
quem

Cur Dña noſtra vas non clauſum vocetur.

Iſai. 45.

quem promiſſione Saluatoris propheta aſſiduè exorabat,in cælis erat,& hoc dicens:rorate cæli deſuper, & nubes pluant iuſtum:quia ros,& pluuia de cęlo.i.de aere,& de nubibus fluunt:ita Redemptor noſter de cœlis ad terram vſq; peruenit.Sẽ in hac re neceſſariũ exprimit Iſaias,cũ dicit:Aperiatur terra,& germinet Saluatorem.Terra autem hic nihil aliud quã Dominæ noſtræ vterus intelligitur,quia,ſicut terra omnes de ſe fructus generat,ita Domina noſtra de ſe protulit Saluatorem,de quo Dauid in Pſalmis loquitur dicens: & terra noſtra dabit fructum ſuum.i. vter⁹ virginis benedictæ nobis Saluatorem germinabit,hanc autem rationalem, intelligentemq; terrã Iſaias Propheta exorat valde aperiri,ſ.per conſenſum ad recipiendum in ſe redemptorem noſtrum. Quia,vt prælibatum eſt, ſi ipſa per conſenſum ad eum recipiendum nunquam aperta fuerat, non fuerat aliquatenus genitrix Saluatoris.

Quomodo virgo Maria Chriſtum realiter continuerit. Cap. LXX.

AMplius autem cõtinuit in ſe Domina noſtra realiter Chriſtũ Redemptorem, cùm eum in ſuo vtero tenuit:& quia eum non ex æterno tenuit,identidem,& poſtquam eum ſuſcepit,nõ ſemper clauſum tenuit:ſed aliquando de ſe protulit,neceſſarium eſt,in ea duas aſſignari aperturas,ſ.vnam ad recipiendum eum,cum in ipſa non erat,alteram autem ad eum in lucem emittendum cum intra ipſam erat.Vtraq; autem harum metapho.apertura eſt,neutra namq; earum realiter extitit,ſicut in propoſitis prelibauimus. Sunt tamen realiter iſtę duæ apertiones in cęteris fæminis, cum concipere, aut parere debeant. Prima autem duarum apertionum eſt clauſtrorum virgineorum reſeratio,quæ eſt ad recipiẽdum ſemen maſculinum, de quo partim fætus formatur in vtero , quæ in Domina noſtra non aſſignata fuit, quia non ex virili ſemine,ſed ex myſtico ſpiramine extitit grauidata.Damus tamen ad hoc aliquam apertionem,quia Saluator noſter Ieſus carnẽ ab æterno de virgine non aſſumpſit,ſed aliquo in tẽpore hoc fecit,tunc ergo Domina noſtra ſaltem in metaphora aperiri dicebatur,quia in ſe noſtrum recipiebat redemptorem ; ſecundam.ſ. trinitatis benedictæ perſonam . Hæc tamen non eſt vera apertio , atq; diuiſio aliquarum corporis partium : ſicut virginei pudoris clauſuræ veriſſimè in fæmina qualibet reſerantur,cùm ſemen ſuſcipit in coitu maſculino ad cauſandam conceptionem . Deus autem purus ſpiritus eſt,nullã habens corporeitatem loci occupatiuam:& ideo non erat ei locus neceſſarius, aut aliquam fieri aperturam , vt vterum virginalẽ ſubiret . Si.n.corpora glorioſa apertura aliqua,aut loco ad tranſeundum nõ indigerent,ſed omnia corpora quantumcunq; ſolida eis peruia ſunt:quanto amplius Deus,qui puriſſimè ſpiritus eſt?Et ſi animæ noſtræ ad tranſeundum parietem aliquẽ,aut quamlibet maſſam ferri apertura aliqua non indigent,quantomagis Deus,qui ſimpliciſſimę ſubſtantię eſt?Item,quia,quando ſecunda in beata trinitate pſona carnem de vtero virginis aſſumpſit,non erat ei opus ventrẽ ſubire virgineum, quia intra illud ſemper erat.Dicimus.n.de Deo,qui eſt benedicta trinitas,quòd in omni loco ſit,& extra omnem locum,& in omnibus rebus: neceſſariũ ergo erat Patrem, & Filium,& Spiritum ſanctum,in vtero virgineo exiſtere eo tempore,ſiue inſtanti, quo beatifica illa incarnatio celebrata eſt : quod eſt carnem in vtero virgineo ſumere:alioquin non diceremus Deum vbiq; ſemper eſſe,quod valde abſurdum eſt,& catholicę obuians poſitioni.

Iere.23.

Sic ait Ieremias propheta cap.23.Cęlum,& terram ego impleo,dicit Dominus. Item,quia, ſi diceremus,Deum non vbique eſſe,non conſeruaret omnia,& illa,in quibus non eſſet,nec conſeruaret, neceſſariò deperirent carentia rectore,atque gubernatore in eas continuè influente.Item diceremus, Deum non eſſe infinitum in eſſentia , & perfectione : quod identidem nefarium eſt.

A *Obiectio penes prædicta, ac de Sancta Trinitate quædam. Cap. LXXI.*

QVod ſi fortaſſis quiſquam aſſeuerat Patrẽ, & Spiritum ſanctum,cum incarnatio fieri debuit, in vtero præfuiſſe virgineo : ſed non filium , qui carnem aſſumpſit. Sic neceſſariò diceretur ipſum ad incarnationem virgineum vterum ſubijſſe.Reſpondetur hanc poſitionem eſſe pænitus impoſſibilem,quia tunc ſequeretur Patrem, atq; Spiritum ſanctum vbiq; ſubſiſtere,filium autem nequaquam : quod eſt contra catholicam aſſertionem,quia tunc ſequeretur filium in diuinis minoris eſſe perfectionis,quam pater,& Spiritus ſanctus: quod eſt contra ſymbolum Athanaſij, in quo continetur fides circa principalia puncta,& dicitur:Qualis pa-
B ter,talis filius,talis ſpũs ſanctus.Item in eodem ſymbolo,cum Athanaſius de filio incarnato ſermonem ageret, dixit equalis patri ſecundùm diuinitatem , minor patre ſecundùm humanitatem. Item,quia ſequeretur filium non eſſe in diuinis infinitum, ex quo conſequenter inferebatur eum creaturam eſſe , vt Arius hæreſiarcha magnus aſſeuerat a tota vniuerſali Eccleſia condemnatus.Neceſſaria patefit inductione,Patrem,& Filium,& Spiritum ſanctum.ſ.ſanctam,atq; benedictam perſonarum trinitatem in virginis vtero extitiſſe, cum debuit incarnatio cælebrari.Item & hoc amplius patefit,ꝙ ſi Pater,& Spiritus ſanctus erant in virginis vtero,neceſſario ibidem filius exiſteret, quia Pater, & Filius,& Spiritus ſanctus ſunt vnius indiuiduę ſubſtantiæ:vbi ergo vnus eſt, neceſſariò alius erit . Et ſicut di-
C ctum eſt,tunc cum incarnatio celebrata eſt,ſanctiſſimã Trinitatem in virginis vtero extitiſſe. Ita nunc profiteri debemus ibidem beatam conſiſtere Trinitatem : & ibidem in ęternum futuram,alioquin aliquis locus,aut res daretur,in qua Deus non exiſteret,quod impoſſibile eſt:vt ſupra ꝓbatum eſt.Et,ſicut nunc benedicta Trinitas eſt,in vtero virginis: ita eſt in capite noſtro, & in manibus,pedibus,atq; capillis, & in lapidibus,parietibus,& in oĩbus alijs rebus,& in infernis,& demonib⁹: alioquin illa eſſet deſinerent.Sequit̃ ergo,ꝙ,cùm Deus filius ſecũda in Trinitate perſona aſſumens de virginẽ carnem in vtero virgineo exiſteret tempore incarnationis:quod non erat neceſſe eum aluum eius ſubire.

Inductio qua probatur ſanctã trinitatẽ in virginis vtero extitiſſe.

Benedicta Trinitas vbiq; eſt in quocunq; & in qualibet parte.

D *Dubium, an ante incarnationem Chriſtus in vtero virginis extuerit. Cap. LXXII.*

ET ſi quiſpiam contra hoc arguere moliatur , quòd Chriſtus in vtero virginis non eſſet tempore , quo carnẽ aſſumere deberet, quia dicitur in ſymbolo fidei per Apoſtolos facto:Deſcendit de cælis, & incarnatus eſt.ſequitur ergo eum paulo ante hoc in virginis vtero non fuiſſe.Quibus reſpondetur,ꝙChriſtus in vtero virginis erat , quando carnem aſſumpturus erat , & quòd non deſcendit de cælis ad aſſumendum carnẽ in virginis aluo: intelligẽdo,ꝙChriſtus ante carnis aſſumptionem in cælis exiſteret,& non in terra,& in virginis aluo, & tempore incarnationis eſſet in virginis vtero, & non in cælis : quia hoc totum infinitati Dei repugnat ,
E pariter & perfectioni. Cùm autẽ ſcriptura dicit , quòd filius Dei deſcendit in virginis vterum de celis,vt inde carnem aſſumeret:reſpondendum eſt,ꝙ iſta,locutio nõ eſt in ſenſu hiſtorico,aut literali intelligẽda,ſed in methaphorico,ſecundum ꝙ multæ aliæ in ſacra ſcriptura methaphoræ ſunt.Hoc autem facit ſacra ſcriptura Spiritu ſancto docente,quia omnis ſacra ſcriptura ad erudiendũ nos eſt in via vitæ æternæ,tam credendo,quam operando.Et,quia,ſi à nobis intelligi non valeret,nihil omnino proficeret , oportuit eam in tali forma traditã eſſe,in qua à nobis intelligi poſſet , & quia intellectus noſter conſequitur modum corporeum , quia eſt organum corporeum,neceſſarium fuit,vt ea, q̃ ad fidẽ pertinebant ſub proprietatibus corporum nobis intelligẽda proponerentur.Quia ſi ea,quę de Deo nobis dicuntur,ſm proprietatem ſuam nobis proponi deberent,in effa-

Quare ſcriptura procedit metaphoricè.

De Deo ſecundũ ſui proprietatẽ nullus eſt qui loqui poſſit.

eſſabilia eſſent, quia ad ea exprimenda nobis penitus F
verba deficerent, & ſi aliqua expreſſiua verba forent, difficulter intelligerentur, præſertim ab intellectiuis hominum ruſticorum. Fuit ergo neceſſarius methaphorarum vſus: & ſic facit ſacra ſcriptura potiſſime in veteri teſtamento: quia in ipſo hominibus rudibus loquebatur, & noui incipientiſq; intellectus. Cōformiter autem hic metaphorica locutio eſt, in qua ſacra ſcriptura finxerat nobis Deum tanquam quēdam regē magnum, atq; excellentem, cuius ſedes in cęlo eſt, quia, vt Dauid propheta teſtatur, dicens: Dominus in cęlo ſedes eius: cùm autem quippiam in his inferioribus fieri debet,
Gen. 18. dicitur Deus huc ad illud efficiendum deſcendere. Et ſic habetur Gen. ca. 18. Deſcendam, & videbo vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint, & ſic neceſſariū erat, quòd ſi Deus in cælo ſicut rex magnus G
eſſet, quòd, cùm in terris aliquid facere debet, ad eas de cælis deſcenderet. Scriptura autem hunc modum ſequuta dixit, quòd Chriſtus ſiue filius Dei, quod idem eſt, de cęlis in virginis aluum carnem aſſumpturus deſcendit: quia aſſumptio carnis in cœlo fieri non poterat, cum virgo in terris exiſteret.

Quare ſcriptura dixit deſcēdit de cęlo & incarnatus eſt.

Sancta trinitas in vtero virginis extitit, antequam filius Dei inde carnem aſſumeret. Cap. LXXIII.

IN quo ſolidius ſpeculātibus dicendum eſt, quòd tota ſancta Trinitas in virginis vtero exiſteret, antequā filius Dei inde carnem aſſumeret, non tamen eundem eſſendi modum in ea habuit, quem poſtea habuit. Conſiderandum autem eſt, quòd eo modo, quo pater, & H
Spiritu ſanctus in vtero virginis ſteterunt, ita poſtea ſemper fuerunt: filius autem Dei nō eodem modo ſemper ſtetit in virgine. Quod apparet, quia dicimus ſanctam Trinitatem, qui Deus eſt, ex ſua immenſa perfectione vbique, & in qualibet re eſſe, &; quia aluus virginis aliquis locus, aut res erat, neceſſarium erat eam ibidem exiſtere, ex quo ipſa mulier eſſe cæpit, pariter autem nunc neceſſarium eſt ſupradicta ratione conſiſtere. Iſte autem modus, quem ſancta Trinitas in virgine ante cōceptum Saluatorem, & poſt partum habuit, eſt modus, quo in omnibus rebus ſimul eſt, quia nullum ſpecialiorem eſſendi modum in ipſa, quam in cęteris rebus habebat. Ab inſtāti autem conceptionis Dominæ benedictæ vſq; ad partum fuit in ea ſancta trinitas, ſed filius Dei, quæ eſt ſecunda in Trinitate perſo- I
na, non habuit ibi eundem eſſendi modum, quem ante habuerat. Ante hoc.n. ſolum in ipſa erat ſicut generaliter in cæteris rebus eam cuſtodiendo, poſtea autem in ipſa fuit aſſumendo carnem ex ſanguinibus eius, & faciendo carnem illam eſſe partem illius humanæ naturæ aſſumptę ab ipſo. Erat ergo dei filius in virgine poſt conceptionem ſicut in matre, donec ipſum peperit, ſicut nunquam ante ſteterat eodem modo nunquam in aliquo viro, aut fœmina ſic fuit, quia de nullo homine viro, aut fæmina carnem vnquam aſſumpſit: ſed ex ſola virgine benedictā. Poſtquam verò filius Dei de virginis vtero natus eſt, non manſit in ipſa ſicut in matre, vt ante manebat: ſed manſit in ipſa tota Trinitas, ſicut a principio manſerat, & iſte erat generalis modus, ſecundum quem in omnibus rebus eſt. Ex quo euidenter K
inducitur, quod ſi aliquis modus eſſendi ſpecialis filio Dei in virginis vtero fuit, hoc erat, dum Domina noſtra dominum Ieſum tenebat in vtero grauidata, quia modus eſſendi prior, & poſterior omnibus rebus generalis fuit. Item dicendum eſt, quòd Pater, & Spiritus Sanctus nunquā ſpecialius in virgine ſteterunt, quam in cæteris creaturis, quia, ſi aliquem modum eſſendi ſpecialem in ipſa habuerunt, hoc fuit: quia dominus noſter ex ipſa carnem aſſumpſit, & nō ex aliquo viro, aut alia fæmina, & fuit in ipſa ſicut in matre, ſed pater, & ſpiritus carnem nō aſſumpſit, ſed ſoli filio hoc datum: ſolus ergo filius ſpecialem modum eſſendi in virgine magis, quam in cæteris habuit creaturis; ſed nec Pater, nec Spiritus habuit aliquem ſpecialem modum eſſendi

Specialis modus eſſendi verbi in virgine.

di in virgine benedicta. Ex prælibatis infertur in Domina noſtra nullam verè in carne fuiſſe apertura ad concipiendum, pariendumque noſtrum redemptorem, ſed quæcunque illa dicatur, metaphorica eſt.

De ſecunda apertione, quæ fuit in exitu Saluatoris. Cap. LXXIIII.

SEcunda de metaphoricis in virgine aperturis fuit apertio in exitu Saluatoris, quia redemptor noſter carnem aſſumpſit in virginis aluo, & nō ſtetit ſemper in ipſo, neceſſarium ergo erat inde aliquando exiſſe: ad hunc autē exitum in omnib. parientibus ſequitur apertura, & non qualiſcunq; apertio, ſed maxia, & doloroſa omnium clauſtrorum muliebriū apertura. Si hoc ſic in Domina noſtra fuiſſet, rectè dici poſſet vas non clauſū, ſed nihil omnino tale in ea fuit: nā fuiſſet magna imperfectio, ſed potius virginei pudoris clauſura totaliter illibata permanſit: quia nunq̄ in cōceptu, aut partu genitale virginis vllā paſſum eſt læſionem: ſed in eadem pfectione, in qua Domina noſtra in Natiuitatis ſuæ die prima fuit, in ea vſq; ad mortem pmanſit. Quomodo autē Domina noſtra parere potuit clauſtris illibatis virgineis, ſuperius explanatū eſt. Quia tamen dominus intra virginis vterum fuit, & exiuit, licet in exitu nulla fuerit apertio cauſata, aut fractura clauſtrorum, ſicut in cæteris parientibus euenire ſolet, dicitur in ea fuiſſe apertio in methaphora: quia in cæteris mulierib. à quib. aliquid emittitur, apertionem patiuntur. Quantum ad hos duos figuratos modos Domina noſtra vas non clauſum dici poteſt: nam ſi per omnem modum vas concluſum fuiſſet, nunquam in ſe aliquid recepiſſet, aut de ſe aliquid protuliſſet: ſic enim patet expoſitio ſecundæ particulæ vnius primariæ figuratæ Paradoxæ, ſcilicet vas non clauſum.

In Maria virgine fuit apertio metaphorica.

De tertia particula huius primæ metaphoræ. Paruum, ſcilicet vas. Cap. LXXV.

IN præpoſita methapho. cuius inſiſtimus expoſitioni; tertia particula erat paruum, ſ. ꝙ vas iſtud paruulum erat. In quo aduertendum eſt, ꝙ, ſicut Domina noſtra vas clauſum, & non clauſum dr̄ referendo ad nūm redemptorem: ita vas paruum, & nō paruum ad eundem referendo pdicatur, quem tanquam vas ipſa continuit. Circa quod conſiderandum eſt, ꝙ paruum eſt nomen relatiuum, & non dr̄ niſi referendo ad ſuum correlatiuum: eſt autem correlatiuum parui magnum, & per vnum eorum alterum cognoſci debet, ſicut ait Ariſto. in lib. prædicamentorum in prædicamento ad aliquid, ſi quis cognouit vnū correlatiuorum, diffinite cognoſcit & reliquum, i. ꝙ ſi quis cognoſcit ſignificationem, vel diffinitionem vnius relatiui, cognoſcit diffinitionem, & ſignificationem alterius. Cognito ergo quid ſit magnū, quid ſit paruum, cognoſceremus. Magnum dupliciter dicitur. Primo modo magnum habet ſignificatum abſolutum, & ponitur in prædicamento quantitatis. Secundò modo ſignificat relationem, & hoc modo quantum ad fundamentum ponitur in prædicamento quantitatis, & quantum ad formale ſignificatum ponitur in prædicamento ad aliquid ſiue relationis. Primo modo omnis continua quātitas magna dicitur, ſiue modicum de longitudine, aut latitudine habeat, ſiue multum, & iſto modo magnus non recipit comparationem: nec dicimus vnam quantitatem altera maiorem, cum omnis quantitas, qualitercunq; ſe habeat, magna ſit, & in prędicamento quantitatis non reperitur magis, & minus, ſed in prædicamento qualitatis. Quantitas namq; prima diuiſione in continuum, & diſcretum diuiditur, omnibus autem exiſtentibus ſub quantitate continua pertinet iſta generalis proprietas. ſ. eſſe magnum: omnibus, autem ſub quantitate diſcreta exiſtentibus pertinet paſſio iſta, que eſt multum, ſicut ſunt numeri, & ſic omnis numerus multum dicitur, quicunque vnitates habuerit. Iſto modo accipiendo magnum, non reperitur

Magnū dupliciter dicitur.

ritur aliquid paruum:quia magnum ſic non dicitur relatiue. Nam,quæcunque quantitas continua ſit, magna dicitur,& non eſt aliqua, quæ parua prædicetur, nec ſunt tunc oppoſita relatiua magnum,& paruum. Alio modo accipitur magnum relatiuè,& vocatur tunc magnum, quòd multum de longitudine,aut latitudine habet,vel alterius commenſurationis continuæ quantitatis.Res autem,quæ modicum longitudinis,aut latitudinis, vel alterius cõmenſurationis habet,parua vocatur.Et quia aliqua ſunt, quæ quibuſdam comparata parua dicuntur,alijs autem comparata magna iudicantur,conſiderandum eſt,cui rei Domina noſtra hic referatur,ad quam relata vas paruum iudicetur:nam ſi Domina noſtra nulli compararetur, nec vas paruum, nec magnum dici poterat, cùm magnum relatiuè aſſumatur. Quibus reſpondentes dicere debemus, quòd omnes huius metaphoræ partes de noſtra Domina prædicantur referendo eam ad noſtrum redemptorem. Vocabitur ergo vas paruũ reſpectu Chriſti: quia ipſa fuit vas cõtinens Saluatorem,ad continendum tamen eum fuit vas paruum:quia vterus virginalis erat paruę quãtitatis, ſicut aluus alterius mulieris. Filius autem Dei, qui in eo geſtandus,infinitus erat in eſſentia,& in virtute,& non recipitur in toto mundo,& eſt in omnibus

Iere. 23. rebus & extra omnes res.Sic declarat Ieremias cap.23. Cęlum,& terram ego impleo, dicit dominus. Et Pſal. miſta Pſalmo 138. ait explicans magnitudinem Dei: Quò ibo a ſpiritu tuo? & quò a facie tua fugiam? Si aſcendero in Cælum,tu illic es.Si deſcendero in infernum,ades.Si ſumpſero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris,etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua. De hoc Iob multoties,& in plerìſque ſacræ ſcripturæ locis. Quælibet ergo res corporalis ad hanc rem infinitam continendam eſt parua: rationabiliter ergo Domina noſtra vas paruum nuncupabatur.In quo eccleſia admirata,quomodo Domina noſtra in ſe clauſerit Saluatorem,dicit eam laudans:Virgo Dei genitrix,quem totus non capit orbis,in tua ſe clauſit viſcera factus homo.

Quomodo Chriſtus in virgine carnem aſſumere potuit. Cap. LXXVI.

ARguet autem fortaſſe quiſpiam,quomodo redemptor noſter in virgine carnem aſſumere potuit,aut intra eius viſcera claudi:aut quomodo intra paruã rem magnũ aliquid claudi potuerit,quia loci & locati conditio talis eſt,quòd commenſurantur, & æqualia ſunt, nec poteſt res locata maior loco ſuo,aut re, intra qua locatur,eſſe. Aliquis forte reſpondebit,legibus naturę repugnare intra rem paruam rem magnam poſſe locari, operatione tamen miraculoſa magnum intra paruum locari poteſt,ſic ergo Deus,licet infinitus ſit,actione miraculoſa intra corpus virginis claudi potuit. Reſpõſio aſſignata multifariam peccat. Primò,quia dicit miraculoſe rem magnæ quantitatis intra rem paruæ quantitatis poſſe locari:hoc tamen eſt falſum:licet enim Deus rem magnam intra rem paruam locare poſſet,reducendo eam ad paruam quantitatem: rem tamen magnæ quantitatis in magna quantitate manentem ſub parua

Quô De' res magnam in parua locari poſſit. quantitate locari impoſſibile eſt.Deus enim totã aquam maris reducendo ad valde paruam quantitatem poſſet intra vnam amphoram collocare, quia nullam contradictionem,aut inconuenientiam includit,Deum tamen totam aquam maris ſub ſua quantitate manente intra amphoram collocare eſt impoſſibile, & includit contradictionem.Sic ergo magnam quantitatem intra paruam collocari prorſus contradictionem includit, quia dici magnum poſſe ſub paruo concludi,eſt dicere magnum ſub forma magni ſub paruo poſſe cõcludi:quod nullatenus fieri naturaliter, aut miraculoſe poteſt: nec cadit ſub aliqua potentia. Euidenter ergo apparet non poſſe hanc reſponſionem teneri,quia,ſi forrauis reſponſionem iſtã propoſito applicare velimus, dicendo rem magnam intra paruam miraculoſe poſſe concludi,cum

A res magna ad paruam reducitur quantitatem, dicemus Deum, qui infinitus erat, diminuiſſe magnitudinem ſuam,vt intra virginis vterum caperetur,quòd manifeſtè fidei repugnat, & omni Philoſophorum poſitioni, & omni recto intellectui,quia Deus diminutionem omnino non patitur,nec viciſitudinariam mutationem,teſtante Malachia c.3. Ego Dominus, & non mutor. Sic etiam teſtatur Iacobus in Canonica Epiſtola ſua cap. 1. Item continet errorem iſta poſitio, quia miraculũ eſſe aſſeuerat Dominum Ieſum intra virginis vterum aſſumpturum carnem humanam fuiſſe concluſum.quod ſi verum eſt, conformiter miraculum erit Deum intra nos,& intra res ſingulas eſſe,ſacra tamen ſcriptura aſſerit Deum intra omnia eſſe: & extra omnia, & omnes doctores huic aſſentiunt,nullus tamen vnquam miracu-

B lum eſſe dixit, Deum intra iſta, & eorum ſingula eſſe: non ergo fuit miraculum Deum intra virginis vterum fuiſſe conceptum, ſicut iſti ſtultè aſſeuerant.Item,ſicut non eſt miraculum animam humanam intra corpus poſſe conſiſtere,ita Deum intra illud exiſtere miraculum nullum eſt: ſed animam humanam intra corpus poſſe conſiſtere nullus aſſeruit eſſe miraculum: identidem ergo dicetur Deum intra ſingula capi miraculum nullum eſt.Hoc autem amplius declaratur,quia anima ſpiritus eſt indiuiſibilitatem continens,nullumque occupans locum:non eſt ergo vllum miraculum eam intra quodlibet corpus capi, quantumcunque paruum illud ſit: de Deo autem liquet eum ſpiritum fore, ſicut ait Beatus Ioan cap.4.& eſt ſimplicior anima humana, Ala ſpecies eſt indiuiſibilis.

C omnibuſque aliis rebus, cum maioris perfectionis rebus omnibus ſit.Minus ergo erit miraculum Deum intra ſingula capi poſſe,& intra virginis aluum conſiſtere,quam animam virginis exiſtere in eius corpore benedicto:ſed etiam ſuam in ſuo corpore contineri miraculum nullum erat:,ergo nec Deum intra virginis aluum eſſe miraculum erit.

Reſponſio Doct. ad dubium actum ſuperius. Cap. LXXVII.

RElicta autem hac inſana reſponſione, ad formam argumenti reſpondendum eſt: cum dicitur, quòd res quantitatis maioris intra rẽ paruæ quantitatis capi non poteſt, ſed Deus eſt infinitus, vterus autem virgi-

D nis paruæ quantitatis erat:ergo intra eum capi non poterat,Poſſumus reſpondere diſtinguendo maiorem,aut minorem.Si autem ad maiorem volumus reſpondere, dicemus eam eſſe falſam:quia bene capitur res magnæ quãtitatis intra paruę quantitatis locum, quia,licèt res magnæ quantitatis corporeæ intra rem paruæ quantitatis molis capi non poſſit,res tamen magnę quantitatis virtutis, aut ſpiritualis intra rem paruæ quantitatis corporeæ capi poteſt.Ad minorem etiam poſſumus reſpondere negando eam, quæ continebat Deum vtero virginis eſſe maiorem:comparatio enim ſemper in vniuocis fit,vbicunque autem æquiuocatio reperitur,comparatio nullatenus fieri poteſt, & quia res corporales ſunt magnæ magnitudine corporali, Deus autem magnus eſt,atq; infinitus magnitudine ſpirituali, non eſt

E ergo verum Deum maiorem vtero virginis eſſe. Nec aliqua alia re corporea.Etiam non eſt aliqua res corporea Deo minor. Sed ſi aliqualiter improprie loqui velimus,congruentius dicere poterimus virginis vterum Deo maiorem exiſtere, quam è conuerſo: quia vterus virginis alicuius quantitatis eſt, Deus autem nullius eſt quantitatis:apparet ergo quõ Dñs Ieſus intra virginis ſe vterum clauſerit: & quomodo comparata ad redemptorem Domina noſtra vas paruum rectè dicatur.

Quarta particula huius metaphoræ, ſcilicet non paruum. Cap. LXXVIII.

PRimæ huius metaphoræ quarta particula ſequitur, ſcilicet vas non paruum, & dicitur de Domina noſtra,ſicut cæteræ huius methaphoræ particulæ, ſcilicet quòd

cet quód ipſa eſt vas non paruum, ideſt magnum. Et quia magnum, ſiue non magnum, vt hic accipitur, ſignificat relatiuè, inſpiciendum eſt, ad quem comparata vas non paruum, ſiue magnum dicatur. Et quia inter relatiua habentia oppoſitionem eſt generale, quód vna res poteſt eſſe ſubiectum illorum duorum relatiuorũ, & denominari ab illis, ſed hoc non comparãdo ad idẽ, ſed ad diuerſa: ſicut in his duobus nominibus correlatiuis pater, & filius: poteſt namque aliquis ſimul eſſe pater, & filius, & quilibet horum ad alterum eſt: ſed, qui eſt pater, non dicitur pater referendo ad eum, ſecundum quod filius eſt: quia tunc haberet eundem pro patre, & filio, quod eſt impoſſibile, includitque contradictionem. Ita aliquid poteſt dici magnum, & paruum reſpectu duorum, & relatum ad vnum vocabitur magnum, ad alterum autem relatum paruum vocabitur: G ſed ad idem comparatum magnum, & paruum appellari non poterat, ſicut ſi aliquem hominem duobus palmis maiorem aſſeramus, & eundem duobus palmis dicamus eſſe minorem: cum autem Domina noſtra hic

Dubium .ſ. ad qd relata Domina noſtra vas nõ paruũ appelletur.

vas paruum, & non paruum dicatur: neceſſe eſt iſta duo relatiua non ſecundum idem, vel ad idem de ea prædicari. Quæremus ergo ad quid relata Domina noſtra vas non paruũ appelletur. Cui inquiſitioni reſpondendo, dicemus Dominam noſtrã virginem vas non paruum nuncupari ad Chriſtum relata, quem, tanquam vas continebat. Cui aliquis obuiabat, dicens, ſubſiſtere non poſſe. quia tunc aliquid magnum, & paruum ad idem referendo diceretur, quod militat in regulam relatiuorum ſuperius aſſignatam. Huic autem reſpondetur, quód, licet ad Chriſtum relata Domina noſtra vas H paruum, & non paruum appelletur, tamen diuerſis reſpectibus. Dicitur enim vas paruũ relata ad Chriſtum reſpectu continentiæ, ſcilicet vt ipſa illum continere deberet: quia Domina noſtra non erat tantæ excellentię aut virtutis, in qua Deus, qui infiniti erat virtutis, & eſſentiæ, carnem deberet aſſumere, ipſaq; Deum contineret. Vas autem non paruũ, ſiue magnum Domina noſtra vocatur: quia in ſe actualiter noſtrũ continuit redẽptorem: qui, cum valde magnus, atq; infinitus eſſet, nõ niſi á valde magno vaſe contineri potuiſſet, ſed ab ea contentus eſt, ergo ipſa vas magnũ erat. Sic enim eam Eccleſia tanquam magnæ continentiæ vas miris laudibus effert dicens; Virgo Dei genitrix, quẽ totus nõ capit orbis, in tua ſe clauſit viſcera factus homo. De ipſa identidem ſacroſancta canit Eccleſia: Sancta, & immaculata I virginitas, quibus te laudibus efferã, neſcio, quia quem cæli capere non poterant, tuo gremio contuliſti.

Notandum penes prædicta. *Cap. LXXIX.*

AD huius autem veritatis ſolidiorem perſcrutationem attendendum eſt, quód Dominam noſtram vas paruum, & vas non paruum dici dupliciter cõſiderari poteſt, ſcilicet aut quantum ad realitatem, ſiue naturam, aut quantum ad dignitatem, & excellentiã. Quantum ad primum modum, ſcilicet quantum ad naturam, dicendum Deum verum, ſiue totam ſanctam Trinitatem intra virginis vterum capi non erat vllum miraculum, nec ad hoc referendo Domina noſtra vas paruum K dici potuiſſet. In qualibet enim parte, aut re totius vniuerſi, quantumcunque illa parua ſit, eſt tota ſancta Trinitas, ſicut in prælibatis comprobatum eſt. Alioquin magnum inconueniens ſequeretur, ſcilicet quod res illæ, in quibus Deus non eſſet, a Deo non conſeruarentur, reciperent tamen eſſe, & permanentiam. Item daremus ex parte Dei imperfectionẽm, quia diceremus, quòd Deus non erat ſimpliciſſima ſubſtantia, quia in quibuſdam capiebatur, in alijs vero non. Diceremus quoque aliquas res eſſe, quæ a ſe Deum excluderent, ꝙ identidem inconueniens magnum eſt. Fortaſſe autẽ aliquis arguet ex hoc, ꝙ dicit Ieremias capitulo vigeſimotertio: Cęlum, & terram ego impleo, dicit Dominus. Eccleſia quoque cantat: Quia, quem cœli capere non poterant, tuo gremio contuliſti. Quomodo ergo in

F virginis vtero capi potuit, quem cœlum non capiebat, præcipuè cum tanta ſit proportio exceſſus magnitudinis corporis cæleſtis ad paruitatem vteri virginalis? Item Deus ſubſtantiæ ſimplicis eſt, cùm ergo in qualibet re, quantumcumque parua capiatur, quomodo in cœlo non capitur? Ad cuius euidentiam cõſiderandũ, ꝙ in ſingulis rebus, quantumcumq; paruæ quantitatis ſint, Deus eſt, ſed oẽs res vniuerſi ſimul ſumptę Deum totaliter non includunt. Huius autem fundamentũ eſt ad poſſe fieri, & poſſe intelligi, quia Deus ſecundum corpoream quantitatem eſt ſimplex, nec habet vllam quantitatem, quia indiuiſibilis eſt; eſt tamen infinitus quantum ad eſſentiam, & virtutis quantitatem, atque potentiæ, quia dicimus Deum vbiq; ſecundum potentiam, præſentiam, atq; eſſentiam eſſe. Quantũ ad iſtas

Deus eſt in oĩbus ſed tamẽ a reb. omnibus ſimul ſumptis cõtineri non poteſt.

G duas partes propoſitionis duarum quantitatum, quas in Deo confitemur, concedimus duo genera propoſitionum de Deo, quæ repugnare videntur, cum non repugnant. Nos enim loca rebus attribuimus ſecundum ſuæ quantitatis magnitudinem, rebus autem magnæ quantitatis locum magnum attribuimus, paruæ quantitatis corpora intra parua loca collocamus: res ergo, quæ nullius corporeæ quantitatis eſt, in quolibet loco capi poteſt, cùm nõ indigeat aliqua magnitudine corporea, in qua recipiatur; &, quia Deus quantitatem nullam corpoream habet, eſt indiuiſibilis, ſicut declaratũ eſt, quia ſpiritus ſubſtantia ſimplex eſt. Sequitur ergo, ꝙ in qualibet re quantumcumque paruæ quantitatis capietur Deus, cùm non habeat partem aliquam huius quantitatis, & non ſolum Deus intra res habentes quã-H titatem capitur, quantumcumque parua illa ſit, ſed ẽt intra res, quæ nullam obtinent quantitatem, & ſimplicis ſubſtãtiæ ſunt, atq; indiuiſibiles: ſicut in animabus noſtris. Dicimus enim Deum intra animarum noſtrarum eſſentias eſſe, & intra eſſentias angelorum. Et ſicut miraculum nullum eſt rem aliquam duorum palmorum intra rem quatuor palmorum collocari: ita miraculum nullum erit Deum intra rem quamlibet quãtumcumque paruæ quantitatis poſſe conſiſtere.

De eadem re hic agitur. *Cap. LXXX.*

SEcunda huius fundamenti pars eſt, Deum infinitæ eſſentiæ, virtutis, atque potentiæ eſſe: & ſic non ſolũ hic, ſed etiam ibi, & alibi, atq; vbiq; eſt: nam, ſi locum I aliquem, aut rem aliquam daremus, in qua Deus non exiſteret, nõ eſſet ibi potentia, & eſſentia, atque virtus ſua: & ſic Deus terminatus eſſet in eſſentia, & potẽtia, & virtute, quod fides catholica diffitetur. Sequitur ergo, Deum in quolibet loco eſſe, & in omnibus locis ſimul ſumptis, & in qualibet creatura, & in omnib. creaturis ſimul ſumptis. Et non ſolum Deus in omnibus rebus eſt, ſed etiam extra omnes res: quia, ſi Deus ſolum intra omnes creaturas exiſteret, quia locus, & res locata æquantur, aut ſaltem locus materialiter maior eſt re locata, ſequeretur omnes res ſimul ſumptas Deo fore æquales, vel maiores: quia eſſentia ſua, & potentia non extenduntur ad eſſe vlterius, quam in omnibus rebus, aut omnes res ſimul ſumptæ Deo maiores ſunt, quod K falſum eſt. Sequitur ergo Deum non ſolum in omnib., aut in toto mundo eſſe: ſed etiã extra omnes res, & extra totum mundum. Non tamen ex hac occaſione intelligendum eſt, aliquem locum vacuum eſſe extra mundum, in quo Deus ſit, & nulla alia res ſit, ſicut quidam homines rudiſſimi arbitrati ſunt, quia hoc contradictionem includit. Scire autem per certitudinem quid ſit eſſe Deum extra totum mundum, aut extra omnes res, maioris eſt ſpeculationis, quam præſens tractatus requirat, ideo hoc nunc ſubticebimus, ſed de hoc diffuſè ſuper tertium capitulũ Exodi diſputauimus. Ad hoc autem apertius elucidandum, eſt quoddam exemplum conueniens de anima rationali: nam dicimus totam animam in toto corpore humano, & totam in parte qualibet corporis conſiſtere. Si ergo anima rationalis talis cõditionis eſt, ꝙ in qualibet parte corporis capitur,

pitur, id eſt, ꝙ non eſt aliqua pars quantumcumq; parua, in qua capiatur; & tamen non eſt aliqua pars corporis, quantumcunque magna ſit, in qua anima totaliter claudatur, quia tunc intra ſolam illam clauderetur, & in alijs nullatenus, quod falſum eſt: quia tunc alijs vitam non tribueret: melius ergo hoc in Deo fieri poterit, ꝙ in re qualibet quantumcunq; parua capiatur, & tamen non claudetur in aliqua re, ſed erit in omnibus alijs. Quomodo aūt intelligi valeat, & euidentibus induci argumentis, quō anima in toto corpore ſit, & tota in qualibet corporis parte, eſt ſatis magna ſpeculatio, de qua ſatis diſputauimus ſuper Exodum cap. 20.

Expoſitio quorundam verborum Ieremiæ, ac Eccleſiæ. Cap. LXXXI.

PRædicta autem in Deo ſunt, & de eo dicuntur propter propoſitum fundamentū, ſcilicet, ꝙ Deus non habet aliquam quantitatem, quia ex cauſa in re qualibet capi poteſt, & quia eſſentia ſua eſt infinita, in omnibus rebus eſt. Cum autem ſcriptura dicit cap. 23. Ieremiæ: Cęlum, & terram ego impleo, dicit Dominus. Et cum Eccleſia cantat: Quia, quem cęli capere non poterant, tuo gremio contuliſti, non eſt ſenſus, ꝙ Deus, id eſt, Sancta Trinitas non ſtet tota in toto cęlo, aut in tota terra, quia in qualibet parte cęli, aut terræ eſt Benedicta Trinitas, ſicut declaratū eſt, quia indiuiſibilis eſt: Capiturque in omni loco, quātumcunque ille paruus ſit. Eſt tamē ſenſus, ꝙ non capitur Deus in cœlis, id eſt, ꝙ, licèt Deus ſecundum ſe totus in cęlis ſit, tamen non eſt ſic in eis, ꝙ cœli totaliter contineant, & claudāt Sanctam Trinitatem, quia tunc eſſet Deus in aliqua alia rerum parte, niſi in cęlo, quod falſum eſt, quia in omnibus rebus eſt. Sic autem, quamuis Sacra Scriptura in modum miraculi ponat Deum in vtero virginis capi, qui intra totum cęlum non capiebatur, non eſt miraculum. Et, quando dicitur, ꝙ dominus non poterat capi in cœlo, eſt ſenſus, ꝙ non poterat Deus intra cęlū contineri, ita ꝙ in cœlo eſſet, & in nullo alio loco extra cęlum. Hoc idētidem de beata Virgine verum eſt, quia, licet filius Dei, aut beata Trinitas in vtero virginis tota exiſteret, ita ꝙ nulla pars, aut aliquid eius ibi deeſſet: tamen non ſic in vtero illo erat, ꝙ in nullo alio loco, aut re exiſteret, quia, cum filius Dei carnem aſſumpſit, & nouem menſibus in vtero virginis fuit, ſtabat etiam in toto vniuerſo, ſcilicet in cęlo, & terra, aere, atque mari. Tunc ergo, ſicut verum eſt, quòd cęlum totaliter in ſe concludere Deum non valebat: ita & in virginis vtero totaliter capi non poterat.

Quomodo Domina noſtra Chriſtum concipere potuit, ſi intra eius vterum penitus non ſtabat. Cap. LXXXII.

SI aliàs fortaſſis argueret: quomodo Domina noſtra Chriſtum cōcipere potuit, ſi intra eius vterum totaliter non ſtabat. Huic reſpondendum eſt, ꝙ verum eſt totum Dei filium, quem virgo concepit, intra eius vterum extitiſſe, & nullam eius partem, aut de eius eſſentia extra vterum remanſiſſe. Sicut ſi aliquis homo intra ſaccum aliquem clauſus foret, qui tamen alteram manuum extra ſaccum adduceret: tunc enim totus homo ille intra ſaccum minimè exiſtebat. De filio autem Dei, quem virgo concepit, ad ipſam referendo ſic dicere non valemus: quia filius Dei ſpiritus eſt, atque indiuiſibilis ſubſtantia. De indiuiſibilibus autem regula eſt, ꝙ vbi aliquid rei indiuiſibilis eſt, tota ipſa res indiuiſibilis eſt, cum nō habeat partem, aut partes. Hoc autem ſolùm ſufficit ad hoc, quod filius Dei de virginis vtero carnem aſſumeret, ipſaque Domina Dei filiū conciperet, quòd enim filius Dei tempore conceptionis, ſiue incarnationis, non ſolum in aluo virginis eſſet, ſed etiam in cæteris rebus, nihil obſtabat ad hoc, ꝙ à virgine conciperetur, aut totaliter in eius vtero eſſet. Cum autem Eccleſia dicit: Quem cœli capere non poterant,

De indiuiſibilib. regula.

Quō ſe intelligi dēat quē cœli capere nō poterant Maria gremio contulit.

A tuo gremio contuliſti. Non eſt ſenſus, quòd vterus virginis eum totaliter contuliſſet, ita quod in alijs rebus, aut locis nullatenus exiſteret, ſed ꝙ benedicta Virgo eum in vtero tenuit totum, ſcilicet, nō manente aliqua parte eius, aut aliquo de eſſētia eius, ſiue natura, quod intra virginis vterū non eſſet. Hoc autem de cęlo identidem verum eſt, quia cęlum ſemper in ſe Deum totū tenuit, ſiue beatiſſimam Trinitatem, & ſemper continuit, licèt non ſolum Deus in cœlo exiſteret: ſed etiam in omnibus alijs locis. Sic etiam quantum ad hoc cœlum, & Domina noſtra virgo æqualia ſunt: nam eo modo, quo Domina noſtra, continebat in ſe filium Dei, ſiue Sanctiſſimam Trinitatem; continebat illum cęlum. Et eo modo, quo cœlum continere non potuit filium Dei, nec vterus virginis valuit cōtinere, ſicut ſupra de-
B claratum eſt. Eccleſia tamē in laudem Dominæ noſtræ faciendo inter eam, & cœlum differentiam, ponit hāc continentiam, tanquam miraculum. Differentia autem continentiæ hæc eſt, quia, licèt filius Dei in virginis aluo ſubſiſtens in omnibus rebus vniuerſi eſſet, tamen de nulla omnium rerum carnem aſſumpſit præterquā de vtero Virginis benedictæ, & in hoc fuit aliquid ſpeciale. Sic enim ait Paulus Apoſtolus in Epiſtola ad Hebræos in cap. 2. Nuſquam Angelos apprehendit, ſemē autem Abrahæ apprehendit, id eſt, ꝙ filius Dei non aſſumpſit aliquem angelum ad vnitatem hipoſtaticam, ſiue ſuppoſitalem, ſiue aliquam aliam rem, cum quælibet res aſſumptibilis eſſet à verbo, ſed aſſumpſit ad hanc vnitatem ſemen Abrahæ, ſcilicet, Beatæ Virginis carnem, quæ erat de ſemine Abrahæ, ſicut Matthæus,
C & Lucas in Saluatoris Genealogia conſcribunt.

Hebræ. 2.

De eadem re ſuperiori ſpeculatio Cap. LXXXIII.

CIrca hoc autem acutius ſpeculantibus dicendum eſt, quod ad hoc, quòd filius Dei carnem de virginis aluo aſſumeret, non magis conferebat dominum Ieſum, ſcilicet verbum patris intra virginis vterum ſolū eſſe, & in nulla alia re, quā ꝙ in beata Virgine exiſtens in omnibus alijs rebus ſimul eſſet, ſicut erat, quādo benedicta illa conceptio facta eſt. Hoc autem conuenienti patet exemplo, quod ab omnibus catholicis approbatur. Scimus namque ex fidei traditione, ꝙ quotienſcunque ſacerdos rite in ſacerdotiom promotus verba
D conſecrationis ſuper debitam materiam triticei panis profert, in inſtanti, quo prolatio deſinit, eſt tota ſubſtātia panis conuerſa in verum corpus noſtri redemptoris, & incipit nouiter Chriſtus in illa hoſtia eſſe, in qua antea nullatenus exiſtebat. Et, ſi fortaſſis multi ſacerdotes rite promoti hæc conſecrationis verba ſuper debitam materiam in eodem loco, aut in diuerſis mundi partibus ſimul protulerint, ſunt ſimul multæ hoſtiæ conſecratæ, & in qualibet illarum Chriſtus eſt verus Deus, & homo. Et non dicimus Chriſtum perfectius exiſtere in vna hoſtia, quando ſola fuerit conſecrata, quam cum ſimul decem milia fuerint conſecratæ. Item, ſi vna hoſtia ſola fuerit conſecrata, eſt Chriſtus in ea ſolum ſemel, quòd, ſi in particulas decem mille fuerit diuiſa, in qualibet earum verè, & integrè
E Chriſtus eſt, & dicimus non eſſe perfectius Chriſtum in tota hoſtia, quando indiuiſa erat, quàm ſit in qualibet illarum decem mille particularum. Sic ergo conformiter non ſteriſſet Chriſtus perfectius in virginis aluo, ſi in eo ſolo exiſteret, & in nulla alia rerum parte, quam ſi in virginis vtero exiſtens in omnibus ſimul mundi partibus eſſet, ſicut in benedicta conceptione factum eſt. Ex prælibatis apparet nullum fore miraculum quantum ad naturam, ſiue ad realitatem, filium Dei intra virginis exiſtere vterum: quia ſatis interius capi poterat, & adhuc in qualibet alia re quantumcunque minoris quantitatis: quia, cum indiuiduus ſit, omni caret quantitate.

Q. Chriſtus nō pfectius ſteriſſet in virginis aluo ſi ī tū in ea, & nō in alijs reb. ſteriſſet, apertiſſimo exēplo declaratur.

Nunquid

Nunquid virgo fuerit digna, vt Chriſtus ex ea carnem aſſumeret. Cap. LXXXIV.

SEcũdum autem, quod ſpeculandum, propoſuimus, erat dignitas continentiæ, ſcilicet, ſi Domina noſtra digna erat, vt de ipſa filius Dei carnem aſſumeret, ꝙ, ſi fortè ipſa digna reperiatur, non erit in hoc vllum miraculum. Si autem digna non eſſet, mirabilis erat dignatio Domini ex ipſa carnem aſſumere. In quo aduertendum eſt, Dominam noſtram perfectiorem fuiſſe, & ſemper eſſe omni quacunq; creatura. Et hoc non perfectione naturæ, quia omnes angeli perfectioris naturæ ſunt omnibus alijs rebus, atque hominibus quantęcunque perfectionis illi ſint, ſed perfectione gratiæ, & virtutum, atque ſpecialium priuilegiorum. Deus namque B. Virgini ſpecialem gratiam, virtutes, atque priuilegia contulit ſuper omnes creaturas, & ſic in cęlis ſuper choros angelorum, atque omnium intelligentium creaturarum collocata eſt, ſicut de ipſa cantat Eccleſia. Exaltata es Sancta Dei Genitrix ſuper choros angelorum ad cœleſtia regna: & tamen omnia iſta, &, ſi pleraque alia ei Dominus contuliſſet, non ſufficiebant ad efficiendum eam dignam Dei Genitricem. Nam conceſſo, quòd Deus dediſſet in centies millecupla quantitate virtutes, atq; priuilegia Virgini Benedictæ ſupra id, quod contulit, non tantum ei contuliſſet, ꝙ eſſet digna mater eius. Conceſſo autem adhuc, ꝙ Deus vſque ad finem mundi ſemper gratiarum cumulos in B. Virgine continuè adaugeret, erat impoſſibile eã ad tm̃ peruenire cumulũ, vt Dei digna genitrix efficeret. Inſuper, licet Deus infinitę bonitatis ſit, poſſitque infinitum bonum, aut eſſe tribuere, ſicut Deus pater filio infinitum eſſe, & perfectionem communicauit in eo gignendo: impoſſibile tamen eſt Virginem Beatam infinitam virtutem poſſe recipere: licet Deus ſecundum ſe eam tribuere poſſet. Sicut Theologi doctores arguunt, & determinãt de virtute creatiua, quòd ipſa nulli creaturæ communicari poſſit. Quorum fundamentum eſt, quia iſta potentia, aut virtus creatiua infinita eſt: quęlibet autem creatura, quantumcunque magna, & perfecta ſit, non eſt infinita: &, cum nunquam aliqua virtus in aliquo ſubiecto recipi poſſit, quę maioris perfectionis ſit, quam ſubiectum: non poterit recipi virtus creatiua in aliqua creatura, quia maioris perfectionis eſt, aut atteſtatur, quam ſit quodlibet ſubiectum creatum. Sic autem in præſenti dicendum eſt, quia dignitas dicit æqualitatem eſſe, aut dignam matrem filij Dei eſt eſſe æqualem filio Dei. Sicut in naturalibus pater, & mater, & filius ſunt vnius ſpecificæ perfectionis, ſiue ſubſtantialis gradus æqualis. Sic ergo concedentes virginem dignam eſſe Dei matrem, concedere cogeremur eam Deo fore æqualem. Neceſſariò ergo concludẽdum eſt, eam nõ eſſe dignam Dei genitricem. Nec in hoc aliquis nos virginis hoſtes eſſe iudicet: cum ſub eius ſola protectione gubernemur: nullo (inquam) modo laudes eius diminuimus, aut honori, aut glorię eius quicquam detrahimus. Sicut enim nullam iniuriam virgini inferimus eam creaturam fore appellantes: ita nullum ei opprobrium facimus, ſi eam Deo non eſſe æqualem fateamur: aut ſi dicamus non dignam fuiſſe Dei genitricem. Virginem ergo Dominam noſtram non dignam effici matrem Dei, effici matrem Dei miraculum eſt. Admirabilis dignationis, bonitatiſque ſuæ termino fuit tantum velle humanam exaltare naturam, vt carnem de fæmina aſſummere dignaretur, quantęcunque illa perfectionis, atque virtutis foret, quia, quantacunq; illa bonitate polleret, ad eum videndum digna non haberet: quãtò magis ad eũ concipiendum, & ex vtero emittendum. Ratione ergo de Domina noſtra prędicabimus, eam vas paruum fore ad recipiendum in ſe filium Dei: licèt ſecundum naturam miraculum nullũ erat filium Dei, aut totam ſãctam trinitatem intra virginis vterum poſſe claudi, erat tamen miraculum quantum ad dignitatem, quia quantum ad dignitatem virgo Domina noſtra non erat digna mater Dei.

Maria V. excellentia.

Virt⁹ creatiua non põt communicari

F

Obiectio contra determinata, & alia ad ea attinentia. Cap. LXXXV.

FOrtaſſis aliquis contra ſupra determinata arguere nitetur, in quibus dictum eſt, Dominam noſtram virginem non eſſe dignam Dei genitricem. Nam de ipſa cantat Eccleſia: tu ſola fuiſti digna portare regem cælorum, & Dominum, ideſt, tu fuiſti digna, quòd in vtero tuo haberes filium Dei, qui eſt rex cœlorum: & hoc eſt eſſe matrem dignam Dei. Huic autem reſpondetur, quòd aliquid eſſe dignum, aliquid alterum agere, aut pati, aut continere dupliciter intelligi poteſt. Vnus modus dignitatis naturaliter eſt, quæ vocatur dignitas ęquiualentiæ. Alia eſt dignitas dignatiua, quæ vocatur dignitas congruentiæ, ſiue complacentię. Prima autem dignitas, quæ naturalis eſt: & dicitur dignitas æquiualentiæ, eſt, quandocunque aliqua res in ſe abſolute accepta non relata ad aliquid alterum attribuens dignitatem extrinſicè, habet in ſe aliquam dignitatem: ſicut naturaliter homo equo dignior eſt, propter ſpecificam perfectionem. Panis quolibet naturaliter aliquã dignitatem habet, quia ad alimentum corporis noſtri, & vitæ conſeruationem valde neceſſarius eſt. Secunda autem dignitas dignatiua, quę dignitas congruentiæ, ſiue complacentiæ appellatur, eſt, vt ſi dicamus, quòd ſolea vnius ſotularis naturaliter, aut ſecundum ea, quæ intrinſicè continet, non habet dignitatem decem ſanecarum tritici. Si tamen rex in ſuo territorio ſtatuat ſoleam ſotularis determinatam ad certam quantitatem, & figuram tres auri duplas valere. Et hoc communi totius regni conſenſu approbatum ſit, valebit ſolea talis ſotularis decem tritici ſanecas, & amplius. Et eſſet digna ſolea ſotularis, vt pro ipſa decem tritici ſanecæ dentur. Hæc autem ſolæ dignitas, non erat dignitas naturæ, ſed dignationis, & congruentiæ. Quia fortaſſis ſic fieri illo tempore concedebat deficienti omnia alia moneta, ſicut alias, in quibuſdam regionibus factum hiſtoricarum narrationum euidentia patefacit: Aut eſſet dignitas ſolius complacentiæ. Quia ſic regi placitum, & toti regno dato, quod nulla alia cauſa ſubſiſteret ſic prędicta faciendi. Hoc autem ad virginem applicari poteſt, de qua dicendum eſt ipſam dignam non fuiſſe Dei genitricem fore: accipiendo dignitatem naturalem æquiualentiæ, non erat tantus valor ſuus, aut dignitas naturalis, vt mater Dei effici mereretur: cum non conſonarent in idipſum diuina, atque humana natura. Item, ſi virgo naturalem dignitatem ad hoc, vt Dei genitrix eſſet, habuiſſet, potuiſſet naturaliter effici mater Dei: ſed hoc falſum eſt, atque impoſſibile. Quia, niſi fuiſſet magna illa Dei bonitas, atque infinita dignatio, vt ad nòs redimendum carnem humanam aſſumere dignaretur, nunquam de virgine carnem aſſumere, nec ipſa foret genitrix effecta. Sic inquit Paulus Apoſt. Propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, Deus miſit filiũ ſuum vnigenitum propitiationem pro peccatis noſtris. Sic ergo ex dignatiua charitate non ex naturali dignitatę, aut aptitudine factum eſt. Secundum autem ſecundam dignitatẽ, quæ dignitas congruentiæ, aut complacentiæ, dicitur, dicendum neceſſariò erit, Dominam dignam fuiſſe fieri Dei genitricẽ, quia, cùm Deus filius redempturus eſſet genus humanum carnem aſſumens humanam, congruum, atque valde expediens fuit, cum de illa fęmina carnem aſſumere, quam in virtutum priuilegiorumq; excellentia præceſſerat cęteris creaturis. Aſſumendo identidem dignitatem complacentię, Domina noſtra digna erat fieri Dei genitricem, quia, licet ſecundum naturam digna non exiſteret, placuit tamen Deo ſuam illã efficere genitricem: Et, licet ipſa in ſe digna non foret, Deus tamen illam tanquam digniſſimam acceptabat: aut eam digniſſimã dignabatur, & hoc modo Domina noſtra digna fuit, vt mater Dei efficeretur. Cũ autem Eccleſia de virgine cantat: Tu ſola fuiſti digna portare regem cęlorum, & Dominum, non intelligit de dignitate æquiualentiæ naturalis: ſed de dignitate cõgruentiæ, aut complacentiæ. Et ſic aſſumendo verum eſt eam fuiſſe dignam, vt ſupra declaratum eſt.

Aliqd aliò dignũ eſſe dupliciter intelligi.

Quę ſit dignitas ęquiualentiæ, & quę dignitas dignatiua, ſeu cõgruentiæ.

G

H

I

K

In

In quo modo Domina noſtra vas paruum, & non paruum dicatur. Cap. LXXXVI.

VLterius autem circa prędicta animaduertendum eſt, cùm ſupra dixerimus non eſſe miraculũ ſecundum naturam filium Dei, aut totã ſanctam Trinitatem intra viſcera virginis clauſum fuiſſe: tamen ſecundum dignitatem miraculum erat, in quo modo iſtorum Domina noſtra vas paruum, & non paruum dicatur.

Huic reſponderi poteſt, Dominam noſtram vas paruum reſpectu dignitatis dici: quia non erat digna ſecundum ęquiualentiam, vt de eius vtero filius Dei carnem aſſumeret. Quantum ergo ad hoc, vas paruum aptiſſimè nuncupatur. Poteſt autem vas non paruum, ſiue vas magnum nuncupari referendo ad naturam: quia quantum ad naturæ realitatem filius Dei, aut tota trinitas, cum ſpiritus ſit, atq; indiuiſibilis, incorporeaque ſubſtantia, in virginis vtero capi poterat, atq; in qualibet alia minori quantitate: Domina ergo noſtra ad tam paruę, imò nullius quãtitatis rem collata, vas non paruum dici poterat. Quamuis prædicta reſponſio ſatis veritate fulciatur, cõuenientius tamen reſponderi poteſt, hæc duo, ſcilicet, paruum, & non paruum, ad idem referendo. ſ. ad dignitatem, ſiue realitatem. Vtrũque autem ad realitatem collatum intelligi non valet: quia, licet ſic referendo vas non paruum Domina noſtra dici poſſet, vas tamen paruum nullatenus dici poterat: ſicut in ſuperioribus declaratum eſt. Oportet ergo vtrunque ad dignitatẽ relatum veritate ſubſiſtere. ſ. vt Domina noſtra virgo vas paruũ appelletur, collata ad dignitatem æquiualentiæ naturalis. Sic enim referendo, paruum vas erat: quia non erat digna effici mater Dei, ſicut in prælibatis inductum eſt: poteſt autem Domina noſtra vas non paruum, ſiue magnum dici ad dignitatem collata, quia, cum ipſa filium Dei continuerit, qui infinitæ excellentiæ erat, neceſſarium eſt, quòd ipſa magnæ foret dignitatis, & ſic vas non paruum dici poteſt.

Aliter autem reſponderi põt. ſ. quod virgo Domina noſtra erat digna effici Dei genitrix, quantũ ad dignitatem congruentię, aut complacentię. Sequitur ergo ipsã vas non paruum eſſe quantũ ad ipſam dignitatem, cum in ipſa filius Dei caperetur. Ex prędictis apparet expoſitio huius quartæ particulę huius primi figurati Paradoxi.

Particula quinta primæ metaphoræ. ſcilicet, vas luminoſum. Cap. LXXXVII.

NArrationis proſecutiuæ ordinem proſequentem ut præpoſita prima metaphora particula quinta ſequitur, ſcilicet. Vas luminoſum. In quo aduertendum eſt, quòd circa iſtam particulam in Latino, & vulgari idiomate controuerſia quędam eſt, quia in noſtro idiomate Caſtellano ſunt duo nomina, quibus in Latino duo alia correſpondentia ſunt. Vulgaria autem ſunt lucio, & lumbroſo: his autem in Latina lingua reſpondent lucidum, & luminoſum: tamẽ è contrario reſpondent: quia vulgari lingua loquẽtes lucio, ſiue lucidum vocãt, quod in ſuperficiem claritatem aliquam habet, licèt ex ſe radios non emittat, ſicut enſis, cum pollitus eſt, vulgariter Lucio vocatur, ſed non luminoſus. Sic enim hominis facies, cùm pinguis, atque plana eſt, lucida eſt, ſed radios nullos emittit. Luminoſum, ſiue vulgariter Lumbroſo dicitur, quod radios emittit. Sicut ſunt corpora cęleſtia, vt ſol, & luna, & cætera aſtra: iſta tamen in lingua vulgari lucida non vocantur. Apud diſtinguentes vocabulorum virtutes in Latino idiomate, vt ſunt philoſophi, & doctores omnes ſuper ſecũdum de Anima, & ſuper c. de potentia viſiua, & ſuper ſecundum de Senſu, & Senſato. ſunt duo nomina ſubſtãtiua. ſ. lux & lumen, a quibus duo adiectiua deriuantur. ſ. lucidus, & luminoſus, quo ſecundũ philoſophos prædictos, & ẽt perſpectiuos, hoc nomẽ lux ſignificat claritatẽ, aut ſplendorẽ ab aliquo corpore deriuatum, & non manet in ipſo corpore luminoſo, ſicut ſolares radij ab ipſo ad terrã emiſſi lux, & non lumen nuncupantur: &

Lucidũ, & luminoſum differũt.

Lux & lumen differunt.

A ſic de cęteris corporibus a ſe incidentias cauſantib⁹ radioſas. Lumen dicitur claritas manẽs in corpore, in quo originem habet: ſicut radij ſolares, dum in ſuperficie ſolaris corporis ſunt: vocantur ergo ſic corpora lucida de ſe radios, ſiue lucẽ emittentia propriè aſſumentes, licet aliquando impropriè his vtamur. Appellãtes ergo Dominam noſtram vas luminoſum, ſi conditionẽ vulgaris idiomatis inſequamur, eſt ſenſus, ꝙ Domina noſtra de ſe radios emittebat. Si autem cõditione latinę dictionis vti voluerimus, luminoſum erit, quod in ſe radios continet, licet de ſe nullos emittat. Hęc autem qualiter virgini beatę applicentur, vertitur in ambiguo. Aliqui fortaſſis Dominæ noſtræ hæc applicabunt ob vultus ſui ſplendorem. Nam ſicut in Iudeorum Annalibus reperitur, & recitat hoc doctor ſeraphicus Bonauentura, Do-
B mina noſtra fuit ſpecialiter pulchra inter omnes contemporaneas fęminas: a nullo tamen vnquam fuit carnaliter concupita. Cùm ergo Domina noſtra corporis pulchritudine aliarum fęminarũ obtineret victoriam: neceſſarium erat vultum ſuum eſſe præ teneritudine planum, atque lucem continentem: vocaretur autem luminoſum, ſi Latini idiomatis proprietate vtamur.

Contra Bonauenturam Doctorem ſeraphicum. Cap. LXXXVIII.

NVllam autem ſimilitudinẽ prędicta adaptatio habere dignoſcitur. Primo, quia fulcimentum ſuum ſatis ſtat in ambiguo: nã licet rationabile fuerit Dominam noſtram corpore pulchram fuiſſe, non tamen ple-
C ne conſtat ſic fuiſſe. Item conceſſis prioribus adhuc peccat prędicta applicatio, quia hic Domina noſtra vas dicitur luminoſum: ex quo liquidè infertur, quòd nõ dicebatur vas luminoſum ſecundũ vultus fulgorem, ſed ſecũdum id, in quo vas erat Domina virgo, vas erat inquantum continebat in vtero Chriſtũ redemptorẽ: neceſſarium ergo eſt eam quantũ ad iſtam particulam vas vocari. Dicendum ergo virginem vas luminoſum dici debere ad redemptorem noſtrum collata: nam Latinæ dictionis cõditione vtẽtes illud luminoſum vocamus, quod lumen in ſe continet, licet radios nullos emittãt. Sic erat virgo ſacratiſſima in ſe continens Saluatorem, qui lumen erat: licet hoc in patulum non erat cuilibet intuenti. Dominam noſtram Chriſtum redemptorem in vtero continentem vas luminoſum dici debere ex
D ratione ſaluatoris apparet: quia ſaluator noſter lumen dr̃, ſicut ex pleriſq; ſcripturę locis manifeſtè colligitur. Sic dicitur Luc. 2. c. Lumen ad reuelationẽ gentium, & gloriã plebis tuæ Iſrael. Sunt autem hęc Simeonis ſacerdotis verba: cùm Chriſtũ ſibi offerri intuitus eſt, quem multis ante temporũ diſcurſib⁹ expectauerat. Chriſtus etiã lumen erat, qa ipſe illuminabat omnes habitantes in tenebris: ſicut Luc. c. 1. deſcribit in cãtico Zacharię. ſ. Illuminare his, qui in tenebris, & vmbra mortis ſedẽt, ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis. Vbi Zacharias de illo, qui ex alto oriebatur. ſ. de Meſſia, ſermones cõtexens ſubnectit, ꝙ Chriſtus natus eſt ad lumen pręſtandum illis, qui in tenebris ſunt, & in vmbra mortis: & ad dirigendũ omnes actiones, & deſideria in pacem, quæ ipſe eſt. Et non ſolũ Chriſtus lumen eſt, ſed lumen
E ſuper omne lumen, quia ſol erat: ſic eccleſia cãtat, cum de laudibus beatæ Virginis agit. ſ. Quia ex te ortus eſt ſol iuſtitię Chriſtus Deus noſter. Iſte autem redemptor noſter, qui verè lumen erat, Iudeis intuentibus non patebat. Nam cum nec Deum, nec Meſſiam opinabantur, ſed virum de communibus, & ſimplicibus arbitrati ſunt. Ex prælibatis euidenter apparet illatum, Dominam noſtram vas luminoſum dici debere, quia in ſe continebat Saluatorem, qui lux, aut lumen erat.

Particula ſexta primæ metapho. ſcilicet, vas non luminoſum. Cap. LXXXIX.

PRimę huius metaphoricę locutionis particula ſexta eiuſdem ſeriei continuata erat. ſ. vas non luminoſum.

ſum. Neceſſe eſt autem virginem Dominam ad illud collatam, vas nõ luminoſum dici:ad quod collata vas luminoſum dicebatur; & ,quia ipſa ad Saluatorem relata vas luminoſum dicebatur, neceſſarium eſt, vt ad eundem relata vas nõ luminoſum appelletur. Hoc autem dupliciter intelligi poteſt,ſ.aut reſpectu ipſius virginis continẽtis: ſecundo reſpectu Chriſti,qui eius geſtabatur in vtero. Quantum ad primum eam vas non luminoſum eſſe conſtat:quia non clarebat eam genitricem fore Saluatoris:quia natiuitas eius,& conuerſatio, præcipue autem & conceptio occultæ fuere. Sic enim redemptor noſter Deus occultus dicitur:iuxta prophetæ teſtimoniũ:tu es Deus abſconditus. Item Iudæi eum Deum non arbitrati ſunt,ex quo conſequenter inducebatur nõ cognouiſſe eos virginem Dominam filij Dei fore genitricem. Sic enim ait Apoſtolus in epiſtola ad Corint.in prima.c.2. Si cognouiſſent, regem gloriæ nõ crucifixiſſent. Iudæi autem videntes virginem Dominam noſtram in ætate puellam,in matrimonium fuiſſe ſuſceptam: Ioſeph autem tunc grandæuum extitiſſe: æſtimauerunt eam à Ioſeph fuiſſe incognitam, & ſic veritas ſe habebat:quia fortè Ioſeph erat aliqualiter ad actum venereum præ ætatis magnitudine impotens: cùm ergo Domina noſtra Chriſtum concepit, & peperit, arbitrati ſunt eam ab aliquo viro adulterino fuiſſe tunc cognitam. Aliqui tamen rectius ſe habentes,quorum Deus tetigerat corda,tantum opprobrium virgini non imponentes putauerunt,eum a Ioſeph viro ſuo,licet grandæuo grauidatam.

Hanc opinionem quorundam tangit beatus Lucas. cap.3.cum dicit. Erat autem Ieſus incipiens, quaſi annorum triginta, vt putabatur filius Ioſeph,ideſt,quòd exiſtimabant eum eſſe filium Ioſeph: qui tamen priorem tenebant poſitionem, eum conceptum, & natum ex adulterino coitu prædicabant, ſicut inducitur ex aliquibus locis euangelij beati Ioannis.

De eadem re, quomodo vas non luminoſum fuit. Cap. XC.

IDentidem autem vas iſtud non luminoſum apparuit.ſ.Domina noſtra in oculis Ioſeph viri ſui, quia cùm Ioſeph certiſſimè cognoſceret,q̃ ad beatam Virginem nũquam carnaliter acceſſiſſet: nihil ſuſpicans ipſam de Spiritu ſancto poſſe grauidari,cum hoc a ſęculis inauditum eſſet, arguens inductione neceſſaria inferebat, eam carnaliter ab aliquo viro adulterino fuiſſe cognitam. Hoc autem quotidie videns intumeſcente vtero eius quotidianis incremẽtis,intraneis viſceroſiſque, intra ſe tacitus affligebatur anguſtijs: nihil horum Beatæ Virgini vllo verbo declarãs: noluit tamen eam accuſare: quia, cum eſſet vir iuſtus, nulli aliquam offenſionem inferre volebat, aut ſaltem iuſtam triſtitiam:ſed intra ſe decreuerat eam occulte dimittere. Sic enim dicit beatus Matthæus cap.1. Ioſeph autem,cum vir iuſtus eſſet, noluit eam traducere: ſed voluit occultè dimittere:tunc angelus in ſomno ei apparens hortatus eſt eum ſuper hac re non contriſtari, virginalis cõceptionis ſupernaturaliter factę pandens myſterium. In toto autem hoc temporis diſcurſu, non erat Domina noſtra vas luminoſum, ſed potius tenebroſum erat in oculis Ioſeph. Idẽtidem hoc apparuit in oculis vulgarium hominum a Deo non illuſtratorum ad huius myſterij cognitionem, Dñam noſtram vas tenebroſum fuiſſe toto tempore conceptionis, & tempore emiſſionis ab vtero, tempore quoque enutritionis domini Ieſu. Imaginabantur namque vulgares, quòd ſicut magnorum regum, atq; principum matres viuunt in magna rerum affluentia:magnis ſubiectionibus potiuntur: magniſque excellentijs funguntur. Cum ergo Deus maior omnibus regibus ſit,ſicut teſtatur B. Ioannes Apocalypſis 1.cap.eam,quę mater Dei erat, maiori omnium horum affluentia potiri condecuit,quam reges,& regum matres potiantur,aut potiri poſſint. Et,quia hæc,aut horum nulla in Virgine bea-

F ta tempore conceptionis inſpexerunt,& tempore partus,atq; poſt partum:non exiſtimauerunt eam Dei genitricem,ſed cuiuſlibet alterius ſimplicium, atq; nullius excellentiæ virorum. Hoc autem euidentibus ſignis innoteſcit:quia virgo Domina noſtra multos, dum grauida fuit,labores perpeſſa eſt, quia ipſa, & vir eius Ioſeph pauperem vitam degebant. Ioſeph namq; ſicut euangeliſtæ declarant,faber lignarius fuit:Domina autem noſtra tela,& acu,mendoque, cæteriſq; fœmineis, atque honeſtis laboribus inuigilãs victum exquirebat ſolicitè, fideliterque virum ſuum adiuuans: ſicut doctor Seraphicus Bonauentura in ſuo libello, quem de vita Chriſti confecit,euidẽter deſcripſit. Idem liquidius apparet argumẽtis: quia tempore,quo Saluator noſter naſci dignatus eſt,verbum caro factũ, vniuerſalis pro-

G feſſio per totum orbem terrarum facta eſt imperante hoc fieri Octauiano, qui tunc Romæ rerum ſummam gerebat. Ibant autẽ tunc ſinguli ad loca,ex quibus originem traxerant, profeſſuri: tũc autem Ioſeph,& Maria iuerunt in Bethlehem ciuitatem ſuam: qui,cũ pauperrimi eſſent,præ multitudine hominum hoſpitium habere nequiuerunt, ſed ſe ad quoddam diuerſorium in viarum medio inclinantes conſedere, vbi in abundantia frigoris Chriſtus paupertimè natus eſt: Deniq; &, cum eum Domina noſtra poſt partum enutriret, in magna pauperie enutriuit: cum nullæ eis diuitię eſſẽt, nec eas vllatenus concupiſcerent: ſed proprijs manib. quotidianũ victum exquirebant. His ergo inſpectis nõ erat Domina noſtra vas lucidũ,ſed valde tenebroſum: nã alicuius peccatoris viri genitrix extitiſſe videbatur.

H

De eadem re ſuperiore, ſcilicet, vaſe non luminoſo, argumenta. Cap. XCI.

SEcundariò autem apparet Dominam noſtram, vas non luminoſum dici debuiſſe reſpectu noſtri Saluatoris: quia, ſi ipſa erat vas luminoſum, hoc erat, quia Chriſtus lumen erat, quia,ſi fortaſſis Chriſtus non lumen,ſed tenebra ingens eſſe viſus eſt,dicẽdum Dominam noſtram vas nõ luminoſum rectè appellari. Chriſtum autem in oculis æmulorum Iudæorum tenebram apparuiſſe notabilẽ euidenter apparet, quia,cum omnes actus Chriſti Iudęorum actibus obuiarent,inuidebant ei, omnia quoque,quæ a Chriſto gerebantur, nefaria eſſe cenſebant, eique multa opprobria conijcie-

I bant,ſ.quòd peccator,ebrius,atque vorax eſſet,& pleraque in hunc modum: ſicut ſcribit beatus Matthæus cap.2. Hic eſt vorax, & potator vini,& publicanorum ſocius: Et alibi Iudæi Apoſtolis de Chriſto dicebant: Quare cum peccatoribus, & publicanis manducat, & bibit magiſter veſter, quaſi dicat, malum valde agit.

Aliquando eum improperabant, dicentes eum dæmoniacum: vt habetur Ioannis 8. cap. ſcilicet, Nonne bene dicimus nos,quòd Samaritanus es,& dęmonium habes? In paſſione quoque cum tota Iudęorum cohors a ſacerdotibus, & tribunis cõcitata eum malefactorem proclamauit dicens, ſi non eſſet hic malefactor, non adduxiſſemus eum ad te: vt patet Matt. 27. cap. multa alia probra infida illa Iudæorum cohors in Chriſtum

K coniecit; in quo liquide apparet, eum in oculis Iudæorum non lucem,ſed magnas tenebras viſum eſſe. Similiter autem Domina noſtra vas nõ luminoſum dici poteſt ad ſui corporis conditionem relata: ipſa namq; vas fuit,quia in vtero ſuo continuit redemptorem: fuit tamen non luminoſum, quia corpus ſuum fuit denſum carens lumine ſicut cætera corpora humana. Dici ergo poſſet ex hoc vas non luminoſum,ſed prælibatæ ſuperius reſponſiones congruentiores ſunt.

Part icula ſeptima prima metaphora ſcilicet vas vacuum. Cap. XCII.

IN metaphoræ primæ ordine conſequenti verbũ ſeptimum ſequitur,ſ.vas vacuum; In quo animaduertendum eſt: quod,cum Domina virgo vas vacuũ nuncupetur,

Maria virgo dupliciter ſaluatorem cõtinuit. cupetur, toties, aut ęque multipliciter vacuum dicitur, A quoties, aut quotuplicitèr vas appellatur. Et, quia diximus eam vas totius puritatis eſſe, totius impuritatis, aut coinquinationis vas vacuum appellabimus. Non enim fuit vlla labes in virgine benedicta. Etiam cùm Dña noſtra vas omnium virtutum appellata ſit, eam vas vacuum omni vitio tam mortali, q̃ veniali, & originali dicere compellemur: de quibus in ſuperioribus perſcriptum eſt, vt magis tamē ex prælibatis patet, cũ illam particulam vas clauſum explanaremus. Concluſum eſt, ꝙ licèt Dña noſtra oĩbus aſſignatis modis vas dici poterit: proprius tamen aptiuſque vas dicta eſt, q̃a noſtrum continuit redemptorē. Et, quia dupliciter virgo continuit ſaluatorem, animaduertendũ eſt, an vtroque modo vas clauſum dici poſſit. Primò, an continuit Domina Saluatorem in anima ſua conceptualiter, quā- B tum ad hoc vas appellari poteſt, quia aliquid in ſe cõtinebat: ſed vacuum dici non valet, quia nihil ei deficiebat. Concluſum ergo apparet virginem vas vacuum appellari debere quantum ad aliam partem, quę erat ſecundus modus, quo virgo in ſe continuit redemptorem, ſcilicet realiter in vtero virginali.

Vacuum dupliciter ſumitur. *Cap. XCIII.*

Superiori autem conſiderationi inſiſtentibus dicendum eſt, quòd iſtud nomen vacuum, ſecundum morem Latini idiomatis duo ſignat. Primò modo vacuum dicitur illud, cui alterum deficit: & ſic hominem inſenſatum vacuũ ſenſu, aut prudentia appellamus. ſ. ꝙ prudentiam nullam habet. Ita enim de ſingulis rebus va- C cuas eſſe predicamus: cũ aliquid de eo, quod ineſſe debebat, deeſſe dignoſcitur: ſiue illud, quo caret ſpirituale, ſiue corpus habens ſit; quamuis magis vacuitas ꝓpter corpus, quam propter incorporalia prædicetur. Secundo modo, dicitur vacuum corpus illud, quod vltimus ſuſceptiuum eſt corporalis, & nõdum recipit. Circa iſtum vacuitatis modum ponit Ariſto. opiniones in libris Phyſicorum. Quidam autem antiquorum opinati ſunt vacuum eſſe ſpacium contentũ inter latera corporis continentis, & contenti: hoc modo Ariſto. in præfatis libris probat vacuum nihil eſſe. Alij autem aliorſum arbitrati ſunt, quorum poſitiones ibidem excludit Ariſt. concludens vacuum nominari locum corporeum repletum de hoc, quoque præfatus Ariſt. probat in pręVacuum quid ſecũdũ Ariſt. dictis Phyſicorum libris vacuum nihil eſſe. Et ſic eſt D iſtud nomen vacuum, ſicut nomen iſtud chimera, quæ voces ſolæ ſunt, nihil rei ſignificatæ prorſus habentes: inconuenientia autem, quæ ſequuntur ad vacui poſitionem inducit Ariſt. in prædictis Phyſicorũ libris: multæ quoque experientiæ hoc euidenter oſtendunt.

Opiniones vulgarium. *Cap. XCIV.*

Vulgarium autem multi imò plures, qui ad tantam intelligentiæ viuacitatem minime eleuantur, exiſtimauere totum locum ſpheræ aereæ, atque igneę continentium, & actualiter continentem vacuum prorſus eſſe: arbitrantur enim ibi nihil eſſe. Fuit autem hæc poetica poſitio, q̃ poetarum famoſiſſimi aut prorſus tenuere, aut ab alijs poſitã retulere. Recitat autem Ouidius E hanc poſitionem metamor. lib. 2. vbi poeticè enarrans de Caliſtene, quæ aliàs Peraſſis dicitur Iouis amaſia, qualiter ab eo grauidata filium, qui Archas dictus eſt, peperit. Inquit, ꝙ cum ſemel Archas annos quindecim agens venator feras inſequeretur, Iuno Iouis ſoror, & cõiunx pelicis ęmula eam in vrſam conuertit: quam ſub veræ vrſæ effigiæ Archas filius inſequens ex arcu iaculata ſagitta letaliter percuſſurus erat. Iuppiter miſeratus, ſagittã directè emiſſam diſiecit, vtrunque. ſ. vrſam, & Archadem filium per aeris inania rapiens: duas cæleſtes vrſas. ſ. duo vicina ſidera eſſe fecit: quarum altera vrſa maior: altera verò vrſa minor appellatur: in quarum vna, quæ polo propinquior eſt, ſtella nautarum, quæ Bootes græcè dr̃, collocata eſt: dicit ergo Ouidius,

Raptos per inania vento,
Impoſuit cœlo: vicinaque ſydera fecit:

Vocauit Ouidius inania, id eſt vacuum totum aerē, igneęque ſpheræ ſpacium, quorum motiuum erat, quia in toto hoc ſpacio corpus nullum videbant: cum aer, atque cęleſtis ignis inuiſibiles ſint. Idem autem excellentiſſimus poetarum Virgilius ponit in Bucolicis in Ecloga, quæ incipit.

Sicilides muſæ paulò maiora canamus.

Vbi recitat antiquorum poſitionem circa formationem rerũ ſequens opinionem Anaximandri, atque Anaxagorę ponentium chaos: qui dixerunt totã mundi vacuitatem athomis plenã fore, illa aũt coniungebantur, atq; corpora cõponebant. Hæc ẽt Democrati Philoſophi poſitio fuit: de quo Ariſt. recitat 1. Phyſic. in c. ſicut B Phyſici dicunt, Virgilius autē in Ecloga nominata, inania. i. vacuitatem, vel loca vacua nominauit ſpaciũ aeris, & ignis cõtentiuum. Iſte modus ponendi vacuũ nõ eſt poſſibilis, quia procedit ex errore antiquorum, atq; vulgarium modernorum exiſtimantium corpus ignis, & aeris corpora non eſſe, nec locum aliquem occupare. Alium modum accipiendi vacuum vulgares, atque alij acutius ſpeculantes poſuere. ſ. ꝙ vacuum corpus illud dicatur, quod alicuius corporis capax eſt, & non continet corpus vllum ſolidũ. Sic. n. de arca dicitur, ꝙ vacua eſt, cùm monetæ, aut alterius rei ſolidæ plena nõ eſt, ipſa tamen vere vacua non eſt, quia aeris plena eſt, cùm nihil aliud ſolidius contineat. Hoc modo in Domina noſtra accipitur, quòd vas vacuum appelletur.

C *Quomodo B. Maria vas vacuum dicta ſit.* *Cap. XCV.*

Nunc autem prædicta applicanda ſunt ad modum illum, quo Domina noſtra vas dicebatur: diximus namque in prælibatis, ipſam fuiſſe vas, quia in mente ſua noſtrum continuit conceptualiter redemptorem: q̃a ad iſtum modum vas vacuum dici nõ poterat: ſicut in ſuperioribus declaratum eſt. Reſtat ergo, quòd alio modo vacuum dicatur, in quo vas dicebatur, ſcilicet, quia in ſuo vtero noſtrum continebat redemptorem: quàm ad hoc vas vacuum appellari non poterat: quia in ſe redemptorem continendo aliquid continebat: quod eam non eſſe vacuam faciebat. Vocatur autem vas vacuum, quia in ſe non continebat id, quod communiter continere debuerat: nam ad hoc, quòd aliqua fœmina D in vtero fętum habeat: neceſſarium eſt, vt prius ſemen virile in vtero recipiat, atque contineat: &, quia Domina noſtra nullum virile ſemen in ſe recepit, nec continuit: cum Chriſtus non ex virili ſemine: ſed myſtico ſpiramine ex ſolo menſtruo muliebri formatus ſit: in hoc vas vacuum fuit. Item, quia Domina noſtra virgo erat, virginitas autem totaliter vacua, atque ſterilis eſt, nihilque concipiens, in hoc aptiſſimè vacuum vas poterat appellari. Hanc autem ſimilitudinem omnes phyſici, atque Aſtrologi ſumunt ad cęlum transferentes in circulo zodiaco, qui eſt circulus obliquus declinans ad vtrunque latus ſuper lineam æquinoctialem. Iſte circulus in duodecim partes diuiſus eſt, quæ totum per continuationem cœlum circuunt: quarum ſingulam ſignum vocauere: ſub his ſignis ſol per totum E annum deambulat: &, quia ſunt duodecim ſigna, ſicut duodecim menſes, correſpondet vnum ſignum cuilibet menſi: & ſol in quolibet menſe vnum ſignum pertranſit: ſignum autem illud, quòd ſol in vltima Auguſti medietate, & prima Septembris medietate pertranſit ab aſtrologis, atque phyſicis virgo nominatum eſt. Omiſſis autem alijs naturalibus, atque aſtrologicis cauſis præcipua, quam ſignat, eſt, quòd ſicut mulier virgo totaliter ſterilis eſt, & dum virgo eſt, nihil concipit aut parit: ita ſol dum in medietate vltima Auguſti, atque prima medietate Septembris diſcurrit ſub circulo Zodiaci quadam parte anni, terra nihil omnino virens gignit: ſed tota marcida eſt, aptiſſimè ergo Domina noſtra, vas vacuum dicitur in quantum virgo eſt.

Particula octaua primæ metapho. ſcilicet, vas non vacuum. Cap. XCVI. F

HVius primi figurati Paradoxi ordinem conſequē-
tibus particula octaua occurrit, ſcilicet, vas non
vacuum: in quo animaduertendum eſt, quód, cum va-
cuum, & non vacuum contraria ſint, neceſſe eſt, vt cir-
ca idem prædicentur. Et, ſicut in ſuperioribus diceba-
mus, Dominam noſtram eſſe vas vacuum immūditia:
ita e contrario, dicentes eam vas non vacuum omni pu-
ritate appellabimus, cùm in ipſa culpa nulla fuerit. Et,
ſicut dicebamus, eam eſſe vas vacuum omni culpa pec
cati: ita eam vas non vacuum, imò plenum omni virtu-
te tam morali, quàm theologica prædicabimus. Appli-
cantes tamen hoc ad modum illum, quo proprius Do-
mina noſtra vas appellatur, dicendum eſt, quód, ſicut G
in ſe Domina Virgo dupliciter continuit redemptorē,
ita dupliciter vas non vacuum dici poteſt. Primò, vir-
go Chriſtum continuit conceptualiter, & in hoc fuit
vas non vacuum, quia in ipſa fuit fidei abundantia: cū
integrè crediderit: licèt conceptus virginalis ſecundū
naturam impoſſibilis foret, & nunquam in tota conſe-
quentium ſęculorum ſerie contigiſſet; poteſtati tamen
diuinæ, atque immēſæ bonitati impoſſibile nihil erat,
aut quouis modo repugnans. Et, ſicut in ea fuit abun-
dantia fidei, ita fuit plenitudo conſenſus. Conſenſit
enim Domina noſtra Dei fieri genitricem: vt ſic ei ali-
quem impenderet famulatum. Hoc ergo virgo conti-
nens, vas vacuum dici non poterat. Si enim hoc non
continuiſſet, deficiente fide. ſ. hæc fieri poſſe, aut eius
deficiente conſenſu, nunquam in ea conceptio filij Dei H
facta fuiſſet. Continuit autem ſecundariò Virgo bea-
ta realiter noſtrum redemptorē in vtero, & in hoc vas
non vacuum fuit. Nam conſiderantes Dominæ noſtræ
virginitatem, arbitraremur eam vacuā fore. ſ. non poſſe
concipere, aut vllatenus parere: tn̄ vacua non erat: quia,
quod virile ſemen non fecit, quod ibi nullatenus fuit,
Spiritus ſanctus Virgini ſuperueniēs operatus eſt, ſicut
Gabriel archāgelus Dominæ prædixerat: vt patet Luc.
1. c. ſ. Spūs ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi
obūbrabit tibi: ideo, quod ex te naſcetur, ſanctū erit. Nō
ergo hoc modo vas vacuum dici poterat. Item alię fę-
minæ, quæ filios paruę conditionis, & ſtatus concipiē-
tes ediderunt: dū grauidæ ſunt, vacuæ non dicūtur, ſed
potius plenę, atque fęcundæ. Cum ergo Dn̄a noſtra fi-
lium Dei verum, & hominem concepiſſet, qui infinitæ I
dignitatis ſuper hoīes erat, vas vacuū dici nullatenus
debuit, ſed totaliter plenū, ſuperq; plenum: ita vt vix
tantæ excellentię natus, intra alicuius mulieris viſcera
claudi poſſet. Ex prædictis liquidè cōcluſum eſt, quód
Domina noſtra vas vacuum, & non vacuum dicta eſt.

Particula nona primæ metaphoræ, ſcilicet, vas mundum. Cap. XCVII.

ORdinis Metaphoræ huius primæ conſequentiam
attendentibus particula nona occurrit. ſ. vas mun
dum. In qua acutius ſpeculantibus dicendum eſt, ꝙ, cū
Domina noſtra omnibus creaturis excellentior fuerit,
omnes modi puritatis, atq; perfectionis, qui in omnibꝰ
creaturis ſunt, in Virgine Domina noſtra excellentius K
reperiuntur. Nam, ſicut diuinas perfectiones, vt poſ-
ſumus, inquiſituri proſequimur regulam, quam ponit
beatus Dionyſius in li. de diuinis nominibus. Ita ali-
quo modo virgini Dominæ noſtræ applicabimus: licèt
non ſecundum æqualitatem: ſed ſecundum aliquam
proportionalitatem. Regula autem hæc eſt, quód quæ-
libet perfectio reperta in aliquo genere, aut ſpecie crea
turæ attribuatur Deo perfectius quā in illo genere, aut
ſpecie creaturæ reperitur, & hoc quia Deus eſt infinitæ
perfectionis, nullū terminum bonitatis ſuæ, aut perfe-
ctionis habens. Itē quodlibet genus creaturę perfectio-
nem aliquam habet, quia eſt ens: eſſe autem etiam per
ſe ſolum perfectio eſt. Si autem omnis perfectio cuiuſli
bet generis Deo non attribueretur, daretur aliqua per-
fectio, quæ in Deo non eſſet, & hoc eſt magnum incō-
ueniens, quia tolleretur diuinæ perfectionis infinitas.
Infinitum nanq; eſt, quod omnia comprehendit, & in
ſe nullū finē habet: ſi tn̄ eſſet aliqua perfectio in crea-
turis, quæ in Deo non eſſet, Deus ex parte illa finitus
eſſet, neceſſarium ergo eſt, quamlibet perfectionem in
creatura repertam in Deo reperiri. Ideo ſi eſſe homi- Oēm perfectionē creaturarū eſſe in beata Virgine.
nem aliqua perfectio eſt, neceſſariò iſta in Deo erit: li-
cèt non ſit eodem modo, quo in homine eſt. Sic enim
de quolibet genere, & ſpecie creaturæ. Si ergo Deo,
quia ſuper omnia eſt, iſta perfectionē attribuimus om-
nium creaturarum, & Dn̄a noſtra perfectior eſt omni-
bus creaturis, non perfectione naturæ, ſed ſpecialium
gratiarum, atq; priuilegiorum, conueniens eſt omnem
gratiæ, aut bonitatis ſpiritualis perfectionem, quæ in
creaturis reperitur, beatæ Virgini attribui. Euidenti er-
go illatione concluditur omnes perfectionis, & purita-
tis modos, qui in creaturis ſunt, in virgine reperiri.

Nulla macula fuit in beata Virgine. Cap. XCVIII.

IN Superioribus dicebatur beatam Virginem ab om-
ni macula purā eſſe, quæcūq; imāginari poſſit: hic tn̄
de maculis corporalibus ſermonē facimus: quia de his
nulli extabat in ambiguo eā penitus mundā fore. Dici-
tur autem macula corporalis, vt quod aliquod corpus
monſtruoſum ſit, ſcilicet, plura membra, aut membro-
rum particulas habens, quàm communiter alia corpo-
ra habere cōſueuerint: ſicut multos digitos, aut manus,
cæteroſve corporis artus, aut pauciora membra habere,
paucioreſve membrorum particulas, quæ in materno
vtero formatæ non fuerunt. Idem cùm corpora non be-
nè in vtero formata ſunt, aut inſolitę magnitudinis, vel
paruitatis ſint, aut ſine mutua membrorum proportio-
ne corpora nata ſint, vel quomodolibet aliter. Horum
autem in Domina virgine nihil fuit, quod patet ex du-
plici fundamento.

Primum fundamentum, ſiue ratio eſt, quia, ſicut Ari-
ſtoteles teſtatur in libro de Phyſonomia, in quo de figu
ris corporum, & earum ſignificationibus agitur, mon-
ſtruoſum corpus monſtruoſam animam repræſentat, i.
quód, cum aliquod corpus inſolitum modum aliorum
quomodolibet habet, ſignum eſt, quód anima exiſtens
in illo corpore peruerſas habeat inclinationes.

Solutio quorundam ad ea, quæ dicta ſunt. Cap. XCIX.

HVic autem aliquis fortaſſis reſpondere conabitur,
quód, licèt ſigna corporis monſtruoſi Dominæ no
ſtræ malitiam inclinationis ſignarent in anima, Deus ta
men poterat illam inclinationem auferens in peruerſi-
tatem bonorum deſideriorum, & operum talem animā
ordinare. Huic reſponſioni argumentatiuæ faciliter re-
ſpondetur, Deū hoc nulla difficultate interpoſita face-
re potuiſſe. & multoties in viris, atque mulieribus id ef
ficit: in Dn̄a autem virgine ſic fieri nullatenus condece-
bat: quod duplici ratione concluditur. Prima, quia, qđ
optimè fieri poteſt, malè ordinari culpā magnā habet,
ſed Deus poterat genitricem ſuam efficere corpore, &
anima diſpoſitiſſimam, ergo ſi ſic fieri condecebat, non
erat vllo modo rationale, eam indiſpoſitam effeciſſe.

Item, cum aliquid conuenienter pauco cum labore
effici poteſt, id magno cum labore efficere culpa nō ca
ret. Sic ait Ariſt. in octauo Topicorum, peccatū eſt per
plura facere: quod fieri poteſt per pauciora. In præſenti
autem ſic eſt, quia Deus potuiſſet genitricem ſuā effice
re perfectè diſpoſitam optima diſpoſitione: ſi ergo eam
monſtruoſam effeciſſet, poſtea verò bonę inclinationis
efficeret, erat dupliciter ad idem laborare, quod nulla-
tenus Deo conuenit, ſic ait Ariſtot. in primo Politico-
rum: Deus, & natura nihil faciunt fruſtra. Item hoc nul
latenus congruebat: quia non efficiebatur Domina no-
ſtra ęquæ perfecta, ſicut aliter fieri poterat: iam ſic erat
vna actio, aliter autem multæ, quod valde magnum in-
conueniens eſt. Nam, ſi Deus B. Virg. integram effe-
ciſſet ſine monſtruoſitate, erat vnica actio: virgo aūt
imper-

imperfecta erat, ſi fortaſſis eam mõſtruoſam effecerat: deinde peruerſas inclinationes abſtulerat conſequẽtes corporis monſtruoſitatem: erãt duę actiones, & non manebat virgo ita, ſicut ſi fuiſſet vnica actio: qua ipſa ſine monſtruoſitate facta fuiſſet. Nã hoc modo in hac ſecunda actione Deus auferebat virgini genitrici ſuæ peruerſam mentis inclinationem conſequentem corporis mõſtruoſitatem: non tamen tollebat corporis monſtruoſitatem. Non eſt ergo vllatenus rationabile dici, Dominam virginem corpore monſtruoſam factam fuiſſe.

Aliæ rationes ad idem. Cap. C.

INtentionis autem huius ſecũda ratio inductiua erat: nam dato virginem corpore extitiſſe monſtruoſam, ex quo monſtruoſitas in anima ſequeretur: ſi Deus mõſtruoſitatem animæ auferret manentibus corporis mõſtruoſitatibus, gentes B. Virginem inſpicientes, neſcientes animæ B. Virginis monſtruoſitatem, ſiue peruerſã inclinationem ab anima virginis diuinitus ablatã forearbitrarẽtur ſemper Dñam noſtram mali deſiderii, atq; peruerſæ actionis eſſe, & eam tanq̃ nullius probitatis fęminam, & infamem exiſtimarent. Ex quo occaſionem quandam haberent conijciendi de Chriſto, ipſum malæ affectionis peſſimæq; actionis virum eſſe: quod dari non conueniebat, quia Deus abſtulit omne incentiuum nequiter in Chriſtũ probra conijciendi.

Concluſione inducitur euidenti in B. Virgine monſtruoſitatem nullam fuiſſe. Aliæ autem ad idem inducẽdum rationes ſunt, quia, quomodocunq; vir aliquis, aut fęmina eſt monſtruoſus in corporis figuratione: inter alios nimio deſpectui habetur: quia de eo nõ vt de viro mentio fit: ipſeque intra medullas ſuas fortiſſimis anguſtiis exuritur: alijs ſe applicare non audens: quibus Deus, & natura corpora ſine monſtro aliquõ tradidere. De benedicta Virgine concedendum non eſt, quòd a Deo taliter effecta ſit, vt omnibus intuentibus deſpectui haberetur. Item, ſicut, cum in aliqua hominum progenie aliquis homo excellens viribus, aut intellectu pollẽs eſt, vel qualibet altera probitate beatus, omnes in illa progenie nati ex illius ſolius probitate exaltantur, & vbicunque ſint magnis laudibus ſe extollunt; Ita, cum in aliqua progenie aliquis homo nequam, aut valde imperfectus eſt corpore, vel intellectu omnes in illa proſapia geniti de illo verecundantur, nec ſe alijs audent hominibus adæquare. Si fortaſſe Domina noſtra imperfecta, atque monſtruoſa corpore fuiſſet, quę imperfectio magis erat, ex hoc magna honoris, atque gloriæ depreſſio omnibus illius proſapiæ hominibus ſequebatur. Et, quia nullus ita virgini, ſicut Chriſtus propinquus erat: cũ ipſe filius eius eſſet: maxima huius facti verecundia, atque dedecus Chriſto erat. Hoc autem concedendum non eſt, ſcilicet, vt ipſe tale opprobrium, atque gloriæ detrimentum ſuper ſe venire permitteret: quia iſta pęna inutilis erat. Quomodocunque autem Chriſtus aliquãm in ſe pęnalitatem ſuſcipiebat, erat, quia ex ea aliqua vtilitas ſequebatur: quæ hic nullatenus demonſtratur.

Dicendum ergo eſt nullam talem monſtruoſitatem in Domina accidiſſe. De hominibus autem monſtruoſis, q̃ inter cæteros homines deprimantur, in patulo eſt, quia non ſolum inter homines deprimuntur, quãtum ad actus ſingulares, & perſonarum priuatarum, ſed etiam quantum ad actus, & honores publicos leges illos inhabiles effecere. Sic enim leges decreuere, vt homo monſtruoſus, quantumcunq; parua foret mõſtruoſitas, iudex effici non valeret: hæc autem propter deformitatis cauſam fuerunt. Item, quia, qui corpore monſtra gerunt, in intellectu alijs viris æquiparari iura non credidere. Item ſecundum canonica inſtituta, qui monſtruoſitate aliqua deprimũtur, ad eccleſiaſticos honores, & officia inhabiles denotantur. Quod ergo Domina noſtra talis foret, quæ ab omnibus publicis honoribus expelli digna eſſet, dignitati ſaluatoris noſtri non modicum dignoſcitur obuiaſſe.

A *Rationes probantes Virginem Mariam à quavis fœda macula immunem, & pulchritudinem corporis fuiſſe bonæ indolis ſignum.* Cap. CI.

CIrca hoc autem aliter animaduertentes, aliter arguere valemus, ſcilicet, q̃ corporis pulchritudo magnæ bonitatis indolis eſt eius, cuius pulchritudo eſt, & cum non ſit quidpiam ita oppoſitum, atque totaliter obuians pulchritudini, ſicut monſtruoſitas, ſequitur rationabiliter eãm in Domina virgine nullatenus extitiſſe. Quòd corporalis pulchritudo bonæ habẽtis indoles ſit, apparet: quia corporalis pulchritudo atteſtatur ſuper bonam complexionem: bona autem cõplexio ſignum, & cauſa efficax boni intellectus eſt. Nam, cum organa phantaſtica diſpoſita ſunt, intelle- B ctus, quibus iſta ſubſeruiunt, rectè intelligit: ſi fortaſſis malè diſpoſita ſunt, intellectus aut parum, aut perturbatè, aut omnino nihil intelligit: ſicut in prælibatis explanatum eſt. Bonus autem intellectus habẽtem aliorum dominum facit, & rectorem. Iuxta illud vulgatũ, vetum quæ prouerbium, qui bono ſunt intellectu vigentes, aliorum ſunt domini, & rectores. Ita ergo ex eſſe pulchrum eſſe dominum ſequitur, & rectorẽ. Sic enim de rege Priamo Troiano dictum eſt, pulchritudo Priami digna eſt Imperio, &, quia talis perfectio ad eſſe dominum, & rectorem præuium erat, valde congruebat virgini benedictæ: quia eſt vna de maximis perfectionibus. Dicendũ ergo eſt in Domina virgine pulchritudinem extitiſſe, nec vllam monſtruoſitatem cor- C poris in ea fuiſſe. Aliæ autem maculæ corporibus humanis ſunt: ſicut eſſe cæcum, eſſe claudum, aut obliquum, ſiue luſcũ, vel ſcabioſum, aut impetiginoſum, aut aliàs in corpore ex aliquo vulnere deformatum. Iſtarum autem nulla in virgine benedicta fuit: nam, ſi Deus in ſacrificiis ſuis nullum animal macularum oſſerri volebat: aliqua, ſ. iſtarum macula deformatum, vt patet Leuitici 22. cap & Deuteronomij c. 12. quãto magis aliqua harum macularum labe cõtactam matrem non acciperet? Non. n. eſt conueniens vllo mõ. Item, quia, ſicut monſtruoſitates faciunt hominem inter cæteros opprobrioſum. Ita huiuſmodi maculę hominem inter cæteros deſpectum, atq; paruæ extimationis efficiunt: aut non tantæ, quantã aliter eſſet habiturus. Sequitur ergo in Domina noſtra maculam nullã extitiſſe D deformantem, aut eam minoris extimationis, vel honoris efficientem. Concluſum ergo ex prælibatis apparet, Dominam noſtram nullam omnino corporis maculam habuiſſe: quia quælibet earum minoris honoris, atque extimationis efficit. Sic igitur poterat Domina noſtra vas mundum dici ab omni macula corporali.

De munditia, & puritate virginis. Cap. CII.

QVamuis Luce clarius ſit, ab omni corporali macula eam immunem fuiſſe, præſens tamen inueſtigatio principaliter non attendebat ſuam munditiam corporalẽ, nec ex hac vas mundũ appellatur: ſed quantum ad munditiam ſpiritualem. Quia in re Dña noſtra erat munda ab omni iniqua cogitatione: erat ſincera ab E omni peruerſa locatione, erat munda ab omni inquinata operatione. Identidem Domina noſtra erat pura ab omni labe originali, ab omni macula mortali, ab omni culpa veniali: de his aũt diffuſius pertractauimus, hãc huius metaphoræ particulam, quæ vas clauſum dicebatur, exponentes. Fuit autem puritas ab omni labe, aut inquinamento perfectius in B. Virgine, quàm in omnibus creaturis. Sic. n. ſacri teſtantur doctores: decuit, vt Beatiſſima mater Dei tanta puritate polleret, qua maior ſub Deo non poſſet reperiri. Et hoc quomodocunque puritas aſſumatur: ſiue enim accipiatur puritas, vt dicit priuationem alicuius inquinationis, vel maculæ, quod eſt proprium eius ſignificatum: hoc enim modo purior eſſe non poterat, quàm vt ab omni originali, mortali, atque veniali labe pura eſſet: a quibus omnibus Domina noſtra munda fuit, nec fuit alij

modi culparum, aut poſsibile eſt haberi; ſiue accipiatur puritas pro augmento virtutũ, ſiue ſcđm numerũ, ſiue ſecundum gradualem intenſionem: nulla enim in toto orbe fuit creatura, quæ ita perfectas, aut gradualiter intẽſas virtutes haberet, ſicut domina benedicta.

Nunquid Beata Virgo fuerit maior Io. Baptiſta in perfectione virtutum. Cap. CIII.

CONtra prædicta aũt aliquis arguere conabitur, ꝙ alij in virtutibus perfectiores eſſent Dña noſtra benedicta; nam vt Euangeliſtæ teſtantur, a Chriſto fuit dictum, inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta; ſed Domina noſtra fuit de natis mulierum; ergo maioris perfectionis virtutum fuit beatus Ioannes Virgine benedicta. Huic autem leuiſsimæ obiectioni multifariam reſponderi valebit inſpecto modo loquendi Saluatoris noſtri, ſ. ad quid iſta protulerit, quia minus ſignificant, quàm videntur. In præſenti tamen ſolum reſpondendum, quòd Saluatoris verba de ſolis maſculis prolata ſunt, de fœminis autem nequaquam, quia dictum eſt: inter natos mulierum, quod ad maſculos ſolos extenditur, cũ loquatur in genere maſculino. Aliquis autem fortaſſe arguet, ꝙ genus maſculinum concipiat fœmininum, ita ꝙ per nomen generis maſculini intelligi valeat res nominis fœminini ſecundum regulas grammaticorum, & etiam ſecundum regulas iuris. Huic reſpondebitur, quod hic nullã fieri conceptionem probabitur in generibus. Item, quia, ſi ſacra ſcriptura hic rem generis fœminini, ſicut rem generis maſculini intelligi voluiſſet, non diceret, inter natos mulierum, ſed inter natos ex mulieribus: hoc patet ex habitudine dependentiæ grammaticalis. Nã, ſi hoc nomen, natus, in tali terminorum contextu ſine prępoſitione cum genitiuo ponatur, ſignificat filium, & non innuitur vlla generum facta conceptio. Cum autem ponitur cum propoſitione, non filium, ſed eum, qui naſcitur, ſignificat, & tunc tam maſculum, quàm fœminam repræſentat, cum nomen adiectiuum ſit. Sequitur ergo præaſſumptam auctoritatem in prælibata nihil niti, ſcilicet, quòd Beata Virgo perfectior in virtutibus extiterit omnibus creaturis.

De virgine, quæ vas mundum appellabatur. Cap. CIV.

OMnibus prælibatis modis Domina virgo vas mũdum appellari poterat, quia in oĩbus illud vas rectè dicebatur, & tamen, quia, vt ſuperius declaratũ eſt, aptior modus ad eam vas vocandum eſt, quia in ſe continuit Saluatorem: ita congruentior modus ad eam vas mundum appellãdum eſt, ꝙ dñm continebat. Dupliciter aũt Virgo Chriſtum continere dicta eſt, ſ. conceptualiter, & quantum ad hoc non poterat vas mundum, aut immundum iure vocitari. Quia Dña noſtra conceptualiter tenuit fidem diuinæ poteſtatis ſupernaturaliter ad conceptum virgineum operantis, tenuit etiam conſenſum, vt prædicta in illa fierent: hæc autẽ non ex aliquo fine iniquo: ſed vt Deo aliquem impenderet famulatum. Si. n. Gabrieli reſpondit: Ecce ancilla domini: fiat mihi ſecundum verbum tuum. Si tamen in iſto metaphorice loqui vellimus, diceremus Dominam noſtram vas mundum eſſe: nam omnis conſenſus, cogitationes, atque prolationes, ſi ſecũdum genus malæ non ſint, aut ad iniquum finem gerantur, caſtæ, aut mundæ vocantur. Sic enim ait Pſalmiſta Pſalmo 18. Eloquia domini eloquia caſta: quia ergo virginalis conſenſus, vt Dei genitrix efficeretur, ad bonum finẽ fuit: vas mundum in hoc dici potuit. Secundus modus continendi Saluatorem fuit realiter in ſuo vtero, & qnamuis ex ſupradictis nullatenus cõueniret Dñam noſtrã, vas mundum dici, magis congruebat quantum ad iſtũ modum realis continentiæ. Fuit nanque Virgo beata vas mundum, nullam aliquatenus ſuſcipiens immunditiã ad concipiendum redemptorem. In oĩbus autem fœminis ſecus fit: nam ad hoc, vt aliqua fœmina conci-

F piat, neceſſarium eſt maſculinum ſemen in vtero eius recipi: qđ, licet ſecundum ſe immundum, aut immunditia nulla ſit, quia Dei creatura eſt: quia tñ in originalis culpę pœnalitatem datum eſt, vt ſeminalis deciſio, atque maris, & fœminæ commixtio ſine concupiſcentiæ paſſione nullatenus fiat: quam concupiſcentiam ſacra ſcriptura immunditiam vocat, quia ob immunditiam hæc in pœnam data eſt, aliàs autem ſacra ſcriptura eam maculam, vel peccatum appellat: ſicut pſalmiſta pſalmo 50. ait: Ecce in iniquitatibus conceptus Pſal. 50.
ſum, & in peccatis concepit me mater mea.

Quod licet de originali culpa dicatur, aptius tamẽ de quibuſdam pœnalitatibus conſequentibus carnalẽ commixtionem dici poterit, & hæc reliquiæ peccati originalis nuncupantur. Ab omnibus his Virgo Do-
G mina noſtra immunis fuit; quia in conceptu ſuo non fuit aliqua carnalis commixtio, nec deciſio ſeminis virilis. Euidenter igitur ex prædictis apparet, quomodo Domina noſtra vas mundum aptè dicta eſt.

Particula decima prima metaphora, ſcilicet, vas non mundum. Cap. CV.

IN fine autem huius primi figurati Paradoxi vltima, quæ decima eſt in ordine, particula eſt: vas non mũdum: quo circa, cùm in prælibatis veriſſimè Dñam noſtram vas mundum eſſe probauerimus, non poteſt vas non mundum rectè vocitari. Põt tñ dupliciter, vas non mundum nuncupari. Primus modus eſt, vt Domina virgo vas non mundũ appelletur collata ad re-
H ptorem noſtrum, quem in vtero continebat. Hoc autẽ, quia, licet Dña virgo verè munda eſſet comparata tñ ad redemptorem noſtrum, qui infinitæ puritatis erat, non erat ipſa ſufficienter pura, quia nõ erat infinita ſua munditia, nec erat poſſibile infinitam fore, ſcđm quã digna Dei genitrix haberetur ſecundum dignitatem æquiualentiæ, vt in ſuperioribus declaratum eſt: ſic ergo ſua munditia, licet magna foret, cõparata puritati redemptoris, quẽ tenebat in vtero, vocari nõ poterat puritas, ſed potius non munditia. Iſte modus loquẽdi vſitatus eſt in ſacra ſcriptura: ſicut patet in lib. Iob. vbi loquens de perfectione Dei, dicit: Coram eo cœli quoque immundi ſunt, & in angelis ſuis reperit malitiam: cœli tñ ſimpliciter mundi ſunt, angeli quoque, qui cũ Deo ſunt, malitiam nullam habent: vocatur tamen im-
I munditia, vel puritas parua puritas cœlorum cõparata ad infinitam diuinam puritatem. Angelorum autẽ parua bonitas dr̃ malitia, ad diuinam bonitatem collata. Iſte aũt loquendi modus in conſiderationibus philoſophicis reperitur: nã, cum diſtinguitur, quoties priuatio aſſumatur, dr̃, ꝙ vno modo priuatio dr̃ forma minoris perfectionis reſpectu formæ magis perfectæ: ſicut nigredo dicitur priuatio albedinis, ſic maior albedo dicit, tanquam forma, & minor albedo maioris albedinis priuatio dicitur. hunc modum ponit Albertus Magnus Theutonicus. Sic igitur maior puritas, verè puritas dicetur, & minor puritas reſpectu maioris, non puritas, ſiue priuatio puritatis nuncupabitur. Et, quia puritas Dei fuit infinita, puritas autem virginis fuit finita, dicitur virgo vas non mundum.

K *Alio modo Virgo Maria vas non mundum appellata eſt. Cap. CVI.*

SEcundus modus aſſumendi Dñam noſtram non eſſe vas mundum põt eſſe, quantum ad opinionem, ſiue apparentiam, & non quantum ad veritatem: quia, licet ſecundum veritatem vas mundũ eſſet, aliquibus tamen vas non mundũ viſum eſt. Nam Iudæi videntes eam contraxiſſe cum Ioſeph, qui grãdęuus erat, & qui fortè carnaliter ei copulari nõ poſſet, arbitrati ſunt eã ab aliquo viro adulterio fuiſſe cognitã, ideo ipſi Chriſtum in adulterio genitum appellabant. Et cum Chriſtum opprobris ſaturare volebant, improperabant dicentes. Nos ex fornicatione nati nõ ſumus, ac ſi apertè dicerent:,

dicerent,tu in fornicatione natus es,ſed non nos.Idẽ-idem Ioſeph perperã de Virgine ſuſpicatus eſt, quia, cum eam cerneret grauidatã,ſciretq; a ſe carnaliter cognitam non fuiſſe:ſic ſupra prælibauimus, cum particulas illas luminoſum , & non luminoſum differeremus.Licet ergo verè Dña noſtra vas mundum fuerit ; tñ vas mundum non apparuit in Iudæorum oculis,& Ioſeph . Quòd ſi fortaſſis aliquis Chriſtum filium Ioſeph arbitraretur,ſicut euangeliſta Luc.cap. 3.refert,ſ. erat añt Ieſus incipiens, ſ. quaſi annorum triginta , vt putabatur filius Ioſeph. Alibi aũt de Chriſto legitur , ꝙ filius fabri nuncupatus ſit , cum dr̃:Hic eſt filius fabri,& Mater eius,atq; ſorores apud nos ſunt.Iſti ſic arbitrabantur Chriſtum eſſe filium Ioſeph:licet exiſtimarent Dñam noſtram non eſſe vas mundum . Nam Chriſtum ex virili ſemine natum, & oẽs tales conceptiones immundæ ſunt,cum fiant ſecundum carnalis concupiſcentiæ ardorem,qui peccatum,aut iniquitas, vel non puritas dr̃.Et, quia nullus Hebræorum Chriſtum de Spiritu ſancto conceptum arbitrabatur,ſed virili ſemine deciſo, oẽs eam vas non mundum arbitrabantur. Ex ſupradictis infertur , qualiter Domina noſtra vas mundum,aut non mundum appelletur,& ſic explicit literalis explanatio huius figurati Paradoxi.

PARADOXON SECVNDVM DE LEONE.

De ordine dicendorum. Cap. I.

CONditione ordinis , quem veſtra regia celſitudo mihi ſeruorum veſtrorum minimo vaſallo in præpoſitis direxit metaphoricis locutionibus,ſecunda eſt .

Fuit vnus Leo,qui videbatur,& non videbatur:qui audiebatur,& non audiebatur: qui cognoſcebatur , & non cognoſcebatur:qui tangebatur,& non tangebatur. qui tenebatur,& non tenebatur .

Sicut in exordio huius explanatiui tractatus quinq; figuratorum Paradoxorum fuit poſita quædam ipſorum cõis proprietas , ſ. quòd omnia iſta Paradoxa, aut mirabiles propoſitiones appellãtur:ſic ergo in præſenti dicendum eſt,oẽs has quinq; eodem ſtylo præcedere , quia in qualibet earum ſunt quinque contradictoriarum propoſitionum connexiones. In hoc aũt inſpiciẽtes dicendum eſt, ꝙ metaphora prima, in cuius explanatione hactenus laborauimus de B.Virgine intelligebatur, ſicut in proſecutione declaratum eſt . Ita oẽs iſtæ quatuor conſequentes de redẽptore nr̃o exponendæ ſunt,ſicut inferius apparebit . Partes nanq; cuiuslibet harũ metaphorarum redemptori noſtro ſolũ conueniunt , alicui aũt alteri perſonæ conuenire non poſſunt:licet ei applicare velimus: omnes ergo ſubſequentes quatuor metaphoræ cum conuenienter exponentur, redemptori nr̃o neceſſariò applicandæ ſunt.

Prima pars huius ſecundæ metaphoræ. Cap. II.

INter has aũt quatuor connexas metaphoras,quæ de ſolo Chriſto exponendæ ſunt, prima in ordine eſt :

Fuit vnus leo,&c.In cuius principio attendendũ eſt, ſicut in tractatus exordio annotauimus, ꝙ, cum tranſumptio ſit,quorundam rerum noĩa rebus alijs imponendo, neceſſarium eſt rõnem aliquam conuenientiæ inter illa aſsignare. Oportet ergo in præſenti cauſam aliquam aſsignare,quare ſacra ſcriptura Chriſtũ leonem appellauerit:nã frequẽter in ſacra ſcriptura Chriſtus leo appellatur:ſicut dr̃ Geneſ.capit. 49.vbi ponit Iacob benedictiones filiorum ſuorum,cum aũt ad benedictionem filiorum Iuda(in cuius tribu Chriſtus natus eſt,ſicut ex euangelio Lucæ, & Matthęi manifeſtatur)veniret benedicendo Chriſtum ſub noĩe Iudæ,ait: Iuda,te laudabunt fratres tui,manus tuæ in ceruicibus inimicorũ tuorũ ad prędã aſcendiſti fili mi,& accubuiſti ſicut leo,& leęna, quis ſuſcitabit eũ ? Chriſtus autẽ

Chriſtus leo appellatus eſt.

Gen. 49.

A Iudas nuncupať,quia in Hebræo idiomate nomẽ iſtud Iudas laudem notat, hoc aptiſsime Chriſto congruit : nãChriſtus magnis laudibus exaltatus eſt.Sic inſequẽs litera ſignat,ſ.tè laudabunt fratres tui: Chriſti fratres chriſtiani ſunt,quia ſicut ipſe Chr̃s , ita Chriſti chriſtiani nuncupantur.Idem patet, per apoſtolum Paulũ in epiſtola ad Hebræos.c.2. cũ dicit:non erubeſcit eos vocare fratres,quod ibidẽ Apoſtolus de Chriſto dictũ probat,per illud Pſalmi 20.ſ.Narrabo nomen tuũ fratribus meis,& in medio Eccleſię laudabo te . Hęc autẽ verba ſunt noſtri redemptoris ad Deum patrẽ,ſiue ad totam Trinitatem.Dr̃ vlterius:Manus tua in ceruicib. inimicorum tuorũ. Hoc aũt de Chriſto potius , quàm de quopiam alio intelligitur. Nam,cum omnes gẽtes , & populi timuerunt , & inimici eius,qui ſuis actibus
B ęmulantes obuiabant,ſcabellum pedũ eius poſiti ſunt. Sic ait Pſalmiſta,Pſalmi 108. ſ. Dixit dominus domino meo:ſede a dextris meis:donec ponã inimicos tuos, ſcabellum pedum tuorum.Iſte pſalmus de Meſsia intelligendus eſt:ſicut in primi Paradoxi declaratione , circa primam particulam manifeſtatũ eſt, vbi dr̃ : vas clauſum.Dr̃ vlterius : Ad prędã aſcendiſti fili mi : qđ de Chriſto intelligitur deſcendente ad inferos,& inde prędã trahente: quia oẽs ſanctorũ patrũ aĩas ad ipſum ex actionum,& ex fidei merito pertinentes, inde eduxit ſecũ ad fęlicitatis patriã reducturus.Sic ait pſalmiſta aſcendẽtes in altum,captiuam duxit captiuitatẽ,ſ. quòd eos,qui in inferno captiui erãt,& captiuitas nuncupantur, inde abſtrahens tanquã captiuos duxit,quia eos magnis viribus de dęmonum eripuit ptãte. Vlte-
C rius ſequitur. Sicut leo, & leęna:quis ſuſcitabit eum ? quod intelligitur de quiete dñicæ accubitus in ſepulchro:quia, ſicut dormientẽ leonẽ nullus ſuſcitare audet,quia oẽs eũ timent.Ita nullus erat, qui de ſepulcro dñm Ieſum ſuſcitare valeret: niſi ipſemet,qui erat verus Deus . Vocatur ẽt leo Chriſtus in reſurrectione; quia ſicut leo viribus potens eſt;ita Chriſtus in reſurgendo potens fuit,cum proprijs viribus reſurrexerit.

Chriſtus duplici de cauſa leo nuncupatur. Cap. III.

PRædicta autem intentioni propoſitæ aptius applicantes , dicemus leonem Chriſtum dupliciter nuncupari . Primò propter poteſtatem, & ſubiectionem : quia,ſicut cuncta animalia,leone viſo, ſtupent:ita om-
D nes gentes ad Chriſti formidant imperium : quia eum Deum eſſe cognoſcunt; &, ſicut leoni omnia quadrupedia exhibent famulatum : ita Chriſto omnes gentes obediunt. Secundò Chriſtus leo vocatur propter fortitudinem, quia,ſicut leo omnibus animalibus fortior,atque impetuoſior eſt : ita Chriſtus eſt cunctis rebus fortior:de leonis robore ſcribitur Prouerbior. 30. cap. Leo fortiſſimus animalium ad nullius eorum pauebit occurſum. Item Chriſtus propter potentiam reſurrectionis leo vocatur,quia in magna potentia reſurrexit,ſcilicet,in propria potentia,nullo extrinſeco adiutore ; quæ potentia erat infinita . Ex hac etiam ratione Chriſtus quatuor animalibus comparatur,ſcilicet, aquilæ,boui, homini,leoni. Aquilæ comparatur in a-
E ſcenſione; quia, ſicut aquila cœteris animalibus excelſiorem facit volatum;ita Chriſtus reſurgens ad altiſſimam polorum ſedem aſcendit . Comparatur boui in paſſione;quia,ſicut bos in victimam cæditur:ita Chriſtus pro nobis ſine aliqua metaphora immolatus eſt. Comparatur homini in natiuitate ; quia tanquàm homo purus natus eſt. Comparatur leoni in reſurgendo; quia potens in robore reſurrexit . Item, cum quatuor Euangeliſtæ prædictis quatuor animalibus comparantur; quæ imaginariè vidit Ezechiel , vocatur Marcus leo;quia ipſe cœteris apertius, aptiusque dominicam reſurrectionem enarrauit. Vocatur quoque Chriſtus leo in multis alijs locis ſacræ ſcripturæ; ſicut patet in Apocalypſi Ioannis , ſcilicet . Vicit leo de tribu Iuda.Sicut apparet ex euangelio Lucæ,& Matthęi.Ex prædictis liquido concluditur inductio hoc ſecũdum

Prou. 30.

Chriſtus quatuor aſſimilatur alalibus,ſ.aqle, boui, hoi , & leoni.

vnde Marcus euãgeliſta fortitudinis nomẽ leonis.

figuratum Paradoxon de Chriſto debere intelligi, & F
cur leo nuncupetur.

Pars prima metaphoræ ſecundæ, ſcilicet, Leo, qui videbatur. Cap. IV.

COnſequens huic in hac ſecunda metaphora particula eſt: Qui videbatur. De Chriſto Saluatore noſtro, quem præſens figurata locutio leonem appellat, omnes ſubſequentes particulæ exponendæ ſunt. De hoc dicitur, quòd videbatur. Iſte enim dominus Ieſus de Virgine natus triginta duobus annis, & dimidio, iuxta traditionem ſcripturæ, ſcilicet luſtris ſex, qui iā peractis, inter homines communicauit, ſcilicet, vſque ad tempus ſuę ſacratiſſimę paſſionis: Poſt reſurrectionem quoque apparuit illis demonſtrans eis in multis G argumentis ſuam ſanctam reſurrectionem, ſicut in 1. cap. libri Actuum apoſtolorum continetur. In toto autem hoc tempore viſus fuit dominus Ieſus ab illis, cū quibus communicabat. De hoc Baruch propheta. 4. c. hic eſt dominus Deus noſter, & non æſtimabitur alius a nobis, qui inuenit omnem viam veritatis: & dedit eā Iacob puero ſuo, & Iſrael dilecto ſuo. Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt. Hæc autem prophetalis auctoritas de Chriſto Saluatore noſtro, qui verus Deus, & homo eſt, liquidò patet exponenda. De hoc Saluatore Abacuc loquitur continuata narratione quarundam aliarum rerum, quæ præpoſuerat, & dicit: Hic eſt dominus Deus noſter. In quo innuit hunc Saluatorem eſſe Deum, qui ea, de quibus ſuſpenſiuus ſermo texebatur, effecerat. Et dicit hunc H Deum ſuum eſſe: quia non ponit, aut tollit quenquam alium Deum, aut Deos: ſicut fatua coluit gentilitas: quæ multiſanam deorum diſtinctionē poſuit, de quibus aliquoties latius diſſeruimus. De his Aug. de Ciuitate Dei libro 2. 3. 5. & 7. Horum autem nullum viri Iudæi paternas traditiones ſequentes colendum aſſumpſere, de quibus hic Habacuc, qui prædicta loquebatur, erat. Et ſubdit. & non æſtimabitur alius à nobis, quod ad Deorum mutationem in colendo clare attinet, aliquæ enim de gentibus nationes Deos inutiles, atque infames aſſumentes, cùm ſibi nihil ab illo Deo conferri viderent, illum nullum bonum exiſtimantes poterant ad aliorum Deorum declinare culturam: de hoc ergo Baruch in prelibata auctoritate teſtatur, cum & comparticipes verarum traditionum nunquam Deū I alium aſſumpturos. Fundamentum autem horum eſt, quia Deus Hebręorum erat verus Deus, & ſolus Deus multa, tam temporaliter, quàm ſecundum ęternorū repromiſſiones cultoribus ſuis bona diſtribuens. Non erat igitur aliquis alius ęſtimatorum Deorum, qui illis magis vllatenus prodeſſe valeret: nulla igitur ſaltē apparenti ratione moueri poterant, vt hoc Deo deſerto alterius ſe aptarent culturę. Iudęi tamen, qui aliquando infidi, & valde nequam erant, mutauerunt Deum ſuum ſimulachra excolētes. Sic teſtatur Pſalmiſta pſalmo 104. Et mutauerunt gloriam ſuam, in ſimilitudinē vituli fœnum comedentis, ideſt, mutauerant Deum ſuum, qui erat gloria ſua in bouem: hoc fuit cum exeūtes de Aegypto in deſerto vitulum coluerunt. Sæpius autem hoc feciſſe referuntur, vt ex hiſtorialibus pro- K phetalibuſque ſacræ ſcripturæ libris apparet diſcurrenti: ſuper quibus Deus magna indignatione conqueritur per Ieremiam cap. 2. Tranſite ad inſulas Cethim, & in Cedar quoque mittite, & videte, ſi mutauit gens Deum ſuum: & ipſi non ſunt dij, populus autē meus mutauit gloriam ſuam in idolum. Sequitur in prædicta auctoritate. Iſte inuenit omnem veritatem, & dedit eam Iacob puero ſuo, & Iſrael dilecto ſuo. Hoc quo ad legiſlationem intelligitur: nullus namque extimatorū Deorum cultoribus ſuis, vt mores regerent, vitia extirparent, leges vllas dedit, ſed potius infanda ſacrificia, & ritus profanos in miſerabilium illequeationem animarum tribuere, de quibus amplè diſputat Aug. ſecundo de Ciuitate Dei, loquens de frigidis ſacrificii, aut fugalibus, quæ Troiana dicuntur. Hęc enim Berecinthiæ deorum matri gentilium nationes impendebant. Verus Deus ſuis cultoribus modum ſibi complacendi in actionū directione, atque vitam æternam, in qua fęlicitas ſiſtit humana attingendi volēs tribuere, ne in alterutrum deuiatione humani iudicij actus flecti poſſint, legem in libris quatuor Moyſi conſcriptā dedit. Et, cum dicit cum inueniſſe omnem veritatem, ſenſus eſt, quòd ad omnes humanas actiones, in quib. aut errare, aut rectè agere homines poſſunt, ſufficientes leges illi tempori dedit. Dicit autem hanc veritatem traditam fore Iacob puero ſuo, & Iſraeli dilecto ſuo, quod ad idem pertinet, quia Iacob, & Iſrael vnius viri nomina ſunt: quoniam, qui Iacob antea vocabatur, poſtea ab Angelo Iſrael nuncupatus eſt, vt patet Gen. 32. & 35. cap. Dicit autem datam legem hanc, ſeu veritatē Iſraeli, quia nulli alij populo Deus legem dedit: licet quidam imperiti Iudęorum ſecus ſentiant, dicentes, ꝙ prius iſtam legem Ammonitis, Moabitiſque, atque Iſmaelitis dedit, ſed ipſi eam ex quibuſdā friuolis cauſis ſuſcipere noluerunt: quam cum reieciſſent, Deus illam Iudæis in monte Sinai propoſuit; & illi eam libentius ſuſcepere: quam friuolam, vanamque poſitionem diffuſius improbauimus ſuper Deuteronomij cap. 33. Quod autem dicit, poſt hęc in terris viſus eſt; & cū hominibus conuerſatus eſt, ad aduentum Chriſti in carne clarè attinet, qui aduentus pluſquàm mille, & ducentis annis poſt traditam in Sinai legem fuit. Tunc .n. viſus fuit in terris, quia, cum ante ſpiritus purus foret, videri non poterat: poſtea verò verbum caro in ſubſtantia apparens corporea ab omnibus videri potuit. Conuerſatus eſt autem cum hominibus prędicando, exhortando, conuerſando in potibus, atque cibis. Ex prelibatis patet, quòd Chriſtus, qui leo erat, videbatur.

De modo duplici, quo Chriſtus videbatur. Cap. V.

CIrca prædicta vlterius ſpeculantibus inquirēdum eſt, quomodo Chriſtus videbatur: & dicendum, ꝙ dupliciter videbatur. Primo in corpore ſuo benedicto, ſicut cùm inter gentēs conuerſabatur prędicans, & exhortans. Secundo modo in hoſtia videtur: nam hoſtiam videntes, cum ſciamus ibi ſub panis effigie Chriſtum latere, dicimus Chriſtum videre. Primus modus proprius eſt aliqualiter: ſecūdus autem per appropriationem quandam; In quo animaduertendum eſt Chriſtum, ſiue Ieſum dicere vnam perſonam, ſuppoſitum, ſiue hypoſtaſim: quę tres ſubſtantias cōplectitur, quarum prima diuina eſt, ſ. ſecunda perſona Trinitatis, quę eſt filius, & hęc ſibi naturam humanam in vtero virginis vniuit: Secunda ſubſtantia eſt anima humana: Chriſtus namq; veram humanam animam aſſumpſit nouiter creatam, atque infuſam illi corpori benedicto, ſicut in cęteris hominibus eſt. Tertia ſubſtantia eſt corporea: Chriſtus enim verum corpus humanum de virgine ſumpſit. Hę tres ſubſtātię vnam hypoſtaſim, aut perſonam non componebant, ſicut corpus, & anima rationalis compoſitione vnum hominem conſtituunt, quia tunc ſecunda Trinitatis perſona alicuius compoſiti pars eſſet, quod falſum eſt. Item, quando aliquid componitur, perfectius eſt compoſitum qualibet ſuarum partium, ex quo infertur Chriſtum perfectiorem eſſe ſecunda perſona Trinitatis, quod falſum eſt: quia, cum ſecunda Trinitatis pſona infinitę perfectionis exiſtat, ſuper infinitum maius daretur, qđ cōtradictionē includit. Non ergo iſtę tres ſubſtantię ſuppoſitum, pſonam, aut hypoſtaſim Chriſti componunt. Sicut corpus, & anima hominem conſtituunt. Sed diuina perſona, ſ. ſecunda in Trinitate integrè, & totaliter ſuppoſitū, aut hypoſtaſis, vel perſona Chriſti eſt. Duę autem aliæ ſubſtantię, ſ. corpus, & anima non conſtituunt aliquam perſonam, hypoſtaſim, vel ſuppoſitum: ſicut in quolibet homine corpus, & anima tertiam faciunt entitatem, ſiue ſuppoſitum, aut perſonam: ſed aſſumptæ ſunt, vt vnitæ verbo, quod eſt ſecunda Trinitatis perſona,

Baruch. 4

Subſtantia triplex in Chriſto.

ſona, & non addẽdo aliquid de hypoſtaſi, aut nouam
cóſtruendo perſonam, vnam cum verbo perſonã, vel
hypoſtaſim faciunt. Alioquin Chriſtus eſſet duæ per-
ſonæ integræ, aut hypoſtaſes. ſ. vna perſona diuina, q̃
eſt perfecte pſona nullo ei prorſus addito: alia aũt eſſet
hypoſtaſis, vel perſona, quã corpus, & aĩa vnita conſti-
tue rent, & ſic Chriſtus non eſſet vnus, ſed duo: ſicut
Deus, & quilibet alius hõ de nobis duo, & non vnus
eſſent: quod impoſſibile penitus erat, ſicut, ꝙ vnus ho
mo, duo hoĩes eſſent. Sequitur ergo has tres ſubſtan-
tias multas pſonas, aut hypoſtaſes non cõſtituere, ſed
vnam. Sic Athanaſius in ſymbolo fidei noſtræ atteſta-
tur de Chriſto loquens. ſ. qui, licet Deus ſit, & homo:
non duo tñ, ſed vnus eſt Chriſtus. i. licet habeat duas
naturas, quia Deus eſt, & homo: & habeat tres ſubſtan
tias, diuinam, aĩalem, & corpoream, nõ tñ eſt duę per-
ſonæ, ſed vna. Item, ꝙ corpus, & aĩa Chriſti ſuppoſi-
tum, aut perſonam nullam conſtituant, aut partes hy-
poſtaſis, vel perſonæ ſint, probat Athanaſius in eodem
ſymbolo, non conuerſione diuinitatis in carnẽ, ſed aſ-
ſumptione humanitatis in Deum. i. ꝙ ad hoc, ꝙ Chri-
ſtus vnũ ſuppoſitũ eſſet: non oportuit, ꝙ natura diuina
& humana miſcerentur, aut diuina in carnem mutare-
tur: vt ſic idem cum corpore eſſet, ſed ꝙ illa perſona
diuina ſuppoſitum eſſet, & aſſumeretur humanitas à
verbo. Ex prædictis euidenti illatione concluditur,
quód in Chriſto tres ſubſtantiæ ſe habeant, & quæ ea-
rum ſit totaliter ſuppoſitum, aut perſona Chriſti.

*Dubium, ſcilicet, nunquid Chriſtus animam ha-
buerit. Cap. VI.*

SVperiora intendentibus dubium ſuboritur: quia di-
ximus Chriſtum tres ſubſtantias complecti, ſcili-
cet verbum, & corpus, atque animam rationalem. Du-
bitabit ergo aliquis in hoc, quia multi exiſtimauerunt
Chriſtum animam non habuiſſe, ſed ſicut anima eſſe
corpori tribuit per vnionem: quia ipſa ſpiritus eſt: ita
Deus cum ſpiritualis ſubſtantiæ ſit, ſi corpus ſibi vni-
ret, illud viuificare poſſet: nec erat neceſſitas aliqua a-
nimam in illa incarnatione nouiter fuiſſe creatam ad
corpus illud informandum, ſed verbum. ſ. ſecunda in
trinitate perſona corpus illud ſibi vniens animaret tri
buens eſſe, viuere, & moueri. Hoc autem ſubſiſtere non
poteſt multipliciter. Primó, quia Chriſtus erat verus
homo, & homo ſubſtantia compoſita eſt: neceſſarium
ergo eſt, quod, ſi animam non habuit, verbum cum
corpore componeret, hoc valde diuinæ naturę repu-
gnat, quæ cum re nulla componitur. Item ſi Chriſtus
non habuiſſet animam, neceſſarium erat, vt homo, qui
Chriſtus erat, ex duabus partibus componeretur, cum
homo non ſit ſubſtantia ſimplex, ſed compoſita: cum
igitur animam non haberet, neceſſarium erat, vt altera
iſtarum partium perſona diuina foret. Hoc autem ſub-
ſiſtere non valet, cum pars toto imperfectior ſit, quia
totum vtriuſque partis ſimul continet perfectionem:
ex quo infertur perfectiorem fuiſſe hominem illum
compoſitum, quam ſecundam trinitatis perſonam: qđ
omnino impoſſibile eſt, quia ſecunda trinitatis perſo-
na: & quælibet aliarum diuinarum eſt infinite perfe-
cta, ſupra infinitum autem amplius dari non poteſt.
Item, ſi Chriſtus animam non haberet, & ſecunda per-
ſona trinitatis cum corpore hominem conſtitueret, &
corpori eſſe tribueret, non vocaretur iſta aſſumptio, ſed
compoſitio: nam cum ſecũda trinitatis perſona eſſe ve-
ram corpori Chriſti daret compoſitionem. Aſſumptio
autem multum a compoſitione differt, quia in aſſum-
ptione aſſumens non dat eſſe aſſumpto, ſed ſolum aſ-
ſumens ad ſe aſſumptum trahit, & aſſumens, & aſſum
ptum non faciunt duas perſonas, ſuppoſita, aut hypo-
ſtaſes, ſed vnam ſolum: hoc tamen falſum eſt, quia or-
thodoxorum firma poſitio hoc non compoſitionẽ, aut
mixtionem, ſed aſſumptionem vnitiuam appellat: ſi-
cut in ſymbolo fidei ex verbis Athanaſij ſupra ſum-
ptis apparet. Item ſi Chriſtus animam non habuiſſet,

A & verbum diuinum loco animę tenuiſſet, non dicere-
mus, ꝙ verbum diuinum aſſumpſiſſet naturam huma
nam, ſed corpus in vtero virginis formatum, & ſic nõ
diceremus hominem, aut naturam aſſumptam fore,
ſed corpus formatum ex virgine: quod falſum eſt,
quia ſancta mater Eccleſia, & doctores approbati di-
cunt hominem, & naturam aſſumptam, & non ſolum
corpus de virgine fuiſſe aſſumptum. Apoſtolus quo-
que Paulus prędicta atteſtatur in epiſt. ad Romanos
cap. j. dicens: Chriſtus prędeſtinatus eſt eſſe filius Dei:
nunc aũt inquiretur, quid vocet apoſtolus in hoc loco
Chriſtum, nullus enim dicet ſolum corpus Chriſtum
nominari, quia corpus Chriſti nõ eſt Chriſtus, ſed cor-
pus Chriſti. Item, quia pars integralis, aut ſubſtantia-
lis, nunquam totius prædicati in recto denominatio-
B nem ſuſcipiunt: corpus aũt Chriſti eius ſubſtantialis
pars eſt, non ergo nominabitur Chriſtus. Item, quia cor
pus Chriſti non vocatur filius Dei, nec ſacra ſcriptu-
ra, aut quiſquam hoĩem eum ſic aliquando nuncupa-
uit: neceſſarium ergo eſt in pręſenti vocari diuinã per-
ſonam. ſ. ſecundam Trinitatis perſonam cum anima,
& corpore ſibi vnitis: aut ſecundam perſonam ſolo cor
pore ſibi iuncto, aut ſecũdam perſonam, ſiue verbum
ſola anima ſibi vnita, aut ſecundam perſonam ſolam,
aut corpus, & animam Chriſti ſolum. Si autem aucto-
ritatem beati Pauli in primo modo accipiendi Chri-
ſtum intelligamus. ſ. vt Chriſtus dicat verbum cũ car
ne, & aĩa ſibi vnitis, ſic in Chriſto animã concedemus,
quod illorum quidem poſitioni repugnat, hoc tñ nos
confitemur. Hoc tñ modo intelligi non poteſt, quia, cũ
C verbum, ſiue ſecunda in Trinitate perſona ſuppoſitum
ſit, ſi hic pro ſecunda perſona diuina acciperetur, cum
dicitur: Chriſtus prædeſtinatus eſt eſſe filius Dei: erat
ſenſus, quod a Deo prædeſtinatum erat, vt ſecunda tri
nitatis perſona filius Dei eſſet, quod quidem falſum,
atque impoſſibile eſt. Nam prædeſtinatio ante res præ
deſtinatas eſt; quia prædeſtinatio æterna eſt, prædeſti-
nata autem cum temporis limitatione complentur, ſi-
cut Boetio deſerente didicimus de Conſolatione libro
quinto. Tunc enim ſequeretur verbum diuinum æter-
num non eſſe: quod falſum eſt, quia oẽs tres perſonæ
æternæ, & ſibi coæquales ſunt, ſicut ait Athanaſius in
ſymbolo fidei: Aeternus pater, æternus filius, æternus
Spiritus ſanctus; non tñ tres æterni, ſed vnus æternus.
Inducitur ergo verbum Dei, quod eſt ſecunda in Tri-
D nitate perſona ab æterno genitum. Non ergo de verbo
prædeſtinatum eſt, quód eſſet filius Dei: quia, ex quo
Deus eſt, Deus filius Dei, ſiue verbum eſt Deus: quia
Deus nõ eſt antiquior patre, filio, & Spiritu ſancto. Cõ-
cluditur ergo in præmiſſa Apoſtoli auctoritate, Chri-
ſtum hoc primo modo non accipi. Item in præfata au-
ctoritate Chriſtus ſecundo modo accipi non poteſt. ſ.
vt dicat diuinum verbum cum corpore humano ſibi
vnito, quia hoc ſubſiſtere non poteſt ex fundamento
rationis præfatæ. ſ. quia verbum diuinum eſt ſuppoſi-
tum; dum autem Chriſtum nominaremus, intelligere-
tur ſecunda trinitatis perſona, de qua prædicaretur, ꝙ
erat prædeſtinatus eſſe filius Dei, quod ſubſiſtere non
valet, vt in prædictis declaratum eſt. Item tertio modo
Chriſtus accipi non valet. ſ. vt ſit ſuppoſitum diuinũ
E cum ſola anima rationali, quia tunc ſequeretur incon-
ueniens ſupra datum, ſcilicet, quod ſecunda Trinita-
tis perſona, quæ ſuppoſitum eſt, diceretur hic præde-
ſtinata, vt eſſet filius Dei, vt in ſuperioribus probatum
eſt. Item, quia nullus vnquam hominum verbum diui-
num cum ſola anima rationali Chriſtum nominauit,
quia tale ſuppoſitum, cum inuiſibile ſit, a nobis ſentiri
non poterat: ſed adhuc hoc dato neceſſario infertur,
quod nos dicimus, ſ. Chriſtum habere animam ratio-
nalem. Item non poteſt hic accipi Chriſtus quarto mo
do. ſ. pro ſolo verbo diuino, quia, licet ſecunda perſona
verbi ſit ſuppoſitum, quod eſt Chriſtus, nunquam ta-
men eam ſolam Ieſum, aut Chriſtũ appellamus, quia
tunc induceretur Virginem non eſſe matrem Chriſti,
quia ſecunda Trinitatis perſona patrem Deum habet,

matrem autem nequaquam: non ergo iſto modo Chriſtus nominatur. Item, quia ſequeretur inconueniens ſupra aſſignatum, ſcilicet quia verbum, ſiue ſecunda in Trinitate perſona diceretur prędeſtinata, vt eſſet filius Dei, quod falſum eſt, vt ſupra probatum eſt. Neceſſaria ergo concluſione inducitur Chriſtum ab apoſtolo hic appellari, prout ſecũdo modo appellari debet, ſ. quòd Chriſtus ſit corpus, & anima coniunctione vnita, quæ duo homo sũt, iuxta illud, quod in ſymbolo Athanaſij eſt. Sicut anima rationalis, & caro vnus eſt homo; & de hoc eſt verũ, quod eſt prædeſtinatus, vt ſit filius Dei, quia, licèt verbum diuinum, quod vnita ſibi natura humana Chriſtus nuncupatur, ſit æternũ, homo tñ ille aſſumptus a verbo, & ex anima, & corpore compoſitus, omni excluſo inconuenienti dici poteſt, quod eſt prædeſtinatus eſſe filius Dei. Concluditur ergo ex his, quę præcedunt, Chriſtum habere animam rationalem.

Si verbum animam rationalem non habuiſſet, euerterentur myſteria omnia, & fides omnis. Cap. VII.

HIs quoque adijcitur, quòd, ſi Chriſtus rationalem animam minime habuiſſet, nullatenus mori poſſet: nam, vt iſti delirantes arbitrantur, ꝙ verbum carni vnitum ei eſſe dabat, ſicut anima rationalis eidem vnita efficeret. Tunc igitur, ſicut corpus humanum nunq̃ vita defunctum eſt, donec ab eo viuificans anima totaliter diſceſſerit; Ita nunquam corpus Chriſti mortuũ foret, donec a verbo fuiſſet deſertum; nunquam tamen corpus Chriſti a verbo deſertum eſt, iuxta Damaſceni ſententiam, quod ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit. Hæc quoq; catholicorũ ſnīa eſt, & omnis confitetur eccleſia: Anima Chriſti ad inferos deſcendente, verbum corpori in ſepulchro vnitum manſiſſe. Sequitur ergo Chriſtum nullatenus fuiſſe mortuum, quod omniũ euãgeliſtarum aſſertio, & epiſtolarũ exhortationũ fides, & ſacri doctores, atq; omnia fidei ſymbola profitentur, ſ. Chriſtum pro nobis ſemel fuiſſe paſſum. Ex his ergo neceſſariò inducitur, Chriſtum animam habuiſſe, & ꝑ eius ablationem mortem in eo fuiſſe, tñ manẽte verbo diuino corpori humano aſſumpto in totali priſtina vnione: ad animam quoq; eadem vnione manente, licet non ad vtrunque ſimul. Item, ſi Chriſtus animam humanam non habuiſſet, ſequitur ꝙ a verbo corpus eius aliquãdo deſertum eſſet, quod falſum eſt. Iuxta auctoritatem Ioannis Damaſceni: Quod ſemel aſſumpſit, nũquam dimiſit. Conſequentia autem probatur: quia, ſi Chriſtus animam rationalem non habuiſſet, verbũ carnem illam viuificaſſet, ſicut anima eidem vnita effectura foret; tunc autem corpus vita defungi non poterat, niſi inde deitate ſubmota. Sicut humanũ corpus nũquam mortem ſubijt, niſi a viuificante anima deſeratur: ſed Chriſtus vere iuxta totius fidei aſſertionẽ mortuus eſt: ergo verbũ dereliquit corpus eius: ſed hoc falſum eſt. Sequitur ergo Chriſtum animam habuiſſe.

Quomodo aliquid alteri vniri poteſt, & tunc cauſa eſſe. Cap. VIII.

ITem non poterat ſecunda Trinitatis perſona vniri cõpoſitione cum corpore humano, vt ſibi eſſe daret: nã, ꝙ aliquid alteri vniatur, & illi eſſe tribuat, hoc eſt, cũ ambo ſunt partes ſpeciei, & neutrum totam eſſentiam continet ſpeciei: ſicut eſt in anima, & corpore: quia corpus non eſt hõ, & ſi ſolitarium ſit, ẽt pars hominis non eſt. Et anima non continet totum eſſe ſpecificum, quia per ſe non eſt homo, nec pars hominis: licet in hac parte Plato nimis errauerit dicens hominem eſſe animam in corpore viuentem, ſic totum eſſe hominis in aĩa poſuit, quod falſum eſt, ad quod reſponſiones multæ, & efficaces ſunt. In præſenti breuitatis cauſa omnes dimittemus. De hoc diffuſè tractat S. Tho. in quæſtionibus ſuis de aĩa, in quæſtione prima, cuius titulus eſt, vtrum anima ſit forma corporis, & hoc aliquid. Nulla igitur harum duarũ rerum totum eſſe continet ſpeci-

F cum: quapropter ambo totã ſpeciei eſſentiã cõplent, ſ. ꝙ vnum hominem conſtituunt. Si aũt duo ſint, quorũ vtrunque, aut alterum perfectum eſſe contineat ſpecificum ex ambobus, per compoſitionem nullum tertiũ ens, per ſe reſultare poteſt: ſicut ex hoĩe, & aſino, aut capra nullum tertium fieri poteſt, quia homo continet in ſe perfectum eſſe ſpecificum, capra quoque, & aſinus, & nullum eorum ad alterum vnibilitatis reſpectũ habet, ſecundum quem fieri poſſit vnum tertium. Sic. n. de angelo ſequitur: ꝙ, licet angelus ſimplicis, ſpiritualiſque ſubſtantiæ ſit, ſicut anima, & Deus ponat eũ in corpore aliquo humano, non poterit ei eſſe, & vitã influere. ſ. ꝙ, ſi aliquis homo moriatur, & immediate corpore recenti Deus animã ad corpus illud reducat, aut poſt multos dies anima illa eſſe corpori tribueret, ſicut

Si angelus in cadauer ſubiret nõ poterit eſſe cũ vita & eſſe.

G ante tribuere ſolebat, & homo viuens eſſet, nec corpus vllatenus putrefieret, ſed illæſum, ſanumque, vt anteà erat, remaneret: ſed, ſi mox, vt a corpore anima egreſſa eſt. Deus angelum interius poneret: illi corpori eſſe dare non poſſet, aut vitam: ſed maneret ſemꝑ corpus mortuum, atq; putrefieret. Hoc autem ſolum angelus in corpore facere poterat, ꝙ moueret corpus illud, ſi recenter mortuum eſſet, ſ. ſi organa corporalia ſeruientia potentiæ imperatiuæ illæſa eſſent factis quibuſdam partiũ interiorum ablutionibus locutio ſequi poſſet, tales aũt cæremonias magis obſeruant ad faciendum loqui corpora nouiter mortuorum additis quibuſdam vanis ſuperſtitionibus, de quibus ſanioris conſilij eſt in præſenti ſubticere. In corporibus, quæ a multis dieb. vita defuncta ſunt, hoc effici non poteſt: quia arteriæ vocales

H a multis diebus inſanabiliter corruptæ ſunt: hoc ergo ſolum eſt, ꝙ angelus in corpore humano efficere põt, ſcilicet illud localiter mouere, & loqui per illud, non tamen ſibi eſſe, aut vitam tribuere poteſt, & illud a putrefactione præſeruare, hoc autem in angelo ſequitur, quia in ſe totum eſſe ſpecificum perfecte continet. Sic autem de Verbo diuino incarnato dicendum eſt: nam, licet in Deo propter maximam ſubſtantiæ ſuæ ſimplicitatem ſpecies non ſit: quia compoſitionem dicit conceptus ſpecificus ex aliquo quatuor generum compoſitionis, ſcilicet ex materia, & forma, genere, & differẽtia, actu, & potẽtia, eſſe, & eſſentia: tamen habet totum ſuum eſſe perfectum, nec aliunde perfectionem expectat. Non ergo verbo, quod eſt ſecunda Trinitatis pſona, aut alicui alteri perſonæ diuinæ, aut toti benedictæ

Quæ agere poſsit angelus ĩ cadauere & q̃ non.

I Trinitati, aliqđ corpus vniri põt: dato aũt, qđ aliquod corpus ei vniretur, illi eſſe dare non poterat, ſicut dat anima rõnalis, niſi animam aliquã corpori illi crearet.

Quid abſurdi ſequeretur ad dicentem, Chriſtum animam non habere. Cap. IX.

PRædictis autem addendum eſt, quod, ſi Chriſtus, animam non haberet, & verbum diuinum vicem animæ in corpore gereret, ſequeretur, quod verbũ cauſa formalis corporis eſſet: ſed hoc impoſſibile eſt, non igitur verbum ſe habet ad corpus, ſicut anima ad corpus. Conſequẽtia apparet, quia anima eſt forma corporis humani, ſicut Ariſt. in ſecundo de Anima. in princ. diffinit dicẽs: anima eſt endelechia, ſiue actus corporis

K phyſici organici, potẽtia vitam habentis: ſi ergo verbũ diuinum in corpore vicem animæ gereret: neceſſarium eſt, vt ſit tanq̃ forma. Quod aũt impoſſibile ſit aliquam diuinarum perſonarum, aut totam ſimul ſanctam Trinitatem, alicuius materię formam eſſe, liquidò cõprobatur, quia, ſicut materia habet neceſſariã habitudinẽ, ſiue reſpectum ad formam, quæ dr potentia materiæ, vt ipſa a forma informari poſſit. Habet quoque appetitum recipiendi illam: ita forma habet appetitũ ad materiam ad informandum illã: appetitus autem iſti dependentię ſunt: in Deo autem dependentię nullę ſunt, quia omnes dependentię infinitę repugnant perfectioni. Si fortaſſis aliquis dicat, ꝙ dare eſſe non eſt aliqua imperfectio: ſed potius perfectio, quę formę conuenit: non ergo dicit aliquam imperfectionem in Deo.

Cui reſpōdendum eſt, ꝙ forma non ſolùm eſſe materię tribuit, ſed etiam in materia eſſe recipit: non ꝙ materia aliquod caſualitans genus directè ſuper formā habeat, ſed quia forma eſſe habere non pōt niſi in materia, ſicut anima brutorum eſſe nullum habet, niſi in corporibus brutorum, formæ quoq; inſenſibilium rerum eſſe non habent, niſi in ipſis corporibus rerum: aliæ formæ alterius generis ſunt, quæ, licet ſine corporibus, aut in materijs, quarum ſunt, eſſe habere poſſunt, eſſe tamen perfectum non habent: ſicut animæ humanæ poſt corpora morte defuncta eſſe habere poſſunt, & habēt: ſed non habent eſſe perfectum, nec operationes intelligēdi, ita conuenientes ſpeciei extra corpus ſicut in ipſo. Item, quia ſubtilius ſpeculantibus apparebit animam humanam ſine corpore vitam, aut eſſe habere nō poſſe, quia, licet anima humana poſt defunctum morte corpus eſſe habeat, quia ipſum nō perdit: ipſum tamen antequàm habeat, ſine corpore recipere non pōt: nam anima quælibet reſpectu corporis illius, in quo eſt, eſſe recipit, & indiuiduationē: quia alias in ſpiritibus nulla minor differentia eſſe poteſt differentia ſpecifica, ſicut in Angelis eſt. Qualiter animæ inter corpora creatæ ſunt, & qualiter ſine corporum reſpectu differentiam indiuidualem inter ſe habere non poterant, & qualiter angeli omnes nulla minori inter ſe differentia differant, quàm ſpecifica, altiſſima ſpeculatio eſt, quam in præſenti cenſui omittam. Apparet ergo ex prædictis formas in materijs ſuis aliquas recipere perfectiones, quas ſine illis nullatenus habent, qua ex re ad ipſas quandam habent dependentiam, hoc autem Deo nullatenus conuenire poteſt, qui nullam ad rem aliquam dependentiam habet, nec perfectionem à re aliqua recipit, aut in ipſa: quia repugnat ſuæ infinitæ perfectioni aliquam perfectionē eſſe extra ipſum: ſequitur ergo, Deum non poſſe ad corpus vicem formæ gerere. Item forma habet inclinationē ad materiam: cum autem inclinatio in aliqua re eſt, nō eſt totaliter perfecta, donec conſequatur id, ad quod inclinata eſt, ſicut de animalibus dicimus reſpectu corporum mortuorum. Nam, cum ipſæ formæ corporum ſint, inclinantur ad eſſe in illis, & vt ad illa rurſus reuertantur, & expectant, atq; deſiderant illa: quouſque in generali corporum reſurrectione fiat denuo reunitio, & nūquam deſineret expectare, quouſq; hæc omnia fiant: &, licet in fælicitate Paradiſi exiſtentes valde de ſua beatitudine delectentur, nunquam tamen plenum gaudium habebunt, quouſq; ad corpora reuertantur. Si ergo Deus, aut aliqua diuinarum perſonarum, ſiue tota beata Trinitas alicuius corporis forma eſſet, totam ſuam perfectionem non haberet, quouſque corpori vniretur, quod abſurdum eſt. Ex quo duo ſequūtur abſona valde. Primum, ꝙ perfectior Deus eſſet cum aliquod ſibi corpus vnitum foret quam, cum nullum: quod identidem abſurdum eſt, quia tunc ſequeretur perfectiorem nunc eſſe ſecundam in Trinitate perſonā, quia corpus humanum ſibi vnitum habet, quàm cum nullū corpus habebat, ſ. tempore Adæ, Noe, Abrahæ, Moyſis, atq; Dauid. Item aliud ſequeretur abſurdum, ſ. perfectiorem eſſe ſecundam Trinitatis perſonam qualibet aliarum duarū perſonarum, quia nec prima, nec tertia corpus vnitum habet, quod falſum eſt, quia quælibet diuinarū perſonarum perfectionis infinitæ eſt. Infinito autē nihil maius reperiri poteſt. Item, ſi Chriſtus animam non haberet, homo eſſe non poſſet: ſed Chriſtus eſt verus Deus, & verus homo: ſicut Euāgeliorum, Epiſtolarumque, atq; omnium canonicarum ſcripturarū probat auctoritas; ſequitur ergo Chriſtum animā habuiſſe: Conſequentia autem probatur, quia homo eſt ſubſtātia compoſita ex materia, & forma, cum non ſit ſimplicis ſubſtantiæ: principia autem componentia erant corpus, & anima, ſequitur ergo Chriſtum animam rationalem habere. Item quodlibet alicuius ſpeciei indiuiduū habet omnia eſſentialia illius ſpeciei, &, quia eſſentialis differētia ſpeciei humanæ eſt eſſe rationale, qđ ab anima rationali ineſt, ſequitur Chriſtū, qui homo erat, animam

A habere. Item, ſi Chriſtus ex verbo, quod eſt perſona ſecunda diuina, & corpore humano compoſitus eſſet ſicut ex materia, & forma, illud corpus non eſſet corpus humanum, ſed diuinum, nec voco corpus diuinum in præſenti corpus, quod Deus habet, quia hoc modo verum eſt: quia ſecunda Trinitatis perſona illud corpus aſſumpſit, & ſibi vniuit: ſed corpus diuinū voco, quod pars Dei eſt, & ex quo Deus componitur, ſicut homo ex corpore, & anima cōponitur. Corpus autem ſuum, quia informatur forma, quæ anima humana eſt: neceſſarium eſt eſſe corpus humanum, id eſt corpus, quod ſit pars hominis: ſic igitur ſi ex verbo diuino, & ex aliquo corpore quidpiam componeretur, quia forma diuina erat, neceſſarium erat corpus eſſe diuinum, id eſt partem Dei: hoc tamen falſum eſt, quia ſic Deus com-

B poſitus foret, quod identidem falſum eſt. Secundum inconueniens principale eſt, quod Chriſtus non eſſet homo; quia non habebat corpus humanum, ſed diuinę naturæ ſolum: ergo Deus erat.

Obiectiones penes prædicta. *Cap. X.*

FOrtaſſis autem aliquis dubitabit circa hoc, exiſtimans, quód verbum diuinum corpori vnitum illi humanum eſſe tribueret, ſicut anima eidē vnita tributa erat. Si n. Chriſtus animam habuiſſet, eum eſſe hoīem dubium nullī erat: ita, cum verbum diuinū corpori illi vnitum eſſet, humanū corpus illud eſſe cōſtabat. Huic autem reſpondetur, ꝙ prędicta impoſſibilia ſunt: nam quælibet forma eſſe tribuit ſm̄ genus ſuæ eſſentię: ani-

C ma quippe brutalis nullum niſi eſſe brutale conferre pōt: anima autem rationalis nullum eſſe niſi rationale pręſtabit; forma igitur diuina nullum eſſe materię impendet niſi diuinum: Res ergo, quæ formā diuinam habuerit, Deus erit. Si ergo ſecūda Trinitatis perſona eſſe corpori Chriſti, vt forma tribueret, non poterat illi eſſe humanū tribuere, ſed neceſſario faceret eſſe Deū, aut diuinum corpus. Itē probatur, Chriſtum aīam habuiſſe, quia, ſi animam nullam habuiſſet, moriens eam a ſe emittere nullatenus poſſet: ſed tpe mortis animā emiſit; animam ergo habuit: maior euidētiſſima eſt: anima quippe non emittitur, niſi vnde ſteterit, minor aūt omnium Euangeliſtarum cōmunis aſſertio eſt. Dicit enim Matth. cap. 27. & Luc. cap. 23. & Ioa. cap. 19. Chriſtum

D in fine totius ſuæ acerbiſſimę paſſionis dixiſſe, cōſummatum eſt. &, cùm hoc dixiſſet, emiſit ſpiritū. Aliquis autē huic probationi fortaſſe inſtare conabitur dicens ſpiritum non vocari hic animam humanam, ſed deitatem, ſiue verbum diuinū, cui corpus vnitū erat, quod, quia eſt ſpiritualis ſubſtātiæ, ſpiritus dici poteſt. Deus quippe ſpiritus eſt, ſicut B. Ioa. teſtatur 4. cap. Sic ergo, cum dicit: Emiſit ſpiritum, non eſt ſenſus, ꝙ animam aliquam emiſerit, ſed ꝙ diuinam perſonam a ſe expirauit. Huic autem ineptæ argumentationi reſpondendum eſt, hoc nulla veritate fulciri. Nam hoc conceſſo ſequeretur verbum diuinū in morte Chriſti ab aſſumpto corpore fuiſſe ſeparatum, & ſic non manſiſſet vnio hypoſtatica, aut ſuppoſitalis, quam verbum ad aſſumptū corpus habebat: quod falſum eſt, quia teſte Dama-

E ſceno, quod verbum ſemel aſſumpſit, nunquā dimiſit. Eccleſia quoq; vniuerſalis fidelium idē profitetur dicens verbū diuinum cum corpore Chriſti manſiſſe per triduum in ſepulchro. Non eſt igitur aliquid qđ Chriſtus in morte emittere poſſet, & ſpiritus vocaretur, niſi anima rationalis: Chriſtus ergo habuit animam. Identidem autem hoc ex noſtræ fidei ſymbolo cōprobatur: vbi Athanaſius ait. Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali, & humana carne ſubſiſtens. Item dicit B. Matthæus cap. 27. vbi de Chriſto moriente loquitur. Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum.

Reſponſio aliorum ad prædicta. *Cap. XI.*

QVód forſitan quiſpiam hic reſpōdere conaretur, hic ſpiritū pro diuino verbo accipi, ꝙ ſubſtātiæ

ſpiri-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ſpiritualis eſt, vt ſuprapoſita reſpõſione probatum eſt, ſubſiſtere non poteſt: quia hoc, & ſupradictum ad idem refertur. Idem namque, quod in pręcedenti beati Mat. auctoritate ſpiritus vocabatur, hic quoque ſpiritus vocatur: cùm ſolum in eodem orationis contextu ſit. Item horum ſententia ſtare non valet: quia, ſi hic ſpiritus ſecunda Trinitatis perſona diceretur, Chriſtus non commendaſſet illam patri: pro diuina quippe perſona exorare nefas eſt, cum ipſa creator ſit, & ipſa potius eſt, ad quam praeces fundi decet. Itē, quia nullus eſt, ad quem pro perſona diuina exorari poſſit: cùm omnes perſonæ diuinæ in perfectione ęquales ſunt, ſicut Athanaſius in ſymbolo fidei noſtræ atteſtatur, ſ. Omnes tres perſonæ coęternæ ſibi ſunt, & coæquales. Item, quia quælibet diuinarum perſonarū æqualis eſt alijs duabus in perfectione. Peccaſſet ergo grauiter Chriſtus, ſi pro diuina perſona exoraſſet, quod concedendū minimè eſt: non ergo pro diuina perſona orauit, ſed pro ſpiritu exorauit, ſicut ex pręcedente auctoritate euidenter colligitur: ſequitur ergo eum pro anima ſua fuiſſe depręcatū, quod arguit eum animam habuiſſe. Item, ſi hic ſpiritus pro verbo, aut diuina perſona aſſumeretur, nō dixiſſet Chriſtus, pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum: ſed dixiſſet, pater in manus tuas commendo me ſpiritum: hoc tamē nulla expreſſit ſcriptura, nec debuit expreſſiſſe: ſicut ex ſuperioribus liquidè inductū patet. Quòd autem, ſi de verbo, aut ſecunda perſona diuina loqueretur, ſic dicere debuiſſet, manifeſtè colligitur: quia ſuppoſitum, perſona, aut hypoſtaſis eſt, qui loquitur, & de ſe loquitur. Cū ergo perſona, aut hypoſtaſis Chriſti eſſent ſecunda perſona diuina, ſiue verbū, & non homo aſſumptus, ſicut tota Eccleſia, & catholicorum doctorū tradit aſſertio, ſi hic acciperetur ſpiritus pro perſona diuina, nullꝰ, qui Chriſtus eſſet, de ea loqui poterat: ſed ipſa de ſe loqui debebat: quia ipſa Chriſtus erat: & perſona, ſiue hypoſtaſis loquentis. Neceſſariū autem eſt, vt ſemper ſuppoſitū ſit, quod loquitur: ſicut, ſiquiſpiam Petrus vocaretur, homo ille Petrus perſona, aut ſuppoſitum, vel hypoſtaſis eſt: ipſe quoq; de ſe, & nomine ſuo loqui debebit. Sicut igitur dicere poterit: pes meus albus eſt, aut caput meum eſt ſanū: quia iſtæ partes cum ſuæ ſint, de ipſis ſermonē facit. Identidē autem de partibus ſubſtantialibus, qđ de integralibus faciendum eſt: ita vt dicat, corpus meum ſanum eſt, & anima mea peccatrix, non tamē de ſeipſo hypoſtaſi, vel perſona ſermonem facere poterit cum iſto pronomine poſſeſſiuo meum, dicens Petrus meus eſt bonus: ſed, ego, qui ſum Petrus, ſum bonus vel; ego Petrus ſum bonus.

Ad propoſitum autem prædicta applicantes, cum perſona, vel hypoſtaſis, aut ſuppoſitum in eo diuinum ſit, ſ. verbum, non debebat ipſe de ſecunda perſona diuina loqui in tertia perſona, aut cū iſto poſſeſſiuo meus dicens: pater, in manus tuas cōmendo ſpiritum meum: ſed dixiſſet: pater in manus tuas commendo me ſpiritūm, aut me, qui ſum ſpiritus: & hoc in prima perſona, & ſine hoc poſſeſſiuo meus. In tertia tamen perſona, & cum pronomine poſſeſſiuo locutus eſt: Sequitur ergo, quòd non de verbo diuino, ſiue ſecunda Trinitatis perſona locutus eſt, ſed de anima ſua rationali.

Ioannes teſtatur Chriſtum animam habuiſſe. Cap. XII.

IDentidem autē aliquis probare conabitur Chriſtum animā habuiſſe ea beati Io. auctoritate, quæ habetur c. 10. ſ. Ego ſum paſtor bonus, & pono animam meam pro ouibus meis: animam ergo habebat; alias. n. ipſam ponere non valuiſſet pro ouibus ſuis. Identidem eiuſdem Io. auctorita. in c. 10. comprobatur, ſ. Poteſtatem habeo ponendi animam meam: & poteſtatem habeo iterum aſſumere eam; quorum vnum eſt per paſſionem, alterum autem per reſurrectionem: ſequitur ergo Chriſtum animā habuiſſe. Huic ſic conanti conuincere reſpondetur, ex prædictis inferri nullatenus Chriſtum animā habere: quia hic anima non accipitur pro ſpiritu vegetante corporis artus, & eſſe, atque motum

F tribuente, quæ forma eſt corporis, atq; compoſiti pars. Hoc autem manifeſtatur ex verbis Chriſti, & habetur in Mat. 16. c. Qui diligit animam ſuam, perdet eam, &c. qui perdit animam ſuam, in vitam æternam inueniet eam, Et alibi: Qui vult animam ſuam ſaluam facere, perdet eam, ideſt, qui vult in æterna fælicitate vitam habere, perdet eam hic. Quæ de anima rationali non poſſe intelligi luce clarius eſt, quia, qui odit animam ſuam, non inuenit eam in vita æterna, ſcilicet in fælicitate paradiſi, ſed in æternis inferni ſuppliciis; &, qui animam ſuam diligit, non perdit eam, ſed potius lucrifacit. Quæ omnia verbis Chriſti repugnant, ſi de rationali anima intelligeretur; animam namq; noſtram poſt Deum ex charitate ſuper omnia diligere obligamur: neceſſarium ergo eſt hic animam pro vita poni. Et eſt

G ſenſus, ꝙ homo, qui oderit vitam ſuam ſecundum hoc ſæculum, non multum de eius conſeruatione curando, & delectationibus caducis frui in præſenti non curat, inueniet vitam in fęlicitate Paradiſi: quia iſte non curat de vita ſua, ſed potius pro Chriſto exponit: qui autem diligit animam ſuam, i. vitam ſuam, eam exactiſſima diligentia cōſeruare deſiderans, atq; inexcogitatis, magniſq; delicijs in pręſenti frui cupit, odit eam, atq; perdit. ſ. quia nunquam lucrifaciet æternam Paradiſi fęlicitatem. Huic autem expoſitionis modo conſonant verba ſaluatoris per Matt. vbi ſup. cùm ait: Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucē ſuā, & ſequatur me: i. ſi quis me perfectè per viam conſiliorum ſequi deſiderat, accipiat crucem ſuam, i. tormentū

H ſuum, aut mortem in manu ſua, ſe quotidianis propter Chriſtum accerbitatibus pęnalibus cruciando, nec carnalibus illecebris indulgendo; & tunc ſequetur me.

Declaratio auctoritatum Ioannis, & quòd Chriſtus vitam, non autem animam, pro nobis poſuit, & quædam de anima. Cap. XIII.

SIcut præcedētia beati Matthæi verba declarauimus: ita beati Ioannis pręallegatæ auctoritates intelligēdæ ſunt, ſ. ego ſum paſtor bonus, & pono animā meam pro ouibus meis, i. vitam meam: ſic autem valde rationabile eſt, & quaſi neceſſarium debere intelligi. Nam acutius ſpeculātibus liquidè comprobatur Chriſtum pro nobis animam non poſuiſſe, ſed vitā: anima namq; Chriſti mortua pro nobis non fuit, cùm ipſa, ſicut cęteræ immortalis eſſet; talis namq; ante mortem Chriſti fuit, qualis nunc eſt. Item anima Chriſti nullum pro nobis dolorē perpeſſa eſt, quia anima, dum corpori vnita eſt, nullum experitur dolorem, aut actum aliquem habet: ſed homo eſt, qui operatur, anima. n. non intelligit, ſed intellectus eſt, qui intelligit: nā ſi anima in corpore exiſtens intelligeret, ſ. quòd ipſa eſſet id, quod eſt intelligēs: nihil magis homo in vigilia, quàm in ſomno intelligeret: ſed in vigilia homo intelligit, in ſomno autem nequaquam. Item ęque intelligeret anima cum homo ebrius eſt, & cū ſobrius: ſed falſum eſt; quia homo ebrius nihil, niſi parum, aut diſtorte intelligit: ſicut in prælibatis declaratum eſt: ſobrius verò intelligit. Conſequentia autem patet, quia anima in ſe ipſa, omni tempore æque perfecta eſt, atq; temperata, cum incorporea ſit, nullam penitus corpoream ſuſcipiens paſſionē, aut diſturbationem. Item anima in ſe ipſa dum coniuncta eſt, nullis gaudiis afficitur, & nullis amaritudinibus perturbatur: ſed homo eſt, qui affligitur, & turbatur. Sic ait Ariſt. in ſecūdo de anima, qui dicit animam triſtari, dicit eam texere, & ædificare: ſed nullus dicit animam texere, nec ædificare: pariformiter ergo nec lætari, aut triſtari dicere compellemur. Anima ergo benedicti Ieſu in eius morte nullam triſtitiam, aut amaritudinem tolerauit: ſed Chriſtus eſt, qui omnia tolerauit: nulla ergo ratio eſt, quæ inducere poſſit, vt dicamus Chriſtum pro nobis animam poſuiſſe, ſed vitam. De vita ſua verum eſt, quod ipſe eam pro nobis poſuerit: quia ante paſſionem Chriſtus viuebat, per paſſionē autem vita defunctus eſt, quia viuere deſijt, & iterum vitam reaſum-

Aīa dum corpori cōiuncta eſt, nullū ſentit dolorem, nec q̃ aliquē hēt actū.

I

K

reaſum-

reaſſumpſit: corpus tamen & anima Ieſu tam ante paſſionem, quàm in paſſione, quàm poſt paſſionem ſemper fuere:nec vllatenus vt vita eſſe deſierūt.Sic autem & in alia auctoritate, cùm dicitur: Poteſtatem habeo ponendi animam meam, & poteſtatem habeo iterum aſſumere eam: aſſumitur anima pro vita: nam in poteſtate Domini Ieſu erat pro nobis in paſſione vitā perdere, & eam in reſurrectione rehabere. Conuincitur ergo ex auctoritatibus,quas iſti ineptè induxere, Chriſtum animam habuiſſe non liquere. Ex prælibatis rurſum inducitur probationibus Chriſtum rationalem animam habuiſſe vegetantem artus, & eſſe formaliter corpori tribuentem.

De tribus ſubſtantiis in Chriſto exiſtentibus. Cap. XIV.

RVrſus autem ad ea, quæ reliquimus, reddeuntes, dicendum eſt in Chriſto tres ſubſtātias eſſe,ſ.verbum,ſiue ſecūdam perſonam diuinam,& animam incorporalem, atque corpus. Hæc autem tria perſonam Chriſti,ſiue hypoſtaſim non componebant;quia per ſona ſua,ſiue ſuppoſitum erat perſona diuina,ſiue verbū; anima autem,& corpus humanum ad vnitatē ſuppoſiti à perſona diuina aſſumpta ſunt, nihil tamen in perſona illa de natura perſonalitatis integrabant. Circa prædicta diligentius attendendum eſt,ꝙ ad hoc,quòd aliquis propriè, aut quaſi propriè Chriſtum videret, non erat neceſſarium iſtas tres ſubſtantias videre, quæ erant in ſuppoſito Chriſti.Nam ſic impoſſibile erat videri vnquam Chriſtum, quia Deus ſecundùm ſe inuiſibilis eſt: ſicut ſcribit B.Ioan.cap.1.Deum nemo vidit vnquam.Et Exodi cap.33.dicitur:Non videbit me homo,& viuet:& hoc,quia Deus ſecundum ſe ſubſtantia ſolùm intelligibilis, & non viſibilis eſt. Item anima Chriſti inuiſibilis erat,cùm ipſa ſpiritus ſit,& magnitudinem nullam habeat,nec colorem:trium ergo ſubſtātiarum, quæ ſunt ſuppoſita Chriſti,aut proprius loquendo in Chriſto, duntaxat vna viſibilis eſt,ſ.corpus humanum,quod aſſumpſit, & hanc ſolam ſubſtātiam videntes,Chriſtum videre profitemur.Sic enim de homine dicimus, quem ex duplici ſubſtantia, ſ.ſpirituali,atq; corporea conſtitutum eſſe patet. Altera namque eius pars,ſ.anima, quæ ſpiritus eſt, viſibilis non eſt,ſed corpus ſolum videmus;corpus tamen ſolum videntes, hominem videre prædicamur.Omnes igitur,qui Chriſtum in carne viderunt,cùm prædicationi,aut exortationi inſiſteret, aut inter gentes iuxta traditionem prophetiæ Baruch conuerſaretur,propriè eum vidiſſe dicūtur. Poteſt autem Chriſtus interdum impropriè cerni, cùm eum non per aliquam harum trium ſubſtātiarum aſpicimus, ſed eum per aliquid alterū valde extrinſecum videmus:quod extrinſecum ſignum præſentiæ eius eſt.Sic enim Chriſtum in hoſtia,aut calice videmus, quia ſub ſacramento talium ſpecierum, vel animæ occultatur;cum tamen hoſtiam conſecratam ſacerdotum manibus in altum tolli videmus, ſcimus verè ibi corpus Chriſti latere:cùm autem calicem conſpicimus eleuatum,ibi Chriſtum eſſe manifeſtè cognoſcimus; hæc tamen viſio propria non eſt, quia per id Chriſtus videtur,quod in eo nullo modo eſt.

Videtur Chriſtus in ſacramēto impropriè.

Videtur aliquid tripliciter. Cap. XV.

IN quo vlterius ſpeculandum eſt, quòd aliquid videri tripliciter accidit. Primus modus eſt, cum aliqua res per ſe videtur,nec eſt aliquid alterum,quod faciat eam videri: ſic enim colorem,& lucem videre dicimur. Nam,cum lucē cernimus,non eam per aliquid cernimus, quod nobis eam viſibilem reddat, ſine quo lux viſibile non eſſet:ſed ex ſe viſibilitatem habet.Hic autem primus modus bipartitur, quia quædam ſunt, quæ ſunt per ſe, & de ſe viſibilia, & primò viſibilia: quia non ſunt alia, quæ prius illis videantur, aut quibus primò viſibilitas correſpōdeat. Hoc autem ſolum

A eſt,ꝙ directè eſt obiectum viſiuæ potentiæ,quod duas partitiones habet, ſ. lucem, & colorem: licet iſta non æqualiter, primæ potentiæ viſiuæ obiecta videantur. cùm lux tam intrinſecè, quàm extrinſecè colori viſibilitatem largitur:intrinſecè quidem,quia lux intrat cōpoſitionem cuiuſcunque coloris. Extrinſecè verò,quia viſio nullius coloris fieri poteſt niſi medio per lucem diſpoſito: lux ergo, quia obiectum eſt primo, & per ſe viſibilis eſt:& ideo viſibilis eſt,quia lux eſt:& non eſt lux, quæ viſibilis non ſit. Color etiam,quia obiectum eſt,viſibilis eſt:& ideo videtur,quia eſt color:nec eſt aliquis color, qui viſibilis non ſit. Vocantur autem hæc per ſe viſibilia, quia cauſantur viſionē, & nihil videri poteſt, niſi hic duo, aut alterum eorum, aut id,in quo iſta duo,aut alterum eorum eſt. Item vocantur hic pri-
B mò viſibilia,quia,licèt alia ſint,ꝙ actualiter videantur, aut viſibilia ſint:non tn̄ ſecundum ſe videtur, ſed quia colorata,aut lucida ſunt.Sunt ergo color,& lux id,quo cætera viſibilia faciunt.Lux ergo,& color ſunt, ꝙ primò viſibilia ſunt, cum talem cauſalitatem viſibilitatis ſuper cætera habent:ſic ergo duę proprietates his conueniunt,ſ.quòd ſint per ſe viſibilia, & quòd ſint primò viſibilia.Alia ſunt,quæ ſunt per ſe viſibilia, tamē non primò viſibilia:& hæc ſunt omnia ſenſibilia cōmunia, quæ ab omnibus ſenſitiuis potentijs percipiuntur: videntur quippe, guſtantur, & tanguntur, audiuntur, & odorantur.Hæc autem iuxta communē ſupputationem quinque ſunt, ſ. motus, figura, numerus, magnitudo, quies. Viſi nanq; motum percipimus, moueri quoque res audimus, atq; guſtu ſaporoſas,aut inſipidas res mo-
C ueri iudicamus.Tactu etia res in motu eſſe conijcimus, & identidem odoratu ſentimus.Figura autem de ſenſibilibus communibus eſt: viſu.n.figuras rerum cōpræhendimus,auditu figurā rei ſonoræ iudicamus:guſtu quoque guſtabile,cuius ſit figuræ, conſpicimus: tactu verò hoc optimè diiudicamus,in odoratu verò identidem ſit. Numerus quoq; tertium in communibus ſenſibilibus eſt; viſu.n.an vna, pluresue, & quot ſunt res ipſæ,cernimus,auditu verò an vna,vel quot voces ſint liquide comprobamus; odoratu etiam odorum numerum iudicamus;guſtu quoq; quot ſapida, aut inſipida ſint,ſentiuntur;tactus autē numeros quoq; depræhendit.Magnitudo aūtē quartum in communibus ſenſibilibus eſt;viſu.n.quanta res ſit,liquidiſſime cernitur;auditu aūt quanta ſit, & an ſonatiuum,paruum, magnū-
D ue ſit, iudicamus: odoratu magnitudinē, breuitatemq; odoris percipimus: guſtu autem extenſiuam ſentimus magnitudinem:tactus aūt poſt viſum de magnitudine lucidiſſimam ſententiam profert.In ſenſibilibus communibus quintum,atq; vltimū quies eſt,de quo identidem oēs ſenſus iudicant, vt de motu declarauimus, oppoſitorum nempe eadem eſt diſciplina: cuius ergo poſſibile de motu iudicare eſt, eiuſdē de quiete neceſſariò ſententia erit.Hęc autem ſunt ſenſibilia communia per communiter loquētes enumerata, quæ,vt enarrata ſunt,Ariſt.deſcribit in ij.de anima in cap. de potētia viſiua. Aliacen. autem in ſua perſpectiua ponit. 19. communia ſenſibilia, his quædam alia adijciens.ſ.differentiam,conuenientiam,propinquitatem,diſtantiam locorum, poſitionem, & ſimilia. Ponit eadem Piſanus
E in ſua perſpectiua,quę vocatur Perſpectiua communis lib.1.hæc tn̄ omnia ad quinque ſupradicta communia ſenſibilia reducuntur.Hæc omnia ſenſibilia ſunt viſibilia per ſe: quia viſus ſuper ea fertur, & viſio iſta nō ſecundum accidens fit:non tn̄ primò ſunt viſibilia, quia tūc, cùm aliqua res cerneretur, videretur,quia magna, aut figurata, quieſcens, aut mota, vna, pluresue erant; hoc tn̄ falſum eſt,quia nulla res,quia magna eſt,aut figurata videtur:ſed quia lucida,vel colorata:huius autem ſignum eſt, quia aliquā magnitudinem figuram, motum,quietem,aut numerum oculis contemplamur, non videremus ea niſi lucida, aut colorata forent. Quòd, ſi fortaſſis aliqua magnitudo motus,aut figura, nec lucida, nec colorata fuerit,eam videri impoſſibile erit: ſed audiri, aut tangi,aut odoratu,guſtuue ſentiri.

Viſibilia communia, quæ ſint, & quot.

Hæc

Hæc ergo nõ ſunt primò viſibilia, ſed proprium obiectum potentiæ viſiuæ, ſcilicet color, & lux eſt primò viſibile: obiecta autem communia viſibilia ſunt per ſe, ſed non primò. De his tractat Ariſto, ſecundo de Anima in cap. de potentia viſiua.

Quomodo Chriſtus videri non poſſit. Cap. XVI.

HOc primo modo Chriſtus propriè videri non poterat: quia non eſt Chriſtus aliquid, quod ſit per ſe primò viſibile, aut aliquid viſibile per ſe nõ primò: quia Chriſtus non eſt color, aut lux, nec eſt aliquod de communibus, ſcilicet motus, magnitudo, figura, numerus, & quies. Hoc identidem modo nulla ſubſtantia corporea, aut incorporea viſibilis eſt, quia nulla talis eſt obiectũ proprium viſus, ſicut color, & lux, aut aliquod de communibus ſenſibilibus ſupra tactis. Secundo modo res viſibilis eſt, cum in ea aliquod ſenſibile propriũ eſt. ſ. color, aut lux, & cum aliquod de communibus ſenſibilibus, ſcilicet, motus, figura, numerus, magnitudo, quies. Hoc quippe modo omnis corporea ſubſtãtia viſibilis aliquo modo eſt, quia nulla eſt ſubſtantia corporea, in qua non ſit color, vel lux: color autem eſt in omnibus elementis: quoniam omne elementatum corpus eſt neceſſariò coloratum. Quod ad elemẽta transduci non debet, quia in his, licet ex parte, generaliter tamen regula non tenet, ſed de corporibus formatis ex elementis intelligendum eſt. corpora autem non elementaria lucem habent, ſicut corpora cœleſtia, & omnia aſtra, & quædam de corporibus elementaribus. Item in omnibus ſubſtãtijs corporeis reperiuntur communia ſenſibilia, quia omnia talia corpora habent magnitudinem, figuram, numerum, motum, aut quietẽ. Hoc modo Chriſtus viſibilis erat, & viſus eſt, cum cõuerſatus eſt inter homines, vſquequo ad cœlos aſcendit: quia in ipſo erant omnes conditiones prædictæ, quæ in omnibus corporibus elementatis ſunt. Tertius modus videndi eſt, cùm aliquid videtur, quod per ſe primò viſibile non eſt: aut quod per ſe viſibile non eſt, nec eſt in ipſa re viſa, aut denominata viſa aliquid, ſecundum quòd viſibilis eſt, & ſecundum illud actualiter videatur, & tamen aliquod ſignum, quod rem illam præſentem eſſe demonſtrat: ſicut, ſi quempiam hominum armis adopertum videamus, nulla eius parte apparente, dicimur Petrum, aut Paulum videre: quia cum ſub armis moueri conſpicimus, aut cognoſcimus: aut quia arma illa videmus, ſub quibus eum cognoſcimus latitare. Hoc modo Chriſtum in hoſtia, & calice oculis contemplamur. Primo namq; modo videri non poteſt, cum nec color, aut lux, nec figura, motus, quies, numerus, aut magnitudo ſit. Itidem ſecundo modo prędicto non videtur, quia non videmus eum per magnitudinem, figuram, colorem, aut lucem, quæ in ipſo ſit: videmus tamen aliqua ſigna, quæ neceſſario nobis Chriſtum præſentem eſſe demonſtrant, & ſub quibus Chriſtus tegitur. ſ. quòd, cum eleuatam hoſtiam ſacerdotis manibus cernimus, ſcimus Chriſtum neceſſariò in hoſtia illa eſſe. Cum verò calicem identidem tolli in altum conſpicimus, interius eum ſub vini ſpecie cognoſcimus occultari. Ex prælibatis neceſſariò inducitur, quis erat modus, quo Chriſtus viſus eſt, & videtur, & quis ſit modus proprius videndi, & quis non.

Qualiter Chriſtus in hoſtia ſit, & quid de Chriſto ſit in hoſtia. Cap. XVII.

IVxta prælibatorum materiam adhuc vlterius ſpeculandum eſt, ſcilicet qualiter Chriſtus in hoſtia ſit, & qualiter ibidem videatur. In quo primò inquirendũ eſt, quid de Chriſto in hoſtia eſt, & quid de eodem in calice lateat: nam ſacerdotes ſuper hoſtiam cõſecrationis verba proferunt, ſuper calicem autem itidem faciunt. Circa hoc autem aliqui attendentes arbitrati ſunt in hoſtia ſub ſacramentalibus ſpeciebus ſolum
F Chriſti corpus latere, quod ex ſubſtantialibus verbis conſecrationis coniiciunt, in quibus de ſolo dominico corpore ſermo agitur, nihil aliud exprimendo: in calice autem ſub vini ſpecie ſolùm Dominicũ ſanguinem occultari dicebant, ꝙ ex verbis conſecrationis identidem arguunt. Ex quo inferebant, ꝙ, cum quiſpiam hoſtiam conſecratam aſſumeret, ſolum Dñicum corpus aſſumebat: &, cum in calice communicaret, dumtaxat Chriſti ſanguinẽ delibabat. Reſpondendum aũt huic inquiſitioni eſt, in hoſtia conſecrata Chriſtum integre eſſe, & in ſanguine conſecratio itidẽ totum Chriſtũ integraliter occultari. ſ. ꝙ in hoſtia conſecrata ſit corpus Dominicum, & ſanguis eius, & aĩa rationalis, aut deitas. ſ. verbum patris, aut ſecunda perſona diuina: hæc autem ſola in Chriſto ſunt: in calice autem eodem mo-
G do ſanguis Chriſti eſt, & corpus eius, & anima cũ verbo diuino. Hæc. n. ſic apparent, quia Chriſtus viuẽs eſt iuxta Apoſtoli traditionem, Chriſtus reſurgens a mortuis, iam non moritur, & mors illi vltra non dominabitur, Nũc ergo nunquam moritur, & ſic corpus Chriſti ſemper viuens eſt: &, quia corpus nullum humanũ viuens ſine ſanguine eſt, neceſſario inducetur in corpore Chriſti ſemper ſanguinem eſſe, &, cum in hoſtia eſt, ſanguinem habebit. Item corpus nullum humanũ ſemota anima rationali viuẽs eſſe põt, cum anima rationalis corpori humano eſſe tribuat, & moueri, atq; omnem vegetationem: neceſſarium eſt ergo eam in corpore eſſe, qñ viuens eſt, & ſic in corpore Chriſti in hoſtia anima rationalis erit. Itẽ neceſſarium eſt in hoſtia deitatem eſſe. ſ. verbum patris, quia, vt Ioãnes Dama-
H ſcenus teſtatur, quod verbum incarnatum ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit: ſed in vtero virginali pręcipuè duas illas partes naturæ. ſ. corpus, & animã aſſumpſit: nunquam ergo ab his diſceſſit. vbi igitur corpus, aut anima Chriſti fuerit, neceſſarium erit verbum. ſ. ſecundam in Trinitate perſonam exiſtere. Negantes autem prædicta, duas poſitiones hæreticas fateri compellentur. Prima eſt, ꝙ, quotieſcunq; conſecratio hoſtiæ fiat, neceſſarium eſt Chriſtum mori, cum anima à corpóre, & ſanguine ſeparata eſſe nunquam poſſit, niſi corpus præmortuum fuerit. Chriſtum autem in conſecratione mori, aut mortuum eſſe omni poſitioni catholicæ, & auctoritati Apoſtoli repugnat. Inquit enim Apoſtolus: Chriſtus reſurgens à mortuis, iam non moritur, &
I mors illi vltra non dominabitur. Secunda hæretica poſitio, quam confiteri coguntur eſt, quòd iam Chriſtus non ſit Deus, & homo: quia verbum diuinum aſſumpſit, & vniuit ſibi ad hypoſtaticam, ſiue ſuppoſitalem vnitatem corpus humanum formatum in vtero virginis, & animam rationalem nouiter creatam, & illi corpori infuſam, vt ex illis duabus homo perfectus conſtitueretur, & fuit iſta aſſumptio, vel vnio, vt hæ duæ ſubſtantiæ alteram perſonam, ſuppoſitum, aut hypoſtaſim non conſtituerẽt: ſed eſſent idem cum perſona verbi, aut eſſent eadem perſona, qui eſt perſona verbi, propter hanc vnitatem cauſatam ex aſſumptione naturæ humanæ ad perſonam verbi diuini erat Chriſtus vna perſona, vel hypoſtaſis, quia erat Deus, & homo, quod ſi fortaſſis perſona verbi ab his dua-
K bus ſubſtantijs, aut ab altera earum ſeiungeretur perſona verbi, licèt Deus eſſet, non eſſet homo: quia non erant ibi eſſentialia hominis: tota tamen orthodoxorum aſſertio ſolidiſſime pronunciat Chriſtum Deum verum, & hominem eſſe: ſequeretur tamẽ eum Deum, & non hominem eſſe verbo recedente ab vnitate, quàm habebat ad corpus Chriſti, aut ad animam. Infertur ergo notiſſima illatione, in hoſtia conſecrata non ſolum Dominicum corpus, ſed etiam ſanguinem, & animam, & perſonam verbi latere.

Falſa reſponſio quorundam ponens corpus Chriſti in anima ſine ſanguine. Cap. XVIII.

COnabitur forſitan quiſpiam hanc infringere conſequentiam dicens, ſatis veritate conſtare Chriſtum

ſtúm eſſe Deum,& hominem: in hoſtia tamẽ conſecrata dũtaxat corpus eius latere ſine ſanguine,anima, atq; perſona verbi:facta tamen cõſecratione,& ſumpta hoſtia,& ſanguine per ſacerdotem,aut quemlibet alium, rurſus in priſtinam vnitatem corpus, & anima, & ſanguis cum verbi perſona reuertantur,& tunc erit Deus, & homo Chriſtus. Huic autem ineptiſſimæ poſitioni reſpondendum eſt,magnam hęc eſſe abſurditatem, & multiplicia inde ſequi deliramenta. Primũ deliramentum eſt, ꝙ Chriſtus non ſolũ ſemel carnem aſſumpſit, ſed pluries,quã ducenties millies,& ꝙ incarnatio quaſi infinities facta eſt:ſicut hoſtiæ conſecratio pene infinities celebrata eſt:& poſt infinities à ſacerdotib.,alijſve perſonis conſecrata communicanda ſacramentaliter aſſumpta eſt, quælibet harum conſecrationum, & ſumptionum noua fieret incarnatio,ſicut ſemel in vtero virginis harum duarum partium humanę naturę ad perſonam verbi vnio facta eſt. Non.n.minor vnio iſtarum partium ad verbum in qualibet conſecratione, & conſecratorũ ſumptione cauſaretur,quàm in vtero virginis ſemel cauſata eſt;hoc tamẽ manifeſtè falſum eſt, quia fides catholica ſolam vnicã incarnationẽ affirmat: plures autem pertinaciter affirmare hęreticũ eſt. Item peccatũ,& error magnꝰ eſt plures incarnationes aſſumptiones vniones humanę naturę ad perſonam verbi aſſerere,ſi vnica ſufficiens erat:ſed vnica ſufficiebat ſecundum modũ catholicę poſitionis ad hoc,quòd Chriſtus in ęternum Deus,& homo eſſet:ſequitur ergo errorem eſſe grauiſſimum plures aſſerere aſſumptiones. Maior vulgatiſſima per illam regulam Ariſt. in 8. Topico.ſ. Peccatũ eſt per plura facere,quod fieri poteſt per pauciora.Minor autem ſic liquidatur:nam, cũ perſona verbi ad ſe humanã naturam aſſumeret,erat eadem perſona,aut ſuppoſitum Deus,& homo. Si autẽ iſta vnio maneret in ęternũ,neceſſarium erat eandem perſonam per hanc ſolã vnionem eſſe verum Deũ,& hominem.Non igitur oportebat alias incarnationes, aut aſſumptiones humanę naturę ad ſuppoſitũ verbi fieri. Huic fortaſſis aliquis poterit reſpondere, minorẽ eſſe falſam. ſ.vnicã dũtaxat incarnationẽ, aut aſſumptionẽ ſuffeciſſe,vt eadẽ eſſet in ęternũ perſona Dei,& hominis;nam multas vniones;incarnationeſq; fieri neceſſe eſt. Nam,ſi Chriſtus in hoſtia non exiſteret,ſicut exiſtit,poſt quã conſecrata eſt,ſuffeciſſet verbũ ſemel fuiſſe incarnatum,aut partes humanę naturę ſibi vniuiſſe,quia tamen conſecratio fit,dicunt neceſſarias eſſe plures incarnationes, & aſſumptiones,quot ſunt conſecrationes,quia in conſecratione partes humanæ naturæ diſiunctæ ſunt,ſcilicet in hoſtia ſolum corpus:in calice autem ſanguinem duntaxat exiſtere.Huic reſpondetur,horum reſponſionem non procedere, quia falſo innititur fundamento, ſcilicet, quòd in conſecratione ſeparatio corporis, & animæ abinuicem fiat,& deitatis ab eiſdem,cum in diuerſis ſacramentalibus vaſis,& ſpeciebus hæc ſint.Hoc autem falſum eſt, quia nulla eſt neceſſaria ratio, quod corpus, & anima Chriſti in conſecratione abinuicem ſeiuncta ſint, ſed ſola voluntas eorum eſt: pro contraria autem poſitione rationes multæ,atque ſolidæ ſunt: ſicut ſuperius prælibauimus, & inferius adhuc exponendum eſt,ſcilicet in conſecrata hoſtia non ſolum Dominicum corpus, ſed ſanguinem, & animam, atque perſonam verbi exiſtere:ſicut rationale, atque neceſſarium eſt poni:quo dato non ſequentur plures incarnationes, aut humanæ naturæ vniones eſſe ad ſuppoſitum verbi,ſed vnam duntaxat.

Deliramenta ponentium in hoſtia Chriſti corpus exangue. Cap. XIX.

DEliramentum autem aliud eſt, quia ponentes in hoſtia conſecrata ſolum Dominicum corpus exangue,& exanimatum,atque ſine diuini verbi conſortio exiſtens neceſſariò fatebuntur Chriſtum aliquando Deum,& hominem eſſe: interdum verò ſolum Deum: nam,cum conſecratio fieret ſolo Dominico corpore in

A hoſtia manente,& ſanguine duntaxat in calice:nõ erat aliqua vnio partium,ſecundum quam Chriſtus homo eſſet,ſed erat ſolum Deus:ſumpta autẽ à communicantibus hoſtia conſecrata,& ſanguine,qui eſt in calice ſacramẽtaliter partes humanæ naturę rurſus ſibi inuicẽ, & diuino verbo vniũtur:& ſic fit Chriſtus Deus & homo:quod,ſi rurſus conſecratio fieret,eſſet iterum Chriſtus non homo:ſumptis autem ſacramentaliter his,quę conſecrata ſunt,reddit Chriſtus ad priſtinam humanitatem: fierent autem hoc modo continuæ in Chriſto mutationes,quod fides catholica valde abhorret indiſferenter ſine aliqua temporis viciſſitudinaria diſcretione:ſequitur ergo hanc poſitionem valde erroneam eſſe. Item,ſi lucidius ſpeculemur,concludemus ex hac inſeri poſitione,Chriſtum nunquam eſſe hominem, ſed ſo-
B lum Deum:quia,cum partes humanæ naturæ perſonæ verbi vnitæ non fuerint,nunquam erit Chriſtus Deus, & homo,ſed ſemper homo ſolum. Conceſſa tamen horum poſitione ſemper partes humanæ naturæ abinuicem,& à perſona verbi ſeiunctæ forent: ergo Chriſtus nunquam eſſet Deus,& homo,ſed ſemper ſolum Deus. Quod ad hanc poſitionem ſequantur humanæ naturæ partes ſemper à ſe inuicem, & à verbo ſeiunctas fore apparet,quia iſti aſſerunt in hoſtia ſolum Dominicum corpus exanimatum,& exangue, atque à verbi perſona ſeiunctum fore: in Calice autem Dominicum ſanguinem duntaxat: Et, cum ſemper Hoſtiæ conſecratæ ſint, quia in qualibet Eccleſia corpus Chriſti ſemper pro infirmis reſeruatur iuxta canonicas ſanctiones, ſe-
C quitur ex eo tempore,quo mandatum executioni mandari inchoatum eſt, nunquam fuiſſe Chriſtum Deum, & hominem: ſed ſemper fuiſſe ſolum Deum: quod in fidem catolicam noſcitur militare.

Nefaria,quæ ſequuntur ex ſuperiori poſitione. Cap. XX.

AMplius autem ſi in Hoſtia conſecrata corpus Dominicum præciſe exiſtere,in Calice autem ſolum ſanguinẽ eſſe diceremus,cum ſeiunctio corporis ab anima mortem inferat, neceſſariò ſequeretur in qualibet conſecratione Chriſtum mori: quia tunc ſeiunguntur partes naturæ humanæ Chriſti: &,quotieſcunq; ceſſaret eſſe corpus Chriſti,& ſanguis ſub ſacramentalibus ſpeciebus,reunirentur partes naturæ humanæ Chriſti,
D & rurſus eſſet Deus, & homo, quo conceſſo, quotidie Chriſtus moreretur,atq; reſurgeret,quod catholicę poſitioni repugnat, quæ ſolide aſtruit vnicam duntaxat Chriſti mortem, & vnicam reſurrectionem extitiſſe. Item ſequeretur Chriſtum quotidianas ſubire acerbitates pœnales;nam,cum Chriſtus pro nobis ſemel moreretur,magna,& vera acerbitatum genera tolerauit: ſicut ipſe confeſſus eſt,& rogauit à ſe tolli,vt patet Mat. 26.c.pater,ſi fieri poteſt,tranſeat a me calix iſte.Suſtinebat itidem in hoc veras cordis amaritudines,atq; intolerandas anguſtias, expectans dolores veriſſimos ſibi affuturos, ſicut ipſe confeſſus eſt, & ſcribit Matt.c. 26. Cæpit tædere,& mæſtus eſſe,& dixit, triſtis eſt anima mea vſq;ad mortem.Item acerbos in paſſione ſuſtinuit cruciatus;cuius ſignum eſt,quia ſola eorum meditatio-
E ne contorſus ſanguinis ſudauit humorem: ſicut ſcribit beatus Matthæus c. 26. factus eſt ſudor eius, tanquàm guttę ſanguinis decurrentis in terram.Item in ſola paſſionis expectatione tantum afflictus eſt, vt homo ille verus Ieſus Angelo ſuo conſolatore eguiſſet, vt ſcribitur in Matth.26.cap.Et venit angelus confortans eum. Cùm ergo nunc Chriſtus verus homo ſit poſt reſurrectionem ſuam,ſicut fuit ante paſſionem,ſi in ſua primaria morte acerbos ſuſtinuit cruciatus, neceſſariũ eſt, vt in cæteris ſequentibus mortibus, ſi quę fuere, veros ſuſtinuerit dolores. Ex quo inferebatur Chriſtum perfectè beatum non eſſe, quia fælicitas omnem bonorum plenitudinem dicit, cum priuatione omni afflictionum. Si ergo Chriſtus aliquod cruciatus genus quotidie ſuſtineret,cum aliqualiter eſſe fęlicem impoſſibile erat. Item hoc impoſſibile erat, quia Chriſtus habet

habet corpus glorioſum: ſunt autem glorioſa corpora impaſſibilia: cum vna de dotibus corporum beatorum poſt reſurrectioné ſit impaſſibilitas: ſequitur ergo Chriſtum nullos nunc cruciatus ſuſtinere: & conſequenter non poſſet Chriſtus in conſecratione mori, aut vllã perpeti afflictionem. Non igitur aliqua veritate fulcitur poſitio illa, quę facit Chriſtũ in conſecratione eſſe diuiſum. ſ. quód in Hoſtia ſolum corpus Dominicum ſit: in calice auté ſanguis duntaxat. Dicendum igitur patet ex prælibatis, in Hoſtia conſecrata corpus Dominicum, & animam, & ſanguinem, & perſonam verbi exiſtere.

De ſanguine Chriſti in Calice exiſtente. *Cap. XXI.*

IN Calice autem itidem dicendum eſt, non ſolum ſanguinem exiſtere, ſicut aliqui putauerunt, ſed ſanguinem cum corpore, anima, atq; verbo diuino: ſolũ namq; in Calice ſanguinem ponentes, ſupradicta inconuenientia fateri compellentur. Ideo, cum ſeculares communicant, non eſt neceſſarium ſanguinem in calice conſecrari ad eis tribuendum, quia in Hoſtia, quæ eis tribuitur, totus Chriſtus eſt. ſ. corpus, anima, ſanguis, & verbum, quoniam ſi in Hoſtia Dominicum corpus ſolum exiſteret, neceſſarium erat ſanguinem ſub vini ſpecie conſecrari, vt eis traderetur. Iuxta prædicta aliquis vlterius inquireret, quod, cum in hoſtia conſecrata ſit totus Chriſtus. ſ. corpus, ſanguis, anima, & verbum, quare cõſecratur ſanguis ſub ſpecie vini, ſufficeret quippe ſanguinem in Chriſti corpore eſſe ſub ſpecie panis. Vt autem huic conuenienter reſpondere poſſimus, quoddã præmittendum cenſui fundamentum, ſ. quod, cum aliquis ſacerdos ſecundum morem Eccleſię conſecrat, neceſſarium eſt, eum bis totum Chriſtum conſecrare, quod apparet, quia cum Hoſtia conſecrat, totum Chriſtum conſecrat, quia facit totum Chriſtum in Hoſtia eſſe corpus, ſanguinem, & animam, & verbum, ſicut prælibatum eſt. Item, cum calicem conſecrat, facit totum Chriſtum eſſe, ſcilicet ſanguinem, corpus, animam, & verbum. Ita ergo neceſſarium eſt in qualibet conſecratione Euchariſtię totum Chriſtum bis eſſe, ſcilicet ſub duabus ſpeciebus, & ſub qualibet totus ſemel eſt.

Plena ſolutio ſuperioris quæſiti. *Cap. XXII.*

NVnc autem queſtioni reſpondendum eſt. ſ. quód ſacerdotes totum Chriſtum bis cõſecrent. ſ. ſub duabus ſpeciebus duplici, aut terna ratione. Quarũ prima eſt, quia vniuerſalis Eccleſia, quę omni bonorum plenitudinem in Chriſti ſuſcipit paſſione quotidianã illius memoriam colere cenſuit; &, quia ſub his duabus ſpeciebus Euchariſtiam conficientes perfecte Dominicam recolimus paſſionem, voluit Eccleſia ſic conſecrare. Quod autem per hanc conſecrationem Eccleſia Dominicæ paſſionis memoriam frequentare decreuerit, liquide dignoſcitur, quia nullum eſt aliorum Sacramentorum, aut Eccleſiaſticorum myſteriorum, quod ſic liquidé Dominicam indicet paſſionem, ſicut Sacramentum Euchariſtiæ. Quod autem ſub duabus ſpeciebus conſecrantes plene Dominicæ paſſionis memoriam celebremus, manifeſtat Apoſt. 1. ad Corinth. 11. cap. vbi innuit formam, qua ſub his duabus ſpeciebus conſecrandum erat, dicens, quotieſcunque feceritis, mortem Domini annũciabitis, donec veniat, ideſt vſq; ad diem iudicij. Secunda autem ratio, qua ſub his duabus ſpeciebus Eccleſia conſecrat, eſt, vt Chriſtum in ſuis actionibus pro modulo ſuo imitemur. Cum Gregorius dicat, omnis Chriſti actio noſtra eſt inſtructio, ſcilicet per omnia, vt ipſe fecit, vt poſſumus faciendo, ſed ipſe ſub duabus ſpeciebus conſecrauit. ſ. conſecrando panem, & conuertendo ipſum in ſubſtantiam ſui corporis benedicti, deinde ſumpto calice, in quo vinum erat, benedixit proferens conſecrationis verba: ſicut ſcribit beatus Io. 13. c. & Paulus Apoſt. prima ad Corinthios 11. cap. Cum ergo Chriſtus hoc modo conſecraſſet, Eccleſia hoc cognoſcens, ſi ſic non conſecraſſet, arbitraretur

F ſe peccare: & ſic erat, quia non debebat à Chriſti actibus, quantum erat poſſibile, declinare. Tertia autem, & harum potiſſima eſt Chriſti ſuper hoc ſpeciale decretum: Chriſtus. n. decreuit ſub panis, & vini ſpeciebus Euchariſtiam conſecrandam: ſicut ipſe conſecerat: obligantur ergo ſic conſecrare. Quod autem Chriſtus ſic confici pręcepiſſet, apparet per id, quod ſcribit beat. Io. 13. nam poſt quam Saluator corpus ſuum, atq; ſanguinem ſub panis, & vini ſpecie confeciſſet, ait: ſic facite in meam commemorationem, ideſt in commemorationem, quód ego ſic confecerim, aut in meam commemorationem, ideſt in commemorationem meæ paſſionis, quæ in hoc Sacramento figuratur. Hanc autem expoſitionem ſequitur Apoſtolus in Epiſtola prima ad Corinthios 11. cap. Quotieſcunque feceritis, mortem
G Domini annunciabitis, donec veniat.

Vnde ſit, quód ſecularibus communicantibus Chriſti corpus ſub ſpecie tantum panis tribuatur.
Cap. XXIII.

SVboritur ex ſuperioribus ratio inquirendi, cum prędictum ſit Eccleſiam conficere Euchariſtiã ſub duabus. ſ. vini, & panis ſpeciebus ex prędictis rationibus; &, quotieſcunq; conficitur, ſacerdotes conficientes ſub vtraq; Chriſtũ ſumunt ſpecie: cur ſecularibus communicãtibus, ſub altera duntaxat ſpecie tribuitur, ſ. ſub ſpecie panis non tradita ſpecie vini. Huic reſpondendum eſt, Eccleſia hoc decreuiſſe ſano ductã cõſilio, vt magna pericula, & inconuenientia euitaret. Nam, cum ſacerdos
H conficit, & ſumit, pedibus ſiſtit, & calicem epotandum manu ſua accipit: adeo nõ eſt vllũ periculum effuſionis in ſanguine conſecrato. Si auté ſecularibus ſub vini ſpecie Euchariſtia traderetur, cum genibus fixi ſint, & calicem manu ſua non capiant, poſſet facillimé ſanguis effundi, qđ graue diſpendiũ eſſet: vt ergo hęc tollerẽtur, decreuit Eccleſia, vt ſæcularibus ſub ſoli panis ſpecie Euchariſtia traderetur: tamé datur eis aqua vino mixta ſumpta Euchariſtia, ꝙ duplici ratione fit. Prima eſt, quia ad imitationé perfectæ communicationis, quã faciunt ſacerdotes conficiẽtes, atq; ſumentes, quia ſicut in duabus ſpeciebus conſecrant, ita ſub duplici ſumũt ſpecie: vt ergo ſeculariũ communicatio in Euchariſtia ſimilitudiné communicationis ſacerdotalis gerat, vinum aquæ
I permixtũ eis traditur: in his autem, licet ſequatur effuſio, periculũ nullum eſt, quia conſecrata non ſunt, ſicut ſi ſanguis effunderetur Dominicus. Secunda auté, & potior huius cauſa eſt, vt non maneat ſumentibus Euchariſtiam aliqua particula in dentibus, aut palato. Fundamentũ autem huius eſt, quia, quandiu fuerit in aliquo loco hoſtia, aut vinũ conſecratum: tandiu ibidé exiſtet corpus, & ſanguis Chriſti, licet mille annis hęc maneãt dum ibidé panis, aut vini ſpecies inſerit. Cum autem hoſtia dura ſit, & ſicca, qñ dentibus teritur, poterat aliqua eius particula dentibus, aut palato in cõcauitatibus adhærere, & poſt in ſputo foras emitti. & poſt vbicunq; caderet, exiſteretq; illa particula, & quantumcunq; locus immundus eſſet, aut ꝓphanus, ſemper ibi corpus, & ſanguis Chriſti eſſent, donec ſpecies panis, & vini eſ-
K ſe deſinerẽt, in quo aliquę inhoneſtates ſequerentur. Vt ergo prędicta tollerentur, decreuit Eccleſia, poſt Euchariſtię ſumptioné ſemper os ſumentis ablui, & illa ablutioné deglutiri, vt omnes hoſtię particulę in guttur deſcendant, & nulla in palato, aut dentibus maneat, quæ ſpuendo emittatur. Hoc auté adhuc euidentius manifeſtatur, quia omnes ſacerdotes, qñ facta conſecratione in fine Miſſæ Euchariſtiam ſumunt, abluunt os aqua vino permixta, quod generaliter obſeruatur niſi cum aliquis ſacerdos ex aliqua cauſa duas Miſſas celebraturus eſt: in prima non abluit os poſt communionem, vt non frangat ieiunium deguſtando aquam, & vinum, vt ſecundam poſſit Miſſam celebrare: in ſecunda tamen miſſa os abluit. Ex prælibatis cauſa manifeſtatur, ex qua ſeculares non communicant ſumentes Euchariſtiam ſub vtraquę ſpecie, ſicut faciunt ſacerdotes.

Qua-

Quæſtio cur Chriſtus ſub duplici ſpecie conſecretur. Cap. XXIV.

EX præpoſitis dubium ſuboritur; in ſuperioribus enim dictum eſt, quòd Sacerdotes Euchariſtiã ſub duplici ſpecie conficiunt, licèt ſub vtraque ita perfectè Deus, ſiue totus Chriſtus ſit, ſicut in ambabus ſimul. Et, quòd iſtum modum ſub ſpeciebus duabus cõſecrandi Eccleſia obſeruauit, quia Chriſtus ſic à principio conſeciſſe monſtratur. Quæret ergo tunc aliquis, quare Chriſtus ſub duplici ſpecie conſecrauit, cùm ſub qualibet earum totus Chriſtus ſit, & cum vtraque earum ita perfectè totius virtutis, aut vtilitatis huius Sacramenti efficax ſit, ſicut ambæ ſimul ſpecies conſecratæ, alioquin perfectior eſſet cõmunio, quam ſacerdotes faciunt, quàm ea, quam ſeculares. Huic autem reſpondetur, quòd licèt tanta ſit efficacia, & virtus Euchariſtiæ, quando ſub vna ſpecie eſt, ſicut cũ ſub duabus, voluit tñ Chriſtus ſub duabus ſpeciebus conficere: ſic.n. decuit duplici ratione. Prima enim eſt, quia Euchariſtia eſt ſacramentum, & eſt principaliſſimum omnium ſacramentorum: ſacramentum autem ſecundum ſignificationem ſuam eſt ſacræ rei ſignum: neceſſarium igitur eſt Euchariſtiam alicuius rei ſanctæ ſignum eſſe. Eſt autem ſignum mortis, & paſſionis Chriſti, ſicut ſcribit beatus Io. 13. cap. ſic facite in meam commemorationem, id eſt, facite hoc ad memoriam meæ paſſionis. Paulus quoque in Epiſtola prima ad Corinth. cap. 11. ait: quotieſcunque feceritis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat: &, quia in Dominica paſſione duo præcipua fuerunt, neceſſarium, aut valde conueniens eſt, duo in hoc Sacramento præcipua eſſe, ſiue hoc Sacramentum ſub duabus confici ſpeciebus. Fuerunt autem hæc duo in paſſione, ſ. ꝙ Dominicum corpus manibus perſequentium traditum eſt, & fuit mirabiliter cruciatum. Secundus eſt, ꝙ ſanguis noſtri redemptoris fuit pro peccatoribus effuſus. Ad perfectam iſtorum duorum, quæ in paſſione fuerunt, expreſſionem, neceſſarium erat, vt Sacramentum paſſionis ſignificatiuum, quod erat Sacramentum Euchariſtiæ, in duabus ſpeciebus conficeretur, quæ prædicta duo deſignarent, ſ. vt in pane conficeretur, qui multum corpori cõuenit in ſoliditate ſubſtantiæ, & concordia alimẽti: & quod in vino conficeretur, quod ſanguinis repræſentatiuum erat, quia ambo fluida ſunt, & vinum alteri conformatur quantum ad naturam alimenti: decuit ergo Euchariſtiam in his duabus confici ſpeciebus ad perfectè ſignificandum ea, quæ in paſſione erant, alioquin ſacramentum hoc non fuiſſet perfectum repræſentatiuum Dominicæ paſſionis. Hanc autem fuiſſe intentionem Chriſti huius Sacramenti inſtitutoris ſub duabus ſpeciebus ex verbis formalibus conſecrationis conijcitur; Nam, cùm corpus ſub panis ſpecie conſecraret, dixit: Hoc eſt enim corpus meum, quod pro vobis tradetur ſ. in manus hoſtiles perſequentium. Cum verò ſanguinem ſub vini ſpeciei conſeciſſet, ait: Hic eſt calix ſanguinis mei noui teſtamenti, qui pro vobis effundetur in remiſſionem peccatorum. Hoc ponit beatus Io. cap. 13. & Apoſtolus in Epiſtola prima ad Corinth. c. 11. Secunda ratio eſt, quia Chriſtus auctor teſtamenti noui, & noſtrarum animarum ſaluator voluit nobis aliquod inſtituere ſaccramentum, per quod anima noſtra confortaretur, & confortata conſeruaretur; &, quia nihil ſanctius, atque melius, pleniuſque gratiarum ipſo Chriſto benedicto, qui verus Deus eſt, & homo in infinita, excogitabilique vnitate dignatus eſt, ſeipſum nobis tribuere; & quia communicatio nulla maior eſſe poterat, quam ipſe Chriſtus nobis ſe ipſum tribueret incorporando nos ipſi, & ipſum nobis: fecit ergo hoc, vt nos eũ deglutaremus intra noſtra guttura glutientes, vt ſic pfectè cum tam ſecundum animam, quàm ſecundũ corpus haberemus; Et quia intellectus noſtri, qui infirmi ſunt per ſolas res corporeas cognoſcentes, per materialia informari debebant; & quia de rebus ſpiritualibus hic cognitionem habere debebant, neceſſarium erat, vt ſacramentum iſtud in rebus corporalibus conſtitueretur ad ſimilitudinem rerum corporalium, quas nos ſenſibus experimur. In corporalibus autem ſic eſt, ꝙ corpus noſtrum alimento corroboratur, & conſeruatur: alimentum autem in rebus duabus conſiſtit. ſ. cibo, & potu. Decuit ergo, vt ſacramentum hoc in pane conficeretur, qui cibus erat, & in re potabili, qualis erat vinum: ſic ergo in duabus ſpeciebus ſacramentum iſtud eſſe decebat. Quòd autem iſta eſſet intentio Chriſti huius ſacramenti inſtitutoris, euidẽter apparet ex his, quæ ſcribit B. Ioan. 6. cap. ſ. Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, viuet in æternum. Ex prædictis ergo manifeſtè concluditur, quare Chriſtus Sacramentũ iſtud benedictæ Euchariſtiæ ſub duplici ſpecie conſtituerit, ſ. ſub ſpecie panis, & vini.

Sententio Chriſti de Sacramento Euchariſtiæ.

Cur Chriſtus ſub duplici ſpecie Euchariſtiæ Sacramentum inſtituerit. Cap. XXV.

IVxta tactam in ſuperioribus materiam acutius ſpeculantes aliam rationem poterimus inuenire, quare Chriſtus ſub duplici ſpecie hoc ſacramentum inſtituerit. In quo aduertẽdum eſt, ꝙ Chriſtus ſpecialius iſtud ſacramentum ad memoriam ſuam inſtituit, quàm cetera ſacramenta, quod ex verbis inſtitutionis apparet. Cũ Chriſtus matrimonium aliquo modo, aut inſtituit, aut approbauit: cùm illud ratum fecit, ꝙ ante per libellũ repudij ſoluebatur, vt amplius nullum diuortium pateretur, ſicut ſcribit B. Matth. 5. cap. & 19. nunquam tñ expreſſit, ꝙ ipſe per hoc ſacramentũ aliquo modo memoriæ traderetur. Item, cum Chriſtus baptiſmũ B. Io. approbauit, illud corporaliter aſſumẽdo, vt apparet in Luc. 3. c. & cum ipſe nouiter baptiſmum inſtituit, ſicut ſcribit B. Matt. 28. cap. non expreſſit vllatenus per hoc Sacramentum eius memoriam frequentandam. Cum tñ hoc Euchariſtiæ inſtituit ſacramentum, expreſſit p hoc apud fideles eius memoriam recolendã: ſicut ſcribit B. Io. 13. ca. hoc facite in meam commemorationẽ: Apoſtolus quoque Paulus idem expreſſit in prima ad Corint. 11. cap. inquiens: Quotieſcunque feceritis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat. Eſt autem in hoc ſciendum, ꝙ in Chriſto multa erant. ſ. verbum, ſiue ſecunda Trinitatis perſona, q̃ vnica, atque ſimplex, & indiuidualis eſt: erat quoque rationalis anima, quæ identidem ſimplex erat, præter hoc, & corpus verum humanum erat in partibus multiplicitatem habens, & in humoribus varietatem, aliarumq; rerum ſimilium, atque diſſimilium abundantiam. Vt autem iſtud Sacramentum repræſentatiuum noſtri Redemptoris pfectè expreſſiuum eſſet illius, neceſſarium fuerat, vt tot res ſint in illo, per quot perfectè repræſentari poſſent omnia, quæ in Chriſto erant, quæ ſignificari poterant: ſed tale perfectè repræſentatiuum Sacramentum ſtabiliri non potuit, quia id quod præcipuum in Chriſto exiſtebat, erat verbum, ſiue ſecunda in deitate perſona. Sed ad hanc deitatem repræſentandam in hoc ſacramẽto nihil eſſe potuit, quia, cum ſacramenta ſigna ſint, oportet, vt his, quæ ſignata ſunt, proportionẽtur; &, quia verbum diuinum ſpirituale, atque inuiſibile erat, neceſſarium erat, vt id, per quod ſignificari deberet, inuiſibile, atque ſpirituale eſſet. Sed hoc ſubſiſtere non potuit, quia ſigna conuenire debent his, quibus aliquid ſignificare debent, ſcilicet, vt ſignũ tale ſit, ꝙ per illud aliquid perpendi poſſit, aliàs inutile ſignum eſſet: nos autem ſumus, quibus Euchariſtiæ ſacramentum alicuius ſignificatiuum eſt, & quia nos corporei ſumus, & p corpora intelligentes, atque per corpora apparẽtia, rerumque conditionibus corpora affectis: res autem ſpiritualis inuiſibilis eſt, & incorporea, nec ſimilitudinẽ vllam corporum gerit: non poteramus aliquid inuenire, quod in hoc Euchariſtiæ Sacramento deitatis ſignificatiuum eſſet: non ergo fuit in hoc ſacramẽto aliquid, quod perſonæ verbi repræſentatiuum eſſet. Identidem in Chriſto rationalis anima erat, quæ conformiter repræ-

præ-

præſentatiuum aliquod habere non potuit: nam, ſicut ſecunda in trinitate perſona, quia ſpiritualis, atque indiuiſibilis erat, nullum ei repræſentatiuum hoc tribuit ſacramentum: ita & anima rationalis, ſpiritualis, atque indiuiſibilis eſt: nullum ergo potuit ſignificatiuum habere. Erat autem in Chriſto præter hoc corpus humanum, quod palpabile, atque viſibile erat: potuit ergo aliquod corporeum, & viſibile repræſentatiuum habere: hoc autem ſignificatiuum fuit panis, quia panis corpori multum congruit, vt in ſuperioribus prælibauimus. In corpore autem Chriſti ſanguis erat, cum corpus viuens eſſet: ad hoc autem ſignificandum aliquid repræſentatiuum corporeum, quia corpus erat, dari potuit; & hoc vinum erat, ſub cuius ſpecie ſanguis quoq; Chriſti, & corpus conficitur. Reſtat ergo eſſe has duas ſpecies, ſcilicet panis, & vini, ſub quibus Euchariſtia conſecretur, ſcilicet corpus, & ſanguis Chriſti.

Obiectio ad ea, quæ prædicta ſunt. Cap. XXVI.

PRædictis autem aliquis forſitam obuiabit dicens inconuenienter ſub his duabus ſpeciebus confici, cũ ſufficiat ſub altera earum, ſcilicet ſub panis ſpecie confici. Quia aut in vnica, ſcilicet in panis ſpecie conficienda erat Euchariſtia, aut in pluribus, quàm duobus, ſcilicet in tribus, aut quatuor: nam, ſi in hoc ſacramento aliquod corporis Chriſti repræſentatiuum eſſe debebat, ſufficiebat panis, qui corpus dominicum cum omnibus ſuis partibus, atque humoribus deſignaret, & non oportebat alterum pro ſanguine poni ſignificatiuum, quod ſi fortaſſis præter corporis ſignificatiuum alterum pro ſanguine repræſentatiuum poneretur, pro capite quoque Chriſti, pedibus, atque manibus cæteriſque corporis partibus ſingula ſignificatiua diſponenda erant, quod non congruit. His reſpondendum eſt in hoc ſacramento duas ſignificatiuas ſpecies poni oportere, ſ. alteram corporis, alteram autem ſanguinis ſignificatiuam: nec oportebat plura aliarum partium ſignificatiua poni, ſcilicet pro pedibus, aut manibus cæteriſque partibus eiuſdem corporis, quibus partes, quæ eidem attinent, deſignantur, quia omnes in toto partes continuantur, nec quouis modo alijs ab alteris ſeiunguntur, niſi violenter ab aliquo ſeiungantur. Totum igitur corpus vnum ſortitur nomen, quia tota illa carnea moles corpus nominatur: quia quod indiuiſum eſt, vnum eſt: vnicum ergo totius corporis decuit eſſe ſignificatiuum. Sanguinis autem aliud oportuit eſſe differens ſignificatiuum, quia ſanguis non eſt pars corporis toti corpori continuatus, ſicut pedes, aut manus, aliique artus eiuſdem: ſed eſt quidam corporis humor, qui a corpore faciliter effunditur, cum liberi exitus patet, vtpote per aliquam in corpore factam inciſuram, ſicut in dominica paſſione factum noſcitur; quia totus eius ſanguis per flagellorum puncturas, per clauorum fixuras, atque per ſpinarum aperturas effuſus eſt. Cum igitur ſanguis non eſſet corporis pars, ſed aliquid à corpore differens, decuit, vt in hoc ſacramẽto aliquod differens pro ſanguine repræſentatiuum poneretur, pro corpore quoque diſtinctum.

An ſatis ſufficeret corpus Chriſti ſub ſpecie panis conſecrari.

Obiectio ad prædicta. Cap. XXVII.

AD hoc autem aliquis ſolutioni proximæ non conſentiens inſiſtet dicens, ꝙ cum in ſacramento Euchariſtiæ pro ſanguine vinum, vt repræſentatiuum ponatur, quia ſanguis non pars cõtinuata cęteris corporis partibus, ſed fluidus humor eſt, neceſſarium quoq; erit in hoc Euchariſtiæ ſacramento alterum pro colera, alterum pro flegmate, alterum melancoliæ ſignum repręſentatiuũ eſſe, quia iſti humores corporis Chriſti ſunt ſicut ſanguis, & quilibet eorum diſtinctus a cæteris. Hos autem tres humores, ſcilicet coleram, flegma, & melancoliam in corpore Chriſti eſſe nullus negare valebit. Nam de flegmate perſpicuum eſt, cum id tota orthodoxorum Eccleſia fateatur, & habeatur extra, de

F celeb. miſſ. in cap. in noſtra, & ſicut de hoc cõfitemur, parim ratione de duobus reliquis dicere compellemur; alioquin multa conſtitueremus abſurda. Chriſtum autem ante paſſionem ſuam quatuor humoribus gubernatum corpus habuiſſe bis liquet argumentis. Primò, quia corpus quodlibet genitum illius eſt complexionis, cuius eſt ſemen formatiuum: ſicut vberius diſſeruimus, cùm particulam illam primæ metaphoræ deſcriberemus, ſcilicet. Fuit vas clauſum. Sanguinem autem menſtrualem virginis, ex quo benedictum corpus Ieſu formatum eſt, quatuor complexionatum humoribus fuiſſe conſtat. Quia omne ſemen tam maſculinum, quã fœmininum, licet ſecundum magis, & minus, horum tamen quatuor humorum neceſſariò ſortietur complexionem. Corpus ergo Ieſu, quod de virginis benedicto G ſanguine formatum eſt, his quatuor humoribus temperatur. Item corpus Ieſu erat verum corpus humanum: neceſſarium ergo erat, vt omnia illa haberet, quæ in cœteris humanis corporibus continebantur: in alijs autem hominibus hoc eſt, quòd nullus eſt, qui quatuor non habeat humores: neceſſarium ergo erat in corpore benedicto Chriſti hos quatuor eſſe humores. Item omnes formæ ſunt huius conditionis, quod in materia diſpoſitiones debitas præexigunt, cum quibus manent, & ſine quibus ſubſiſtere non valent: &, ſi aliquoties in ſint, diu tamen exiſtere non valent. Anima enim humana aut equina lapidem informare non valebit, quia in lapide diſpoſitio nulla eſt, quam anima aſinina, aut humana præexigit, & quia anima humana eſt cœteris formis excellentior, plures cœteris diſpoſitiones exi- H git, quarum præcipua eſt corpus quatuor humoribus quatuor complexionum temperatum eſſe in debita armonia: vt igitur anima benedicti Ieſu in corpore naturaliter permanere poſſet, vt aliorum hominum animæ manent: neceſſarium erat quatuor in eo humores exiſtere: ſicut Chriſtum ante paſſionem ſuam quatuor humores habuiſſe confitemur: ita poſt reſurrectionem ſuam, & nunc, & in æternum eum habiturum confiteri debemus, quia corpora glorificata poſt reſurrectionem, licet defectibus, & ęgritudinibus caritura ſunt, quibus nunc abundant, & ſuperfluitates nullas habebant, quia euenit ex conditione materiæ, aut errore particularium agentium cauſantur: omnes tamen naturales proprietates, & conditiones habebunt; & quia quatuor humores I habere eſt naturalis corporis humani proprietas, neceſſarium eſt, vt poſt reſurrectionem hos quatuor humores corpora ipſa habeant. Reſtat ergo nos cogi in corpore Chriſti fateri quatuor nunc humores poſt benedictã reſurrectionem exiſtere, & in æternum futuros. Hoc autem poſito fundamento, cum dicamus, in corpore Chriſti quatuor humores nunc exiſtere, dicetur, quòd, cùm in Euchariſtiæ ſacramento ſanguinis ponatur ſpecies repræſentatiua, ſcilicet vinum, quod pro colera, alterũ pro flegmate alterum pro melancolia, identidem neceſſario erit repræſentatiuum dari, cum quodlibet eorum dominici corporis humor ſit, ſed pro nullo eorum præter quam pro ſanguine vllum ponitur ſignificatiuum; ſequitur ergo hoc ſacramentum incongruè conſtitutum fore, ſcilicet, vt ſub duabus ſpeciebus Euchariſtia K conficeretur.

Quod Chriſtus habuit quatuor humores.

Reſponſio ad prædictam inſtitutionem. Cap. XXVIII.

ARgumentationi huic fortaſſis aliquis reſpõdebit, ꝙ omnibus, quæ in Chriſto erant, quibus conuenienter ſignificatiua attribui poterant, in hoc ſacramento repræſentatiua attributa ſunt. Et, ſicut panis ſpecies tanquam corporis, & omni, quæ in corpore adinuicem continuantur, ſcilicet omni partium corporis repræſentatiuum poſitus eſt: ita vinum ſanguinis dominici, aliorumque fluidorum humorum ſignum datum eſt; ſanguinem tamen tanquàm inter humores pręcipuum in hac nominatione expreſſerunt. Hæc enim reſponſio aliquatenus toleranda foret; quia veritati aliqualiter uidetur adhærere. Conuenientius his poteſt dari reſpõ-

ſum, ſcilicet, quòd in corpore humano, licèt quatuor [A] humores ſint, qui tamen maioris inter hos ſit quantitatis, atq; omnibus cognitus, ſanguis eſt: ſanguis ergo tanquàm præcipui humoris, in hoc ſacramento ſolùm dari debuit ſignificatiuum. Item in humano corpore nullus maioris quantitatis humor eſt: maioris nanque quantitatis eſt iſte ſolus, quàm cæteri. Conuenit ergo hunc nominari, & huius poni figuratiuum, & non cuiuſquam cæterorum. Eſt autem alia ratio magis in fundamento, quia hoc Euchariſtiæ Sacramentum Dominicæ paſſionis ſignificatiuum eſt, vt in ſuperioribus prælibauimus. In Dominica autem paſſione præcipuum, & propter quod magis gratiarum cumulos reddere debemus, eſt, quòd pro nobis vitã poſuerit: nam hoc optimum eorum, quæ ipſe nobis fecit, eſt. ſicut ipſe voluit expreſſiſſe Io. 10. cap. Ego ſum paſtor bonus, [B] & pono animam meam pro ouibus meis. Conueniens ergo erat in hoc ſacramento memoriam de vita Chriſti celebrari: aut illius, in quo vita præcipuè eſt. Vita autem iuxta ſacræ ſcripturæ traditionem, quę habetur Leuitici 17. & Deuteronom. 12. anima omnis carnis in ſanguine eſt: ipſius ergo ſanguinis tanquam originis vitæ mentio facienda erat, & eius ſolius repræſentatiuum in Sacramento Euchariſtiæ poni debebat. Quamuis præpoſitæ rationes ſatis conuenienter aſſignatæ ſint; præcipua tamen, & fundamentalis, quare ſolius ſanguinis repræſentatiuum poſitum fuerit, aliorum autem humorum nequaquam eſt, quia Chriſtus inſtitutor huius Sacramenti rememoratiui ſuæ ſacratiſſimæ paſſionis, voluit repræſentatiua inſtituere eorum, quæ [C] in ſua paſſione præcipuè patuere. Hæc autem duo fuerint, ſcilicet corpus Ieſu, quòd in paſſione ſua cunctis patuit vulneratum, ſpinis plexum, clauis fixum, flagellis vndiq; cruciatum, atque omnibus opprobriorum, pœnalitatumq; modis ſaturatum. Secundus fuit ſuus ſanguis benedictus, qui per latas Dominici corporis aperturas largè fluxit, atq; in terram, veſtes, & crucem aſperſus eſt. Aliud quicpiam in Domini paſſione non patuit: nam aliorum humorum nullus fluxit, ſed flegma, colera, atque melancolia, in benedicto corpore Ieſu in cruce pendente manſerunt, quoniam paruæ quantitatis ſunt, nec eis patet fluxus, ſicut ſanguineo humori, qui in magna quantitate eſt. Quòd ſi fortaſſis quicpiam de alijs humoribus de Dominico corpore fluxerit, illud ſanguini mixtum fuit, nec potuit vllatenus [D] apparere: ſed conuenientius eſt ſolo ſanguine de corpore confluente cæteros humores in corpore permanſiſſe. Ob hoc igitur conuenientius fuit duo poni in hoc Sacramẽto ſignificatiua. ſ. alterum corporis, ſanguinis quoq; alterum. Adhuc autem aliquis vlterius inſiſtet, quòd, cum flegma, colera, atque melancolia corporis Dominici humores ſint, & ſanguinis per ſe detur aliquod in hoc Sacramẽto ſignificatiuum, oportere quouis modo trium aliorum vlla dari ſignificatiua. Huic reſpondendum eſt, quòd horum trium humorum in hoc ſacramento repræſentatiuum datum eſt: nam & ſi cuiuſlibet eorum differens, aut ſimul ſignificatiuum poſitum nullatenus fuerit, eorum tamen aliquod repræſentatiuum datum eſt, ſcilicet, quòd ſicut in hoc ſacramento vnum corporis Dominici ſignificatiuum, ſci- [E] licet, panis poſitum eſt, non diſtinctus ſingularum partium ſingulis ſignificatiuis, ſed vno pro corpore, omnibuſque eius artubus dato, ſcilicet, panis ſpecies, ita & pro corpore omnibuſque exiſtentibus in corpore idem repræſentatiuum aſſignabitur. Et, quia flegma, colera, & melancolia in corpore Chriſti manſerunt, ſicut corporis artus, qui ſibi inuicem continuatione catenati ſunt, ſicut omnium partium ſibi in corpore cõiunctarum idem repræſentatiuum, ſcilicet, panis eſt: ita pro his quatuor humoribus idem dabitur, ſ. quòd in Sacramento Euchariſtiæ ſpecies panis corporis, atque omnium eius partium cum his quatuor humoribus ſignificatiuum ponatur: ſpecies autem vini ſanguinem Chriſti duntaxat repræſentat.

Obiectio contra prædicta. *Cap. XXIX.*

SVpra determinatis aliquis obuiabit, ſ. quòd, ſicut ſanguis Chriſti repræſentatiuũ poſitum eſt: ita quoque flegmatis ponatur, quia, ſicut ſanguineus humor de Chriſti corpore in paſſione largè manauit: ita flegma eodem in cruce pendente profluxit. Multi namque dixerunt, cum Euangeliſta de latere Chriſti in cruce dormientis aquam effluxiſſe teſtatus ſit: illam non aquam, ſed flegmaticum humorem fuiſſe: ratio aũt mutationis eſſet ob ſimilitudinem eorum influere, & colore: hoc idem recitat Innocentius 3. extra de celebra. Miſſa. in cap. in noſtra. Huic autem addijciunt: quia à nullo corpore fluere poteſt, ꝙ in eo nullatenus fuit, ſed in corpore Chriſti, aut in nullo alio corpore aqua eſt, quia deſtrueret totam corporis machinam, cũ contraria ſit corporis armoniæ, quia eſt in quodam extremo contrarietatis. in quolibet tñ corporum humanorũ humores quatuor ſunt, è quibus vnus flegma eſt: conuenienter igitur flegma de Chriſti latere effluxiſſe potuit, aqua autem nullatenus. His reſpondendum eſt, ꝙ hoc argumentum peccat, quia falſum præſupponit. ſ. quòd de latere Chriſti flegmaticus humor effluxerit: nam flegma nullum, ſed id, quòd ſanguini mixtũ effluxit, vera elementalis aqua fuit, hoc autem liquidè Euangeliſta teſtatus eſt: nam, cum ſanguinem de latere Chriſti profluxiſſe conteſtaretur, non flegma ſimul, ſed aquam exijſſe deſcripſit. Item hoc amplius liquidatur determinatione vniuerſalis Eccleſiæ. Nam Papa Innocentius 3. extra de celeb. Miſſa. in cap. in noſtra. cum poſitionem horum, qui flegmaticum humorem de latere Chriſti prodijſſe dixerũt, deſcriberet, dixit: eam aquam veram fuiſſe: cui determinationi neceſſariò inhærendum eſt, ſi volumus hæreſim euitare.

Solutio confirmationis obiectiones tactæ in præcedenti capitulo. *Cap. XXX.*

CVm verò præfati delirantes argumentum ſuũ fulcire moliuntur, dicentes de corpore Chriſti profluxiſſe impoſſibile foret, niſi ꝙ ibi fuiſſet, concedendum eſt. Qñ autem vlterius arguunt in minori dicẽtes, ꝙ in corpore Chriſti aqua non fuit: reſpondendum eſt diſtinguentes, ſ. corpus Chriſti dupliciter conſiderari. ſ. vt corpus Chriſti mortuum, aut corpus Chriſti viuens: ſi autem corpus Chriſti viuens aſſumatur: verum eſt in corpore Chriſti aquam nullam fuiſſe, nec inde quouis modo eo viuente exire potuiſſet: licèt minutatim cum quiſquam cõcideret: ꝙ ſi forſan corpus Chriſti mortuum aſſumatur, dicendum eſt in corpore Chriſti aquam veram fuiſſe, quæ inde poſſet effluere factis aliquibus partium inciſu. Qua in re animaduertẽdum eſt, ꝙ quamdiu Chriſtus vixit, nullus in corpore ſuo aquaticus humor fuit, nec ibi quouis modo cauſari valebat. Itẽ mox, vt Chriſtus mortuus eſt, in corpore eius aqua nulla erat: ideo, ſi protinus, vt Chriſtus vita defunctus eſt, corpus eius in varia diuiſum fuiſſet, nullus inde exijſſet aquaticus humor, niſi illũ Deus ſupernaturaliter cauſatus eſſet. Sic igitur de Chriſto dicendum patet nullam in corpore eius viuente aquam fuiſſe: nam, cum flagellis cæſus, ſpinis punctus, clauis perforatus, multum ex omnibus corporis benedicti partibus humorem ſanguineum exudaſſet, nullam prorſus aquam effudit. Item mox, vt Chriſtus emiſit in Cruce ſpiritum, nullus aquaticus humor per eius vulnera fluxit, ſed in veſpere hora completorij, cũ benedictum corpus Ieſum tradẽdum eſſet ſepulturæ, vnus de militibus lancea latus eius aperuit, atq; fluxit ſanguis, & aqua, ſicut habetur Matthæi 27. & Ioan. 19. cap. Modus autem, quo aquaticus iſte humor effluxerit, eſt, ꝙ, dum corpus animatum viuens eſt, quatuor humoribus temperatur, nullum peregrinum intra ſe recipiat humorem: quoniam ſic animati corporis deperiret armonia. Cum vero corpus mortuum eſt, quia non habet formã, quæ ei eſſe tribuat, & illud à corruptione præſeruet,

Nihil aquæ in Chriſti corpore viuente fuit.

ſerùet, corrumpi, aut putreſcere inchoat, & ſoluitur in illa, ex quibus conſtitutum erat: quia aũt oĩa corpora elementata quatuor in ſe elementorum materiã habent: ſoluuntur in horum elementorum ſubſtantiã, & qualitatem ſecundum magis, & minus, ſecundum q̃ corpora noſtra magis, aut minus horum elementorũ ſubſtantiam ſortiuntur: &, quia aqua vnum ex his eſt, neceſſe eſt quodlibet corp⸗rum, cum corrũpitur, partim in aquam ſolui. Et, quia oẽs actiones, atque tranſmutationes naturales ſucceſſionibus menſurantur, non poterat mox, vt Chriſtus mortuus eſt, ex corpore eius aquaticus humor cauſari, nec aliqua pars de corpore eius ſolui, ſed hæc oĩa temporis ſucceſſionibus conſumanda erant. Cum autem tres horæ tranſierunt, quę ab hora nonæ vſque ad horam completorij, in qua ſepeliendus erat, & poſtea ſepultus eſt, corpora cœleſtia ſuper illud corpus, ſicut ſuper cætera naturalia influendo immutauere illius corporis qualitatem, quæ in viuente præextiterat, reſoluendo aliquas eius particulas tenerrimæ ſubſtantiæ in veram aquã elemẽtalem. Cũ autem tempore, quo ſepeliendus erat, vnus de militibus lateri eius lanceam applicans illud aperuit, aqua, quæ ex tenerrimis partibus reſoluta ad locum aperturæ confluxerat, mixta ſanguini erupit è corpore. Non poterat aũt iſte aquaticus humor de latere Chriſti profluxiſſe protinus, vt mortuus eſt, dato q̃ miles latus eius lancea aperuiſſet: nã, licet ſanguis effluxerat, aqua tñ nulla affluxiſſet, quia nondum reſolutio teneræ ſubſtãtiæ in aquaticum humorẽ celebrata erat. Quod, ſi forſitan duabus, aut tribus horis poſt completorium, cum latus Chriſti apertum eſt, miles illud lancea perfodiſſet, abundantius humor aquaticus profluxiſſet: nam in maiori tempore maior reſolutio celebratur. Hunc autem modum cauſæ aquæ de latere Chriſti fluentis Eccleſia vniuerſalis approbat: & ponit eam ſummus Pontifex Innocentius extra de celebra. Miſſa. in cap. in noſtra, cum illorum improbat poſitionem, qui de latere Chriſti flegmaticum humorem aſſerunt effluxiſſe.

Obiectio non naturales fuccedens ſucceſſionibus menſurantur (margin)

Reſponſio ad tacitam quæſtionem, & de Chriſti corpore quædam. Cap. XXXI.

HIc autem loquendi modus obſeruantibus proceſſum naturæ per oĩa valde conformis eſt; nam ſecũdum ordinem naturalem, aĩa a corpore ſeparata, omnes iſtę, & plures reſolutiones in corpore fiunt, iſta autem aſſerentes fateri compellemur, q̃, ſicut in corpore Dñi Ieſu in tribus horis, quæ a tpe mortis Ieſu vſq; ad horam completorij, qua tradendum erat ſepulturæ, & militis lancea confoſſum eſt, tanta fuit facta tranſmutatio alteratiua, q̃ in eo reſolutæ erant partes ſubſtantiæ teneræ ad ſatis magnam aquatici humoris quantitatẽ: Ita neceſſarium erat in reliquo tpe ſecuturo, q̃ quadraginta horarum fuit vſq; ad Ieſu benedicti reſurrectionem, continuas factas fuiſſe mutationes ſoluẽdo illud corpus dñicum. Hoc aũt pacto ſi corpus Saluatoris, per duos, aut tres mẽſes in ſepulchro, ſicut aliorum defunctorum corpora, iacuiſſet, totum corruptum, putrefactum, atq; incineratum fuiſſet obſeruata mutationis proportione, quę in tribus horis facta fuit. Modus iſte reſpondendi catholicus eſt, quia cum vniuerſalis approbat Eccleſia: Papa quoq; cum confirmat in prædicto c. in noſtra. in tit. de celeb. Miſſ. Benignius tñ, & fauorabilius corpori noſtri Redemptoris reſpõdere valemus dicentes, q̃ ſicut Dña noſtra Virgo gratia Redẽptoris noſtri Ieſu priuilegium ſortita eſt, vt nullã claustrorum virginalium apertionem, aut illam conſequentes dolores in conceptione experiretur, nullam quoq; vaſorum integram ſractionem, quæ cæteris in partu fuerit, doloreſque durũmos pateretur ata in corpore Redemptoris noſtri, quod, vt duram patris ſubiret obedientiam, & noſtram integre operaretur ſalutem, duriſſimos ſubierat cruciatus, ita tõnabiliter fieri debebat, vt a corruptione profſus immune haberetur. Sic n. Pſalmiſta teſtatur Pſal. 15. Non dabis ſanctum tuũ vi-

Alia reſpõſio, q̃ probat alii Doc. eſt. (margin)

Pſal. 15. (margin)

F dere corruptionem, i. non permittes dñe corpus Meſſiæ, quod ſanctum eſt, vllam in morte perpeti corruptionem. Hunc aũt tenentes modum, dicemus q̃, licet corpus Redemptoris noſtri ex conditione naturalium agentium, ſicut cætera defunctorũ corpora corruptionem ſubire debebat, ſpeciali tñ priuilegio, quia ſic rationabile erat, Deus illud tenerum, & recens, immaculatum, ſine vlla tabidi odoris impuritate ſeruauit illęſum, ita vt tale tpe reſurrectionis eſſet, quale fuit, cum anima à corpore ſeiuncta eſt. Hæc autem incorruptibilitatis proprietas corpori Dñico tributa erat, quod cœleſtia corpora, & alia agentia naturalia nullam in eo tranſmutationẽ efficere poſſent, quod, ſi forte per duodecim annos, aut plures illa qualitas illi corpori manſerat in ſepulchro manens, nihil magis in fine temporis putrefactum, aut in odore, vel alias fuiſſet vitiatum, vel læſum, quàm cum anima è corpore miſſa eſt. Iſte

G autem modus magis catholicus, atque rationabilior beneguorque corpori Saluatoris noſtri eſt.

Obiectio contra prædicta de quadam aqua in latere Saluatoris noſtri miraculosè orta. Cap. XXXII.

ALiquis tñ contra nititur prædictis dicens, q̃, cùm Pſalmiſta dixit: Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem: non innuit corpus Saluatoris in illa debere integritate manere, atq; incorruptione, cum reſurrexit, in qua erat, cum vita defunctum eſt, ſed, q̃ non incinerandum in ſepulchro erat, ſicut corpora noſtra, quæ in ſepulchris requieſcunt vſq; ad vltimam in die

H Iudicij reſurrectionẽ, ſed die tertio à mortuis ſurrecturus erat, in quo ſpacio nullũ corpus in cineres, aut vermes ſolui poterat. Huic reſpondendum eſt, q̃ non ſolum corpus noſtri Redẽptoris in ſepulchro, ſicut noſtra corpora incinerandum non erat, ſed & nullã corruptionem ſubire debebat, alioquin paruum erat priuilegium corporis noſtri Redemptoris, q̃ conceſſu indignum eſt. Item, cum Pſalmiſta dicat Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem, ſi corpus Domini le ſu taliter immutatum foret, quod reſolutæ partes ſubſtantiæ eius tenerrimæ in aquaticum ſoluerentur humorem, & aliæ in eo mutationes fierent in ſepulchro, corpus Chriſti aliquã pateretur corruptionem, quód inconueniens eſt, cum propheta dixerit non viſurum

I illud corruptionem. Iſtum autem modum ponentes non compellimur confiteri, imò nec poſſumus aquam, quæ de Redemptoris noſtri latere fluxit de partibus teneris, & humidis eiuſdem corporis ſolutam fore: quia iſta naturalis trãſmutatio erat diſpoſitiua ad corruptionem, ſed dicendum eſt illam aquam a Deo miraculosè factam fuiſſe in latere Redemptoris, quæ poſtea per aditum lanceæ profiliuit. Quare autem aqua iſta ſupernaturaliter ibi cauſata fuerit, inferius dicetur. Prædicta autem manifeſtantur, quia, ſi aqua iſta naturaliter fuiſſet ſoluta de corpore Redemptoris noſtri, quæ per latus effluxerat, ita in alijs mortuorum corporibus videremus, quæ vulneribus caduntur, quia aliquã tulum poſt examinatum corpus aqua per vulnera quãtacunque effluxerat, quod non videtur. Item, ſi aquan-

K cus ille humor de latere Redemptoris noſtri ex aliquibus corporis particulis ſolutus foret, ita in cæteris eiuſdem corporis partibus fieret, ſcilicet in brachijs, capite, atq; cruribus, quo pacto aqua, quæ in brachijs ſoluta foret per fixuras clauorum, quæ in manibus erant profluxiſſet, aqua aũt, quæ in cruribus reſoluta eſſet, per clauorũ aperturas in pedibus flueret: ſed nulla harũ defluxionũ facta eſt, quia Euangeliſta ſolum, q̃ de latere Chriſti lancea fixo aqua cũ ſanguine effluxiſſet, expreſſit. Cauſa, autem, qua Deus miraculosè aquam fecit in latere noſtri Redẽptoris, quæ inde facto aditu profiliret, fuit ad virtutem præſtandam Sacramentis noſtræ regenerationis, per quæ in ſuo nouo teſtamẽto vira noſtra agenda erat: in morte namq; Redemptoris vetus teſtamentũ concluſum eſt, & incepto nouo, in quo

Sacra-

Sacra dari debuerunt, per quę oīum peccantium maculæ delerentur. Horum aūt precipuum baptiſmus eſt, in quo totius veteris hominis peccata delentur, & vita noua inchoatur, virtus quoq; ad bene viuere tribuitur: Iſte aūt in aqua conficitur; Et, quia tanta ſalutis noſtræ efficacia, quāta erat oīa noſtra peccata dilui in aqua elementali perfici non poſſe aliquis exiſtimaret, cum elementum valde commune, atq; pauci momenti videatur, dignatus eſt benedictus Ieſus de latere ſuo aquā effluere, vt ſic auctoritatem maximā efficacię ſuę baptiſmus reciperet. Non.n.maiori poterat excellētia pendi aquaticus humor, quā vt de Redēptoris latere flueret: valde igitur conueniens fuit, vt de Chriſti latere pendentis in Cruce aquaticus humor prodiret in patulū.

Ad quid profuturus erat ſanguis, qui mortuo Chriſto erupit. Cap. XXXIII.

ALiquis ex ſupradictis inquirēdi cauſam aſſumet. ſ.cum aqua de Dominico latere auctoritati Sacramētorum potiſſimè baptiſmi, confirmationiſq; faciendæ prodijſſet, qui poſt Chriſti reſurrectionem Redemptoris mox inchoandus erat, ſanguis, qui eodem erupit latere, ad quid profuturus erat? Huic fortaſſis aliquis reſpondebit, ꝙ ſanguis, qui mortuo Chriſto erupit nullius myſterij ſignum fuit, ſed naturali pondere fluxit: nam ſanguis ille in latere Chriſti vndiq; currens nullo facto aditu reſidebat, qui, cùm per lāceæ foſſionem congruum aditum inueniſſet, naturali grauitate decurrit, nec potuiſſet vllatenus detineri, niſi Deus miraculosè tenuiſſet. Cōuenienter adhuc modus aſſignari poteſt. ſ. quòd, ſicut aqua illa de Redēptoris latere fluens myſterij ſignatiua fuit: ita ſanguis, qui eidem confluxit non ſine myſterio prodijſſet. Modus autem eſt, quia in Chriſti Paſſione oīum peccantium reatus aboliti ſunt, poſt mortem aūt Saluatoris ſacramenta dari debebant, per quæ redēptionis à Chriſto celebratæ participes efficeremur, ad qđ aqua in latere Chriſti exiſtens ſupernaturaliter orta fuerat: ſanguis autem ad nullius Sacramenti cōfirmationem effluxit: quia nullum Sacramentum pro materia ſanguine habet, ſicut quorundā materia aqua eſt, ſicut in baptiſmo; fuit tñ ad ſignificationē; Chriſtus enim ante mortem ſuam, & poſt mortem ſanguinem fudit: ſanguis autem, qui ante mortem fluxit redemptionis noſtræ cauſa erat, qui verò poſt mortem fuſus eſt, nec redemptionem operabatur, nec eidem cooperans erat, quia Chriſtus tunc nihil patiebatur; nos tamen doloribus Saluatoris redimendi eramus: ſed ſanguis iſte ſignificationi cooperabatur: ſignificans nos ſanguine, qui ante mortem de corpore Chriſti effuſus fuerat, fore redemptos. Aqua autem eidem confluens baptiſmum deſignabat: in quo ab omni veteris vitæ reatu ablui debebamur: decuit ergo poſt Redemptoris mortem vtrumque de latere eius, ſcilicet, aquam, & ſanguinem manare debuiſſe.

Quare aqua in Euchariſtia non fuerit poſita ſignificatiuum, ſicut vinum. Cap. XXXIV.

EX prælibatis aliquis arguēdi occaſionem accipiet, ſcilicet, ꝙ, cum de latere Chriſti ſanguis, & aqua profluxerit, & in Sacramento Euchariſtiæ vinum ſanguinis repræſentatiuum poſitū fuerit, quare aquæ non fuerit poſitum ſignificatiuū. Nec quiſquam arbitretur hic poſſe reſponderi, ſicut ſupra reſpōdebatur, ſcilicet, quod coleræ, flegmati, melancoliæ ſignandis illud, ꝙ corporis ſignificatiuum erat, ſufficeret. ſ. quòd, ſicut ſpecies panis corpori cum partibus eius ſufficiebat, ita his tribus humoribus, quorum nullus, nec alicuius pars effluxerat, qua ex re cum corpore computandi erant: panis quoq; ſpecies ſignificatiua poneretur. In hoc autem ſic non erat, quia aquaticus humor deciſus de latere Chriſti exiuit a ſanguine, nec manſit in corpore, ſicut tres dicti humores; decuit ergo pro ipſa, ſicut pro ſanguine differens poni repræſentatiuum. Aliquis au-

A tem forte reſpondebit, quòd, ſicut ſanguini repræſentatiuum ſpeciale datum eſt, ita quoque aquæ datum fuerit, ſcilicet, quòd, cum conficitur Euchariſtia vino aqua commiſcetur, vt ſicut repræſentando ſanguini, vini ſpecies adhibebatur: ita aquæ de latere Chriſti fluenti aqua ſignificatiua poneretur. Hæc tamē reſponſio ſtare non poteſt, quia non commiſcetur aqua vino in Calice, quia aqua ſanguini mixta de latere Chriſti prodierit: quia, cum Papa Innocentius III. in cap. cùm Marthæ. extra de celebra. Miſſa. cauſam aſſignat, quare aqua vino in Calice miſceatur, dicit hoc ob ſignificationem fieri: quia Chriſtus vinum, & vitis eſt, ſicut ipſe de ſe dixit Ioan. 15. cap. Ego ſum vitis vera, & vos palmites: aqua autem populos deſignat, ſic ait B. Ioan. Apocal. 17. cap. Aquæ multæ populi multi ſunt: quam B auctoritatem idem Innocētius Papa in ſupradicto cap. allegat. Et quia Euchariſtiæ Sacramentum ſignificatiuum vnionis Chriſti ad nos, ſicut in eodem capitulo, cum Marthæ. declaratur: quia trium, quę in hoc Sacramento ſubtiliter diſtinguuntur. Tertium, quòd eſt res Sacramenti, & non Sacramentum eſt vnio charitatis: vnio autem charitatis non ſolum in hoc Sacramento ſignatur, ſed adhuc verius efficitur. Quoniam, qui digne manducat corpus Domini, vnitur in charitate Chriſto. Cùm ergo in hoc Sacramento vnio ſignificetur, & fiat, & vinum Chriſtum deſignet, aqua autem omnes populos, conueniens valde fuit in hoc Sacramento aquam vino commiſceri. Hanc rationem quaſi in forma ponit Papa Innocentius III. in cap. prænominato, & eſt determinatio vniuerſalis Eccleſiæ. Item eſt C alia ratio, quia in hoc Sacramento Eccleſia vult Chriſtum imitari, ſicut ſupra diximus. Eccleſiam ideo ſub duplici ſpecie Euchariſtiam confeciſſe, quia ſic Chriſtus confecerit: ſed Chriſtus in hoc conficiendo Sacramento aquam vino miſcuit: debuit ergo ſic Eccleſia commiſcere etiam nulla alia cauſa exiſtente, quòd autem Chriſtus, cum confecit, aquam vino miſcuerit, doctores Theologi ſic inducunt: Chriſtus confecit Sacramentum Euchariſtiæ ad menſam ſedens nullo alio facto apparatu. ſ. in pane, quem in cibum ſumebat, corpus ſuum confecit, nullo alio ſpecialiori quæſito: ſic quoque, cum ſanguinem confecturus eſſet, in vino, de quo cū Apoſtolis ipſe bibebat, confecit, nullo alio ſpecialiori adhibito. Cum ergo vinum, ꝙ Chriſtus bibe- D bat, aqua mixtū foret, ſequitur eum in vinò aqua mixto confeciſſe. Hoc autem inducunt vlterius doctores: quia Chriſtus erat virorum temperatiſſimus, totiuſq; temperantiæ exemplar: ſed temperati viri non eſt vinum in ſua puritate delibare; ſequitur Chriſtum vinum mixtum potauiſſe, & ſic quoque confeciſſe.

An aqua in vino exiſtens in calice ſimul conſecraretur cum vino. Cap. XXXV.

ADhuc autem vlterius patefit elementum aquę ad ſanguinis conſecrationem in calice nihil attinere: nam, cum Papa Innocentius recitaret poſitiones, quæ aliquid loquebantur de aqua, quę erat in baptiſmo, dicit aliquos aſſeruiſſe aquam in Calice poſitam in cor- E pus, & ſanguinē Chriſti non mutari, ſicut vinū tranſmutatur, ſed manet prioribus vini accidētibus circunfuſa: corpus tñ, & ſanguinem Chriſti non afficiēs: poſt autem cum ſanguis cōſecratus aſſumitur, cum eo quoque aqua vini accidentibus circunfuſa deguſtatur. Innocentius Papa tamen hanc poſitionem infirmat, dicit enim aquam vino non miſceri, qm̄ dicunt naturali artificio poſſibile eſſe, aquam à vino ſeparari; concedit tñ Papa, ꝙ ſi ab inuicem vinum, & aqua in Calice ſeiūcta forent, conſecraretur vinum, aqua ſine conſecratione relicta: Papa tñ Innocentius ibidem ponit non manere aquam ſeiunctam ſic, vt conſecrari non poſſit, ſed potius commiſceantur, atq; aqua in ſubſtantiam vini tranſit, ita vt totum mixtum vinum ſit, licèt non ita forte, ſicut ante erat, quo pacto in conſecratione in Calice ſolum vinum eſt, quod conſecratur, aqua in vinum prorſus

ſus mutata: Item aqua non ponitur in Sacramento Eu- F chariſtiæ, ſicut vna de Sacramenti ſpeciebus, ſub quibus conſecratio fit, vt repræſentet aquam, quę de Chriſti latere fluxiſſet, quia tunc, ſicut aqua, & ſanguis ſimul profluerunt, ita ſimul vinũ, & aqua in calice ponenda erãt; &, ſi aqua non poneretur, conſecratio fieri non poſſet. Hoc tñ falſum eſt: nam dato, ꝙ, cùm conſecratio fit, vinum aquæ non miſceatur, conſecratio tñ celebrabitur, licet peccatum ſit ſic conſecrare, cùm ſit contra morem, & præceptum Eccleſiæ vniuerſalis, ſi negligenter fiat. Sequitur ergo aquã non eſſe vnam de ſpeciebus, ſub quibus conſecratio celebratur, ſicut eſt panis, & vinum. Itém ſi aqua eſſet aliqua de ſpeciebus conſecrationis, in aqua ſola poſſet confici Sacramentum. Sicut enim in pane ſolo conſecratio Euchariſtiæ fieri poteſt non conſecrato vino, ſicut quotidie fit: quia prius panis conſecratus eſt, quàm vinum conſecretur, ſicut euidenter apparet ex ordine prolationis verborũ G conſecrationis panis, & vini. Si autem conſecrata hoſtia poſſet ſacerdos vinum non conſecrare, & maneret conſecrata: identidem in vino conſecratio fieri poteſt pane non conſecrato, quia vinum non pendet ex altero: ita vinum conſecrari poteſt aqua non conſecrata, aut commixta: ſi ergo aqua eſſet vna de ſpeciebus, ſub quibus Euchariſtiæ Sacramentum conficitur, poſſet ſub ſola aqua confici Sacrm̃ pane, aut vino non poſito. Hoc tñ nouiſſimè falſum eſt, quia, quantũcumq; aliquis ſacerdos proferat ſuper aquã ſolam verba cõſecrationis, nunquã quidpiam conſecratũ erit. Sequitur igitur ex prædictis aquam, q̃ in calice ponitur, ad ſignandũ aquã, quæ de latere Chriſti effluxit, minimè poni. H

Quæ abſurda ſequantur ad primam poſitionem dicentem, aquam poſſe conſecrari.
Cap. XXXVI.

NOn paruum quoq; inconueniens ſequebatur ex illa poſitione, quia ſpecies, in quibus fit conſecratio, non ſolũ tanquam repræſentatiuæ corporis, & ſanguinis Dñici ponunt, ſed ẽt cum vere ſub ſe continent, quia ibi vera Chriſti caro, & ſanguis Dñicus eſt. Si igitur ibi aqua, ad ſignãdum aquã de latere Chriſti olim fluentem, poneretur, neceſſarium eſſet, vt non ſolũ ibi aqua illa ſignaretur, ſed ẽt, vt verè aqua illa in corpore Chriſti, & ſanguine exiſteret: hoc tñ falſum eſt, quia corpus Dñicum nunc viuens eſt, in corpore autem vi- I uente aquaticus humor nullus eſſe põt, ſicut in prælibatis declaratum eſt. Inducitur ergo aquã in calice nõ poni, tanquam vnam de ſpeciebus, ſub quibus conſecratio fiat, & ſit ſignatiua aquæ, quæ de latere Chriſti fluxerit. Cùm autem arguebatur, ꝙ, ſicut inſtitutũ eſt, vt vini ſpecies reprę́ſentatiua eſſet ſanguinis: ita fieri debebat, vt aliqua poneretur ſpecies ſignatiua aquæ, quæ de latere Chriſti fluxit, cum vtraq; ſimul profluxerint. Rñdendũ eſt, pro ſanguine, qui de latere Chriſti fluxit, vinum in calice nullo modo adhiberi, ſed vt repræſentatiuum ſit ſanguinis totius, qui de Chriſti viuentis, pendentiſq; in cruce corpore fluxerit: aqua aũt non prodijt de latere Chriſti viuentis, nihil ergo in Sacramento Euchariſtiæ, tanquam ſignatiuum aquæ illius poni debuit. Cauſa fundamentalis huius eſt, quia K Sacramẽtum iſtud eſt rememoratiuum Dñicæ paſſionis, ſicut ipſe in inſtitutione eius dixit; hoc facite in meam commemorationem, vt patet Io. 13. cap. & Apoſtolus in prima Epiſtola ad Corint. cap. 11. Quotieſcũque feceritis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat. Nõ ergo ab ipſo aliquid recoli debebat, quod nõ attineret ad memoriã ſuæ Sacratiſſimæ Paſſionis. Sed de ſanguine, & aqua de latere eius confluentib. ſic eſt, ꝙ eo mortuo profluere, vt Euãgeliſtæ teſtantur: in quo tempore ipſe pro nobis nihil patiebatur, cum tunc nõ viueret, nec homo eſſet, vt tunc pro nobis pati poſſet. Sequitur ergo ſanguinem, & humorem aquaticũ poſt Chriſtum mortuum de latere eius confluentes ad Sacramentum Euchariſtiæ nihil attinere: hoc autem cla-

Aqua ad Euchariſtiæ Sacramentum nihil attinet.

rè ſignant verba conſecrationis ſuper calicem, ſ. hic eſt calix ſanguinis mei noui, & æterni teſtamenti, qui pro vobis effundetur in remiſſionem peccatorum. Sanguis tñ Saluatoris, qui eo mortuo de latere fluxit ad redemptionem noſtram nihil profuit, quoniam tunc pro nobis nihil patiebatur: ſed nos ſolis eius pœnis redimendi eramus, vt ponit Iſaias cap. 53 Alioquin ſi Chriſtus præ ęgritudine, aut ſenio defeciſſet, ſicut alij homines deficere conſueuerunt, poſtea aũt corpore lacerato, aut aperto multi in eo cruciatus fierent, aut poſterius artuũ laceratio illi cruciatus poſt eius mortem nos à peccatis abſoluerent: qđ nullus, habẽs parum intellectus, confitebitur. Sequitur ergo ſanguinẽ, qui fluxit de latere Redemptoris noſtri iam mortui ad redẽptionem noſtram nihil profeciſſe: identidem de aqua dicendum. Item aqua, & ſanguis de Chriſti latere profluentes ad paſſionem nihil attinuere, ſuper quam Euchariſtiæ Sacramentum ſolidatum eſt. Ex ſuperioribus ergo conſtat, quare non ponatur in Sacramento Euchariſtiæ aliquod ſignatiuum aquæ, quæ de latere Chriſti effluxit.

Quomodo in Hoſtia, & in Calice ſit Corpus, & Anima, & Sanguis, & Verbum.
Cap. XXXVII.

EXcluſis dubijs, quæ ex ſuperioribus emergebant, ad prælibata redeuntes, dicendum eſt. ſ. ꝙ in Hoſtia verum Chriſti Corpus, & Anima, & Sanguis, & verbum ſit. In calice autem Sanguis, corpus, anima, & verbum: non tamen eodem ordine, quia in calice ſanſanguis Chriſti primo, & directè eſt, omnia autem a- H lia. ſ. corpus, anima, & verbum per quandam adhærẽtiam, quam ad ſanguinem habent, inſunt. In hoſtia verò corpus directè eſt; cœtera autem. ſ. ſanguis, anima, & verbum per adhæſionẽ ad corpus ſunt. Fundamentum autem horum eſt in verbis conſecrationis: nã conſecratio ſecundũ vim verborum eſt, ſicut per illa Chriſtus inſtitutor ſignificari voluit; & quia in verbis conſecrationis Hoſtiæ de ſolo corpore ſermo eſt, cum dicitur, hoc eſt corpus meum, ſicut ponit B. Ioan. 13. cap. & Paulus in prima Epiſtola ad Corinth. cap. 11. In verbis igitur conſecrationis panis ſecundum eorum vires ſolum corpus Chriſti exangue, & ſine anima, atq; deitate eſt: iſta tamen omnia ibidem per quãdam adhæſionem ſunt. In verbis autem conſecrationis vini I ſolum de ſanguinis mei exprimitur, quia Chriſtus dixit: Hic eſt calix ſanguinis mei noui, & ætęrni teſtamẽti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum, ſicut B. Ioan. & Paulus deſcribunt, vbi ſupra: iuxta iſtorum verborum vires in conſecratione vini ſolus ſanguis eſt, corpus autem, & anima, atque verbum per quandam adhæſionem ſunt. Hæc autem conſecrationis verba ſecundum totum tenorem, quem nunc habent, in Euangelijs, aut Epiſtolis minime reperiuntur: quoniam aliqua verba addita fuiſſe videntur: quis autem formam iſtam mutauit, & quando mutata ſit, & cur quodlibet verbum additum, aut mutatum: reſpõdet Innocentius III. Papa in cap. cum Matthę. extra de celebratione Miſſarum, & ibi inquiratur.

K *Quare, corpore, & ſanguine ſub ambabus ſpeciebus conſecrationis exiſtentibus, reliqua adſint per adhærentiam. Cap. XXXVIII.*

RAtio autem cur corpore, & ſanguine ſub ambab. ſpeciebus conſecrationis directè exiſtentibus, cætera ſub qualibet ſpecierum per adhærentiam quandã ſunt, eſt: quia nunc nos corpus, & ſanguinẽ Chriſti, ſicut ſunt, conſecramus, &, quia corpus Chriſti viuentis corpus eſt, neceſſariò vt viuũ conficitur: ſanguis ẽt, quia hoĩs viuentis eſt, ſicut hoĩs viuentis confici neceſſariũ eſt. In homine autem viuente poſt corpus alia ſunt; neceſſarium eſt igitur, cum corpus viuentis Chriſti conficitur, ibi alia poſt corpus exiſtere: Ad hoc. n. vt corpus aliquod viuens ſit, neceſſariũ eſt, vt aĩam habeat,

quæ

que eſſe, & moueri, atq; vitam corpori tribuat; & quia anima ad hoc, ꝙ in corpore ſit, multas præexigit diſpoſitiones, quarum potior ſanguis eſt, quia anima omnis carnis in ſanguine eſt, vt apparet Leui. 17. & Deut. 12. cap. oportet ergo, vt omne viuens corpus ſanguinē habeat, & ꝙ in corpore Chriſti, cū conficitur, ſanguis ſit, licet verba conſecrationis nihil exprimant, nec vis aliqua in verbis iſtis ſit, vt cum corpus conficitur, ſanguis per adhærentiam ſit. Item in Hoſtia conſecrata anima Chriſti per adhęſionem, & non directe eſt; quia in verbis conſecrationis Hoſtiæ de anima mentio nulla fit: quia tamen corpus Chriſti viuens eſt, & ſine anima viuere non poteſt, neceſſarium eſt, vt in eo anima ſit: alioquin ſequeretur Chriſtum hominem non eſſe, cum conſecratio fit; quia anima a corpore ſeiuncta foret: alia quoque, pleraque inconuenientia, quæ in ſuperioribus aſſignata ſunt. Item in Hoſtia conſecrata verbum Diuinum, ſcilicet, ſecunda Trinitatis perſona eſt; licet in verbis conſecrationis de verbo Diuino nihil exprimatur: neceſſarium tamen eſt ibi verbum exiſtere, quia Chriſtus Deus, & homo eſt, quod nullatenus fieri poſſet, niſi corpus, & anima verbo ſemper vnita forent: ſequitur igitur in hoſtia conſecrata eſſe verbum. Ioannes quoque Damaſcenus doctor famoſus de verbo dicit, quod ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit, ſcilicet, quod partes humanę naturę, quas aſſumpſit, nunquam dimiſerit: neceſſarium ergo erat, vt ſemper corpus, & anima verbo vnita forent: ita ergo, cum hoſtia conſecretur, oportet, vt verbum ibi ſemper ſit. Ex ſupratactis elicitur, quid in hoſtia conſecrata directe ex verbis conſecrationis ſit, & quid per adhæſionem corporis inſit.

De vini conſecratione. Cap. XXXIX.

SIcut de hoſtia conſecrata locuti ſumus, ita de vini conſecratione fateri cogemur: cum enim vinum cōficitur, ſolus ſanguis ex verborum viribus ineſt, ſicut in ſuperioribus diſſeruimus, adhæſione tamen ſanguinis corpus, & anima, atque verbum inſunt. Cauſa autem huius, ſicut in præcedentibus declaratum fuit, eſt, quia ſanguis Dominicus in calice non eſt tanquam ſanguis corporis mortui, ſed viuentis, quia nunc Chriſtus viuit: ſanguis autem rei viuentis extra vaſa ſua eſſe nequit, ſcilicet, extra vaſa venarum: venæ autem extra corpus non ſunt: neceſſe eſt ergo ſanguinem conſecratum in corpore eſſe, ita ergo in calice corpus Chriſti erit, ſicut in hoſtia eſt, licet hoc verba conſecrationis non efficiant. In calice autem in ſanguine conſecrato anima quoque Chriſti eſt, quia ſupra probatum eſt corpus Chriſti viuum ibi eſſe: &, quia ſine anima corpus nullum viuens eſt, neceſſariū eſt ibidem animam conſiſtere. Item oportet in vino conſecrato cum ſanguine verbum eſſe; nam, cum ibi corpus Chriſti, & anima ſint, vt prædictum eſt, & verbum his duobus vnitum eſt, quod nunquam dimiſit, neceſſarium eſt, vt verbum in calice, atque anima, & corpus cum ſanguine ſint. Sunt ergo in calice ſanguis, corpus, anima, & verbum. Ex quibus elicitur, quod tantum in hoſtia, quantum in calice ſit, ſed non eodem ordine; & quod totus Chriſtus in calice, & in hoſtia ſit.

Notanda eſt Hoſtia conſecrata. Cap. XL.

HAec aūt ſupradicta, licet conſecrata hoſtia, atq; calice, conſiſtere ſcd̄m conſecrationem, quam nūc facit Eccleſia oportere non ambigitur: nam Chriſtus nunc viuens eſt, & omnia ſupradicta in eo ſemper ſimul ſunt: ſi tn̄ in triduo, quo Chriſtus mortuus fuit cōfeciſſet quiſquā Euchariſtiā, non fuiſſent iſta in hoſtia & calice: nam, ſi quiſpiā in illo triduo hoſtiā cōſecraſſet, fuiſſet ibidem corpus Chriſti mortuū, ſicut erat in cruce, aut ſepulcro; non tn̄ fuiſſet ibi ſanguis, quia per crucem, & terram, atque Chriſti veſtes effuſus erat: aīa quoq. ibidem nō fuerat, quia corpus mortuū iſtud erat.

A Item, ſi quiſpiam in illo triduo mortis Ieſu in vino cōfeciſſet, proferens conſecrationis verba, ſtetiſſet ibi ſanguis, ſed nō corpus, quia ſanguis per ſe à corpore fuſus erat: Quia autem modus cōſecrationis eo tempore non conſequebatur in hoſtia, aut calice, id, quod nunc conſequitur, animaduertendum, in quo differant, & quæ ſit ratio diuerſitatis. Primo autem attendendum eſt, ꝙ, ſi quiſpiam in hoſtia confeciſſet in triduo mortis Chriſti prolatis verbis conſecrationis ſuper panem, oportebat, vt ex vi cōſecrationis corpus Chriſti ſub ſpecie panis exiſteret. Secundum autem, ꝙ nunc in conſecratione eſt ſanguis eſſe dicit, qui tunc nullatenus foret, quia totus ſanguis à benedicto Chriſti corpore fuſus erat, nec erat aliqua adhæſio, ex qua tunc in corpore ſanguis eſſet. Tertium autem, ꝙ nunc in conſecrata hoſtia
B eſſe dicimus anima eſt: tunc autem ibidem eſſe non poterat, quia corpus mortuū erat: in corpore autem mortuo anima nulla eſt. Quartum, ꝙ nunc ponimus in hoſtia conſecrata, eſt verbum, ſ. perſona ſecunda Trinitatis, & hoc cum corpore in hoſtia conſecrata tunc exiſteret; quia, vt tota catholicorum Eccleſia confitetur, Chriſtus, quod ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit; &, quia in aſſumptione verbum ſibi corpus humanū vniuerat, oportebat, vt illud ſibi ſemper vnitum haberet. Sic ergo in conſecrata hoſtia, quæ in illo triduo conſecraretur, corpus, & verbum exiſterent, ꝙ ſufficiebat ad excludendum plures aſſumptiones, incarnationes, atq; vniones corporis humani, & animę ad verbi perſonā. Concluditur ergo ex prædictis, ꝙ, ſi quiſpiam in triduo mortis Chriſti hoſtiam conſecraſſet, ſolum cor-
C pus, & verbum ibidē exiſterent. Si fortaſſis aliquis eo triduo Dn̄icæ mortis in vino confeciſſet prolatis conſecrationis verbis, ex viribus eorum oportebat ibi ſanguinē Chriſti eſſe, deitas autem, anima, & corpus quolibet alio tempore in ſanguine conſecrato per concomitantiam neceſſario forent: ſed nunc nullum exiſteret. Corpus autem Chriſti tunc in calice eſſe non poterat: quia eo triduo nulla ſanguinis, & corporis concomitantia fuit, cum totus effuſus foret. vbi igitur corpus erat, ſanguis nullus erat, & è contra. Item in ſanguine anima non exiſteret; quia ſanguis per ſe animatus non eſt, ſicut corpus; dato tamen, ꝙ ſanguis vegetationem aliquam ab anima acciperet: hoc ſolum in corpore eſt: cum verò à corpore ſeiunctus eſt, nullam animæ con-
D comitationem habet. Tertium autem, quod in conſecrato ſanguine nunc eſt, verbum dicitur: ſed hoc illo triduo in ſanguine conſecrato non eſſet, quia ſanguis verbo vnitus nō eſt. Nam in aſſumptione humanæ naturæ ad verbum vniuit ſibi verbum principales partes naturæ, ſ. corpus, & animam; non vniuit tamen ſibi directè partes humanæ naturæ minus principales, ſicut humores, & pilos. Cum ergo principales humanæ naturæ partes eſſent corpus, & anima, erat verbū vnitum corpori Chriſti mortuo, & animæ ſuæ ſeparatę, & non vniebat ſibi tunc ſanguinem, aut alias minus principales partes. Si ergo tunc vinum cōſecratum fuerat, non extiterat ibi ſecunda Trinitatis perſona. Ex prędictis elicitur, ꝙ, ſi in triduo mortis Chriſti aliquis ſanguinē Chr̄i ſub vini ſpecie cōſeciſſet, ſolus ibi ſanguis
E fuiſſet, corpus autem, & anima, atq; verbum minimè.

Quomodo verbum in Chriſti corpore, & anima exiſtat. Cap. XLI.

IN ſuperioribus de modo, quō Deus in rebus erat, tangens, quō in virginis vtero fuerit, declarauimus; & quia multoties de humanæ naturæ ad verbū vnione, aut incarnatione mentio eſt, locus exigit, vt perfunctoriè ſaltem dicamus, quō verbum in corpore Chriſti, & anima exiſtat: & quō aliæ duæ perſonæ, ſ. Pater, & Spiritus Sāctus inſint eiſdem partibus Chriſti. Dicendum autem eſt, ꝙ, licet omnes Trinitatis perſonæ incarnationem operatæ ſunt, quia opera Trinitatis indiuiſa ſunt, & qd̄ vna perſona operatur, & reliquę operantur: vnica tn̄ Trinitatis perſona, ſ. ſecunda carnē aſſumpſit. Dicendū igitur eſt de perſona Pr̄is, & Spiritus

Sancti, quòd non ſteterũt ſpecialius in anima, & corpore Chriſti, quàm in vtero virginis, & cæteris rebus; nã illa natura humana nullo modo à patre aſſumpta eſt, aut à Spiritu Sãcto. Non ergo habent ſpecialiorem eſſendi modum in illa natura aſſumpta, quàm in quolibet alio homine, aut lapide, quã nullo modo ſibi aſſumpſerunt, niſi ꝙ omnes tres perſonæ Diuinæ in anima Chriſti erant, dando ei ſpecialem gratiam, atque priuilegia maiora, quàm alijs hominibus data fuiſsẽt: nam in ipſo gratiæ plenitudo fuit, ſicut teſtatur B. Ioa. cap. 1. cùm ait: Datus eſt ei ſpiritus, & non ad menſurã, de cuius plenitudine omnes accepimus. Item, quia verbum habet ſpecialem modum eſſendi in corpore, & anima Chriſti, & aliæ perſonæ ſunt conſubſtantiales verbo, videtur maiorem fuiſſe adhæſionem corporis, & animæ Chriſti ad omnes diuinas perſonas, quàm ſit omnium aliarum rerum. Hunc modum eſſendi, quem prima, & tertia Trinitatis perſona in anima, & corpore Chriſti, atq; in omnibus eius partibus habuerunt, ſemper fuit, ſiue cùm viuebat, ſiue cùm in Cruce pẽdebat, aut erat traditus ſepulturæ, ſiue cùm poſt reſurrexit. Secunda autem Trinitatis perſona, quæ aliter verbum dicitur, ſicut eam nominat B. Ioa. 1. cap. & in principio primæ canonicæ, habuit ſpecialem modum eſſendi in corpore, & anima Chriſti: nam nõ ſtetit, aut eſt in illis, tanquàm in loco ſolùm, aut in cõſeruato, ſed vniuit ſibi iſtas duas partes naturæ: ita ꝙ homo inde compoſitus erat Chriſtus, & verbum, ita quòd iſte homo non erat aliquis homo, qui eſſet homo differens à verbo, ſiue ſecunda Trinitatis perſona, ſed erat quidam homo, qui erat verbum, ſiue ſecunda Trinitatis perſona. Fundamẽtum autem huius in aſſumptione eſt. Nam verbum aſſumens partes naturæ vnius hominis, ex quibus iſte homo componebatur, fecit, quòd iſte homo nullam haberet perſonalitatem, ſed eadem eſſet verbi perſona, & iſtius hominis aſſumpti. In nobis autem hoc non fit, quia alia eſt iſtius hominis, qui eſt Petrus, aut Ioannes, perſona, quàm verbum, aut quælibet Trinitatis perſona: ideo non eſt verum, quòd iſte homo, qui eſt Petrus, ſit filius Dei, aut ſecunda Trinitatis perſona; eſt tamen verum, quòd iſte homo aſſumptus eſt filius Dei, aut ſecunda Trinitatis perſona, quia non habet aliam perſonalitatem, quàm ſecunda Trinitatis perſona. Sic inquit Apoſtolus in Epiſtola ad Romanos ca. 1. Chriſtus prædeſtinatus eſt eſſe filius Dei; Quod de homine Chriſto intelligitur, ſicut in ſuperioribus declaratum eſt. Hunc autem ſpecialem eſſendi modum habuit ſecunda Trinitatis perſona in partibus naturæ humanę Chriſti, eas ſibi vniendo, cùm ante paſſionem vixit, & nunc, cum denuo poſt reſurrectionem viuit: nec de hoc poterit quiſquam ambigere. Aliquis tamen in dubium reuocabit, ſi talis modus vnionis verbi fuit ad partes humanę naturę Chriſti, dum Chriſtus in triduo mortuus erat; Cui reſpondendum eſt, quòd, ſicut illæ partes verbo vnitæ extabant, dum Chriſtus viuebat, & cùm denuo reuixit: ita vnitæ extiterũt, dum Chriſtus mortuus fuit; nam, vt tota catholica fides cõfitetur, mox vt Chriſtus homo mortuus eſt, verbum cum anima eius ad ſedes deſcendit inferorum, manẽte illa indiſſoluta vnione, quæ in virgineo vtero cauſata extiterat. Identidem illa ſecunda Trinitatis perſona, ſiue verbum, quia infinitate ſua vbiq; eſt, & cum benedicto Chriſti corpore in Cruce pendente remanſit, & cum eodẽ poſtea extitit in ſepulchro, permanente illa prima vnitate aſſumptionis in vtero virginis celebrata. Et, ſicut ante Chriſtum mortuum verbum cũ corpore Chriſti, & anima vna perſona, hypoſtaſis, atque ſuppoſitum erat, & non plures: ita poſt Chriſti mortem verbum cum anima, & corpore Chriſti ſeiuncta, vna perſona, atq; hypoſtaſis erat non acquiſita per mortem Chriſti aliqua ſpeciali vnione ad partes humanæ naturæ, aut deperdita. Præciſè igitur in Chriſti morte vnio corporis ſui ad animã deperdita eſt, & in reſurrectione denuo acquiſita eſt: non facta aliqua mutatione, aut alteritate in vnione, quam habebat verbum ad partes humanæ naturæ.

F *Quomodo Chriſtus vniuerit ſibi diuerſas, & ſummat partes.* Cap. XLII.

IN prædictis autem ſpeculandum eſt, ꝙ licèt dicatur verbum diuinum, aut ſecũdam Trinitatis perſonam illum hominem Chriſtum compoſitum ex corpore, & anima aſſumpſiſſe, aut ꝙ naturam humanam aſſumpſerit, aut duas humanæ naturæ partes. ſ. corpus, & animam, & conſequenter naturam humanã, & hominem Chriſtũ aſſumpſerit. Hoc autem apparet, quia verbum Diuinum, ſiue ſecũda Trinitatis perſona aſſumpſit ad vnitatem perſonę corpus humanum in vtero virginis, qđ formauit ex ſanguine menſtruali. Aſſumpſit quoq; ad perſonæ vnitatem animam, quam nouiter creauit; quia iſtæ erant partes humanæ naturę, & iſtas ſibi vni-
G uit verbum, & adinuicem quoq; vniuit: aſſumpſit ſibi humanam naturam, quæ conſiſtit in duabus his partibus copulatis. Item aſſumendo has duas partes, & eas inuicem copulando vniuit ſibi hominem, qui ex his duabus partibus cõponebatur: proprius tamen dicitur vniuiſſe partes iſtas duas humanæ naturæ, quàm naturam humanam, aut hominem compoſitum, quod manifeſtatur, quia, vt ait Damaſcenus, & tota fides confitetur, verbum Diuinum, quod ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit: Si ergo directè, & principaliter verbum Diuinum aſſumpſiſſet ſibi hominẽ illum, nunquã dimiſiſſet, ſed falſum eſt, quia verbum Diuinum in morte hominem illum reliquit; nã in illo triduo, quo mortuus fuit, homo non erat, niſi tenere vellemus opinionem Magiſtri Sentẽtiarum in ſuo tertio, vbi Chriſtum
H in triduo mortis hominẽm fuiſſe confirmat: ſed hoc improbatur ab omnibus. Item non aſſumpſit directè verbum Diuinum humanam naturã. Nam natura humana à verbo derelicta eſt: humana namq; natura in his duabus partibus ſimul ſumptis exiſtit. In triduo autem mortis hæc ſeiuncta fuere: humana ergo natura nõ fuit, & ſic à verbo derelicta eſt. Partes tñ humanæ naturæ. ſ. corpus, & anima à verbo nunquam derelictæ ſunt, quia ſemper eas ſibi in morte vnitas tenuit, ſicut viuens tenuerat. Inducitur ergo ex prędictis verbũ Diuinum principaliter, vel directè corpus, & aĩam aſſumpſiſſe: & iſta eſt vnio, aut incarnatio: naturam autem humanam, & hominem aſſumpſit conſequenter.

I *Quędam de verbo Diuino, ac anima Chriſti ex ſanctæ Trinitate.* Cap. XLIII.

AMplius autem accipiendum eſt, ꝙ Chriſtus, aut verbum diuinum aſſumpſit partes humanę naturæ. ſ. corpus, & animam: partes autem minus principales, vt humores, & pili, cęteraq; ſimilia directè a verbo non aſſumpta ſunt: ſed, quia in corpore Chriſti erant. Cùm ergo Chriſtus vixit ante paſſionem, & nunc cùm denuo poſt paſſionem viuit, vnitas habet ſibi oẽs partes corporis, etiam minus principales, & ea, quę in corpore ſunt iuxta modum vnionis, quę habet ad corpus, & animam: poſt mortem autẽ Chriſti aliqua horum à corpore ſeiuncta ſunt, ſicut ſanguineus humor, qui per vulnerum fixuras profluxit: ideo Dominicus sãguis in triduo illo verbo hypoſtaticè vnitus non erat, ſicut cor-
K pus, & anima Saluatoris. Cum aũt Chriſtus reſurrexit, ſanguis denuo verbo vnitus eſt, ſicut corpus, & anima vnita erant: ideo in ſuperioribus cõcluſimus, quòd ſi in tpe mortis Chriſti triduanæ aliquis ſanguinẽ eius ſub vini ſpecie cõfeciſſet, ſolus ſanguis Dominicus ibi exiſteret, anima verò, & corpus, & verbum nequaquam. In hoc autem tempore dicendum eſt, ꝙ tota ſancta Trinitas in ſanguine illo erat, ſicut in cæteris rebus eſt: nec habebat aliquem ſpecialiorem modũ exiſtendi ſecunda Trinitatis perſona, quam aliæ duæ perſonæ. In hoſtia autem è contrario erat; nã verbum Diuinũ ibi ſpecialiori modo exiſtit, cum ibi ſit vere corpus Chriſti, aliæ aũt perſonæ Diuinæ in hoſtia ſpecialiorem eſſendi modum non habent, q̃ in quolibet alio homine, vel lapide. Ratio aũt diuerſitatis exiſtẽdi verbi Diuini in hoſtia

Sãcta Trinitas quõ ſe habebat in ſãguine, & hoſtia in triduo mortis Chriſti.

ſtia

ſtia tempore tridianæ mortis Chriſti, & non in ſangui
ne eſt, quia in hoſtia erat corpus, quod per ſe aſſum-
ptum eſt: in calice autem ſanguis, qui per accidens, &
ex coniunctione ad corpus aſſumptus eſt. Ex prælibatis
liquide inducitur qualiter verbum Diuinum in
corpore, & anima Chriſti, & cæteris partibus fuerit,
& qualiter tota beata Trinitas.

Quando proprius Chriſtum videmus, aut quando hoſtiam videmus, aut calicem. Cap. XLIV.

CONcluſio ex ſuperioribus qualiter Chriſtus totus
in hoſtia ſit, & in calice, & ſub qua conditione in
hoſtia ſit, & calice, quia dicimus, ꝙ cum hoſtiam con-
ſecratam, aut calicem manibus ſacerdotis in altũ tolli
videmus, dicimur Chriſtum, aut Deum videre, inqui-
rendum eſt, quõ proprius videre dicamur. ſ. cum ho-
ſtiã videmus, an cum calicem; In quo diligenter aĩad-
uertendum eſt, ꝙ, ſicut in ſuperioribus extitit declara-
tum, illud propriè vr̃, quod per ſe vr̃: ſiue videatur per
ſe primo, ſiue ſe non primo: quæ in ſuperioribus decla
rata ſunt. Hæc aũt ſunt color, & lux, & communia ſen-
ſibilia. ſ. magnitudo, figura, motus, quies, & numerus.
Et, quia Chriſtus nullum horum eſt. ſ. non eſt color,
lux, &c. ideo propriè videri nequit; quia tamen corpus
Chriſti videri põt per colorem, lucem magnitudinẽ,
figuram, numerum, quietem, aut motum, qui in eo eſt,
poteſt aliqualiter proprie videri. Nullo autem horum
duorum modorum Chriſtus in calice, aut in hoſtia vi
deri põt. Primo autem modo in hoſtia videri non põt,
quia non eſt obiectum proprium viſus, nec ſenſibile
commune. Secundo etiam modo Chriſtus videri non
poteſt. ſ. per aliquid, quod in eo eſt: quia iſte modus tẽ-
pori illi congruebat, quo Chriſtus cũ hominibus ver-
ſatus eſt: nam tunc per colorem ſuum, magnitudinem,
figuram, motum, aut quietem videbatur. Nunc autem
per colorem, aut magnitudinem, aut aliquid horũ vi-
deri non poteſt; quia nihil horum nunc apparet lati-
tans ſub ſpeciebus ſacramentalibus. Item, quia in ho-
ſtia, aut calice indiuiſibiliter eſt, ſicut in ſuperioribus
diſſeruimus: Chriſtus tamen in hoſtia, & calice vr̃, ſi-
cut homo armatus totaliter latens ſub armis, ita vt nul
la eius pars videatur: dicimur tñ talem, aut talem ho-
minem videre, quia ſcimus eũ moueri ſub armis, quæ
nos videmus, ita Chriſtum videre dicimur, cùm ho-
ſtiam conſecratam, aut calicẽ videmus: Scimus quip-
pe, quòd, cùm ſacerdos hoſtiam, aut calicem in altum
extollit, ibi eſt totus Chriſtus Deus, & homo.

Reſponſio dubitationi allatæ præcedenti cap. & de quibuſdam modis viſionis. Cap. XLV.

NVnc autem ad propoſitũ accedentes inquiramus,
quomodo proprius Chriſtum videmus, cùm ca-
licem, an cùm hoſtiam videmus: cui reſpondendũ eſt
Chriſtum proprius videri, cum hoſtiam conſecratam
videmus, quàm cùm calicem. Huius fundamentũ eſt,
quia viſio magis, aut minus propria eſt ſecundũ quòd
magis, aut minus accedit ad primum modum viſio-
nis, qui proprijſſimus eſt. Primus namq; viſionis mo-
dus eſt, cùm res per ſe viſibilis eſt, ſiue ſit per ſe primò
viſibilis, aut per ſe, & non primò: ſed modus videndi
Chriſtum in hoſtia magis appropiat modo primo vi-
dendi: proprius ergo Chriſtus videtur in hoſtia, quàm
in calice. Quòd autem videre Chriſtum in hoſtia ma-
gis appropinquet primo modo videndi, quàm videre
Chriſtum in calce, manifeſtatur: quia primus videndi
modus eſt, cùm aliquid per ſe videtur, ſiue per ſe pri-
mo, ſiue non per ſe primo; & hoc modo non videtur
Chriſtus in hoſtia, aut in calice. Secundus modus vi-
dendi eſt, cùm aliquid videtur, non quia ſit ſecundum
ſe viſibile, ſed quia eſt in eo aliquid, quod eſt ſecundũ
ſe viſibile: hoc modo etiam Chriſtus non videtur in ca
lice, aut in hoſtia: quia non vr̃ per aliquid, quod in eo
ſit. ſ. per colorem, aut magnitudinem, quia colorẽ Chri-

A ſti, figuram, motum, aut quietem in hoſtia, aut calice
nullatenus contemplamur: Chriſtum autem in hoſtia,
& calice cernere eſt per tegmenta contemplari: tunc
aũt modus, qui magis de tegmento habet, minus ad
primum modum accedit, & magis improprius eſt è
contrario. Sic autem eſt, ꝙ, cùm Chriſtum in hoſtia cõ-
templamur, magis eũ ſine tegmento reſpicimus. Cùm
autem, cum in calice proſpectamus, maioribus tegitur
velamentis: nam, cùm Chriſtus in hoſtia cernitur, ſo-
lum tegitur ſacramentalib. ſpeciebus, nè nobis viſibi-
lis eſſe poſſit; ſpecies namque panis ſuppoſita Domini
cam nobis aufert viſionem. Præterea Chriſtus in ho-
ſtia indiuiſibiliter eſt, vt in prælibatum eſt: indiuiſibi-
le autem videri nequit. In calice autem plura Domi-
nicam viſionem nobis auferunt velamenta. Primum
B eſt ſacramentalis ſpecies: nam, qualitercunque ſub eis
Chriſtus lateat, non videbitur. Secundum autem ve-
lamentum, quia ſub ſpeciebus vini Chriſtus indiuiſi-
biliter eſt, ſicut ſub ſpeciebus panis. Tertium velamẽ-
tum eſt, quia ſpecies vini in calice iacent calicis groſſi
tiæ adopertæ. Sequitur ergo magis proprie Chriſtum
videri, cum eum in hoſtia videmus, quam cum in ca-
lice cernimus, ſed neutro modo proprie videmus.

Quomodo dicamur Chriſtum ſub ſacramentalibus ſpeciebus videre. Cap. XLVI.

AMplius autem circa prædicta aliquis dubitabit,
quomodo dicamur Chriſtum ſub ſacramentali-
bus ſpeciebus videre; aliqui namque arbitrantur ſolũ
C nos Chriſtum intueri, cum hoſtia, aut calix ſuper alta
re ſacerdotis manibus extolluntur, & non aliàs. Huic
reſpondendùm eſt, quòd, cùm hoſtia, poſtquam conſe
crata eſt; in ſe vere Chriſtum continet, & vinum cõſe-
cratum in ſe totum tenet Chriſtum, quotieſcunq; vide
rit hoſtiam conſecratã, Chriſtum videbit: & quotieſ-
cunq; calicem ſanguinis Chriſti aſpexerit, Chriſtum
cernere prædicabitur. Et non ſolum cũ hoſtia: aut calix
ſacerdotis manibus in altum tollatur: ſed et cum tam
hoſtia, quam calix in altari ſedent, aut cum ſecũdo ho
ſtia paululum ſuper altare tollitur, aut cum ante ſum-
ptionem frangitur, aut eam ſacerdos ſumit. Oĩa hæc
identidem de calice accipienda ſunt: etiam cum hoſtia
ad infirmos ducitur, aut cum quiſpiam eam in ſua re-
poſitaria arca videt oĩbus his modis aliquis Chriſtum
D videre prædicatur. Nec his ſolis modis Chriſtum ſa-
cramentaliter cernimus, ſed quotieſcunque hoſtiam
conſecratam, vtcumque videamus, aut calicem ſub vi
ni ſpecie ſanguinem Dominicum continentem. Pro-
prior tamen modus horum Chriſtum ſacramentaliter
videndi eſt, cum hoſtiam in altari cernimus eleuari
prima eleuatione, cum poſt eam calix quoque ſangui
nis ſacerdotis manibus tollitur, quia hoc ſolum fit, vt
videatur. Ex ſupradictis liquide cõprobatur, quõ Chri
ſtum, qui leo in hac metaphora dicitur, videamus.

Pars ſecunda metaphoræ ſecundæ, ſcilicet leo, qui non videbatur, quod dupliciter intelligitur. Cap. XLVII.

E IN hoc ſecundo figurato Paradoxo ſecunda erat par-
ticula: Qui non videbatur. ſ. ꝙ iſte leo; de quo ſupra
dicebatur, nõ videbatur. In ſuperiorib. de hoc leo-
ne dicebatur, ꝙ viſus eſt, & modum eius expoſuimus.
Nunc aũt dr̃, ꝙ non videbatur. Hoc tñ dupliciter in-
telligi dẽt. Primo modo, vt hæ duę particulæ. ſ. videba
tur, & nõ videbatur ad diuerſa tẽpora referantur: itaꝗ
in vno tempore iſte leo Chriſtus videretur, & in alio
non videretur. Alio modo intelligi poteſt, vt ad idem
tp̃s referatur. ſ. ꝙ in eodem tempore Chriſtus leo vi-
deretur, & in eodem non videretur. Primo autem mõ-
do aſſumendo verum erat, ꝙ iſte leo videbatur, & non
videbatur. Nam, ex quo natus eſt, viſus fuit inter gen-
tes, communicando, prædicando, exhortando, aliosq;
humanos actus faciendo. ſicut teſtatur Baruch: Poſt hęc

in terris viſus eſt,& cum hoibus conuerſatus eſt. Poſt F mortem autem ſuam ad modicum tempus viſus eſt, quia homo non erat. Deniq; poſt reſurrectionem viſus eſt; quia diſcipolis ſuis apparuit, & Beatæ Virgini, alijsq; perſonis, ſicut habetur Matthæi 28.cap.& Marci 16.& Lucæ 24.& Io.20.& 21.capitulis. Idem habetur Actu.cap.1. vbi dicitur de Chriſto, quód verſans cum eis apparuit illis in multis argumentis per quadraginta dies vſque ad diem.quo aſſumptus eſt. Hi aũt, quibus Chriſtus a mortuis reſurgens apparuit, fuere quingenti, aut paulò plures, ſic ait Apoſtolus in prima Epiſtola ad Corin.15.cap.ſ.& poſt reſurrectionem ſuã apparuit Iacobo,& Cœphę,& pluſquam quingentis fratribus: nouiſſimè autem, tanquam abortiuo viſus eſt mihi. Poſtquam vero in cœlum conſcendit, non videtur. Et ſic manet vſq; ad eius aduentum ad iudicandũ: leo igitur iſte aliquando videbatur, & aliquando non videbatur. Conuenienter igitur de Chriſto dici poteſt, G aut leone hoc, quod videbatur, & non videbatur.

Affirmatio expoſitionis allatæ in præcedenti capite. Cap. XLVIII.

EXpoſitionis huius modum aliquis diſcretum, atq; impertinentem iudicabit, ſed falſum eſt, quia hoc loquendi modo ſacra Scriptura ſæpe vſa eſt, cum de hoc leone loqueretur, de quo in hoc figurato Paradoxo ſermo agitur: ita vt vere dici poſſit hanc huius Paradoxi particulam per ſacram Scripturam ab antiquo expoſitam eſſe Quod habetur Io.cap.16. vbi cũ Chriſtus ante mortem ſuam diſcipulis loqueretur, ait: Mo- H dicum, & non videbitis me, & iterum modicum, & videbitis me, quia vado ad patrem. Hic autẽ de morte ſua faciens Chriſtus ſermonem, modicum ſe videndũ dicit: quia ab hoc tpe, quo Chriſtus iſtud eis proponebat verbum, vſque ad mortem ſuam ab eis videndus erat. Chriſtus namq; hoc eis propoſuit verbum prædicans in quinta feria cœnæ per noctem, poſtquam cœnaſſet, ſicut appparet ex proceſſu Euangelij B.Ioannis a cap.13.in prin.vſq; ad 14. Erat aũt magnum noctis elapſum ſpacium: cum iſta Chriſtus dixit: durauit aũt vſq; ad alteram diẽ, qua mortuus eſt.ſ.in ſexta feria paraſceues ad horam nonæ. Erat autem aliquid modicũ, quo ab eis videndus non erat, quod intelligitur de ſpacio triduanæ mortis ſuæ: quod, verius ſupputãdo, quadraginta horarum ſpacium fuit; maius tamen hoc ſpa- I cium diſcipulis tractum eſt; quia non immediate poſt reſurrectionẽ ſuam ab eis viſus eſt. Iterũ aũt ab eis videndus erat.ſ.poſt reſurrectionem, & de hoc Chriſtus loquebatur dicens. Iterum autem videbo vos, & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis. Sicut autem iſta propoſitio.ſ.ꝙ quidam leo videbatur, & non videbatur, eſt Paradoxon figuratum: atque continet difficilem intellectum; Ita verba illa Saluatoris.ſ.modicum, & videbitis: iterum modicum, & non videbitis me, quia vado ad patrem: Paradoxon eſt, quod liquide patet, quia ſenſus eorũ difficilis eſt: nam Apoſtoli, auditis verbis his, inter ſe dubitãtes inquirebat.ſ.quid eſt, quod dicit modicum: Chriſtus autem reſpondit eis, dicens: De hoc quæritis inter vôs, quia dixi modicum, & videbitis me, & iterum modi- K cum, & non videbitis me, & iterum modicum, & non videbitis me, quia vado ad patrem: nec intelligebant, quid hoc eſſet, donec eis Chriſtus declarauit, vt ex capitulo decimoſeptimo Ioannis apparet.

Expoſitio prima partis ſecundi Paradoxi. Cap. XLIX.

SEcundus autem in his verbis expoſitionis modus eſt, referendo ea ad idem tempus.ſ. quod in eodem Chriſtus videbatur, & non videbatur. Et, quia in Chriſto duæ naturæ erant.ſ.natura humana, & diuina, poteſt quantum ad quamlibet harum partium intelligi. Verum namq; eſt de Chriſto, inquantum homo eſt, ꝙ videbatur, & non videbatur, ſ. in hoſtia, quia nos eum certiſſime latere cognoſcamus ibi.n. verum corpus eius eſt, quod de virgine ſumpſit. Et ſic hoiem armis tectum videre dicimur, nulla eius particula apparente, idem de Chriſto dicimus, quia veriſſime in hoſtia eſt, Iſte idem leo non videbatur in eodem tpe, in quantũ homo eſt, quia homo per colorem ſuũ, magnitudinem, figuram, motum, quietemq, conſpicitur; ex quibus nullum in Chriſto patet. In hoſtia namq; nullum de accidentibus Chriſti patere põt, quia ibidem indiuiſibiliter eſt. Item, quia ſub ſacralium ſpecierum nube latet, & color eius in publicum patere nequit: verum ergo eſt de Chriſto, ꝙ in hoſtia non vr̃, viſionem eius vere accipientes: iſte leo ad idem tp̃s relatus videri poteſt, ſi impropriè viſionem aſſumamus, ſicut vr̃ homo, cùm ſub armis eſt. Eſt autem in iſto leone Chriſto alia natura, ſ. Diuina, & quantum ad hoc referri põt conuenienter, ſ.ꝙ Chriſtus inquantũ Deus videbatur, & nõ videbatur qđ intelligitur referendo ad tp̃s, in quo, cũ hoib. conuerſatus eſt, quia tunc vere viſus eſt, cum verus homo eſſet, & ſicut cæteri homines, videbatur, &, quia verbum, ſiue ſecunda deitatis perſona non videbatur, quia ſecunda perſona eſt ſpiritualis: ſpiritus autem videri non põt, cum indiuiſibilis ſit, ſed corpus in verbo autem diuino, quod incorporeum, & indiuiſibile eſt, videri non põt, quia color, ſecundum quem viſio fit, in quantitate extenſiua ſemper eſt. Sic teſtatur Beatus Ioannes cap.1. Deum nemo vidit vnquam. Exodi.33.capit. Non videbit me homo, & viuet. Licet igitur ſuperiores modi exponendi conuenientes ſint, iſte tamen conuenientior cæteris eſt.ſ.ꝙ Chriſtus erat leo, qui uidebatur, quia uidebant Iudæi ſuam ueram cunctis manifeſtam humanitatem, & non uidebatur, quia Deus uerus erat, nec poterant gentes ſuam intueri deitatem. Ex prælibatis liquide inducitur, quomodo particula iſta intelligi debeat, ſcilicet, qui non uidebatur.

Dubium contra prædicta. Cap. L.

EX prædictis aliquis dubitandi fomitẽ ſumet, quoniam dictum eſt, ꝙ Chriſtus ſcđm, ꝙ erat Deus non videbatur: dicet aũt aliquis, ꝙ Chriſtus, ſecũdum ꝙ Deus videbatur. Nam ſi videri aſſumeretur pro illo, quod per ſe primum vr̃, ſicut color, vel lux, aut pro communibus ſenſibilibus, quæ per ſe non primo vn̄t, verum eſſet, Deum non poſſe videri: quia Deus nec color eſt, nec commune ſenſibile. Aut ſi videri ſecundo modo accipiatur, ſ.ꝙ res per ſe viſibilis nõ ſit, aliquid tñ in ſe habeat, ſecũdum quod videri poſſit, ſicut ſubſtantiæ viſibiles ſecundum ſe videri non poſſunt: vn̄t tamẽ per ſuam magnitudinem, aut colorem, figuram, motum, quietem, diceremus, Deũ nequaquam videri poſſe, cum lucem, colorem, figuram, aut cætera in hũc modum nullatenus habeat, cum incorporeus, atq; indiuiſibilis ſit. Eſt tñ alius videndi modus, vt cum hominem armatum videmus, cuius nullam particulã reuelatam intuemur, ſed eum videri dicimur, quia eũ tectum latere cognoſcimus: ſic.n. Chriſtum in calice, & hoſtia videmus: quia, licet eũ nullo duorum modorũ, prædictorum videremus: alio tñ modo videmus. Cum ergo Deus ſit vbiq;, & in quocunque loco ſignato ſciamus Deum eſſe, dicemur Deum videre. Huic reſpondetur, Deum in ſe ipſo, nec propriè, nec impropriè videri de hoie aũt armato dicimus, ꝙ eũ videmus: quia, licet non videamus eum, nec aliquam rem in eo exiſtentem, quæ intrinſeca ſit, videmus tñ arma, ſub quibus latet, & quæ ipſe mouet. Sic igitur, licet hoiem armatum nõ videamus per aliquid, quod in eo eſt, videmus tamen eum per aliquid, quod non eſt in eo, ſed ad ipſum adhærentiam quandam habet, ſicut ſunt arma, quæ mouet homo armatus. De hoſtia aũt itidem dicimus. Nã, quanquam Chriſtus in hoſtia non habeat aliquid, ſecundum quod videatur, quia non cernitur ſecũdum ſuam magnitudinẽ, aut colorem, aut quodlibet alterum accidens eius, noſcitur tamen ibi eſſe colore,

& ma-

& magnitudine, atq; figura hoſtiæ conſecratæ, & calicis: quia iſta ad Chriſtum adhærentiam quandam habent, cum ſub his Chriſtus ſolus lateat, nihilq; aliud. De Deo autem nihil tale valemus aſtruere: nam, licèt vbique, & in omni re Deus ſit, nulla tamen res, aut locus eſt, qui Diuinæ eſſentiæ vllatenus ſpecialiter adhæreat, qua Deum certiſſimè dignoſcamus: licèt eum eſſe vbique certiſſimè cognouerimus. Vt ſi in aliqua ciuitate aliquem virum ſignatum: vt verbi cauſa Demoſthenem eſſe nouerimus, illam ciuitatem à remotis ſpectantes illum videre virum nequaquam aſſeremus: nam, licèt eius locus cognitus ſit, nihil tamen in illo homine eſt intrinſecè, aut extrinſecè, quod ad ipſum ſpecialiter adhæſerit, ideo dicimus illum hominem videri nullatenus. Conformiter quoq; dicemus Deum ſecundum ſe minimè videri.

An Deus ſecundum ſe videri poſſit. Cap. LI.

ALiquis autem fortaſſis arguet, Deum ſecundùm ſe videri poſſe: nam Deus corpoream ſimilitudinem aſſumere poteſt, in qua videatur, loquatur, atque alia efficiat. Sic enim ſæpiſſimè Iudæis apparuit, atq; locutus eſt. Sic habetur Exodi 3. capit. vbi Moyſes vidit rubum ardere, quæ non comburebatur, & locutus fuit Dominus ei de medio rubi. Apparet ergo, Deum viſum fuiſſe ex adhærentia, quam ſpecialiter gerebat ad ignem in rubo, in cuius medio Deus erat. Item Exo. 19. & 20. cap. habetur, quòd, cùm Deus daret legem in vertice Sinai, clamabat voce magna in ſonitu clangoris buccinæ, dicens: Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti. Cùm igitur ſpecialiter Deus ad illam vocem adhærentiam haberet, qui locum videbant, in quo vox illa diuina formabatur, dici poſſent Deum videre. Item Deus caliginem, nubem, montemque fumigantem, in quo ipſe erat in vertice Sinai oſtēdit: hoc autem populo notum erat, vt habetur Exodi 20. cap. & 24. cap. ſ. Acceſſit autem Moyſes ad caliginem, in qua erat Deus: videri ergo Deus poterat ex aliquo ſpeciali ſigno, quod demonſtraret. Similes auctoritates in Sacra Scriptura ſæpiſſimè reperiuntur. Supradictis reſpondetur Deum videri non poſſe, nec aliquam aſſumere ſimilitudinem, qua videatur, aut loquatur, vel quidquam operetur. Cùm autem in aliquibus locis ſcripturæ ſimilia reperiantur, dicemus illa à Deo non facta, ſed per angelos, ſicut inferius probabitur. Hoc enim liquidè comprobatur his duabus præpoſitis auctoritatibus, & quadam alia, quæ habetur Exo. 24. capit. ſ. Viderunt Dominum Deum Iſrael, & ſub pedibus eius quaſi opus lapidis ſapphirini, & quaſi cœlum, cum ſerenum eſt, comederunt, atque biberunt. In omnibus tamē prędictis locis innoteſcit hos angelos fuiſſe, qui Dei nomen aſſumpſerant. De primò autem manifeſtatur, cum dicitur, quòd Deus loquebatur in rubo, quia, licet Exodi 3. cap. Deus vocetur, in libro tamē Actuum Apoſtolorum, vbi Stephanus Prothomartyr Iudæis loquebatur, eum qui in rubo loquebatur, angelum fuiſſe teſtatus eſt. Alius autem, qui in vertice Sinai legem dedit. ſ. Exo. 19. & 20. licet Deus nuncupetur, tamen ex Sacra Scriptura angelus eſſe cōuincitur, vt declarat Apoſtolus ad Galathas 3. cap. ſ. Lex data per angelos in manu mediatoris: hunc, qui legem in Sinai dedit, Iudæi in monte eodem videre, de quo Exodi 24. capit. & Deus vocitatur; Angelus tamen eſt. In pleriſque tamen alijs ſcripturæ locis angeli Deus vocantur, ſicut diffuſius declarauimus ſuper Exo. 19. capit. Ex prædictis neceſſariò inducitur Deum videri nullatenus.

Deum videri poſſe.

Deū non videri, nec loqui.

An Deus formam aliquam aſſumere poſſit. Cap. LII.

HIs autem quiſpiam cōtra niteretur, ſcilicet, Deum formam aliquam aſſumere poſſe, in qua videatur, atque loquatur, & aliud operetur. Sic manifeſtatur Lucæ 3. cap. vbi de baptizato Chriſto à Ioanne inquiens ait: deſcendit Spiritus Sanctus in eū in columbæ ſpecie, & vox patris audita eſt: hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. In quo Euangeliſta Lucas tres diſtinguit in deitate perſonas, cuilibet actum ſuum tribuens. Filium quidem dicit baptizatum, patrem verò de cęlo locutum, Spiritum Sanctum in columbæ ſpecie deſcendentem deſcripſit: ſequitur igitur Deum apparuiſſe, atque formam aliquā aſſumpſiſſe. Identidem Matthæus deſcribit 17. capitul. cùm transfigurationē deſcripſit: Et vox de cœlo audita eſt: hic eſt filius meus, in quo mihi bene cōplacui: ipſum audite. Ad quod oportebat aliquam aſſumi formā corpoream, in qua vox formaretur. Perſona autem patris illam corpoream figuram aſſumeret, quoniam cum loquētem ſcripturæ prodit oratio. Sic igitur in aſſumpta figura videri poterant. His enim reſpondendum eſt, perſonam Patris, & Spiritus ſancti, nec propriè, nec impropriè vnquam viſas, nec vnquam formā corpoream aſſumpſere, in qua videri, loqui, aut cætera facere poſſent. Nam, ſi Deus aliquā corporeā ex aere figuram aſſumeret, in qua voces audirentur, & figura illa moueretur, oportebat aliquam ſubſtantiam ſpiritualem intelligētem eam intrinſecè mouere, & alia operari. Nulla quippè ſubſtantialis forma irrationalis ea, quæ in tali figura videntur, efficere poterat. Præterea, quia data ibi aliqua ſpeciali forma mouente, & prædicta operante, neceſſariū erat eſſe hāc figuram de genere alias, cùm moueatur motu progreſſiuo, quod falſum eſt. Neceſſariò igitur intra prædictam figuram aliqua ſubſtantia ſpiritualis eſt hoc efficiens, quæ aut Deus erit, aut angelus bonus, vel malus: anima namque humana eſſe non poteſt, quia hic hominem conſtitueret, ſi fortè angelum bonum, aut malum in figura illa latere concedamus, dicemus Deum ibi nihil agere, loqui, aut mouere, & ſic Deus videri nō poterit, cum nullam habeat adhærentiam ad illam figuram corpoream. Si autem dixerimus Deum illam figuram corpoream aſſumere, & loqui, eſt impoſſibile: nam, cum omnis motus in ſucceſſione ſit, vt Ariſtoteles teſtatur in pleriſque Phyſicorum Libris: & motus in inſtanti fieri nequeat: quia ideo motus eſt, quia partibiliter acquiritur, ſcilicet, poſt partē reliqua pars, in quo ſucceſſio neceſſaria eſt: & contradictionem includit motum quemquam inſtantaneum fore: Deus tamen in inſtanti operari quidquam nequit. Nam ſecundùm genus operatiuarum potentiarum ſunt genera actionum, quia verò omnes potentiæ naturales finitæ, atque limitatæ ſunt, correſpondet eis operatio ſucceſſiua, quia, quod fit, agenti reſiſtit, nec totum ſimul effici poteſt: potentia autem Dei infinita eſt: ideo ei reſiſtere nihil valet, dum infinita ſit diſtantia eius ad quamlibet repugnantiam. Sequitur ergo, vt in inſtanti fiat.

Eſſe noſtrum viuere eſt. Cap. LIII.

PRædictis autem confirmandis adijcitur, quòd eſſe noſtrum viuere eſt, ſicut ait Ariſtoteles in tertio de Anima, ſcilicet, viuere viuentibus eſt eſſe. Ariſtoteles quoque in 9. Ethic. lib. ait: Viuere eſt in eſſe, & in operari: oportet igitur, quòd qualem modum res eſſendi, & viuendi cōſequuntur, talem in operando ſortiantur. Sunt autem aliquæ res, quæ totum eſſe ſuum, & viuere ſimul non habent: hæc autem ſunt, quæ compoſitionem ex actu, & potentialitate ſuſcipiunt, & hæc omnia ſunt, quæcunq; entia ſunt præter Deum, quod de ſubſtantijs intelligendum eſt. Nam horum quodlibet aliquid eſt, & præter id magis eſſeq́ poteſt, aut ſuper id, quod habet eſſe aliud ſuſcipere poteſt. Hæc autem potentia, aut potentialitas dicitur: ſicut homo actus eſt, cum eſt homo: quia, cum fuerit homo, nullatenus in potentia eſt, vt amplius homo ſit. Eſt tamen in potentia, vt albus, niger, ſapiens, fœlix, infœlix vè ſit: quod de rebus cæteris pariformiter dicendum eſt. Nam ſecundum aliquid actus ſunt, aut in actu exiſtūt, quoad aliquid

Eſſe in potētia, eſſe in actu.

Res tamē ſūt, cùm actu ſunt

verba hæc protulerit, non tamen nomine ſuo ſed dei protulit, ſcilicet perſonæ patris tanquam ab eo ad hæc dicenda deſtinatum, non igitur mentitus eſt. Similes loquẽdi modi in Sacra Scriptura reperiuntur, ſicut euidens eſt de angelo illo, qui locutus eſt Moyſi in rubro: hic namque Deum ſe Iſrael nuncupauit, dicens liberaturum populum ſuum de Aegypto de manu Pharaonis, vt habetur Exodi 3. c. hunc tamen Beatus Stephanus Angelum fuiſſe prodidit, vt patet actuum ſeptimo cap. & in prælibatis magis declarauimus, iſte tamen Angelus nihil mentitus eſt. Item Angelus, qui legem tribuit populo Hebræorum in vertice Sinai, dixit: Ego ſum dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti: non habebis deos alienos coram me. Iſte tamen, qui ſe Deum Iſraelis appellauit, Angelus erat, ſicut probat Apoſtolus ad Galathas 3. cap. & in prioribus explanatum eſt. Nõ ergo fefellit Angelus iſte, ſe Deum nominans, & Patrem Chriſti, cum patris perſonam gereret. Sic ergo ex præcedentibus colligitur, omnia hæc angelorum miniſterio patrata fuiſſe: nihilque in his perſonas diuinas operatas, impoſſibile nanque erat hoc vere de perſonis diuinis intelligi.

Rationes aſſerentes Deum non loqui. Cap. LVII.

ALijs adhuc rationibus prædicta roborantur, quarum prima eſt: Deus nihil cum motu, aut ſucceſſione efficere poteſt, & loqui nequit, vt in prælibatis comprobatum eſt, ſed, cum aliqua ſimilia facta dicuntur, operatione Angelica celebrata eſſe neceſſarium eſt; cum autem Pater, Filius, & Spiritus Sanctus ſit verus Deus, neceſſarium eſt nullam harum perſonarum hoc feciſſe. Item litera Beati Lucæ præpoſita, vt ponitur totaliter intelligi nequit: dato nanque diuinas perſonas aliquid efficere potuiſſe, aut effeciſſe, non poterat, vt beatus Lucas deſcribit effectum fore. Opera nanq; ſanctiſſimæ Trinitatis ad extra indiuiſa ſunt, quia, quod vna perſona facit, identidem & altera operatur, omnes nanque tres creare dicuntur, atq; mortuos ſuſcitare, & omnia mirabilia opera efficere: vna tamen creatio à tribus iſtis perſonis eſt, & vnica reſuſcitatio, aut miraculoſa operatio. Huius fundamentum eſt, quia omnes tres perſonæ ſunt vnus Deus verus, & vnica eſſentia ſubſtantia, aut natura Diuina non quidem ſpecifica, vt homo, ſed indiuidua vt Sortes. Actus autem notionales, qui intra diuinas perſonas ſunt, vt gignere, & gigni, ſpirare, & ſpirari, procedere, atque ſimiles, non tribus perſonis conueniunt: nam vna perſona gignit, & non gignitur, alia ſpirat, & non ſpiratur, & ſic de cæteris notionibus. Iſte actus, qui eſt loqui, aut mouere, aut effigiem aliquam aſſumere, eſt actus de exterioribus Trinitati, cum notionalis non ſit. Sequitur ergo eum omnibus tribus conuenire ſimul perſonis tanquam vni indiuiduo naturali agenti, cum vnicum indiuiduum ſubſtantiæ, vel eſſentiæ ſit. Pater ergo, & Filius, & Spiritus Sanctus ſuper Chriſtũ in columbæ ſpecie deſcendere debebant, Pater quoq;, Filius, & Spiritus ſanctus vocem illam formaturi erant, ſ. Hic eſt filius meus dilectus, &c. Sed hoc identidem non conueniebat. Sequitur ergo beatum Lucam prædicta ſub metaphora poſuiſſe, ſ. non hęc per diuinas perſonas, ſed angelis operantibus facta extitiſſe, qui miniſtri diuinæ voluntatis ſunt. Item omnes tres perſonę ſunt vna natura, & ſubſtantia indiuidualis: oportebat igitur, vt actio vnius eſſet actio alterius, & non reſponderet cuilibet perſonæ ſua actio: ſed beatus Lucas cuilibet perſonæ hic ſuam tribuit actionem. Sequitur ergo eum non intellexiſſe de diuinis perſonis, ſed de angelis miniſtrantibus.

Actus notionales in pſonis diuinis nõ ſimul tribus pſonis conueniunt.

Dubitatio contra prædicta. Cap. LVIII.

FOrſitan quiſpiam ea, quæ negauimus, non negans, non ducet incõueniens quemlibet diuinarum perſonarum effigiem corpoream aſſumpſiſſe, vt quod Spiritus ſancti perſona ſpeciem columbæ aſſumpſerit,

A perſona quoq; patris aliam corpoream effigiem aſſumpſerit, in qua voces formaret, & non eſſe neceſſariũ omnes tres perſonas eandem ſimul figura aſſumere, quam vna aſſumpſiſſet. Nam verbum, ſiue ſecunda Trinitatis perſona aſſumpſit corpus, & animã Chriſti vniens ſibi hypoſtatice, nec vnitæ ſunt iſtæ duę partes alicui perſonę Trinitatis duarum reliquarum. Nam filius dũtaxat carnem aſſumpſit, & nõ Pater, nec Spiritus ſanctus. Sic ergo Spiritus ſanctus ſpeciẽ columbę aſſumere potuiſſet, & non Pater, nec Filius, & quod pater corporeã figuram locuturus aſſumeret, & non Filius, nec Spiritus ſanctus. Huic autem reſpondendũ eſt, quod non eſt ſimile verbum, ſiue ſecundã Trinitatis perſonam aſſumpſiſſe partes humanæ naturæ, & quod Spiritus ſanctus ſpeciẽ columbę aſſumpſerit, atq; pater aeream formauerit

B ſpeciem, in qua loqueretur: nam ſecũda Trinitatis perſona humanam naturam aſſumpſit ſibi vniendo, faciensq; eam eandem in perſona, hypoſtaſi, aut ſuppoſito cum verbo diuino, ſiue ſecunda Trinitatis perſona. Quod autem Spiritus ſanctus ſpeciem columbę aſſumpſerit, aut pater corpoream ex aere effigiem, in qua loqueretur, nõ erat aliquã facere aſſumptionem, ita quod prædicta corporea ſibi vniret in ad ſuppoſiti, aut hypoſtaſis vnitatẽ. ſed erat, quod Spiritus ſanctus illam ex aere effigiem columbę factę moueret, & patris perſona aeream effigiem aſſumeret locuturus ſolum per eam. A quolibet autem harum ſimul tres perſonę exigebantur: quia moueri, aut loqui actus eſt, ideo indiuiduo ſubſtãtiali correſpondet. hr; quia omnes tres perſonę ſunt vna natura, aut ſubſtantia, vel eſſentia diuina indiuidua, ne

C quit vna diuinarum perſonarum loqui, quin aliæ quoque loquantur, nec quidquam efficere, quin id quoque cæteræ agant, ſi id vere actus eſt, quod eſt ad notionalia excludenda, & ſimilia, quæ actus non ſunt, dicitur. Omnes ergo tres perſonæ diuinæ ſpeciem columbę aſſumpturæ erant, & ſuper Chriſtum deſcenſuræ, omnes quoq; tres perſonę diuinę ſpeciem corpoream aſſumpturę erant, vt in ea loquerentur, & non aliqua earum. De aſſumptione autem naturę humanę ſic dici non poteſt: nam humanam Chriſti naturã à verbo aſſumi non eſt aliqua actio, aut paſſio, ſed eſt relatio. Nec. n. eſt relatio aliquid formale, aut nouiter adueniens perſonæ diuinæ dicens, ſed dicit terminum reſpectus, ideo ſatis vni perſonæ congruere poterat, cum alteri non conueniret. Nam itidem pater incarnari potuiſſet non incar-

D nato filio, & Spiritus Sanctus ſibi humanam naturam potuiſſet vnire, nec Patre, nec Filio vnientibus.

Vna diuinarũ pſonarũ neque [illegible] loqui [illegible] poteſt.

Alia dubitatio pœnes ea, quæ dicta ſunt. Cap. LIX.

ADhuc circa prædicta aliquis magis inſtabit, dicẽs, omnes tres perſonas potuiſſe figuram columbę aſſumere, atq; ſuper Chriſtum deſcendere, omnes quoq; poſſent corpoream ex aere figuram aſſumere, & in eadem loqui, aut quęcunq; illarum hoc efficeret. Sic. n. verbum Diuinum efficit, quod eſt ſecunda trinitatis perſona aſſumẽs humanam Chriſti naturam, aut hominem Chriſtum. Nam, vt ait Ariſtoteles, ſępiſſimè actiones ſunt ſuppoſitorum, quod eſt perſona, vel hypoſtaſis. Cum autem perſona Chriſti nõ erat perſona huma-

E na, ſed Diuina: nam verbum erat perſona, & vniuit ſibi humanam naturã, omnes Chriſti actiones attribui debent ſecundę trinitatis perſonæ: Chriſtus tamen loquebatur, & mouebatur, comedebat, atq; cætera faciebat, qui motus, aut non ſine motu erat. Sequitur ergo dici debere hos actus fieri per verbum Diuinũ, ſiue ſecundam trinitatis perſonam: poterant ergo omnes tres perſonæ, aut earum aliqua ſpeciem columbę aſſumere, atq; deſcendere ſuper Chriſti caput in Iordanem, aut quod omnes, ſiue earum vna, ſpeciem aeream ſumerent, atq; in ea hæc loquerentur, ſ. Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, quæ fuerunt ſuper Chriſti caput in Iordane prolata. His reſpondendum eſt, prædicta exiſtere non poſſe: non eſt. n. ſimile his, quę applicantur: nam ſi omnes tres perſonæ Diuinæ, aut aliqua

earum

earum columbæ ſpeciem aſſumpſiſſent, & deſcendiſſent, cum ea ſuper Chriſti verticem, aut figuram corpoream aſſumpſeraint, vt per eam loquerentur, atq; actualiter locutæ fuiſſent, ſequeretur diuinas perſonas per motum agere, atq; ſucceſſionem. Hæc autem duæ partes ſic probantur: nam his poſitis in Deo motum ſequi apparet, quia figura illa columbæ non habet aliquā ſubſtantialem formam, quæ ſit radicale principium motus ſui, & omnium actionum ſuarum, ſicut ſupra probatū eſt. Sequitur ergo, ꝙ ab aliquo angelo bono, aut malo moueretur, aut a Deo; &, quia motus iſte in ſucceſſione fit, ſequeretur, ſi Deus moueret illam figuram, ꝙ actio Dei in ſucceſſione foret. Idē ſequitur ſi diuinæ perſonæ corporeā figuram ad loquendum aſſumpſiſſent, & actualiter locutæ fuiſſent. Nam quæcūq; verbalis prolatio cum ſucceſſione fit, ſicut in prioribus declaratum eſt, quòd autem quandocunq; actum diuinum inconueniens ſit fieri cum ſucceſſione, ſupra declaratum eſt, quoniam totum eſſe Dei ſimul eſt: quia non eſt in compoſitione ex actu, & potentia. Ita quoq; omnis operatio ſua neceſſariò ſine ſucceſſione erit. Inducitur ergo, omnes tres perſonas, aut earum quamlibet ſpeciem columbæ aſſumere nequiuiſſe. Identidem quoq;, nec aeream figuram ad loquendum aſſumpſiſſe. Quod autem verbū diuinum, ſiue ſecūda trinitatis perſona aſſumpſerit naturam humanam Chriſti, non erat ſimile: quia Chriſtus erat verus homo ex anima, & corpore conſtans, & ſicut quilibet hominum loqui, aut ambulare, agere, aut pati poterat quodcunque, non agente, aut patiente Deo, aut aliquam in ſe recipiente mutationem, aut in actione ſua ſucceſſionē: ita poterat homo Chriſtus loqui, ambulare, aut reliqua agere, vel pati nulla mutatione ſuſcepta in verbo diuino, ſiue ſecunda trinitatis perſona, nec vlla in actibus ſuis facta ſucceſſione. Nam, licet ſuppoſita, vel hypoſtaſis ſint, quæ ab actionibus, aut paſſionibus denominantur dicendo, quòd ipſi faciant, aut patiātur: non tamen dumtaxat ſuppoſita, aut hypoſtaſes agunt, aut patiuntur: ſed indiuidua quoque ſubſtantialia in ſe perfectam ſpeciei naturam continētia. Indiuidua namque naturalia, quæ ſunt partes ſpecierum, nunquam habent actionem, aut paſſionem, ſicut ſunt corpus, & anima. Nam corpus nihil operatur, anima quoque identidem facit, ſolus autem homo eſt, qui operatur: nam homo eſt indiuiduum naturale, in ſe completè continens eſſe ſpeciei. Sic autem erat de homine Chriſto: nam, licet ipſe homo ſuppoſitum, aut perſona, vel hypoſtaſis non eſſet, continebat tamen in ſe totum eſſe ſpecificum humanum. Poterat igitur homo Chriſtus loqui, & loquebatur; poterat moueri, & mouebatur: poterat alia facere, & faciebat; igitur cum verbo Diuino Chriſtus homo vnitus aſſumptione foret, poterat iſta facere, & faciebat; nec quidquam horum diuinum verbum efficiebat ſecundum ſe. Sic igitur nulla in verbo diuino actio ſequebatur in motu, vel paſſio, vel qualiſcunque ſucceſſio, quæ non fuiſſet in verbo, ſi hominem Chriſtum non aſſumeret verbum diuinum. Quia tamen verbum eſt perſona ſuppoſitum, vel hypoſtaſis, & non homo, Chriſtus poterit omnibus his actibus, paſſionibus, aut mutationibus denominari, licet non faciat, patiaturque hæc, aut recipiat; eſt tamen perſona agentis patientis, atque recipientis. Dicemus igitur, quod verbum, ſiue ſecunda trinitatis perſona cibum ſumebat, ambulabat, atque bibebat, loquebaturque, licet omnia iſta vere, proprieque diuinæ perſonæ non conueniant; talis tamen prædicationis modus apud doctores theologicos communicatio idiomatum nuncupatur.

Chriſtus erat verè hō, & ſic illi humanæ actiones à ſcribuntur.

H

I

K

Secunda diuinitatis perſona ſolum Chriſti corpus ſi aſſumpſiſſet, nequiuiſſet corpus illud moueri, niſi auxilio angeli. Cap. LX.

EX prælibatis igitur neceſſariò inducitur, quòd ſi verbum, aut ſecunda diuinitatis perſona ſolum corpus Ieſu aſſumpſiſſet, nequiuiſſet illud corpus mo-

F

ueri, cibum ſumere, aut potum, & nequaquā Chriſtus loqui potuiſſet, aut alia facere, niſi aliquis angelus corpus illud mouiſſet, qui prædicta in eo operaretur. Hoc aūt probatur: quia corpus illud ſi examinatum foret, non haberet aliquā formam ſubſtantialem, cui conueniret eſſe principium radicale omnium harum actionum: nō data forma ſubſtantiali in corpore aſſumpto à verbo, neceſſario illa anima rationalis foret, ꝙ contra hypotheſim eſt, ſ. ꝙ verbum diuinū animam cū corpore aſſumpſiſſet: neceſſariū igitur erat, vt verbū, aut aliquis angelorū corpus illud moueret. Verbum diuinū illud corpus mouere non poterat: nam ex hoc verbum diuinū diceretur agere, aut pati, & in ſucceſſione operari, qđ de verbo diuino dici impoſſibile eſt, vt in prælibatis concluſum eſt. Fuerat igitur corpus illud immobile, motu carens, locutione vacans, alijs quoq; actionib. imperfectū, niſi aliquis angelus prædicta efficeret. Itē fuiſſet corpus iſtud vita carens, qm̄ nulla erat ei forma ſubſtantialis vitā præſtans, anima quippè rationalis illud viuens conſtituebat, nec dici poterat, ꝙ verbū diuinum huic corpori vnitum ei vitam præſtaret; nō enim verbū vitam vllam ſic præſtat, ſicut ex prælibatis conſtat. Item in ſepulchro corpus Dominicum erat exanimatum, verbum tñ corpori illi vnitum erat, nullam tñ eidem vitam præſtabat, nec igitur aliam vitam illi præſtare vllatenus poterat. Inde ergo erat valde, aūt ferè neceſſarium, quod, cum verbum carnem aſſumpturū erat, non corpus exangue, exanimatumque ſuſciperet, ſed corpus anima rationali vegetatum.

G

Pars tertia metaphoræ ſecundæ, ſ. Qui audiebatur. Cap. LXI.

HVius ſecundi figurati Paradoxi ordine cōtinuato tertia particula ſequitur, ſ. qui audiebatur, id eſt, ꝙ leo iſte, de quo in ſuperioribus, audiebatur. Iuxta qđ aduertendum eſt, ꝙ aliquid audiri dupliciter accidit, ſcilicet: propriè, aut attributaliter: propriè aūt auditur, ꝙ per ſe auditur. Hoc autem dupliciter dicitur: quia aut per ſe primo, aut per ſe non primo. Per ſe primo audibile eſt obiectum potentiæ auditiuæ, ſ. ſonus. Nam hic eſt, qui per ſe auditur, & non eſt ſonus, qui audibilis non ſit, & non eſt quidquā, ꝙ præter ſonum audiatur, ſic ait Ariſt. in ſecūdo de Anima in capitulo de voce. Alia ſunt per ſe audibilia, non tamen per ſe primo, vt ſunt ſenſibilia communia, ſcilicet, magnitudo, figura, numerus, motus, & quies: hæc namq; ab omnib. ſēſitiuis potentijs apprehenduntur, vt in ſuperiorib. diſcruimus: alia aūt ſunt, quæ audiuntur, ſed nō propriè audiuntur. Hæc autem ſunt: quæ in ſe habent id, per quod audiri poſſunt, & quod per ſe propriè auditur, ſicut campana ſonitum reddit, quæ auditur per ſe: homo quoq; auditur, quia vocem, aut ſonum emittit. Iſte leo, qui Chriſtus erat, audiebatur, ſed nō primo modo, quia ipſe vox, aut ſonitus nullus erat: ſed audiebatur ſecundo modo: quia in ipſo aliquid erat, quod propriè audiebatur. Hoc aūt dupliciter, vt ſupra dicebatur, euenit, quia duo ſunt obiecta auditus, ſ. quoddam obiectū particulare potentiæ auditiuæ, quod eſt vox: aliud aūt eſt obiectum vniuerſale, quod eſt ſonus. Quodlibet autem horum in Chriſto erat, & per hæc audiri poterat, quia ipſe corporeus erat: in quolibet autem corpore ab alio percuſſu corpore ſonus cauſatur; ſic enim in ſuo corpore cauſabitur. Item Chriſtus vocem habebat, ſecundum quām audiri poterat: quia vox in omnibus animalibus perfectis eſt, ſic ait Ariſtoteles in ſecundo de Anima in capitulo de voce: Sola animalia vocant.

De voce leonis .i. Chriſti frequentiſſimè audita. Cap. LXII.

HVius autem metaphorici leonis vox frequentiſſimè audita eſt primo in ſua natiuitate. Nam à plāctu viuere inchoauit, idemque vitæ, atque planctus tempus initiale fuit. Tempus namque, quo Dominus

Ieſus

Ieſus natus eſt, hyems magna importunitate rigebat: Domina aũt virgo pannis Dominici corporis opertorijs prę paupertate carebat: locus ẽt, in quo ſaluator ortus eſt, omni prorſus carebat ſolatio, carebat & importunitatum defenſionibus: nam, cùm præ paupertate ad manendum in Bethlehem, hoſpitium tunc tẽporis nõ haberent, declinauerunt ad quoddam in via poſitũ diuerſorium, vt ſcribit Beatus Lucas 2. c. Hæc autem frigoris nimietas præ tẽporis importunitate cogebat ad plãctum adhuc infantulum noſtrum Redemptorem, adiuuante præterea ad hoc carnis illius benedictę teneritudine. De hoc aũt Redemptoris noſtri ploratu cãtat Eccleſia in quodam quadrageſimali hymno, ſ. Vagit infans inter arcta poſitus præſepia. Audita quoque fuit vox eius in circũciſione: nã, cũ infans dierum octo circumcideretur Saluator noſter, vt patet Luc. 2. c. carne illa benedicta maximè teneritudinis exiſtente, tum corporis paruitate, atq; ætatis: tum quia complexionis teneræ erat, tum ex cruciatu, qui in diuidẽda ſequebatur carne, dolor amariſſimus ſequebatur, qui eum ad planctum impellebat. De hoc autem doctor Seraphicus, qui dicitur Bonauentura, in libro ſuo, qui eſt Vita Chriſti. Fuit quoq; vox eius audita, cum inter legis ſapientes, atq; doctores in templo de legis quęſtionibus diſputaret, vt ſcribit beatus Lucas c. 2. Fuit quoq; audita vox eius redarguendo, exhortando, prædicando, arguendo, vt ex proceſſu quatuor Euangeliorum demõſtratur. Audita quoq; fuit vox eius corã Pilato, cum teneretur, licet modicum teneretur. Identidem aũt corã Caipha, & Anna, de quibus Matthæi 26. & 27 c. & Ioãnis 18. & 19. Audiebatur quoque vox eius in paſſione, cum aliqua diceret, vtpote cum dixit, ſitio, & cum pro ſuis tortoribus exorabat, & cum patri animam cõmendauit. Fortior tñ, atq; terribilior vox eius in exitu ſpiritus fuit, cũ dixit, Eli Eli Lamazabacthani: hoc eſt, Deus Deus meus, vt quid me dereliquiſti? Hæc aũt vox terrifico boatu longius audita eſt: nam eam audierunt Iudæi, dicentes, Eliam vocat iſte, cõſeſtimq; benedictus ille ſaluator expirauit. Et, quia nullus virorum fortiter clamans ſpirat, cum tunc oẽs vires vocũ formatiuę deficiunt, potiſſimum in his, qui vulneribus illatis exangues conciderunt, ſicut erat in benedicto corpore Ieſu: magnum ergo, inauditúmq; miraculum erat, cũ ſic vita defeciſſet. Ideo cẽturio, qui aſtitit morti Saluatoris, videns, ꝙ vociferans defeciſſet, tanto pauefactus miraculo exclamauit, & dixit eum filium Dei fuiſſe: ſic ſcribit beatus Matthæus 27. c. ſcilicet: Videns aũt cẽturio, ꝙ defeciſſet clamãs, dixit: Vere filius Dei erat iſte. Fuit quoque eius vox poſt beatiſſimam Reſurrectionẽ audita omnibus; Namque quibus eum apparuiſſe ſcriptura commemorat, legimus eũ fuiſſe locutum prætérquàm Petro, ꝙ ex omnium Euangeliſtarum teſtimonijs cõfirmatur in vltimis ipſorum capitulis. Audita quoq; fuit vox eius, cum ad cęlum aſcendens formam baptizãdi tribuit, & omni creaturæ Euangelium prædicari iuſſit, & credentes Euangelio baptizari, expoſuitq; baptizatorum priuilegia, de quibus Matthæi 28. & Marci 16. Hic autem metaphoricus leo non ſolum auditus eſt, ſed adhuc vox eius auditu deſiderabilis, expetibiliſque valde erat omnibus nationibus; ſic enim ſcribit beatus Matthæus decimotertio cap. Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis; & aures, quæ audiunt, quæ vos audiuiſtis: Amen dico vobis, ꝙ multi reges, & prophetæ deſiderauerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt: deſiderauerunt audire, quæ vos auditis, & non audierunt. Ex prelibatis ſatis diffuſis complectitur inductionibus, ꝙ leo iſte metaphoricus audiebatur.

Pars quarta ſecundæ metaphoræ ſ. Qui non audiebatur.
Cap. LXIII.

IN hoc autem ſecundo figurato Paradoxo particula quarta eſt: Qui non audiebatur: quæ dupliciter intelligi poteſt: vt enim Deus erat, audiri non poterat, quia aliquid audiri dupliciter euenit. Primò autem aliquid

A audiri contingit, cum per ſe primò auditur, aut per ſe non primò: hoc autem ſolum eſt obiectum propriũ potentiæ auditiuæ, aut communia ſenſibilia, de quib. iñ ſuperioribus prælibauimus: hoc aũt modo Deus audiri nõ poteſt, quia non eſt vox: aut ſonus, magnitudo, numerus, quies, figura, motus. Secũdus modus audiendi eſt, cum aliqua res per ſe audibilis non eſt, tñ in ea aliquid eſt, ſm̃ quod audiatur, ſicut corpora, & animalia audiuntur. Hoc quoque modo Deus audiri nõ poteſt, quia non habet aliquod corpus, in quo ex illiſione alterius ſonitus efficiatur. Identidem quoque vocem non habet, quia non eſt animal: animalia namque perfecta ſunt, quæ vocem habent, ſic ait Ariſt. 2. de Anima, cap. de voce. ſola animalia vocant, licet quędam inſtrumenta vocare videantur, ſicut lyra. Item ad hoc, vt vox formetur, B multa organa exiguntur, de quibus Ariſt. 2. de anima, c. de voce, hęc autem niſi in corporea ſubſtãtia eſſe non poſſunt: Deus autem corpus non eſt; igitur voces, ſecundum quas audiatur, formare nequit.

Expoſitio quartæ partis huius ſecundæ metaphoræ.
Cap. LXIV.

AMplius autem, & quidam alius modus hoc intelligendi conueniẽs eſt, ſ. vt metaphoricus iſte leo, inquantum Deus erat, non audiretur, ſ. vt hoc non intranſitiuè, ſed per tranſitionem, aut quaſi tranſitionem intelligatur, ſ. non ꝙ ipſe non audiretur, ſed ꝙ de ipſo non audiretur, ꝙ eſſet Deus. Nam gentes de Chriſto, ꝙ Deus foret, non audierant, prophetæ enim de Meſſia, C ꝙ futurus eſſet Deus, ſub magnis ęnigmatib. præſagia protulere. Cõceſſo autem ꝙ aliqui in ſacris ſcripturis eruditiſſimi prophetica traditione Meſſiã futurũ Deũ intelligerẽt, Chriſtum tñ Ieſum Meſſiam fore prorſus neſciebant: ideo de eo inauditum eis erat Deũ fore, niſi cum Chriſtus de ſe aliquoties protulerit teſtimonium ſe Deum eſſe, atq; filium Dei in pleriſq; euangeliorũ locis. Ad hoc aũt non attendebant oẽs gẽtes verbis eius intendentes; & licet aliqui eius verbis crederent, eum Deum eſſe neſciebant, ſed eum magnum prophętã vocitabant, vt plerisq; euangeliorũ locis cõprobatur. Cũ enim Chriſtus aliqua magna mirabilia effeciſſet, eũ in Iſrael magnum Prophetam ſurrexiſſe aſſerebant. Hoc autem vlterius patefit ex pleriſque opinionibus, quas de Chriſto diſcorda corda cõfecerant, cum verbis eius D intenderent, atque facta diligenter aduerterent, quas Beatus Matthæus deſcribit, c. 16. vbi Chriſtus à ſuis diſcipulis inquirebat, quem eum homines exiſtimarẽt, ſcilicet quem dicunt homines eſſe filiũ hominis? Reſpondit Petrus, alij Eliam, alij Ieremiam, alij Ioannem Baptiſtam, alij vnũ ex prophetis. Reſpondit Chriſtus: vos aũt quem me eſſe dicitis? reſpondit Petrus; Tu es Chriſtus filius Dei viui. Gentes ergo Chriſti vocem audientes, & quę non audierant, non eadem de Chriſto, ſed varia ſentiebãt: aliqui vero Iudęorũ audierãt Chriſtum de ſe teſtimoniũ perhibere, ꝙ eſſet filius Dei, qui non crediderũt, ſed potius ex hoc eũ exoſum habuere: nã vt habetur Ioãnis 5. c. Iudæi Chriſtum arguebant, ꝙ curaret in ſabbatho, & dr̃, ꝙ perſequebãtur eũ, quia E non ſolum ſabbathum ſoluebat, ſed ẽt filium Dei ſe faciebat: non igitur crediderunt Iudęi Chriſtũ eſſe Deũ, & ſic non audierunt, ideſt audientes non crediderunt.

De eadem quarta parte ſecundæ metaphoræ agitur.
Cap. LXV.

ERat enim hic metaphoricus leo verus homo, & ſm̃ hoc quoq; intelligi poteſt, ꝙ non auditus ſit: nam ipſe non clamabat in contentioſis clamoribus, aut iniuſtis litigijs, ſicut multi homines facere aſſueti sũt: quia in verbis ſuis temperatiſſimus erat, præcipue cùm ipſe traditiones confirmaſſet pro otioſis verbis puniendos loquentes fore iuxta illud Matthæi 12. c. De omni verbo otioſo, quod locuti fuerint homines ſuper terram, reddẽt rationem in die iudicij. Iſte ergo Saluator

noſter

noſter non contendebat, aut verba ſua pro nihilo profe rēda ducebat, aut in litigiis hominum aliorum. Sic.n. Iſa. teſtatur. c. 52. Ecce puer meus, & non clamabit, nec audietur vox eius in plateis; calamum quaſſatum non conteret, & titionem fumigantem non extinguet, licet ergo leo iſte in prædicationibus exhortationibus horrifico intonaret boatu, in litigiis tamen, atque contentionibus nequaquam auditus eſt. Item leo iſte in doloribus paſſionis ſuæ, cum acerbiſſima eſſet, conquerens nequaquam auditus eſt, tantum enim ei cruciatus inflicta ſunt, vt quilibet virorum de eis nimium quereretur, Chriſtus tamen nihil clamauit. Quòd admirans Iſaias ait, c. 53. tanquàm agnus ad occiſionem ductus eſt, & Tanquàm ouis coram tondente ſe obmutuit, & non apperuit os ſuum. Fuit autem inſigne miraculum eum in tantis cruciatibus nequaquam fuiſſe conquæſtum, potiſſimum, cum hæc iniuſta lance penderentur. Solent enim homines acrius ingemiſcere, cum iniuſtos tolerant cruciatus, quàm ſi iuſtis torſionibus plecterentur. Sic enim ait verſificator.

Inſigne Chriſti miraculum, q in tantis angoribus nunquã fuerit cõqueſtus.

Pœnas qui patitur, quas non tolerare meretur,
Triſtior efficitur, quàm ſi merito pateretur.

Licet eruditiſſimi aliter arbitrantur, melius quippe eſt hominem innocentem puniri, quàm male meritum verberari. Sic enim inquit magnus ille Socrates lumē, & origo moralis philoſophiæ iuxta traditionē Aug. 4. de Ciuitate Dei, quem cum ab Athenienſibus iudicib. morti adiudicatum vxor eius defleret, inquiens: domine mi, innocens moreris. Cui ille, tace, inquit, melius enim mihi eſt innocentem, quam nocentem mori. Omnia autem ſuperiora ſolidiſſimis conſtant ſentētiis, breuiter tñ has præpoſitas particulas poſſumus explanare, ſ. q leo, qui Chriſtus erat, audiebatur: quia verã carnem humanam aſſumpſerat, non audiebatur autem: quia verè Deus erat: deitas autem ſecundum ſe videri nequit. Ex prælibatis ſatis longis deducitur argumētis q leo iſte Chriſtus videbatur, & quòd viſus nõ fuerit.

Pars quinta ſecunda metaphora, ſcilicet leo, qui tangebatur. Cap. LXVI.

ORdinem huius ſecundi figurati Paradoxi inſequētibus particula quinta occurrit, ſcilicet. Qui tangebatur. Quæ ſicut de cęteris prælibauimus, de iſto metaphorico leone exponenda eſt, ſcilicet, quòd iſte leo tangeretur. Iuxta quod, ſicut in ſuperioribus diſſeruimus, aliquid tangi dupliciter accipi poteſt. Primo modo tangitur res, quæ per ſe tangitur, ſiue per ſe primo tangatur, ſiue non per ſe primo. Per ſe primo tangibile eſt, quod eſt proprium obiectum, & particulare potentiæ tactiuę, ſ. frigiditas, caliditas, humiditas, ſiccitas, duricies, mollicies, & ſimiles tangibiles qualitates, de quibus Ariſt. in ſecundo de Anima, & in libris de Senſu, & ſenſato: nam horum quodlibet potentiæ tactiuæ ſenſibile eſt, nec quidquam præter hæc, à potentia tactiua ſentiri poteſt. Aliqua autem ſunt ſenſibilia per ſe, ſed non per ſe primo, hęc autem ſunt, communia ſenſibilia, de quibus in ſuperioribus huius figurati Paradoxi particulis prælibauimus.

Secundo modo aliquid tangibile eſt, quod p ſe tãgi non poteſt: continet tñ in ſe aliquid, quod ſm ſe tangibile eſt: hæc aũt ſunt omnia corpora naturalia habētia in ſe aliqua de iſtis ſenſibilib. qualitatibus; quodlibet namque elementum, aut ex elementis compoſitũ corpus aliquas iſtarum continet qualitates; ſic. n. de quolibet homine dicere poſſumus, q ipſe tangatur: quia, licet frigiditas, caliditas, humiditas, aut ſiccitas ipſe nõ ſit, continet tñ iſtarũ aliquas qualitates. Hi aũt duo tãgendi diſtantes modi potentiæ tactiuæ conuetuũt, quę poſitio aliàs ſenſitiua eſt; nullus. n. tactus eſt, niſi ei ſenſus inſit; nullumq; tangibile eſt, niſi aliqua harum ſit qualitatum, vel in ſe harũ aliq̃ continere dignoſcatur. Eſt autem pręter prędictos alius tangendi modus, quo aliqua corpora nullam harum qualitatum continētia,

F nec ipſæ tangibiles qualitates verè tangi dicuntur; Corpora namq; cœleſtia tangere ſe inuicem dicuntur, & à quibuſdam elementalibus tangi, non tamē ſiccitas, aut humiditas, caliditas, aut frigiditas, mollicies, aut duricies, nec quidquam horum in ſe continentia. Hę namq; omnes qualitates peregrinę impreſſiones appellantur, quas à ſupra cęleſtibus corporibus eliminat Ariſtot. de quibus in ſecundo de Cœlo, & Mundo ſic ait: Corpora ſupra cœleſtia non ſuſcipiũt peregrinas impreſſiones. Sunt autem impreſſiones peregrinæ accidentia corruptiua. Sphæra namq; ignis orbem lunarem cõtingit, & Mercurialem orbem orbis lunæ contingit. Sic autē de cœteris corporibus ſupracœleſtibus: in omnibus enim contactus eſt. Sicut. n. elementa per contactum ſe locãt, ita corpora ſupra cœleſtia ſe inuicem locant, atq; con-

G tingunt, nullam tamen prædictarum hæc corpora cœleſtia continent qualitatem. Hic autem contactus eſt, cum aliqua quantitas extenſa vnius rei alteri quãtitati extenſæ applicatur: eſt autem hic contactus in loco, & locato; nam locus propriè, & primò aſſumptus, ſecundum quòd Ariſt. eum in Phyſicorum libris inueſtigat, eum ſit vltima ſuperficies corporis ambientis, tangit extremam ſuperficiem corporis locati. De hoc autem quantitatiuo contactu loquitur Ariſt. in 3. & 5. Phyſic. Fit autem hic contactus ſecundum ſolam extenſam quantitatem, ſicut alij, de quibus diximus, contactus, ſecundum quaſdam qualitates cauſabantur.

Quomodo Chriſtus leo tactus fuit. Cap. LXVII.

H HVnc metaphoricum leonem Chriſtum prædictis modis tactum fuiſſe liquet. Primo tamē modo nequaquàm; nã ipſe potentię tactiuę obiectum proprium non erat, ſ. quia nec caliditas, nec frigiditas, ſiccitas, humiditas, duricies, aut mollicies erat, cum corporea ſubſtantia eſſet: nullum autem corpus hoc modo tangitur, atq; ſentitur: tangebatur tamen leo iſto ſecundo prædictorum modorum, quia in ſe aliquas prædictarum qualitatum cõtinebat. Itidem & alio, qui dictus eſt, modo ad poſitionum tactiuam nequaquam pertinere, tangebatur, cum Chriſtus extenſam quantitatem haberet, & cum qualibet extenſa quantitate contactũ habere poterat, ita quòd tangeret, aut tangeretur, licet vtrũq; ſimul ſit, quia in naturalibus actio ſine reactione non eſt. Tangebatur autē leo iſte Chriſtus, quia multi ad eius ma-

I nuum oſcula procedebant, ſiue veſtimentorũ eius fimbrias cõtingebant aliqui. Namq; mente deuota verborum Chriſti creduli, cum vt eius genibus aduoluti precum ſuarum habere mererentur auditionem, interdum præmētibus turbis non patebat liber acceſſus, quidam quaſi furtiuo contactu in eius ſola fimbriarum applicatione omnium ſuarum ęgritudinũ remedia ſperãtes inter alios accedebant eius fimbrias oſculantes. Sicut in Lucæ nono capitulo continetur de muliere illa, quę fluxũ ſanguinis patiebatur duodecim annis, & omnia ſua in medicos impenderat, fide plenaria de ſalute recuperanda ſola acceſſione ad fimbrias Saluatoris, ait, ſi tetigero fimbrias veſtimenti eius, ſalua ero. Confeſtim autem inter turbas comprimentes mulier illa fidei feruore ſuccenſa tranſitum faciens ad Chriſtũ acceſſit, veſti-

K mentorum eius fimbrias tangens, illicò autē ei omnimoda ſanitas reddita eſt. Chriſtus autem tunc quæſiuit: quis me tetigit? cui Petrus: Domine Turbæ te comprimunt, & tu dicis, quis me tetigit: ad quem rurſus Chriſtus, aliquis me tetigit: nam & ego ſenſi virtutē exijſſe à me. Senſerat quippè virtute eius magnum mulieris languorem fuiſſe curatum. Quomodo autem de fimbrijs veſtium Saluatoris, aut de corpore eius virtus languorũ curatiua exiterit, & quomodo Chriſtus de ſe virtutem ſenſerit exijſſe alterius negocij à præſenti diſtantis eſt. Tangebatur quoq; leo iſte Chriſtus: nam ipſe flagellis cæſus, ſpinis capite plexus, lancea confoſſus, clauis perforatus, multis quoq; in idem acerbitatum generibus extitit cruciatus: hæc autem ſine contactu non fiũt; quia actio, & paſſio fiunt per contactum, vt ait Ari-

ſtot. in 2. de Generatione, & Corruptione. Itē tangebatur iſte leo, cum à Iudæis captus eſt, & cum ligatus Annæ, Caiphæ, Herodi, & Pilato fuit præſentatus: hæc autem in contactu funguntur. Apparet igitur ex prędictis, quòd hic leo tangebatur, & quomodo tangebatur.

Sexta pars ſecundæ metaphoræ. ſ. Leo, qui non tangebatur. Cap. LXVIII.

IN prædicta ſecūda metaphora particula ſexta ſequitur, ſ. Qui non tangebatur. Et quia leo iſte Chriſtus Ieſus vtramq; humanam, ſ. & diuinam in ſe naturam continebat, ſecūdum vtramq; hoc exponi poteſt. Si autem hanc particulā ad Chriſtum hominem tempore, quo inter gentes conuerſatus eſt, referamus, intelligi firma veritate non poterit: In toto namq; tempore ſuæ cōuerſationis cum hominibus tangebatur, vt in ſuperioribus diſſeruimus. Fuit quoq; tactus poſt mortem ſuam, cum miles Pilati latus eius lancea perforauit, vt patet Matthæi 27. cap. hoc autem ſine contactu non fit: tangebatur quoq; cum corpus illud benedictum de Cruce depoſitum eſt. Identidem quoq; intradēdo illud ſepulturę tangebatur. Adhuc autem, & vlterius eum deuotæ fœminæ tangere apparabant, cum eum aromatibus cōdire molirentur, ſicut patet Matthæi 28. & Marci 16. cap. in quo noti ſui cōpotes factæ non ſunt: quia, prius quam ipſæ ad monumentum veniſſent, Chriſtus a mortuis reſurrexerat, vt ex eiſdem prædictorum Euangeliſtarum locis patet. Fuit autem Chriſtus tangibilis, & actualiter tangebatur poſt ſuam beatiſſimam reſurrectionem, quod ex apparitione eius facta Mariæ Magdalenæ liquet: quia cum Chriſtum à mortuis reſurgentem pedibus aduoluta oſculari pararet, reſpondit Chriſtus: Maria noli me tangere: nondum enim aſcendi ad patrem meum. Si autem Chriſtus minimè tangibilis foret, non interdixiſſet ſe tangere Magdalenæ: ſuperfluè namque de impoſſibilibus præceptiua ſanctio, aut interdictum apponitur, cum immutabile ſit. Realiter autem Saluator noſter poſt reſurrectionem ſuam tangebatur, cum duabus Marijs in via ſe demonſtrans ab eiſdem eius genibus prouolutis paſſus eſt ſuos pedes beatiſſimos oſculari. De his Ioannis capit. 20. Identidem factum legitur, cum Chriſtus Thomæ dubitanti viſus eſt, dicens: Mitte manum tuam in latus meum, & infer digitum tuum in loca clauorum, & noli eſſe incredulus, ſed fidelis: quod confeſtim Thomas expertus credidit, dicens: Tu es Dominus meus, & Deus meus. De his Ioannes 20. capit. Hic autem omnia in contactu ſunt. Non ergo poſſunt hæc de ipſo intelligi, ſcilicet, quòd contactum non ſuſceperit, dum in carne inter homines conuerſatus eſt, ſiue ante ſuam acerbiſſimam mortem, ſiue poſt ſuam beatiſſimam Reſurrectionem. Neceſſarium ergo eſt hæc de Chriſto homine intelligi, prout in hoſtia eſt: tunc enim, aut ſub tali conditione nullatenus ſentiri valet, quod euidenter infertur, Chriſtus quippè in ſpeciebus panis non ſecundum quantitatem extenſiuam, ſed indiuiſibiliter exiſtit, ſicut diſſerentes primum horum figuratorum Paradoxorum elicuimus. Indiuiſibile autem nullam ſenſationem cauſari, aut terminare poteſt: color enim in indiuiſibili exiſtens videri nequit: cœteræ autem immutatiuæ qualitates ſenſibiliter aliæque actiuæ, & paſſiuæ actionem, paſſionem, immutationemque habere nequeunt, niſi in ſubiecto diuiſibili exiſtentes. Sicut igitur homo Chriſtus ſub ſacramentalibus ſpeciebus in hoſtia, & calice videri non poteſt, cum ſub eis indiuiſibiliter ſubſiſtat, ita tangi nequibit. Potentia quippè tactiua magis extenſam coexigit magnitudinem, cum magis de natura materiæ potentia tactiua, quàm viſiua ſit: præcipuè, quia hic contactum nuncupamus applicationem huius quantitatis extenſæ ad aliam; talem autem contactum ſine quantitate fieri prorſus impoſſibile cenſendum eſt. Ex quibus liquidè inducitur, quòd, cum nos Chriſtum ſub ſpeciebus panis, & vini ſacramentaliter ſumamus, licet hoſtiam in partes minutiſſimas atteramus eam dentibus contrectantes, fractionem hanc in ſpeciebus panis ſuſcipi certum eſt, in Chriſto autē nullatenus. Sic quippè in fractione Chriſti dolor ſequeretur, quod ſubſiſtere non poteſt, vt in prioribus prælibauimus, & pręcipuè, quia corpus Chriſti nullam in hoſtia paſſionem ſuſcipere poterat: quia ibi indiuiſibiliter exiſtit; organa autem noſtra vniuerſa, quæ ſiue actionis, ſiue paſſionis ſunt, quantitatiuam ſuſcipiunt extenſionē, nec in quidpiam agere poſſunt, niſi id quoque quantitate affectum fuerit. De corpore Chriſti in calice identidem ſentiendum eſt: quia ibi quoque indiuiſibiliter ſubſiſtere notum eſt: indiuiſibilis autem à diuiſibili paſſio nulla eſt.

Chřs adhuc poſt reſurrectionem tangebatur.

Indiuiſibile nulla ſenſationem cauſatur aut terminat.

Quā ſumitur Euchariſtiæ ſacramētū, panis frāgitur, non autē Xpi corpus Sacratiſſimū.

Rationes aſſerentes, Deum tangi non poſſe. Cap. LXIX.

HVnc autem, de quo ſermonem agimus, leonem, Deum quoque ſicut & hominem eſſe perſpicuum eſt, de ipſo igitur, ſecundum quòd Deus eſt prædicta particula exponetur. ſ. Quod nō tangeretur. Deo quippè nullus triplicis contactus modus de ſupra aſſignatis conuenire valet. Primò quidem modo Deum non poſſe tāgi liquet: quia nec frigiditas, nec caliditas, nec humiditas, nec ſiccitas, nec durities, nec mollicies eſt. Itidemque nec quodlibet de communibus ſenſibilibus. Eſt enim Deus ſpiritualis ſubſtantia: hæc autem, quæ prædicta ſunt, corporum qualitates ſunt. Deus quoque ſecundo contactus modo ad potentiam tactiuam pertinente tangi nequit, ſcilicet, quòd res tangatur. Non quidem ſe ipſa, ſed quibuſdam tangibilibus quantitatibus, quibus ipſa affecta eſt, hoc quippè dumtaxat corporibus qualitates ſenſibiles ſuſcipientibus congruere liquet, Deus autem corpus non eſt: ſed ſpiritualis, ſimplexque natura, ſicut ſcribit Beatus Ioannes quarto capitulo. Identidem Deus ſecundo modo tangi non poteſt, qui quantitati extenſæ, & non potentiæ tactiuæ conuenit: hic namque contactus duabus dumtaxat quantitatem habentibus rebus conuenire dignoſcitur, cum altera alteri applicatur: quantitas autem in ſolis corporibus ſuſcipitur; Deus enim corpus non eſt: in eo igitur nec quantitas, nec contactus vllus eſt. Leo igitur iſte, qui Deus erat, non tangebatur: quia, cum Deus eſſet, Deo contactus non congruit. Adhuc autem hoc vlterius manifeſtatur: in Chriſto quippè duæ erant naturę, diuina. ſ. & humana; perſona autem, hypoſtaſis, ſiue ſuppoſitum in Chriſto non erat perſona humana, ſed diuina: quia verbum totā Chriſti perſonalitatem continebat, vt in hoc metaphorico Paradoxo diſſeruimus. Quia verę actiones, aut paſſiones omnes teſte Ariſt. perſonam, hypoſtaſim, aut ſuppoſitum nominant, neceſſe eſt ipſum nominari non contactu, & quia deitati ſecundum ſe ipſam contactus nullatenus congruebat, dicemus leonem hunc, qui Deus ſit, minimè tactum fuiſſe. Licet prælibatæ ſententiæ ſolidæ inititantur veritati, breuiter, & velut ſub quodam epilogo prædicta diſſerentes dicemus, leonem hunc, qui Deus, & homo fuit: quia homo erat, in paſſione veriſſimè fuiſſe tactum, & percuſſorum nefarijs manibus attrectatum: licet igitur ipſi, quibus iniquitas ſua mentita eſt, hunc leonem tetigiſſe, atq; pœnitus extinxiſſe arbitrarentur: nihil tamen eum tetigerunt: quia Deus erat, qui contactum nullum ſuſcipit. Ex prædictis liquet, quomodo Chriſtus tactus, aut non tactus fuerit.

Actiones & paſſiones ſuppoſitum nomināt

Pars ſeptima metaphoræ ſecundæ. ſ. Leo, qui cognoſcebatur. Cap. LXX.

ORdine conſequēti huius ſecundi figurati Paradoxi particula ſeptima eſt. Qui cognoſcebatur. Secundum autem ſuperiorem exponendi modum, leoni huic, cui tanquam ſubiecto propoſitionis omnia prædicata applicantur, hanc particulam attribui neceſſe eſt. ſ. quod leo iſte cognoſceretur. Quamuis autem leo hic Deus verus eſſet, non eſt huius propoſitionis ſenſus,

quod

F ꝙ Deus cognitus non ſit;omnium namq; nationũ communis,ideoq; naturalis exiſtimatio eſt, Deum eſſe: talis quippè eis neſcientibus mẽtibus eorum cognita eſt cognitio veritatis.De hoc Tullius in primo quæſtionũ Tuſculanarum diſerit, cum de immortalitate intellectus agit. Idem ponit Lactantius de natura Deorũ lib. 1.cap.2.vbi duorum in phyloſophia errantium,ſ.Diagoræ,& Protbagoræ deliramenta deſcripſit, quorũ alter Deos eſſe negauit,alter vero eos eſſe in dubium reuocauit. De his tamen delirantibus proſus relinquendo:cum omnium nationum communi , atque per hoc naturali veritati cõtrarium dubium non ſit.Nulla enim quantumcunque barbarico modo depreſſa gens , aut ſub quolibet orbis cardine,aut ſub varijs climatum veſtigijs conſtituta , ita vt ad extremos cœli circulos inclinata, ſic eſt, quæ aliquam deitatis imaginationẽ nõ G habeat. Nec quiſquam de gẽtilibus nobis obijcere poterit,dicente Pſalmiſta: Notus in Iudæa Deus,& in Iſrael magnum nomen eius:in quo a cæteris nationibus deitatis notionem ſecludit. Gentilibus autem error in poſitione plurium Deorũ fuit,ita vt eum, qui nõ erat, Deum facerent; non tñ in non cognoſcendo Deum errauere , omnes quippe: aut verum,aut falſos colebant Deos. Item Apoſtolus Paulus in Epiſtola ad Romanos cap.1.Deum naturaliter cognoſci,atque,ꝙ æternus ſit, ait,ſcilicet:Inuiſibilia Dei per ea,quæ facta ſunt,a creatura mundi intellecta percipiuntur , & eius ſempiterna deitas,ita vt inexcuſabiles ſunt:ſcilicet,ꝙ ſolo naturali iudicio per res creatas Deum,& aliquas eius conditiones cognoſcere in promptu eſt , nec quiſquam ſe H excuſare valebit , ꝙ ignorantia deitatis quidpiam iniquè geſſerit. Sic quidem Phyſici ſpeculatores inueſtigantes inuenere à rebus infimis ad cauſam altiſſimam conſcendentes.Hunc inueſtigandi modum aliqualiter tangit Ariſtot.in 7. & 8. Pbyſicorum; Deum eſſe naturaliter cognitum fore,atque cuilibet per ſe patere. Diſtans ab intentione noſtra inueſtigatio eſt , de qua diffuſius ſuper Exodum in .5.cap.diſeruimus.

Rom.1.

Expoſitio ſeptima partis ſecundæ metaphoræ. Cap. LXXI.

DVæ igitur,de quibus dicebamus,particulæ,ſ.Qui cognoſcebatur,& non cognoſcebatur: ad hunc ſẽſum referri nequeunt,ꝙ Deus cognitus naturaliter,aut I incognitus ſit : ſed referri debent,an iſte leo cognitus , vel incognitus foret. Eſt autẽ leo iſte , de quo agimus , homo Deus,& Meſſias , ſecundum quæ tria ventilandum eſt,an cognitus,incognitusve fuerit.Primo autem leo iſte cognitus erat, ꝙ homo eſſet: quia omnes cũ intuentes nulla ambiguitate oppoſita hominem iudicabant, cum corpus verum eum habere cernerent , ſicut cęteros,quos homines compellabant;noſcebatur quoque a muliere natus,& eadem,quæ cæteri homines faciebant , operari. Aliqui tñ hæretici poſtea in Eccleſia Chriſti exorti ſunt , qui in Chriſto maculam poſuere , quam Iudæi capitales inimicitias in Chriſtum fouentes nequaquam arbitrabatur ponendam,ſ.ꝙ Chriſtus verus homo non erat , ſed ꝙ corpus ex aere phantaſticum ſumpſerit;quod totaliter condemnat Eccleſia. Ita quippe ſolida veritate catholica Chriſtum hominem conſiteri compellimur , ſicut eum verum Deum vlla ſine ambiguitate cenſemus. Sic ſcribit Athanaſius in ſymbolo fidei noſtræ.Liquet igitur ex prædictis leonẽ hunc cognitum fore,quia cum omnes homines verum hominem exiſtimarent.Erat quoque cognitus iſte leo, quia Virgo Domina noſtra eum certiſſimè cognoſcebat myſtico ſpiramine, nullo virili ſemine interpoſito genitum fore , ipſaque ſciebat nullam in eius generatione virilem acceſſum interceſſiſſe,ſicut in cęteris cõcipientibus mulieribus effici notum eſt. Cognoſcebatur quoque leo iſte identidem ab vtero prodiiſſe nulla clauſtrorum virgineorum facta ruptione,ſicut in cæteris parientibus experimur:hoc autem vere mater cognoſcebat,vt quippe, quæ experiens didicerat.

Chriſtus cognitus à virg.

De eadem ſeptima parte ſecundæ metaphoræ. Cap. LXXII.

HIc autẽ metaphoricus leo cognoſcebatur Meſſias a matre,ſ.quod ſaluator futurus erat: ſic.n. Angelus diſeruit,cum nomen Chriſti,quod in circunciſione imponendum erat,reuelauit,& vocabis nomen eius Ieſum,i.Saluatorem:ipſe enim ſaluum faciet populũ ſuũ à peccatis eorum.Item ſicut & matri vt Meſſias cognitus erat,ita & diſcipuli eius eum cognoſcebãt:eo quippe prædicante,eum Saluatorem, ſiue Meſſiam eſſe crediderunt, ideo, cum in cęlum aſcenſurus eſſet poſt ſuã beatam reſurrectionem,inquiſierunt, quando redẽpturus,aut reſtiturus eſſet regnum Iſrael dicentes : Domine ſi in tempore hoc reſtitues regnum Iſrael , vt habe- G tur Actuum primo cap.Dæmones quoque,qui arreptitiorum corpora obſidebant,eum vt Meſſiam , & verũ Deum cognoſcebant: &, cum eos aliquãdo ab obſeſſis corporibus expelleret,clamabant eum Meſſiam, & filium Dei eſſe.Ideo, cũ eos expelleret, cogebat eos ſub ſilentio exire,ne eum aut Deum , aut Meſſiam clamarent.Sic ait beatus Marcus c.1. & 2.ipſe aut increpabat eos,nec ſinebat loqui,quia ſciebant eum.Item hũc leonem Deũ eſſe Domina noſtra virgo cognouerat , quia cum Angelus ei diuinum referret nuntium , ait : ideoque,quod ex te naſcetur,ſanctum erit, & vocabitur filius Dei.Apoſtoli quoque Ieſu eum Deũ crediderunt, & cognouerunt,ideoque in eum credebant. Et , cũ aliquem de Diſcipulis ad ſe Chriſtus vocaret,prędicans, ei ſe Deum,& Meſſiam oſtendebat,& ſic in eum crede- H bant , de quo Ioan.2.c. qñ conuertit aquam in vinum , ſcilicet,hoc eſt initium ſignorum,quod fecit Ieſus coram diſcipulis ſuis,& crediderunt in eum. Ex prælibatis liquet,quod Chriſtus leo iſte cognitus fuerit.

Pars octaua ſecundæ metaphoræ. ſ.leo,qui non cognoſcebatur. Cap. LXXIII.

PRænominatæ huius ſecundæ metaphoræ particula octaua eſt: Qui non cognoſcebatur,ſ. quod leo ille non cognoſcebatur:&,quia leo iſte homo, & Meſſias , atque Deus eſt,vt in præcedentibus diſeretur:neceſſarium eſt ſecundum hanc tertiam particulam hanc exponi.In primo autem, quod eſt, hunc leonem hominẽ eſſe , cognitus ſuit , nec poteſt dici incognitus: omnes I namque Chriſtum intuentes eum hominem eſſe ſciebant,in eo corpus verum, vt in cęteris inſpicientes.Hic tamen leo, qui homo erat , non cognoſcebatur a pluribus,myſtico ſpiramine ſine virili ſemine genitus, atq; ſine virgineorum clauſtrorum ruptione in lucẽ emiſſus:ſed potius Virginem Dominam noſtram ab aliquo adulterino viro grauidatam exiſtimabant: nam virum eius Ioſeph præ ſenectute ad gignendum impotentem cenſebant , ſicut in primo figurato Paradoxo expoſuimus. Identidem autem Ioſeph vir eius,cum à ſe incognitam ſciret, ab aliquo adulterino viro grauidam iudicabat. Iudicanſque hoc,affligebatur , ſicut in præcedenti metaphora explicauimus. Homines autem ſani cordis,qui nihil perperam in virgine factum exiſtimabant,eam à viro ſuo Ioſeph grauidatam credebant.Nõ K igitur erat cognitus iſte leo , quòd Spiritu ſanctò conceptus , atque ſine clauſtrorum virgineorum ruptione in lucem æditus ſit : ſed potius communi aliorum hominum modo eum genitum , natumque arbitrabantur. Iſte quidem leo Chriſtus , vt Meſſias cognitus non eſt Iudæi namque Chriſtum Saluatorem , aut Meſſiam non credebant : ſed , quia ipſe aliquatenus ſe Meſſiam reſpondebat, ſemel eum inquiſierunt dicentes: Quouſque tollis animam noſtram ? Si tu es Chriſtus,dic nobis palam. Et,licet interdum actiones aliquas Chriſti inſpicerent, cum Meſſiam prætendentes , totaliter tamen Meſſiam fore non credebant : & , licet aliquando eum Meſſiam eſſe firmiter crediderint,ſuperexiſtẽte æmulatione,omnibus quippe Chriſti actibus inuidebant , excæcatum eſt inſipiens cor eorum, & eum

Quõ Iudæi non cognoſcebãt Chriſtum.

& cum plenè Meſſiam non credebant; &, licèt aliquãdo crederent, rurſus leui motu diffidebãt. Adhuc autẽ mortuo Saluatore, & à mortuis ſuſcitato Iudæi cũ Saluatorem neſciebãt: ſed de hoc potius ſub ambiguo inquirebant, vt patet Actuum 5. cap. vbi, cùm ſemel Iudæis ad conſilium congregatis, & ſuper vinculatione quorundam Apoſtolorũ mota quæſtione de Chriſto, an Meſſias eſſet, dubia queſtio orta eſt. Tunc Gamaliel vir boni animi, idemque diſcipulorum Chriſti amator, vt quippe, qui poſtea ad fidem Chriſti conuerſus eſt, ſub ambiguo exemplum poſuit de duobus, qui ſe iiſdem tẽporibus Meſſiam appellauerant, ſ. Theodas, & Iudas Galilæus, quorum vterque cito perijt, vt ibidem deſcribitur. Concludens aũt Gamaliel hac ſententia vſus eſt, vt doctrinæ Chriſti ſectatores nõ exterminarentur cõſeſtim, ſed relinquerentur ſuis traditionibus, ꝙ, ſi fortaſſis aliquid veritatis doctrina illius continebat, permaneret in miraculorũ operatione. Si verò nõ contineret veritatẽ, cito à fundamentis exterminandam fore, atque in ſeipſa prorſus labefactandã: liquet igitur eos dubitaſſe Chriſtum fore Meſſiam. Item leo iſte à Iudæis, vt Deus cognitus non eſt; nam, quamquã eum hominem ſcirent, Deum tñ eſſe non opinabãtur: ſed, cum maioribus cum laudibus extollerent, in miraculorum manifeſtis operationibus eum prophetã magnum prædicabant. Apoſtoli quoque eum Deum non cognouerunt, licèt interdum cognouiſſent; aliquando tamen non arbitrati ſunt: ſicut accidit toto tempore paſſionis, & Dominicæ ſepulturæ vſque poſt reſurrectionem ſuam; nam his, quæ à Chriſto dicta erant, penitus non aſſenſi ſunt. Sicut ex duobus Chriſti diſcipulis euntibus in caſtellum Emmaus liquidè comprobatum eſt, quibus Chriſtus apparens ardenter eorum increpauit incredulitatem, ſicut ſcribit beatus Lucas 24. cap. Tunc verò tota fides manſit in virgine; ipſa namque firmiſſimè aſſentiebatur Chriſtum ſurrecturum, & ad cęlos aſcenſurum. Ex prælibatis liquet, quòd leo iſte Chriſtus cognitus non extiterit.

Pars nona metaphoræ ſecundæ, ſcilicet: Leo, qui tenebatur. Cap. LXXIV.

HVius Paradoxi particula nona eſt, qui tenebatur, hęc autem, ſicut & præcedentes ad leonem hunc Chriſtum referenda patet. In quo aduertendum eſt, ꝙ teneri eſt capi, aut ligatum eſſe. Iſte autem leo Dominus noſter captus eſt, quia eum coligauere Iudæi, & quia Chriſtus Deus, & homo erat, ſecundum quãlibet particularũ exponenda eſt, Chriſtum leonem captum fuiſſe. Primò aũt de Chriſto homine exponendum eſt: nam ipſe homo Chriſtus poſt cenam illam recolẽdam quintæ feriæ per noctem domum egreſſus abijt in hortum trans Torrentẽ Cedron, in quẽ ipſe frequenter ire conſueuerat, vbi, cũ magno oraſſet ſpatio, Iudæi, & Gẽtiles miniſtri miſſi à principibus ſacerdotum eum religatum tenuere. Erat autem religatum collum benedicti Ieſu, ſicut ſolent capite puniendi ad ſupplicia trahi, & ſic ad Annam, & Caipham principes ſacerdotũ ductus eſt. Erat autem Caiphàs ſummus pontifex anni illius, vbi diu tentus eſt, nouiſſimè autem illuſus ad domum Pilati, & Herodis ductus eſt. In his autẽ propriè Chriſtus captus erat, quoniam Chriſtus verus homo erat, & poterat detineri. Sed adhuc in hoc vlterius ſpeculandum eſt, quia teneri vt tangi eſt, detentio qui dẽ ſine contactu eſſe nequit: de Chriſto aũt in præcedentibus probauimus, ꝙ tangeretur, & qualiter tangeretur. Identidẽ ergo accipiẽdũ eſt, ꝙ Chriſtus teneretur. Item teneri ſignat quempiam in quouis loco inuitum eſſe, aut ꝙ ad quempiam locorum trahatur inuitus: hoc tamen in Chriſto adhuc, ſecundum ꝙ homo eſt totaliter affirmare nequimus. Nã, licet benedictus ille Ieſus per omnium iſtorum iudicum hoſpicia traheretur, inuitus tamen hęc non ferebat: ſed penitus ſpontaneè omnia iſta ſubibat; dignatus eſt namque prędicta pro ſaluando humano generi tolerare.

A *Obiectio contra prædicta, & quędam de duplici anima in Deo. Cap. LXXV.*

FOrſitan aũt quiſpiam in hoc nitetur ex his, q̃ Chriſtus dixit, & habẽtur Matthæi 26. cap. ſ. Triſtis eſt anima mea vſque ad mortẽ: nullus tñ triſtatur, niſi de eis, quæ eo nolente eueniunt: ſequitur ergo hãc pœnam Chriſto inuito inflictã, atque per hoc eũ nõn ſpõtaneè detineri. His aũt reſpondendũ eſt, in p̃libatis Chriſti verbis animã pro ſpiritu artes vegetante nõ accipi, ſed pro vita. Hoc aũt apparet: nã in Chriſto eadem, quæ in cæteris hominibus cernimus, erãt, ſ. duplicıter animæ pars ſenſitiua, & rõnalis. Senſitiua aut in iraſcibilẽ, & concupiſcibilẽ ſcinditur; iraſcibilis aũt eſt, qua in eos, qui nobis offenſi ſunt debachamur, aut in eos, qui uoce, aut re iniuriã intulere, ſiue cũ dũtaxat contemptus
B factus, aut exiſtimatus eſt: in hoc n. iraſcibilis tẽdit, vt patet per Ariſt. in 7. Ethicorũ. In hoc aũt iraſcibilis ſemper mouetur, q̃q̃ interdũ ratio iudicet in his vindictã non ſumendã. In hac aũt ſola particula nullo alio accedente peccatũ, aut rectè factũ eſt, quia hæc particula iudicij, atque libertatis expers eſt. Alia quoque ſenſitiuę pars eſt, q̃ concupiſcibilis dicitur, qua oĩa, q̃ guſtui, & tactui delectabilia ſunt, cõcupiſcimus: hęc aũt frequẽter concupiſcimus, q̃ rõni noſtrę diſſona ſunt, & ea fieri interdicit. Eſt igitur in his ſenſitiuæ particulis plerũque rõni diſſona affectio, in quo tẽtationes cauſantur, & afflictiones nimiæ eorũ, qui modeſti ſm rationẽ viuere volunt, inſurgẽte ſenſitiua particula in arbitriũ rõnalis, & non ſentiẽte rõnali in his, q̃ à ſenſitiua expetuntur, ſicut in continentibus, atque tẽperatis homini-
C bus eſt. In hac ſenſitiua particula oĩa deſideria, & affectiones reperiuntur, q̃ militant in rõnem, & paſſiones à Philoſophis nominantur. In hac aut parte letitiam, & triſtitiã reperimus, in quã exteriora his, q̃ intra ſunt, aut congruunt, aut diſſentiunt. Hæ autẽ ſenſitiuæ binę particulæ in omnibus hominibus ſunt. Et, quia Chriſtus verus homo erat, neceſſariũ quoque erat in eo oẽs has affectiones eſſe, & partem rõnalem. Tamen in nobis ualde, & in Chriſto diuerſæ erant: nam in parte ſenſitiua paſſiones ĩn nobis ſunt rationis iudiciũ, aut perturbantes, aut ſaltem diſturbantes, quæ interdum nos à rationali decreto penitus diſtrahunt: frequenter autẽ deprimũt: aut ſi horum nihil ſequatur, valde affligũt.
D Hoc pacto viri ſancti diuerſis paſſionibus tribulabantur, in quo eos nimis mereri conſtabat. Horum autem nullũ in Chriſto veniebat, primò quia motus illi paſſionales rationalem eius partem nec perturbant, nec diſturbant, ita vt ratio in Chriſto ſenſitiuis affectionibus acquieſceret: quia tunc neceſſariũ erat peccatũ mortiferũ, aut veniale ſaltẽ confici, quod à Chriſto prorſus diffitemur. Sic ait beatus Petrus Canonica prima cap. 2. Chriſtus paſſus eſt relinquens exemplũ, vt ſequamur veſtigia eius, qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in lingua eius. Sequitur ergo in Chriſto paſſiones non fuiſſe, quæ eũ turbarent, ita vt eius rõnem in aliquo deprimerent. Itẽ in Chriſto paſsiones nullæ erant, quæ rationi derogantes eã multum affligerent, ita vt Chriſtus homo tribularetur, ſicut nos in eiſdẽ con-
E ſueuimus tribulari. In Chriſto quippe inobediẽtia iſta partis ſenſitiuæ ad rationalem, quæ in nobis eſt, nullatenus erat: iſta n. peccati originalis pęna propinqua erat, quam in ſe Chriſtus non habuit, quia imperfectio magna erat, quia omnes talium pęnalitatum modi inuoluntarij ſunt, in inuoluntarijs autem meritum nullũ eſt. Chriſtus tamen in omnibus, aut pęnalitatibus ſuis nimium merebatur. In nobis quidem concupiſcentiæ paſsio eſt, quæ nos ad omnia delectabilia tactus, & guſtus incitat, vt ea, quæ rationi delectabilia diſgruunt, ſæpiſsimè auellemus. In Chriſto autem tale nihil fuit, quia nunquam in his, in quibus nos tentamur, tentatus eſt, vt interdum, aut ad guſtus illecebras, aut ad veneream molliciem moueretur, cuius fundamẽtum eſt quia facultati Chriſti omnes ſuæ ſenſitiuæ particulæ ſuberant, nobis autem nequaquam ſubſunt.

In Chriſto non erant paſſiones.
Cap. LXXVI.

QNamquam igitur, vt prælibauimus, in partibus ſenſitiuis Chriſti aliqui motus, vt nobis ſunt, exiſterent; paſſiones tamen non erant, quia iſtę nos aut dutiſſime affligunt, aut ad iniquas operationes peruertũt. Chriſtum autem Saluatorem noſtrum nullus vnquam talis motus aut afflixit, aut ad impiam operationem coegit: ſed vocabãtur motus iſti propaſſiones, id eſt motus longe à paſſionibus diſtantes. ſ. ꝙ paſſionum noſtrarum conditionem nullam habẽt: ideoque longę à paſſionibus ſunt. De his tangit Magiſter ſententiarũ in 3. in 15. 16. & 17. diſtinctione. In Chriſto tñ erant aliqui motus partis ſenſitiuæ: in ipſo tñ eo nolente non inſurgebant, ſed vltroneo, & itidem iubente. Iſtį autem ſunt lætitiæ, ſiue gaudia, & triſtitiæ. Faciebat nẽpe Chriſtus in ſua ſenſitiua cõcupiſcibili aliqñ lætitiæ motum inſurgere, & hoc gaudebat. Identidem quoque ſæpius in triſtitiæ motum ſaciebat, quo ſatis acerbe triſtabatur. Quod aũt hæ lætitiæ, aut triſtitiæ paſſionales in inuito Chriſto non inſurgerent, ſed volente illo, atque iubẽte conficerentur, liquet ex his, quæ habentur Ioannis in primo cap, videns autem Ieſus, infremuit ſpiritu, & turbauit ſeipſum. Non eſt par ſermo de cęteris hominibus. ſ. ꝙ ipſi ſeipſos turbent, ſed ꝙ ingruentibus amaritudinibus nolentes perturbentur: nam, cum turbationem ſummoperè fugerint, eos ſequitur perfecta calamitas, cum in nullo requiẽ habere poſſint. Iuxta illud Iob. 33. Si dixero, conſolabitur me lectulus meus, tunc terrore cõcuties me. De Chriſto autem ſecus dicitur, ſ. ꝙ ipſe infremuerit, & ſeipſum turbauerit, id eſt ꝙ nõ in eũ renitentẽ turbatio ingruerit: ſed ꝙ ipſe vltroneus eã in ſe concitauerit, atq; ſi perturbari renuiſſet, ab eo omnis prorſus fugiſſet calamitas. Secundũ igitur has turbationũ moles, quas in ſe vltroneus concitabat, inquit, qđ prædictũ eſt. ſ. triſtis eſt anima mea vſq; ad mortẽ.

Notandum pœnes prædicta. Cap. LXXVII.

QVocirca adhuc acutius ſpeculandum eſt, ꝙ, licet Chriſtus ſpontaneè paſsiones in ſe agniçulos cõcitaret, aut potius amaritudines, & eas diutius permanere iuberet, quę in nobis prorſus renitentibus, & inuitis ſiunt; cum tñ ſemel in eo concitatæ eſſent, idem in eo efficiebant, quod in cęteris hominibus fieri cognitum eſt, ſ. ꝙ, cum Chriſtus ſpontaneè aliquem lætitiæ motũ in parte concupiſcibili iuberet inſurgere, ita eo motu vere gaudebat, vt nos gaudere conſueuimus rerũ proſperitate commoti. Itidem corpus ſuum illa lætitia reficiebatur, & impinguebatur, ſicut ſolẽt cętera humana corpora impinguari. Sic enim ait Salomon prouerbiorum. Animus gaudens floridam facit ætatem: ſpiritus triſtis deſiccat oſſa. Item, ſicut, cum nobis alicuius aduerſi concepti triſtitia obrepens magnas moleſtias ingerit: ita vt vehementer labefactemur, atque viribus deſtituti tota corporis mole deficiamus: ita in Chriſto conceptorum aduerſorum inſurgens eius iuſſione triſtitia totam benedicti corporis molem viribus eneruabat. His tamen inconcuſse manentibus, facultati illius hominis Ieſu ſuberat interdu affligi, aut lętari, ſicut ſpontaneè decreuiſſet. Poſtquàm tamen ſemel illum motum ſuſcepiſſet, non ſuberat facultati eius affligi, aut non affligi: ſed ita vt nos ad quodcunque iſtorum cogebatur, dũ eum motum in ſe manere iudicaſſet. Hoc tamen ſpecialiter ei ſuberat, quòd, quotieſcunq; decreuiſſet, motus ille ceſſaret, atque perinde quidquid ex paſsionali motu efficaciæ proſperę, aut aduerſæ in Chriſto ſequebatur. Liquet igitur, quod Chriſtus amaritudines, aut afflictiones, quas nos ſuſcipimus, ſuſceperit. Sicut igitur, ſi quiſpiam è nobis triſtitiam ſemel ſuſciperet, illa inſiſtente vehementer conquereretur: ita, cum Chriſtus in ſe iuſsione ſua motum talem ſuſcepiſſet, nimia afflictione augebatur. Et, quia tempore acerbiſsimæ paſsionis benedictus Ieſus in ſe triſtitiæ motum

F cauſari dignatus eſt, ſecuta fuit in eo tam horrendã tribulatio, vt iam homini illi miſericordiam ſicut afflictis hominibus mereremur. Hoc autem euidentius dilucidatur, quia, cum in hac vehementi anguſtia Chriſtus exiſteret, acceſsit angelus à beata Trinitate miſſus, vt hominem illum penitus deſolatum conſolaretur. Sic patet Matthæi 26. c. Acceſsit angelus confortans eum. Hoc autem modo verba illa protulit, ſcilicet. Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem, id eſt triſtis eſt vita mea, aut anima mea, donec moriar: quaſi dicat, ante mortem mihi triſtitia auferenda nequaquã eſt: ſed exponendum eſt: Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem, id eſt triſtis eſt anima mea, ſiue vita, vel ego ita triſtis nunc ſum, ac ſi realiter occiderer, aut transfoderer gladio, aut quolibet alio cruciatu plecterer amariſsimo.
G Liquet igitur Chriſtum in paſſione triſtem fuiſſe, non quidem, quòd ipſe mortem, aut paſsionem illam refutaret: ſed ui ſe triſtitiam quandam, quæ pœnarum pars erat, ſuſtinere decreuerat. Item patet non concludi, quod quidam voluere, ſcilicet Chriſtum renitentem captum fore.

In Chriſti acerbiſsima paſsione triſtitia à cauſata.

Obiectio contra ea, quæ contraria ſunt.
Cap. LXXVIII.

OBuiaturus eis, quæ determinata ſunt, quiſpiam fortaſsis arguet, aſsumens, quod habetur Mat. 26. Pater, ſi poſsibile eſt, tranſeat à me calix iſte: ſi tamen Chriſtus voluntariam mortem ſubijſſet, nullatenus calicem pęnalitatis à ſe auferri præcaretur. Huic re-
H ſpondendum eſt, Chriſtum vltroneum mortem illam amariſsimam ſubijſſe; Quod euidenter inſinuat Iſaias 53. cap. Oblatus eſt, quia ipſe voluit: ſi ergo noluiſſet, nequaquam fuiſſet oblatus. Item, ſi Chriſtus mortem vltroneus non ſuſtineret, nihil moriens meruiſſet: quia actus in tantum meritorij, aut demeritorij ſunt, quantum de voluntario habent. Vbi autem voluntarium nihil eſt, nullum meritum, aut demeritum reperitur. Item, ſi loca euangeliorum, in quibus de morte Chriſti proceſſus eſt, diligenter aduertantur, ſatis perſpicuum erat, Chriſtum non inuitum, ſed ſpontaneum cruciatus toleraſſe. Cum autem fortaſsis quidpiam inueniatur mortem Chriſti inuoluntariam fuiſſe inſinuans, non ſic intelligendum eſt, vt ipſe mori noluerit: ſed
I quod Chriſtus ſpontaneè aliquam triſtitiæ paſsionem aſſumpſerit, qua, ſicut ſolent cæteri homines vere affligitur, atque ex hoc quibuſdam non attente ſpeculantibus mortem inuitus ſuſcepiſſe videbatur, licet ſic reuera non conſtat: hoc autem euidenter patet ex præallegata auctoritate beati Matthęi 26. cap. Pater, ſi fieri poteſt, tranſeat à me calix iſte; non tamen ſicut ego volo, ſed ſicut tu vis.

Tres in Chriſto inclinationes fuiſſe conſtat.
Cap. LXXIX.

QVod acutius ſpeculantibus tres nobis in Chriſto tunc aut affectiones, aut verius inclinationes fuiſſe prodit. Prima autem electio, aut volitio diui-
K na erat de morte Chriſti decernens, quæ patefit, cum dicitur: Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu. Hæc autem verbo ad patrem diriguntur, ex quo neceſſario inducitur determinatam voluntatem habuiſſe, quod Chriſtus moreretur, &, quia Pater, Filius, Spiritus Sanctus vnius ſubſtantiæ naturæ, atque eſſentiæ indiuidualis ſunt, neceſſarium eſt, vt, quod vna perſonarum velit, hoc & reliquæ velint: ideo ſecunda Trinitatis perſona, quæ verbum erat, & homo Chriſtus, determinate volebat mortem hominis Chriſti, quæ erat mors ſua. Secunda electio, ſiue volitio, aut potius affectio erat paſsionalis partis ſenſitiuæ, & quia in Chriſto non paſsiones, ſed propaſsiones erant, vt in ſuperioribus declaratum eſt, hæc autem affectio erat quidã paſsionalis timor, quo Chriſtus mortem aliquatenus refutabat, vt fugeret. Hanc autem affectionem ſicut cæteras, de quibus ſupra di-

ximus,

ximus,quæ in Chriſto cauſabantur, Chriſtus ipſe iuſſione ſua cauſauit,hoc autem in exiſtente timore oportebat Chriſtum mortem eo timere, atque fugere, & ne ei ſuperueniret,exorare. Hanc autem affectionem paſſionalem inſinuat beatus Matt.in prædictæ auctoritatis verbis,cum ait:Pater,ſi fieri poteſt,tranſeat à me calix iſte.Hoc enim dicens inſinuatum eſſe alijs volebat, eum mortem formidare,atque pro poſſe vitare.

Qua de cauſa Chriſtus inſinuabat ſe inuitum mortem ſubire,cum à principio pro peccatoribus ſtatuiſſet mori. Cap. LXXX.

Aliquis nunc quoque inquiret,cum Chriſtus verus Deus eſſet, & ab æterno mortem vltroneam pro peccatoribus ſubiturum decreuiſſet, eum in ſe talem B paſſionalem motum cauſabat, quomodo inſinuabitur eum ſpontaneam mortem ſubijſſe? Huic autem reſpondendum eſt,quòd,ſicut ex prælibatis lucide patet,motus iſte paſſionalis timor, qui in Chriſto inſurrexit,non eo inuito fuit:ſed eo iubente concitatus eſt;non tamen à myſterio prorſus vacat in Chriſto hunc timorem fuiſſe cauſatum. Exiſtunt nempe huius duæ rationes, quarum prima eſt, vt veram in ſe humanitatem indicaret: ſciebat nanq; hæreſes in ſua Eccleſia pullulaturas,& quæ poſtea temporum interuallis exortæ ſunt. Quidam fuere hæretici,qui aſtruebant Chriſtum carnē veram humanam non aſſumpſiſſe, atque perinde nec verum hominem eſſe, ſed corpus phantaſticum accepiſſe;qui magnus valde error, & à tota damnatus Eccleſia, ad quem penitus eliminandum quædam in ſe C Chriſtus oſtendit, quæ eum verum hominem eſſe, & verum corpus humanum aſſumpſiſſe indicarent: hoc autem eſt, vt paſſiones humanas acceperit, atque in ſe eas demonſtrauerit,ſ.timorem,& lætitiam, quæ in omnibus animalibus perfectis,& potiſſimè in hominibus ſunt:cum igitur Chriſtus in ſe iſtas demonſtraret, manifeſtum erat eum verum hominem eſſe:hoc apparuit, quia in ſe timorem oſtendit,cum veriſſimè mortem illam timuerit.Secunda autem,& præcipua huius timoris cauſa,cur in Chriſto ſurrexerit,fuit,vt totaliter affligeretur:nam dolor,triſtitia,gaudium,& ſpes paſſiones ſunt in parte ſenſitiua,vt autem dolor iſte vehemens in Chriſto eſſet, in quo nimis pateretur, fuit in eo timor concitatus:ſi enim timor iſte moriendi, & deſiderium mortem euitandi in Chriſto non fuiſſet, duntaxat ipſe D paſſus fuiſſet,cum illa ei cruciatus irrogata ſunt. Nunc autem incuſſo iſto timore mortis vehementer affligebatur in ſe ipſo,priuſquam alios ſui corporis cruciatus experiretur, qui ab extra inflicti forent: ipſe nempe ſe certiſsime moriturum præuidebat,& hoc excuſari impoſſibile eſſe cognouerat. Nunc igitur mortis incuſſo timore,& deſiderio fugiendi,conficiebatur in eo acerbus dolor,ſicut,cum ei flagella, aut vulnera infligebātur;hoc autem ſtupēdum diuinæ eſt bonitatis inſigniū ad nos, & magnæ ſecuritatis indicium ad hominem Chriſtum,ſecundum quod deificus ille homo tam diutius affligeretur longiſsimas perferens paſſiones. Nec enim quiſpiam excogitet tunc primò Chriſti cruciatus inchoaſſe,cum primo ei alapæ, & capitis tunſiones inflictæ ſunt.Sed ex eo,quo ei Deus hunc inflixit timorē E horrificū: æqualiter quippe timor hic Chriſtum afficiebat,vt cetera, q ei poſtea cruciatus cauſa irrogata ſunt, quod liquidius manifeſtat Beat. Matth. 26. c. ſ. factus eſt in agonia,& prolixius orabat,ideſt,quod in Chriſto magna affectionum controuerſia orta eſt,ita vt bellum veriſſimum videretur.Inſurrexit autem horrificus ille, & paſſionalis timor in iudicium rationis, & quantum diuina ſanctio iuſſerat afflictio in Chriſto ſequebatur non quælibet,ſed ſtupēda: ita vt dominicum illud corpus ingruentium,ſpiritualium afflictionum ingēti mole depreſſum, ſanguinei humoris guttas exſudauerit, quod niſi magnus ingruentibus cruciatibus nunquam fit:hoc autem ſcribit beatus Matt.c.25.Factus eſt ſudor eius ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terrā.Hoc

A autem cruciatus genus ita horriferum extitit, vt tenerrimo homini illi Chriſto in dolorum ſuorum præmordijs penè intolerabile fuerit. Quam ob rē ſancta illa,atque immenſa Trinitas hominem Ieſum,quem ſibi verbum,ſiue ſecunda Trinitatis perſona vnitate hypoſtatica vniuerat,penitus nō derelinquēs,eius in calamitatibus ſubleuandis cōſolatorem angelum deſtinauit.Hoc autem ſcribit beatus Matt.c.26.Et acceſſit Angelus cōfortans eum.Duabus igitur rationibus liquidum eſt, quare ſancta Trinitas hunc paſſionalem timorem in homine Chriſto inſurgere iuſſit.

De tertia inclinatione omnia cap.79. Cap. LXXXI.

INclinatio,aut electio tertia,quæ tūc in homine Chriſto extitiſſe dignoſcitur, erat quædam liberi arbitrij diffinitio, qua mortem eligebat,diuinæ voluntatis decreto conſentiens,ſecundum quam homo Chriſtus ſpōtaneam ſubijſſe mortem rectè dicebatur,quoniam huic voluntas ſua addicta erat. Hæc autem humanæ voluntatis diffinitio apparet Matth.26.cap. cum dicitur: Verumtamen non ſicut ego volo:ſed ſicut tu vis.Quòd igitur Chriſtus vellet non ita fieri,ſicut ipſe affectabat: ſed ſicut diuina libertas elegerat,tertia pandebatur volitio, quaſi ſub epilogo in his verbis ingruente paſſione tres in homine Chriſto volitiones, ſiue inclinationes fuiſſe comparatum eſt. Prima paſſionalis affectio, quàm verba illa liquide complent,ſcilicet: Non ſicut ego volo:manifeſte quidem in his aperitur cum nō deſideraſſe mori. Secunda harum volitionum erat diuina electio,atque firma ſanctio,qua diffinitum erat, Chriſtum hominem moriturum, quod aperitur, cum dicitur: Sed ſicut tu vis. Hic enim voluntas alia erat,quæ ab illa,de qua prius dicebatur,diſtans erat. Tertia volitio erat rationalis voluntatis,ſiue humani liberi arbitrij diffinitio,quod his verbis patefit,cum dicitur, non ſicut ego volo, in quo diffinitionem contra ſenſitiuam affectionem tribuebat.Ex his reſponderi poteſt illi auctoritati Beati Matthæi, ex qua aliquatenus apparet Chriſtum inuoluntariè iſtos ſubijſſe cruciatus, ſed potius contrarium ſequitur,ſicut ex præcedentibus declaratum eſt. Item proditur, quod ſuperius tetigeramus, ſcilicet, Chriſtum non inuitum captum, & detentum fuiſſe,cum teneri coactionem, aut colligationem dicat tollentem arbitrium voluntatis.

Expoſitio quartæ partis ſecundæ metaphoſ. Qui tenebatur. Cap. LXXXII.

PRæterea leo iſte Chriſtus Deus erat,ideo ſecundum diuinam naturam exponi poteſt particula iſta,ſcilicet,Qui tenebatur. Nam,licet diuina natura ſecundum ſe teneri non poteſt, vt magis inferius differetur, poterat tamen dici Deum teneri,aut detineri:quia homo ille,quia verè tenebatur,Deus erat; & tenendo hunc hominem,Deus tenebatur. Omnes quippe actiones, aut paſſiones perſonæ, ſuppoſitum,aut hypoſtaſim nominant,ſicut Ariſtot. in plerique locis proteſtatur. Et,quia verbum diuinum, quod Deus eſt, eſt perſona, hypoſtaſis,vel ſuppoſitū in Chriſto, neceſſariò ab iſto actu denominari debebat.ſ. vt dicamus, Deus, aut verbum tenetur. Item,ſicut,cum hominem Chriſtum videmus, dicimus Deum videre,& eum audiendo,dicimus Deū audire;quia ille Deus,& homo eſt: ita tenendo illum, qui eſt homo Chriſtus, detinetur Deus. Item, cum hoſtiam conſecratam videmus, aut in calice Chriſtum ſub vini ſpeciebus latentem, dicimus Chriſtum videre,quia ſub illis ſacramentalibus ſpeciebus in hoſtia, & calice Chriſtus latet: ita, cum Chriſtum hominem detineri cōcedimus,neceſſarium eſt, vt Deum quoque detineri concedamus,quia homo ille Deus erat. Identidem hoc confiteri poſſumus ex quodam ſpeciali locutionis modo,qui apud theologicos doctores communicatio idiomatum appellatur, qui in hoc conſiſtit, vt prædicamenta homini conſequentia Deo attribu-

mus,& prædicamenta Deo congruentia de homine aſ F firmemus,ſcilicet,dicentes, Deus mortuus eſt , paſſus eſt,flagellatus eſt,itinere fatigatus eſt,atque ſiti , & fame debilitatus.Iſta quippè humanæ conditionis prędicata ſunt:& conuertentes prædicata ſoli Deo congruentia de homine prædicamus,vt quòd iſte homo creauit mundum,iſte homo mortuos ſuſcitauit,infinitus , atq; omnipotens eſt. Sic igitur in propoſito eſſe poterit, quòd iſtud prædicatum,quod eſt teneri,quod homini conuenit,Deo attribuamus,dicentes:Deus tenetur.Quę autem ſit ratio, cur theologica conſideratio vtatur hoc modo loquendi, quod eſt communicatio idiomatum , alterius eſt ſpeculationis,cuius inueſtigationem in præſenti relinquamus. Ex ſuperioribus inducitur, quomodo iſta particula intelligēda ſit,ſcilicet,quòd Deus teneatur,aut quòd leo iſte tenetur.

Pars decima ſecundæ metaphoræ.ſ.Leo,qui non tenebatur. Cap. LXXXIII.

IN hoc autem ſecundo metaphorico Paradoxo vltima particula eſt,leo,qui non tenebatur. Circa quod aduertentes dicendum,quòd , ſicut in ſuperioribus liquet,leo iſte Deus,& homo erat, & veluti particula ſuperior.ſ.Qui tenebatur de duplici natura in Chriſto expoſita eſt:ita iſta particula.ſ.Qui nō tenebatur,de vtroque intelligenda eſt.Primò autem conſiderantibus leonem hunc hominem fore,dicendum eſt eum non teneri,quia,vt in prælibatis diſſeruimus,teneri eſt cum aliquid in quouis loco inuitè cuſtoditur , aut ad locorum quempiam non ſpontaneè trahitur.Et, quia Chriſtus , H etiam vt homo erat,non inuitus tenebatur,reſtat, vt eū hominem teneri diffiteamur. Manifeſtatur autem ſic , quia Chriſtus homo confeſſus eſt ſe libenter iuxta diuinam ſanctionem mortem ſubire velle ; ſi igitur contra niteretur mors eius electioni , non conſentiret diffinitioni diuinæ,vt moreretur.Itē, cum Chriſtus in horto in nocte præcedente paraſceuen extitiſſet,inquirentibus eum Iudæis ſe obtulit,dicens : Quem quæritis? ipſi autem reſponderunt: Ieſum Nazarenum . Quibus rurſus reſpondit:Ego ſum . Si ergo homo ille Chriſtus Ieſus vltroneus illam acerbiſſimam mortem non amplecteretur , non obtuliſſet Iudæis inquirens ab eis , quem quærebant. Item,cum Iudæi,& Gentiles Chriſtum inquirentes reſponderi ſibi audierunt , ceciderūt retrorſum,vt habetur Matth. 26. Si igitur mortem illā I homo ille Ieſus renuiſſet , ipſis retrorſum cadentibus inde receſſiſſet:ſed non receſſit:ergo illam libenter amplexus eſt . Item , poſtquàm Iudæi cadentes in vigorem,& ſtatum rediere priorem, Chriſtus denuo ab eiſdem inquiſiuit : Quem quærerent: Qui reſponderunt: Ieſum Nazarenum . At ille ait:Si ergo me quæritis,ſinite hos abire , & confeſtim in eorum ſe tradidit poteſtate:ſed ſi ipſe mortem vltroneus non ſubiret, in eorū manibus non ſe poneret:ergo mortem ſpontaneam amplexus eſt . Item,cum Iudæi Chriſtum in horto colligaſſent,eum vinctum ducentes,Petrus percutiens gladio Iudæi cuiuſdam ſerui principis ſacerdotum amputauit auriculam,quem Chriſtus increpans , ait : Mitte gladium tuum in locum ſuum:omnis enim , qui gladio ferit,gladio peribit:calicem,quem dedit mihi pater,non vis,vt bibam illum? Si tamen Chriſtus mortē illam ſpontaneè non ſubiret,Petrum à percutiendo nō impediret:nec eum percutientem argueret : ſed potius ei,quod factum erat,placuiſſet:ſed non placuit,imò potius Petrum huius reum fecit. Liquet ergo eum voluntariè mortem hanc fuiſſe complexum .

Rationes probātes Christū spontè ſubijſſe mortem.

Quædam attinentia ad capitulum præcedens. Cap. LXXXIIII.

AMplius dictis addijcitur; quòd Chriſtus poſt hæc Petro dixit:an putas,quod non poſſum rogare patrem meum,& exhibebit mihi modo pluſquam duodecim legiones angelorum? ſed quomodo implebuntur ſcripturæ?ſcilicet, quòd,ſi Chriſtus mortem illam ſubiturum ſe non præuidiſſet,atque elegiſſet,affuiſſent plures ibi,quàm duodecim legiones angelorum,qui Iudæos Chriſti compræhenſores quaſi in inſtanti deleuiſſent. Hæc autem omnia de Chriſto homine intelliguntur . Nam de Chriſto,vt Deus eſt , intelligi nequeunt;nam Chriſtus , vt Deus neminem rogaturus erat,nec patrem:ipſe nempe patri æqualis eſt , & quidquid pater facit, hoc itidem facit filius : non igitur de Chriſto Deo dixiſſe,poſſum rogare patrem meum , & exhibebit mihi pluſquam duodecim legiones, &c. nā Chriſtus,vt homo minor patre eſt,vt ait Athanaſius in ſymbolo fidei : æqualis patri ſecundum diuinitatem, minor patre ſecundum humanitatem : hoc igitur modo,vt homo Chriſtus erat , ei orare patrem compete- G bat.Item,ſi de Chriſto,vt Deus eſt,intelligeretur,non dixiſſet;& exhibebit mihi pluſquam duodecim legiones angelorum,ſed dixiſſet,acciperem pluſquàm duodecim legiones angelorum . Innuitur igitur ex prædictis hanc auctoritatem de Chriſto Deo intelligi non poſſe,ſed de Chriſto homine Sequitur identidem ex prædictis Chriſtum mortem ſpontaneam ſubijſſe : ſic quoque infertur eum tentum,aut detentum non fuiſſe ſed voluntariè captum,atque ligatum .

Expoſitio decimæ partis metaphoræ ſecundæ. Cap. LXXXV.

PRæter hæc autem particula iſta exponi poteſt de Chriſto, vt Deus erat,ſcilicet,ipſe teneri, aut detineri non potuit: quod ſic liquidatur . Primò, quia ad hoc,quòd aliquid teneatur,neceſſarium eſt,vt illud videatur:ſed Deus videri non poteſt:ergo eum teneri impoſſibile erat: Deum autem videri non poſſe in ſuperioribus demonſtratum eſt . Item ad hoc,vt quidpiam detineri poſſit,oportet,vt ipsū poſſit religari : ſed De' religari non poteſt:ergo Deus teneri non poteſt:Deum autem ligari non poſſe ſic proditum eſt. Nam ad hoc, vt quidquam ligari poſſit, oportet,vt corpus ſolidum ſit;ideo nullus aerem colligare valebit, quia corpus rarum valde eſt. Itidem aquam ligare nequimus , quia corpus fluxibile,atque diſcontinuabile eſt; Deus tamē corpus nullum habet nec ratum,nec ſolidum, cum totaliter incorporeus ſit: ſequitur ergo Deum ligari non poſſe . Item ad hoc, vt corpus aliquod religetur, oportet,vt mediocris ſit quātitatis;nam, ſi minutiſſimę portionis eſt,religari nequibit:ſic vnum granum millij,aut minutiſſima arenarū religare nullus valebit: Deus autem minoris quantitatis eſt quacunque re,cum penitus quantitatem nullam habeat , quia indiuiſibilis eſt: ſequitur ergo eum non poſſe religari . Item ad hoc, vt quidpiam detineri poſſit , neceſſarium eſt, vt alicubi poſſit:ſic namque teneri deſcribitur, vt illud teneri dicatur,quod violēter tenetur alicubi,aut ad aliquem locorum non ſpontaneè trahitur:Deus tamen in nullo loco claudi poteſt,qa Deus omnia implet,iuxta illud Ieremiæ 22.ſ.Cęlum,& Terram ego impleo, dicit Dominus:detineri ergo nequit.Item ad hoc, vt aliquid teneatur,neceſſarium eſt,vt non ſpontaneum ſit. Sic enim ex diffinitione huius termini pateſit: Deus tamen alicubi K inuitus eſſe nequit:quia ſic aliquis Deo vim inferret,q̄ impoſſibile eſt,quia Deus omnipotens eſt. Sequitur ergo Deum teneri,aut detineri nō poſſe.Sic igitur leo iſte qui Deus erat, nō tenebatur.Omnibus prælibatis expoſitionibus veritas ſolida ſubnixa eſt,breuiter tamen, & quaſi ſub epilogo ſenſus eſt,quòd leo iſte,qui Chriſtus erat,detinebatur:quia erat homo palpabilis, & detineri valebat, & realiter à Iudæis in horto religatus detentus eſt vſque ad ſuam ſacratiſſimam mortem.Iſte quoque leo erat Deus, idemq; teneri non poterat ex cauſis prælibatis:& licèt Iudæi arbitrarentur fore illum detētum,minimè tamen detinebatur . Ex prædictis connectitur,quomodo iſtæ duæ particulæ exponendæ ſint , ſcilicet , quòd Chriſtus tenebatur , & quòd non tenebatur .

Quæ ſint neceſſaria, vt aliquid ligetur.

PARADOXON TERTIVM DE AGNO. A

Conditiones agni Chriſto quomodo tribuantur. Cap. I.

PErſcrutantibus conſequentem ordinem Epiſtolæ, quam mihi veſtra regia tranſmiſerat celſitudo, Metaphora tertia ſequitur in his verbis.

Fuit quidam agnus, qui tondebatur, & non tondebatur: agnus vulneratus, & non vulneratus: agnus, qui vociferans erat, & non clamabat: agnus, qui paſſus eſt, & nihil pertulit: agnus, qui occiſus eſt, & non occiſus eſt. In quo aduertendum eſt, quòd ſicut in exordio primæ B metaphoræ perſtrinximus, prima illa metaphora de Domina noſtra Virgine intelligebatur: ita quatuor ſequentes de ſolo Chriſto exponendæ erant. Sicut ergo in præcedenti iſte benedictus Ieſus leo vocitatus eſt; ita hic agnus appellatur: In omnibus autem tranſumptionibus generale hoc eſt, ſicut in prima metaphora diſeruimus, quòd inter id, quod tranſumitur ad id, ad quod tranſumitur, proprietatum ſimilitudo eſſe debet. Chriſtus igitur agnus hic vocatur ex conformitate proprietatis agni. Eſt autem agni conditio, vt maximè innocẽs ſit, & nulli noceat animali, nec quidquam pernicioſum alicui moliatur: hoc autem in Chriſto præcipue fuit; quia ab omni inquinamenti labe immunis extitit, & maxima innocentia polluit: ſic ait beatus Petrus in Cano. prima cap. 2. Chriſtus mortuus eſt, relinquens exem C plum, vt ſequamur veſtigia eius, qui peccatum non fecit, nec inuẽtus eſt dolus in lingua eius. Præterea agnus animal de manſuetiſſimis eſt nulli nocens, & raro clamans; &, cum interdum tondetur, aut torquetur, voces non emittit. Hoc autem Chriſto aptiſſimè conuenit; fuit enim Chriſtus manſuetiſſimus ſuper omnes homines, qui morantur in terra in verbis, & rebus. Et, licet interdum inferrentur iniuriæ, non clamabat: ſic ait Petrus in prima Canonica cap. 2. Qui, cum malediceretur, nõ maledicebat; cum pateretur, non comminabatur. Hanc autem Chriſti, & agni ſimilitudinem deſcribit Iſaias 53. cap. vbi magis euangelicus, quam propheticus ſermo eſt, ſcilicet, tanquam ouis ad occiſionem ducetur, & tanquam agnus coram tondente ſe obmutuit, nec aperuit os ſuum. Aliæ, pleræq; agni conditiones ſunt Chriſto D congruentes, de quibus nihil nunc: ideo in ſacrificijs veteris teſtamenti Deus volens prænoſticare magnum illud ſacrificium, in quo nouum teſtamentum auſpicandum erat. ſ. immolatio Saluatoris noſtri Ieſu in ara Crucis, ſignificauit illud in quodam agno anniculo, quem in qualibet Iudæorum domo in veſpere Phaſe iuſſerat immolandũ. De hoc Exodi 12. & 34. cap. omnes autem cæremoniæ agni huius in veteri teſtamento ſacrificio Chriſti in Cruce, & Sacramento Euchariſtiæ congruebant: de hoc difuſe diximus ſuper Exo. 12. c. Hic autem metaphoricus locutionis modus in nouo etiam teſtamento vſitatus fuit; nam, cum ſemel Ioanne baptizante multos Iudæos, Chriſtus in eius tranſiſſet conſpectu, Ioannes eum digito indicans, ait: Ecce agnus Dei: ecce qui tollit peccata mundi: vt habetur Ioannis primo c. E In multis quoque alijs Sacræ Scripturæ locis Chriſtus agnus vocitatur. Ex prædictis liquet Chriſtum agnum vocitari, & cur hoc fiat.

Pars prima metaphoræ tertiæ. ſ. agnus, qui tondebatur. Cap. II.

Vnde eſt Chriſtũ agnũ vocitari.

Tranſumptio diuerſis modis cõtingit.

IN hoc verò tertio figurato Paradoxo prima particula eſt: Qui tondebatur. In quo aduertendum hic maximam fieri tranſumptionem: fit quippè tranſumptio in ſubiectis dumtaxat, interdum vero in ſolis prædicatis, aliquando autem in vtriſque tam ſubiectis, quàm his, quæ prædicantur: Si quãdo in ſubiectis dumtaxat, aut prædicatis præciſè tranſumptio fiat, tranſumptio parua eſt: ſi verò in vtriſque fiat, tranſumptio magna eſt. In prima autem metaphora, & ſecunda in ſubiectis ſolum tranſumptio facta eſt. In prima nempe metapho. Domina noſtra Virgo vas dicebatur, quod tranſumptiuè dici, ambiguum non eſt: quia ipſa verè vas non ſit, ſed per attributionem. In hac autem metaphora hoc nomen vas prædicatum eſt, omnia autem prędicata ſine vlla tranſumptione Virgini conueniũt: eſſe quidem clauſum, aut non clauſum: purum, & non purum: paruum, & non paruum, & de cæteris, idem propriè de Domina noſtra prædicantur. Itidem in ſecunda metaphora, ſubiectum tranſumptum erat leo, quo Chriſtus ſignabatur: Chriſtus autem propriè leo non erat, ſed tranſumptione quadã: prædicata autem omnia propria ſunt nulla incidẽte tranſumptione. ſ. Viſus, & non viſus: auditus, & non auditus: detentus, & non detẽtus: verè quippè de Chriſto, quòd videretur, aut non videretur: quod audiretur, aut non audiretur, dicebatur: ſic de cæteris prædicatis. Alia autem tranſumptio fit, quæ plena eſt. Hæc autem in vtriſque tam ſubiectis, quam prædicatis eſt: hoc autem eſt, cum ſubiectum propriè non dicitur, nec prædicatum: ſed vtrumq; attributione quadam: quod in primis huius tertiæ metaphoræ particulis accidit: namque Chriſtus agnus tonſus appellatur, & attributiuè dicitur: eſt enim ſubiectum agnus, quod ſub tranſumptione verum eſt. Chriſtus quidem verè agnus non eſt, ſed attributione quadam: prædicatum autem eſt tonſus, & non tonſus, quod itidem in vera, propriaque ſignificatione non aſſumitur, ſed attributaliter dictum accipitur.

Cur Chriſtus agnus tonſus dicitur. Cap. III.

MEtaphoricus autem locutionis modus, qui dictus eſt, fit; quia Chriſtus attributaliter agnus dicitur: agnus autem, qui eſt verus agnus, realiter abſque vlla tranſumptione, tonſus, aut non tonſus prædicatur: conueniet ergo attributaliter Chriſto tonſum, aut non tonſum: quoniam, cui attributaliter conuenit ſubiectum, attributaliter conuenit & prædicatum: de Chriſto autẽ prædicamus, quòd tonſus ipſe ſit, & quod tonſum eſſe propriè Chriſto conuenire nequeat, oportet, vt tonſum eſſe aliquid in Chriſto ſignificet, quod in agno ſignabat, aut ſimile illi. Qua in re animaduertendũ eſt, quod tonſum eſſe in agno duo ſignat. Primum eſt corporeo detegi velamento. Secundum eſt, quandam in tonſione fieri paſſionem: hæc duo in Chriſto reperimus, ex quibus eum tonſum poſſumus appellare. Primum autem in Chriſto repertum eſt, quia in paſſione ſua veſtimentis ſuis detectus eſt; ſicut enim in cæteris moris erat, qui capite plectendi erant, vt quæſtionarij, aut qui cæteros cruciatus inflixiſſent, veſtes lucrarentur. Sic in Chriſto factum eſt, cum decreto Pontij Pilati mortem Crucis ſubijt, milites enim, qui præfatam Pilati Pontij ſententiam executioni mandabant, veſtes benedicti Ieſu inter ſe diuiſere; &, quia inter cæteras quædam pręcioſior veſtis erat, quam Domina noſtra Virgo proprijs confecerat manibus, dolentes eam ſcindi, tum quia pręcioſa erat, tum quia inutilis redderetur, ſortiti ſunt eam, quod ſcribit Bea. Matth. 27. cap. & habetur Marc. 15. & Luc. 23. & Ioan. 19. de hoc quoque pſalmographus concinit Pſalm. 21. Diuiſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem. Hoc pacto Redemptor noſter in paſſione detonſus eſt, quia cunctis veſtimentis ſuis extitit denudatus. Item & aliter Chriſtus detonſus eſt, qui proprior tonſionis modus eſt, agnus quippe tunc tondetur, cum ei lana præciditur: lana autem non eſt aliquid agno extrinſecum, ſed innatum, cum ex ipſo lana propagetur. Capilli autem, & vniuerſi corporis pili in homine vicem lanæ gerunt. Sic igitur inuſitato loquendi modo, cum capilli alicui præciduntur, detonſus ille prædicatur. Hoc autem in benedicto Ieſu nequaquam factum extitit, quia nullos ei Iudæi capillos forcibus pręcidere; dici poterat tamen vlatenus tonſus: quia ei capillos

Iudæi auellebant,ſicut inquit eum in facie quatiebant, ſic quoque capillos, & barbæ pilos auulſere. De tunſionibus vultus,& capitis ſcribit Bea.Matt.c.27. Iudæi quidem Chriſto illudere cupientes velum oculis eius tegendis impoſuerunt,arundinem quoq; in manu eius dantes,vt quaſi nugatorij regni caſſam gereret ſimilitudinem,eum capite virgis tundebant,& vultum alapis cædebant,dicentes,Prophetiza Chriſte,quis eſt,qui te percuſſit? De euulſione autem capillorum identidem cenſendum eſt.In improperium quidem ei pilos euellere conabantur,de quo Iſaias: Dedi caput meum percutientibus,& genas meas vellentibus.

Quid ſignificat tonſum. Cap. IIII.

IN detonſione verò agni ſecundũ eſt,quòd paſſionem ſuſcipiat,quod Chriſto aptiſſimè congruit,ipſe namque pleroſque in paſſione ſua dolores tolerauit:præcipuè tamen dolor hic ad veſtium detecturam,& pillorum auulſionem inferendus eſt:multum quoq; dominus in veſtium denudatione ruboris perpeſſus eſt: omnes.n.homines de ſua nuditate erubeſcunt, hoc quidẽ, vt pęna peccati prothoplaſti inflictũ eſt.Nec hoc dumtaxat de rubore ex nuditate genitalium partiũ dictum putauerim, ſed de cæterarum quoq; partium corporis nuditate,quamquàm motus pręcipuè in partibus genitalibus,vt peccati pœnam ſecutus fuerit. Itẽ rubor de nuditate corporum generaliter cauſatur ex vniuerſali omnis nationis conſuetudine: omnes quippè nationes quantumcumq; barbaricæ toto corpore tegi ſtudent, cumq; aliquis omnibus velamentis carens in faciẽ omnium nudus fuerit,omnes,qui rationis granum habẽt, eum impudentem,atq; imprudentẽ dicunt,ipſe quoq; niſi prorſus mente captus ſit,de ſua nuditate erubeſcit. Quia verò Chriſtus ratione vtens ſuper cœteros homines erat: rubore fundebatur in eo, in quo rationaliter erubeſcendum erat. Item homines alti, & magni, nobilis, atque generoſi cordis ſuper cœteros homines erubeſcunt:homines autem viles ,& degeneres nihil,aut modicum erubeſcunt: de Chriſto tamen ſic erat:quia ipſe excellentiſſimi,nobiliſſimi, atque nimis generoſi cordis extitit, cùm in eo excellentius omnes humanæ perfectiones, quàm in cœteris hominibus extitere. Patet ergo eum nimis erubuiſſe, quòd coram populi frequentia nudaretur. Item non paruus Chriſti dolor fuit, quem in capillorum, atque barbæ pertulit auulſione: ad horum quippè euulſum continuorum diuiſio ſequitur, in qua dolor præcipuè conſiſtit, potiſſimè in Chriſto, qui tenerrimæ complexionis fuit.

Qualiter agnus iſte Chriſtus detonſus fuerit. Cap. V.

ACcedendum autẽ eſt inquiſitioni,qua agetur qualiter agnus iſte Chriſtus detonſus fuerit, ad quod aduertendum,vt in ſuperioribus metaphoris prælibatum eſt,duas in hoc agno Chriſto fuiſſe naturas.Diuinam.ſ.& humanam:ſecũdũ verò harum quamlibet exponi poteſt.Primò.n de Chriſto homine exponendum eſt:verè.n.homo Chriſtus detonſus eſt, omnia nempe, quæ ſuperius nomine tonſionis deſignari diximus, in homine Chriſto eſſe ambiguitas nulla eſt: diximus quippè Chriſtum tonſum fore,quia veſtibus ſuis denudatus extiterit,nudari autẽ propriè homini Chriſto cõuenire dignoſcitur: nudari quidem priuationem dicit, priuatio autem habitum præſupponit: habitus autem, quem iſta priuatio,quæ eſt nuditas,præſupponit,eſt veſtiri,aut veſtitum fore:ſicut autem Ariſt.docet traditio in poſt prædicamentis,priuatio, & habitus in eodẽ ſuſceptibili fieri debent:cui igitur propriè veſtitum eſſe conuenit,propriè cõuenit denudari, aut potius nudum fore. Indui autem, aut indutum eſſe, homini Chriſto propriè conueniebat, quia corpus habebat, ſecundum quod veſtimentis tegi poterat:ipſe ergo eſt,cui propriè velamenta tollebantur, aut penitus nudus erat. Item

Duæ in Chriſto fuerũt naturæ.

F & hoc ſecundum naturam diuinam in Chriſto intelligi poteſt:quia,licèt Chriſtus ſecundùm naturam diuinam nudari non poſſit,vt magis inferius patefiet, conueniebat ei iſtud prædicatum,quia, qui Chriſtus erat, Deus erat:ſicut in prioribus diſcurimus;quæ Deo conueniunt, homini attribuimus; &, quæ de homine propriè prædicantur, rurſus conuertentes de Deo itidem prædicamus.Cum igitur nudum eſſe,aut pilorum pati auulſionẽ homini Chriſto conuenit, & Chriſtus Deus eſt, neceſſarium eſt, vt nudum eſſe Deo conueniat, & barbarum pati vulſionem, quæ duo detonſum eſſe faciunt.Hæc autem fundantur in regula Ariſt. in 2.Elenchorum,ſcilicet quæcunque vni,& eidem ſunt,eadem inter ſe ſunt eadem.i.quãdo ſunt duo termini, quorum vterque de tertio termino prædicatur, illi duo termini G ſic ſe habebunt,quòd de ſe inuicem pręd͏icabuntur.Sicut ſumptis his tribus terminis,albũ,dulce, & lac, hoc nomen | dulce de lacte prædicetur, cum dicimus, lac eſt dulce, & hoc nomen album itidem de lacte dicetur.ſ. lac eſt album; mutuo igitur duo hi termini de ſe inuicem pręd͏icabuntur,cum dicitur,dulce eſt album, aut conuertentes. Identidem autem in his tribus termi nis fiet,ſcilicet Deus Chriſtus detonſus: iſte terminus Deus de Chriſto prædicatur, cum dicimus, Chriſtus eſt Deus, alius quoque terminus. ſ. tonſus de Chriſto prædicabitur,dicẽtes,Chriſtus eſt tonſus; viciſſim igitur iſti duo termini prædicabuntur, & ſubijcientur. ſ. Deus eſt tonſus, & rurſus conuertentes. In hac Ariſtotelica traditione potiſſimum fundamentum eſt illius modi loquendi, qui apud Theologos communicatio idiomatum nuncupatur.Alia pręter hoc ſunt huH ius locutionis ſolida fundamenta, de quibus nunc ſuperſedeo. Ex prælibatis liquidò viſum eſt, qualiter Chriſtus agnus detonſus ſit.

Pars ſecunda metaphora tertiæ. Agnus non detonſus. Cap. VI.

POſt hæc autem in hoc tertio metaphorico Paradoxo particula ſecunda eſt,non detonſus,ſcilicet quòd Chriſtus ſit Agnus non detonſus: quia autem detonſus,& non detonſus cõtradictoria ſunt,oportet,vt idem ſignent. Et, quia detonſum fore in Chriſto velamentorum nudationem, & pilorum auulſionem notat, oportet, vt non detonſum, non nudatum, nec barbarum auulſionem paſſum ſignet; &, velut in ſuperioribus illa particula detonſus de vtraque in Chriſto natura expoſita eſt: ita hæc quoque exponenda erit. Primò autem de Chriſto homine intelligi poterit, quòd detonſus non ſit:nam ſecundum regulam iuris: Volenti non fit fraus,ſic de iniuriarum perpeſſione dicendum, vt nullus volens iniuriam pati poſſit. De pænarum quoque perpeſſione non diſpar diffinitio procedere iure debet.ſ. vt qui ſpontaneè pænas ſubit, pœnas perpeti meritò non dicatur: &, quia Chriſtus vltroneus nudationem paſſus eſt, capillis itidem depilatus eſt; eum ergo nec nudatum, nec pilatum iure confiteri poterimus. Hoc autem adhuc proprius de Chriſto, vt Deus eſt,exponi licet: Deus quippè nullatenus detonſus eſt.Hoc liquidatur,quia detonſum eſſe, vt prælibatum eſt, veſtium nudationem, capillorumq; auulſionem deſignare dignoſcitur: Deus autem nudatus nunquam fuit,quia veſtiri nequiuit:veſtiri tamen, atq; nudari eidẽ ſuſceptibiliter viciſſim ineſſe debent iuxta Ariſtot.traditionem in Poſt prædicamentis. Deum autem veſtiri impoſſibile fore ſic patefit, illud quidem dumtaxat veſtiri poteſt, quod corpore ſubſiſtit, in quo tegi poſſit,Deus autem incorporeus eſt: veſtiri ergo nequibat, nec conſequenter nudari, aut nudatum eſſe. Item ad hoc, vt quidpiam veſtiri poſſit,oportet, vt omnifariam tegi poſſit, ita vt nulla ex parte detectum illud ſit. Deum autem totaliter operiri impoſſibile eſt: veſtiri igitur Deus non poteſt: maior euidenti patet veritate, ſi fortaſſis quiſque capite,manibus, aut pede adopertus foret cœteris partibus derelictis, eum hominem

Nullꝰ volẽs iniuriam patitur.

I K

minem nequaquam quiſpiam veſtitum contenderet, ſed eum, qui omnium ex parte odopertus extiterit: minor autem in patenti eſt: Deum quippè nulla locorum ambit capacitas, quoniam vbique, atque extra omnem locum eſt: oportebat quidem, vt, qui Deū veſtire vellet, omnia, & extra omnia velamento operiret. Infertur ergo Deum nec nudum, nec veſtitum vnquam eſſe. Itidem Deus detonderi nequibat capillorum aliqua auulſione: nam auulſio inexiſtentiam præſupponit. In Deo autem horum vnquam nihil extitit: barbæ, aut pili corpori humano inſunt; Deus autem ſecundū ſe tale corpus nullum habet, nullatenus ergo detonderi valebat. Ex prælibatis inducitur, quomodo Chriſtus agnus tonſus, aut non tonſus ſit.

Deus nec nudus, nec veſtitus vnquā fuit.

Pars tertia metaphoræ tertiæ. ſ. Agnus vulneratus. Cap. VII.

INnitentes ordini huius metaphoræ tertiam particulam reperimus. ſ. Agnus vulneratus. Sciendum autē Particulas ſequentes huius metaphoræ notiores fore particulis aliarum metaphorarum, quantò vulgarius pertractantur: ideo in earum expoſitionem principaliter non tantùm inſiſtemus. Sciendum quoque, quod, ſicut in cęteris figuratis Paradoxis particularum quaelibet de Chriſto ſecundum vtramque humanam. ſ. & diuinam naturam exponebamus: ita hic exponendū eſt. Primò autem dicemus hunc agnum vulneratum: quia homo iſte Chriſtus multa in benedicto corpore ſuo vulnera tolerauit. Fuit autem primo vulneratus Dominus Ieſus, cum circunciſus eſt, ibi ſiquidē ſanguis ſuus effuſus eſt, & caro preputij circunciſa: hic autem minus dolor cauſatus eſt præ teneritudine carnis, qualis teneritudo, atque ſenſus in partibus genitalibus reperitur. Præterea, cum iſta circuncîſio in ætate tenerrima infantuli facta eſt: alij quoque dolorem hunc accidiſſe autumant ex indiſpoſito organo amputandi: aſtruunt quippè circunciſionem lapideo cultro factam fuiſſe, Sic, n. innuit Magiſter Sententiarum in 4. diſt. 1. Hoc tñ falſum eſt, quia, cum Deus ritus aliquos cœremoniarū veteris legis tribueret, ſi aliquid ſpecialiter in illis obſeruandum erat, eam in litera exprimebat: totam tamē continentiam veteris teſtamenti percurrenti liquebit locum nullum fore, quo Deus circuncidi lapideo cultro mandauerit. Hi tamen innituntur ei, quod per Sephoram vxorem Moyſi factum eſt. Cùm enim Moyſes pergeret in Aegyptum præfectus de terra Madiam diuina iuſſione adducebat ſecum vxorem ſuam Sephorā, & duos liberos Gerſon. ſ. & Eliezer, quorum qui natu minor erat. ſ. Eliezer circunciſus nondum fuerat: cumque eſſent in via in quodam diuerſorio, apparuit angelus Domini interficere volens Moyſen propter incircūciſum filium ſuum, quod cum vidiſſet Sephora ob incircunciſum infantulum factum exiſtimans pauefacta; nè vlterius angelus Dñi progrediens virum ſuū Moyſen interficeret, recepit illico lapidem duriſſimū, quo circuncidit præputium filij ſui Eliezer, quod cū feciſſet, ceſſauit angelus Dñi torquere Moyſen; ex hoc autem fulcimentum erroris ſui accipiunt. Huic tamen nihil horum, quæ iſti volunt conficitur: poteſt enim ad hoc bifariam reſponderi: primo quidē aliquis Iudæus reſpondebit, quod Sephora vxor Moyſi non circuncîderit filium ſuum lapide acutiſſimo, ſed nouacula acutiſſima: aut quod ex litera nihil magis lapide quā ferro præputium eliezer præciſum fore comprobari poteſt: nam, vbi in litera noſtra dicitur, tulit illico Sephora acutiſſimam petram, in Hebræo ponitur quædam dictio æquiuoca, ſcilicet, Zor. quæ tam ad lapidem, quā ad nouaculam æquiuocatur, quod apparet: quia Pſ. 51. qui incipit. Quid gloriaris in malitia, dicitur: Sicut nouacula acuta: vbi in Hebræo ponitur eadem dictio, quę hic, ſcilicet Zor. ergo non magis pro petra, qua pro nouacula accipiendum eſt, & ſic Iudęi, cum auctoritatem iſtam exponunt, indifferenter dicunt nouaculam acutiſſimam. Aliter autem reſponderi poteſt, quòd cēceſ-

Primum Chriſti vulnus.

Cõtra ſententiā Magiſtri Sententiarū.

A ſo Sephoram præcidiſſe prępucium Eliezer petra acutiſſima, vt litera noſtra deſcripſit, ex hoc tamen nequaquam confici poteſt, vt ſequentes lapideo cultro circūcidere debuerint, aut quòd priores, ſcilicet, præcedentes Moyſem petra acutiſſima præpucia reſecuerint. Nā Sephora vxor Moyſi, non ideo cultro lapideo Eliezer præpucium rupit, quaſi aliqua diuina iuſſione, aut antiqua conſuetudine cautum extitiſſet, ſed, quia nihil deliberans ſic facilius ei faciendum occurrit: Erāt quippe Sephora attonita Moyſen virum ſuū ab angelo excruciari videns. Et ne grauioribus cruciatibus eum ad mortem vſque perduceret, quod citius potuit, operata eſt. Fortaſſis quidem tunc Sephora cultrum ferreum nullum habuit, quo præpucium filij præcidiſſet, aut, ſi habuerit, huius nihil recordata, quem promptiorem habuit acutiſſimum lapidem illico arripiens forte
B magis rupit, quàm præcidit præpucium puerile. Inconueniens autem erat, vt ex eo, quod inconſulte geſtum eſt, gerendarum rerum directiua ſanctio poneretur. Non igitur ex eo, quod tunc Sephora nihil deliberans egit, inducitur, poſterorum progenies lapideis cultris infantilia præpucia abſciſſuras.

Aliud argumentum probans circuncîſionem fieri ſolitam ex cultro lapideo. Cap. VIII.

INſtantius quiſpiam adhuc arguet, circuncîſionē cultro lapideo celebrandam, quod ex eo confici poteſt, quod Ioſue dux ſtrenuiſſimus populi Dei, atque ſegregatus inter prophetas egiſſe dignoſcitur. Cum enim
C Ioſue deuictis regibus Ammorræorū, & mortuo Moyſe, Iordane tranſito, terram ingrederetur hoſtilem, quā Deus repromiſerat ſemini Abrahæ, cum primū caſtra fixiſſent in Galgalis, quæ fuit prima caſtrametatio terrę Chanaan, Ioſue aſſumptis duodecim lapideis cultris circuncidit duodecim tribus Iſrael, omnes quippe in deſerto incircuncîſi erant, atq; per longos vię circuitus nullus eos circunciderat, vt patet Ioſue quinto cap. debuit ergo circūcîſio cultris lapideis confici: nā huic reſponderi non poteſt, ꝙ inconſulte factū ſit, ſicut Sephora attonita fecerit, Ioſue quippe vir prudentiſſimus deliberatiſſimè iſta egit. Huic autem reſpondendum eſt, ex hoc nullatenus ſequi, vt circuncîſio in petris acutiſſimis fieri debuerit: nihil quippe magis lapide, quàm
D ferro præpucia reſecare differebat, quod apparet Gen. decimoſeptimo capitu. vbi, cum Deus circuncîſionis præceptum tradidiſſet, poſitis omnibus explicatius, quæ ad circuncîſionis ritum attingebant, de organo circuncîſionis, ſcilicet de cultro, an ferreus, lapideuſuè foret, nihil memoratum eſt, ſed dictum fuit, vt præcideret vnuſquiſq; carnem præpucij ſui. Cum igitur Ioſue viderit referre nihil, an lapide, & an ferro circuncîſio conficeretur, cultris lapideis celebrandā duxit. Cur autem ipſe nō ferro, ſed lapide circunciderit omnē Iſrael, cauſa in promptu eſt, ſcilicet ob memoriale in generationes poſterorum: Omnia quidem, quæ tunc Iudei memorialia eſſe conſtituerunt, lapidibus efferebant. Quod dilucidatur in duodecim lapidibus grandibus, quos de alueo Iordanis trahens Iſraelitica turba in ripa Ior-
E danis erexit duodecim tribuū memoriale in ſecula poſterorum, vt patet Ioſue quarto capi. Item hoc in lapidibus grandibus informibus, atque impolitis apparet, quos Deus in altum extrui, & calce liniri iuſſit, vt eis totum Moyſi Deuteronomium inſcriberetur memoriale ſeculorum. Item de impolitis, & informibus lapidibus altare iuſſit conſtrui in introitu terre promiſſionis, in montibus Garizim, & Ebal, in quo ſacrificia victimatum, & pacificorum tunc Domino immolarent, vt habetur Deuteronomij vigeſimo ſeptimo, quod poſtea vt Deus iuſſerat Ioſue, executus eſt in montibus Garizim, & Ebal, vt patet Ioſue octauo cap. hi autē lapides ad nullum poſtea vſum profuere, ſed in memoriale poſterorū remanſere: fuit ergo circuncîſio in cultris lapideis à Ioſue celebrata non ob legis neceſſitatem, ſed ob memoriam ſeculorum. Cur autem Ioſue lapideis cul-

Cur Ioſue nõ ferro, ſed lapide circunciderit omnē Iſrael.

tris hoc egerit, quod nunc, & alias ſerreis cultris agebatur, F diſuſius ſuper librum Ioſue in cap. quinto dicemus. Item adhuc prædicta confirmantur, quia cęremoniæ veteris teſtamenti, quæ nunc a Iudæis obſeruantur, ſecundum eum modum obſeruantur, quo in lege obſeruari iuſſa ſunt: ſed nunc Iudæis cultris lapideis pręputia non reſecant, ſed ſerreis gladiis præcidunt: ſequitur igitur priores identidem gladijs ferreis amputaſſe. Iudæos autem obſeruare nunc veteris teſtamenti cerimonias, ſicut Iudęis obſeruari iuſſę ſunt ex libris legalibus, in quibus de cerimonijs agitur, clarè patet. Iudæi tamen non obſeruant omnes cerimonias, quæ in veteri teſtamento obſeruari iubebantur, quia quaſdam totaliter, quaſdam vero ex parte relinquunt: quæ aũt ratio ſit, cur cerimoniæ quædã totaliter, quædã autem ex parte abolitę ſint, ſuper Exodũ in 13. ca. diffuse egimus G de quolibet cerimoniali pręcepto ſpecialius agentes.

Chriſtus ferreo cultro fuit circumciſus. Cap. IX.

REdeuntes ergo, vnde diſceſſimus, dicendum eſt, Chriſtum cultro lapideo non fuiſſe circuncisum, ſed potius ferreo cultro, ſicut cęteri circuncidebantur, ibi tamen dolor nimius cauſatus eſt ex cauſis ſupra aſſignatis. Identidem ſanguis benedicti Ieſu ibi primo effuſus eſt. qua in rè quidam arbitrati ſunt Dominum Ieſum tunc inchoaſſe effundere ſanguinem in pretium redemptionis noſtræ. Quibus dicendum eſt, eſſe falſe opinatos: ſanguis namque benedicti Ieſu ideo in circũciſione effuſus eſt, quia neceſſarium erat ſic effundi, ſi circuncidi deberet. Quilibet namque circuncisus ſan- H guinem effundebat, Chriſtus autem non, vt nos ab hoſte redimeret, circunciſus eſt, ſed vt Moſaycę legis mẽſuram impleret. Sic enim de ſe Matthæi quinto cap. profeſſus eſt, ſcilicet. Non veni ſoluere legem, ſed implere. Impleuit autem Chriſtus in corpore ſuo cunctas veteris legis cerimonias, quibus vſque ad vnguem expletis noui teſtamenti ſacrificia auſpicata ſunt, ſ. q; Euchariſtiæ ſtupendum ſacramẽtum inchoatum eſt, poſt quod noſtræ redemptionis actus, qui in Dominica paſſione complebantur, ſubſecuti ſunt. Nequaquam igitur veritate ſubſiſtere poteſt ſanguinem in Dominica effuſum circunciſione ſaluando humano generi profuiſſe, ſi veteris legis cerimonialibus iuſſis implẽdis effuſus eſt. Quod, ſi fortaſſis ampliſſime aſſumentes ſanguinẽ I Dominici corporis in circunciſione effuſum profuiſſe celebrandæ noſtræ redemptioni, quia ipſe ſibi circunciſus non eſt, cum ſibi prodeſſe nihil circunciſio poterat, cum ei nullum erat deletura peccatum: erat tamen circunciſio inſtituta, vt originalem maculam deleret: & hoc in ſingulis, qui circuncidebantur, efficiebat. Si ergo circuncidebatur, nobis circuncidebatur, ſcilicet noſtræ redẽptioni in tali ſanguinis effuſione profuturus. Huic reſponderi debet, hoc pacto vniuerſos ſaluatoris actus noſtræ profeciſſe ſaluti: nec enim horũ quippiã, quæ geſſit Chriſtus, operatus foret, niſi noſtra celebrãda redemptio hoc exegiſſet. In quo, & ſolida veritate confiteamur omnes Dominicos actus etiam cibum, potumque ſumpſiſſe, & ſimilia operari, noſtræ futuræ redemptioni profeciſſe, ſed indirecte profuerunt, ſola au- K tem pęnalitatum perpeſſio, quæ in morte conſumata eſt, noſtram ſalutem directe confecit: hac enim ſola redempti ſumus etiam nullo alio intercedente.

Circunciſio inſtituta erat ad delendam maculam originalẽ.

De plagis agni, ideſt Chriſti Redemptoris noſtri. Cap. X.

HIc quoque Dominicus agnus Chriſtus Ieſus realiter plagas pertulit: nam præter ei illatos dolores, cum collo funis colligatus eſt, in quo excluſis ambagibus in eo ob carnis teneritudinem, & propter Iudæorum impietatem non habentium viſcera caritatis, durã impulſionum vulnera ſubſecuta fuiſſe dicendum eſt, præter alapas ei illatas, & capitis velati tunſiones, in quibus, ſi quod ei vulnus cauſaretur, ſub ambiguo pen- F det, multa veriſſima vulnera cauſata ſunt in eius acerbiſſima flagellatione, in qua vniuerſa corporis moles varijs contorſa flagellis ſanguinis riuulos ex ſudauit, vniuerſalem corporis apertionem perpeſſa: ſic enim ait Iſaias cap. 53. A planta pedis vſque ad verticem in eo non erat ſanitas. In Chriſto quoque veriſſima vulnera inflicta ſunt in ſpinarum punctione: duriſſimæ enim ſpinæ, aut ad oſſeam, aut ferream duriciem propinquãtes infixæ, vſque ad craneum perforarunt: in quo de benedicto illo capite vberrime ſanguis effluxit. Hoc autem in irriſionem impij fecere Iudæi: nam cum ſe regẽ compellaſſe ipſi clamabant, quam ob rem, ſicut regię venerationis maximum inſignium eſt corona, ita ei ob magnitudinem opprobrij corona quoque poſita eſt: regibus enim ex auro, atque lapidibus pręcioſis coronę G apponuntur in honorem, benedicto autem Ieſu noſtro in abiectionem de ſpinis duriſſimis corona complexa aculeis ad craneum vſque penetrantibus complexa eſt. Hoc omnium Euangeliſtarum teſtimonijs comprobatur, vt patet Matthęi vigeſimoſeptimo, & Marci decimo quinto, & Lucę vigeſimo ſeptimo, & Ioãnnis decimonono. Alia quoque corpori illi benedicto vulnera inflicta ſunt: nam vtraque manus ferro duriſſimo, atq; ſatis groſſo transfixa ligno crucis affixa eſt. Sic enim vtrinque affixum pendebat beatificum illud Saluatoris corpus his detentum clauis, ne de alta cruce corrueret. Itidemque vulnera ei in pedibus irrogata ſunt: ambo enim pedes Saluatoris, ſiue vnico clauo, vt quidam aſtruunt, ſiue vterque proprio clauo affixi ſunt: in hoc H quippe non multum attinet, ſed potius maior videbatur confectus dolor, ſi ambo pedes vnico transfixi clauo forent, quam ſi vterque ſuo clauo figeretur. Quod ſic liquidatur: dolor enim ex diuiſione continui ſequitur: cum igitur maior in continuo diuiſio facta fuerit, maior neceſſario conſequitur dolor iuxta regulam vulgatam Ariſtot. in ſecundo Topicorum: Sicut ſimpliciter ad ſimpliciter, & magis ad magis, ita maximè ad maximè: ſed vtroque Saluatoris pede ſimul vnico affixo clauo maior continui diuiſio ſequebatur, quam ſi alter altero, & alius alio figeretur: maior ergo dolor fuiſſet ſi ambo ſaluatoris pedes vno clauo forarentur, quã ſi vterque ſingulariter ſuo clauo eſſet affixos. Antecedẽs liquet: nam transfixis ambobus pedibus Saluatoris vnico clauo pes, qui inferius eſſet locatus, acutiori, atque I graciliori claui parte foraretur: pes autem reliquo ſuperpoſitus maiori, groſſiorique claui parte transfoſſus eſſet, in quo neceſſarium erat amplius aperiri: ad ampliorem autem aperturam maiorem ſequi dolorem pſpicuum eſt; horum tamen quocunque dato, in Domino Ieſu vtriuſque pedis vulnera facta ſunt. Itẽ in Chriſto plura vulnera conſecuta ſunt, cum latus eius miles, quidam lancea aperuit, & continuo fluxit ſanguis, & aqua; hoc tamen vltimo inflictum vulnus non ita proprie vulnus, ſicut cętera, dicitur, quia mortuo Domino Ieſu illatum eſt, vt omnes Euangeliſtę teſtantur. Ad quid autem vulnus iſtud factum eſt, reſponderi debet: ideo Deum permiſiſſe corpus Domini Ieſu vita defunctum in latere vulnerari, vt inde ſanguis, & aqua profflueret. Ad quid autem ſanguis, & aqua de latere Chri- K ſti in cruce dormientis profluxerit, in expoſitione ſecũdi metaphorici Paradoxi diſſeruimus ſuper particulã. Qui videbatur. Hęc quoque particula de Chriſto ſecundum naturam diuinam exponi poteſt. Nam, licèt Deus ſecundum ſe vulnerari nequit, vt inferius diſſeretur: iſte tamen agnus Ieſus Deus erat, quapropter neceſſarium erat, vt Deum vulneratum quoque confiteamur. Hic autem locutionis modus in ſacra ſcriptura communicatio idiomatum appellatur, quo prędicata Deo conuenientia homini attribuuntur, & prędicata homini conuenientia de Deo prędicantur. Sic enim exemplificat Alexander in doctrinali in cap. de conſtructione manus Domini, quę nos fecere, ſunt crucifixę. Ex prędictis inſertur quomodo particula iſta, ſcilicet, qui vulnerabatur, intelligenda ſit.

Ad quid impij Iudæi capiti Chriſti ſacratiſſimo coronam apoſuerint.

Dolor vnde oritur.

Maior dolor Chriſto erat ſi vterque pes vno clauo affigeretur quam ſi duobus aliter, & alter affigeretur.

Cur vulnus illatum ſit Chriſto iam mortuo.

Cõicatio idiomatum.

Pars quarta metaphoræ tertiæ. ſ. Agnus non vulneratus. Cap. XI.

HVius tertij metaphorici Paradoxi particula quarta conſequitur, ſcilicet, qui non erat vulneratus. Hæc autem particula, ſicut in præcedentibus facere ſoliti ſumus, de Chriſto ſecundum diuinam, & humanā naturam exponi poſſet, proprior tamen ſenſus de natura diuina exponi duntaxat. Homo quippe Chriſtus veriſſima vulnera pertulit: igitur non vulneratus dici nequibat, niſi in aliquo ſpeciali, atque ampliſſimo modo ſumeretur. Modus autem dicendi Chriſtum hominem non vulneratum hic eſt, ſ. quòd, ſicut in præcedentibus agebatur, volenti non fit fraus, nec iniutia: de pœnis quoque idem cenſendum. De vulneribus autem quoſdam ſic arbitraturos reor. ſ. ꝙ, qui inuitus percuſſiones pertulerit, vulneratus ſit; qui verò ſpontaneus hoc ſubierit; non vulneratus eſſe dicatur; de homine Chriſto ſic fuit: nam non ſolum, vt Deum eum vltroneum ſubijſſe mortem comprobamus, ſed vt verum hominem, & mortalem voluntariè mortem amplexum confitemur. Dicemus igitur Chriſtum, vt hominē vulneribus non affectum: propriorem tamen ſententiā inſequentes hanc particulam de Chriſto, vt Deus eſt, exponendam reor. Deus quippe nullatenus vulnera ſuſcipere poteſt; nam, cum vulnera alicui infliguntur, dolor inde cauſatur, in Deo autem dolor nullus eſſe poteſt, nec igitur vulnera eſſe poſſunt: Dolorem autem in Deo non ſuſcipi, ſic manifeſtatur, quia dolor imperfectio quædam magna eſt: in Deo autem imperfectio nulla eſt, ſed omnibus modis perfectus eſt. Item in doloribus conſtitutus perfecta fœlicitate nō fruitur, ſed Deus totaliter fœlix, atque ipſa fœlicitas eſt; igitur in eo dolor nullus valebit. Cōſtat autem hoc, quia fœlicitas eſt omnium bonorum plenitudo cum malorum quorumcunque abſentia. Sic videtur velle Boe. 3. de conſolatione proſa 2. Item vulnus infligitur, cum partes aliquæ ſentientis corporis aut aperiuntur, aut amputantur: in Deo autem apertio, aut amputatio fieri nulla poteſt: igitur in Deo vulnera fieri impoſſibile eſt. Item vulnera quælibet infliguntur, cum aliquod agens extrinſecum agit in corpus ſenſitiuum aliquibus inſtrumentis: hæc autē inſtrumenta quantitatiuam extenſionem habentia ſemper ſunt, & acutie, aut hebetudine figurata: nam indiuiſibile in corpus actionem nullam habet; ſed Deus indiuiſibilis eſt: nulla igitur quantitatiua res in eum aliquatenus agere poterit, atque per hoc nec ei vllatenus vulnera infligentur. Item vulnus, & dolor ſemper diuiſo continuo efficiuntur: in Deo autem cōtinuitas nulla eſt; quia continuitas in ſolo corpore eſt: Deus autem incorporeus eſt: igitur nec continuitatem, nec vulnera habebit. Ex prædictis elicitur quō particula iſta intelligi valeat, ſcilicet, quòd agnus iſte non vulneratus erat.

Cur in Deo dolor ſuſcipi non poſsit,

Pars quinta metaphoræ tertiæ, ſcilicet. Agnus vociferans. Cap. XII.

QVinta autem huius tertiæ metaphoræ particula ſequitur, ſcilicet, vociferās, id eſt, quòd agnus iſte vociferās erat. Et, quia (vt ſæpè appello) Chriſtus Deus, & homo eſt, ſecundum vtranque in eo repertam naturam de eo exponi poterat; aptius tamen de eo, vt homo eſt, exponetur: homo quidem Chriſtus verè vociferabat. Qua in re aduertendum eſt, quòd ad hoc, vt quidquam voces formare poſſit, neceſſarium eſt, vt animal ſit. Sic ait Ariſto. in ſecundo de Anima in cap. de voce. ſola animalia vocant, licèt quædam inſtrumenta vocare, id eſt formare voces videantur, ſicut cithara, quaſi dicat iſta non vocant, ſed ſonitum cauſantur: Chriſtus autem proprijſſime voces formare poterat, quia erat animal, cum homo foret. Itèm, vt aliquid propriè voces formare poſſit, oportet organa vocalia habeat, quæ multa ſunt, de quibus Ariſtot. in ſecundo de Anima cap. de voce.

Q́do Chriſtus vociferauit.

A

Rationes probantes Chriſtum ploraſſe ſecundum ſignum. Cap. XIII.

QVòd autem Chriſtus clamauerit, multipliciter patet. Primò quidem clamauit, cum natus eſt, vocem ploratus alijs hominibus ſimilem emittens primā ex cauſis ſupra aſſignatis in ſecundo metaphorico Paradoxo. Item Chriſtus plorauit in circunciſione; nam ibi ſtupendus dolor inſecutus eſt, quem infantulus tenerrimus tam paruæ ætatis ſine ploratu tranſire nequiret. De hoc autem doctor Seraphicus, qui dicitur Bonauētura, in libro, quem fecit de vita Chriſti, dicens infantulum Chriſtum plorantem, & Dominam virginē eum à planctu reuocantem. Aliquis tamen fortaſſis dicit ſub ambiguo pendere, an Chriſtus in circunciſione clamauerit: B quia nullus hoc authenticus ſcripturæ locus prodit. Et, licèt in cæteris hominibus nullus tam tenerrimæ ætatis infans tam horriferum dolorē ſine magno vlulatu tranſire poſſet: in Chriſto tamen hoc conueniēter effici potuiſſet: ipſe quippe Dominus Ieſus tanta ſapientia, atque prudentia præditus erat tēpore, quo natus eſt, quanta eo die, quo vita defunctus eſt, quantum in medijs temporis curriculis extitiſſet, & quantū nūc in cælis ſapiens eſt, verbum quidem in ſecunda Trinitatis perſona ab inſtanti conceptionis corpus, & animā benedicti Ieſu ſibi perſonaliter vniens, eam animam lumine illo æterno illuſtrauit, eam in omnibus faciēs intelligentem æqualiter, vt nunc eſt. Nec enim de Chriſto quiſquam confiteri debebit, quòd in addiſcendo, aut intelligendo profecerit, ſicut cæteri homines, vt qui C rudiſſimi ſunt, quotidianis incrementis proficiunt, licet beatus Lucas dicat cap. ſecundo, Ieſus autem proficiebat ſcientia, & ætate apud Deum, & homines, quòd qua ratione exponendum ſit, diffuſius, Deo dante, dicetur, cum ad eundem locum attigerimus. Si enim Chriſtum quotidianis incrementis in ſciendo adauctū fore fateremur, pleraque inconuenientia ſequerentur, de quibus in præſenti ſpeculari non attinet. Ad propoſitum, vnde digreſſi ſumus, redeuntes, quia puer iſte Ieſus tanta ſcientia, atque prudentia præditus erat die, qua circunciſus eſt, ſicut cum triceſimum annum agebat, & cum triginta annos natus foret, licèt aliqui ei cruciatus infligerentur horrendi, præ magnitudine prudētiæ, & fortitudine cordis viriles lachrymas compeſcere potuiſſet. Ita, cum foret octo dierum, quando circun D ciſus eſt, vt beatus Lucas refert, lachrymas compeſcere potuiſſet, nec quidquam mæroris turbido vultu prætēdere. Huic autem reſpondendum, prędicta poſſibilia ſatis fore, ſcilicet quòd infantulus Ieſus in prędicto circunciſionis horrendo dolore à lachrymis abſtinuerit tā ex aſſignatis cauſis, quàm ex alijs. Dato etiam Chriſtū tantæ ſapientiæ non fuiſſe die, quo circunciſus eſt, quātæ fuit, & dolores, quos facta inferebat circunciſio, ita horrendi forent, vt nec quiſpiam illos virorū ſine grādi eiulatu pertranſire potuiſſet: quia, cum iſte infantulus Ieſus Deus erat, ſcilicet verbo diuino vnitus, effeciſſet Deus, vt ex huius infantuli oculis lachrymæ nullæ prorumperent, voces nullæ clamosè ſonarent, nec quidquam mæſtum, aut lugubre panderetur in vultu. Hæc tamen facta non ſunt, quia fieri non expediebat; E aliquem enim infantilis, atque tenerrimæ ætatis tā immenſum dolorem vllo ſine clamore tranſire, conditionem naturæ excedebat humanæ vt circuncidentes Saluatorem noſtrum, cùm inſpicerent infantulum ætatis tam tenere in valido illo dolore nullatenus lachrymari, ſtupidi cogitarent eum verum hominem non eſſe, nec corpus verum humanum aſſumpſiſſe: ſed phantaſmam corporis ex aere ſumpſerit. Sicut poſtea quidam hęretici aſtruxerunt, Dominum Ieſum verum corpus non habuiſſe: aut opinarentur hoc monſtrum aliquod magnum fore, quòd eis malum aliquod illaturum erat aut ſaltem, affuturum malum protinus deſignaret: de hoc in prima particula metaphoræ primæ diſeruimus. Hoc pacto Iudæi occaſionē in Chriſtum probra conijciendi haberent, quòd Deus non permitteret tali occa-

ſione conceſſa: Deus enim omnes has abſtulit occaſiones detrahendi Chriſto, quæ ratione auferri debuere, quód manifeſto apparet in his, quæ ſupra diſeruimus in ſecũda metaphora, ſcilicet, quod Chriſtus in ſe mortis timorem oſtenderit, quo eum verum hominem eſſe patefieret. Quód, ſi fortaſſis paruulus Ieſus in circunciſione non fleuiſſet, omnia aſſignata inconuenientia ſequerentur: patet ergo puerum Ieſum, cum circuncideretur, lachrymatum, quo infertur, eum voces emiſiſſe. F

De Chriſti clamore. Cap. XIV.

IDentidem autem agnus iſte, qui Chriſtus erat, clamauit, cum in templo cum Iudæorum doctoribus, atq; ſapientibus diſputauit: hoc autem factum eſt, cũ Chriſtus duodecim annos natus foret, Quæſtio autem, quã G tunc cum ſapientibus illis ventilandam duxit (vt quidam ſatis excellentes aſſerunt) fuit, an in lege promiſſus Meſſias aduenisset, an de reliquo expectaretur futurus. Item clamauit, cum virgini benedictæ reſpondit quærenti ſub his verbis: fili, quid feciſti nobis? nam ego, & pater tuus dolentes quærebamus te. At ille ait: Cur me quærebatis? neſciebatis enim, quód in his, quæ patris mei ſunt, oportet me eſſe? vt patet Lucæ ſecundo capit. Item agnus iſte clamabat in prædicatione, exhortatione, vitiorum reprehenſione, & generaliter in omni honeſta confabulatione; hæc namque erant, ad quæ ipſe peragenda miſſus erat. Sic patet Lucæ ſecundo capitu. neſcitis enim, quód in his, quæ patris mei ſunt, oportet me eſſe? Vocauit enim patris ſui negocia prædicationẽ & diſputationem, quod apparet, quia tunc de diſputa- H tione cum Iudæis acta ſermonem agebat. Audita quoque vox huius agni fuit coram iudicibus ſuæ paſſionis, licét coram his parum. Audita quoque eſt in mortis eius perpeſſione: in cruce enim Dominus Ieſus quędam loquutus eſt, de quibus Matthæus vigeſimo ſeptimo cap. & Mar. decimo quinto, & Lucæ vigeſimo tertio, & Ioan. decimo nono, & decimo octauo. Audita itidem fuit vox eius poſt beatam Reſurrectionem: eis nanque, quibus reſurgens apparebat, aliquid loquebatur: docuit quippe omnes diſcipulos ſuos poſt Reſurrectionem, quid in vniuerſo orbe poſt eius ad cœlos Aſcenſionem facturi eſſent, vt patet in Matth. vigeſimo octauo, & Marci decimoſexto, & Lucæ vigeſimo quarto, & Ioan. vigeſimo, & vigeſimo primo. Ex his ergo I infertur, quod agnus iſte voces emiſerit.

Pars ſexta metapho. tertia, ſcilicet. Agnus non clamabat. Cap. XV.

INſequentibus nobis huius tertij Paradoxi ordinem conſequentem particula quinta occurrit, ſcilicet. Et non clamabat. In quo eſt animaduertendum hanc particulam ſecus, quam præcedentem quintam particulã exponi poſſe; illa nempe ſenſum proprium inſequentibus de agno iſto Ieſu, vt ſolum homo erat, exponenda cenſebatur: hic autem de Chriſto, tam vt homo, quàm vt Deus eſt, exponi poteſt. Primó autem eam de Chriſto homine exponendam eſſe, dicendum eſt, quod clamare in proprijſſima ſignificatione acceptum hoc eſt, K vt ingentes voces emittere ſignet: hæc autem contẽtionibus coaptantur: illi quippe, qui contendunt, magis clamoribus concitantur. Cum enim ira incanduerit, rationis limites excedendum eſt, qua voce licet noſtrarũ accentus moderandi erant. In Chriſto autem contẽtiones has fuiſſe nullatenus cuilibet in patulo eſt: nulli enim aut verbo, aut opere offenſionem vllam inferebat, qua eum in contentionem inflammaret; &, ſi quiſpiam iniquitatis filius, aut verius ipſa iniquitas eum penitus iniuſte agens ſermone, aut opere grauiter moleſtaſſet, prorſus, ac ſi elinguis foret obmuteſcebat: percutientibus, ſiue improperantibus nullum redituris ſermonẽ. Sic ait Petrus in Canonica prima capit. tertio, de Chriſto inquiens. Qui cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur non comminabatur. Has quoque verborum, aut operis contentiones Iſaias à Chriſto diffitetur, ſcilicet: Ecce puer meus, non clamabit, nec contendet, nec audietur vox eius in plateis, calamum quaſſatum non conteret, & titionem fumigantem non extinguet. Item agnus iſte in acerbiſſimæ paſſionis ſuæ doloribus non clamabat: ſed iſti cruciatus horrendi forent, vt in illis hac iniuria quiſpiam vitorum quereretur; hoc autem Iſaias capit. 53. exprimit dicens: Tanquam ouis ad occiſionem ductus eſt, & tanquàm agnus coram tondẽte ſe obmutuit, & non aperuit os ſuum. Ex prælibatis inducitur, quod agnus iſte Ieſus in grauibus corporis cruciatibus, alijſque ſimilibus non clamauerit.

Agnus, vt Deus non clamabat, & rationes huius rei. Cap. XVI.

AGnus iſte Chriſtus Ieſus, de quo conſequẽs ſermo trahitur, vt Deus eſt, non clamabat, Deus quippe clamare nequit; nam ad hoc, vt aliquid voces formare poſſit, exigitur, vt illud animal ſit, ſola quippe animalia vocant, vt ait Ariſt. in ſecundo de anima cap. de voce, licét quædam organa vocare videantur, vt cithara: Deus autem animal nequaquam eſt; igitur nec clamare poteſt. Minor autem ſic conſtat, quia animal ex corpore, & anima ſubſiſtit: Deus autem compoſitionem nullam habet, cum ſubſtantiæ ſimplicis ſit; igitur nec clamat. Item, ſi aliquid clamare debet, oportet, vt vocalia organa habeat, de quibus Ariſto. in ſecundo de anima in cap. de voce. Deus tamen organa hæc habere non poteſt; igitur nec clamare poterit. Inſtrumenta autem vocalia Deum nõ habere comprobatur, quoniam hæc vocãdi organa corporea ſunt: Deus autem nec corpus eſt, nec corpus habet; igitur vocalia organa non habet. Itẽ, ſi quid voce formaturum eſt, neceſſarium eſt, vt aerem recipiat, atque illidat; ſed Deus nec ſuſcipere, nec illidere poteſt; igitur voces nullas formabit. Maior autem liquet; nam, vt ſonus cauſetur, tria corpora operantur, ſcilicet duo corpora aliqualiter ſolida, & aer: hæc enim ſe illidunt, & aer, qui inter ea medius ſuſcipitur, vtriuſque concuſſione cõſtringitur; & ſic ſonitus cauſatus eſt, aut ſaltem duo corpora exiguntur, quorum alterum ſolidum eſt, reliquum veró aer, ex quorum concuſſione ſonus efficitur. Ad vocis autem formationem organa exiguntur, in quibus vox formetur, ſcilicet, vt aer recipiatur, & receptus ſubtilizetur, poſtea autẽ emittatur: Deum autem nullius aerei ſuſceptiuũ eſſe patet, quia indiuiſibilis eſt, aer autem extenſam, atque ex hoc diuiſibilem quantitatem obtinet: Deus igitur nec aerem recipere poterit, nec vocare. Aliquis forſitan dicet, Deum ſecundum ſeipſum vocare, ideſt voces formare nõ poſſe, quia indiuiſibilis ſubſtantiæ eſt; eum tamen corpus aereum ſumere, in quo varios conficiat ſonos, inconueniens nullum eſſe, ſicut plerunque in veteri, & nouo teſtamento reperitur. Huic reſpondendum eſt, Deum vocare nullatenus poſſe. ſ. quia, ſicut per ſe ipſum vocare nequit: ita nec in aſſumpto corpore hoc efficiet, Deus quippe corpus nullum aſſumere valet, in quo loquatur, aut quidquam motus agat, ſicut in ſecunda metaphora ſuper particula. Qui non audiebatur, prælibauimus. Cum veró in vtroque teſtamento loca aliqua reperimus, quæ Deum loqui, aut corpus aſſumpſiſſe probent, dicendum eſt, Deum horum nihil effeciſſe: ſed ſingula angelis miniſtrantibus patrata fuiſſe, quod diffuſius declarauimus in ſecundo Paradoxo ſuper particulam. Qui non audiebatur. Patet igitur ex prædictis, qualiter agnus iſte non auditus fuit.

Tria eſſe neceſſaria ad ſonum conſandum.

Pars ſeptima metaphora tertia. ſcilicet, Agnus, qui patiebatur. Cap. XVII.

IN prænominata 3. metapho. particula ſeptima, qui patiebatur Eſt aduertendum, quód agnus iſte, qui Deus erat, erat verus homo, & dolores, ceteraſque paſſiones, vt alij homines, ſuſcipiebat. Sicut autem in prima metaphora diſeruimus, omnes pęnalitates,

quæ

quæ in nobis inſurrexere, ex prothoplauſtorum culpa primaria prouenerunt, & qui ab eis deſcendunt, neceſſario has pœnalitates incurrunt. De Chriſto autem ſic non erat: Chriſtus quippe Deus erat, & potuiſſet Deus hominem illum aſſumptum, cuius corpus, & animam diuino verbo vnierat, immunem ab omni pœnalitate conſtituere: ſed ſic efficere voluit potius humanæ naturæ conditionem accipiens, vt pęnalitatibus, ſicut cæteri hominum, ſubiectus eſſet. Ratio autem, qua Chriſtus pœnalitates aſſumpſerit, fuit verus homo, omnes quippe humana conditione degentes hoc ſuſcipiunt: ſi igitur nullam horum aſſumpſiſſet, nec verus homo putaretur. Item non erat vllo modo cōueniens Chriſtum fuiſſe impaſſibilem, intentio nempe incarnati filij Dei fuit, vt in carne noſtra vitia noſtra deleret, pęnas noſtri ſceleris eluēdo: ſi fortaſsis autem impaſſibilitatem aſſumpſiſſet, nos, vt decreuerat, redimere ſuis pęnalitatibus nequiuiſſet: oportebat ergo, ꝙ incarnatum verbum in carne ſua humanas pœnalitates aſſumeret.

Ratio, qua Chriſtus pęnas aſſumpſerit.

Paſſiones bifariam ſecantur. Cap. XVIII.

NVnc quoq; vlterius conſiderandum eſt paſſiones diuidi ſ. in paſſiones, quæ ſola imaginatione originem habent, & in paſſiones, quæ realiter ab aliquo agente extrinſeco infliguntur. Eſt autem paſſio in conceptu, cum quiſpiam ſola terribilium apprehenſione, aut ſolius mali imaginatione torquetur, etiam ſi horū nihil actu perferre videatur. Ex hac tñ imaginaria paſſione verus innaſcitur dolor, qui, licet ille non ſit, qui creditur, aut ſperatur, alium tñ quempiā pululare firmiſſimis ſententijs, atq; experimentis non ambiguis comprobatur. Huius quidem ſignum eſt, cum quiſquā magnarum curarū mole deprimitur, hæc tota corporis magnitudo affligitur, & corpore exſiccato amariſſima morte interdum homo conſumitur. Sic ait Salomon in Prouerbis. Animus gaudens floridam facit ætatem: ſpiritus triſtis deſiccat oſſa: hoc aūt in cunctis futuri mali expectationibus, ſi magna mole mentem opprimant, euenire liquet. Sed adhuc firmior eſt hæc ſentētia, cum quid quaſi nobis moleſtum expectemus, quod cognoſcimus notiſſime euenturum, hę namque curæ, vt pręſentes affligunt dolores, & ſæpiſſime veram mortem inducūt. In ſomniorum autem viſione imaginaria hoc euidenter patet: cum enim quis triſtium viſorum per ſomnum imagine detinetur, interdū ita verè affligitur, ac præſentia eum vrgerent mala, quo fit, vt, qui talia videt, afflictiuo operiatur ſudore. Fit quoq; identidem, vt: qui talia viderit, ad veram meſtitiam prouocatus, cum commotarum paſſionum turma eum non ſentiētem introrſus affligit, veris lachrymis exūdare cogatur. Interdum autem præ mētis afflictione tm̄ excreuit malum, vt qui ſomno validiſsimo detinetur, cum eum imaginaria repentina mala cient repentino pauore concuſſus quaſi de morte expergiſcere compellatur. Aliæ autem paſsiones ſunt, quas realiter toleramus, cum quiſpiam ab aliquo agente extrinſeco illatum malum profert. Omnes has paſsionū formas in ſe Chriſtus tolerauit. Primo quippe mentalibus, aut potius imaginarijs paſſionibus permebatur, quia licet in eum ab extrinſeco mali inferetur nihil, ſola tñ interior imaginationis commotio eum ad veros compellebat dolores, vt fortaſsis ſic magis, quam quibuſdam realibus paſſionibus afficeretur. Chriſtus quippe, cum verus Deus eſſet, omnia quę futura erant, cognouerat, antequām fierent, quo fit, vt cuncta, quæ in corpore ſuo toleraturus erat, præuidiſſet. Cum hic ſuper hæc cogitans vertebatur, eum affligi nimis neceſſe erat: hęc autem afflictio in eo, quam in cęteris hominibus, durior erat: alij quippe, quamquam interdum ingruentium nondum malorum imaginatione torqueantur; ea tamen aliquomodo ſibi certiſsime euentura non vident; nō igitur tam acrius contorquentur. Chriſto autem, non ſolum mala futura præſtolari, notum erat: ſed illa vt certiſsima illum expectare. Ipſe quippe per ſingula mala ei euentura etiam ad

Pasſio quid.

Quæ erat cauſa præcipua doloris in Chriſto.

A minutias vſque præuiderat: maiorem igitur illi torſionem in eſſe oportebat, quam cęteris, qui ea duntaxat, vt futura nondum certa pręſtolantur. Hoc aut cunctos inſpiciēdo liquet, ſic in omnibus cernimus, vt ſi quiſquā certa mala ſibi affutura præuiderit: maiori torqueatur acerbitate, quā ſi aliqua non ſibi certa mala expectaret. Item adhuc in Chriſto ſpecialius aliud quoddam erat, quo eum adhuc acrius vrgeri malis neceſſe erat: nam, & ſi quempiam cruciatus toleraturum, aut mortis anguſtias ſubiturum certa præuiſione fateamur, non tñ diſtincte cognouit quantus ei dolor aſſurget in ea, quam operitur perpeſsione malorū, aut mortis examine: ideo eum in vltimo gradu doloris affici neceſſe eſt. Chriſtus autem non ſolum mala per ſingulum euentura, mortēque præuiderat: ſed etiam quanta pęnalitatis acerbitate
B affligendus foret, certiſsime præcognouerat, alias quippe eum cuncta non cognoſcere in patulo erat, quo fit, vt hæc imaginaria apprehenſio ineſtimabiliter ſuper cęteras curarum moles afflictiua ſit. Ita vt nihil, quantumcunque horridum, atque difficile aliorum imaginatione comprehenſum, huic adæquari queat.

Chriſtus cruciatus ſibi affuturos minime cogitabat. Cap. XIX.

HIc autem, de quo ſermonem agimus, benedictus homo Chriſtus: licèt omnia mala, quę toleraturus certiſsima cōprehenſione ſi affutura præuidiſſet, ſuper ea tamen aſsidua, aut frequēti cogitatione nequaquam
C vertebatur. Si fortaſsis hæc, quæ cognouerat, quotidiana cōſideratione reuolueret, nullus ei infęlicior, aut (vt mitius loquamur) dolorum tolerator in vniuerſo repertus vnquam foret, etiam eum paucisſimis viuere diebus, niſi ſupernaturaliter id fieret, oportebat. Hoc euidenti illatione inducitur: in omnibus quippe, quas mente cōcipere poſſumus, imaginationibus afflictiuis, quæ acrior torqueat cruciatu, reperiri vlla nequit, quā hæc, quæ Domino Ieſu eſſe conceſſa eſt, ſcilicet, vt omnes per ſingulum ei futuros cruciatus præcognoſceret; &, quantum ex ſingulis affligendus erat, præuideret; neceſſarium igitur erat eum ineſtimabiliter ſuper quallibet quantalibet vrgentium curarum mole depreſſum contorqueri. Hoc pacto cunctis afflictis afflictior, atque, ſi fas eſſet, cunctis miſerandis miſerabiliorem occaſione pœnarum fateremur: ſed miſerum de Chriſto
D concedere fas non eſt. Prædicta autem liquidantur, omnes quippe in magnis cogitationum molibus degentes breues vitæ metas habent, atque eas non niſi toto corpore deſtituti, atque pené deſiccati adipiſcuntur: in Chriſto tamen curas afflictiuiores cunctis mortalium curarum modis eſſe perſpicuū erat, cum igitur breuiſsimis vitæ metis conſumatio portebat. Ea autem, quæ propoſuimus manifeſtiſsimo adhuc comprobatur argumento: ingruente quidem tempore Dominicæ paſsionis dignatus eſt, in ſe paſsionem illam ſcire, qua affuturorum ſibi de proximo malorum, atque ex hoc ingruentium viuax præſentaretur effigies, in qua tanta pęnali accerbitate eum contorſum ſcimus, vt inſtantiſsime clementiſsimum patrem exorauerit in hæc ver
E ba: Pater, ſi fieri poteſt, tranſeat à me calix iſte, id eſt, ó pater benedicte, tantis mortis huius ingruentis angoribus præmor, vt prorſus mihi intolerabilis videatur, ideo, ſi fieri vllo modo poteſt, rogo, vt tranſeat a me horrifer iſte cruciatus. Succedentibus autem huius afflictiuæ cogitationis incrementis, & Chriſto prolixius orante, tanta intra Chriſtum conflictantium pro paſsionum ciebatur pugna, vt ſanguinei humoris vberrime guttas exſudauerit toto corpore madefactus. Hæc autem à ſæculis in nullo homine ſola prementis curæ contortione ſecuta didicimus. Nullus igitur homo ita horrendas, afflictiuaſque acriter paſsiones in imagine habuit, vt benedictus homo ille Ieſus. Sicut igitur hanc horrificam imaginationem ingruente tempore paſſionis habuit, & ea cunctis hominibus horribilius torquebatur conformi ſententia, conſentiendum

In magnis cogitationibꝰ degentes cito moriuntur.

Expoſitio verborū Chriſti in horto orātis.

tiendum eſt, vt ſi hic toto ſuæ vitæ tempore in eo manſiſſet, futurorum ſibi malorum cogitatio omnium hominũ afflictior ſuiſſet in terribilibus amaritudinibus tota degens vitæ meta. Hoc aũt concedi ratio nulla manifeſtat, ſed potius diſſonum eſt; non ergo ſumper ſic animo futura mala cogitatione voluebat peruigili.

Scire aliquid poteſt ſecundum habitum. aut in actuali ſpeculatione. Cap. XX.

IVxta Ariſto. igitur ſententiam in his dicendum erit in ſeptimo Eticorum in cap. de ſyllogiſmo in continenter, ſcilicet, ſcire enim dupliciter arbitramur, aut ſcire quidem ſecundum habitum, aut ſcire in actuali ſpeculatione. Secundum habitum ſcire dicimur, cum aliqua perfecte intellectu comprehendimus, quorum clara in nobis, atque firma notio manet, & actualiter non intelligimus, ſed cum voluerimus, intelligendi in actu facultas nobis eſt, habitualiter ſcire dicimur, habitus quidem eſt, aliqua in intellectu impreſſio difficulter mobilis a ſubiecto, vt ſiquis in dialecticis, aut phyſicis, aſtrologicisue intelligens ſatis eſt, nec tñ actualiter conſiderat. Sed dormit, cibũ ſumit, aut potũ, aut circa alia ſermonem agit, ſed ei, cum voluerit in Dialecticis, aut Aſtrologicis intelligere actualiter promptũ eſt, dicimus ſecundum habitum Dialecticam, aut Philoſophiam, Aſtrologiamue intelligere. Alius autem intelligendi modus eſt, cum quiſpiam circa aliqua actualiter ſpeculatur, vt ſi quis actualiter in Dialecticis diſputet, aut ſpeculetur. Identidem autem in Phiſicis, aut mathematicis eſt. Ita igitur in homine Chriſto erat, habitualiter quippe cognouerat quanti ei cruciatus affuturi eſſent, & quam acrius in quolibet horum affligendus foret, hoc autem homo Chriſtus cognoſcebat, quia verbũ illum ad perſonæ, aut hypoſtaſis vnitatem aſſumpſerat, animæ illius benedictæ cuncta, quæ in vniuerſo futura erant, reuelabat. Homo tamen Chriſtus hic, quę habitualiter ſciebat, nõ aſſidua cogitatione voluebat: ſicuti in nobis eſt, qui non omnia, quæ ſcimus actualiter cõtemplamur. Hæc tamen tunc intra ſe voluebat, cum illa cogitare dignabatur, atque id agere decens erat, veluti cum vrgente tempore paſſionis omnia ſuper ſe ventura mala, & doloris quantitatem reduxit ad mentem. Ex prælibatis igitur clare patet qualiter, & quas Chriſt⁹ paſſiones in cõprehẽſione imaginaria ſolũ ptulerit.

De alio paſſionum genere. Cap. XXI.

ALiud autem paſſionum genus eſt, quæ ab exteriori agente patienti inſliguntur. Has identidem Chriſtus tolerandas ſuſcepit ex aſſignatis ſupra rationibus, alioquin etiam nos congrue, vt decreuerat, redimere nequiuiſſet, quoniam pęnalitatibus ſuis nos redimendo, ſtatuerat. In hac autem aliqui non modicum dubitationis habent, quas paſſiones, aut languores in Chriſto fuiſſe profiteri debeamus. Aliqui enim Chriſtum ſcabiem, impetiginem, vlcera, & pediculos habuiſſe, aut ſaltem, ſicut quempiam hominum habere potuiſſe aſtruunt, & in ſimili de alijs ambiguitate confunduntur. Quod, vt integrè diſcernentes ſolida ſententia diffinitum ſit aduertendum eſt, quod paſſiones, quæ in hominibus cauſantur, dupliciter euenire neceſſariò eſt, aut ex conditione naturæ humanæ, aut ex conditione indiuidui ob malitiam, aut inordinationem complexionis. Paſſiones autem, quæ homines afficiunt humanam conſequentes conditionem, Chriſtum pari afficere modo erat quippe verus homo Chriſtus, qua ex re omnia cõſequentia humanam ſpeciem in eo ſequi neceſſe erat. Ea autem, quæ ex conditione indiuidui, ob inordinatam complexionem in hominibus conſequuntur, in Chriſto nullatenus fuiſſe arbitratu dignum eſt, ipſe quippe ordinatiorem, atque temperatiorem complexionem cunctis mortalibus habuit. Fuit nempe de quinta mixtione ſolus ſicut Albertus magnus theutonicus in ſua parua phyſica deſcripſit, quem alij quo-

Chriſtus fuit ſolus ex quinta mixtione.

F que conſequuntur doctores; in eo igitur ęgritudines ob malitiam complexionis non fuiſſe patet. Horum autem exemplum eſt: fuit quippe in Chriſto fames, eſt enim fames cum ſtomacho vacuo, aut euacuato digerendum nihil manet: tunc enim appetitus cibi ſequetur ad conſeruationem humidi radicalis, & calidi naturalis, fames igitur paſſio eſt; qua habens patitur, atque torquetur, quæ indiuidui conditionem, aut inordinatam complexionem non conſequitur, ſed naturalem conditionem. Homo quidem animal eſt, quod alimento in cibo, & potu nutritur, & permanet: fames autem eſt appetitus cauſatus, cum in ſtomacho digerendum quidquam defuerit, conditionem igitur ſpeciei humanæ famis paſſio conſequetur, non indiuidui complexionem. Chriſtus autem homo verus conceſſus, in eo igitur cũ-
G cta, quæ ſpeciem conſequuntur humanam, conſequi oportebat, nec quiſquam dicere poterit famem paſſionem indiuidui conditionem conſequi: ſed potius e cõuerſo. Cum enim homo conſtitutæ naturæ eſt, ſcilicet in perfecta ſanitate, tunc fame afficitur tẽporibus, quibus congruit: ille tamen, qui aut complexionis malæ eſt, aut actualiter indiſpoſitæ, non ita fame torquari ſolet, in eo qnippe naturalis calor deficit, aut magna ſuperfluitatum congeries indigeſtarum eſt. Inducitur igitur famem Chriſtum affeciſſe, nec hanc, vt pote conditionem conſequentem indiuidui, ſcilicet complexionis peruerſitatem, ſed naturalem potius conditionem. Idẽ vt apparet Matth. 4. cap. f. Cum ieiunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, poſtea eſurijt, quod veriſſime Chriſtum fame affectum prodit.

H

De ſiti, quam Chriſtus paſſus eſt. Cap. XXII.

IPſum quoque ſitim toleraſſe perſpicuum eſt, ſicut enim famem, ſic ſitim toleraſſe profiteri debemus: corpora nanque humana, cęterorumque in id perfectorum animalium cibo, potuque nutriuntur, eorũmque alterum ſine altero animalis vitam diutius conſeruare nequit; oportet igitur, vt quodlibet animal vtroque alatur, atq; eo indigens ſit. Et, ſicut fames eſt appetitus calidi, & ſicci, ſcilicet appetitus cibi: ita ſitis eſt appetitus humidi, & frigidi, aut humidi, & calidi ſicut eſt potus deſiderium. Sicut igitur fames paſſio eſt cunctas animalium ſpecies conſequens, ita & ſitis paſſio eaſdẽ conſequetur cunctas: Chriſtus autem animal verè erat;
I eum igitur affectũ ſiti profiteri neceſſe eſt. Idem omniũ euangeliſtarum clariſſimis teſtimonijs comprobatur, ſcilicet ꝙ Chriſtus in cruce pendens, paulò antequam ab iſta luce diſcederet, dixit ſitio, ideſt patior ſitim. Hoc autem, licet quidam in alegorico exponentes ſenſu Chriſtum ſitiuiſſe animarum ſalutem dicãt, ſic quippe Michæas in quodam loco teſtatus eſt, dicens: Emittam in diebus illis famem, non famem panis, ſed famẽ verbi Dei: in ſenſu tamẽ hiſtorico, aut literali, quæ ſcripturarum fundamentum quoddam eſt, & qui præſupponendus ſemper, quoniam iuxta Ariſtot. in metaphoris non eſt arguere, exponendum eſſe cenſeo de Chriſti vera ſiti corporea. Hoc autem ſic liquidatur: nam, cum ſitis ſit appetitus frigidi, & humidi, aut calidi, &
K humidi; cum iſtud defuerit, ſitim in animali ſequi neceſſarium eſt: ſed in Chriſto humidum, & frigidum defeciſſe quantitas temporis prodit, vere igitur ſitiebat. Patet antecedens, quia Chriſtus potum non ſumpſerat ex eo tempore, quo cum diſcipulis ſuis cęnam deguſtauit extremam, ſcilicet quinta feria, cum occubuiſſet ſol, in qua, & ipſe profeſſus eſt, non bibam amplius vobiſcum de hoc germine vitis, donec bibam illud vobiſcum nouum, in regno patris mei: vt habetur Matth. 26. capit. Cum autem hæc verba ſitim experimentia dixit, erat ferè hora iam nona feriæ ſextæ paraſceue, cum Redemptor noſter vita defunctus eſt. Item ex fatigatione, & labore ſitis conficitur: ſed in tormentis Chriſtus nimis laborauerat; cum igitur ſiti affectum fuiſſe ſatis perſpicuum eſt: has autem tangit rationes Seraphicus doctor, qui dicitur Bonauentura, in libro, quem

Chriſtus veram ſitim paſſus eſt.

Sitis quid ſit.

h.

quem ſtimulum vocauit amoris. Præter has autem A aliæ ſunt adhuc magis in fundamento rationes, ſcilicet, quòd Chriſtus præ magnitudine cruciatuum ſanguine prorſus exinanitus erat, factis in corpore ſuo tantis, atque crebertimis confoſſuris, quales flagellorum plagæ, clauorum fixuræ, ſpinarum puncturæ in pedibus, manibuſque, atque capite verendo Chriſti factæ ſunt; Dominici enim lateris apertura lancea militis neſcio cuius facta nondum extiterat, hoc autem cum Saluator accubuiſſet, factum eſt: quotieſcunque autem corpus aliquo euacuatur humore, ſitis ſequitur; oportebat igitur in Chriſto ſitim ſequi, nec quamlibet, ſed magnam valde. Hoc autem liquet: nã, cum homo quiſpiã medicorum arte aliquo repletiue leuatur, atque plenè purgatur humore, magna in eo relinquitur ſitis. Si igi- B tur euacuato illo innaturali humore, atque corpori nimis nociuo, ſequitur tanta ſitis, quanto maiorem ſequi neceſſe erit, cum corpus cõnaturali humore, in quo magis corporis vita fundatur, & qui quantitatis maioris eſt, euacuatur? Huius autem ſanguis eſt in Chriſto; igitur ſitim magnam conſecutam fuiſſe tunc in paſſione claret. Item hoc adhuc ex conſequentibus liquet. Cum enim redemptor in limine mortis appoſitus ſe ſitire proclamaſſet, qui aſtabant ex miniſtris mortis huius ſpongiam aceto plenam, cui fel admixtum erat, arundini imponentes benedicto ori Domini Ieſu epotandã applicuere: ipſe autem, licèt ſatis ſua torqueretur ſiti, cũ tamen ita amariſſimum comperiſſet, vt ibidem ſubiungitur: Cum guſtaſſet, noluit bibere, ideſt, cum eius inter palatum experiretur ſaporem, quod guſtare eſt, il- C lud non deglutiuit, quod bibere Euangeliſta appellauit. Si tamen Chriſtus ſolam ſitim animarum ſalutis pati expreſſiſſet, atque hanc ſolam pateretur, non degluttiſſet in palato illius potus ſaporem, qui ad ſalutem animarum exprimendam nihil attinebat: dilucidè ex prædictis illatum eſt vera Chriſtus aliquo modo ſiti affectum extitiſſe.

Chriſtus frigora paſſus eſt, & æſtus. Cap. XXIII.

AMplius autem Chriſtus frigora tolerauit, & feruente temporis æſtu peruſtus eſt, ab his quippe paſſibilis fuit, & paſſus eſt. Nec quidem hæc ei indiuidui conditio attulit, aut complexionis indigeſta intemperies, ſed ſpeciei conditio naturalis: calor quippe, D & frigus potentiæ tactiuæ obiecta ſunt: oportet igitur ea frigus, atque calorem pati, quæ potentia tactiua informata ſunt: Chriſtus autem verè potentiam tactiuam habuit, cum non phantaſticum animal eſſet: igitur frigora, & æſtus magna cum paſſione toleraſſe liquet. Hoc autem animalis naturam ſecundum ſe conſequitur, & non indiuiduorum complexiones aliqua nempe animalis indiuidua, in quibuſdam ſpeciebus propter eſſe inclinata ad alteram contrarietatis extremitatem, in potentia tactiua omnia hæc contrarietatis extrema non ſentiunt, ſcilicet, quod animalia quædam ſunt, quæ frigiditatem, aut nullatenus patiantur, aut ab ea, quantacunque ſit, valde leuiter immutentur. Hoc autem, quia complexio ſua aquatica eſt ad extremitatem frigiditatis declinans, quod autem frigidum eſt, à frigido pati E non eſt, quia ad actionem alterius in alterum requiritur à principio diſſimilitudo, & inæqualitas: à proportione autem æqualitatis non prouenit actio, nec motus cauſatur vllus, quæ enim prorſus ſimilia ſunt, actionẽ, & reactionem nullam habent; terminus tamen actionis, cum perfecta fuerit, eſt ſimilitudo agentis ad paſſum. Alia autem animalia ad caloris extremitatem inclinata ſunt, quam ob rem calorem nullatenus ſentiũt: aut illum leuiter patiuntur, ſicut eſt de illo monſtro inter animalia, quod Salamandram maiorum vocauit auctoritas. Hæc quidem in medijs ignibus viuit; &, cum pellis eius aliqua fece polluta purgari debet, eo pacto, quo cętera, aquaticus abluit humor, hæc valido ignis calore purgatur. Hoc tamen moderandum eſt: nec enim ſemper Salamandra medijs in ignibus viuit, ſed

De Salamandra.

A eos diutius, quàm cętera animalia, perfert: humanæ autem naturæ complexio, quia omnium complexionum temperatiſſima eſt, ad nullam contrarietatis extremitatem declinat, medium obtinens inter cunctas. Euenit igitur ex naturali conditione humanæ ſpeciei, homines ſingulos calorem, & frigus potentia tactiua experiri. Chriſtum igitur calorem, atque frigora, quia hæc humanæ naturæ adiecta ſunt, fuiſſe perpeſſum liquet.

Chriſtus corporis laſſitudines paſſus eſt. Cap. XXIV.

REcepit autem præter hæc Chriſtus Ieſus fatigationis paſſiones: frequenter enim in viarum progreſſu laſſabatur, atque ab inde ſeſſus reſidebat. In quorun- B dam quoque aliarum rerum operatione laſſabatur, ſicut cęteris hominibus fatigatio euenire ſolet. Fatigatio nempe in ſolis potentijs finitis corporeis organicis actiuis effici poteſt. In potentijs autem dicitur, quia quod nec potentia eſt, nec potentiam habet, fatigari nequaquam valet, ſicut lapides, ligna, & ferrum fatigari nequeunt: nullum autem horum, aut potentia eſt, aut potentiam vllam ſaltem habet. Amplius autem fatigationem potentijs finitis ſequi dicitur, potentia quippe infinita fatigabilis non eſt: nihil enim maius, à quo fatigari queat, habet: actio autem appoſitione maiorum viriũ conficitur. Vlterius autem potentia corporea dicitur non quidem, quod potentia illa aut corpus ſit, aut corporis pars: ſed quia ipſa in corpore eſt, & corporis virtus eſt, quam ob cauſam intellectus noſter, atque volũ- C tas infatigabilia ſunt. Intellectus nempe noſter nulli corporis parti colligatus eſt, nec eſt virtus corporis, aut corporalium partium conſequens complexionem, quo fit, vt quantumcumque actui ſpeculandi inſiſtamus, fatigatione deprimamur nulla: ſed potius cum diutius intellectioni operam dederimus, maiori ad intelligendum ſuccendimur deſiderio. Homines itidem, qui acutiores ingenio ſunt, & ſecundum habitum ſapientiorẽ in ſpeculando vlterius delectantur.

Fatigatio in quibus ſit.

Potentia corporea tãtum dicta ſit.

An intellectus ſpeculando fatigetur. Cap. XXV.

FOrtaſſis autem quiſpiam in hoc molietur incutere ſcilicet, quòd homines ſpeculãdo, aut alijs, quibus D vis intellectus actibus operam tribuendo laſſantur, atque eos interdum horum tędium torquet, veluti ſi magnis corporeis laboribus vrgerentur, & velocius homines quidam his occupationibus, quàm corporeis actionibus fatigantur. Infertur igitur intellectum eſſe fatigabilem potentiam, atque laſſari frequentius. Huic reſpõdendũ eſt, intellectum in actu ſuo minimè poſſe fatigari, ſed, ſi interdum homo laſſetur, aut debilitetur ſpeculando, aut quoslibet intellectionis actus habendo, non ideo euenire, quia intellectiua potentia fatigabilis ſit, ſed quia organicæ potentiæ fatigantur. ſ. phantaſtica vis, iſta quippe corporea eſt, de qua infra abundantius diſſeretur. Actus autem intellectus ſunt præſuppoſitis actibus phantaſiæ intellectus quidem intellectionem actualem cauſare nequit, niſi cum potentia phantaſtica E ſuper ſpecies in phantaſtica cella manentes actualiter conuertatur: ſic videtur ſentire Ariſto. 3. de Anima: cum ait: Oportet intelligentem circa ſantaſmata ſpeculari. Cum igitur potentia phantaſtica deſatigata fuerit eo modo, quo inferius diſſeretur, operationi ſuæ operam dare nequibit; & quia operatio intellectus nulla, niſi phantaſia conuerſa ſuper ſpecies phantaſticas procedere poteſt, neceſſarium eſt, vt interdũ homo intelligẽdo laſſetur, quamquam intellectum quouis fatigari modo impoſſibile eſſe perſpicuũ eſt. Identidem autem de volitiua potentia diſſerendũ reor; licèt enim multa voluerimus, volendo tñ nequaquam laſſari poterimus, quoniam volitiua potentia fatigabilis nullatenus eſt. Nec .n. homo frequenter fatigatione vrgetur volẽs, ſicut intelligens, qm̃ ad actus potentiæ volitiuæ non eſt neceſſaria conuerſio actualis potentiæ phãtaſticæ ſup phantaſticas

Vnde ſit, q̃ homo ſpeculando fatigetur.

An potẽtia volitiua laſſari poſſit.

taſticas ſpecies, ſicut in actu intelligendi præexigitur. F
Et ſi fortaſſis quiſquam in actibus volitionis cõuerſio-
nem ſuper phantaſticas ſpecies coexigi dicat, quia vo-
litio non præexiſtente intellectione nulla fit, ad intelle
ctum autem requiritur conuerſio ſuper phãtaſmata ad
volitionem, ergo identidẽ conuerſio ſuper phantaſma-
ta fiet, quam ob rẽ conſimilis in volitione deſatigatio
conſequitur. Huic reſpondendũ eſt, ꝙ, cum intellectio
ſit, ſemper actualem cõuerſionem ad phantaſmata eſſe
oportet, in quo verſari intelligentem neceſſe eſt; ſed,
cum quiſquam vult, non oportet eſſe continuã conuer-
ſionem, quoniam, licet cognitione non præcedente voli
tio nulla ſequatur, tamẽ, cum ſemel quiſquam aliquid
eligendum eſſe cenſuerit, voluntas in illud eligendo
fertur, nec pro illo continuato actu oportet eſſe vlterio-
rem intellectionem, & conſequenter nec cõuerſionem
ſuper phantaſticas ſpecies ad quam laſſabatur intelli-
gens: non igitur æquè in volitione, ſicut in intellectio- G
ne phantaſiæ organum fatigatur. Dicendum igitur,
quòd ſicut, cum faber quiſquam, vt dictum organa ope
ratiua. ſ. inſtrumenta parata non habet, operari nequit,
quamquàm habitus artis ei facultas ſit, manuſque
ſuffragetur: idẽtidem, quia intellectus ad operationem
ſuam actus phantaſticæ potentiæ coexigit, cum phan-
taſtica potentia fatigata, aut *im*pedita fuerint, intelle-
ctus intelligere non valebit.

De eadem re ſuperiori. Cap. XXVI.

ITem vlterius in prædicta aſſignatione dicebatur, ꝙ
potẽtia organica foret. i. quod in aliqua corporis par- H
te aſſignata eſſet, & quòd membrum requireret de-
terminatũ in figura, & complexione iuxta qualitatem
potentiæ organicæ. Hoc pacto potentiam organicam vi
ſiuam dicimus, auditiuã quoq;, odoratiuã, guſtatiuam,
& ſimiles harum, nempe quæcunq; determinatam cor
poris partem in figura, & complexione coexigit. Ocu-
lus namq; potentiæ viſiuæ organum eſt, & determina-
tam figurã habet differentem a figuris cæterorum orga
norum, qualitas quoq; eidẽ differens ineſt, quoniã ocu
lus aquaticæ complexionis eſt. Auditiua autem poten-
tia aures tanquam organum habet, & illud in figura ab
oculis, ceteriſq; organis differẽs eſt, qualitas quoq; ei-
dem diuerſa ineſt: quoniam aures complexionis aereæ
ſubtilis ſunt. Nec quidẽ hoc ad ipſas aures, quæ charti
laginoſa membra ſunt, referendũ eſt: ſed ad organũ ip- I
ſum auditiuæ potentiæ, quod pellicula cõnaturalis ae-
ris eſt. Odoratiuæ autem potentiæ organum vtraq; na-
ris, quæ in figura à ceteris organicis membris diſtincta
patet, qualitas quoq; ei ſimilis cũ ceteris non eſt, nem-
pe cõplexionis aereæ groſſæ. De alijs in iiſdem poten-
tijs ſenſitiuis ſimiliter ſentiẽdũ reor in diſtinctione, at-
que aſſignatione organorũ. Dicitur autem hãc potentiã
organicam eſſe: quia, cum potentia non organica nullo
modo ſit fatigabilis, potentia non organica eſt; quæ vl-
lam corporis partem ſibi determinat in figura, & quali
tate à cæteris differentem, in qua dumtaxat ſedem ha-
buit, & in qua, aut per quam operetur, vult potẽtia di-
geſtiua, attractiua, expulſiua, generatiua, nulla nempe
harum corporis aliquam partem, tanquam organũ exi-
git, in quo operetur: ideo in actibus ſuis harũ laſſatur K
nulla. Digeſtiua quippè potentia in nobis, aut in cete-
ris animalibus fatigari nequit: nihil. n. magis laſſati ſu
mus, cũ digerere finiuerimus, quã cum digerere inchoa-
uerimus. Nõ eſt tamen alijs ſic, velut in potentia motiua
quidem laſſamur magis cum vnius leucæ ſpaciũ con-
fecerimus, quam cũ illud metiri inchoauerimus. Iden-
tidem autem appetitiua potentia in deſiderando, quæ
animatis conueniunt, non laſſatur. Idem de expulſiua,
de generatiua quoque idem cenſendum eſt. In organi-
cis igitur potentijs dumtaxat ſequitur fatigatio.

Quædam his aguntur de potentijs. Cap. XXVII.

AMplius autem in prędicta aſſignatione dicebatur,
quod potẽtia actiua foret, in potentijs quippè paſ-
F ſiuis fatigatio nulla eſt, quia fatigatio in actione, & mo-
tu eſt, ſed paſſiuæ potentiæ actionis inſtrumenta non
ſunt, ſed paſſionis. In quo aduertendum, quòd potẽtia-
rum quædam actiuæ, quædam paſſiuæ ſunt. Ad quarũ
diſtinctionem ſciendum potentias actiuas eas eſſe, quæ
ſubiectum immutent, & à ſubiectis minimè patiantur,
aut immutentur: potentiæ verò paſſiuæ ſunt, quas ſubie
cta immutant, & ab eis nullatenus immutantur ſubſtã-
tia. Huius autem exemplum patet in potentia digeſti-
ua: potentiæ quippè digeſtiuæ obiectum alimẽtum eſt,
quia cibus, & potus, hoc autem potentiam non alterat
digeſtiuam, ſed à digeſtiua potius alteratur: alimentum
enim antea panis, & vinum erat, deinde virtute digeſti-
uæ potentię caro efficitur alterando. de quo Ariſt. in ſe-
cundo de Generatione, & corruptione. De potentia
quoque expulſiua idem conſtat, à ſuo namque non
immutatur obiecto, eſt quippè huius obiectum ſuper-
G fluum in digeſtionibus non conueniens aliquatenus
animali, quòd à potentia expulſiua immutatur, quia
ab ipſa à corpore expellitur, & ipſa ab illo non immu-
tatur, ſed potius è contrario. Eſt autem potentiæ ge-
neratiuæ obiectum ipſum, quod generandum eſt: ha-
bet autem generatiua potentia actionem ſuper ſemen
ipſum decidendo, alterãdo, & organizando, quouſque
animal perfectum ſit. Sic igitur à ſuo obiecto non mu-
tatur, ſed potius ipſum mutat obiectum. De his igitur,
ſcilicet de appetitiua, expulſiua, attractiua, digeſtiua,
generatiua potentijs dicendum eſt. ſ. quòd potentiæ
actiuæ, & non paſſiuæ ſint.

H *Potentia paſſiua, quæ ſit. Cap. XXVIII.*

SVnt autem potentiæ paſſiuæ, quæ ipſa obiecta non
immutant, ſed ab ipſis potius immutantur. Sic enim
potentia viſiua, auditiua, odoratiua, guſtatiua, & tacti-
ua ſunt: omnes has quippè à ſubſtantijs immutari, eas
verò aliquatenus non immutare ſubiectum patet. Quod
in viſiua autem potentia hoc notum eſt, eius quidem
obiectum color, aut lux eſt: hoc autem à potentia viſiua
non mutatur: ſic enim lux, aut color ſe habent, cùm non
videntur, ſicut cùm videntur. Color autem, aut lux vi-
ſiuam immutat potentiam. Nam cum nihil videmus,
potentia viſiua nullo modo mutatur. Cum verò ali-
quid intuemur, potentia viſiua immutatur ad aliquam
ſpeciem coloris, ea quippe coloris ſpecie actuatur, qua
I antea non actuabatur, quoniam in organo viſus ſpecies
viſibilis receptatur. Auditiuæ autem potentiæ ſonus
obiectum ita ſe habet, cum non auditur, ſicut cum au-
ditur; auditiua tamen potentia ab obiecto immutatur:
nam, cùm ſonus ſit ſpecies ſoni, aut ſonus ipſe in aure
eſt, quo interdum dolor ſequitur, & pauor, ſtuporque
incutitur, cùm vox fortiter ſonans eſt. Identidem au-
tem potentia odoratiua, guſtatiua, atque tactiua obie-
ctum ipſum non immutant, ſed ab obiecto potius im-
mutantur? Has igitur quinq; ſenſitiuas potentias paſſi-
uas eſſe conſtat.

Potentia ſenſitiua interiorum organorum.
Cap. XXIX.

K IDentidem autem de potentijs ſenſitiuis interiorum
organorum dicendum eſt, ſcilicet quòd potentiæ
paſſiuæ ſunt. ſ. ſenſus communis, inmaginatiua, phan-
taſia, memoria, & æſtimatiua. Sunt hic quinque di-
uerſæ potentiæ organicæ, quæ omnes in cerebro ſunt,
cælulas quaſdam intra cranium habentes pro organis.
Hæ autem potentiæ paſſiuæ, ſunt abinuicem ex obie-
ctis diſtinctionem ſortitæ nullam; ſpecies quippe per
exteriorum ſenſuum organa ſuſceptæ in harum qua-
libet penitus ſunt, ſcilicet vt omnes ſpecies viſu, au-
ditu, odoratu, guſtu, tactu apprehenſæ in ſenſu com-
muni ſunt, eædemque omnes in imaginatiua cælula.
Identidem omnes in phantaſtico organo, in ęſtimatiua
autem omnes, & in memoratiua omnes ſunt. Hæ ta-
men ſpecies potentiarum ſuis actibus differunt: non
enim

enim idem circa ſuſceptam ſpeciem ſenſus communis operatur, quod imaginatiua potentia: nec etiam imaginatiua, quod phantaſtica: nec identidē phantaſtica, ꝙ æſtimatiua. Memoratiuæ autē, & eſtimatiuæ actus differre cuilibet notum ſatis eſt: qui autem cuiuslibet harum actus proprij ſint, præſentis ſpeculationis non eſt, hoc ad ſecundum de anima pertinere dignoſcitur; omnes autem hæ interiores potentiæ paſſiuæ ſunt, quia ſunt receptiuæ, quælibet namque receptiua potentia paſſiua eſt: quia recipit, & immutatur ab eo, ꝙ recepit. Ex prædictis autem infertur potentiam auditiuam, viſiuam, guſtatiuam, odoratiuam, tactiuam in actibus ſuis infatigabiles eſſe: quia actiuæ non ſunt. Sic habetur Ecleſiaſtes 5. cap. Oculus non ſatiabitur viſu, nec auris auditu. Si tñ hic in ſuis actibus potentiæ laſſarētur, nō appeterēt ſemper in eis habere vacationē, veluti qui in ambulando laſſatur, continue progredi non deſiderat.

B

Obiectio pœnes prædicta. Cap. XXX.

AD hæc autem quiſquam obuiabit, dicens, has ſenſitiuas potentias infatigabiles non eſſe: nam cum quis (inquit) diutius in aliquid oculorū aciem fixerit, videndo laſſatur. Idem quoque in guſtando, in odorando, in tangendo reperimus: nam non ſemper guſtando delectamur, nec odorando, aut tangendo, in horū quoque ſenſationibus interdum verum experimur dolorē, aut ſaltem fatigatione deprimimur, de quo Ariſt. in 7. Ethic. & in libris de ſenſu, & ſenſato. Reſpondendum autem huic eſt, potentias has ſenſitiuas minime ſuapte natura laſſari, ſed in earū actibus fatigamur ex aliquo altero, quod fatigationis occaſio eſt: illud autem nec potentia auditiua, nec guſtatiua, nec viſiua, nec quidquam aliarum eſt. Nam, ſi quiſquam guſtando laſſatur, non ideo laſſatur, quaſi potentia guſtatiua, quæ paſſiua eſt, fatigatur, ſed quia diutius guſtando vēter repletus eſt, ad cuius replectionem appetitus cibi extinguitur, quo prius in cibum anhelando ferebamur: ablato autem appetitu guſtatiuam potentiam delectabiliter guſtare impoſſibile eſt, ex quo deſatigari prædicamur. Sic autem fit interdum ceſſatio guſtationis, aut in guſtando laſſamur, non quaſi potentia guſtatiua laſſetur, ſed quia guſtationis organa fatigentur, ſicut ſiquis genarum patiatur dolorem, ex diuturna, frequentique eleuatione, atque depreſſione in mandendo fatigatur.

C

De tactiua potentia. Cap. XXXI.

DE potētia autem tactiua attingentibus idem, quod de ſuperioribus cenſendum eſt: tactiua enim eſt, qua frigus, & æſtum, humorem, ſiccitatemque, duriciē, molliciemque apprehendimus. Tactiua quippè potentia tangendo minime fatigatur: eſt tamen fatigatio quædam, veruſque cauſatus dolor, quia interdum extremitatem contrarietatis tangimus, quę repugnat proportioni, in qua complexio humana fundata eſt. Complexio quippè humana omnibus animalium complexionibus temperatior eſt, ideoque in medio contrarietatis eſt. ſ. in medio calidi, & humidi; frigidi, & ſicci. Si fortaſſis caliditas aliqua foret humanæ proportionem complexionis excedens, eamque tactiua potentia ſentiremus, neceſſe eſſet ab ea deſtrui humanam complexionem, velut cum magnus homini coapproximatur calor, quo homo deſiccatur, comburitur, atque perit. Quamquàm igitur in huius ſenſatione potentia tactiua minime fatigetur, tamen humana complexio perit, eius. ſ. qui tunc tangit: quam ob rem impoſſibile eſt potentiam tactiuam in actu illo delectari. In odoratiua autem potentia item iudicandum eſt, odoratiua quidem potentia, ſicut cæteræ, à ſuo obiecto immutatur, in quo actu perficitur; eius autem obiectum odor eſt, qui ſiue ſuauis, ſiue grauis ſit, tędium, aut defatigatio nulla in potentia tactiua eſt; ſed ideo odorando laſſamur, quia interdum proportioni, in qua humana complexio conſeruatur, odor repugnat. Odorum quippè quidam conſeruatiui naturæ nóſtræ ſunt, quia complexioni conueniunt: alij autem nociui ſunt, & cauſatiui morborum, ſicut quidam peſtiferi odores. Cum igitur odor naturæ noſtræ conſeruatiuus eſt, odorando nequaquam fatigamur: cum verò odores nociui, atque peſtiferi ſunt, in eorum ſenſatione delectationem vllam ſequi impoſſibile eſt. Hic autem modus eſt, quo in odorando interdum laſſari perhibemur: quamquàm igitur potentia odoratiua minimè fatigetur, quia tamen odores interdum complexioni noſtræ repugnant, impoſſibile eſt nos in eorum ſenſatione gaudere, atque per hoc triſtari, atque laſſari neceſſarium eſt.

Fatigatio quid

Cōplexio ſumma inter omnibus alijs cōplexionibus temperatur.

A

De auditiua potentia. Cap. XXXII.

B AD audatiuam autem potentiam accedentes, ſicut in cęteris dicendum, in auditu fatigationem ſequi nullam, quia audimus, ſed quia interdum ſoni noſtræ obuiant complexioni, quandam perturbationem inferentes. Hoc autem dupliciter euenire liquet, primò autem hoc fit modo, cum aliquæ voces noſtras feriunt aures, quæ ſecundum ſe auditui nociuæ ſunt, nec ſine læſione audiri queunt. Sicut cum voces duræ formantur noſtrum prope auditum hęc intra aures noſtras magno impetu penetrantes, organa potentiæ auditiuæ lædunt, ſicut ſępe horrendæ voces prope nos formantur, quia aures noſtras impetu validiſſimo quatientes pronos in terram ferunt. Has autem complexioni noſtræ obuiare, quæ in nimia fundatur æqualitatis temperantia, repugnare nimis perſpicuum eſt. Sic quoque interdum, vt

Quō audi tui cōtingat fatigatio.

C ita duro boatu voces ad auditum vſque perueniant, vt organo auditiuæ potentiæ rupto, aut potius fracto penitus ſurdi reddamur. Ad hoc autem acutius intelligendum inſpiciendum eſt auditiuam potentiam in cō cauitate tympani auris non eſſe. i. in concauitate illius chartillaginoſæ ſubſtantiæ, ſed propè craneum, ſiue cęrebrum eſt: eſt autem hic modus, vt quædam à natura animali apud craneum pellicula rotunda affixa, ſicque aere plena eſt. Hunc autem aerem non ab extra de communi aere quo inſpiramus, & reſpiramus natura ſuſcepit, ſed à formationis exordio in vtero gignit, Animali naſcenti connatus eſt. In hoc autem huius pelliculæ aere potentia auditiua, tanquàm in propriſſimo organo diffuſa eſt, quæ ſi caſu rumperetur, aut frangeretur ſpirante aere illo connato penitus exploſa veſica, audi-

D tiua potentia deperiret, nec magis homo, cui hæc euenirentur, quàm lapis, aut lignum audiret. Cum autem voces fortes cauſantur, aer, qui in harum formatione colliditur, aut potius ex colliſione corporum teritur ad aurem vſque perueniens non ſiſtit, ſed ingreſſus parentem concauitatem ad pelliculam connaturalis aeris tendit, impetu autem ſuo tenuiſsimam illam connaturalis aeris pelliculam rumpens exploſo aere auditiuam potentiam excludit, nec poteſt iam homo vltra audire iā penitus ſurdus effectus. Vt autem hæc incommoda ſępius non euenirent, natura, quæ in omnibus potentiam habet præuiſiuam, organum potentiæ auditiuæ conuenienti formauit effigie. Ita vt nec aures, in quibus aer cō naturalis conſeruatus eſt rotundo, atque amplo hiato, velut oculi patulæ forent, ſed eas anfractuoſas in quoſ-

E dam formauit circulos: ita vt aer confractus ex colliſione ad aurem perueniret non recto itinere pelliculam connaturalis aeris peteret: ſed per ipſius tympani auris circulos anfractuoſè means cum ſe pelliculæ connaturalis aeris applicaret, vt ſentiretur depoſita omni impetus fortitudine, quadam cum leuitate ſuſciperetur, ita vt nec pelliculam frangens, aut rumpens aerem connaturalem exploderet. Si tamen hiatus tympani auris patentior, ac maior foret, nulliſque anfractuoſis curuaturis aer ex colliſione fractus, cum aurem ſubintraret, recto itinere interiora petens, nullas impetus ſui ſubintrando deponeret vires, quo fieret, vt tanto fragore delicata illa concuſſa pellicula ſæpiſsimè rumperetur: ex quo ſurdum effici neceſſe erat. Cùm ergo aliqui ſonitus, aut horrendi fragores ſunt naturæ noſtræ, atque cōple-

ple-

plexioni contrarij, impoſſibile eſt in his auditiuam po F
tentiam delectari, hoc modo nobis interdum in audiẽdo fatigatio quædam, & tædia ſubeunt.

Secundus modus, quo in animalibus in audiendo fatigationes eſſe contingit. Cap. XXXIII.

SEcundus modus, quo in animalibus in audiendo fatigationem eſſe contingit, eſt, quoniam, quamquam ſonitus ipſe temperatus, & complexioni noſtræ conueniens ſit, nos ſemper in audiendo delectari non contingit. Quia, & ſi auditiua potentia eo, quód paſſiua eſt, fatigabilis nullatenus foret: eſt tamen ulterius quędam virtus actiua contentiua proportionis organi, ſecundum quam organum permanet in eſſe ſuo, cum ex multis conſtet: hæc autem, quia actiua eſt, debilitari po G
teſt, atque fatigari. Et, quoniam obiectum potentiæ auditiuæ agens in potentiam auditiuam agit pariter in organum, & in actiuam virtutem organicæ contentiuam animatæ, illam actiuam potentiam, aut virtutem fatigari neceſſe eſt: cum fatigatione autem non conſiſtit delectatio: accidet igitur ex hoc audientem non delectari. Identidem autem de potentia viſiua definiendum reor: nam, & ſi viſiua potentia ſecundum ſe ipſam fatigabilis non ſit, dicente Salomone Eccle. 5. cap. Oculus non ſatiabitur viſu, nec auris auditu: eſt tamen præter viſiuam quædam alia actiua virtus contentiua armoniæ organi: nec enim iſta poteſt dici viſiua, quoniam paſſiua quidem, hæc autem actiua eſt: de actiuis autem dictum eſt, quod fatigabiles ſunt. Cum ergo hęc fatigata, aut debilitata fuerit, delectabiliter videre im- H
poſſibile eſt: fit ergo, vt plerumque in videndo affligamur, ſed hæ paſſiones, vtcumque diminuuntur aſſuetudine. De hoc Ariſtoteles Ethicorum lib. 7. in fine.

Cũ fatigatione non conſiſtit delectatio.

Potentiæ interiores intra craneum in cerebro organa accipientes. Cap. XXXIV.

PRæter has autem ſenſitiuas, atque paſſiuas, potentias, quæ exteriores ſunt, quoniam organa ſua extra capitis concauitatem habent ſunt aliæ interiores, ſcilicet, quæ intra craneum in cerebro organa acceperunt. Hæc autem ſunt ſenſus communis, imaginatiua, phantaſia, eſtimatiua, & memoratiua, hæc autem ſicut, & præcedentes paſſiuæ ſunt, ideo nullatenus ſecundum ſe fatigabiles: non enim phantaſia in actu ſuo fatiga- I
tur, nec memoratiua, & ſic de cæteris. Ad hæc autem quiſquam obijciet, phantaſiam, & cęteras fatigabiles eſſe, quod ex his, quæ ſupra reſpondebamus, ſatis aliquod comprobari videtur, ſcilicet, quód nos, cum interdum intelligendo fatigamur, non ideo fatigamur, tanquam intellectus potentia fatigabilis ſit, cum penitus incorporea ſit, ſed ideo fatigamur, quia phantaſia in phantaſiando debilitatur, ad quam intellectus quandam habet coniunctionem, cum eam in ſuo actu requirat. Huic reſpondendum eſt, phantaſticam potentiam in actu ſuo minime fatigari, quia paſſiua, nec ſubſtantia quoque eius vllatenus fatigabilis eſt; ſed vt de ſuperioribus prælibauimus, ita & in hac dicendum eſt. Eſt enim phantaſtica potentia paſſiua, & præter eam K
in organo eſt quædam virtus actiua continens organi armoniam, hæc autem tenera eſt, & faciliter fatigabilis. Cum igitur hæc debilitata fuerit, fatigationem, & triſtitiam quandam in phantaſiando ſequi neceſſe eſt. Identidem autem de æſtimatiua, & memoratiua, cæteriſque interioribus paſſiuis potentijs dicendum eſt, quod fatigabilis nulla ſit, nec ob eam in actu ſuo fatigatio conſequatur.

De duplici genere potentiarum fatigabilium. Cap. XXXV.

HAEc, quæ ſupra enarrata ſunt, ſi in vnum compegerimus, in aphoriſmatis formam reſultabunt. Non enim eſt inter omnes potentias, quæ in homine, aut quocunque animali ſunt, ſola duo genera potentiarum fatigabilia eſſe. ſ. potentias motiuas, & vocum formatiuas. Hæ autem potentiæ in tribus locis corporis animalis ſunt. ſ. in pedibus, manibus, & organis vocatiuis. Motiua namque, quæ purè motiua eſt, & aliás ambulatiua, aut progreſſiua vocatur, in pedibus eſt: quamquã, & in manibus, atque brachijs abuſiuè. Hæc ſunt nota in pueris, qui nondum pedibus moueri plenè poſſunt. Motiua autem, quæ operatiua dicitur, in manibus propriè eſt: Interpretatiua veró, ſiue vocum formatiua in organis vocalibus eſt. Fiet quoque ex hoc, vt in tribus homines, & cętera animalia perfecta fatigentur. ſ. mouendo pedes, ſiue progrediendo, mouendo quoque manus, & voces quaſcunque formando, nec quidquam aliud ineſſe poterit, in quo animalia vllatenus fatigantur. Quod quidem accidit, quoniam in his omnes conditiones fatigabilis potentiæ reperimus. ſ. quód potentiæ ſint, & quód finitæ, & corporeæ, & quód actiuæ, & quód organicæ, quarum ſingula de eis manifeſta ſunt. Potentiæ namque ſunt, quoniam non ſunt corpora, nec corporum particulæ, ſed virtutes corporum, hoc autẽ nos potentiam appellamus. Quod enim finitæ ſint, dicere non attinet: nam in rebus, quæ ſiue corpora, ſiue corporum partes, ſiue corporum conditiones, aut virtutes ſunt, infinitum nihil eſt: ſolam enim naturam, ſiue diuinam eſſentiam infinitã eſſe cognoſcimus, & quodlibet attributorum ſuorum, vt infinitam bonitatem, infinitam ſapientiam, & ſic de cæteris, quæ verius vnum infinitum cuncta ſunt. Quod veró iſtæ corporeæ potentiæ ſint, apparet non quidem corporeum appellantes ſolum, quod ex corpore conſtat, aut ex corpore factum, hoc pacto ſola entia, quæ aliquo modo corpora ſunt, corporea dici queunt, ſed corporeum dico, quód ad corpus attinet, tanquam corporis quędam conditio. Quod in his apparet: nam motiua potentia in muſculis crurium eſt: operatiua autem in neruis, & muſculis manuum brachiorum: interpretatiua vero in vocalibus organis reperitur. Corporũ igitur virtutes ſunt, quia ſubſtantia ſua corporum particulæ ſunt. Quarta hujus conditio, ſcilicet, quod organicæ potentiæ ſint, adhuc in his patet; nam organum eſt aliqua corporis determinata pars a cæteris in figura, & complexione diſtans, quẽadmodum in oculo, & in aure patet: de his autem ſic eſt, quia motiua, progreſſiua in ſolis muſculis, & neruis crurum eſt, & in brachijs. Motiua autem, quæ operatiua dicitur in muſculoſis quoque, & neruoſis brachiorum, & manuum partibus, & non alibi eſt. De vocatiua autem idem patet, quia organa vocalia à cęteris corporis partibus ſatis diſtant. Quintæ potentiæ fatigabilis conditio erat actiua eſſe. Sunt autem actiuę potentiæ, quæ obiectum transmutant: ab ipſo autem minime tranſmutantur, ſicut de naturalibus potentijs. ſ. digeſtiua, appetitiua, ac generatiua patet, quæ in obiectũ ſuum agunt; in eas tamen obiectum ſuum nihil cauſatur. De his enim ſic eſt, quod primo in potentia motiua progreſſiua liquet: nam ipſa habet pro obiecto corpus mobile, in quod agit mouendo illud inſtrumentaliter, ab ipſo tamen illa nihil recipit. De motiua potentia, quæ operatiua dicitur, idem patet, quoniam ipſa tanquam obiectum habet quodcunque operabile, aut ſic tranſmutabile, & in illud agit; ab eo tamen rationem nullam ſuſcipit. Identidem autem de formatiua, ſiue interpretatiua dicendum fore liquet, cuius obiectum vox eſt, quam ipſa agit eam formando: ab ea autem nec fit, nec mouetur vllatenus. Apparet igitur ex prædictis in homine, aut in quolibet animali duas dumtaxat fatigabiles eſſe, potentiam motiuam, ſcilicet, largè dictã, & vocatiuam, ſiue interpretatiuam.

Loca potẽtiæ motiuæ, & formatiuæ.

Quid potentia appellatur.

Loca motiuę potẽtiæ, & operatiuę, & interpretatiuæ.

Actiuæ potentiæ obiectũ tranſmutant, & non tráſmutãtur.

De Chriſti fatigatione. Cap. XXXVI.

REdeuntibus autem nobis, vnde digreſſi ſumus, dicendum eſt, fatigationem paſſionem, ſiue proprietatem quandam, & conſequentem ſpeciem humanam eſſe, quoniam & in omnibus animalibus reperitur,

tur, ſecundum ꝙ contingit in eis duas reperiri potentias fatigabiles, motiuam, ſ. & vocum formatiuam. Ex his autem magis adhuc particulatim attingentibus dicendum eſt in Chriſto veram fuiſſe fatigationis paſſionem, quoniam homo verus erat, & has duas fatigabiles potentias in eo fuiſſe ſatis conſtabat. Ob hoc dicendum eſt Chriſtum in itinerando fatigationem veram ſuſtinere, quoniam laſſabatur in eo potentia motiua, quæ in pedibus ſuis, & cruribus erat. Itidem concedi oportet Chriſtum laſſari in operatione manuali: cum aliquid eum contingeret operari, quoniam in manib., atq; brachijs eius operatiua potentia, & motiua, quę & fatigabilis eſt, ſicut in cæteris erat. Adhuc autem alia in Chriſto fatigatio accidere poterat, ſ. in vocum formatione, vt ſi clamore valido, aut ſi magno tẽpore hoc ageret, hoc autem, quia potentia vocum formatiua in cunctis animalibus fatigabilis eſt. Amplius hoc teſtimonio bea. Ioan. 4. cap. apparet, vbi Chriſtus itinerando laſſatus apud puteum ſediſſe dicitur, ſiue apud fontem, vt alibi habetur, & Samaritana mulier cum eo locuta eſt. Amplius autem & in Chriſto confiteri oportet fuiſſe ſomnolentiæ paſſionem, ſ. vt ſomno grauari interdum potuiſſet, vt ſi nimis vigilare niteretur dies multos, atque noctes inſomnes ducens, oportebat eum prægrauari ſomno, ſicut cæteris hominibus accidit. Cunctis quidem hominibus naturaliſſimus ſõnus eſt, ſicut teſtatur Ariſtot. in libro de ſomno, & vigilia, & quamquam multifariam differre homines contingat ſecundum exceſſum, & defectum in magis, aut minus dormiendo, tum ex differentibus complexionum armoniis, quædam complexiones hominum ſunt, quę de ſomno magis exigunt. Quædam vero minimum. Tum ex differentia cibi, & potus in quantitate: nam, qui vberiores cibos ſumunt, atque fæcundiores potus hauriũt æquatis cæteris, maiores exigunt ſomnos. Tum ex laborum diuerſitate: qui enim abundantius laborant, ſi cætera æqua ſint, neceſſe eſt, vt maiori prægrauẽtur ſomno. Quamquam igitur hæ multiplices hominibus differentię fuerunt, nemo tñ vnquam reperiri poterit, qui in ſomnem diu vitam trahere poſſit, ſicut incibatus nemo diutinus viuendo moras trahet. Quia igitur Chriſtus, ſicut & cęteri, homo verus erat, oportebat, vt, cum diu à ſomno abſtinuiſſet, multum grauaretur, atque quendam cruciatus experiretur modum, & ſi in hoc niteretur inſolitam moram in ſomnem trahens, virium fatigatio, & totius corporis defectio ſequeretur.

Paſſiones extrinſecæ alijs agentibus Chriſto infligi poterant. Cap. XXXVII.

Sicut autem hæ prælibatæ fatigationes in Chriſto, ſicut & in ſingulis hominib. eueniebant ab intrinſeco: ita & quædam aliæ paſſiones ab extra infligi poterant à gentibus alijs. Hoc autem eſt, cum aliquod contrariũ complexioni ipſius paſſi in illud agit. Huic autem pęnalitatum modo Chriſtus ſubiectus erat, ſicut & cæteri homines: nam ab exterioribus perpeti poſſe non euenit ex conditione indiuidui, ſed ex ſpeciei proprietate. Vnde & dici oportet potuiſſe Chriſtum comburi flammis; ipſe namq; homo verus erat: complexio autem humana, tanquam temperatiſſima mediat inter extremitatem caloris, & frigoris, humiditatis, & ſiccitatis: qđlibet igitur extremum contrarietatis in aliqua qualitate poteſt agere in humanam complexionem; &, quia ignis habet extremitatẽ in calore, poterat agere in corpus Chriſti. Vnde, ſi ſe Chriſtus flammis inieciſſet, aut eum quiſpiam in medios conieciſſet ignes, corpus eius in cineres verſum fuiſſet, niſi eum Deus ſupernaturaliter eruere dignaretur, ſicut ſi aliquod corporũ noſtrorũ in medijs ignibus poneretur. Identidem autem Chriſtus à frigore pati poterat: nam, ſi aer frigidus foret, vel aqua, aut alterum quidpiam circundans corpus Ieſu, illud, ſicut noſtra corpora, infrigidaſſet, vnde ſi in aliquo loco exceſſiue frigido, velut in niue, aut gelidis aquis, ſiue fremẽti borea corpus Saluatoris noſtri diutius permanſiſſet, neceſſe erat, vt his factis moreretur, ſic enim in nobis accidit, niſi ſuperueniente miraculo ab hoc liberaretur. Sic autem & de alijs duabus qualitatibus, ſ. humore, atque ſiccitate dicendum liquet: ab exceſſiua quidem humiditate diſtemperate humidum fieri corpus Ieſu neceſſe erat. A vehemẽti quoque ſiccitate deſiccari; & ſic interdum factum eſt; vt his agentibus qualitatibus corpus illud benedictum in diſpoſitiones varias mutaretur. Propter has autem pœnalitates naturæ in corpore Ieſu Maria Magdalenæ effudit vnguentum ſemel ſuper pedes Ieſu, cum eſſet in domo Simonis Leproſi, accumbens in cœna. Pedes namque illius benedicti Ieſu ardore magno regionis illius, tum itineris labore, atque nuditate (nudis quippè pedibus incedebat) deſſicati, atque ardentes, & contracti in rugas erant. Effudit igitur Maria Magdalenę alabaſtrum vnguenti, vt ardor pedum vnguenti temperaretur frigiditate: ſiccitas quoque illius mitigaretur humore. De his habetur Lucæ ſeptimo capitulo.

Chriſtus ſuffocari poterat. Cap. XXXVIII.

POterat autem alias adhuc ſubire pœnalitates Dominus Ieſus, ſ. ꝙ ſuffocaretur. Cauſatur enim ſuffocatio in animalibus, quia partes vitales circa pręcordia temperantur inſpirato, & reſpirato aere, ſ. in eo, ꝙ continue trahimus, & expellimus: cum autẽ aqua multa ſubintrauerit, ita vt omnia interiora repleantur, intercluditur inſpirationis, & reſpirationis locus, ita vt nullus aer ſubintrare, aut inde egredi poſſit, vnde animal mori neceſſe eſt. Amplius autẽ quoniam vita animalium præſertim perfectorum conſiſtit in debita armonia caloris naturalis; & humidi radicalis. Cum vero alterum horum deletum ſit, aut mutua fuerit ſublata proportionis armonia, animal deperire neceſſe eſt: aqua autem ſubintrante interiora corporis, atque replẽte, totius corporis diſſolui armoniam inter prædicta duo neceſſe eſt, vitam ergo deficere ſimul cõſtat. Hanc quippè cauſam multi ſtatuere voluerunt: ſatis tamen calumniabilis eſt. Prima autem fundamentalis huius cauſa eſt. Amplius autem Chriſtus à quolibet alio extrinſeco agente perpeti poterat, velut ſiquis ei epotandum venenum tradidiſſet, aut ſi eum beſtiæ aliquæ peſtiferos, veneratoſque habentes morſus attractaſſent, aut ſi eum fera aliqua laceraſſet. In his enim omnibus Chriſtum pati potuiſſe, ſicut & cæteros homines, ſatis patet: huius autem origo eſt ipſa humanę complexionis armonia, cui venenum repugnat. Identidem quoq; laceratio durorum inſtrumentorum teneritudini complexionis humanæ obuiat: ſic enim Ariſtoteles in fine tertij de Anima dicit: dura quidem vitam tollere, quia tollunt ſenſum tactus, in quo vita eſt.

Quõ cauſetur ſuffocatio in animalibus.

Quædam, quibus agentibus pati poterat Chriſtus. Cap. XXXIX.

PRæter hæc autem poſſibile erat corpus Redemptoris noſtri à gladio, lapide, & ligno, & quacunque alia re dura, & ſolida, quod quidem ob hoc fit, quoniã dura ſenſum tactus auferunt, in quo & viſa eſt. Itẽ quoniam dura continuitatem rei auferunt inter partes mediationem facientia, continuitas autem dat vnitatem, in vnitate vero eſſe eſt, cum ens, & vnum æqua, & ſecundum conuertibilitatem ſint, ideo, ꝙ vnum eſſe deſinit, pariter quoq; eſſe deſiſtit: vt ait Boe. de Cõſo. lib. 3. proſa 10. Alia aũt durorũ humanæ complexionis armoniæ afficiunt quibuſdã illatis damnis. Prima ſunt vt gladij, aut acuta quæcunq; ſecantia, atq; per ſectionem tollẽtia vnitatẽ. Secũda verò ſunt vt lapides, & ligna, & quæcunq; põderoſa, quæ pondere ſuo corpora aliorum atterunt, & confringunt, aut ſanguinẽ effluere cogũt, in quo aliàs vita eſt iuxta illud Leuit. 17. c. Anima omnis carnis in ſanguine eſt. Idẽ Deut. 12. c. Hęc aũt pęnalitatum, atque paſſionum genera in Chriſti corpore claruerunt. Primo quidem in circunciſione ſua agente

ferro paſſus eſt, cum præpocij eius vera caro, vt cœte- A
rorũ Hebræorũ moris erat, abſciſſus eſt, vnde cruorem
effluxiſſe liquet: hoc aũt tolerans doluiſſe neceſſe eſt,
nec à lacrymis abſtinuiſſe crediderim: nã nec quiſpiã
eum nullo doloris ſigno oſtenſo ſuſtinuiſſe rõnabiliter
confiteri valebit: multum.n. hoc fidei noſtræ detrahe-
ret, de quo in prælibatis vberius explicuimus. Patieba
tur quoque Dñs Ieſus ab oĩbus alijs corporibus in ſe
vires, aut põdus habentibus, quod liquidũ fit ex eo, ꝙ
in horto perpeſſus cum comprærhendentibus cum mi-
niſtris Pontificum, atq; ſæuo cũ quodam impeto qua-
tientes ad terram frequentius deijciebãt. Ab alijs quo-
que ſolidis corporibus q̃nque tolerabat anguſtiam, vt B
cum alapas pertulit, & cum venerandum caput eius
arundine quateretur, dicentibus miniſtris: quis eſt, qui
te percuſſit? De hoc Matth. 27. cap. Eodem aũt genere
pœnalitatis patiebatur cùm ſæuiſſima flagella ſuſce-
pit, erant quidem flagella ſolida corpora, quæ carni e-
ius illiſa magnũ cauſare dolorem neceſſe erat; frequen
tius quoq; concuſſionibus aperiebantur partes corpo-
ris benedicti Chriſti, vnde & multus profluebat ſan-
guineus humor. Identidem aũt, & durius pertulit, cũ
venerando capiti eius coronam de ſpinis plexam ruſti
res impoſuere, quæ non quidem ſimpliciter capiti im-
properium, atque deriſionem ambiu, nec tamen habi-
ti regni, vt Iudæi exiſtimabant, impoſuerũt, ſed vt ma-
gni inflictiuam cruciatus. In his enim duricies, ac ac- C
cumen fuit, quæ duo inſtrumentales qualitates ad no-
cendum ſunt, atque his perforatum eſt benedictũ re-
demptoris noſtri caput vſque ad duram cranei, ſiue oſ-
ſis ſubſtantiam, quo itidem ſanguinis vberes defluere
madores. Hic autem fuit pœnalitatis, atque paſſionis
modus, cùm clauorum fixione manuũ, & pedum per-
tulit aperturas: nam, vt in his, quæ præceſſere, magis
extitit declaratum, in qualibet manuum vnum ſuſce-
pit clauum teneriimam eius carnem perforantem. In
pedibus quoque fixus, ſiue eum in ſingulis pedibus
ſingulis confixum clauis, ſiue vtrunque eodem perfo-
ratum exiſtimare malimus, nihil differt: quouis enim
modo in vtroque pede eum confixum clauo confiteri
neceſſe eſt, atque ſine magno eum hæc pertuliſſe do-
lore arbitrari fas non eſt. Identidem autem latus eius
lãcea quidam miles Pilati aperuit: vnde profluxit ſan
guis, & aqua, vt omnium Euangeliſtarum communis D
aſſertio eſt; hæc tamen apertio, ſiue confoſſio vulnus
dici non meretur, nec Chriſtus ibi aliquem tolerauit
dolorem: iam enim mortem Chriſtus ſubierat: in mor-
tuis autem nocumenti ſenſus nullus eſt, vulnus quo-
que ſolam non notat carnis aperturam, ſed viuentis.
Hæc igitur, quæ de multis pauca exemplariter enarra
ta fuere, in Chriſto acciderunt, nec quidem ex indiui-
dui conditione tanquam ex mala hæc complexione
pertulerit, ſed ex conditione humanæ ſpeciei. Totam
namque ſpeciem iſta conſequuntur.

Paſſiones, quæ indiuiduum inſequuntur. Cap. XL.

ACcidunt præter has quædam aliæ pœnalitates,
quæ ſpeciei non conſequuntur conditionem, ſed
indiuiduorum ipſorum qualitatem, malam, ſcilicet,
eorum complexionem. Hæc autem in Chriſto non fue E
runt, quoniam complexio Saluatoris noſtri tempera-
tiſſima omnium humanarum fuit; nec quiſquam vn-
quam in toto urbe repertus eſt, aut debuit reperiri, qui
tam æquali, atque iuſta polleret complexione, vnde in
ea nihil eſſe videbatur, quo aliqua paſsio originẽ tan-
quam ex ipſa traheret. Vnde in Chriſto nec tuſsim,
nec catharrum, nec ſcabiem, aut lepram, tertianam, ſi-
ue quartanam extitiſſe febres concedendum vllate-
nus eſt, quod ſatis liquet. Tuſsis quidem, & catharrus
paſsiones ſunt, quæ ſpeciei non conſequuntur condi-
tionem: ſed ex ſuperfluitate, aut inordinatione alicuius
humoris perueniunt. Si enim ſpeciei conſequerentur
habitudinem, omnes homines eſſe reumaticos, atque
tuſsim patiẽtes, & cætera prædictorum, neceſſe eſſet,

Tuſſim, & catharrũ Chriſtus non tolerauit.

A quod notiſſima falſitate perſpicuum eſt. In Domino
verò Ieſu humorem ſuperfluitas, aut inordinatio nul-
la erat, hæc igitur in eo fuiſſe ab re eſt. Identidem au-
tem corpus Rédemptoris ſcabiem, lepram, & vlcera
pati non poterat: nam hęc non conſequuntur naturam,
ſed indiuiduum: alioquin oẽs ſcabioſos, vlceroſos, atq;
leproſos fore neceſſe erat, ꝙ minimè cernitur: indiui-
duum igitur, & non naturam conſequuntur. Hæc igi-
tur ex quibuſdam factis in corporibus, aut circa cor-
pora corruptionibus proueniunt. Videmus.n. optimè
complexionata corpora ſcabiem, aut lepram, vlcera
quoq; non perpeti, de ſimilibus quoq; paſsionib. idẽt-
B idem iudicandum eſt. In Chriſto autem nulla corru-
ptio prouenire in humoribus poterat ab intra exiſten-
te bonitate complexionis, quæ excellentiſsima in to-
ta humanorum indiuiduorum latitudine fuit. Non
igitur vlceroſus, ſcabioſus, leproſusve eſſe potuit. Am-
plius autem nec tertianam, nec quartanam, aut ſimi-
les morbos pati poterat: generaliter enim hæc ex qui-
buſdam interiorum proueniunt de ordinationibus.
Chriſtus autem ordinatiſsimam habuit complexio-
nem: in ordinatiſſimo autem deordinatio nulla eſt; ne-
quaquam igitur harum ægritudinum aliquam pati
poterat, ex corruptione quippe indiuidui hæc omnia
fiunt, ſpeciem aut harum nulla conſequitur. Pœnali-
tates autem, ſiue paſsiones, quæ in prioribus enarratæ
ſunt humanam ſpeciem conſequuntur; quamquam igi
C tur quiſpiam hominum ordinatiſsimè complexiona
ſit, in eo tamen omnes exiſtent. Ex prælibatis conclu-
ſum euidenti diſcurſu ſatis patet, quæ paſsiones in
Chriſto fuerunt, & quas nunquam tulerit: nam quæ hu
manæ ſpeciei conditionem conſequuntur, ipſum, ſicut
cæteros, efficiebant, quæ vero ab indiuidui innaſcun-
tur diſtemperata complexione, in ipſo nec fuerunt,
nec aſſumpſiſſe decens fuit. Ex his igitur liquet Chri
ſtum agnum eſſe, qui patiebatur.

*Pars octaua tertia metaphora, Agnus, qui non pa-
tiebatur. Cap. XLI.*

ORdinem tertij huius metaphorici Paradoxi in ſe-
quen. particula octaua occurrit, ſcilicet, qui non
patiebatur, ſ. quod agnus iſte non patiebatur. Et, quia
D iſtum agnum Chriſtũ multipliciter paſſum explicaui-
mus, quod quidem ſolida nititur veritate, cum nullate
nus paſſum ſalua veritate aſſeri nequit. Sed, quia, vt
plerunq; in præpoſitis dictum eſt, agnus iſte Chriſtus
Deus, & homo erat: quia homo erat, copiosè paſſus
eſt, vt verò Deus erat, nihil vnquam perpeti potuit.
Hoc aũt manifeſtatur: nam, vt ait Ariſt. in Prædicamẽ-
tis, proprium eſt paſsionis inferri ex actione; vt igitur
aliqua paſſio ſit, neceſſe eſt actionem ordine quodam
præcedere; in Deum autem nihil agere valet; Deus igi
tur pati non poteſt. Quod verò nullum agens in Deum
ſit, patet, quoniam agentis ad paſſum ſemper eſt pro-
portio maioris in æqualitatis, alioquin actio impoſſi-
bilis eſt: ad Deum autem nihil habet habitudinẽ ma-
ioritatis, imò nec æqualitatis: ipſe.n. ſolus infinitũ ens
eſt; in Deum igitur nihil agere poſsibile eſt; ipſum igi
tur pati eſt impoſsibile. Amplius autem omnis paſsio
E inuoluntaria eſt, ſed contra Dei voluntatem nihil nec
fieri, nec tentari, aut cogitari ſaltem poteſt: Deus igi-
tur à nemine pati poteſt. Huius inductionis maior con
ſtat: minor autem ſic inducitur, quoniam, ſi quidpiam
in Deum ageret, ſcilicet, contra eius voluntatem nitẽs,
id Deo maius foret, quod impoſsibile quidem liquet,
cum infinitus Deus ſolus ſit, alia autem ad eum relata
quaſi nullam obtinent poteſtatis quantitatem. Adhuc
autem paſsio imperfectio quædam eſt: a Deo autem
omnes eliminandas eſſe imperfectiones patet, cum
ipſe totius perfectionis origo ſit; in eo igitur paſsio
nulla eſſe poterit. Item perfecta fœlicitas dicit ſtatum
omnium bonorum aggregatione perfectum, iuxta Boe-
tium de Conſola. lib. 3. proſa ſecunda: Omni quoque
malorum abſentia, cum fœlicem eſſe ſit, habere, quid-
quid

Paſſio e quædam imperfectio.

quid velis,& nihil habere,quod nolis: ſed Deus perfectè fœlix eſt,quin potius ipſe eſt vera felicitas;In cōgitur nec vnquam paſſio fuit,nec eſſe poſſibilis eſt. Amplius aūt pati, vt in hoc metaphorico Paradoxo ſummi neceſſe eſt, dolorē deſignat ex Chriſti cruciatibus venientem:ab horū tñ nullo Deus, aut ſubſtantia aliqua purè ſpiritualis quidquā pati pōt. Huius cauſa in promptu eſt: hos quippe varios Chriſti cruciatus inſtrumentis quibuſdam naturalis actionis inflicta ſunt: inſtrumenta aūt quantitatem quandam habent: Deus aūt cum purus ſpiritus ſit, in eum inſtrumenta agere non poſſunt; quoniam applicari non poteſt quantum non quanto. Ex prædictis ergo inducitur iuſtum manſuetum agnum, qui Saluator noſter eſt, vt Deus erat, paſſum non fuiſſe,nec pati potuiſſe.

Pars nona tertia metaphora,ſcilicet, Agnus, qui mortuus eſt. Cap. XLII.

Chriſtꝰ, vt verus hō erat, mortem ſubijt.

NOta huius, quam ſæpè [illegible], tertiæ metaphoræ exponenda occurrit particula. ſ. Qui mortuus eſt: quod ad agnum prædictum refertur. ſ. quòd ipſe mortuus fuerit. In quo,ſicut & in prælibatis,ita,& hic pro hypotheſi tenendum eſt,Chriſtum verū Deū, & hominē eſſe,duas perfectè habentē naturas,ſm̄ quarum alteram humanā. ſ. mortua eſt,ſm̄ verò reliquam diuinā mori nequiuit. Ipſe igitur,vt verus homo erat, veram mortē ſubijt. Si enim ſecus factum foret,nos ab ea,qua tenebatur humanū genus æternę mortis obligatione nequaquam liberati fuiſſemus. Nec quidem hoc, ac ſi manus domini abbreuiata foret, ſecus liberare nō potens: tot enim modi liberandi genus humanum Deo extabant, quot ipſe velle poterat, idem namque Deo facere eſt, quod velle facere. Secus tamen fieri non potuit in tempore, cum ab æterno, & ante mundani orbis ſæcula à Deo iſte liberationis modus decretus foret: nos tamen confitemur redemptos fore: conſequens ergo eſt, vt Chriſtum mortem ſubijſſe fateamur. Chriſtum autem paſſum ita per ſe patet, vt ſtylo non egeat: cuncta enim Euangeliorum ſeries, imò(vt abundantius quid dixerim)totus noui,ac veteris teſtamenti canon hoc monſtrat: hoc quidem Iudæi intentores petierunt: Pilatus autem, eis inducentibus, capitalem tulit ſententiam: milites verò eam executioni tradiderunt,cum vera, atque amara conficientes morte. Fuit autem hæc vera mors, ac verè magni ei cruciatus illati fuerunt, ſicut verè quoque animam expirauit. Sed vltra hęc ad veram mortem nihil adiacet: fuit ergo verè mortuus,qui verè homo factus eſt. Hæc autem mors in hoc agno Saluatore noſtro idem euenit,quoniam ipſe voluit: niſi enim ipſe nobis commori elegiſſet: cum Iudæi occidere nequiuiſſent, nec aliunde ei mors infligi potuiſſet, aut eueniſſet: erat quippè natura in poteſtate ſua.

Nunquid verè Chriſtus in Cruce mortem obierit. Cap. XLIII.

IN his autem fortaſſis adhuc aliquis vlterius ſpeculans dubitabit, an verè Chriſtus in Cruce mortuus fuerit, in quo quiſquam contra nitetur, dicens, Chriſtum mortem non guſtaſſe. Nam ſi in Cruce mortuus eſt, neceſſe eſt à corpore animam extitiſſe diſiunctam. Et tunc, aut anima volente Chriſto corpori diſiuncta eſt. ſ. nulla alia præexiſtente cauſa, niſi quia ipſe eam ſeparare voluerit, aut immani dolore hæc diuiſio inducta eſt. Nec quidem dici valet Chriſtum nulla exigente cauſa eam de corpore abſtuliſſe: hoc enim peccato verus homicida extitiſſet, velut cū quis ſibi manibus iniectis ſe propria morte conficit, hoc autem ſcelus graue eſt, & fortaſſis ſcelerum cæterorum caput. In Chriſto autem peccatum nullum extitit, dicente Bea. Petro in Canonica prima capit. 2. qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in lingua eius quinimo nec poteſtas peccandi in eo fuit, vt

A inducitur per Magiſtrum in 3. Sententiarum diſt. 12. Identidem autem non videtur dicendum fore animā à corpore Chriſti prementibus cruciatibus fuiſſe ſeiunctam. Nam,cum quis immanitate dolorū preſſus expirat,nullę in eo manent vires corpore penitus ad extremam debilitationem deducto,natura iam non potente dolori reſiſtere:in Chriſto tamē nihil tale accidit,qm̄, cum expiraſſet,dicitur excelſa voce clamaſſe, ac ſi nihil vnquam paſſus foret:dolores igitur ei mortem nō intulerunt. Amplius autem, cum quis fortior naturali complexione,quam alius eſt,quamquam ei æqui, vt reliquis, cruciatus inferantur: tamen non ita cito, vt alii, moritur. De Chriſto autem nō eſt concedendum,ꝙ ipſe cæteris in naturali complexione debilior fuerit:nā, vt in prælibatis diffuſius concluſum eſt,nullus ita cō-
B uenientem habuit armoniam inter omnes cōplexiones humanas, ſicut ea, quæ fuit in benedicto corpore Redemptoris noſtri:ſed nullus alius homo mortuus fuiſſet inflictis ſibi vulneribus ſolis,quæ Redemptori noſtro inflicta ſunt,quantumcunque debilis naturæ fuiſſet;ipſe igitur ex his ad mortem adductus nō eſt. Hæc autem inductione liquēt;nam,& ſi in vita flagella Saluator noſter ſuſceperit, ex quorum puncturis confracta,atque diuiſa cute vberrima ſanguinis effuſio facta extiterit,ad mortem tamen hæc ſufficientem non præſtabant cauſam. De fixuris autem clauorum in manibus,atque pedibus quamquam ſi nulla medicorum arte,aut Deo agente curatæ fuiſſent,dicendum eſt, quòd mortem inflicturæ forent: verū tamen non ita cito mori poterat. Chriſtus namque, poſtquam in Cruce ap-
C penſus eſt,pauco tempore ſuperuixit.

Quædam de Chriſto, & de latronibus cum eo in Cruce pendentibus. Cap. XLIV.

APparent autem,quæ dicta ſunt:nā Chriſtus,& duo latrones,qui pendebant, eodem tempore appenſi ſunt,Chriſtus tñ hora nona expirauit iuxta omne Euāgeliſtarum teſtimonium, latrones aūt tunc non defecerunt. Hora nāque completorij milites Pilati venerunt, vt deponerent de Crucibus corpus Chriſti,& eorū,qui cum eo Crucifixi erant, nè manerent corpora eorum in Cruce in Sabbatho die magno feſtiuitatis eorū, latronibus aūt,quia viuebant,vt cito morerētur, crura fregerunt,ad Chriſtum autem cum veniſſent, inuenerunt ꝙ
D iam expiraſſet,ideo crura eius fracta non ſunt, vt patet Ioan.19.cap. Infertur igitur rationabiliter nullum hominem ita cito mori potuiſſe, vt Chriſtus mortuus eſt nullis alijs illatis vulneribus. Tot enim plagas latrones,qui cum Chriſto pendebant,vt ipſe, ſuſceperant, eodem quoque eiſdem tempore inflictæ ſunt, ſed ipſe ante eos defunctus dicitur. Quod aūt omnibus eodem tempore vulnera illata fuerunt,euidens eſt,qm̄ eodem tempore omnes crucibus affixi,& appenſi ſunt,vt ſatis innuitur ex verbis Euangeliſtarum,ſiquis attendat. Qđ autem eadem Chriſto, & latronib. vulnera illata ſint, patet,velut Chriſtus Crucifixus eſt,ita & latrones Cruci affixi ſunt,vt patet Ioan.19.cap.ſ. Crucifixus eſt Dominus Ieſus, & cum eo alij duo nequam: quæcunque igitur ad Crucifixionem exiguntur, æquè in latronib.
E vt in Chriſto fuerunt. Ad Chriſtum autem crucifigendum pedes eius,& manus clauis perforati ſunt, vt his totum pondus pendentis corporis teneretur; ita igitur in latronibus crucifixis neceſſarium erat, vt pedes, ac manus inductis clauis forarentur. Nec quiſquam exiſtimet latrones cum Chriſto pendentes nullis clauis in manibus,& pedibus vulnera pertuliſſe, dicens eos funibus alligatos cruci,ita vt manus brachijs crucis ſingulis funibus necterentur, pedes quoque ſimul trunco, ſiue pedi Crucis firmo retinaculo ligarentur, ſicut in Eccleſijs inſipienter valde pictores deſcribunt: ita vt hanc iniuriam de nobis infideles in quibuſdam dicant, quod pingamus,quomodo volumus:nulla (inq̄) ratione hęc arbitrari quiſquam debet, vt immediatè ratio ſubiungetur. Hoc autem quorundam, vt in qui-

Latrones pingendi clauibus non funibus affixi.

buſdam alijs aſſolet introductum indiſcreta deuotio- ne reor. Pleraque quidem alia in hunc modum facta ſunt, quæ iam apud ſimplices in religionis tranſiere cultum. Volunt enim pœnas Domini Ieſu à pœnis latronum diſtinguere, vt in hoc quædam Chriſto reuerentia tributa videretur, quamquam Iudæi hoc non attenderint, quin potius eum morte turpiſſima condemnare voluerint inhoneſtius adhuc, quàm latrones ipſos. Patet autem, quod dictum eſt: Iudæi namque latrones, vt morerentur cum Chriſto appenderunt: ſed, ſi ſolum manus, & pedes cinctibus ligati forent, nullo alio inflicto nocumento hoc ligamento, niſi per lõgam temporis ſpectationem non morerentur, ita vt prius fame confecti, quàm doloribus exanimati viderentur.

Latrones, qui cũ Christo mortui ſunt, eadẽ vulnera ſũt paſſi, quę Christus

Item Euangeliſtæ manifeſtè ſignant latrones eadem
G vulnera, quæ Chriſtus tolerauit ſuſcepiſſe: nam ſicut eum dicunt crucifixum: ita de latronibus confitentur, vt patet Ioa. 19. cap. cum dicitur, Crucifixerunt Ieſum, & duos latrones cum eo, vnum hinc, & alium inde, & Ieſum medium. Sicut hic ipſe clauis fixus eſt, ita & illis: aliter quidem crucifixi minimè dicerẽtur: nam crucifixus Cruci affixus dicitur, affixio autem ſine clauis non fit. Si igitur crucibus alligati forent, crucifixi minimè dicerentur. Amplius autem, quod pœnæ illatæ Saluatori noſtro rationabiliter non ſufficerent, vt aliquis eas tolerans, ita velociter moreretur, adhuc apparet. Quoniam cum miniſtri Pilati fregerunt crura latronibus, vt cito morerentur, nè ſequenti die magnæ feſtiuitatis in patibulis affixi manerent, venerunt quoq; ad Ieſum, vt et crura frangerent, exiſtimãtes, quod adhuc viueret, & cum inuenissent eum defeciſſe, intactum re-
H liquerunt corpus eius: exiſtimabant tamen, ꝙ rationabiliter nondum mortuus eſſe debuiſſet, alioquin ad eũ nõ veniſſent, vt crura frangerent. Sequitur igitur rationabiliter, aut de cõmuni aliorum lege neminẽ ex tam paucis, nec valdè grauibus inflictis vulneribus mori debuiſſe. Identidem autem aliorum hominum hoc experientijs demonſtratur; alij namque cruci affixi ſunt, ſed maiori tempore in Cruce permanſere viuentes. Sic namq; de B. Andrea fuit, qui per triduum perſeuerauit in Cruce pendens, vt ex eius patet hiſtoria. Item adhuc ſolidius hoc inducitur, eum. ſ. non debuiſſe, aut potuiſſe rationabiliter ita cito mori illis inflictis vulneribus: nam, cum Ioſeph ab Arimathia ciuitate inter Iudæos nobilis decurio diſcipulus quidem Ieſu, ſed in
I abſcondito propter metum Iudæorum, acceſſit ad Pilatum, vt peteret corpus Ieſu ad ſepeliendum illud, admiratus eſt Pilatus ſi iam obijſſet. Sic habetur Marci 15. cap. cum dicitur: Et, cum iam ſero factum eſſet, quia erat paraſceue, quod eſt ante Sabbathũ, venit Ioſeph ab Arimathia nobilis decurio, qui & ipſe erat expectans regnum Dei, & audacter introiuit ad Pilatum, & petijt corpus Ieſu. Pilatus autem mirabatur, ſi iam mortuus eſſet; &, cum cognouiſſet a Centurione, donauit corpus Ioſeph. Si tamen Chriſtus talia vulnera ſuſcepiſſet, ex quibus rationabiliter ita cito mori debuiſſet, non miraretur Pilatus, an ſi iam obijſſet: videtur ergo, ꝙ non potuiſſet rationabiliter ita cito mori ſuſcepto tã paruo nocumento. Aliquis autem fortaſſis dicet, vulnus, quod Redemptor noſter in latere pertulit, ad cau-
K ſandam velocem mortem ſuffeciſſe. Reſpondendum, illud quidem ad Chriſtum attinuiſſe nihil: nam, quãdo illud Chriſtus ſuſcepit, iam expirauerat, vt patet teſtimonio oĩum Euangeliſtarum. Induci ergo videtur ex his Chriſtum in Cruce veram non ſubijſſe mortem.

Chriſtus veram mortem tolerauit, & quædam alia de eodem. Cap. XLV.

HIs autem reſpondendum eſt, Chriſtum veram toleraſſe mortem, ſicut oĩum Euangeliſtarum teſtimonio comprobatur, totius quoque catholicæ fidei indubitata aſſertio hæc eſt. Iuxta modum autem, quo mors Chriſti cauſata fuit, aduertendum eſt, Chriſtum Deum verum fuiſſe, & hominem, ideo, ſicut ei Deo

F exiſtenti cuncta ad nutum ſubiecta erant: ita quoq; naturæ humanæ ſuæ partes ſubiecta erant, omnia quoq; his accidentia, aut quouis attinentia modo, vt mors, & vita. De his igitur faciebat, vt volebat, & quando volebat. Poterat igitur eas ſeiungere, atque coniungere pro ſolo nutu, cum vellet, & conſequenter viuere ei etiam meritum vellet liberum erat, quod quidem alijs hominibus non adiacet. Non enim dominantur naturæ ſuæ: nec moriuntur cum volunt: nec viuunt ex voluntate quidem duntaxat. Nam accidit, vt moriatur quis, quando vult, ſcilicet, ſi ſibi manus iniecerit mortem procurans, tunc tamen non moritur, quoniam ſolum vult, ſed quia mortem ſibi inſert realiter agendo. Sicut ergo Chriſtus vitæ, & mortis in ſe ipſo erat. Ita, & ſi aliqua colligantia potentiarum naturalium actiuarum,
G vel paſſiuarum in ipſo erat, Dominus ipſius eſſe poſſet: quia, cum vellet, illam tenere colligatam poterat, cum autem colibitum foret, quæ naturaliter coniuncta erant, diſiungeret. Et hic modus eſt, quem ſacri doctores aſſignant in homine Chriſto, quod in paſſione ſua fuerit verus, & plenus compræhenſor perfectam ſuſcipiente delectationem anima ſua in diuinæ viſionis eſſentia, quæ ſemper ei præſens erat: hanc autem viſionem cum cõſequenti delectatione fruitionem vocant, in qua plena conſtat fælicitas. Erat quoque acerbiſſime afflictus perferens dolores amariſſimos, ita vt beatiſſimus, atque afflictiſſimus virorum ſimul diceretur. Hæc vero ſimul in nullo viro ſecundum naturam eſſe poſſibile eſt: in anima ſiquidem rationali noſtra vires quædam puræ, ſpirituales, rationales, ſiue intellectiuæ
H ſunt: his autem Deum cognoſcit, atque in eo cognito delectatur, in quo plena fælicitas humana conficitur. Quamquam hæc gloria, quę directè in potentias rationales recipitur, poſterius redũdat in partes ſenſitiuas, quæ ſunt vires inferioris conditionis. Hæ aũt in Deum tendere non poſſunt, quoniam excedit conditionẽ obiecti ſui. Sunt enim præter rationales vires in hoĩe aliæ, quæ ſenſitiuæ dicuntur, de quibus nũc tangebatur: hæ enim illi, vt animal eſt, conueniunt. Sunt quoq; natura inferiores rationalibus, quibus ſentimus, atque vitaliter immutamur ab his, quæ corporea ſunt, aut corporum cõditiones. Hic autem habitudinis modus his viribus mutuus cõſtat, quod, cum omnes eiuſdem animæ vires ſint colligatæ ſunt, & ad eandem operationem tenduntita vt in eam operationem, in quam rationales
I tendunt vires, ſenſitiuæ quoque ferantur, & in quam ſenſitiuas moueri dixerimus, rationales quoque identidem moueri neceſſe ſit. Nec tamen in hoc quiſquam intellexerit vtrarumque eundem fore actum: nam naturales vires intellectioni vacant, ſenſitiuę autem potentiæ nunquam intelligunt. Identidem quoq; ſenſitiuæ ad ſenſationes ſunt, intellectiuæ tamen ſenſationis actũ nunquam explent. Sed eſt ſuperiorum ſenſus, ꝙ tamen rationales potentiæ in actu ſuo ſunt, quamquam ſenſitiuæ non compleant aliquem intelligendi actum, vt rationales, tamen ad illum actum rationalium virium attentæ ſunt, ita quòd nulli alteri actui ſui generis occupantur. Hoc pacto, quamquam vires rationabiles ſenſationem nullam cauſent, aut ſuſcipiant, ſenſationem tamen, quæ à potentijs ſenſitiuis eſt attentę ſunt. ſ. tunc
K nullum ſpecialiter ſui generis explentes actum. Hæc autem virium ſenſitiuarum intellectiuarum colligatio in nobis eſt propter animæ vnitatẽ in qua omnes ſunt: vnde, cum anima, quæ operationum noſtrarum eſt radicale principium iuxta Ariſto. 2. de Anima, eſt intenta operationibus ſpeculatiuis ſecundum vires rationales, non poteſt vacare actibus ſenſitiuarum potentiarum. Cum autem è contrario vacat ſenſitiuis experimentis ſecundum potentias ſenſitiuas, contemplationi ſpeculatiuæ ſecundum rationales vires intendere nequit. Horum autem tota vita exemplorum plena eſt: nam, ſi quis in ſumendo cibos, aut delectabiles armonias audiendo delectatur: impoſſibile eſt tunc cum delectari circa ſpeculationem, aut in actu phantaſiandi circa aliquid. Accidit autem prorſus è con-

contrario, ſiquis magnæ, atque altiſſimę ſpeculationi operā dederit, qui penitus deditus ſit huic operationi, non poterit vacare delectationi, quæ eſt in cibo, aut in potu, vel tactu; &, ſi, quem tunc cibos ſumere cōtingat, neſciet, an cibi ſapidi, aut inſipidi ſint, & ſi audierit, nō diſtinguet, cuius conditionis audita vox ſit. Et, ſiquis huius ſpeculanti apertis oculis ſe obiecerit, neſciet diſtinguere, quis ille ſit, ac ſi neminē conſpexiſſet. Quod, ſi fortaſſis ad altiſſimum, atque extremum delectationis gradum iſta intellectus attentio peruenerit, nequibit, qui hoc patitur, quidquam videre, auditu percipere, frigus, caloremve ſentire, aut cibum, ſiue potum ſumere, etſi ei cuncta ſentienda apponantur.

Quædam attinentia ad ſuperiora. Cap. XLVI.

APparet autem abundantius, quę dicta ſunt in his, qui raptum, aut ecſtaſim patiuntur, velut interdum prophetis eueniebat. Accidit quoq; doctori gentium Paulo, interdum quoque quibuſdam ante mortem hæc accidunt. In his enim anima in corpore eſt, cum ecſtaſim patiuntur. Quod apparet, nam, ſi hi mortui eſſent, cum horum quoſdam interdum per triduū, aut quatriduū raptos eſſe eueniat, ſicut de eo, qui vulgariter Tudanus dictus eſt, recitatur, corpora eorum grauem odorem emitterent, ſicut accidit in corporibus mortuorum, atque iam reſolui inciperent ſuccedentibus ſibi naturalibus gradibus reſolutionum. In his tamen, qui ecſtaſim, aut raptum patiuntur, nec grauis exalatur odor, nec quęuis reſolutio facta apparet. Nam ſordida quædam inde tabes diffluere appareret: mortui igitur, qui hæc patiuntur, non ſunt. Cum ergo quiſpiam raptus eſt, anima eius in corpore eſt: nihil tamen videt, aut auditu percipit, nec cibum, aut potum ſuſcipere poteſt, nec quamuis aliam ſenſitiuam tunc habet operationem. Identidem autem motiua operatio in eo non eſt: anima namq; illa corpus tunc mouere nequit; moueri namq; nullatenus poſſet etiam igne ei circumpoſito, vt ſic flammis vreretur. Aut ſi ei varia cruciatuum genera infligerentur, mori quidem poterat, ſentire autem minime: nam tunc ſpiritus ille, qui artus vegetat altiſſima occupatus ſpeculatione ſenſum in corpus non influit, quo dolorem, aut aliquam quamuis ſentiamus paſſionalem immutationem. Nec quidem, qui ecſtaſim patitur, ſolis ſenſitiuis operationibus, quæ animales appellantur, deſtitutus eſt: ſed etiā vegetatiuis actibus, qui naturalium potentiarum eſſe dicuntur, quod mirabilius eſt. Hoc autem apparet, quoniam tunc nihil digeſtiua, aut expulſiua, vel appetitiua potentia operatur, ita vt in huiuſmodi corpore vitalis calor nullus appareat. Quoniam calorem ſpiritibus reſolutis à corde præuenientibus cauſari aiunt, qui, cum continuis reſolutionibus multiplicantur, calor, & vigor corpus informant, cum vero horum penitus ceſſauerit reſolutio, calorem, atque corporeum ceſſare vigorem neceſſe eſt: de his tangit Ariſt. in lib. de differentia ſpiritus, & animæ: quamquam a pleriſq; hunc non eſſe Ariſtot. librum aſſeratur. Cum vero anima totaliter occupata nullam alteram operationem incipere poteſt, nequit ſpiritus vitales, atque motiuos in corde reſoluere, ex quibus vigor, & calor in corpore generetur; quo fit, vt, qui talia patitur, prorſus vita defunctus videatur non apparente in ipſo aliqua vitali operatione. Hoc autem propter nihil aliud euenit, niſi quia anima tunc ſumme attenta eſt ſecundum potentias rationales.

Quando quis ecſtaſim patitur, nullam tunc ſenſitiuā habet operationem.

Magna rationalium potentiarum attentio facit, vt nullam ſenſitiuam delectationem percipiamus.
Cap. XLVII.

AMplius autem ex his infertur, quód, cum quiſpiam magnam valde rationalium potentiarum delectationem experitur, nequeat vllatenus ſecūdum actum ſenſitiuarum potentiarum delectari. ſ. in cibo A ſumpto, aut potu, aut in quouis corporeo experimēto: Identidem autē, nec aliquam in eiſdem ſenſitiuis partibus afflictiuam paſſionem tolerare poteſt. Vnde, ſiquis audiat aliquid, quod vehementer audire concupiuerat, nec illam vnquam audierit, etiam ſi fames, aut ſitis eueniant, illas tamen nunquam ſentiet. Sic enim vulgariter loquentes in ſimilibus dicimus, hic noctibus, diebuſq; maneret nullo cibo, aut potu vegetatus: Ex oppoſito autem euenit, cum quis vehementiſſimā ſecundum aliquam ſenſitiuam potentiam delectationem experitur, vt in viſu, aut guſtu circa actus rationalium potentiarum vacare nequit, vnde, ſi ei aliqua intelligibilia apponantur, circa illa nullatenus intelliget. Amplius autem, cum delectationem ſenſitiuam tantum excreuiſſe contingat, vt ad altiſſimum, atque B extremum ſenſitiuarum delectationum gradum deuenerit; qua nulla in ſenſitiuis reperiatur maior, non ſolum, qui hæc experitur, alicui intellectioni vacare nequibit, ſed etiam nullatenus quidquam intelliget. Idē autem ad ſenſitiuas potentias patietur, ſcilicet, vt ſecūdum nullam earum quidquam percipiat. Sic enim in actu venereo accidit, qui eſt actus tactiuæ potentiæ, de quo Ariſt. Ethic. lib. 7. ait: Aiunt enim in ipſo intelligere poſſe neminem. Identidem autem ſi in parte ſenſitiua aliquis inſurgat dolor, ſecundum actus rationalium potentiarum nullatenus delectari valebimus: velut cum quis acutiſſimum experitur dolorem, circa nullam poteſt vacare ſpeculationem: ſed ad ſentiendum dolorem neceſſario conuertitur. Vnde, ſiquis validiſſimis doloribus circumſepius foret, velut gehennalibus C incendijs mancipatus, cui ſe Deus manifeſtum redderet, ſicut ſe beatis animabus in vita æterna oſtēdit, qua viſione beatæ ſunt, delectari quidem nequiret, niſi ei prius Deus illos auferret dolores. Hæc autem omnia eueniunt propter naturalem colligationem rationalium, atque ſenſitiuarum potentiarum in actibus ſuis; cum omnes in eadem anima ſunt.

Qui delectationibus ſenſitiuis planum oppreſſus eſt, nihil intelligere poteſt.

De quadam potentiarum ſenſitiuarum, atque rationalium colligatione in Chriſto exiſtente.
Cap. LXVIII.

IN Chriſto Saluatore noſtro, cum verus homo foret, neceſſarium eſt hanc confiteri fuiſſe potentiarū, atq; ſenſitiuarum rōnalium, vt in nobis colligationē, vnica D quippe in eo anima erat. Et, cum ſecundum rationales potentias quidquam ageret, ſenſitiuæ ad hoc attentæ erant, cum vero in ſenſitiuis ei quæcunque foret operatio, rationales quoque ad hoc vacabant. Quoniam tamen natura ſua humana ſuæ ſuberat poteſtati, poterat, cum vellet, harum ſoluere colligantiam, ſ. quod potentiæ rationales magnam in ſpeculari delectationē experirentur: vires autē ſenſitiuæ ad hoc nihil attenderent: ſed quandam aliam diſtantiſſimam aut delectationē, aut triſtitiam experirentur. Poterat autem identidē ſenſitiua pars eius magis perfrui delectationibus, rationalibus viribus illius ſumma repletis amaritudine, aut quód rationales vires magnis delectationibus perfunderetur ad hoc nihil attendentibus partibus ſenſitiuis, E & ipſæ ſenſitiuæ vires duriſſimis doloribus tenerentur. Ille autem modus eſt, quo Chriſtus in paſſione exiſtens erat verus, atque plenus compræhenſor ſuſtinens amariſſimos cruciatus, & cruciatum acerbos dolores. Theologi autem compræhenſorem illum vocant, qui totum bonum ſuum adeptus diuinam eſſentiā videt, qua viſione beatus eſt. Hoc autem Chriſto homini contingit ab inſtanti conceptionis ſuæ: nam ex tunc perſonæ diuini verbi vniuit ſibi animā illam Chriſti ad vnitatem perſonæ, vel hypoſtaſis, vnde illa benedicta anima ſemper videbat diuinam eſſentiam. Hanc aūt ſine maxima delectatione eſſe impoſſibile eſt: nā fœlicitas eſt plenitudo omnium gaudiorum, atque aliorum bonorum: ſed in iſta viſione eſt fœlicitas: ergo in hac viſione ineffabilem eſſe delectationem neceſſarium eſt, maiorem quidem, quam quiſpiam imaginari poſſit: Quo-

Comprehenſor quis appelletur.

Fœlicitas quid.

niam autem hypoſtatica, ſiue perſonalis vnio animæ
Chriſti ad verbum diuinum in paſſione ſua non diſſo-
luta eſt, nec vnquam perijt, cum dicat Damaſcenus,
quod ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit. In paſſione
diuinam vidiſſe eſſentiam animam Chriſti neceſſa-
rium eſt, atque tanta ſibi fuiſſe delectatione perfuſam,
vt nulla maior illa in aliqua creatura eſſe poſſet, aut
in illa imaginari eſſe. Eratque ita intenſa delectatio,
vt nunc eam in cęlo habet: quia fęlicitas Chriſti nun-
quam diminuta, aut augmentata eſt. Hoc enim gene-
raliter in omnibus appręhenſoribus eſt, vt, poſtquàm
ſemel cōpræhenſores effecti fuerint, amplius nec auge
ri, nec diminui valeant, cum in termino ſint: augmentū
aūt, aut diminutio ad hos pertinet, qui purè viatores
ſunt. Erant autem in Chriſto partes ſenſitiuę, in quibus
horribiliter anguſtiabatur: nam acerbiſſimas tollera-
bat pœnas: ei nanque tales infligebantur cruciatus, vt
grauiſſimos dolores ſentire deberet. Sic igitur verè af-
fligebatur, atq; ſuper omnem humanam exiſtimatio-
nem dolores tolerabat. Apparet igitur in Chriſto diſ-
ſoluta colligatio ſenſitiuarum, atq; rationalium viriū
in ſuis actibus. Nam virilibus rationalibus diuinā vi-
debat eſſentiam, atque tanta fruebatur iucundicate, vt
nulla in creaturis æqua delectus reperiri quæat, aut
imaginatione cōprehendi. In partibus aūt ſenſitiuis ve
riſſimos, atq; horrēdos ſuſtinebat dolores, quibus ſu-
per omnē humanā exiſtimationem afflictus erat. Hoc
aūt in nullo noſtrū naturaliter eſſe valebat: nam, cū na
turalis potentiarū rationaliū, & ſenſitiuarum in acti-
bus ſuis colligatio ſit: neceſſariū eſt, vt, cum earum alte
rę alicui actui vacant, alię huic attentę ſint ad nihil al-
terum attendentes. Si igitur quiſpiam noſtrum duriſ-
ſimos, vt Chriſtus, ſuſtinuiſſet dolores, prorſus affli-
ctionibus repleretur, eſſentq; rationales vires ſenſiti-
uarum partiū attentę doloribus, nulli ſpeculationi ope
rā dare poſſent, aut cuiuis intelligibilis, delectatione
tenerentur, & q̃q̃ diuina eſſentia ſe videndā huic mon
ſtraret, intellectus penitus afflictus illi viſioni vacare
nō poſſet, nec in ea vllatenus delectari. Nā, cū aliquis
dolor, aut notabilibus impreſſio in partibus ſenſitiuis
cauſatur, inuiti ēt trahimur, vt cæteris actibus intelle-
ctus omiſſis illum duntaxat dolorem attendamus.

In paſſione Chriſti aīa diuinā vidit eſſentiam.

Impoſſibile eſſet quemquam in toto orbe ex ſolis plagis Chriſto illatis tantum ſuſtinuiſſe dolorem, quantum ex his Chriſtus paſſus eſt. Cap. XLIX.

EX prælibatis aūt illatione neceſſaria inducitur, im
poſſibile fore quemquā in toto orbe terrarū ex ſo
lis plagis Chriſto illatis tantū ſuſtinuiſſe, aut ſenſiſſe
dolorē, quātū ex his Chriſtus in ſua paſſione tolerauit.
Nec hoc quidē quiſpiā ſcripſerit, maxime tēperiei ſuæ
cōplexionis, ſed neceſſariū erat eū magis dolere ęquis
inflictis ſibi, & alijs punitionibus. Sed in alterū ſpecia-
liter cauſalitas huius reducenda eſt. Hoc tn̄ ēt nemo
nos diffiteri patet: nā cōplexionum æqualitas, & tem-
peries ad viuacitatem ſenſationis nimis cooparentur.
Quod apparet, nam durius tolerat, atq; vberius dolet
quiſpiā hominū, ſi baculo, aut incuſſo carni ſuæ ferreo
ſtimulo percutiatur, quā ſi aſinus iſta toleret. Hoc aūt
qm̄ humana complexio in æqualitate tēperiei aſinam,
atque cæterorum brutorum excedit. De Chriſto aūt ad
reliquos homines idē erit: ipſe nāque temperatiorē cæ
teris hominibus habuit complexionem; aliæ tn̄ huius
acrioris doloris in Chriſto æqualies cruiatus cæteris
tolerando fuit. Nā, cū nos quidq̄ patimur, ſi nobis quiſ
quam cōpatiatur, dolores illos leuius toleramus. Si ve
rò nemo conſolator adeſt, dolor acrior eſt. Sic aūt eue-
nire dignoſcitur per hoc, quod eſt intra nos cōſolatorē
aliquem eſſe, aut non: eſt enim dolor aliquid cauſatum
in partibus ſenſitiuis, cum diffiniatur dolor eſſe ſenſus
nocumenti. Cauſato autem hoc dolore, ſi partes ſu-
periores hunc dolorem inſpiciant, atque partibus ſen-
ſitiuis dolentibus condoleant, minoratur, quod tole-

Dolores cuius patimur, ſi nobis qſ. piā cōpatiatur.

A ramus. Sic tamen ſemper euenit, vt partes rationa-
les ſenſitiuis condoleant ſignantes ſe dolore, quia ſen-
ſitiuæ perferunt quid aduerſum. Amplius autem,
& rationales viribus ſenſitiuis interdum ſolamen præ-
ſtant ſpem præferentes bonam doloris velociter fi-
niendi. Interdum autem quendam alium ſolaminis
ingeret modum, inuenientes per hunc breuem dolo-
rem magna nobis gaudia affutura. Non igitur nobis
nimis dolendum eſſe, qui bona valde multa per par-
ua aſſequimur damna. Alij quoque multi conſola-
tionis modi ſunt, quibus ſe rationales vires ſenſitiuis
propitias exhibent, qui vberius ſunt in eis, qui ratio-
ne, & theorematibus mente magis abundant, qui ſi-
miles ſunt eis, quos Ariſto. Epidixios vocat in conſo-
lationibus amicorum. De hoc Ethycor. lib. 9. Cum
B hæc igitur in nobis dolentibus ſentiantur, neceſſa-
rium eſt dolorem minus ſentiri, quàm alias ſentiretur.
In Chriſto autem patiente nullus harum conſolatio-
num modus erat. Potentiæ namque rationales eius. ſ.
intellectus, & voluntas contemplationi diuinæ eſſen-
tiæ vacantes erant, atque conſequēter ex viſione dele-
ctationi: cum verò viſio hæc, atq; delectatio extremam
exigant attentionē, cū altiſſima ſpeculatio, atque dele-
ctatio ſit, impoſſibile eſſet poſitiones rationales huic
vacationi prorſus deditas, cuius alteri operationi va-
care. Nam hoc dato capacitatem quidem potentiæ re-
pletam nondum eſſe neceſſe erat, quod fœlicitati re-
pugnat, in qua plenè deſideria noſtra complentur. In
Chriſto autem ſic erat, cū ipſe ſemper comprehenſor,
atque diuinæ ſpeculator eſſentiæ exiſteret. Impoſſi-
C bile quidem igitur erat partes ſuas rationales. ſ. volun
tatem, & intellectum ſenſitiuas partes, in quibus ace-
rimi dolores erant reſpicere poſſe, vt hanc, de qua prę
libatum eſt, influerent conſolationem. Vires igitur ſen-
ſitiuæ omni ſolamine, ac adiutorio virium rationa-
lium neceſſariò amarius torquerentur dolores ſuos
nullo eos minuente pleniſſimè ſentientes. Quo pa-
cto dolere eas acrius, neceſſe erat, quàm ſi hæc alias in
forma communi paterentur. Et, quoniam in nullo ho-
minum harum potentiarum colligatio diſſolui valet,
ſed, cum cuiquam vires rationales attendunt, in id ſen-
ſitiuæ quoque feruntur, & ſi cui ſenſitiuæ vacauerint,
vires rationales identidem ad id attēdere, neceſſe eſt,
poſſibile vllatenus videbatur, vt quiſquā in ſenſitiuis
viribus inſurgeret dolor, ad quē rationales non atten-
D dant vires, atq; vſquequaque poſſunt, conſolari conen
tur. Quo fit, vt, ſi hi, qui Chriſto cruciatus illati ſunt,
cuiuis illata forent, in eis tantum volere, vt ipſe doluit,
impoſſibile foret. Ex hoc autem rationabilius valde
homo Chriſtus vires ſuas ſenſitiuas, in quibus acerri
mus ingruentis paſſionis tēpore, & præſentis erat re-
ſpiciens nulla ſuperiorū virium conſolatione leniri,
aut ab acerbiſſimis quodāmodo paſſionibus mitigari
aduertens, ſe quoque ea, quæ in cæteris hominibus pa-
tiētibus à viribus rōnalibus cōſolatione accidit, à Deo
derelictum, proclamabat, dicens, iuxta id, quod habe-
tur Matth. 27. ca. Deus Deus meus, vt quid dereliqui-
ſti me? ſ. nullus aliorū virorū in perferēdis doloribus
ſic conſolationū ſuperiorum virium ſubſidijs deſtitui-
E tur, vt in hoc horrifero cruciatu deſtituitus ſum.

Dolor qd ſit.

Rationales potentiæ interdum viribus ſenſitiuis ſolamen præſtant.

Quomodo mors in Chriſto cauſata fuit. Cap. L.

NVnc verò ad eam inquiſitionem ſpecialius acce-
dendum eſt, qua quærebatur, quomodo mors in
Chriſto cauſata fuerit. In mortibus namque, quæ
illatis vulneribus infliguntur, ideo mors fit, qa natura
damnum ſibi repugnans habet: eſt autem per crucia-
tus, qui inferuntur. Contrariorum autem ſecundum
naturam iſta conſtat habitudo, vt ſe mutuo deſtruant.
Cum igitur pœnalitates inferuntur, natura his reſiſtit
tolerando, quoad poteſt conſeruans ſe in eſſe; cum ve-
rò cruciatus intenſionem recipiunt, aut tractu tēporis
extenduntur, natura ferre non valens debilitatur, atq;
tormentis cedit, atq; hoc pacto animal moritur. Hinc
autem

autē eſt, vt robuſtioris complexionis viri diutius ægritudini, & illatis reſiſtāt vulneribus, nec ita cito propter hæc, vt alij, moriuntur: acriores quoq; perferunt cruciatus. Natura namq; potens duriora, quàm debilis tolerabit. Qui verò debiles corpore ſunt, diutius cruciatibus non reſiſtunt, ſed in eis velociter damno natura cedit. Quo fit, vt minoribus affecti cruciatibus, quàm cæteri homines ſunt moriantur. Cum verò eis dura ſuſtinere contigerit, velociter ſuſtinendo deficiunt. In Chriſto autem ſpecialius hoc inerat, vt, quamquā verus homo anima, & corpore cōſtans, ſicut cæteri eſſet, erat tamen naturæ ſuæ dominus, ius efficiendi habens quidquid ex ea, aut in ea facere maluiſſet. De corpore autem ſingillatim, de anima quoq; per ſe idem ius ei erat, quod nulli vnquam homini natura concedere valuit. Poterat ergo Chriſtus, cum vellet, animam in ſuo corpore tenere; poterat conſimiliter, cum vellet, ſeiungere, aut velociſſimè, ſiue multis exhauſtis temporum curriculis. Vnde, & ſi elegiſſet cum primo flagelli tactu, aut primo inflixo clauo mori, nulla quidem vlteriori naturæ ſuæ facta violentia ſubito moreretur. Addo autem ad hoc nullam vlteriorem exactam violentiā: nam cæteris hominum facultas eſt animas a corporibus ſeparare, cum libuit. hoc tamen eis non contingit, niſi illata quadam violentia, ſ. ſibi ipſis manus ingerant. Chriſtus autem in hoc cūctos excelluit, vt nullo ſibi inflicto cruciatu, aut veneno, aut quouis aſſumpto peſtifero, ſola volitione animam à corpore ſeparaſſet, nec ad hoc neceſſe fuiſſet aliquem ſentire dolorem. Ex eodem fundamento ius erat Chriſto animam ſuam corpori vnitam, quoad vellet, tenere, & quanquam ferociſſimos cruciatus irrogati forent, mori impoſſibile foret. Vnde, & ſi continua mille annorum, aut quanticunque maioris temporis ſucceſſione flagellis cæſus foret, aut cruci affixus teneretur clauis, mori nequaquam contingeret, niſi eligeret mori iubens animam à corpore ſeparari.

Poteſtas Chriſti de anima ſua.

Chriſtus in quo omnes excelluit.

De neceſſitate mortis Chriſti. Cap. LI.

ET quoniam ab æterno ante exordia ſæculorū Chriſtus diſpoſuerat ſua ferociſſima nos morte à pænarum, atq; peccatorum liberare ærumnis, neceſſe erat eum mori. Mortis autem ſacratiſſimæ quantum ad inflictionem ſuam modus iſte fuit. Elegit.n. Saluator noſter acerrimis flagellis pungi, duriſſimis perforari clauis, ſpinarum quoq; rigidis aculeis aperiri, hæc quoq; diutius tolerauit. Quibus addendum eſt, quòd in cruce per tres horas, aut amplius viuens pependerit, in quo quantus fuerit dolor tota illius benedicti corporis graui mole fixis manibus, & pedibus ſuſtentata, atq; pondere ſuo ad inferius trahente, nemo ſatis admirari ſufficeret. Et quanquam inflictis his cruciatibus, qui Chriſto illati ſunt, cuilibet virorum, nullus ita cito moreretur: nemo tamen eſſe potuiſſet, qui his ſuſceptis tantos inde ſuſtuliſſet dolores. Et ſi cuiquam quouis modo ex aliquibus pœnalitatibus tāti ſequerētur dolores, neceſſarium erat hunc breuiſſime mori, nemo enim tam acerrimus ita diutius dolorum cumulos toleraſſet, ſicut in prælibatis declaratū eſt. Nec duntaxat iſti dolores tāti fuerunt, vt quiſquam eos ſine acerrima morte tolerare poſſet, ſed tanti fuerunt, vt nullus virorum quantumcunque cruda ei illata morte tantorum dolorum tam viuaces aculeos pertuliſſet. Cum autem inexcogitabiles ſuſtuliſſet Saluator noſter in corpore ſuo pænalitates effuſo ſanguine vniuerſo, videns beata Trinitas iam rationi, atque æquitati diſſonare hominem illum Ieſum diutius cruciari, cum plenè recuperandæ humani generis ſaluti ſatisfeciſſet, animam ab illo corpore ſeparari decreuit, vt nullos vlterius ſentiret dolores. Et quoniam non vt cæteris hominibus euenire ſolet, vt natura doloribus reſiſtere non potenti, atque per hoc ſuccumbente moriantur, Chriſto euenit. Sed tunc mortuus eſt, cum voluit, ideo non erat eius debilitata natura, vt in cæteris morientibus fieri cernitur, quin potius ita fortaſſis, vt ante valebat. Ob hoc autem cum eſſet in li-

Chriſtus in cruce mortuus cum voluit.

A mime mortis, forti boatu clamauit, cunctiſque audientibus vox illa terrifica fuit. Vnde & centurio Pilati miles vehementer in hoc commotus eſt. Sic enim Chriſtus durè clamauerat, ac ſi nulla pertuliſſet mala integra manente natura. Nec quidem naturaliter in aliquo viro qui mortem in cruciatibus ſuſcepiſſet hoc euenire poterat: nam, cum mortem ſubiret, debilitatum fore neceſſe erat, quo voces tam fortis boatus emittere non valeret: Vnde non immeritò centurio clamantem in extremo vitæ audiens air: Verè filius Dei erat iſte, vt habetur Matthæi. 27. cap. Poſt hoc tamen Chriſtus in cruce animam à corpore ſeparauit, verè igitur mortuus eſt, vt cæteri homines moriuntur.

B *Obiectiones quædam penes prædicta. Cap. LII.*

PRælibatis autē his conſequens eſt his, quæ obiiciebantur reſpondere. Primo autem dicebatur, ſi Chriſtus in cruce veram mortē ſubijt, aut eam plagarum doloribus, aut volente ipſo atq; anīmā à corpore ſeparante factum eſt. Si verò cū ſponte animam à corpore abſtuliſſe aſſeruerimus, homicidā ſui ipſius Chriſtum facere videbimur. Si verò plagis vigentibus hoc factum eſſe fateamur, ſtare quidē non videbitur: nam, cū moriturus fuiſſe dicitur, durè clamauit, quod in eo naturæ fortitudinem atteſtatur: nemo tamē moritur, niſi ad extremum debilitata ſit natura. Huic reſpondendum eſt, Chriſtum verè mortuū ſecundum teſtimonia omnium euangeliſtarum, hoc verò & dictis plagis, & voluntate eius iubente factum eſt. Vera namq;, atq; amariſſima ei C vulnera inflixere Iudæi, quibus ſuſceptis quicūq; virorum moreretur, quanquam fortaſſis non ita velociter, vt Chriſtus mortuus eſt. Ex his autem inflictis plagis, tam acerbi dolores, & amplius valde in Chriſto prouenerunt, quam duros quiſquam moriens plagis impoſitis ferre poſſet. Hæ tamen pœnalitates á Iudæis Chriſto inflictæ huic inducendæ morti minime ſuffeciſſent, & ſi maiores, multipliceſq; his adderentur, niſi Chriſtus ſponte, atq; iubens à corpore benedictā illam animam ſeparaſſet. Cum verò ad hæc obijcitur, Chriſtū verum fuiſſe homicidam, vt qui ppe qui volens animam a corpore ſeparauerit. Reſpondendum eſt, ex hoc minime hoc inferri: anima nanq; naturaliter in corpore manere D deſiderat, cum propter ipſam factum ſit, eiuſque naturalis manſio ſit. Ob hoc autem, cùm quis damnū quodcunq; corpori infert, ex quo animæ ſeparatio ſequatur à corpore, animæ iniuriam infert, quoniā à ſuo naturali domicilio excludit, corpori autem iniuriam nullam facit, corpus quippe iniuriam nullam recipere poteſt. Velut ſi quis alicuius domus habitatorem inuitum de ſua habitatione expellerit, habitanti iniuriam infert, domui autem nullam, domus quippe nec iniuriæ, nec vituperij ſuſceptiua eſt. Si quis verò ſe ipſum occiderit, animæ ſuæ iniuriam facit, quam de naturali excludit domicilio. Huic autem animæ homicida ſui ipſius iniuriam nullam agit, inquantùm ipſa malæ volitionis cauſa, & auctor eſt. Ipſa nanque occidendum eſſe eligit, fit ei tamen aliqua iniuria, inquantum in corpore illo naturaliter manere deſiderat.

An Chriſtus ſe ſui fuerit homicida.

Qui ſeipſum interficit, animæ iniuriā facit.

E *De Chriſti poteſtate ſuper animam ſuam. Cap. LIII.*

HÆc enim, quæ de iniuria animæ illata dicta ſunt, in Chriſto locum non habebant, ipſe nempe poteſtatem habuit ponendi animam ſuā, & iterū ſumendi eam, & non ſolum iterum, ſed quotiens ei collibitū foret. Si igitur tunc eam de corpore auferebat ad illud eandem poſt quadraginta horas cum maiori gloria, & honore redditurus, nullam illi iniuriā, aut iniuriæ imaginē irrogabat. Si verò nobis identidē facultas foret, vt, cū liberet, licitū foret aīas à corporibus tollere, eas, cū voluerimus, perfectione, & gloria augmentatas reducendo, nullam quidem iniuriam illis inferremus. Hoc tamen nulli adiacet: nam, ſi quis ſemel ſeiungerit à corpore animam, reducendi facultatem nullam habet, iniuriam

F iniuriam igitur eis intulerimus, ſi quando eas inuitas proprio de habitaculo excludemus, & ob hoc peccatũ graue eſt, velut ſiquis alterũ de proprio expelleret domicilio, cum in illud redeundi faciens impotentẽ, iniuriam quidem irrogauerit. Si tñ quis propria de domo, cũ libet, receſſerit, iterum ad libitum reuerſurus, nullam quidem aut habitator ſpontè recedens iniuriã ſuſcipit, aut irrogat domicilio. Hoc aũt intereſt, cũ quis animam de corpore expellit nunquam poſterius reuerſuram, aut cum eam educit poſt paululum cũ maiori rediuitam honore. Amplius aũt Chriſtus ſui ipſius homicida dici nequit: nam, cum quis ſibi manus propria ſponte ingeſſerit, peccati reus eſt. Si verò hoc Deo iubente expleuerit, iniquitate nulla tenetur, quin potius nimis in hoc meretur. Erat autem fortaſſis actus

G iſte meritorius ſuper omnes alios actus, quicunque fuerit, quoniam actus difficillimus eſt. Homo quippè ſeipſum naturali, atque exceſſiuo nimis amat amore. Hanc autem occiſionem licitam fore comprobatur. nã, quicunque tenetur Deo vniuerſaliter obedire, quoniã vniuerſalis dominus eſt. In hoc igitur ſicut in cœteris, ſi iuſſerit, obtemperandum eſt. Sic enim quidam de catholicis doctoribus aſſerunt Sanſonem ſibi interitum prouocaſſe ſpiritu Dei commotum. vt ſic interiens plurimos occideret Philiſthinorum, ſicut opere completũ eſt, vt habetur Iudi. 16. cap. quo pacto eum homicidij crimine liberant. Hic quoque modus Abrahæ excuſatorius eſt, ipſe namque filium ſuum deliberatiſſimo animo occidere voluit: de quo Gen. 22. cap. In Chriſto autem non diſparia his interceſſiſſe dicendum eſt: præ

H finitione namque æterna totius beatæ Trinitatis hanc diram Chriſtus ſubijt mortem: quod euidenter conijcitur: ab eo ſiquidem hanc trãſiſſe mortem exoptabat, vt habetur Matth. 26. cap. pater, ſi fieri poteſt, tranſeat à me calix iſte: veruntamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu. Tenax tamen æternæ, immutabiliſque præfinitionis beata Trinitas hunc hominem Chriſtũ ad mortem induxit. Homicidam igitur ex hac re eum appellare nequibimus, quoniam magis hoc facto laudandus erit: cum hoc ſanctæ trinitati obediens fecerit, multoſq; atque duros labores tollerauit, vt patet Pſ. 16. Propter verba labiorum tuorum ego cuſtodiui vias duras. Cum vero quiſpiam ſola peſſima ſua volitione permotus, nullam a Deo iuſſionem recipiens, manus ſibi ipſi ingeſſerit, peccat: eſt enim iniurius animæ ſuæ, quam de

I proprio, naturalique renitentem expellit habitaculo.

Obiectiones penes ſuperiora. Cap. LIII.

SEd adhuc in prædictis maioris inquiſitionis motiua ſunt. Chriſtus namque non ſolum iuſſu Dei mortem ſubijt, ſed amplius animam ſuam ipſe à corpore ſeparauit. In eo autem, quod eſt mortem ſubijſſe, aut potius toleraſſe, dubitari nequit, quin virtuoſe egerit: ibi námque ſola paſſio erat, quæ inuoluntaria eſt: ſed in eo, ꝙ ipſe animam de corpore ſuo excluſit, fortaſſis cuiquam dubitandi origo videbitur, an iuſtè, vel ſecus egerit. Cui reſpondendum eſt, quòd, ſi Chriſtus iuſſu Sanctiſſimæ Trinitatis mortem ſubiturus erat, poteratque naturaliter, vt cœteri viri cruciatibus deficere natura ce-

K dente dolori, atque hoc modo in eo animę, & corporis ſeparatio cauſaretur minio eo, ſicut cunctis commune eſt, atque æquo, vt in cęteris temporis tractu iſta conficerentur. ipſe autem, vt leuiori compendio acerbos finiret dolores ſi animam à corpore ſecludebat, peccaret: vetus enim homicida ſui, nè tam diutius cruciatus ferret. Velut ſiquis iudicis diffinitione ſe capitali plectendum nouiſſet ſententia, atque ne tam acerbe pateretur, ſeipſum quauis morte conficit, peccat. In Chriſto autem hoc ſubſiſtere non poterat, quoniam ipſe cruciatibus quotcunque, & quantocunque temporis tractu inflictis mori non poterat, ſicut in cœteris accidit. Non ergo peccauit, animæ, & corporis vnionem diſſoluens, de quo infra dicetur.

F *Non contingebat Chriſtum peccare, ſeparando animæ, ac corporis vnionem. Cap. LIV.*

AMplius autem non contingebat Chriſtum peccare, ſeparando animæ, & corporis vnionem; Nam Chriſtus Deus erat, & ob hoc corporis, & animæ ſuæ dominus, ſicut & omnium aliarũ rerum. Et, ſicut Deus, aut quilibet dominus, nihil peccat agendo, quidquid placuerit in rebus ſuis. Ita & Deus nihil mali, vtendo anima, & corpore ſuo, vtcumque vellet, faceret: nec in hoc aliquam animæ iniuriam irrogabat; Nam hominis ad poſſeſſionem ſuam non eſt aliquod, iuſtum politicum, nec quouis modo, vt ait Ariſt. Ethi. lib. 5. cap. de iuſto politico. ſ. quòd quidquid homo in re ſua, vt in domo, vinea, aut quacunque ſuppellectili fecerit, rectè

G factum eſt, nec magis iniuriam infert homo rebus ſuis ſic, quàm aliter agens, nec per quamuis grauaminis ſpeciem. Hoc autem in omnibus, quæ a nobis poſſidentur, euenit; non enim contigit illis iniuriam fieri. Si autem dominus poſſit iniuriam facere ſeruo ſuo, qui res ſua eſt, & homo eſt, altior eſt, atque diffuſior eſt inquiſitio, de qua latè diximus ſuper Exo. ca. 20. & 21. Deo autem ad omnia creata ſic conſtat, ꝙ omnia ſunt poſſeſſio eius vt habetur Pſal. 23. & Exo. 9. cap. ſ. Domini eſt terra, & plenitudo eius, orbis terrarum, & vniuerſi, qui habitãt in eo. Sic patet Pſal. 102. Quàm mirabilia ſunt opera tua domine, omnia in ſapientia feciſti: impleta eſt terra poſſeſſione tua: ergo nihil eſt in terra, niſi poſſeſſio Dei. Cum igitur Deus cuncta poſſideat, nulli iniuriam ir-

H rogare poteſt. Conformiter igitur, nec animabus. Idem probat Apoſt. ad Ro. 9. cap. vbi de prædeſtinatione, atque diuina præſcientia agit. Nullam igitur Deus animæ iniuriam irrogare poteſt, ſiue eam in corpore ponat ſiue ſeiungat, ſicut nihil domum ſuam grauat amplius eam deſtruens, quam ædificans, vel reficiens. Chriſtus autem Deus erat, & animæ ſuæ dominus, nihil igitur illi erat iniurius, ſi eam à corpore ſepararet, nec in hoc quouis modo iniqua ageret. In nullo autem alio viro hoc accidit; nullus namque corporis, aut animæ ſuæ dominus eſt: Nec hoc quidem de corpore, & aĩa dixerim, ſed nec quiſquam eſt dominus membrorum ſuorum. ſ. manuum, & pedum: nullam igitur harũ partiũ ſibi impunè amputare valebit. Sic hr̃ ad legem Aquiliã in l. liber homo. Cum igitur quis ſibi manus ingerens

I aĩæ, & corporis diſſoluerit vnionem, animæ ſuæ iniurius valde eſt, atq; grauiter peccat. Chriſtus igitur aĩam à corpore ſoluens in hoc nullatenus peccare potuit.

Dominus ad alia ſe habeat.

Nullus mortalibus dominus eſt membrorum ſuorum, quo fit, vt in punitus eſſe nequeat, qui ſuæ conſcius eſt mortis.

De neceſſitate huius generis mortis Chriſti. Cap. LV.

AMplius autem neceſſe erat hunc modũ mortis in Chriſto fuiſſe: nullus enim alius intercidere potuit. Chriſtus namque Redemptor noſter diffinitione æterna Beatiſſimæ Trinitatis moriturus erat, oportuit igitur aliquem aſsignari mortis eius modum: ſed impoſsibile erat eum modo, quo cęteris mors euenit, mori; neceſſe igitur fuit alium mortis modum in eum intercidiſſe. Quod vlterius patet, quoniam cœteri homines naturæ ſuæ Domini non ſunt, non eſt igitur eis fa-

K cultas, cum voluerint animas tenere in corporibus, aut ſola, cum liberauit, eas volitione ſequeſtrare. Sed tunc diſſolutio vnitorum fit, cum id naturalis actio exigit. In Chriſto autem ſic non erat, quoniam verbum, quod eſt ſecunda Trinitatis perſona, vnierat ſibi animam illam, atque corpus, erat quoque iſtud verbum Diuinum ille homo Chriſtus. Neceſſe eſt igitur, vt ipſe corpori illi, atque animæ dominaretur. Non poterat ergo vnitorum hic fieri diſſolutio quaſi exigente natura, ſed iuſſu, atque electione diuini verbi, qui erat homo ille Chriſtus, hoc celebrandum erat. Quamquam ergo plurimi, atque fortiſsimi Chriſto cruciatus illati forent, impoſsibile erat animam à corpore ſolui. Quoniam ipſo iubente, atque volente hoc fieret. Et quoniam oportebat ex diuina præfinitione Chriſtum mori, nec erat alius ei modus mortis poſsibilis, niſi vt

Oportebat ex diuina præfinitione Chriſtũ mori.

ipſe

ipſe animam à corpore ſepararet. Rectè igitur, atque irreprehenſibiliter fecit hanc diſſoluens vnionẽ: nam hoc omiſſo, animam ſuam pro humani generis recuperanda ſalute exponere impoſſibile prorſus foret. In cæteris autem ſecus eſt: nam, cum eis nulla ſuper corpus, & animam facultas ſit, eis inuitis anima ſequeſtratur à corpore, cum naturæ ratio hoc exegerit.

Obiectiones penes ſuperiora. Cap. LVI.

CVm verò ſecũdò ad hoc obijciebatur naturam humanam Chriſti debilius firmatam cæteris hominum complexionibus non fuiſſe, ſed nullus vir eis vulneribus, & plagis ſuſceptis, quæ Chriſtus pertulit, ita velociter moreretur, Chriſtus ergo non mortuus eſt. Reſpondendum eſt Chriſtum debilioris naturæ non fuiſſe cæteris hominibus, quin potius ipſe temperatiſſimę, atque ordinatiſſimæ extitit complexionis, poteratq; æquos cuicunq; hominum ferre dolores. Cum vero obijcis nullum tam paruis inflictis vulneribus, vt Chriſto illata ſunt, tam velociter mori potuiſſe. Reſpõdendum eſt vulnera Chriſti fuiſſe letifera, ſcilicet vt quilibet virorum eis irrogatis mori potuiſſet: quinimo quælibet ſuſcipientem mori neceſſe eſſet, niſi fortaſſis medicorum arte curaretur. Nullus tamen virorũ erat, qui ita paruis inflictis plagis tam celeriter abijſſet, ſicut in ſuperioribus extitit comprobatum: Chriſtus tamen tam acerrimos in his dolorum ſtimulos ſenſit, aut pertulit, quantum quis inſucta ſibi ferociſſima, atque diutiſſima morte pertuliſſet, & his amplius. Quia igitur beatiſſimæ Trinitati rationabile viſum eſt, vt his factis nullos vlterius homo iſte ſentiret dolores, dignata eſt animam de corpore ſequeſtrare: nam, ſi amplius permanſiſſet, vlteriores ſentiri dolores, neceſſe erat, hoc ad nihil conuenire viſum eſt. Quamquam igitur Domini Ieſu complexio ita fortis erat, vt cuiuſcũq; viri, atque ita feroces, vt quilibet dolores tolerare valebat: dignatus eſt tamen animam à corpore ſeparare hoc elapſo tempore tã paruo; in quo nemo moreretur, hos ſolum perferens cruciatus his impoſitis plagis. Quibus ſatis ſolide, atq; in radice inductum eſt Chriſtum vere fuiſſe mortuum: quo infertur hunc agnum, qui Chriſtus eſt, mortuum fuiſſe.

Fortis cõplexionis erat Chriſtus.

Pars decima tertia metaphoræ. ſ. agnus qui non mortuus eſt. Cap. LVII.

HVius iam finiẽdæ tertiæ metaphoræ particula decima eſt, ſcilicet, qui non mortuus eſt, quod identidem, vt in ſuperioribus ad Chriſtum agnum referendum eſt, ſ. quòd ipſe non mortuus eſt. In quo, quod ſæpius prælibauimus, ſupponatur, ſcilicet, Chriſtum verum Deum, & hominem fuiſſe: vt autem homo erat, mortalis erat, & verè mortuus, omnia namq; animalia moriuntur. Quia autem Deus erat, aut potius in eo, ꝙ Deus erat, mori nequibat, nec mortuus eſt: agnus igitur iſte mortuus eſt, & mortuus non eſt: quia Deus pariter, & homo erat. Quòd autem Deum ſecundum diuinam eſſentiam mori impoſſibile ſit, multipliciter conuincitur. Primo quoniam mori maiorum extremũ eſt, atq; vltimum terribilium iuxta Ariſt. Ethi. lib. 3. in c. de fortitudine, ſed in Deo terror nullus eſt: igitͬ mors in eo impoſſibilis eſt. In Deo autem terrorem nullum intercidere patet: quoniam terror imperfectio eſt, in Deo autẽ imperfectio nulla eſt, qui infinite perfectus eſt. Amplius autem quemadmodum generatio eſt via in eſſe rei eius, quæ non eſt: ita mors eſt via in non eſſe eius rei, quæ eſt: Deus autem deficere, aut deſinire eſſe nequit, quoniam æternus eſt: mori igitur eum impoſſibile eſt. Vtraq; harum particularum per ſe liquet. Præter hoc autem, ꝙ mori, aut corrumpi poteſt, gigni poteſt: ſed diuina eſſentia gigni nequit: ergo nec eam corrumpi poſsibile erit, & conſequenter nec mori. Prima autem antecedentis particula patet. Quoniam hoc cõmune Ariſt. atq; omnium de natura loquentium fun- A damentum eſt, vt omnia corruptibilia generẽtur. Quo fit, vt hos duos terminos, ſ. generabile, & corruptibile, ſiue mortale conuertibiles eſſe aſſerant, ſ. quia, quod generabile eſt, corruptibile quoq; eſt: quod vero corrumpitur, genitum fuiſſe neceſſe eſt. Quòd vero diuinam ſubſtantiam, ſiue eſſentiam gigni impoſsibile ſit, apparet ex totius catholicæ fidei aſſertione: nam perſonam diuinam ſecundam genitam confitemur, quoniã eam pater, qui prima perſona eſt genuit. Eſſentia autẽ diuina nullatenus genita eſt: nam, ſi diuina eſſentia genita foret, aut ipſa ſe ipſam gignet, aut ab alio genita fuiſſet; ſi autem aliquid alterum diuinam generaſſe eſſentiam fateamur, aut illud, quod eſt gignes, eſt diuina eſſentia, aut non. Si fortaſsis dicamus illud eſſentiã diuinam non eſſe, multa ex hoc inconuenientia ſeque- B rentur, ſ. ꝙ aliquid ante Deum foret, illudq; Deo eſſet perfectius, cum illud Deo eſſe tribueret, & ab illo nullum eſſe reciperet. Alia quoq; in hunc modum inconuenientia ſequerentur, quæ penitus abſurda sũt. Quod ſi fateamur id, à quo diuina eſſentia gignitur, eſſentiã diuinam non eſſe, ſed aliã, ſequeretur duos fore deos, quod non ſolum contra fidem catholicam militat, ſed in omnem naturæ rationem, ſicut id ſatis naturaliter induci poſſet, niſi ſtilum, quoad poſſumus, decurtare intendamus. Amplius autem ſi vna eſſentia alteram gignat, de ea, quæ gignit quęrendum foret, an genita, vel ingenita foret. Quod ſi fateamur illam gignentem diuinam eſſentiam ab altera genitam fore, inquiremus de tertia, an genita, vel ingenita ſit, & ſic erit proceſſus in infinitus in dijs, quod eſt contra Ariſt. intentionem in C 1. Meta. Nam Deus cauſa prima eſt, & in dijs in infinitum conceſſo proceſſu, neceſſe eſt in cauſarum proceſſu infinitatem fore: ſed hoc quoq; Ariſt. in 1. Ethic. atque Meta. & pleriſq; improbat locis. Si autem tertiã, aut quartam diuinam eſſentiam gignentem ingenitã fateamur: ſed alias ab ea genitas dicemus in alijs idem fore. Nam ea ratione, qua vna ingenita eſt, & cæteræ ingenitæ dici poterunt. Neceſſe eſt igitur hanc diuinã eſſentiam, quam confitemur, à nullo genitam eſſe, ſcilicet nec ab eo, quod diuina eſſentia ſit, vel ꝙ non ſit diuina eſſentia. Nec quiſquam dicere poterit, hanc diuinam eſſentiam à ſe genitam; nam, vt eſt Ariſtot. fundamentum, & omnium, qui quicquam ſapiunt, oportet inter gignentem, & genitum diſtinctionem intercidere realem, qua ex re nullum ſe ipſum gignit, vnde nec D diuina eſſentia ſe ipsã poterit generare. Nullatenus igitur diuina eſſentia gñabilis eſt: ergo nec corruptibilis: aut mortalis. Quanquam autem de diuina ſubſtantia, ꝙ ingenita ſit, confiteamur, de perſona tamen genitam eſſe confitemur, nec quicquam inconuenientis inferret diuinam perſonam genitam fore in Trinitate. Nam, & ſi eam genitã aſſeramus, a ſe tñ genitã eſſe nõ dicimus: ſed ꝙ perſona patris, quę prima eſt, filij pſonã generet, ipſa aut a nulla alia genita ſit, ſicut nec diuina eſſentia.

Diuinam eſſentiã gigni impoſsibile eſt.

Dicere duos eſſe deos eſt cõtra omnes.

Qđ Chriſtus, quatenus Deus erat, mori nõ poſſe comprobatur.

Rationes aſſerentes Deum mori non poſſe. Cap. LVIII.

ADhuc autem in his amplius probari poteſt: nam mortem animæ, & corporis vnitorum ſeparatio- E nem confitemur: Deus autem nec corpus, nec animam habet: eum legitur mori non poſſe liquet. Prima particula liquet: Deum autem, nec animam, nec corpus habere patet: quoniam ſi Deus animam haberet, & corpus, eſſet in aliqua ſpecie animalis, quod abſurdũ eſt: Deum namq; animal eſſe non confitemur, ſed ſimplicẽ ſpiritum. Præter hæc autem ſi Deus corporeus eſſet, finitus eſſet, aut totum vniuerſum repleret. Nam infinitum corpus omnia replet, hoc autem non fit: ergo aut finitus eſt, aut corpus non habet: ſed finitum eum eſſe non fatemur; corpus igitur non habet, & conſequenter nec mori poteſt. Adhuc autem mors compoſitorũ paſſio quædam eſt; Deus autem compoſitus non eſt, eum igitur immortalem eſſe patet. Maior apparet: nã mortem vnitorum reſolutam diuiſionem eſſe aſſerimus,

Deus nec animam hẽt, nec corpus.

ſed vbicunque vnitorum pluralitas eſt pertinentium ad vnam naturam eſt compoſitio, hanc autem Deus à ſe penitus eliminat, cum ens ſimplex ſit. Deum autem ſimplicem eſſe patet: nam Deum ſpiritum ſolum eſſe confitemur, atq; ex hoc indiuiſibilem, indiuiſibilia autem, q̄m nullam patiuntur ſectionem, immortalia, aut incorruptibilia ſunt: ob hoc autem animæ humanæ, ac angeli immortales ſunt, q̄m indiuiſibiles ſunt, atq; ſimplices ſpiritus. Item mors ſine inflicto dolore non cauſatur: dolor autem imperfectio magna eſt: in Deo tamē imperfectionē nullam fore liquet, nec mori igitur potetit. Amplius autem dolorem mortem cōcomitari patet, in Deo dolorem nullum eſſe liquet, cum dolor ſenſitiuarum poſitorum paſſio quædam ſit, quæ in Deo non eſt, cum ſenſitiuus non ſit: quia animal non eſt, nec igitur in eo mors eſt. Item mors fælicitatem morienti aufert, cum maximum bonum, ſ. eſſe tollat: beatitudinem tamen Dei nullo modo auferre poteſt, cū vſquequaq; beatus ſit, immortalem ergo eū eſſe neceſſe eſt. Multa quoque ex eadem radice induci poſſent, de quibus in præſenti non expedit dilatare ſermonem.

Qd Deus ſit ſimplex.

Dubium quid horum apertius de Chriſto prædicatur, aut quod ſit mortuus, aut quòd non. Cap. LIX.

EX prælibatis quiſpiam dubitādi originem trahet: cum.n. dictum ſit in hoc metaphorico Paradoxo, quòd Chriſtus mortuus ſit, & ꝙ mortuus non fuerit: quia Deus & homo erat: vt.n. homo erat, verè mortuus eſt, vt autē Deus erat, nec mori potuit, nec vllo modo mortuus eſt: quæretur quid horū de Chriſto proprius, aptiuſque prædicabitur, ſ. ꝙ mortuus fuerit, an ꝙ non. In hoc, vt in cęteris animaduertendum, ꝙ cū Chriſtus vetus Deus, & homo ſit, vt homo eſt, cum mori potuiſſe, atque verè mortuum fuiſſe confitemur. De Chriſto autem, vt Deus eſt, dicimus, ꝙ mori illum impoſsibile eſt, nec propriè dici poteſt eum fuiſſe mortuum, niſi eo modo loquendi vtamur, quem theologi doctores communicationem idiomatum vocant, hic autem eſt, vt cū dicamus Deus mortuus eſt, aut paſſus eſt: hæc.n. vera eſt, q̄q̄ non propria, hoc t̄n nullatenus recipitur: Deus ſecundum deitatē mortuus eſt, aut paſſus eſt, aut Chriſtus ſecūdum quòd Deus, aut deitatem mortem ſubijt. Hæc enim ſecundum nullum modum loquendi vera eſſe poteſt, nec ſi propriè, nec ſi appropriate, vel figuratè loquamur, ſed ex omni parte falſa eſt: nam in hac ſenſus eſt, quod Deus ſecundum naturam diuinam immortalis eſt. Chriſtus igitur, vt Deus mortuus non eſt, nec de eo dici poteſt, quòd mortuus ſit.

Hæc propoſitio. ſ. Deus paſſus eſt quo intelligatur.

Quæſtio intelligentia digna de re ſuperiori. Cap. LX.

ADhuc alia dubitandi ſubapparet origo, ſ. quid de Chriſto magis propriè dicatur, ſimpliciter accipiēdo, ſ. non diſtinguendo ſecundum quod eſt hō, vel ſ̄m quod eſt Deus, ꝙ mortuus ſit, vel ꝙ non. Cui reſpondendum eſt, ꝙ ſecundum Ariſt. poſitionem in 6. Ethi. atque alijs locis, actus, & paſſiones ſemper denominat perſonam ſiue ſuppoſitum, & non partem perſonæ, vel ſuppoſiti, nec aliquid, quod eſt in parte ſuppoſiti, vel eſt ſuppoſiti proprietas. Et, quoniam in Chriſto Ieſu ſuppoſitum, ſiue perſona, vel hypoſtaſis nō erat homo aſſumptus, ſed verbum diuinum vilius ſibi aſſumptā humanitatem, dicimus Chriſtum diuinam perſonam, & non humanam eſſe, ſicut tota ſacrorum doctorum tradit aſſertio: Deo autem mori non congruit; proprius de ipſo igitur magis prædicamus, quòd non fuerit mortuus, quam ꝙ mortem ſubierit. Sic autē in multis alijs prædicatis eſt, quę ſacra theologorum aſſertio de Chriſto non confitetur, niſi additis multis limitationibus. Nam ſolida veritate ſubſiſtit, quòd corpus Chriſti creatura fuerit, anima quoq; creatura eſt, etiam tota natura humana aſſumpta, ſiue homo aſſumptus, ſi dicere maluerimus, creatura eſt. De Chriſto tamen ſimpliciter non confitemur, quòd creatura ſit: hoc enim ſacra ſcriptura, & tota Theologorum abhorret aſſertio. Chriſtus ſiquidem creator, & non creatura eſt: Hoc tamen confitebimur: Chriſtus in quantum homo ſolum eſt creatura: diuerſitatis horū cauſa ſubſiſtit, quoniam Chriſtus ſuppoſitum, vel hypoſtaſis, aut perſona diuina eſt, & non humana: cùm verò Chriſtum nominauerimus, nihil alterum præferentes, aut limitantes, de Chriſto, vt eſt Deus, intelligimus: quia ipſe diuina, & non humana hypoſtaſis eſt. Hoc modo Apoſtolus in in Epiſtola ad Hebræos cap. 13. dicit: Chriſtus ab heri, & hodie, & ipſe vſque in ſæcula. i. Chriſtus non cœpit eſſe nouiter ex tempore: ſed ſemper fuit ab ęterno, nec etiam vnquam finiet. In quo innuitur ipſum eſſe Deū: quia nec cœpit, nec finiturus eſt. Chriſtus tamen, vt homo eſt, cœpit eſſe, & ante hoc non erat. De hoc Iudas in canonica ſua. c. vnico ait: Commouere autem vos volo ſciētes, quòd Ieſus populum ſuum de terra Ægypti ſaluans, ſecundo eos, qui non crediderunt, perdidit. Neceſſarium tamen eſt hoc Ieſum ſignificare Chriſtū, prout eſt perſona diuina: nam ipſe vt homo natus tunc nō extiterat, cum Iudæi de Ægypto educti ſunt. Cum autem de Chriſto aliquid nihil limitantes aut aſſerimus, aut fatemur, de Chriſto, vt Deus eſt, intelligi neceſſe eſt. Non igitur ſimpliciter de Chriſto confitebimur, quòd creatura ſit, nec quòd cœperit: ſed quòd ab æterno fuerit. Ad quæſitum autem accedentibus nobis dicendum, quòd ſi ſimpliciter inquiratur, an Chriſtus mortuus ſit, nihil limitando, proprius reſpondetur, ꝙ non mortuus ſit, quàm ꝙ mortem ſubierit. Nec quiſquā in hoc ſibi turbationis originem ſumat: .nā, quanquam proprius de Chriſto dicamus eum nō fuiſſe mortuum, quàm mortem ſubijſſe: tamē cum veriſſimè mortuum fuiſſe fatemur: ipſe ſiquidem, vt homo eſt, mortuus extitit, quod procurandæ ſaluti noſtræ ſufficiens fuit. Præaſſignatus autē reſponſionis modus obſeruari poteſt in oibus particulis harum metaphorarū, in quibus de Chriſto aliquid, vt Deus eſt, & vt homo eſt, prædicatur. Ex præcedentibus autem inductum liquet, ꝙ agnus, qui & Chriſtus, mortuus eſt, & nō fuit mortuus.

PARADOXON QVARTVM DE SERPENTE.

Quomodo Chriſtus ſerpens videbatur. Cap. I.

IN ſequentibus autem ordinem epiſtolæ, quam veſtra mihi direxerat regia celſitudo iuxta metaphorarum cōtinentiam, metaphoricùm paradoxon quartum occurrit, ſcilicet, Fuit poſitus ſerpens, qui iacuit, & non iacuit; qui mouebatur, & nō mouebatur; qui audiuit, & nunquā audiuit; qui vidit, & nunquam vidit; qui ſentiebat, & non ſentiebat. In quo aduertendum, hāc quartam metaphoram de Chriſto exponendam; nulli nanq; eius cunctæ particulæ competūt, niſi Chriſto, ſicut in applicatiuo proceſſu patefiet. In his autem particula prima occurrit. ſ. Fuit poſitus ſerpens. In quo aduertenda duo occurrunt. Primum qualiter conuenienter Chriſtum ſerpentem appellemus. Secūdum qualiter ſerpens iſte poſitus fuerit. In hoc autem generale tamen ſumentium documentum ſupponatur, ſcilicet, cum cōuenienter tranſumptio fiat, aliqua præexiſtere debere ſimilitudinem eius, quod tranſumitur ad id, ad quod tamen ſumitur. Vnde aduertendum eſt, ex quibus ſerpentum proprietatibus Chriſtus hic ſerpens appelletur. Ad hoc autem duplex modus eſſe poteſt, quo de Chriſto iſta prædicentur. Primus ꝙ Chriſtus ſerpens appellatus ſit, non quidem ꝙ ipſe ſerpens extiterit, aut in ſe aliquas ſerpentinas oſtenderit, aut geſſerit conditiones: ſed quia Iudæis, cum quibus dn̄s, dum iter homines vixit, verſatus eſt, tanquam ſerpent apparuit; nam, velut ſerpentinæ conditionis eſt, vt venenum tectum gerat, ita & Iudæi arbitrati ſunt Chriſti veriſſimam doctrinam aliquos in ſe errores con-

Qūo conueniēter Chriſtū ſerpentē appellemus.

contegere, aut diuinæ repugnare legi, aut ad aliquam cauſandam fraudem fuiſſe introductum. Amplius autem, quanquam Chriſtus in habitu humilitatis verè inter Iudæos apparuit, quemadmodum Zacharias. ca. 9. prædixerat: ipſi tamē hypochriſim quandam in hoc latere ſuſpicati ſunt, aut alicuius acquiſitionis, aut ambitionis dignitatum, vel honoris eſſe principia. Hoc quidem quoniam ipſi ſic egiſſent, vt omnia ad laudē hominum proponerent, optantes ſalutationes in foro, & primas cathedras in ſinagogis, primos in cœnis accubitus, atque vocari ab hominibus Rabbi, vt patet Matth. 22. Horum tamē nihil in Chriſto fuit. Amplius & in oculis Phariſæorum dominus Ieſus ebrius atq; vorax viſus eſt: ſic enim de eo Phariſæi enunciauerunt mordaciter arguentes. ſ. Quare cum publicanis manducat & bibit magiſter veſter? vt patet Matthæ. 11. c. B Alibi autem eum acrius atque euidentius arguerunt, dicentes: Hic eſt vorax, & potator vini, & publicanorum ſocius, vt patet Matthæ. 11. cap. in his autem ſerpentinam conditionem in oculis phariſæorum dominus geſtare viſus eſt, horum tamen nihil extitit. Præter hoc autem ſerpentum carnes venenoſæ, atque peſtiferæ ſunt quandam ſaniem continentes: hoc autem de Chriſto maliuoli Iudæorum arbitrati ſunt, cùm ex adulterino coitu progenitum foro opinati, atq; identidem aſſerentes. Quorum extitit incentiuum, quoniam Ioſeph, cum beatam ſibi virginem deſponſauit, grandæuus erat, nec videbatur gignere potuiſſe, cum verò eam grauidatam viderunt, ab aliquo adulterino viro fuiſſe cognitam opinati ſunt. Validius autē modo ſuo C hoc Ioſeph vir eius arbitratus eſt; nam optimè nouerat ab eo minimè cognitam extitiſſe: cū ergo eā grauidatam conſpexiſſet, neceſſaria quaſi illatione tenebat eam fuiſſe ab altero grauidatam: ideo, cum eſſet vir iuſtus nolens eam traducere, cogitauit eam occultè dimittere: quando ab angelo admonitus eſt, vt patet Matthæ. 1. cap. de quo latius in prima metaphora prælibatum eſt. Chriſtum igitur Iudæi ex adulterio natum putabant, quod macula quædam, aut infamia, aut ſaltem ignobilitas, vel defectus natalium eſt. Alij autem Iudæorum, qui tanti facinoris de virgine conceptionem non faciebant, extimauerunt eum Ioſeph filium eſſe. Sic patet Luc. 3. cap. ſ. Erat Ieſus incipiens quaſi annorum triginta, vt putabatur, filius Ioſeph. Hi autem, quāquam de virgine tantum nefas, vt priores, non arbitrarentur, D Chriſtum tamen cæterorum hominum modo conceptum eſſe credebant, ſcilicet, ex ſemine virili, & in peccato originali. Hic autem modus venenoſitatis cuiuſdam eſt. Sic dicit Apoſt. ad Rom. 8. cap. quòd venit Chriſtus in ſimilitudinem carnis peccati. Sed hæc omnia exiſtentia carent: Chriſtus igitur his ſerpens viſus eſt, quamquam non exiſteret.

Chriſtū Iudæi ex adulterio natū eſſe arbitrabantur.

Conuenienter Chriſtum eſſe ſerpentem dicimus. Cap. II.

ALius autem applicationis modus conuenientior eſt, vt Chriſtum ſerpentem prædicemus, vt referatur ad quendam tipicum ſerpentem ſignatiuum eorum, quæ Chriſtus operaturus erat. Ad cuius amplio- E rem euidentiam ſupponendum eſt, quod habetur in libro Numerorum, qui in Penthaɾeuco quartus eſt. cap. 21. ſ. Quòd, cùm Iudæi vagarentur per varias deſerti ſolitudines anno quadrageſimo ab exitu de Aegypto, in quo eos Deus in promiſſam introduxit regionem, cum iuxta duorum Regum Amorrhæorum. ſ. Og, & Baſan terram, graderentur, cœpit tedere populum itineris, & laboris, deſiderauit quoque reuerti in Aegyptum: manna identidem cælitus datū faſtidiebat, dicens: Nauſeat anima noſtra ſuper cibo iſto leuiſſimo. Huius ergo præuaricationis Deus in eos vindictam exercens miſit igniros ſerpentes, ad quorū morſus vulnera peribat de populo maxima multitudo. Cumque his afflicti malis ad Moyſen conuerterentur, eo ad Deum orante dictum eſt, vt ſerpentem æneum fabri- A cans in altum tolleret, vt, quicunque à ſerpentib. morderetur eum reſpicere poſſet, & quicunque ſerpentem æneum conſideraſſet, a morſu verorum ſerpentem, & morte per eos inducenda liber erat. De hoc autem ſerpente quidam prauè arbitrati ſunt, quòd obſeruata tēporum habitudine ſecundum aſtrologicas obſeruationes aſpectuum planeticorum, & aſcendentium fabricatus ſit, & ob hoc ſanatiuam vulnerum virtutem contraxerit. Sed ſtare nequit: nam ſerpens iſtud æneus nulla Moyſi ſolertia, ſed diuina iuſſione factus eſt. Si igitur reſpicientes ſerpentem illum aliquam ex hoc virtutem contrahebant, non erat hoc à quauis naturaliter influxa virtute in ſerpentem illum, ſed Dei nutu, & opere, vt ab eodem virtus ſanatiua deſcenderet, à quo iuſſio de faciendo ſerpentem emanauit. Amplius au- B tem, cùm quæcunque metallinæ imagines, aut de quacunque materia confici debent ſecundum aſpectus ſtellarum, & motum, & aſtrologicam obſeruationem, vel magorum ſuperſtitionem à fide, & naturali ratione deuiantium, oportet, vt in hoc magna temporum obſeruantia fiat, nec quibuslibet, ſed quibuſdam ſpecialius, & determinatis: nam aſpectus planetici, aut obſeruatio aſcendentium ad hoc conuenientium quotidiani non ſunt. Sed hunc æneum ſerpentem mox, vt Deus iuſſit, Moyſes expleuit: nulla igitur aſtrologica operatione, aut magica ſuperſtitione ſerpens iſte fabricatus eſt. Præter hoc autem Moyſes hunc æneum confecit ſerpentem diuina iuſsione admonitus, fecit igitur eo modo, quo Deus voluit, alioquin peccaſſet, qđ non fatemur: Deus tamen nihil vnquam aſtrologica C obſeruatione, aut magorum ſuperſtitione confici iuſsit inſpectis ſignis, & aſtris, vel eorum aſpectibus: Moyſes igitur hunc fabricauit nulla talium obſeruatione præpoſita. Quòd autem Deus talia obſeruando Moyſi nullatenus iuberet, hoc efficere, liquet. Nam intendebat Deus erudire Iudæos in hoc, vt nullam ſimilium rerū aſtris, aut toti cœlo virtutem attribuerent, nec crederent cœleſtia corpora ſuper operationes noſtras aliquā habere cauſalitatem, vt non timerent hunc. Nec igitur aliquid per aſtrologicam inſpectionem, aut magicas cærimonias effici imperaſſet, vt inde id, quod fieret, virtutem contraheret; nam ſic vera in verbis Dei contradictio appareret. Sic apparet Hiere. cap. 10. iuxta vias gentium nolite diſcere, & a ſignis cœli nolite me- D tuere quoniam leges populorum vanæ ſunt. Et ſicut Deus ſigna cœli metuenda non eſſe dixit, ita & planetarum corpora, atq; cætera aſtra cum ſuis orbibus, atq; horū aſpectus, & quicunq; virtutis modus ab aſtrologis in his aſſignatus, non fuit igitur æneus iſte ſerpens vlla præpoſita aſtrologica obſeruatione fabricatus.

Hier. 10

Res mira de ſerpente metallino. Cap. III.

AMplius autem ſerpentem hunc nulla ſcientia aſtrorum, aut magorum obſeruatione factū liquet: nam ex aſtrorum operatione obſeruata tantæ virtutis efficaciam metallinus ille ſerpens contrahere nequibat, ſcilicet, vt eos, qui ſubito morituri erant, ſanaret mox, vt in eum oculorum aciem tetendiſſent. Quod E manifeſtatur in cæteris vaſis, aut imaginibus aſtrologicè, aut magicè factis: horum enim nihil vſque hodie viſum eſt, quod tantam virtutem contraxerit. De hoc autem æneo ſerpente dubitari nequit, quin mox, vt quiſquam in eum oculos direxiſſet, a ſerpentū verorū morſibus mortem inducturis liberaretur: nulla igitur tali obſeruatione ſerpens iſte factus erat. Item, quamquam aſtrologica, aut magica quadam obſeruatione ſerpens iſte factus foret, & ſanatiuam vulnerum virtutem recepiſſet ſola naturali influxione, tamen ſola viſione hoc naturaliter cauſari nequibat, vt percuſſi a ſerpentibus curarentur. Nam per viſionem nulla realis, aut naturalis immutatio cauſatur in animali vidente, ſcilicet quòd per viſionem virtutem aliquam, aut naturalem qualitatem videns recipiat, ſed ſolam ſpiritualem immutationem recipit, ſcilicet, vt per viſionem ſpecies rei

Conſtructio ſerpentis ænei Iudæis.

viſibilis

catur, ſtare non poteſt, Nam, & ſi in alijs rebus vidẽdo ſanitas, aut ægritudo contrahitur, hic tamen nihil tale eueniſſe poſſe liquet. Viſio ſiquidem dumtaxat nullius realis: ſiue naturalis actionis cauſatiua eſt, ſed cũ aliqua realis qualitas ægritudinis, aut ſanitas in videndo contrahitur, hoc eſt, quoniam in videndo ſpiritus per oculos emittuntur, qui interdum ægritudinem, interdum vero bonum aliquod cauſantur. Hoc autẽ metallino illi ſerpenti conuenire nequibat: na nullatenus ſpiritus aliqui ex eo euaporari poterant. Cauſa aũt ſatis liquet; ſpiritus namque, vt hic accipitur, ſubtile valde corpus eſt, atque ex hoc inuiſibile: humidum quoque, & calidum ab aliquo dẽſiori corpore reſolutum actione caloris, atque ſubtilitate ſua poſterius eleuatum. Hæc autem penitus ſerpenti illi metalino, quem Moyſes fabricauit, repugnãt: in eo quippe calor, aut humor nullus erat, quin potius duæ contrariæ qualitates, ſcilicet frigidum, & ſiccum; nam æneus erat. Identidem autem humor nullus in hoc ſerpente erat tanquam materiale principium, ex quo iſti ſpiritus ſoluerentur, deficiebat quoque calor, qui effectiuum principium erat, ad hos ſpiritus reſoluendum. Impoſſibile igitur ex hoc ſatis eſſe inducitur, vllos ex ſerpente illo metalino ſpiritus emitti potuiſſe percuſſorum hominum ſanatiuos. Identidem autem liquet hanc inductam in percuſſis ſanitatem cauſari non potuiſſe ex aliqua naturali deriuata virtute in ſerpentem metallinum aſtrologica, aut magorum obſeruatione.

Reſponſio formalis ad dubitationes prædictas.
Cap. VII.

HIs autem, quæ in contrarium inducebantur, reſpõdendum eſt, cum dicitur: Baſiliſcum ſolo intuitu homines, cæteraque interimere animalia, in quo valde naturalis immutatio eſt: in viſione igitur ſola realẽ operationem, & immutationem eſſe conſtat. Dicendũ nec baſiliſcum, nec quodcunque de animalibus ſola viſione cuiquam nocere poſſe, aut qualemcunque cauſari realem immutationem, ſcilicet ſi baſiliſcus quodcunque animal viderit. Nam, & ſi in viſione duntaxat qualitatem aliquam realem cauſari poſſibile foret, rationabilius erat, vt id, quod videtur in vidente aliquid cauſaret, quàm videns quicquam efficeret in re viſa. Cuius origo apparet: nam videns nihil agit, ſed patitur recipiens in ſe ſpeciem rei viſæ, vſque ad oculos ſuos peruenientem, atque immutantem: videns tamen ad rem viſam nihil emittit, ſed recipit ab eadem ſpecies. Quãquam in hoc ſatis Platonici deuiarunt dicentes, viſionem fieri per emiſſionem radiorum viſualiũ, vſque ad rem viſam peruenientium, formamque rei viſibilis ſecum in reditu ad oculos vſque videntis perducentium; Hæc tamen poſitio nulla veritate fulcitur. Improbat autem eam Ariſt. in lib. de anima dicens: videmus enim nihil emittentes: ſed intus recipientes. Sic quoq; apparet ex perſpectiua Piſani, quæ dicitur perſpectiua communis, propoſitione 50. lib. 1. cum dicitur, matematichos dicentes viſionem fieri per emiſſionem fruſtra conari. Amplius autem apparet, nam ſi viſio in emiſſione & non in receptione interiua conſiſteret, eſſet actio, & non paſſio: Viſionem tamen paſſionẽ eſſe, & non actionem conſtat per receptionem: ergo nõ in emiſſione fit. Apparet harum prima particula: nam, ſi, cum videmus, nihil recipientes aliquid emitteremus, cum emittere actio ſit, recipere autẽ paſſio, quia emittere hic actio erat, actionem in videndo eſſe patebat. Quoniam autem in videndo recipere nullum eſt, quod eſt paſſio, nulla in videndo paſſio erit, ſed pura actio. Viſionem autem paſſionem fore Priſcianus ſatis prodit in maiori volumine lib. 8. vbi dicit, quod hæc verba audio, & video, & cætera ſignantia ſenſationes, in voce actiua ſignant paſſionem.

Quòd viſio non fiat extra mittẽdo, vt Plato credidit.

Priſcianus li. 8.

Secunda ratio, quòd viſio non fiat extramittendo.
Cap. VIII.

AMplius autem ſi viſionem emittendo, & non recipiendo cauſari aſſeramus, viſiuam poſitionẽ actiuam eſſe neceſſe eſt, nec vllatenus paſſiuam fore: viſi- A uam tamen paſſiuam aſſerere neceſſe eſt: viſio ergo nõ emiſſione, ſed receptione fit. Inductionis huius prima particula patet: nam, ſi viſio emittendo fieret, cum emitteret pura actio ſit, videre purum agere eſſet. Quod autem viſiua potentia actiua non ſit, ſatis liquet: omnes namque potentias ſenſitiuas, vt tactiuam, guſtatiuam, adoratiuam, & cæteras paſſiuas appellamus. Sic eas cognominat Ariſt. in multis locis. Item, ſi emittentes aliquid ab oculis, & nihil recipientes videremus, nemo ad tantam diſtantiam videre poſſet, ad quantam videt: nam vſque ad ſolarem globum: ad ipſa quoque fixa aſtra videntes pertingimus: inter nos tamen, & illa plurimum, quam ducentarum millium leucarum interpoſitio eſt, quod aſtronomi neceſſarijs inducunt demonſtrationibus. Declarat autem hoc Alfraganus in B libro ſuo, quem de Aſtrologia compoſuit, in fine. Si enim viſio aliquid emittendo cauſaretur, neceſſe erat hos ſpiritus ex partibus tenerribis corporum ſolui, cũ ſpiritus corpora ſubtilia, humida, & calida reſolua ex partibus humidis corporis ſint, agente, atque reſolte calore. Ad hoc tamen vt ſpiritus iſti ab oculis noſtris emiſſi ad ſolarem globum, aut aſtrorum octaui cęli regionem pertingerent, neceſſe erat totum corpus in huiuſmodi ſpiritus ſolui, nec ad hoc quouis accedere modo; &, ſi tantam ſpirituum reſolutionem cauſari contigeret, adhuc eleuari non poſſent, vt ad cœlos vſque pertingerent. Amplius ſi emiſſis ab oculis ſpiritibus viſio cauſaretur, non poſſemus ſemper videre ea, quæ nobis directè oppoſita ſunt, ſed interdum ea, quę in aduerſum videmus: tamen ſemper ea, quæ nobis ob- C uia ſunt facta viſione per lineam rectam. nõ igitur per emiſſionem ſpirituum viſio fit. Huius inductiuæ rationis maior apparet: nam, cum ſpiritus ab oculis noſtris ad aliquid videndum egrederentur, qui humidi, & calidi ſunt, quamquam ſubtiles ſint, ventus tamen eis obuians, quoniam veram quantitatem habent, poterit eos impellere ad aliquam differentiam poſitionis. Et tunc, cum ſpiritus illi non infigantur in illa re, quæ directè ante oculos eſt prohibente impetu ventorum, ſed ad aliam rem in altera poſitione deducantur, continget, vt non videatur res, quæ præ oculis eſt, ſed quæ in aduerſo iacet, ad quam ipſi ſpiritus ab oculis videntis emiſſi ferrentur. Quo pacto, cum eueniret, vt ſpiritus illi vento impulſi poſteriora peterent eis rebus, quæ poſt terga noſtra ſunt, ſe applicanteſ, fie- D ret, vt ea, quæ poſt terga noſtra ſunt, videremus, quod manifeſta falſitate notatur. Euidenter ergo collectum eſt viſionem non emittendo ab oculo ſpiritus, ſed magis recipiendo cauſari.

De eadem re ſuperiori agitur. Cap. IX.

ALia autem ex his inferrentur abſurda, ſcilicet, nos multoties ea, quæ propè nos ſunt, regione oculorum noſtrorum, nec multum diſtantia, videre tamen non poſſe, quod ſatis abſurdum patet; nam quidquid oculis noſtris obijcitur, intuemur, niſi aut fortaſſis immoderata diſtantiæ interiectio fiat, aut viſiuę potentiæ, & viſibili aliquid viſionem intercipiens fuerit interiectum: viſionem ergo non emittentes, ſed ſuſci- E pientes interius facimus. Huius illationis maior patet: quoniam ſpiritus, quibus iſte viſionem cauſari aiunt, corpora ſubtilia humida, atque calida ſunt: cum ergo eos circumdederit frigiditas quæcumque loci, in corpus ſolidum condenſabit, eoſque non viſibiles propter denſitatem reddet, præſertim ſi magna circumſtans frigiditas extiterit. Sic enim in ſpeculorum ſuperficiebus derelictum patet, cum mulier menſtruata ſpeculum a propinquo, & aliquanto temporis mora conſpexerit; tunc enim, cum ſpeculum ipſa intuetur, ſpiritus illi, qui ab oculis emittuntur, nulli viſibiles exiſtentes à nemine conſpiciuntur: ſed cum ſpecularis ſuperficiei, atque circumſtantis frigiditas aeris ſpiritus in corpora pauló denſiora compegerit, in ſpeculo, aut guttæ ſanguineæ, aut alterius coloris maculæ viſu

notabiles

notabiles cuilibet relinquuntur. Si igitur hoc pacto vi- F
ſio cauſanda foret, & magni frigoris tempore, vt prui-
natum albicantium, vel rigentis gelu quis ea, quæ à ſe
aliqualiter magna intercapedine ſeiunguntur, reſpice
ret, ſpiritus ab oculis noſtris emiſſi cum per aerem ad
rem videndam peruenire conarentur, circunſtante ae-
ris frigiditate denſarentur, quoniam corpora calida, &
humida ſunt. Opprimente autem violento frigore cir-
cunſtante, paruus ille ac gracilis calor in illo latens hu
more expiraret, quo fieret, vt corpus illud iam denſa-
tum, nulloque eleuante ſublatum calore in terram ca-
deret. Et ſi calorem illi ſubtili corpori circunſtante fri-
gore loci immanere contendas, adhuc nihil eſſet, quo-
niam præ frigiditate circunſtantium corporum illud
corpus denſatum grauitatem contraheret, atq; ex hoc
in terram neceſſario tenderet motu ſuo. Sic enim in ol- G
larum ebullitionibus euenire liquet: cum enim humor
in olla feruent, præ fortitudine caloris incluſi in hu-
more illo reſoluuntur partes teneriores humoris, atq;
in altum tolluntur ad operimentum peruenientes ol-
larum, cui inhærent. Sed, poſtquàm in hoc aliqualis
mora tracta eſt, multis huiuſmodi exalationibus ad o-
perimentum ollę perductis ingroſſantur ex adiunctio-
ne partes iſtæ, atq; pondere ſuo iam grauatæ ſe in ma-
terialem humorem vnde exſurrexerant, relabuntur.
Idem autem ſatis patet, ſi quis feruenti ollæ etiam in
aliqua eleuatione manum directè ſuppoſuerit: nam te-
neræ atque leues exalationes in modum fumoſitatum
ei primo inhærebunt, poſterius autem ex adiunctione
in guttas aquas conglobatæ, atque pondere ſuo tractæ
in id, vnde originem traxerant, collabentur. Apparet H
ergo, ſi frigoris magni tempore ſpiritus iſti emiſſi fo-
rent, premente exteriori frigore denſarentur, denſatiq;
in terram caderent, vnde directè tendere non contin-
geret in res illas, quæ præ oculis noſtris ſunt. Quo fie-
ret, vt ea videre nobis impoſſibile foret. Quod ſatis fal-
ſum liquet; nam quantumcunque frigore cuncta pre-
mantur, æquæ ea, quæ præ oculis noſtris ſunt, videre
valebimus, etiam ſi aliquantulum diſtent, velut ſi nul-
lo frigore premeremur. Inducitur ergo viſionem nullo
emiſſo celebrari, ſed ſola interius facta receptiuè.

*Secunda ratio principalis, quòd viſio non fiat extra-
mittendo. Cap. X.*

PRædictis autem addijciendum eſt, quòd ſi viſio I
per aliquam interius factam ſuſceptionem celebra-
retur, cum extra aquam quis exiſteret, ea, quæ intra a-
quam ſunt, videre impoſſibile foret. Exiſtentem quo-
que intra aquam ea, quæ extra aquam ſunt, nullatenus
videre contingeret; hæc tamen falſa ſunt: viſionem er-
go non emittendo, ſed interius ſuſcipiēdo fieri liquet.
Huius inductionis maior conijcitur; nam, cum ſpiritus
corpora ſubtilia humida, & calida ſint, cum ad aquam
peruenirent, obiectu gelidarum aquarum in earum ſu-
perficie cōdenſarentur, ſicut in ſuperficie ſpecularium
corporum condenſantur ſpiritus emiſſi ab oculo men-
ſtruatæ mulieris, vt in præcedentibus explicuimus: ad
ea ergo, quæ intra aquam ſunt, ſpiritus huiuſmodi pe-
netrare non poſſent, vt eorum ad nos ſpeciem ferrent. K
Idem arguendi modus eſt, in eo, qui intra aquas mer-
ſus, quæ in aere ſunt, intueri contenderet: ſpiritus nam-
que ab oculo emiſſi apud pupillæ ſuperficiem aquarū
frigore, & humore denſarētur, ad res viſibiles exterius
prouenire non potentes. Et, ſi contingeret aliquem in-
tra calidas latere aquas, idem eueniret: non enim eſt fri
giditas, duntaxat condenſationis cauſa, ſed etiam hu-
miditas ingens, magna quidem humiditas res teneras
humiditatem continentes rarā, & ſubtilem condenſat.
Quouis ergo modo ſpiritus intra aquā exiſtentes conſe
ſtim aquarum tractu denſari neceſſe eſſet. Hæc tū ſatis
nota falſitate arguuntur: nam extra aquā exiſtentes, quę
interius ſunt, ēt in profundo aquarum perſpicuè intue
mur, niſi aut aquarum cœnoſitas turbans, aut profundi-
tas magna lucem tollēs impediat. Sic aūt intra aquam
exiſtentes, quæ intra aquas ſunt, vident, vnde contigit
interdum, vt homines intra aquam in aquarum pro-
funditate proiectas pecunias inquirant, & inueniant.
Amplius autem conceſſa emiſſione, vt cauſa viſionis,
ſi exiſtētes extra aquam quouis modo, quæ intra aquā
ſunt, intuerentur, qua fluente impoſſibile foret quid-
quam videre verſus illam poſitionis partem, quā in-
tuebamur: ſed ad aliam inde diſtantem: ſatis hoc tamē
falſum liquet: per emiſſionem ergo viſio nulla cau-
ſatur, ſed per interius receptionem. Huius maior pa-
tet in aquis fluentibus. Nam, etſi non ſit omnis aqua
fluens: nos tamen in ea loquimur, quæ fluens eſt: ve-
lut in fluminibus, & torrentibus. Tunc enim ſiquis
lapidem latentem ſub vndis intueri vellet, ſpiritus, at-
que oculorum aciem contra illam partem dirigeret,
in qua lapis eſt. Cum autem ſpiritus emiſſi ſuperfi-
ciei aquæ adhærerēt, priuſquàm ad interiora aquarum
penetrarent, vt illi rei ſe coniungerent, quàm nos vi-
dere deſiderabamus: fluens aqua eos ad aliquantam
eos perferret diſtantiam, velut cum quis in rapidos
aquæ curſus lapidem mittit: non enim recto ictu fun-
dum petit, ſed aquarum impetu ad vlterius aliquan-
tulum permouet. Eſſet igitur impoſſibile eos iſtos ſpi-
ritus ab oculis noſtris ad illam partem accedere, in q̄
nos direxiſſemus, & conſequenter lapidē illum videri
impoſſibile erat: quod in omnibus fluentibus aquis
euenire neceſſe erat. Patet ergo viſionem ſpirituum
emiſſione cauſari nullatenus, ſed receptione quadam.

*Sexta ratio præcipua, viſionem non fieri extra-
mittendo. Cap. XI.*

AD hæc autem alia ſequuntur abſurda. Si enim
emiſſis ſpiritibus ab oculo, & nihil recipientes
videremus, omnia animalia videntia breuiſſime deſic
cari neceſſe eſſet, atque protſus deficere: hæc tamen
fieri liquet. Maior huius patet; ſpiritus namq; corpora
humida, atque tenera, & calida ſunt reſoluta ex aliqui-
bus partibus humidis digerente illas calore: quamdiu
ergo viſio fieret, tamdiu ſaltem ſpirituum reſolutionē
fieri neceſſe eſſet, quo pacto huiuſmodi partes humi-
dæ, & teneræ, ex quibus ſpirituum reſolutio fieret, ne-
ceſſariò deficerent pœnitus reſolutione exhauſtæ; con-
ſequenter autem animalis corpus deficere neceſſe eſ-
ſet deſiccatum prorſus: huius tamen contrarium ſem-
per patet: viſio ergo ſpirituum emiſſione non cauſa-
tur. Amplius autem ſi emiſſis ſpiritibus viſio cauſa-
retur, impoſſibile videretur, vt videndo nobis ſpecu-
lum penetrare contingeret, per omnia tamen genera
vitrorum aliquid vlterius poterimus intueri, cum ſin-
gula nobis diaphana ſint, niſi aut valde obſcura ſint,
aut in parte poſteriori aliquod ſolidius, atque obſcu-
rius coniunctum habeant: viſio ergo emiſſis ſpiritibus
non fit. Maior huius, liquet, quoniam, cum mulier
menſtruata, aut quiſpiam infectos habens oculos ſpe-
culum parū diſtans inſpexerit: ſpiritus ab oculis egre-
dientes ſuperficiei corporis adhærentes circumſtantis
aeris, atque ſpecularis corporis frigore condenſantur:
conuerſi in corporis ſoliditatem, atque facti viſibiles,
nec vlterius tranſire potentes: nobis ergo nihil diſpar
contingeret, ſcilicet, vt vitrum intuentes, ſpeculare il-
lud videndo, penetrare non poſſemus. Econtrario ta-
men fit, quoniam quocunque ſpeculari vitro præpoſi-
to nobis, quod vltra eſt, clare videre poterimus, niſi
aut vitrum obſcurum valde ſit, vel in poſterioribus ali
quid vitro appoſitum fuerit. Viſionem igitur emiſſis
ſpiritibus fieri impoſſibile ſatis liquet. Præter hoc au-
tem, ſi emittentes aliquid ab oculis videremus, impoſ
ſibile eſſet nobis cælum videre: ſed omnes cælos per-
ſpicuè contemplamur; emiſſione ergo ſpirituum vi-
ſionem nullatenus fieri patet. Maior apparet, quoniā
ſpiritus, quos interdum ab oculis emittimus, corpora
humida, & calida ſunt, atque delicata nimis. Vt autem
ad cælum vſque penetrarent, neceſſe eſſet, vt ad me-
dium aeris interſtitium pertranſirent: in quo aer fri-
gidus

Quòd ſiſte opinione Platonis Impoſſibile eſſet, vt videremus cælum.

gidus,& niger,atque denſus eſt,in quo lapides & grã-
dines,atque niues generantur. Eſt enim locus iſte in to
to cœlo frigidiſſimus:vnde illuc peruenientes ſpiritus
condenſari neceſſe eſſet, condenſatos autem,atq; con-
ſequenter graues effectos pondere ſuo ad inferiora tra-
hi oporteret:nec enim vlterius aſcendere poſſent: quo
fit, vt nobis cœlum videre impoſſibile foret, non per-
uenientibus illuc ſpiritibus ab oculo miſſis.Præter hęc
autem oporteret eoſdem ſpiritus per ignis tranſire glo-
bum,in quo,cum corpora humida,atque tenera,& de-
licata ſint, cremari neceſſe eſſet; hoc ergo dato, nulla
nobis videndi cœlum eſſet facultas. Sed falſum eſt,
qm̃ omnes cęlos cum aſtris ſuis limpidè intuemur,vſ-
que ad cœlum chryſtallinũ,quod cœlum aqueum ap-
pellatur,omniumq; viſibilium extrema meta eſt: viſio
nẽ ergo nullo emiſſo, ſed ſuſcepto interius fieri patet.

Septima ratio præcipua, viſionem non fieri extramittendo. Cap. XII.

ADijciendum autem prædictis eſt, quòd, ſi viſio
aliquo emiſſo celebraretur, impoſſibile eſſet, vt
videremus confeſtim,vt oculos aperimus: ſed mox,vt
oculos aperuerimus, obiectas nobis res viſu compre-
hendimus;viſio igitur emittendo non fit,ſed recipien-
do. Hoc apparet; nam ſi emiſſis ſpiritibus videremus,
neceſſe eſſet,vt primò oculos apertos haberemus, poſt
hoc autem ſpiritus ab oculis emitteremus: deinde ve-
rò,vt ipſi ſpiritus ad rem, quam videre volebamus,ve
nientes, eius ad nos vſque perferrent ſpeciem contem-
plandam ſecundum poſitionem Platonicorum. Hæc
autem vt fierent,tempore quodam indigerent; indiui-
ſibiliter enim in inſtanti fieri nequirent, vt oculorum
Sonus quo fit. ſpiritus ad rem viſibilẽ peruenirent,eiusq;poſt hoc ad
nos vſque perferrent videndam figuram. Apparet au-
tem hoc in ſonitus cantione: fit enim ſonitus ex aeris
colliſione, qui fractus in circulos ſe diffundit ad mo-
dum fluentorum vſque ad audientium aures eius per-
ueniunt ſpecies, quam ob rem non immediate vox ſen
titur, vt cauſata eſt. Velut ſi quiſquam diſtanter a no-
bis lapidem, vel lignũ ſecuri percuſſerit: vox quidem
ad percuſſionem immediatè conſequetur: nos tamen
percuſſionem à longè videntes, mox vocem non au-
diemus: ſed aliquandiu ſtabimus expectantes, vt au-
diamus. Sic ergo aer corpus eſt,atq; tempore quodam
indiget,vt moueatur:ita ſpiritus iſti,cum corpora quę-
dam humida,tenera,atque delicata ſint,ſine ſucceſſio-
ne moueri nõ poterunt. Horum tamen falſitas nota eſt,
quoniam mox,vt oculos aperuerimus, quæcunq; obie-
cta ſunt,intuemur: viſio ergo emittendo non fit ſpiri-
tus aliquos, ſed recipiendo magis. Huic autem quiſ-
quam obijciet: data viſione in ſpirituum emiſſione, in
inſtanti fieri poſſe viſionem ſequitur,ita vt apertis ocu-
lis quæ obijciuntur, mox cernamus: quoniam maiora
quædam his fieri ſic conſpicimus.Nam,cum ſol appa-
ret in oriente, in inſtanti eſt in occidente, nec prius eſt
in locis propinquis orientis,quàm in locis non coniun-
ctis:nec citius in vna parte medij,quàm in alia.Hoc igi
tur pacto viſus noſter in inſtanti ſpiritus vſq; ad rem
viſibilem emittere poterit: & ſuſceptam figuram eiuſ-
dem reducere ad oculum. Cui reſpondendum,nulla-
tenus ſtare poſſe;lux namq; in inſtanti per omnes qua-
tuor angulos maximè diſtantium quatuor cardinum
mundi multiplicatur,quia contrarietatem nullam ha-
bet.Recipitur quoq; in aere,qui diaphanus eſt,atq; ex
hoc obeditiuus ſuſcipiendæ luci:nec in ſe aer aliquam
habet poſitiuam qualitatem repugnantem luci ſuſci-
piendę.Nam,& ſi tenebra in aere ante diffuſam lucem
videatur qualitas,tamen non eſt,ſed priuatio quędam,
quam ob rem ei actio nulla debetur,cum ſolum formę
poſitiuæ actio competat.Cum verò alicui formæ actio
eſt, cui nulla contrarietas eſt, reſiſtentia nulla poſſibi-
lis eſt: vnde in inſtanti fieri neceſſe eſt,nullo reſiſtente.
De hoc Ariſt.4.Phyſicorum,cum de vacuo agit,dicẽs,
quòd ſi aliquod vacuum dandum foret, motus in lo-
A co illo in inſtanti fieret, non reſiſtẽte qualitate medij.
In emiſſione autem ſpirituum fieri poſſibile nullate-
nus etiam huiuſmodi:nam ſpiritus emiſſi corpora ca-
lida,& humida, atque delicata ſunt in aere contrarie-
tatem habentia: euenire ergo impoſſibile eſt,vt ſpiri-
tus ab oculo emiſſi in inſtanti ab oculo vſque ad rem
viſam perueniant, eiusq; formam ad videntis oculos
ſuſceptam perducant. Satis ergo manifeſta veritate
fulcitur, quòd viſionem emiſſis ab oculo ſpiritibus in
inſtanti fieri impoſſibile erat: ſed prius aliquandiu
oculos eſſe apertos oportebat, quàm vt obiectas nobis
res intueri valeamus.

Octaua ratio principalis, quòd viſio non fiat extramittendo. Cap. XIII.

B

PRæter hæc autem, ſi viſionem emiſſis ſpiritibus
fieri fateamur, prius ea,quæ propinqua ſunt, quàm
quæ diſtant, neceſſe eſt videri: ſed ita coniuncta ſicut
magis à nobis ſeiuncta cernuntur; emiſſis ergo ſpiri-
tibus viſio cauſatur nulla. Huius maior probatur:
ſpiritus namque corpora calida, & humida ſunt; &,
quanquam ſubtilia ſint,corpora tamen ſunt, aliquam
reſiſtentiam habentia in aere, per quem moueri de-
bent;eos ergo in inſtanti moueri impoſſibile eſt, vt in
ſuperioribus inductum eſt. Adhuc autẽ ſpiritus emiſ-
ſi corpora calida, & humida ſunt:ex cauſa ergo humi-
ditatis quandam contraheret grauitatem, quæ impe-
dit inſtantaneam actionem; cum ergo ſpiritus à nobis
emiſſi per mediũ moueantur, neceſſe eſt,vt prius pro-
C pinqua loca,quàm diſtantia tangãt,quo pacto ea, quæ
coniunctiora nobis ſunt, prius quam aliqualiter diſtan
tia, cerni neceſſe eſt. Hæc tamen manifeſta falſitate
non carent; nam,ſi quid nobis ad duas leucas videndũ
obiectum ſit,in loco tamen,in quo videri poſſit,aliud-
que in eadem poſitione orbis viſibile ſit, quod ad de-
cem,aut viginti leucas diſtet,in loco tamen,in quo ui-
deri queat,ſitum, apertis oculis æque cito,quæ per vi-
ginti leucas diſtant,ſicut ea,quæ per duas videbimus:
viſio ergo ad rem videndam emiſſis ſpiritibus ab ocu
lis noſtris non fit. Amplius autem ſi emiſſione facta
viſio cauſaretur, impoſſibile nobis eſſet mox, vt ocu-
los aperiremus, ſolem, aut aſtra reliqua cerneremus,
ſed aliqua interiecta mora,nec parua quidẽ: ſed mox,
vt oculos apertos haberimus,ſol,atq; cętera aſtra à no
D bis videntur: viſionem ergo ſine vlla ſpirituum emiſ-
ſione fieri ſatis conſtat.Inductionis huius maior patet;
nam ſpiritus,quibus emiſſis videre iſti fatentur,corpo
ra ſunt, nec in inſtanti moueri poſſunt: vt in præliba-
tis inductum eſt. Cum ergo id, ad quod emitti debẽt
aliquantum diſtet, in perueniendo moram aliquãtam
contrahi neceſſe eſt; à nobis tamen vſque ad quartum
ſolis orbem, atque vlterius vſque ad octauam fixarum
ſtellarum ſphęram ſpacium plurium, quàm ducenta-
rum millium leucarum ſit, neceſſe eſſet, vt in huiuſ-
modi pertranſitione magna traheretur mora: non
ergo ſolem, aut aſtra quiſpiam videre poſſet mox, vt
ad illa videnda oculorum aciem dirigeret.Hoc tamen
falſum patet: nam mox, vt quiſpiam oculos apertos
E habuerit,ſolem, & cætera aſtra, & quęcunque obiecta
oculis cõſpiciet: emiſſis ergo ſpiritibus viſionem nul-
lam fieri conſtat. Præter hoc autem Platonica poſitio
de ſpirituum emiſſione,ſecundum quorum multipli-
cationem, & directionem viſio cauſaretur, ſtare ne-
quit: nam ad hoc vt ſpiritus ab oculis noſtris emiſſi
rebus videndis ſe applicarent earum ad nos perducẽ-
tes figuras,vt ſic eas videremus,oporteret eos rationa-
lia agentia fore. Nam,cum ab oculis ſemel emiſſi fo-
rent, ad oculos emittentis reuerti impoſſibile eſſet,
niſi aut eos quiſquam redire compelleret, aut ipſi ra-
tione quadam ſua ad hoc mouerentur. Quòd autem
iſti ſpiritus a nullo agente ad oculos emittentium re-
ducantur, ſatis conſtare videretur; nullum namq; na-
turaliter, aut ſecundum aliquam rationem tale agens
conſtitui poſſe videtur. Quòd autem ſpiritus iſti ſua

aliqua

aliqua ratione in oculos emittentiũ redire nequeant, ex hoc patet: quoniam nec rationales animæ, nec angeli, dæmonesvè ſunt, nec aliqua altera intelligẽs ſubſtantia, cum præter has nulla niſi Deus ſit.

Nona ratio principalis, quòd viſio non fiat extramittendo. Cap. XIIII.

AMplius autem ſi viſionem emiſſis ſpiritibus fieri fateamur, ad hoc ſpiritus ſufficere impoſſibile videtur. Nullius ſiquidem viſio fit, niſi in vidente eius figura conſtiterit, cum videtur: hi autem ſpiritus emiſſis rebus videndis ſe applicantes earum ad oculos noſtros perducere figuram dicunt: nos autem, cum quidpiam videmus, eius extenſionem in longum, & latum conſpicimus: tantæ ergo extenſionis ad huiuſmodi viſionem cauſandam eſſe neceſſe eſt, quanta ſit rei viſæ extenſio ſecundum eam partem, quæ vt ſic ſpiritus rerum videndarum ſuperficies operiant, earumque ad nos perducant figuras. Alioquin autem dato, quòd ſpiritus ab oculis videntium egredientes quandam viſarum rerum partem operirent, nec tamen totam obiectam ſuperficiem, neceſſe eſſe, vt ea ſolum pars videretur, quæ ſpiritibus emiſſis tegeretur. Cum aliarum partium, quas non tegerent ad videntes imagines perducere nullatenus poſſet. Difficile tamen nimis, atque prorſus impoſſibile videbatur: vt ſpiritus ab oculis noſtris egredientes decem, aut viginti leucarum tegerent latitudinem, & directum, quarum nos totam magnitudinem oculis contuemur: viſionem ergo emiſſis ſpiritibus fieri poſſe falſum eſſe liquet, ſed neceſſe eſt per quandam interius ſuſceptionẽ hoc effici. Præter hoc autem apparet, viſionem nulla cum emiſſione, ſed facta ſuſceptione cauſari; omnium nãque corporum, quæ aut colorata, aut lucida ſunt, conditio hic eſt, vt ſimilitudinem ſuam in circuitu ſui ipſorum per totum diaphanum diffundant medium per aerem ſcilicet, & cum ad aĩalium peruenerit oculos imago hæc, ibi ſiſtat, ipſumque animal videre faciat. Hoc autem ſuſcepto nullum de inconuenientibus conſequentibus Platonicam poſitionem euenit, quæ in prioribus annotata ſunt. Hoc apparet: nã, ſi quodcunque corporum noſtris obtutibus obiecerimus, mox eius imago in pupilla noſtra eſt. Et ſi nos ante cuiuſquam hominis, animalisvè alterius conſpectum aſtiterimus, erit in oculis eius ambobus noſtri figura duplex. Quòd ſi oculis eius lapidem, aut papyrum obiecerimus, in oculis illius lapidis, papyrivè forma ineſſe cernetur: idem autem in quibuſcunque corporibus ponatur, quicquam obiectum. Hoc autem impoſſibile foret euenire, niſi cuiuſlibet corporis conditio foret in circuitu ſui per totum medium ſui imaginem multiplicare, atque diffundere: hoc pacto, cum nos coram aliquo ſteterimus, oculis eius geminã noſtri ſpeciem corporis intuemur; ita vt quilibet eius oculus pfectam noſtri imaginem exprimat. Aliqui tamen ſimplices arbitrati ſunt figuras illas hominum, quas aliorum oculis cernimus, illis cõnatas fore. Cuius falſitas manifeſtis exemplis deprehenditur; nam ſi quis ſe alicuius obiecerit oculis, ſuã in illius oculis figuram cerneret. Si autem alius ſe eiuſdem oculis oppoſuerit ſemoto priori, ſuam quoque vt prior in eiſdem oculis figuram inſpiciet: non ergo videbunt eandem imaginem aſpicientes ſinguli, ſed quilibet ſuam intuebitur; ex quo manifeſtum eſt imaginem, quæ videtur, connatam oculis non fore, quoniam ſic apud omnes eadem exiſteret. Amplius autem ſolidius hoc manifeſtatur; nam, ſi quis alterius oculis ſe obiecerit, recto ſubſiſtẽs corpore, imago illa, quam in alterius oculis cernit, recta habitudine conſiſtere videbitur. Quod, ſi videns ſe paulùlum depreſſerit, aut in aduerſum ſe contorſerit, imago quoque viſa paululum deprimetur, atque contorquebitur in aduerſum. Omnes quoque motus perfecte exprimet, quos aſpiciens in ſe præmonſtrauerit; hæc tamen penitus impoſſibilia forent, niſi hæc

F imago viſa videntis hominis ſpecies foret. Præter hoc autem à quolibet corpore ſpeciem per totum diaphanum medium in circuitu diffundi conijcitur: nam, ſi viginti, aut triginta ſpecula quaſi in circulo poſita fuerint, & quiſpiam in eorum medio ſteterit in quolibet ſpeculorum hominis illius imago videbitur, quòd, ſi eis lignum, aut lapidem in medio prominentem poſuerimus, in eorum quolibet lapidis imago, lignivè apparebit effigies: in oĩbus autem alijs eundem fore modum ſatis ex dictis liquet. Viſionem ergo emittendo fieri poſſe iuxta Platonicorum poſitionem ſatis falſum eſſe patet, ſed per interius ſuſceptionẽ cauſari neceſſe eſt. ſ. vt ſingulæ res ſpecies ſuas per totum mediũ multiplicantes ad videntium oculos eas vſq; extendant.

G *Solutio ad primum argumentum ſuperius factum. Cap. XV.*

NVnc autem redeundum nobis eſt, vnde digreſſi ſumus. ſ. ad inchoatum argumentum. ſ. rationabilius, atque naturæ conformius videtur, vt res viſa aliquam cauſalitatem ſuper rem videntem habeat, quam videns ſuper viſibile; viſio namq; paſſio eſt, & non actio. Cum ergo videns duntaxat rei viſibilis in ſe imaginẽ ſumat nihil emittens, vt ex præcedentibus liquet, impoſſibile videtur, vt ſuper rem viſam operationẽ, aut immutationem aliquam realem, vel naturalem habeat, cum hic nullis actionis modus relinquatur. Res autem viſa habet aliquem actionis modum ſuper rem videntẽ, quoniam ſpeciem ſuam multiplicans ad eam vſq; dirigit, ipſum quoque videns illam ſpeciem ſuſcipiens, vt videns ſit immutatur; iſta tamen immutatio nõ eſt actio realis, aut naturalis, ſed ſpiritualis, cum ſpecies, per quã huiuſmodi viſio cauſatur, aliquid ſpirituale ſit ad ſpirituales pertinens qualitates. Ex prælibatis ergo inducitur in viſione nullam realem immutationem, aut actionem conſtare poſſe, viſibilis ſuper rem videntem, aut videntis ſuper rem viſam. Hoc ergo modo baſiliſcus hominem, aut quodcunq; animal videns, ſuper illũ actionem nullam habet, ſed magis homo ſuper baſiliſcum; nam homo viſus, inquantum viſus eſt a baſiliſco, ſpeciem ſuam ad baſiliſcum mittit, nec baſiliſcus quicquam in hominẽ mittit, inquantum huiuſmodi videns eſt. Actio tamen, & naturalis immutatio, quam baſiliſcus ſuper viſum hominem habet: quia baſiliſcus eſt animal peſtiferum valde, ex cuius oculis ſpiritus quidã egredientes ad hominem, vſque perueniunt eum corrumpentes, atque illicò occidentes. Si tamen contingeret, vt baſiliſcus hominem videret nullis emiſſis ſpiritibus, nihil magis homini baſiliſcus videns noceret, quàm ſi ab altero homine videretur, vel ab aſino. Quia tamen non contingit baſiliſcum quicquam videre, quando ſpiritus illos emittit, nunquam eueniet, vt hominem à propinquo inſpiciat eum non occidens.

In videndo non immutamur realiter, ſed ſpecialiter.

H

I

Baſiliſcus quale animal ſit

Reſponſio ad quoddam argumentum, & quædam alia. Cap. XVI.

K ALteri quoque obiectioni, qua identidem inducebatur ſola viſione aliquam realem cauſari immutationem, ſcilicet, quia lupus, cum hominem à propinquo conſpexerit, reddet eum per aliquantum temporis ſpatium impotentem ad clamandum, ibi tamen nulla præter viſionem actio conſiſtere apparet: in viſione ergo aliqua realis cauſabitur immutatio. Reſpondendum eſt ex ſola viſione lupi ad hominem cauſari nihil poſſe realiter in homine. Cum ergo dicitur, quare homo à lupo viſus ad modicum clamare nequit? reſpondendum eſt, oculos luporum infectos eſſe, atque per eos venenatos quoſdam emitti ſpiritus, qui, cum ad hominem de propinquo exiſtentem peruenerint, eum inficiunt, atque locutionis impediunt organa, manebitque iſta impotentia clamandi, quouſque emiſſorum ſpirituum virtus permanſerit: ſi autem lupus homi-

Quare videntes lupum per modicũ tẽpus taciturnitati ſtamꝰ.

mi: em à long inquo cerneret, nullum ei ad loquēdū inferret obſtaculum. Hi autem ſpiritus ab oculis, cum emiſsi fuerint, res, quibus adhæſerint realiter permutant, & ad viſiuam potentiam nihil attinet, ſed ad tactiuam magis: quæ per applicationem realem operationem ſuam habet; ſpiritus autem iſti emiſsi, rei ad quam perueniunt, applicantur. Idemidem autem ſpiritus iſti corpora calida, & humida ſunt, ſed huiuſmodi qualitates ad poſitionem viſiuam nullatenus pertinent: ſed magis ipſius tactiuæ potentiæ obiectum ſunt. Amplius autem tertiæ argumētationi in hac parte obuiandum eſt, cum dicitur mulierem menſtruatam ſpeculum à propinquo reſpiciētem, ſola viſione nulla applicatione facta, illud ſanguineis guttis, aut maculis quibuſdam deformibus reſpergere: maculæ ergo, quæ per realem immutationem fiunt, ſola actione viſiua effi B ciuntur. Reſpondendum eſt viſionem menſtruatę mulieris in ſpeculo nihil reale cauſare, cum viſio paſsio duntaxat ſit. Sed quia menſtruorum tempore mulier oculos aliqualiter infectos habet, ſpiritus ab oculis egredientes aerem medium tranſeunt ad ſpeculum venientes, quod penetrare nequeunt, quoniam illud denſum, atq; compactum corpus eſt, ſuperficiei illius adhærentes circunſtantis aeris, atque ipſius ſpeculi frigore condenſari in maculas ſolidas, atq; viſibiles conuertuntur. Hæc aūt viſioni non contingunt; nam, cum quis huiuſcemodi oculos infectos habuerit, eos apertos tenens, etiam ſi nihil videat, nihilq; aſpiciat, quicquid ſibi directe obiectum, atque vicinum eſt, inficietur.

Quō mulier tēpore menſtruorū inficiat ſpeculū.

Reſponſio ad quartum argumentum, & quædam de faſcinatione. Cap. XVII.

AMplius autem quartæ in hac parte obiectioni reſpondentes, qua dicebatur vulgatiſsime haberi, pueros teneros, & aliqua alia de animalibus interdum faſcinatione lædi, ſ. quaſdam ægritudines pati, quę per viſionem ab aliis animalibus inducuntur: & dicuntur iſta vulgariter oculo percuſſa, ſed ad immutationes reales iſta pertinent, in ſola ergo viſione realis erit pmutatio. Dicendum erit, plurimi eorum, qui catholicæ veritati valde inhærent, faſcinationem nihil eſſe dicūt: nullum quoq; animal faſcinatione lædi, i. oculo percuti perhibent; nullumq; aut bonū, aut malū per oculos conſiſtere poſſe. Horum aūt modus ſanè, vt iſti cenſent D ſumptus ſolidam veritatē profert. Vulgares namque, qui ſm̄ nomen ſuum inſipientia confunduntur, arbitratur, atque enunciant quoſdam homines malorum oculorum fore, addentes quod, ſi iſti oculo furibundo, aut inuido, aut qualitercunq; ad malū motū aliquid intuerí voluerint, illud lędent, aut occident: ꝙ, ſi benignis illud oculis intueantur nihil nocebunt. Hæc aūt penitus falſa ſunt, nec rerum naturæ congruunt, nā ſi aliquis oculus nēquam aut liuidus foret res viſas faſcinans aliquando, hoc ex ægritudine quadā oculi, vel totius corporis prouenirct, nec eſſet in facultate videntis faſcinare, aut non faſcinare, ſed cum videret, neceſſe eſſet, vt illud læderet, ēt inuitus. Velut ſi quis calidus ſit intenſè, alteriq; adiungatur, eum neceſſe eſt vt calefaciat, E quanquam ad hoc ſpontaneus non ſit. Hoc modo nos quoque fatebimur, oculum nullum faſcinantem fore, nec quicquam oculo lædi poſſe. Si autem faſcinare dicatur, videndo rei viſæ nocere, ſiue hoc ſpontaneè, ſiue inuoluntariè fiat, fateri oportet faſcinationem aliquid eſſe, & eſſe aliquorum hominum, aliorumq; animaliū oculos res viſas faſcinantes. Nec in hoc fidei catholicæ quiſquam nos exiſtimet aliquid detraxiſſe; nā fides catholica ſolida veritas eſt, vero aūt iuxta Ariſt. 1. Ethic. omnia conſonant exiſtentia; ei ergo nulla veritas naturalis repugnabit. In hoc autem conſiderandum eſt, ꝙ, ſicut in ceteris corporis membris ægritudinem eſſe cōtingit, ita & oculos ęgrotarę continget.

Q̄uid ſit illud, ꝙ vulgares faſcinationē dicunt.

Si ergo læſo vno corporis membro, vapor, aut ſpiritus inde egrediēs, aut humor tabidus inde ſolutus cetera membra contactu ſuo inficit, quæ contingit, non diſpariter, ſi oculum ægrotare contingat, inde egrediētes ſpiritus peſtiferi eis quibus inhæſerint, inferēt nocumentum. Hoc autem incōueniens nullū infert, quin potius ſecundum naturam cōcedi neceſſe eſt: alioquin ſpecialius aliquid in oculis: quàm in ceteris corporis partibus fateremur, ſ. cetera corporis membra ægrotare, aut indiſpoſita eſſe, oculos aūt nequaquā. Aut ſi oculos ęgrotare, aut indiſponi, ſicut in ceteris accidit, fateamur, aliquid adhuc ſpecialius hoc modo in oculis ad cetera mēbra prius confiteri neceſſe erit, ſ. ꝙ ceteri corporis artus, cū infecti ſunt, ſua contagione aliqua nocumenta aliis mēbris, ceteriſue reb. inferre poſsint; oculi aūt cum eos ægrotare contingeret, nulli rei læſionem inferre poſſent. Rationabiliter ergo dicendum eſt, aliquos eſſe indiſpoſitos, aut infectos oculos, qui reb., ad quas ſe cōuerterint, nocere poſſunt, & hoc faſcinare, ſiue oculo pcutere vulgariter dicitur. Ex his ergo inferri patet faſcinationē aliquid eſſe, & aliquos faſcinari.

Quòd naturaliter opinio de faſcinatione confirmatur. Cap. XVIII.

AD hæc autem adhuc alia fundamenta inquirenda ſunt. In quo aduertendum ſecundum medicorum doctrinam quoſdam morbos contagioſos fore, idest, quòd per tactum à quibuſdam in alios tranſeunt, velut ſcabies, lepra, peſtilentiæ morbus, atque C conſimiles; Conformiter ergo in oculis accidere poterit, quod ſi quis infectum habuerit oculum, eius infectio in alios contagione quadā deriuabitur; nam ſi quis quoddam ſcabiei genus, quod in capite eſt, patiatur, & quis ei adhæſerit: quamquam eorum capita nullam habeant coniunctionem, in eo tn̄ qui nullā habet ſcabiem, ex hoc acceſſu inducetur ſcabies. Conformiter autem ſi quis leproſus fuerit, alterumque de vicino colloquatur, aut cum eo cibos ſumat, & bibat, ſi hi aliquam moram traxerint, qui ſanus eſt lepram inducet: quamquam horum corpora nunquam ſe realiapplicatione contigerint. Si igitur in his, qui ſani ſunt, communicantibus cū leproſis, & ſcabioſis lepra, aut ſcabies inducitur, quamquam in his corporum nullus contactus ſit, cur in eis, qui infectos oculos habent, hoc non eueniet, vt eis, quos viderint à propinquo, noceant, quamquàm in hoc coniunctio nulla ſit? Hoc autem faſcinatio dicitur, aut læſio inducta per oculos. Apparet ergo aliquem poſſe alios faſcinare. Amplius hoc in epidimiæ morbo apparet, qui frequenter ex corruptione aeris gignitur: immo, quod propriè peſtem dicimus, ſemper corruptionem aeris appellamus. In eis autem, qui peſte percuſſi ſunt, hoc accidit: vt, ſi quis eorum aliquem non peſte percuſſum è vicino frequenter, aut aliquanta contracta mora alloquatur, inficiet eū; vnde horum plurimi moriūtur. Quo fit, vt in tempore vehementium epidimiarum in ea domo, qua aliquis mortuus fuerit, multi poſt eum moriantur. Sicut ergo in peſtifero morbo, qui percuſſus eſt quadam contagione, alios inficit & occidit: ita & in oculorum ægritudine, ſi quis eam patiatur, eos quos viderit, ex hoc lædet. Vlterius autem hoc manifeſtatur: peſtifer enim morbus ſic in hominibus cauſatur: nam primo aer cæleſtium corporum ſpecialibus influentiis corrumpitur, aut ex aliqua diſconuenienti naturæ noſtræ mixtione in elementis facta, ex qua grauis exhalat odor inficiens eos, quos tetigerit: hunc autem infectum aerem ore accipientes ad vitalia introrſus trahimus inſpirantes, atque reſpirantes. Sic enim infectis vitalibus, ſcilicet corde & præcordijs lęſi homines moriuntur. Cum autem aliquis homo hoc modo infectus ſit, totus aer, quem iſte inſpirando atque reſpirando trahit, contagione eius infectus eſt: vnde & coniunctum ſibi aerem, quem tetigerit ſua tabe inficiet. Alij autem hominum, qui ab hoc peſtifero morbo immunes ſunt: hunc aerem inſpirantes inſe-

Q̄uo cauſetur peſtis.

infectione ſimili corrumpuntur, niſi valde bene complexionati fuerint:ita vt natura reſiſtat aeris nocumento. Non diſpariter ergo, cum quis oculos infectos habet, aut aliquas corporis partes, quarum infectio per ſpiritus ab oculis egredientes ſoluenda eſt:tunc per oculos corpora quędam ſubtilia valde calida,& humida egrediuntur: quæ præ ſui ſubtilitate viſibilia non ſunt,quæ,ſi alicui rei ad corruptionem propinquæ adhæſerint, inficiunt eam, atq; lædunt: q̄ faſcinare vulgariter appellatur. Hoc ergo modo ſatis patet faſcinationem aliquid eſſe, nec quouis modo neganda eſt.

Quædam notanda penes ſuperiora. Cap. XIX.

AD ſupradictorum autem validiorē expoſitionem conſideranda ſunt adhuc alia fundamenta, quæ inferunt neceſſariò faſcinationem eſſe, & aliquos oculos faſcinantes fore: ita vt faſcinologia non ſit prorſus de non ente. Faſcinationem enim appellamus,cum aliquid quidpiam videns ad eum corporaliter non coniunctus, nec in eum alterum quidpiam agens cum lædit. Horum tñ frequentiſſima, atque vulgaria exempla ſunt,ita vt iam ſtylo nō egeant: faſcinatio ergo aliquid eſt. Baſiliſcus enim nobis horum indicium monſtrat; nam ſi baſiliſcus quempiam hominum viderit,etiamſi eum mordens,aut alias non tetigerit, morietur. Hic ergo nullus diffiteri nitetur, baſiliſcum occidere eum, qui moritur: nec quiſquam hoc negat: dici tamen nequit, quòd baſiliſcus morſu hominem laniauerit, aut intoxicauerit, aut eum quouis tetigerit modo: eum ergo videndo duntaxat occidit. Quamquam autem homines baſiliſcorum non habeant complexionem, quoniam eorum natura ita peſtifera eſſe nequit: aliqua interdum tamen in eis corruptio eſſe poterit, quæ per oculos egrediens in ſpiritus,qui corpora delicata ſunt, eos,qui propinqui fuerint, atque corruptioni diſpoſiti,inficiet. Inuiſibiliter tamen iſta præ ſpirituum ſubtilitate fiunt. Hoc autem in lupo adhuc apparet; cum enim lupus hominem a propinquo conſpexerit, eum ad emittendas voces aliquanta temporis mora impotentem reddet: nullam tamen tūc actionem lupus ſuper hominem habet, ſed eum duntaxat videt, vt ait Iſidorus Ethymo. libro vndecimo. Confiteri ergo neceſſe eſt hominem a lupo faſcinari, cum eum ſolo viſu lædat. Identidem autem in menſtruatis mulieribus hoc apparet, quæ ſi ſpecula à propinquo contemplentur, ea ſanguineis guttis inficient, aut alijs reſpergent maculis: manifeſtum igitur eſt, ex earum oculis corpora quædam calida, atque humida egredi, quæ ſpiritus vocantur. Hi autem aut ſani,aut ægritudinum inductiui ſunt: rebus ergo quibus adhærent, morbos quoſdam inducent. Sed,cum ſpiritus iſti nocent, eos faſcinationem cauſare dicimus; faſcinatio ergo aliquid eſt.

Quòd faſcinatio nō ſit, per ſit, ex nō ente.

Tres concluſiones exprimentes tres conditiones ad faſcinationes neceſſarias. Cap. XX.

AD eorum autem,quæ de faſcinatione dicūtur vberiorem cognitionem, tres concluſiones ponendæ ſunt exprimentes tres conditiones, quæ ad quamcunque faſcinationem neceſſarię ſunt. Prima concluſio ſit, quòd non poſſit quilibet homo, aut quodcunque animalium hominum, aut brutum animal faſcinare: ſed quædam ſunt, quæ faſcinandi virtutem habent, quædam vero non. Quædam quoque ſunt,quæ a faſcinantibus pati poſſunt, alia autem faſcinationem pati nequeunt. Huius fundamentum eſt,quoniam faſcinatio ex hoc ortum habet, quod quis oculos infectos habeat, aut aliquam corporis partem, & ex illo peſtifero humore agente calore quidam ſpiritus, qui corpora calida, & humida ſunt, reſoluuntur per oculos egredientes, atque præ leuitate ſua vicinum aerem tranſeant, quouſque ad aliquod ſolidum corpus perueniant,cui inhæreant. Si autem corpus iſtud corruptioni diſpoſitum ſit,ſcilicet faciliter paſſibile,aliqualiter inficietur. Aut ſi dicamus totum animalis corpus infectum eſſe, humorem tamen illum reſolutum per oculos in ſpiritus egredi, idem fiet nocumentum: hoc autem faſcinare eſt. Tale autem in omnibus animalibus reperiri nequit: non enim habent omnes homines infectos oculos,aut aliquam corporis particulam, ex qua humores reſoluti per oculos exitio ſint. De animalibus autem ceteris idem patet, non enim ſunt cuncta peſtifera: hoc enim modo in omnibus indiuiduis huius generis, quod eſt animal, ſemper morbū dari neceſſe eſſet, ita vt nullū animal ſanum foret,quod liquida falſitate notatur. Dicendum ergo eſt, animalia quædam ſecundum ſpecies ſuas peſtifera eſſe,ſemperque ſpiritus ex hoc venenato humore reſoluētia. Vnde,quoties hęc aliqua animantia viderint alterius ſpeciei,quæ ad corruptionem diſpoſita ſint,lædent ea. Hoc enim baſiliſcis euenit: peſtifera enim eorum natura eſt. Nullū ergo baſiliſcum vnquam eſſe continget, qui vidēdo alia animalia non faſcinet, ſ. quemcunque hominem, aut aliud animal viderit, ſolo viſu mortem inducet. Idem autem lupis accidit;eſt enim eorum natura humanę naturæ contraria: ideo omnes lupi quantum ad homines peſtiferi quodammodo ſunt:cum enim aliquem hominem è vicino viderint, eum ad tunc voces emittendas facient impotentem. Lupis ergo vniuerſaliter euenit homines faſcinare. Conformiter autem quædam alia animalium ſunt, quibus ex ſpeciei conditione conuenit,vt homines debeant faſcinare:quo fit, vt in talibus animalium ſpeciebus,nullum animal ſit,quòd hominem viſum à propinquo non faſcinet, aut ſaltem faſcinare non valeat. Alia autem animalia ſunt, quibus ſecundum ſpeciei conditionem non conuenit, vt homines faſcinare poſſint, euenit tamen quibuſdam eorum aliqua ſpecialis corruptio,qua omnibus, quæ viderint faſcinationis inferant nocumentum. Hæc autem bipartita ſunt: quædam namque eorum magnam læſionem habent,ſemperque manentem: vnde ea, quæ viderint ad corruptionem diſpoſita,neceſſarium eſt, vt ſemper faſcinent. Alia autem ſunt, quibus morbus iſte perpetuus non eſt,ſed ad aliquam temporis moram manēs, ſicut in ceteris temporalibus ægritudinibus accidit, hæc autem,ſi quidquam viderint hoc tempore ad corruptionem diſpoſitum,faſcinabunt.

Vnde faſcinatio ortū ſumpſerit.

Quòd ſemper humana ſpecies poſſit faſcinare, non inuenitur in ea. Cap. XXI.

CIrca humanam vero naturam huiuſmodi dicendum eſt, non enim eſt humana ſpecies hanc conſequens conditionem, vt ſemper faſcinare poſſit, hoc enim modo tota humana natura corrupta foret, ſed falſum eſt: quoſdam namque homines eſſe ſcimus, qui nulli videndo nocent: alij autem ſunt, qui res viſas faſcinant. Non euenit ergo hoc ex conditione ſpeciei, ſed eſt conditio conſequens quædam indiuidua humana, ſcilicet ægritudo eis interdum eueniens, ſiue perpetua, ſiue temporanea ſit. Amplius autem hoc apparet, nam,ſi vis faſcinatiua,ſiue poteſtas faſcinandi humanam conſequeretur ſpeciem, neceſſe eſſet omnes homines faſcinatiuam habere virtutem,ſcilicet, vt illam ægritudinem,aut paſſionem haberent,ſecundum quā aliquid poteſt alterum faſcinare. Quo inferretur, nullum hominum poſſe alterum oculo lædere:ſed hoc falſum liquet: quidam namque alios videntes nocent eis ſolo viſu, potiſſime eis, qui adhuc ætate teneri ſūt. Hoc inducitur, nam ſecundum Ariſtot. quinto Phyſicorum, & eſt poſitio omnium loquentium de natura, omnis actio per contrarietatem fit: cum autem aliud ſecundum numerum in alterum agere debet, neceſſe eſt,vt inter ſe aliquam habeant contrarietatem. Ob hoc autem Ariſtot. non conceſſit motum inter duo ſimilia,nec inter duo contradictoria, ſed inter duo contraria,ſic patet in 5. Phyſicorum capit. ſecundo. Si enim vnum agens alterum naturaliter calefacere debet: neceſſe

teſſe eſt, vt alterum eorum calidum ſit, alterum autem frigidum, aut ſaltem non calidum. Si enim duo æqualiter calida forent, neutrũ in altero caliditatẽ cauſaret, aut duobus frigidis exiſtentibus, neutrũ alterũ frigeſaceret: vnũ tñ in alterum aget, cũ in extremitatibus cõtrarietatis ſteterint, aut quouis modo ſaltem contraria fuerint. Hæc aũt adhuc liquidius pateſiunt in his, quæ nos experimur: nã, ſi quiſquã calidus fuerit, eiq; quidpiam calidum appoſitum fuerit, nihil ſentiet, velut ſi nihil ei appoſitũ foret. Si quis aũt frigidus intenſè fuerit, & carni eius aliquid frigidũ adiungatur, identidẽ ſentire impoſſibile erit. Simile aũt in ceteris generibus cõtrarietatum: nã nullum ſimile ſuper ſuum ſimile actionẽ vllam habet: ſed actio, & paſſio circa cõtrarietatis extrema ſemper eſt. In quo tñ conſiderandum eſt, ꝙ, ꝗꝗ actio, & paſſio in cõtrarijs ſemper ſint, finis tñ actionis in ſimilitudine eſt, aut in cõſummata actione ſm naturã erit. Quod manifeſtè conijcitur; nam calidum in frigidum agit. Si aũt vtrunque calidum foret, neutrum ſuper alterum agendi haberet poteſtatem: id tñ ꝙ calidum eſt, valde in frigidum nunquam deſinet agere, donec illud ad caloris ſui perduxerit gradum: cum verò patiens ad tm̃ caloris deuenerit gradũ, actio nulla, nec motus erit. Identidem autẽ, ſi aliquid valde frigidum in valde calidum agat, nunquam actio conſummabitur, donec ad tantum frigiditatis excellentiã agendo deuenit patiens, quantum ipſum agens in frigiditate eſt: poſt hæc autẽ omnis motus conſummatus erit. Hoc pacto omnis motus ſecundum naturã cõtrarietate inchoat, ſed imperfecta ſimilitudine cõſummatur, ſi actio conſummata ſm naturam ſit. Ex prælibatis ergo inductum patet, quòd ſi omnes homines ſecundum ſpeciem peſtiferi eſſent, ita vt ſinguli faſcinatiuã haberent virtutem, nullus alterum faſcinaret: actio namque in ſimilibus numquam eſt, ſed in contrarijs, hoc ergo dato oẽs homines ſimiles forent, ſcilicet faſcinare potẽtes, atq; ſi iſtã peſtiferam tabẽ vniuerſaliter continentes eſſent, nullus poſſet alterum faſcinare.

Etſi actio fit rõne cõtrarietatis, finis, tñ agentis in ſimilitudine exiſtet.

Sicut eſt in baſiliſco, ita eſſet in homine, ſi ex conditione ſpeciei faſcinare poſſet. Cap. XXII.

AMplius autem baſiliſcis hoc ineſt, vt peſtiferi ſint, & faſcinare poſſint, atque homines, ceteraq; animalia ſolo viſu interimere, hoc autem eis ſpeciei conditione ineſt: ideo omnibus ineſſe patet, nec vnus alterum faſcinare poteſt, ſed viſu alia ledunt. In hominibus ergo conformiter diffiniendum patet ſcilicet ꝙ ſi ex conditione ſpeciei hominibus eueniret, vt faſcinatiuam haberent virtutem, nullus alterum faſcinaret, ſed ipſi alia animalia faſcinarent. Præter hoc autem actio, & paſſio nulla cauſari poteſt agente, & patiente æqualibus ſecundum potentiam agendi, & reſiſtendi exiſtentibus, & hoc in qualitate illa, ſecundum quam motus fieri debet, ſed ad omnem motum excellentia agẽtis in actiua virtute, defectus aũt patiẽtis in paſſiua exigitur. Si tñ ex humanæ ſpeciei cõditione prueniret, vt faſcinare poſſent, æqualiter oĩbus ineſſet hoĩbus illa peſtifera qualitas, per ꝗ faſcinatio cauſari deberet: nullus ergo alterum faſcinare valeret. Inductionis huius prima pars liquet. Secunda pateſit; nã in omnibus indiuiduis aliquarum hoc ineſt, vt cum aliqua paſſio ex principijs ſpeciei eis cõicatur, in omnibus æqualiter eſt cum natura ſpeciei, ex cuius principijs ſingulæ pullulant paſſiones, in eis ęqualis ſit: paſſiones aũt, quę accidunt ex ſingularibus conditionibus indiuiduorum, non ſunt ęquales in omnibus indiuiduis eiuſdem ſpeciei. Ex prædictis concluſum patet, ꝙ, ſi hominibus ex conditione ſpeciei faſcinatiua prouenirent virtus, nullus alterum faſcinare poſſet: hoc tamen falſum eſt, ſpecies ergo humana ſecundũ ſe faſcinatiuam conditionem non hẽt: ſed hoc ex ſingularibus accidentibus quorundam prouenit indiuiduorum. Eſt enim in quibuſdam hic faſcinandi conditio tanquam perpetuus languor: in alijs aũt velut tẽporanea ægritudo. Hi autem, quibus hoc euenit, alios homines faſcinare poſſunt: nec tamen omnes, ſed ſolum, qui ad corruptionẽ diſpoſiti ſunt. Infertur ergo, quòd faſcinatiua potentia non ineſt ſingulis hominibus, aut animalibus: ſed quibuſdam ineſt, alijs autem non, hæc namque corruptio, ſecundum quam faſcinatiua potentia ineſt, non eſt in omnibus animalibus, ſed in quibuſdam.

Hi, quibus faſcinandi facultas ineſt, non poſſunt ex arbitrio in hoc tempore potius, quàm in alio faſcinare. Ca. XXIII.

IN his quoque aduertendum, ꝙ iſti, quibus peſtifera faſcinandi qualitas ineſt, non habent ex arbitrio pendens, qñ faſcinare velint: ſed ẽtſi nolint, faſcinabũt. Amplius aũt non ſubeſt eorum libertati hanc, vel alteram rem faſcinare, ſed id, ꝙ ad corruptionem diſpoſitum eſt, faſcinabunt aliqua nociua qualitate impreſſa in eodem. Quo fit, vt interdum faſcinatiuã potentiam habens, & huius ſibi conſcius eligat aliꝗ rem non faſcinare, qm̃ illi nullũ incõmodum infligere vellet: eam tñ faſcinabit: qm̃ ad corruptionẽ diſpoſita eſt. Aliud aũt eſt, qđ fortaſſis faſcinare vellet, quia ei nocere cupit: illud tñ efficere nequibit, quoniam ad reſiſtendũ nocumento potens eſt. Huius fundamentũ eſt, q̃a faſcinare in animalibus prouenit ex quadam peſtifera qualitate exiſtẽte alicui animali per modũ cuiuſdam ægritudinis. Qualitates aũt naturales naturaliter operantur non ſubditæ arbitrio noſtro. Non enim ſubeſt voluntati noſtræ, ſi quis manum calidam habuerit, alterique eam adiunxerit, vt eum calidum non reddat: nam ẽt eo inuito, calida manus eum, cui adiuncta fuerit, calefiet: idem aũt in ceteris actiuis qualitatibus diffiniendum patet. De hac ergo peſtifera faſcinatiua qualitate dicendum eſt, ꝙ arbitrio noſtro non ſubſit, ſed naturaliter operabitur, patulis namq; oculis exiſtẽtibus faſcinatiui ſpũs egrediẽtur, qui inuitis eis, quorũ ſpiritus ſunt, quoſcunque obuios parum diſtantes, atque ad corruptionem diſpoſitos faſcinabunt. Habet tñ hic, cui talis qualitas ineſt, aliquid in ſua poteſtate: qm̃, ſi clauſos ſp oculos tenere voluerit, neminem vnꝗ faſcinabit, aut cũ voluerit ſe ab illa re cuſtodire ne eam faſcinet, claudat oculos, & erit impoſſibile eã faſcinare. Si tñ id faſcinare nõ vult, & ſemel aſpexerit, illudq; ſuſcipiende corruptioni ſit diſpoſitũ, inuitus ẽt illud faſcinabit. Hoc aũt ſatis notũ redditur exẽplo eius, qui manum, aut calidam, aut frigidam habet. Si enim illa aliquẽ tetigerit, eum calidum reddet. Si aũt ab aliquo abſtinuerit, eum nunquam calefaciet: ſi tñ eam alicui adiũxerit, nõ ſubeſt eius arbitrio, an illud calefieri debeat, qm̃ iam neceſſariò calefiet. Non diſpariter ergo cenſendum eſt, in eo, qui faſcinatiuã potentiam habet: nam, ſi ſemper oculos clauſos tenuerit, nihil vnquam faſcinare poſſibile erit. Quòd, ſi interdũ clauſos, interdum verò apertos tenuerit, interdum faſcinandi locus erit, interdum verò nequaquam: cum autem clauſos tenuerit oculos, ei ſubeſt neminem faſcinare, cùm tamen eos aperuerit, iam ei nihil ſubeſt, an aliquid faſcinetur.

Secunda concluſio de faſcinatione. Cap. XXIIII.

SEcunda in hac inquiſitione de faſcinatione concluſio ſit, animal habens faſcinatiuam virtutem non poterit quodlibet animal ſibi oppoſitum à propinquo faſcinare, ſed illud dumtaxat, quod ſuſcipiendæ huic faſcinationis corruptioni diſpoſitum eſt: ſicut patet in teneris, niſi hæc peſtifera faſcinandi poteſtas excedens in virtute valde ſit: tunc enim quodcunque animal, ad hoc relatum ad faſcinationem ſuſcipiendam diſpoſitum eſſe videtur. Hoc autem ſatis liquet; nam in quibuſdam hominibus hanc faſcinatiuam virtutem eſſe confitentur: iſti tamen nequeunt omnes homines, quos inſpexerint, aut animalia ſingula faſcinare: ſed quibuſdam nocumentum inferunt, alijs autem nequaquam nocent. Rebus enim teneris, aut paruæ æta-

tis faſcinationem faciliter inducere queunt:eis autem, quæ dura, atque annoſiora ſunt, hoc efficere nequeunt. Hæc autem eſt ſententia Ariſt.2. de Anima,ſ.actus actiuorum ſunt in patiente diſpoſitio,i. ꝙ talis eſt actio agentis in patiente, qualis eſt conditio patientis ad ſuſcipiendum,non n.agit agens,ſicut actiuum eſt, ſed ſicut patiens ſuſceptiuum eſt. Si.n. paſſiuum ad actionē ſuſcipiendam plenè diſpoſitum ſit,plenè in eo agēs ſm̄ ſuam naturam agere poterit, ſi aūtem paſſiuum nullatenus eſt diſpoſitum,nequaquam valebit agens efficere:ſi vero parum paſſiuum diſponatur,parua in eo agētis actio recipietur.Hoc autem ſatis familiari exemplo deducitur. Si enim calidum apud aliquod ad combuſtionem diſpoſitum apponatur, incenſionem cauſabit: Si autem illud ad combuſtionem prorſus ſit indiſpoſitum,nulla,quantumcunque agatur,inducetur incēſio. Idem autem in frigiditate, ceteriſque actiuis qualitatibus iudicandum eſt. Quo fit, vt cęlum nunquam cremari queat; nam,etſi ſphæra ignis,orbi lunæ coniunctiſſima ſit nullo prorſus intercedente, ſed ſuperficies vnius alterius ſuperficiem tangit:quia tamen cælū nullam habet diſpoſitionem, ſecundum quam cremari, aut perire poſſit, nunquam cremabitur,nec peribit,ſic enim Ariſt.inquit 2.de cælo,& mundo: Corpora cæleſtia non ſuſcipiunt aliquas peregrinas impreſſiones, ſcilicet quòd nūquam ſuſcipiunt aliquam corruptionem,aut alterationem ab extrinſeco prouenientem:ſecundum quam cælum permutari poſſit,& illa diſpoſitio in cælis peregrina,ideſt extranea appellatur.

Agēs nō agit, ſicut actiuū eſt: ſed ſicut eſt diſpoſitio patientis.

De morbo epidimiæ. Cap. XXV.

AMplius autem hæc liquido comprobātur in morbo epidimiæ:fit.n.huiuſmodi morb. ex aeris corruptione,quæ interdum in tota vna ciuitate, aut oppido æqualis erit:ſed non æquè in omnibus ciuitatis partibus morbus viget: nec omnes in loco illo pereūt: ſed quibuſdam obeuntibus alij illæſi manēt.Conformiter autem, cū aliquam domum ſpecialiter peſtifer aer inuaſerit:tota domus illa æquè infecta in omnibus partibus ſuis eſt: in ea tamen non contingit ſemper omnes mori:ſed quoſdam deficere aliis ſuperſtantibus.Horū autem fundamentum eſt, quia vt in tertia metaphora extitit prælibatū ſup particula. Qui mortuus eſt. mors in animalibus conficitur, qm̄ natura damno ſemper reſiſtere impotens aliquando ſuccumbit. Cum.n.eſt robuſtior natura, atque cōuenientioris complexionis, magis nocumēto illato reſiſtit:quo fit, vt ſiue illatis vulneribus,ſiue quibuſcunque appoſitis malis,vel inatis tardius moriantur,aut magis reſiſtant,qui robuſtiores naturæ, atque conuenientioris complexionis ſunt: niſi Deus aliter diſpoſuerit ab æterno, cuius diſpoſitioni nullum naturæ iudicium, regula,vel inclinatio reſiſtere valet. Cum autem peſtifer aer in aliqua ciuitate,aut domo eſt: ipſe naturæ humanæ repugnans ſemper in eam agit nocendo, quantum poteſt. Qui vero naturam debilem, atque inordinatam complexionem habent, nocumento illato reſiſtere impotentes,ſuccumbunt peſtiferæ qualitati,atq; pereunt.Qui vero robuſtioris naturæ ſunt, reſiſtere ſufficientes nocumento non ſuccūbunt, ſed viuentes permanent. Conformi ergo ſententia diffiniedum eſt, in hac peſtifera qualitate,ſecundū quā faſcinatio cauſatur, ſ. quod ſi quis corruptioni diſpoſitus eſt,ita vt faciliter permutari poſſit,patietur.

Quare morbo exiſtente aliqui pereant, & aliq. non.

Quædam attinentia ad ſuperiora. Cap. XXVI.

ADdebatur autem in prelibatis,eos,qui teneri ſūt, tam in hominibus, quam in brutis ad hanc faſcinationem ſuſcipiendam diſpoſitos fore: duri quidem hæc non patiuntur.Cuius fundamentum eſt,qm̄ durities eſt quædam naturalis potentia ad non faciliter patiendum,ſ. ſm̄ quam patiens reſiſtit agenti, ne in illud faciliter agere valeat:mollities aūt, & teneritudo qualitates ſunt, quæ naturales impotentiæ dicuntur,ſ. ad

F faciliter patiendum: qm̄ ſm̄ eas agens poteſt faciliter in patiens id,quod voluerit: dura ſiquidem nec faciliter frangere, nec præſcindere poſſumus: mollia aūt faciliter amputanti, atque conſtringenti cedunt. Et, ſicut in fractione, & amputatione accidit, in combuſtione quoque decernendum eſt;ea namque, quæ tenera ſūt, ſi deſiccata fuerint,faciliimè comburuntur,atq; paruo ad hoc igne ſuccedente opus eſt: quę autem dura ſunt, & ſi deſiccata fuerint, nec faciliter exuruntur, nec poſſunt,niſi à magno igne cremari.Sic autem in ſtuppis,capillis,& lana, quæ tenera, & ſicca ſunt, patet: ligna ſū duritiem magnam habēt:vt ea, quæ ex nucea materia, & moro, atque illice ſumpta ſunt:hæc.n.difficulter,& non ſine magno igne cremari poſſunt.Hoc modo ſacra ſcriptura metaphoris quibuſdā vtens durum,& mol- G le accipit. Eos namque duros vocat,qui gratiā Dei vocantem non exaudiunt,nec ſacris monitis obediūt, nec à facinoribus, & culparum enormitatibus diſcedere curant.Hi etiam obſtinati alio nomine appellātur.Hoc modo Deus de Pharaone rege Aegypti dixit:Ego indurabo cor Pharaonis, vt habetur Exodi 4. & 8. & 9.cap. hoc autem qm̄ Pharao, quantumcunque à Deo vrgentibus plagis depreſſus foret, iuſſis Dei obtēperare noluit, quoadusque extrema percuſſus plaga Iudæos exire compulit: nec tñ eos tunc adhuc penitus ire permiſit:nam eos recedentes vſque ad mare rubrum inſequutus eſt:vt habetur Exo. 14. c.Mollem autem ſacra ſcriptura vocat eū,qui gratiæ Dei nullo modo reſiſtit: ſed vt a Deo vocatur,ita monenti,& vocanti obedit, & ad bona prouocanti conſentit, etſi interdum peccauerit, H ab eo monitus faciliter ceſſat. Patet ergo cōſimiliter ex prædictis peſtiferam iſtam faſcinandi qualitatē ſuper homines duros, aut bruta animalia dura actionem habere nullam,ſ.cum iſta ætatis ſunt maturæ, ſed ſup ea, quę tenera valde ſunt:quæ enim dura ſunt,illa peſtiferæ qualitati reſiſtunt, ſecundum quam faſcinatio cauſatur. Cum ergo homo vel aliquod animal aliquid viſu ſuo faſcinauerit,neceſſe eſt, vt illud tenerum ſit, & paruæ ætatis:ſicut in infantibus teneris, aut in animalibus brutis nouis paruis,ſicut in pullis,& porcis, atq; ſimilibus.In animalibus autem magnę ętatis,& duris, corruptio iſta faſcinationis cauſari nequit, niſi illa magna valde ſit.Ob hoc aūt epidimiæ tēpore hoc euenit, vt de paruulis plures,quam de perfectis viris,aut ſenibus moriantur:ipſi namque teneri valde ſunt, & com- I plexiones eorum nimis paſſibiles:vnde peſtifer, atque infectus aer in eos maiorem immutationem, quàm in ceteris cauſare poteſt. De peſtifera autem qualitate,ſm̄ quam faſcinatio cauſari poteſt,ſic euenit,ſ. vt in rebus teneris immutatiuam cauſalitatem habeant: ſuper res autem duras nequaquam. Ex hoc autem inducitur, ꝙ apud vulgares notiſſimum eſt,ſ. quòd pueri teneri aliquando faſcinati ſint, de viris autem perfectis aut raro,aut nunquam perhibetur,quòd faſcinentur.Sic quia parui ſunt,& de ſuibus,quia in ætate tenera ſunt,ꝙ faſcinati interdum ſint,prædicant: de magnis autem, & duris animalibus hoc nequaquam conſitentur.Ex prędictis ergo inducitur faſcinatiuam immutationem in rebus teneritudinem quandam,& nouitatem habentibus cauſari duntaxat,in duris autem rariſſimè.

Quid intelligat ſacra ſcriptura p durū, & molle.

Tempore peſtis plures pueri moriuntur, quàm alij natu maiores.

K *Quædam attinentia ad ſuperiora. Cap. XXVII.*

AMplius autem in eadem ſubiungebatur concluſione: hanc faſcinationem in rebus teneris cauſari duntaxat, niſi ea qualitas, ſecundum quam faſcinatio cauſatur, exceſſiua ſecundum virtutem ſit. Si enim exceſſiua hæc peſtifera qualitas fuerit; non ſolum tenera corrumpentur,ſed etiam, quæ dura ſunt, damnificationem quandam ſuſcipient, quod baſiliſcus nobis notum facit: videns namque omnia faſcinat, & perimit:nec quidem teneros duntaxat pueros, ſed viros quoq; magnos,& cetera animalia,in hoc nulla habita duri, & teneri differentia. Huius cauſa eſt, quoniā virtus faſcinatiua baſiliſci tanta eſt, vt ad eam collata

lata

lata quælibet animalis cuiuſque potētia reſiſtendi inferior viribus ſit: æque igitur omnia animalia conſpecta interimet. Sic quoque viros maturæ ætatis, vt teneros pueros ſaſcinans occidet.

De lupis autem ad hominem idem dicendum patet: ſunt enim vniuerſaliter infecti collati ad humanā complexionē, quia eos nobis natura cōtrarios fecit: qñ cunq; enim viſum hominem ſaſcinant, eũ ad tempus ad emittendas voces impotentē faciunt. Etenim peſtifera eorum qualitas, ex qua ſpiritus contra hominem directi, ſunt nociui valde. Non ſolũ ergo pueros teneros faſcinabunt, ſed ēt integræ ætatis viros, cùm viderint, ad loquendum impotentes reddent. Hominibus aũt quantumcumque talis peſtifera faſcinandi qualitas accidat eſſe nequibit, vt in lupis, aut baſiliſcis eſt: qm̄ eis ex conditione ſpeciei non euenit. Vnde duntaxat teneros pueros, aut infantilis ætatis faſcinare poterunt, alia quoque tenera ætatis paruæ, qualia ſunt, quæ in domibus enutrita ſunt, cum nouiter nata ſunt, in magnis autem hoc non efficient. Si tñ interdũ (quod rariſſimum eſt) accidat, vt aliquis ætatis integræ vir, aut durum, & magnæ ætatis animal brutum faſcinetur, hoc ideo eueniſſe conſtat, quoniam grauis erat iſta faſcinandi virtus in eo, qui talia videns faſcinauit.

Tertia concluſio de faſcinatione. Cap. XXVIII.

TErtia in hac inquiſitione de faſcinatione concluſio ſit: animal quodcunque potentiam faſcinatiuā habens, nequit alia ad hanc faſcinationem ſuſcipiēdā, vbicunq; ea viderit, faſcinare, ſed cum ea à propinquo contēplatur. Si enim homo, aut aliud animal faſcinatiuam virtutē habens, aliquod animal tenerum, & ad faſcinationem diſpoſitum à dimidiæ leucæ ſpatio, aut quatuor, vel quinq; lapidis ictibus intueatur, faſcinare nequibit, ac ſi nullā haberet faſcinandi poteſtatem. Nec præciſè hominibus hoc euenit, ſed & alijs animalibus, ētſi eis faſcinare ex ſpeciei conditione côueniat, atq; in eis maior huiuſmodi peſtifera qualitas inſit: ipſa namq; nihil, niſi à parua conſpectũ diſtantia, poterunt faſcinare. In baſiliſco aũt hoc notiſſimum eſt, nihil enim ſic natura peſtiferum fecit: cui maior faſcinatiua virtus inſit, qm̄ ſimul faſcinare, & interimere ei adiacet. Hoc quoque illi ex ſpeciei conditione innatũ eſt: ſi tñ per tres, aut quatuor lapidis ictus ab homine diſtet, & ſi perſpicuè hominē videre poſſit, ac videat, ei nihil nocere valebit. In lupis aũt idem cenſendum eſt: cũ .n. homines à ab inſtanti conſpexerint, nullũ videntes faſcinationis inferent nocumētũ, ſed homo viſus liberè, vt ante, loqui valebit. Cum tñ baſiliſcus à propinquo hominem conſpexerit, cum videns interimet. Lupus quoq; hominem è vicino contemplans ad mox loquendum impotentem reddet. Ratio huius eſt, quoniam faſcinatio cauſatur ſecundum virtutem ſpirituum emiſſorum ab oculis illarum rerum, quæ faſcinatiuam potentiam habent: hi autem ſpiritus ſolidis corporibus adhærent, vt hominibus, aut alijs animalibus; in aere nanque nec manere ſemper tranſeuntes, nec inhærere infixi queunt, hanc aũt rem cui inhæſerint, lædunt. Cum vero id, quod faſcinandũ ſit longè diſtet, illuc emiſſi ſpiritus nequeunt peruenire; à qualitate namq; circunſtantia aeris condenſati in terrā cadũt; aut, ſi peruenire potuerit, iā eorũ excluſo, aut debilitato vigore nihil immutare queunt. Cum aũt, quod faſcinandum eſt, ſi faſcinanti propinquus fuerit, intenſius poterit faſcinari, cũ ſpiritus hanc cauſantes peſtiferā qualitatē in breui ſpatio maiores teneant vires. In hominibus aũt conformiter diffiniendum reor. Si enim quiſquam hominũ faſcinatiuam habuerit qualitatem, in diſtanti poſita faſcinare nequibit. Vnde, quantumcunq; quidpiā ad ſuſcipiēdā faſcinatiuam qualitatem diſpoſitũ ſit, ſi à rebus faſcinantibus diſtans valde ſit, nullum poterit ex hac re ſuſcipere nocumētum. Si vero faſcinans, & faſcinabile ſibi è vicino coniuncta ſint, quæ ad hoc diſpoſita ſunt, faſcinari neceſſe eſt. In hoc tñ non parua differētia eſt, ex collatione virtutis faſcinatiuę. Si enim faſcinatiua virtus maior fuerit, faſcinās à lōgiori poterit faſcinari. Si aũt hæc minor ſit, vel nō faſcinabit, vel minora nocumēta faſcinationis cauſari neceſſe eſt. Identidē aũt ab eo, qđ faſcinabile eſt, in faſcinatione nimis differt: quædā namq; alijs teneriora, alia aũt alijs duriora ſunt: cum autem aliquid tenerius eſt, tanto facilius faſcinari poteſt, & à remotiori: quæ vero duriora ſunt, difficulter à propinquo faſcinantur.

Faſcinatio cauſatur ſecundum virtutem ſpirituũ emiſſorum.

Quædam attinentia ad ſuperiora. Cap. XXIX.

CVncta autem, quæ in ſuperioribus aſſeruimus, catholicorum eccleſia vniuerſaliter confitebitur. Neminem enim aliqua ratione fultum eſſe arbitror, qui ſuperioribus inſpectis naturæ fulcimentis, alijſque quàm plurimis, quæ ad hoc induci poſſent, aliquid ſuperius aſſertorum, etiamſi æmulus ſit, valeat diffiteri. His tamen in ſuo vigore ſubſiſtentibus, nos quoque cum tota catholicorum eccleſia faſcinationem improbamus, quàm accipiunt vulgariter intelligentes. Qui enim vulgò loquuntur, in pueris teneris, pullis, atque paruis porcis faſcinationem interdum aſſerunt euenire, ſimiliter & in alijs domeſticis animalibus, neſcientes quid faſcinatio ſit, aut ex quibus agentibus, vel quibus ſuppoſitis diſpoſitionibus, proueniat: exiſtimantq; longe alterum fore, q̄ ſit. Vnde illi, quos ipſi faſcinatos aſſerunt, faſcinati nequaquā ſunt, aut ſi qui paruulorum interdum faſcinationem patiātur, eos quibuſdam vetulis benedicendos offerunt. Has enim vulgus ex officio ſuo benedicentes vocat, quas, conueniens magis eſt, maledicentes appellare, quoniam miſerabiles animas inſipiētum illaqueantes in æternam gehennæ maledictionem adducunt. In his namq; vetuſtas habuit plurimos tam viros, quam feminas ſuperſticioſos, quos adhuc ex parte iunior tenet ætas. Hi autem ſuper eos, quos faſcinatos perhibent, impertinentia valde verba proferunt, atque inutiles cærimonias, quæ ſuperſtitiones dicuntur, obſeruant: quibus ſe curare putant eos, quos faſcinatos enũciant. Hæc autem infanda quædam, & à catholicorum mentibus valde fugienda ſunt: qm̄ hęc, quæ illę maledictæ fęminæ faciunt, & proferunt, illicita valde, atq; ſuperſtitioſa ſunt, nullā ſanatiuā virtutē cōtinētia, ſiue à Deo collatam, ſiue inexiſtentem ſm̄ naturam. Ipſæ tñ miſerabiles feminæ his verbis faſcinatos ſanitatem integram ſuſcipere aiunt, quod hæreticum valde eſt, atq; primo pręcepto diuino repugnans, ſcilicet, nō habebis deos alienos coram me. In hoc enim talis maleficarum aſſertio indirectè militat. Quoniam ſanitatē, quam Deus interdum naturaliter quibuſdam ſimplicibus, vel compoſitis medicinis fieri concedit, interdum autem illam ſupra naturæ largitur operationē, miſerabiles illę feminæ ſuperſtitioſis, atque prophanis verbis, & ſtultis ſuis cærimonijs aſcribunt: nullam naturalem, aut ſupernaturalem ad ſanitatem inducendā cauſalitatem habentibus. Rectiſſimè ergo alma mater eccleſia ſpiritu ſancto ducta omnes faſcinatorum curatrices, aut potius inſipientium deceptrices diſtricte prohibuit. Vnde in hoc eccleſiaſtici Prælati, & domini temporales ſolicitè aduertere debent, vt has hæreticæ prauitatis feces eliminent, nulla nanque principibus clarior virtus eſt, quam de fide catholica rectè ſentire, cunctoſque errores in fidem militantes, tam in verbo, quam in opere deuitare. Sic ſcribit Papa Ioānes in epiſtola, quam Iuſtiniano Imperatori direxit, & habetur. C. de ſumma trinit. in l. inter claras. Vnde inextimabile eſt, quantum glorioſi principes apud Deũ mereantur, qui fidei catholicæ ſtatum, & honorem ſincerè, atque efficaciter zelant. Pro his enim Deus conſeruabit thronum regni ſui, & non deficiet de poſteris eius, qui ſuccedat in regia celſitudine. Sic patet in pſalmo centeſimo trigeſimoptimo. De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam, ſi cuſtodierint filij tui teſtamentum meum, & teſtimonia mea hæc,

quæ docebo eos, & filij eorum vſq; in ſæculum ſæculi ſedebunt ſuper ſedem tuam. Nos autem, quanquam iuxta veritatem, noſtræ fidei catholicæ nimis conſentaneam, aliquid faſcinoris interdũ aſſeramus, illud tamen curandum vetularum maledicarum cærimonijs, aut verbis nõ tribuimus, ſed hæc potius abhorremus: illud autem medicorum opere, vt cæteras ægritudines curare conantes, aut illud diuturnitati temporis ſanãdum relinquentes. Quædam namq; ipſa per ſe natura nullo appoſito curat, nullam autem cærimoniam ſuperſtitioſam in hoc obſeruamus. Quanquam autem prædicta ſolida veritate fulciantur, fidei catholicæ in nullo repugnando, ſatis tamen nobis moleſtum eſt publicè confiteri aliquam poſſe fieri faſcinationem. Hoc autem non ideo, quod veritas latere debeat, deſiderat enim veritas in publicum collocari: ſed quia ſimplices impotentes diſtinguere à falſis vera, cum audirent faſcinationem poſſibilem, arbitrarentur aliquid, quod inconueniens foret, & ad ſuperſtitiones varias, & magni incommodi verterẽtur errores coram ſimplicibus quaſdam veritates melius eſt ſilentio tegi, quàm publicè enunciari. In hoc de faſcinatione ſermo eſt, & ſi ſuccintus conſumatus ſit.

Sola viſione nulla fieri poteſt realis immutatio.
Cap. XXX.

AD ea autem, quæ ſupra inchoata ſunt reuertentes, dicendum eſt ſola viſione nullam fieri poſſe realem immutationem, ſed ſi inter verum vnum animal, alterum videndo nocet, aut proficit, hoc non eſt, quia aliqđ animal videt, aut vr̃, ſed quia in videndo aliqua animalia ſpiritus per oculos emittunt, qui interdũ nocent, fortaſſis aũt interdum etiam prodeſſe poſſẽt. Hos aũt æneus ille ſerpens, quem Moyſes in deſerto fabricauit, ex oculis ſuis emittere non poterat: quia calidus, & humidus non erat, vt iuxta eius conditionem ſpiritus, qui naturæ calidæ, & humidę ſunt, inde gigni poſſent, ſed è contrario frigidus, & ſiccus erat. Apparet ergo metallinum illum ſerpentẽ aſtrologica obſeruatione nõ fuiſſe fabricatum, nec ſanitatem, q̃ in videntibus cum cauſabatur, ex eo cauſari, ſed magis diuino nutu. Præter hæc aũt, ſi ſerpens iſte obſeruatione aſtrologica cauſatus foret, & ſanatiuam haberet virtutem, neceſſe erat hanc virtutem naturaliter cauſatam eſſe: virtutum autem naturalium conditio hæc eſt, vt in ſucceſſione operentur, ſm̃ inſtans autem nulla virtus, aut agens naturale operari valet. Sic ergo, qui aſpectu ſerpentis metallini ſanabantur, non ſanarentur mox, vt eum intuebãtur, ſed poſt aliquot dies, quod falſum eſt: nam mox vt in æneum ſerpentem oculos defigebant, percuſſi ſanabantur, non inerat ergo aliqua naturalis virtus ſerpenti illi, qua aſpiciẽtes ſanarentur, ſed magis Dei nutu hoc fiebat, & conſequenter nec aſtrologica obſeruatione aliquam virtutẽ metallinus ille contraxerat ſerpens. Item, ſi æneus ſerpens aliqua naturali virtute cauſata per aſtrologicas obſeruationes aſpicientes ſe ſanaret, emiſſis ſ. radijs, non poſſet cauſari iſta ſanitas, niſi in parua diſtãtia. Sicut in ſuperioribus de faſcinatione oſtendimus. ſ. quòd nullum animal poſſit alterũ faſcinare, niſi in parua interiecta diſtantia: nam quantumcunq; animal faſcinans peſtiferũ ſit, non poterunt radij emiſſi ab oculis eius peruenire in longinquũ, & ſi inuenerint, iã eius deficit cauſalitas, ita vt nocere nequeant ei, quod faſcinandũ non eſt: oportebat ergo hoc dato, vt qui a morſibus ſerpentũ ſanandi erant, ſerpenti metallino appropinquarẽt valde, ſed hoc falſum eſt, nam vbicunq; exiſtebant, videntes ſanabantur percuſſi. Hęc autem fuit cauſa, quare iuſſit Deus Moyſi, vt in altum tollerent ſerpentem illum æneum, vt oẽs videre poſſent, & ſic ſanarentur, vt hr̃ Num. 21. c. & Ioan. 3. Si tñ non ſanabantur hoĩes videntes, vbicunq; exiſtẽtes, ſed ſolum à propinquo, non erat conueniẽs poni ſerpẽtem in altum, ſed in pauimento, vel ꝙ eſſet in tabernaculo Moyſi, aut in tabernaculo fœderis, & omnes percuſſi illuc conuenirent. Item ſerpentes illi erant grauiſſimi,

F ita vt morſu eorũ homines velociter morerẽtur, quaſi exuſti ab igne, quod patet Nu. 21. c. cum dicitur, quod erant ſerpentes igniti: ſed, ſi non potuiſſent ſanari ad viſum huius ſerpentis metallini, niſi vidiſſent à propinquo, neceſſe erat, vt ille, qui erat in fine caſtrorum, & ibi percuſſus foret, & potiſſimè, ſi percuſſus foret extra caſtra, veniret ad locum, in quo ſerpens ille erat, vt cum à propinquo videret: vnde plurimos contigiſſet mori, dum hæc agebantur, quo dato ſerpens inutilis fuiſſet. Apparet ergo hanc ſanatiuam virtutem non ex naturali operatione, & aſtrologica obſeruatione inductam fuiſſe, ſed ex diuina operatione. Item virtutes, quæ naturaliter operantur, in omnibus hominibus æqualiter operantur, nulla data diſtinctione, an boni, an peſſimi, an deuoti, vel indeuoti ſint. Si ergo ſerpẽs iſte
G metallinus aſtrologica operatione fabricatus fuiſſet, virtutem quoq; naturalem contraxiſſet, nihil magis ſanitatem cauſatus eſſet in eos, qui boni erant, quam in eos, qui mali, nec abundantius in eos, qui cæremonias a Deo iuſſas obſeruabant, quam in omnium contẽptores. Quod infertur, vt, quantumcunq; aliqui Iudæi ꝑcuſſi apud ſerpentem illum metallinum eſſent, qualitercunque exiſterent, ſanarentur. Vnde, ſi aliqui apud ſerpentem æneum fuiſſent, & cum non intuebantur, identidem, vt cæteri ſanabantur, ſed falſum eſt, qm̃ ad ſanari requiſitum erat intueri, vt patet Num. 21. c. cum dicitur, quod reſpicientes in eum conſequebantur ſanitatem. Si igitur non reſpiciebant, nequaquam ſanabantur: ſi tamen ſerpens metallinus virtutem ſanatiuã naturaliter habuiſſet, non magis fuiſſet aſpicere, quàm
H non aſpicere, quia vtroque modo ſanare potuiſſet.

Obiectio, quod ſerpens à Moyſe conſtructus ſanatiuam non diuinitus, ſed naturaliter inducebat.
Cap. XXXI.

ADhuc autem aliquis conabitur inducere ſerpentẽ hũc aſtrologica fabricatum operatione fuiſſe, atq; naturalem ex hoc contraxiſſe virtutẽ ad ſanandũ. Nã, ſi natura aſtrologica obſeruatione dierum, & punctorum aliquid perfectius, quàm ſerpentem hunc æneum producere valet, poterit quoque hunc producere: natura nãq; aut quodcunque agens potens in excellentius, poterit conſequenter in quodlibet minus illo. Natura tñ aliquid excellẽtius æneo ſerpente curationes à mor-
I ſibus ſerpentum inducente cauſari poteſt: ideo hunc quoque ſerpentem cauſare poterit. Hoc autem inducitur, qm̃ cauſari aliquam ſubſtantiam rationalẽ maius valde eſt, quam cauſari quamcunque virtutem, de conditione corporis, ſanarè aũt vulnera virtus materialis eſt, ſicut apparet in omnibus medicinis, tam ſimplicibus quàm cõpoſitis: ergo natura poteſt aſtrologica obſeruatione cauſari aliquam rationalem virtutem in aliqua figura ferrea, aut qualitercunq; metallina, hoc aũt eſt perfectior forma, quæ ſit in tota natura, leuius ergo in aliqua metallina figura naturaliter cauſabitur virtus vulnerum ſanatiua. Quod autem naturaliter aſtrologica operatione in materia metallina rationalis virtus cauſari poſſit, apparet ex capitibus metallinis, quæ ab antiquis aſtronomis fabricata ſunt, quæ ad omne
K quæſitum confeſtim reſpondebant. Sic enim quodam caput metallinum Albertus Magnus Theutonicus fabricaſſe aſtrologicè dicitur, qui S. Thom. magno tempore magiſter extitit. Reſpondebat autem hoc aſtrologicum caput omnibus, quæ inquirebantur, in quocunque genere materiæ, quæreretur. Hoc autem S. Thom. fregit, dum in cubiculo Alberti Magni introiret adhuc diſcipulus eius exiſtens. Alterum autem huiuſmodi aſtrologicũ caput in quodam loco territorij Numantini, ſ. ciuitatis Zamoræ fuit in loco, qui Tauara dicitur, quod ad hoc ſpecialiter poſitum erat: vt Iudæos, cum in eodem loco eſſent, proderet: vnde, ſi aliquando Iudæorũ ibi aliquis erat, quanquam a nemine agnitus foret, ipſum ꝑ ſe caput clamabat dicẽs Iudæũ in loco illo eſſe, & ſæpius hoc frequentabat nunquam

Quòd Albert. Magnus caput quodam conſtruxerit ex metallo ad omnia, quæ quærebatur, reſpõdens.

ab

ab hoc deſiſtens clamore quouſque Iudæus egrederetur de loco. Hoc autem opidanorum imperitia conſtractum eſt, ipſo veritatem clamante, cum ipſi ſalſum dicere exiſtimarent. Quod autem talia capita aſtrologicè fieri poſſint, dubitari nequit, ꝙ autem in his rationalis virtus ſit, identidem patet, nam ad omne quæſitum reſpondere virtutis rationalis actus eſt, & non cuiuslibet, ſed altiſſimæ rationis, atq; multa ſpeculãtis.

Reſponſio ad obiectionem ſupra factam, & quædam de capite ab Alberto Magno conſtructo. Cap. XXXII.

SVperioribus autem reſponderi debet, ſecũdum naturam impoſſibile fore ex materia metallina aliquã fieri imaginem, quæ vulnerum curatiua ſit, atque à ſerpẽtum morſibus mortiferis liberare poſſit percuſſos, B de quo multæ fundamẽtales, atque in radice cauſę datæ ſunt, plurimæ quoque dari poſſent. Sed adhuc conceſſo hoc, tanquam induci poſſibile per aliquam naturalem operationem, impoſſibile prorſus erat qualicunque excogitata naturali operatione cauſari aliquam rationalem virtutem in aliquo capite ferreo, aut aliàs metallino, quæ ad inquiſita reſpondere poſſet. Reſpondendum ergo eſt, cum de fabricato capite ferreo ab Alberto Magno Theutonico de ordine Prędicatorum, & de eo, quod in loco, qui Tacara, vel in territorio Numantino fuiſſe dicitur, obiicitur, quòd hæc fabricata fuerunt, & ad inquiſita reſpondebant: multa quoque ſimiliter nunc capita fieri poſſent; Dicendum tamen, C qđ illa virtus naturalis, quæ in capite illo erat adinquiſita reſpondens, non erat in eo per aliquam naturæ operationem, quantumcunque intercidente aſtrologica obſeruatione, ſed magica operatione dæmone adiutore. Nec tamen quiſquam arbitrari velit, dęmones fautores ſcelerum, & adiuuantes, quod in operibus magicis, in aliqua materia metallina rationalem virtutem cauſare queant. Hoc enim omnem naturæ excedit facultatem etiam ſecundum Ariſt. ipſe enim inquit, cæteras formas educi de potentia materię, animam autẽ rationalem ſolam eſſe ſupra conditionem materię, & diuinam, & ſolã educi ab extra, vt patet in lib. de animalibus. Cum ergo omnis dæmonum operatio naturalis ſit duntaxat in applicatione agentium, & paſſiuorum, vt latiſſime declarauimus Exodi. 7. cap. virtus tamen rationalis ſecundum Ariſt. eſt ſuper conditionem D materiæ, ergo excedit omnem naturalem actionem.

Caput ab Alberto conſtructũ erat per magicã artẽ.

Quædam attinentia ad ſuperiora. Cap. XXXIII.

AMplius autem non ſolum dæmonum facultatem excedit, in aliquo capite metallino virtutem rationalem cauſare, ſed etiam eſt ſimpliciter impoſſibile talia effici, quia ad nullam poteſtatem pertinet rõnalem virtutem in materia metallina cauſare tanquã conditionem, vel proprietatem illius imaginis, vel capitis metallini. Si enim aliqua virtus rationalis, neceſſe eſt illam, aut dæmonem, aut angelum bonum, aut Deum, aut rationalem animam fore. Nequaquam autem dici poteſt, hunc eſſe Deum, qui in capite illo metallino loquatur ad inquiſita reſpondens. Deus namque non pu E nitet ad nutum malorum hominum ad inducẽda grauiſſima errorum diſpendia in tali capite reſpondẽdo. Item impoſſibile eſt Deum eſſe eum, qui in illo metallino capite loqueretur, nam Deum loqui impoſſibile eſt, ſicut late prælibatum eſt ſuperius in ſecundo figurato Paradoxo in particula; Qui non audiebat. Identidẽ autem, nec angelus de bonis eſſe poterat, bonus ſiquidem angelus nullis naturalibus, aut magicis operationibus cogi poteſt, vt in loco aliquo teneatur: ſic tñ eueniret, ſi in capite metallino bonus angelus ad loquẽdũ teneretur. Amplius aũt nec anima humana eſſe poteſt, quæ in capite illo reſponſa reddit; nã tunc aut anima illa nouiter à Deo creata foret, ad hoc dũtaxat, vt in capite illo metallino exiſteret, aut eſſet de animabus pri-

A mis creatis, ſ. ꝙ alicuius hominis anima fuerit; Dici. n. nequaquam põt, ꝙ Deus animam illam ad hoc præciſe creauerit, vt in illo capite foret; Deus nãq; ad expletionem ſtultorum, & ſceleratorũ deſideriorum humanas animas non creat: magna namq; errorum ſequũtur diſpendia ex poſitione animarum in capitibus metallinis. Item anima humana cum ſit forma, & pars ſpeciei, determinat ſibi certam figuram corporis, & quantitatem, & armoniam qualitatũ, vnde anima humana ſtare nequit in quolibet corpore, ſed in ſolo humano corpore, in capitibus aũt metallinis harum diſpoſitionũ nulla ſubſiſtit; ibi ergo nulla anima rationalis ſubſiſtet.

Simplicia inter ſe minus differre non poſſunt, quàm in ſpecie. Cap. XXXIV.

B

INquirentibus autem nobis hoc magis in radice dicẽdum eſt, ꝙ ſimplicia inter ſe minus differre nequeũt, quàm in ſpecie; nam ſimplicia aut formæ ſunt, aut ſimplices eſſentiæ, vt proprius dicatur. Hæc autẽ largè formæ appellantur. Cum aũt harum formarum, vel eſſentiarum aliqua ab altera differre poteſt, non differt niſi per ſe ipſam, cũ nihil habeat, niſi ſeipſam: ſed ipſa eſt eſſentia, ſiue forma; neceſſe eſt ergo hanc differentiam eſſe per formam, ſiue per eſſentiam, quæ vocatur differentia eſſentialis. Differentia aũt, quæ per eſſentiã fit, non poteſt eſſe minor differentia ſpecifica, cum in eſſẽtiis ſpecies ſint vltimæ, genera aũt ſuperiora ſunt. Ob hoc aũt quilibet angelus ab altero ad minus ſecũdum ſpeciẽ differt, vel eſſentialiter, quia in eis nihil eſt, niſi C ſpecies, vel eſſentia, in quo recipiatur differentia, vnde confiteri neceſſe eſt, tot angelorum, & dæmonum ſpecies fore, quot dæmones, & angeli ſunt. Cũ ergo animę humanæ ſimplices ſint, non habentes in ſe ipſis, niſi ſe ipſas, neceſſe eſſet, vt quælibet anima ab alia in ſpecie ſaltẽ differret: niſi eſſet aliquid, ad ꝙ coniunctionẽ habet, ex quo ſortitur differentiã ad alias animas. Si autẽ animæ humanæ, quæ formæ ſunt, in ſpecie differrent; neceſſe eſſet, vt omnes hoĩes in ſpecie quoq; differrẽt; ita ꝙ nulli duo homines in ea ſpecie eſſent: ſed tot naturæ, & ſpecies eſſent, quot homines, & ſicut homo, & aſinus differũt, q͂m duæ ſpecies ſunt, ita & quilibet hõ ab alio homine differret, hoc tñ falſum liquet; Ob hoc ergo dicendum eſt, inter animas humanas, non eſſe ſpecificam differentiam, erat tñ neceſſe hanc ſingulis ani- D mabus adinuicem ineſſe differentiam, cũ quælibet anima ſimplex ſit, nihil in ſe habens ſm̃ quod differentiã ab altero ſuſcipiat, niſi ſe ipſam, quæ eſt differentia in ſpecie, niſi anima ad aliquid haberet adhærentiam ſ'm ꝙ recipit differentiam ab altera anima, hoc aũt eſt corpus. Recipit namq; quælibet humana anima, ꝙ ſit vna numero, & diſtincta indiuidualiter ſolũ ab altera anima, & non ſecundum ſpeciẽ, quia in hoc corpore creatur recipiens eſſe, alia aũt recipit, quod ſit altera numero, quia in altero corpore creatur. Si aũt corpora aĩabus differendi adinuicem non præſtarent originem, differrent animæ ab inuicem in ſpecie ſicut anima hominis, & aſini. Oportet ergo, ꝙ ſicut quælibet res recipit diſtinctam eſſe numero, vel ſpecie ab aliqua alia re in eo E inſtanti, quo eſſe ſuſcipit, quod etiam anima humana recipiat diſtinctam eſſe numero à qualibet altera per corpus, quod in ipſo corpore eſſe ſimpliciter ſuſcipiat.

Niſi eſſet aliquid impediens. aĩæ ſpẽ differrẽt. cũ ſimplices ſint.

Impoſſibile eſt aliquam animam extra corpus humanum creari, vt credidit Plato. Cap. XXXV.

INducitur autem ex prælibatis, quamlibet animã humanam in corpore creari: nec eſt poſſibile aliquã animam humanam extra corpus humanũ creari. Sicut plerique ſimplicium arbitrati ſunt: dicentes quãlibet animã in cęlo a Deo creatã fore, deinde in corpus aliquo tempore infundi, Quod aliqualiter Plato ex parte ſequutus eſt dicẽs aĩas eſſe in aſtris, deinde tẽporib. quibuſda deſcẽdere in corpora hominũ, & calcodæmonum, atque cacodæmonum, ſcilicet bonorum, & malorũ an-

gelorum. deinde mortuis his hominibus redibant in aſtra. Sic patet per Boe. de Conſolatione libro 3. metro nono. cum dicitur.

Tu cauſis animas paribus, vitaſq; minores
Prouehis, & leuibus curribus aptans:
In terramq; cælum ſeris, quas lege benigna,
Ad te conuerſas reduci facis igne reuerti.

Hoc tangit Aug. de Ciu. Dei lib. 19. Ex dictis tollitur inſana quorundam poſitio dicentium. omnium hominum animas ſimul a Deo creatas fuiſſe in cælo, deinde temporibus ſuis in corpora fundi. Impoſſibile ſiquidem eſt omnium animas ab exordio ſæculorum ſimul fuiſſe creatas. Identidem impoſſibile prorſus eſt, aliquam animam creari extra corpus ſuum, aut antequam corpus ſuum organizatum ſit: ſed quælibet in corpore ſuo creatur, cum eius completa organizatio eſt. Satis tamen poſſibile eſſet, omnes humanas animas ab exordio ſimul creatas fuiſſe: ſi inuicem in ſpecie differret: tunc non eſſet eis opus, vt in corporibus eſſe reciperet: cum per ipſa corpora mutuo non differrent: ſed ſecundum ſe ipſas, ſicut omnes angeli ſimul creati ſunt, atque pariter eſſe ſuſceperūt; quia inter ſe in ſpecie differrent. Anima autem humana ſuſcipit eſſe, & differre ſecundum corpus: neceſſe eſt ergo, vt in corpore creetur, & eſſe ſuſcipiat. Impoſſibile ergo erat aliquam animam in capite metallino qualitercunque creari: oportet ergo hanc animam in aliquo corpore humano creatam fuiſſe, atque ſtetiſſe, deinde autem inde exiens in metallinum caput introierit, ſicut Pytagoras ponebat animas per corpora demigratione continua labi.

Extra corpus ꝓpriū aīa nulla creatur.

Quòd animæ, quæ loquebantur in illis capitibus æreis, non fuerint in aliquo corpore humano antequam in ipſa introierint, vt Pytagoras autumauit. Cap. XXXVI.

SEd, quæ dicta ſunt, ſtare nequeunt. Si anima ſtans in capite metallino, in aliquo humano corpore præfuiſſet, neceſſe fuiſſet, vt per mortem corporis anima inde migrans in caput metallinum tranſijſſet. Quo dato oporteret, vt anima humano exuta corpore, aut paradiſi gaudia, aut æterna incendia gehennæ, aut purgatorij pœnas peteret. Si autem anima iſta cælum petijſſet, in metallinū caput nullatenus aduenißet. Eſt nāq; beatarum animarum fruitio in diuina contemplatione. Hæc autem animæ auferri nequit, nec anima inde ſubtrahi quouis modo, nec dæmonum ſolertia, nec poteſtate, aut alicuius naturalis agentis vigore: nihil enim in eam facultatis quidquam preter Deum habet. Identidem aut anima hęc eſſe nequit de eis, quæ purgatoria clementia exercentur. Hæc.n. à dęmonibus non puniuntur, nec in eas quidquam poſſunt: iam enim iſtæ ciues ſunt Ciuitatis Dei, angelorum comparticipes, quamquam ad illud degustandum nondum peruenerint. Ideo nec ipſi dæmones poſſunt videre eas torqueri aſtantes illis, ne in eis gaudeant, atque velut victores ſaturentur. Sic declarat S.Th. ſuper 4. Sent. Diſtin. 20. nulla ergo earum animarum, quæ pœnis purgatorij mancipatæ ſunt, in capite illo metallino includi valet. Nec hanc, quæ in capite alligata eſt, de his quæ gehennali carceri mancipantur, aſtruere cuiquam licet. Hæc.n. in inferno ſunt, qui locus eſt determinatus in terra, in quo omnes damnatorum animæ affliguntur: nec cuique inde exeundi locus datur, niſi cum diuina diſpenſatione aliqua viuentibus cōſpiciendum datur eorum vtilitati procurandę, qui ſuperſtites ſunt. De hoc Greg. in 4. Dial. Dęmonum ergo facultati nequaquam ſubeſt quamuis de animabus gehennali incendio mancipatis educere metallino capiti alligandam.

Quod illæ animæ loquentes in illis capitibus non potuerint eſſe ex illis, quæ in inferno ſunt. Cap. XXXVII.

AMplius autem ſi hæc, quæ in capite metallino eſt, de animabus infernali mancipatis ſedi foret,

F impoſſibile videretur, vt, quæ intelligit, ſciret, & ad inquiſita ſingula reſponderet. In his namque capitibus talia conſulentibus reſponſa dantur, quæ omnem damnatarum animarum facultatem excedunt: Liquet ergo huius animam de mancipatis gehennalibus pœnis non eſſe. Huius inductionis maior patet: quoniam animæ corpore ſolutæ plura, quam in corpore intelligebant, intelligere nequeunt, niſi aliqua in eis per reuelationem alicuius ſuperioris ſubſtantiæ intelligentis illuſtratio fiat. Damnatorum tamen animæ nullam in diuina eſſentia cognitionem recipiunt, quæ vocatur cognitio in verbo, cum hæc ſit potiſſima fælicitatis portio, & quaſi tota fælicitas. Ab angelo quoque nullius rei cognitionem ſuſcipiunt: non vult enim diuinæ iuſtitiæ exigentia, vt in aliquo ſaltem lætentur aliquid
G tale cognoſcentes. Animæ ergo, quæ corpore ſolutæ infernali mancipantur loco, nihil magis poſterius cognoſcere valent, quam hinc recedentes cognoſcebant, atque dum in corpore permanerent. Hi tamen rationales ſpiritus, qui in metallinis capitibus ſunt, ad quædam reſpondent, quibus omnes homines conuenientes in vnum reſpondere neſcirent: animæ igitur damnatæ nequaquam ſunt. Item nihil prodeſſe videntur temporum, & punctorum, & aſpectuum, atque cæterorum aſtrologicè diffinitorum obſeruationes ad incluſionem animæ in capite metallino, ſi anima illa cuiuſcunque conditionis foret: virtus namque, quæ ad has cæremoniales obſeruationes conſequi poteſt, naturalis eſt, deriuata ex influxu cæleſtium corporum.
H Nulla tamen naturæ poteſtas aliquatenus animæ à corpore ſolutæ præeſt, cum illa ſpiritus ſimplex ſit, nullam habens corporeitatem, per cuius coniunctionem in eam cæleſtia corpora dominentur. Hæ ergo obſeruationes ad introducendam, aut alligandam animam metallino capiti nequaquam proſunt. Ex prædictis ergo inductum liquet, ꝙ, cum rationalis ſubſtātia ad conſulta in capite illo metallino reſpondens, Deus, aut angelus lucis, vel anima rationalis eſſe nequeat, dęmonem eſſe, qui loquitur, patet. Ipſe autem nullis humanis operationibus in metallinum illud caput, aut aliquod alterum includi poterat: eſt quippe dęmonum poteſtas quacunq; humana poteſtate ſuperior: nequit ergo dæmon vllatenus ab homine ad quidpiam inuitus trahi. Item iſtæ operationes, atque obſeruationes in
I huiuſmodi capitibus fabricandis naturæ modum conſequuntur: dæmonibus autem minimè natura præeſt. Natura quidem ſolis corporibus, aut corporeis rebus, aut virtutibus corporum præſidet: dęmones autem nec corpora, nec corporum virtutes ſunt: natura ergo ſuper eos nihil poteſt. Vtrum autē dęmones ad corpora congregari, aut à corporibus expelli aliquibus herbarum, aut rerū ſuffumigationibus poſſint, quæ ſatis naturalis q̄ſtio eſt, in pręſenti decurrēdi ſtyli gratia omittendam duxi. Illatum ergo eſt homines nequaquā dæmonibus præſidere: qm̄ excellentioris naturæ ipſi ſunt: dæmones aūt hominibus præſunt. Quòd, ſi de exorziſtis obieceris, qui cōiurationibus quibuſdam de obſeſſis corporibus dæmones excludunt. Reſpondendū eſt dęmones inuitos de obſeſſorum corporibus expelli: hoc tn̄
K hoīum nulla virtute fit, nec verborum viribus, ſed Dei nutu, atq; iuſſu fit. Eſt namq; exorziſtarum ordo vnus de eccleſiæ ordinibus minoribus: verba ergo, atque ſingulæ operationes ſuæ ex Dei voluntate vigorē recipiunt. Sic.n. de presbyteris conſecrantibus eſt: nulla.n. in ſacerdote poteſtas eſt, nec tam efficacia proferre verba poteſt, quantumcunque clamaret, vt panis ſubſtantiam in verum Chriſti conuertat corpus; quia tamen à Deo miniſter inſtitutus eſt, ſtupenda Dei bonitas dignatur, vt prolatis cōſecrationis verbis, panis in verum corpus, & vinum in verum ſanguinem conuertatur.

Homines dæmonibus non præſunt.

Quædam penes ſuperiora. Cap. XXXVIII.

IN hoc autem cuncta exempla plena ſunt: multi ſiquidem viri boni ſola præceptionis forma prolato nomi-

A nomine Ieſu ſuper eos, qui ægrotabant, de corporibus obſeſſorum dæmones expellebant. Hæc autem ex ipſorum viribus fuiſſe nequaquã patet, ſed ex fidei meritus conceſſa ſunt. Chriſtus quidem dixerat, quod, ſi quis tantam haberet fidem, ſicut vnum granum ſinapis, & diceret monti huic, tranſi hinc, tranſibit, & nihil impoſſibile erit ei, vt patet Matth. 17. capit. Idem Luc. 17. dicitur: Si haberetis fidem, ſicut granum ſinapis, & diceretis huic arbori moro, eradicare, & tranſplantare in profundum maris, obediet vobis. Hæc etiam ad prolationem nominis Ieſu fiunt, quod nomen magnæ excellentiæ eſt, quia non eſt aliud nomen ſub cælo hominibus datum, in quo oporteat nos ſaluos fieri, vt dicitur Actuum. 3. cap. Sic autem frequenter Apoſtoli ad Chriſtum cum magno gaudio reuertebantur, dicẽtes: Domine in nomine tuo etiam dæmonia ſubijciuntur nobis: vt habetur Luc. capit. 10. Cùm vero redemptor noſter a mundo diſceſſit ad patrem aſcendens in cælum, hanc omnibus credentibus virtutem reliquit. ſ. vt de corporibus obſeſſorum dæmones valerent excludere, & quòd eis venena non nocerent, atque cunctis loquerentur gentium linguis, & curarent languorum varia genera, & ſerpentes de terra tollerẽt. De his Marc. capit. vltimo dicitur: Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur: in nomine meo Dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, ſerpentes tollent, & ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit: ſuper ægros manus imponent, & bene habebunt. Proculdubio ergo ex hoc infertur, naturaliter homines dæmonibus non præſidere: nam, ſi ex natura excellenti eis proueniret, vt dæmonibus præeſſent, fruſtra Chriſtus dixiſſet tanquam miraculoſum quid exprimens hanc poteſtatem concedere eis, qui baptizarentur. Ex principijs ergo his patet dæmones hominibus nullatenus naturaliter eſſe ſubiectos: ſed magis eos aliquatenus hominibus præualere propter excellentiam naturæ eorum, ſuper humanæ ſpeciei perfectionem. Illi tamẽ qui hæc metallina capita conficiunt, ſecundum documentorum aſtrologicorum obſeruationes, ad introducendam virtutem rationalem in caput illud naturaliter ſolum hæc obſeruant. Super dęmones ergo per hoc poteſtatem nullam habent, vt in his capitibus maneant, aut loquantur. Horum tamen modus eſt, & origo; dæmones enim humani generis ſæuiſſimi hoſtes modis, atque verſutijs, quotcunque valent, homines decipere, atque ſubuertere moliuntur: ipſi ergo docuerunt homines, vt talibus artibus imbuti eſſent, quibus cum eis aliqua contraheretur participatio. Induxerũt quoque, vt homines exiſtimarent eos verbis quibuſdam, aut cœrimonijs poſſe opprimi: nihil tamen in re eſt, quæ ſiue facto, ſiue verbis aſtringi ad aliquid poſſint, niſi quantum Deus illos cogi interdum vult. Cũ verò homines his ſceleratiſſimis, atque ſuperſtitioſis artib. dediti hæc metallina capita fabricant, quanquã cœrimoniæ, quas in fabricando obſeruãt, nihil poſſint vt dæmones in his capitib aut alicubi eſſe cogantur: quia tñ in hoc aliquis cultus diuinus eis impenditur, ipſos hoĩes fallere elaborant, hiſq; factis in præparata capita ingrediuntur, atq; ad quæſita reſpondent. Si tamen omnibus his obſeruatis capita illa ſubintrare nollent, liberum eis eſſet. Quare aut aſtrologi capita iſta, aut ſimiles imagines ſub aliquibus obſeruationibus temporum, & punctorum, & non aliàs faciunt: cauſa quoq; magis radice quare virtus rõnalis in illo capite ad conſulta reſpondens angelus lucis, nec Deus, nec rationalis anima eſſe valet: ſed dæmonem eſſe neceſſe eſt, latius a nobis diſputata ſunt ſuper 21. c. libri Numer. vbi de ſerpẽte ęneo agitur. Ex prædictis ergo inductum patet ſerpentẽ hunc metallinũ a Moyſe fabricatum, obſeruatis artibus aſtrologicis factum nõ fuiſſe, nec aliquam contraxiſſe naturalem virtutem.

Virtus, quã Christus oib. credentibus reliquit.

De cauſa huius ſerpentis metallini. Cap. XXXIX.

CIrca fabricationem huius metallini ſerpentis, de quo loquimur, dicendum eſt, cauſam extitiſſe, A quoniam Iudæi dignè in peccatorum ſuorum pœnam a ſerpentibus mordebantur, immenſa tamen Dei clementia, qui offenſa non hoſtiliter punit, ſed filialiter caſtigans erudit eos, diſperdere nolens, aliquid, per quod curarentur, effici voluit. Hanc autem ſanitatem potuerat Deus inducere in quolibet Iudæorum a ſerpentibus percuſſorum cõfeſtim, vt percuſſus foret nulla cœrimonia exhibita, aut temporis tracta mora liberatus: voluit tamen Deus hoc eo modo effici, quo magis Iudæi beneficium huiuſmodi magni penderent. Quia autem vulgus ſolis ſenſibilibus aſſuetum, magis per corporalia, quam per ſpiritualia intelligere valet, ſignum quodam in huius ſanitatis collatione corporeum tribuit; quod ad duo proficiebat, ſcilicet, ad futurarum rerum ſtatum ſignandum, & ad exprimendã B. conditionem quandam ſtatus ipſius populi Iudaici in percuſſis. Quantum enim ad ſtatum Iudæorum tunc exiſtentium, conueniens valde fuit, hunc ſerpentem æneum fabricari. ſ. vt actio ex contrarijs fieret, vt quemadmodum a veris ſerpentibus percuſſi in mortis periculum incidebant; ita ſanitas viſo ſerpente æneo induceretur. Hoc autẽ non fiebat, tanquam ſi ſerpens iſte metallinus aliquam in ſe virtutem ſanatiuam naturaliter contraxiſſet, nec in eum ſupernaturaliter Deus virtutem aliquã deriuaſſet: ſed Deus volebat, vt percuſſi a ſerpentibus illum æneum intuerentur ſerpentem, quibus intuentibus ipſe mox perfectam conferret ſanitatem. Quo pacto nulla amplior virtus ſanatiua in illo metallino ſerpente erat naturaliter defluxa, aut ſupernaturaliter tributa, quam ſit in quocumque C. lapide, vel lignis ſyluarum. Vnde, ſi iuſſiſſet Deus, vt percuſſi a ſerpentibus terram intuerentur, & quis percuſſus hoc effeciſſet, mox perfectam ſanitatẽ conſequutus fuiſſet. Et quámquam ſerpens ille æneus ſanatiuam nullam virtutem haberet, nullus tamen ſanitatẽ à morſibus ſerpentum conſequi poterat, niſi eum intuebatur. Huius ratio eſt: quonia iſta ſanitas inducta in huiuſmodi percuſſis, a Deo ſupernaturaliter cauſabatur: ipſe autem nulli hãc conferebat, eius negligenti præceptum, cum ipſe ad ſanitatem conſequendam aliquid ſpecialiter diffiniſſet agendum. Hic autem æneus ſerpens in quodam altiſſimo vexillo poſitus erat, vt cunctis libere videndus pateret: nam ſi in pauimẽto iacuiſſet, aut i tabernaculo Moyſis in cuſtodia poſitus fuiſſet, plerique a ſerpentibus percuſſi, antequã D ad ſerpentem videndum perueniſſent morerentur. Vt ergo omnibus percuſſis a ſerpentibus liberum foret ſerpentem illum intueri, vbicunque exiſterent, ſerpẽs ille exaltatus eſt, ſic ait Chriſtus Ioan. capit. 3. Quemadmodum Moyſes exaltauit ſerpentem æneum in deſerto: ſic oportet exaltari filium hominis.

Obiectio, & quædam penes ſuperiora. Cap. X L.

COntra ea, quæ dicta ſunt, quiſquam inſtaret, dicens, quod, cum percuſſi a ſerpentibus æneum contemplantes ſerpentem, nullam inde magis contrahebant ſanitatem, quam inſpectis lapidibus, vel lignis ſyluarũ, ſed ſanitas a Deo immediate ſine aliquo inſtrumentali agente cauſabatur, ad quod ſerpens iſte E metallinus fieri iuſſus eſt, & in altum tolli. Reſpondendum erat, cœrimoniarum veteris teſtamenti duas fore finales cauſas. ſ. vnam ad cõuenientiam ſtatus Iudæorum, qui tunc erat: alteram ad futurorum bonorum vmbratilem ſignificationem. In his duobus ſecũdus erat architectonicus finis: quia ipſe eſt finis vltimus, & cuiuſq; alterius finis exiſtens adhuc vltimus, & propter hunc principaliter omnia fiebant. Finis autem prior. ſ. conuenientia ad ſtatum Iudaicum erat, vt Iudæi ſanitatem a Deo ſuſceptam magis à Deo eſſe ſcirent, quam ab alio: & quia opportunius per ſenſibilia, quam per ſpiritualia mouentur, decuit aliquod corporale dari ſignum; &, quia ipſi a ſerpentibus percuſſi erant, decentius fuit ſerpentem in ſignum poni, quam aliquid alterum. Secundus, & architectonicus cœrimonia-

moniarum veteris teſtamenti finis fuit, vt ſignarentur, quæ tempore Meſſiæ in nouo, & perfecto teſtamento euentura erant. Status namque Iudaicæ plebis ante Meſſiæ aduentum fuit ſtatus imperfectus: ſic dicit Apoſtol. ad Hebr. 7. neminem ad perfectum deduxit lex. ſ. lex Moſayca, quæ diſtinguitur contra Euangelium, quod non vocatur lex, ſed gratia, vt habetur Ioã. 1. cap. lex per Moyſen data eſt, ſed gratia, & veritas per Chriſtum facta eſt. Vnde cuncta, quæ Iudæis in veteri teſtamento dabantur, futurorum bonorum tempore Meſſiæ ſigna erant: ſic Apoſt. dicit ad Heb. 10. c. vmbram futurorum lex, ſ. quód erat continens, tanquã in vmbra, vel figura, eaque futura erant tempore Meſſię. Ob hoc autem in cærimonijs veteris teſtamenti, quia ſignatiuæ erant Meſſiæ futuri, nulla efficatia erat, niſi ſecundum fidem Meſſiæ futuri. His quoque exercitati cærimonijs nullam conſequebantur efficaciam, niſi in fide futuri Meſſiæ, ſcilicet, in eo quod per vſum harum cęrimoniarum profitebantur futurum Meſſiã, quàm hoc non obligabantur explicitè credere, aut cõfiteri, ſed ſufficiebat, quód eis vterentur ad eum finẽ, ad quem Deus inſtituerat. Ob hoc autem in omnibus cærimonijs à Deo datis in veteri teſtamento, & ceteris, quæ facta narrantur, erat aliqua ratio ſignificandi ad ea, quæ tempore Meſſiæ ventura forent. Sic Apoſt. prima ad Corin. c. 10. ait: Omnia in figura cõtingebãt illis. ſ. in figuram eorum; quæ acciderunt in nouo teſtamento. Meſſias autem venturus erat ad humani generis redemptionem procurandam, multa quoque pro hoc facturus, inter cætera tamẽ, nihil tanti ponderis, atq; tã efficax ſaluti noſtræ procurãdæ fuit, quantũ ſaluatoris mors amata: decuit ergo, vt in hoc cæremoniali ſigno mors redemptoris notaretur. *Qua de cauſa vẽtur᷑ erat Meſſias.* Nã, quemadmodum Iudæi à ſerpentibus percuſſi, illum metallinũ ſerpentem contemplantes perfectam conſequebantur ſanitatem: ita & pfectiori quodam mõ nos Saluatoris noſtri morte vera donamur ſanitate. Et, qm̃ Meſſias in Cruce mori deſtinauit, ad perfectam expreſſionem ſigni decuit hunc ſerpentem in ligno in altum tolli. Et, velut, qui toto corde compuncti peccatorum veterum pęnitentes ad Meſſiam conuertuntur eius doctrinam fide, & opere aſſumentes, oĩum ſuorum peccatorum integram, abſolutamque indulgentiam aſſequuntur: ita & à ſerpentibus percuſſi, cum illũ metallinum ſerpentem in ligno eleuatum intuebantur, ſanabantur. Non fuit ergo ſuperuacuum hoc, ſerpentem in altum fuiſſe eleuatum, & vt ad eum percuſſi attenderent ſanitatem inquirentes, quoniam Meſſiam deſignabat, in quem nos credentes veram eramus cõſecuturi ſalutem. Hic modus eſt, quo Moyſes ſerpẽtem ęneum in deſerto fabricauerit, atque in altũ extullerit.

Chriſtus quare ſerpens vocetur. Cap. XLI.

IN huius quarti metaphorici Paradoxi exordio ſerpens non dicitur iſte, quem Moyſes fabricauit, ſed Chriſtus, qui ſerpẽs ex aſſignatis ſupra cauſis dictus eſt: ſed dicitur ſerpens ipſe propter ſerpentem illum, quem Moyſes in deſerto extulit. Hoc nempe ei valde conuenit; nam ſicut ſerpens iſte metallinus à terra eleuatus in ligno pependit, ſic quoque Chriſtus in cruce pendens eleuatus eſt. Et velut qui iſtum intuerentur ſerpentem, à verorum ſerpentum morſibus ſanabantur: ita hi qui Chriſti paſſionem contemplantur, firmiter exiſtimantes per eam noſtram fuiſſe cauſatam redemptionem, plenam recipiunt oĩum peccatorum abſolutionem, & à cunctis reatibus abſoluuntur. Hanc autem ſimilitudinem expreſſit Chriſtus, cum ſemel de paſſione ſua memoriam ageret, vt habetur Ioan. Ego, ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me. Et Ioan. 3. Sicut enim exaltauit Moyſes ſerpentem ęneum in deſerto: ſic oportet exaltari filium hominis. i. ſi ego eleuatus fuero a terra, vt in aere pẽdeam, cruci affixus, omnia traham ad me, omnia redimendo. Ex prædictis, apparet, quomodo Chriſtus ſerpẽs appellatus ſit,

F & quomodo poſitus fuerit, ſcilicet: quód in cruce pendens fixus ſit. Circa hunc metallinũ ſerpentem Iudæi valde rudes, virtutes Dei ignorantes, & naturæ potentiã, atq; efficaciã ſpeculari non potentes, grauiter errauerunt, exiſtimantes ſanitatẽ cauſari ab illo ſerpente, vnde ei aliquid numinis attribuẽtes plurimi eũ coluerunt. Mãſit aũt in populo Iſraelitico vſq; ad tẽpora Ioſiæ regis, qui, cũ aduertiſſet magnũ offendiculũ plebi oriri in hoc ſerpẽte, multoſq; illũ colere, cõbuſſit illũ, & in puluerem vertens proiecit illum in torrentem Cedron in Ieruſalem. De hoc quarto Regum cap. 23.

Pars ſecunda metaphoræ. 4 ſcilicet, Serpens, qui iacuit. Cap. XLII.

G PRæfatæ huius quartæ metaphoræ particula ſecunda eſt: Qui iacuit. ſcilicet, quód ſerpens iſte iacuit. Et, quia Chriſtus erat ſerpens iſte, vt in præcedentibus patuit, exponendum de eo eſt, quomodo iacuerit. Et, quoniam Chriſtus verus homo erat, hominibus autem, quoniam corporei ſunt habentes habitudinem totius ad partes, iacere cõuenit, Chriſtus propriè iacere dicetur. *Iacere quid ſit.* Iacere autem ſecundum ſuam originem, & nominis ſignificationem non eſt ſedere, vt quidam largè valdè ſumunt, ſed ſuper aliquid in longum extenſum eſſe, vt iacere ſuper pauimentum. Chriſto autem iſta conueniſſe liquet; nam ipſe per noctem ſomnium capiebat: tunc autem, ſicut cæteri, toto corpore extenſus fuit: iacuit ergo Chriſtus.

Ad hoc aũt aliquis inſiliet dicens, hũc iacendi mo-
H dum Chriſto minimè conueniſſe: nam cum exiſtimant quidam nunquam dormiuiſſe: ſed, dum apoſtoli ſui, atque diſcipuli per noctem ſomnum caperent, ipſe aut orationi, aut contemplationi inſtabat. Quam ob rem in ciuitatibus, & oppidis per noctem non manebat, tanquàm lecto non egens, ſed in campis manebat extra vrbem Ieroſolymã, ſcilicet, in monte oliuarũ, ſic patet Luc. 21. c. cum dicitur: Erat autem diebus docens in templo, noctibus autem exiens morabatur in monte, qui vocatur oliueti, & oĩs populus ad eum veniebat in templo, vt audiret illum. Quidam autem deuote de Chriſto recogitantes dicunt, ꝙ diſcipulis domini Ieſu iacẽtibus in terra per noctẽ cum eo in mõte, & dormientibus, vt poterant, ipſe veniens ad ſingulos
I eorum aptabat eis veſtes ſuas, vt conuenientius tegerentur; &, quia præ inopia veſtium, frigus patiebantur nocturnum, ipſe eorum pedes, & membra, cæteraſq; corporis nudas partes, afflans, anhelitu ſuo calefaciebat: quo pacto eos pace ſumma compoſitos dormire faciebat, nullam cæli intemperiem patientes; tãquàm ſi conuenientibus dormirent ſtramentis. Quód autem Chriſtus hæc ac diſcipulos egerit a nullo loco firmitudinis accipitur: ideo eadem facilitate contemnitur, qua credi poteſt. Vtcunque tamen ſe rei ſtatus habuerit, eis, qui de cęleſtibus aliquid guſtauerint, cõtẽplare talia dulcedo magna eſt. Quód autẽ Chriſtus nunquam iacuerit ad dormiendum, falſum eſt: nam, quanquam fortaſſis iſta quis de Chriſto affirmare audeat, cum Chriſtus eſſet aliquantæ ætatis, vt per ſe mo-
K ueretur, nequit tamen de eo veriſimiliter dici, cum tenerrimæ ætatis foret, & à matre ſua nutriretur. Tunc ipſa eum, vt ei collibitum erat, in lecto, aut vbi voluiſſet, coaptabat; nec eſt veriſimile aliter eum fuiſſe enutritum in ſua infantili ætate, quàm vt cæteri infantes enutriri ſolent. Sic enim patet in natiuitate benedicti domini Ieſu: nam tunc eum deuota genetrix eius pauperibus aduolutum pannis, quos in diuerſorio habere contigerat, in præſepio ſuper fęnum inter bouem, & aſinum collocauit. Sic habetur Luc. 2. c. Factum eſt autem, cum eſſent ibi, impleti ſunt dies, vt pareret, & peperit filium ſuum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit in præſepio, & in eodem c. item paſtoribus angeli dixerunt: Inuenietis infantem pannis inuolutum, & poſitum in præſepio. Sic quoque in quodam quadrageſimali hymno habetur, ſcilicet.

Vagit infans inter arcta
Poſitus præſepia.

Qđ Chriſtus dormierit, et corpore aduerſus iacuerit, ſicut cæteri homines.

Nec dumtaxat de Chriſto tenero de infantilis ætatis patet, ꝙ accubuerit, ſed de eo quoq;, cum eſſet iam grandæuæ ætatis vir, liquet, ꝙ iacuerit, atq; dormierit. Cum ſemel Chriſtus relinquens turbas introiuit in nauiculã, cũ diſcipulis ſuis, & ecce ventus motus eſt magnus in mari, ita vt nauicula operiretur fluctib. ipſe vero dormiebat, & acceſſerunt ad eum diſcipuli eius, dicentes: Dñe, ſalua nos, perimus: vt hr̃ Matth. 8. c. patet ergo eum dormiuiſſe, ſed, qui dormit, iacet: alias. n. gratus ſomnus non eſt. Quod aũt in ſomno iſto extenſus iacuerit patet, quoniam caput ſuũ ſuper ceruical acclinauerat, vt patet Marci. 4. c. Et facta eſt magna procella venti, & fluctus introibant in nauem, ita vt impleretur nauis, & erat ipſe in puppe dormiens ſuper ceruical, & excitarunt eum, atq; dixerunt: Magiſter, non ad te pertinent, ꝙ perimus. Amplius aũt identidem patet, quoniam Chriſtus aſſumpſit oẽs paſſiones humanas, & defectus, quæ peccatum non ſunt, nec plenitudinẽ gratiæ, & naturæ integritatem tollunt. Somnus autem eſt paſſio conſequens conditionem humanæ naturæ: cum ergo ſomnum ſuſcipere neceſſe erat. Quòd autẽ ſomnus ſit paſſio conſequens humanam naturam etiã ſtatu naturæ conſtante, in prælibatis declaratum extitit in tertia metaphora, ſuper particulam: Qui patiebatur. Cum ergo ſomnolentia Chriſto, vt cæteris hominibus eueniret, neceſſe erat eum interdum dormire: non enim videbatur hoc euitabile, niſi in carne ſua miraculum operatus foret, quòd nulla ratione concedendum eſt. Hoc. n. dato dicendum quoque erit, quòd etiam ſi Chriſtus cibo ſecundum naturam indigebat, tamen miraculosè ſuſtentatus cibo, nunquam refocillabatur. De Chriſto ergo, vt de cæteris hominibus euidenter liquet, quòd dormierit, & iacuerit.

Quædam attinẽtia ad hanc ſecundam partem quartæ metaphoræ. Cap. XLIII.

QVoniam autem hoc modo Chriſtus iacuiſſe dici poteſt, atque iſta particula verificari poſſet, ſcilicet, ꝙ ſerpens iſte iacuerit, non eſt tñ modus iſte iacendi, quem metaphorica iſta locutio tenet. Alius autem eſt, quem proprius iacere appellamus: nam iacere eſt, cum in longum res extenſa ſibi ipſi non innititur, ſed ei, ſuper quod iacet, adhæret; tunc. n. quod iacet, nullis, ad iacendum, ſicut ad ſtandum, aut ſedendum, viribus indiget. Cum ergo quidquam longitudine tota extenſum eſt alterius innixum, nullaſq; ad ſe tenendum vires habens, iacere proprijſſime aſſeretur. Hoc aũt cadaueribus conuenit; viuentia. n. dum ſunt, ad ſe mouendum vires habent aut ſtandum, vel ad quodcunq; poſitionis genus; cadauera aũt in ſe ad nihil horum habent facultatem, niſi vt iaceant: ipſa ergo propriè iacent. De Chriſti corpore benedictò conuenienter aſſeritur: nam ipſum aliquanto tempore mortuum extitit, & tunc iacuit. Hoc tamen toto tempore iacuit, quo examinatum extitit; ipſe namq; quadraginta horis in morte manſit, trigintaſeptem duntaxat corpus eius iacuit, aut paulò plus, minuſve. Hoc aũt manifeſtatur: nã dñs Ieſus die Paraſceues hora nona mortuus eſt iuxta teſtimonium omnium euangeliſtarũ, ex eo autem tpe vſque ad noctẽ tres horæ erant. Mortuus namque fuit redemptor noſter apud æquinoctium vernale: in æquinoctio iuxta nomen ſuũ noctibus æquantur dies, & in eorũ quolibet horæ duodecim ſunt: Hoc aũt apparet, quia Chriſtus in feſto Paſchę Iudæorum paſſus eſt. ſ. in feſto azymorum, qđ ex eo colligitur, quia in quinta feria cœnæ die præcedenti paſſionem ſuã cęnauit agnum cum diſcipulis ſuis, cumq; ad menſam ſederet, ait: Deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum, antequam patiar, vt habetur Luc. 22. c. Et in eodem. ca. diſcipuli inquirentes à redemptore noſtro inquiunt: Vbi vis, vt paremus tibi comedere Paſcha?

Chriſtus in æquinoctio vernali mortuus fuit.

A Et iterum: Apud te facio Paſcha cum diſcipulis meis. & Matth. 26. c. dr̃. Scitis, quia poſt biduum Paſcha fiet, & filius hoĩs tradetur. Sequenti aũt die. ſ. in Paraſceue mortuus eſt: neceſſe eſt ergo, vt tunc Paſcha eſſet, quod colligitur Io. 18. cum dr̃ de Iudæis qui tolerunt Ieſum in domo Pilati die, qua mortuus eſt, & ſubditur, ꝙ nõ introierunt in prætorium, vt non contaminarentur, ſed manducarent Paſcha. Paſcha. n. azymorum Iudæorum apud æquinoctium vernale eſt, quod ad medium Martij fit. Iudæi aũt menſem ſuum primum inchoant primo die lunationis, qui æquinoctio vernali propinquior fuerit, ſiue lunatio illa æquinoctium ſuccedat, ſiue anteceſſerit, de quibus latius diximus Exodi. 12. c. die aũt 14. menſis huius primi ſui. ſ. Martij Paſcha celebrant azymorum, vt hr̃ Exodi. 12. c. ſemper ergo neceſſe eſt, B vt Paſcha azymorum æquinoctio vernali propinquũ ſit, ſiue ante æquinoctium, ſiue paulo poſt. Hoc modo neceſſe eſt diẽ, in qua Chriſtus mortuus eſt. 12. horarũ, aut paulòplus, minuſve fuiſſe: vnde ab hora nona, qua redẽptor noſter mortuus eſt, vſq; ad noctẽ tres ſuperant horæ. In ſequenti aũt nocte erant duodecim, aut quaſi, & ſimul ſumptæ xv. horæ erant: in die aũt ſabbathi ſuccedenti. xij. horę erant, quæ oẽs fiebant. xxvij. in nocte aũt ſequenti diei dñicæ duodecim quoq; horæ erant, & ſic erant. xxxix. His additur vna hora diei Dominicæ reſurrectionis, eam quippè elapſam fuiſſe, aut eius magnam portionem ferunt, cùm Dñs reſurrexit. Hoc igitur modo quadraginta horis Chriſtus mortuus eſt: his tñ quadraginta horis non ſemper iacuit, ſed dumtaxat triginta, & ſeptem, aut quaſi. Quod ap-

C paret; Chriſtus namque hora nona mortuus eſt iuxta teſtimonium omnium Euangeliſtarum. Manſit autem corpus benedicti Ieſu in Cruce pendens vſque ad ſolis occubitum. Tunc enim de Cruce depoſitum in terra iacuit: quoniam eius benedicta Genetrix, aliæq; deuotæ fœminæ, quæ cum ea erant, cum tunc honeſtè, & pijs lachrymis, viſceroſis affectibus deplorauerunt. Ioſeph autem ab Arimathia ciuitate nobilis decurio, Nicodemus quoque, qui ad Ieſum nocte venerat, & Ioannes cognatus Ieſu eius funeris obſequia impenderunt, corpus eius in ſepulchro tumulantes Ioſeph. Tunc enim iacere cæpit, quoniam tota ſua magnitudine ſuper lineamina in pauimento extentum erat: manſit autem ſic, vſquequo reſurrexit; Toto ergo tempore mortis ſuæ corpus Domini Ieſu iacuit, demptis tri-

D bus horis, quibus in cruce pependit iam mortuum, de quadraginta, totum mortis eius benedictæ tempus menſurantibus ſupererunt triginta ſeptem horæ, quibus iacuit cõpus Domini Ieſu.

Qđ Chriſtus per quadraginta horas ſteterit mortuus.

Quædam de triduo mortis Chriſti. Cap. XLIIII.

HOc autem tempore toto quadraginta horarũ, quibus Chriſtus mortuus eſt, corpus, & anima eius ſeiuncta fuerunt: anima namque in ſinu Abrahæ hoc tempore manſit cum ſanctis patribus, quos inde Redemptor noſter educturus erat. Corpus autem illius tumulatum erat, ſed his duobus ſeiunctis ab inuicem: animal mortuum eſſe neceſſe eſt, & conſequenter his quadraginta horis Chriſtus homo non fuit. Homo ſi-

E quidem dumtaxat eſt, qui corpore, & anima rationali conſiſtens eſt, quod in Chriſto non erat, dum mortuus extitit: tunc ergo homo non erat. Manifeſtam. n. includit contradictionem quemquam mortuum eſſe, & tamen hominem fore: omnes namque homines per mortem eſſe perdunt: Chriſtum tamen tota catholicorum, & ſacrarum continentia ſcripturarum aſtruunt vere fuiſſe mortuũ tunc; ergo homo non erat: alioquin Chriſtus per mortem nihil perdidit, quod manifeſtã ingerit contradictionem, Quamquam Magiſter Sent. 3. lib. diſtin. 22. tenet Chriſtum fuiſſe hominem toto triduo mortis ſuæ, & verum, atque perfectum, ſed nullos ſibi in hac re concordes habet: omnes namque theologici doctores eum improbant in hanc parte. Fundamentũ ad inducendum Chriſtum in triduo mortis ſuæ hominem

Qđ Chriſtus mortuus exiſtens nõ fuerit hõ.

nem

minem permanſiſſe hoc eſt.ſ.hominem dicimus indiuiduum, vel perſonam corpus, & animam rōnalem habentem; Chriſtus tamen in triduana morte ſua corpus,& aiam habuit,vt, cum viueret, habuiſſe dignoſcitur;hoīem ergo eum eſſe conſtat. Prima ſatis euidenter cognita, ſecunda huius inductionis particula patet:Chriſtus.n.non eſt perſona,aut ſuppoſitum, vel hypoſtaſis humana, ſed diuina. Nam verbum Diuinū in Chriſto perſona erat, & nō natura humana aſſumpta, aut homo aſſumptus, ſi dicere velis, filius ergo Dei.ſ. verbum verè Chriſtus vocabatur,& erat. Hic aūt Chriſtus corpus & aiam in triduana morte ſua habuit;iſta namq; diuina perſona animam illam ſibi vniuit, cum nouiter creata fuit. Corpus quoque identidem, cū nouiter organizatum fuit, ꝙ autem verbum diuinum ſemel aſſumpſit, nunquam reliquit iuxta auctoritatem Io.Damaſce.& totius catholicæ confeſſionis. Illo ergo tempore triduanæ mortis Chriſti perſona diuina animam, & corpus, quæ aſſumpſerat, vnita tenebat. Hoc modo catholicorum poſitio confitetur, ꝙ verbū diuinum corpus Chriſti mortuum ſibi vnitum haberet in ſepulchro, & quòd cum anima ad inferos vnitam quoque deſcenderit, aut vt proprius quodam loquamur modo,quod in inferno verbum diuinum animam Chriſti a corpore ſeiunctam ſibi vnitam habuerit. Nam anima ad inferos deſcendit, verbum autem diuinum ad nullum aſcendit,aut deſcendit locū,quoniam cælum, & terram implet iuxta teſtimonium Ieremiæ capitulo uigeſimotertio.

Quòd Opin. Magiſtri Sent.ſ. ꝙ Chriſtus fuerit homo in morte,non ſit conueniens. *Cap. XLV.*

HVic autem fundamento, quo Chriſtum in triduana morte ſua, hominem fuiſſe conuincitur, obijci poteſt, quòd, vt quiſquam homo ſit, non exigitur dūtaxat, vt corpus,& animam habeat, ſed etiam vt ea vnita habeat: Chriſtus autem, quamquam hæc tenuerit, ea inter ſe vnita non habuit; homo ergo, non erat. Aliquis autem huic fortaſſis reſpondebit, non ſolum in Chriſto animam,& corpus fuiſſe in triduo mortis ſuę, ſed quod ea quoque vnita ſibi habuerit; verbum namque diuinum, quod erat perſona, corpus ſibi vnierat, ſibi quoque animam identidem alligauerat: ipſe autē ſemel facta vnio nunquam relicta eſt: Nam aſſumptū à Chriſto nunquam relictum eſt, iuxta ſæpe dictam Damaſceni auctoritatem; ergo in morte quoque Chriſtus animam,& corpus vnita tenuit. Huic reſpondendum eſt, quod, vt Chriſtus homo eſſet, duæ vniones corporis & animæ exigebantur, vna earum dumtaxat Chriſtum hominem nequibat. Prima vnionum harū eſt, quòd perſona diuina ſibi animam vniuit in corpore Virginis: ipſa quoque corpus vniuit identidem; ſed hæc vnio, vt ipſe homo efficiatur non ſufficit: nam hac vnione non erat anima corpori vnita, nec corpus animæ, ſed corpus diuinæ perſonæ vniebatur, anima quoque eidem verbo diuino vnita erat. Secunda harū vnionum eſt, vt corpus animæ vnitum foret: ita vt ab anima vegetaretur, atque eſſe reciperet: hac autem vnione homo eſt homo,& animal. Prima autem ad hoc nihil confert: vt ergo Chriſtum verum hominē fuiſſe concedamus, neceſſe eſt, vt in eo iſtæ duæ vniones corporis,& animæ fuerint: ſed tempore triduanæ mortis ſuæ in eo non perſtiterunt iſtæ duæ vniones: homo ergo tunc verè non erat. In hoc autem conſiderandum, quod toto tempore mortis Chriſti ſecunda corporis vnio, & animæ ei defuit: ſed primam nunquam reliquit: nam verbum diuinum ſibi corpus,& animam vnierat, hanc autem vnionem in morte quoque Chriſtus tenuit: nam corpus in ſepulchro verbo diuino vnitum manſit: anima autem in infernum deſcendens, & manens diuinæ perſonæ indiſſolubiliter vnita manebat: nam; quæ ſemel verbum diuinum aſſumpſerat, nunquam relinquenda erant: animam autem, & corpus.ſ.humanam naturam Chriſtus directè acceperat;

Impugnatio.

F nunquam ergo ſeiuncta ab eo ſunt. Hęc aūt vnio in Chriſto nihil magis fuit, cum Chriſtus viueret, quam cum mortuus erat. Erat autem ſecunda corporis, & animæ vnio, qua anima in corpore exiſtebat, & homo per hanc ſubſiſtebat. Et, quoniam tempore triduanæ mortis aia benedicti Ieſu a corpore ſeiuncta erat, vt tota fides catholica confitetur, & aſtruit, ſequitur eū hominem tunc non fuiſſe: fuerat tamen tunc integer, ac verus homo, ſi prima vnio ad efficiendum hominem ſuffeciſſet. Ex prædictis ergo illatum eſt, quòd Chriſtus in triduo, quo mortuus fuit, homo non extiterit.

Quod corpus Chriſti in ſepulchro nullo modo fuerit alteratum. *Cap. XLVI.*

G AMplius aūt corpus benedicti Ieſu tpe, quo in cruce pependit,& deinde iacuit in ſepulchro, tranſmutationibus aliorum corporum non ſubiacuit, ſ. ꝙ nō alteratum eſt, vt cadauera mortuorum hominum alterari ſolent. Corpus.n. humanum, atq; aialis cuiuslibet ex pluribus partibus diuerſarum complexionū, atq; qualitatum proprietatis in ſe habentium compoſitum eſt. Hæc aūt ex contrarietatis conditione alterutrū ſe corrumperent, aut ab extrinſecis agentibus alterantibus corrumperētur, niſi in eis magna quædā vis harmonica conſiſteret, quæ totam corporis repugnantis in alterutrū machinam contineret. Aia namq; forma corporis humani ei eſſe tribuit, illudq; incorruptū ſeruat; ipſa namque, quamquam harmonia non ſit, vt Ariſtoxenus

H philoſophus, poeta,& muſicus tenuit, referente Tullio lib.1. Tuſculanarum quæſtionum,& Ariſt. li.j. de Anima, quandam tamen continet armoniam. Cum ergo anima in corpore extiterit totalem partium corporis diuerſarum complexionum corruptionem, aut ipſorum humorum fieri impoſſibile eſt: cum autem ipſa machinam corporis deſtituerit, neceſſe eſt, tam diſparem, ac repugnantem machinam rectore deſtitutam corrumpi. Hæc autem fundamentalis ratio eſt, quare cadauera colorem,& odorem, atque qualitates alias à viuentibus mutent: mox quippe, vt anima vitali calore corpus deſtituerit, reſolui incipit agentibus in alterutrum contrarijs qualitatibus, & pauliſper in totalem prouenit defectionem, reſoluta,& deperdita priori continenti harmonia,& proportione cōtrariarū qualitatum. Ob

I hoc autem corpora vita functa alium odorem ſpirant; & cum in ſepulchris, tecta manent putrefactione diſſoluta penitus corrumpuntur. In corpore autem benedicto Redemptoris noſtri ſic futurum erat in quadraginta horis, quibus in morte manſit, aliqualis incorruptio pro quantitate temporis fieret. Potiſſime cum terra illa in qua Redemptor noſter mortuus eſt, calidior valde noſtra habitatione ſit.ſ. in tertio exiſtēs climate, vel in principio quarti, noſtra aūt in quinto ſit. In terris autem valde frigidis tardius corpora diſſoluuntur. Vnde in quibuſdam terris excellenter frigidis in fine ſeptimi climatis,& principio octaui verſus polū arcticū cadauera, in quuſdā puteos aquis carentes proijciunt, vbi magnotpe cōſeruantur, & cōſtringente frigiditate incorrupta manent, nec grauem odorem emittunt, quē-

K admodum cadauera, q̄ in hac terra ſunt,& in alijs ſitis ad auſtralem ventum,& magis propinquis lineæ æquinoctiali. Ex eo tn̄, quod Chriſtus mortuus eſt, vſquequo reſurrexit, in illis quadraginta horis nihil magis corruptū, aut alteratū in corpore eius fuit, q̄ in eo momento, quo emiſit ſpiritum, ſed prorſus tenerum,& integrū, atq; boni, ſuauiſq; permanſit odoris: nec in interioribus ſuis aliquam ſuſcepit mutationē. Sic.n. dixerat Dauid Pſalm. 16.cap. Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem, id eſt Domine facies, vt corpus Meſſiæ, quod ſanctum eſt, non experiatur aliquam corruptionem, ſicut in ſepulchro cetera corpora incinerantur. De hoc autem latius dictum eſt in ſecunda metaphora ſuper particula. Qui videbatur. Ex prædictis infertur, quomodo ſerpens iſte, qui Chriſtus erat, iacuerit.

In terris ſeptimi climatis cadauera in puteis recondun tur, ne putreſcant.

Pars tertia metaphora quartæ ſcilicet, Serpens, qui non iacuit. Cap. XLVII.

INchoatæ huius quartæ metaphoræ, particula tertia eſt, qui non iacuit, quòd ad ſerpentem hunc referendum eſt, ſ. quod ipſe non iacuerit. Et, quoniam Chriſtus, vt erat veros homo, iacuit, dicendum eſt, quòd ipſe, vt Deus erat, eſſet ſerpens, qui non iaceret: contraria namque prædicata Deo, & hominibus conuenire patet; quoniam diuerſæ naturę ſunt: verè ergo de Chriſto dicitur, ꝙ non iacuit, quia perſona verbi erat perſona Chriſti, ſed ipſa non iacuit; iacere namq; eſt membra directa, & prorſus extenta habere, cùm ſignificet habitudinem totius ſecundum partes ſuas, & conuenit corporibus: verbum autem diuinum corpus non eſt, ſed B purus ſpiritus; ei ergo iacere non conuenit, nec ſtare, aut quid ſimile. Item, qui iacet extenſas partes habet, perſona verbi partes nullas extēſas, aut in ſe collectas habet: quia indiuiſibile eſt, cum ſit ſpiritus; iacere ergo nequiuit, nec iacuit. Hoc autem. ſ. quòd non iacuerit, de verbo diuino totiens verè dicitur, quotiens iacuiſſe de Chriſto, vt homo eſt, prędicatur, & eum iacuiſſe aſſeruimus. Eum ſiquidem primo ſcriptura iacuiſſe aſſerit, cùm mater eius illum recenter natum paupertatis alligatum pannis in præſepio inter bruta animalia collocauit. Poſt etiam cum in ætate tenera, & infantili nutriretur, ſimiliter iacere dictus eſt, quoniam eum ſic mater aptabat: quamquam autem Chriſtus homo hæc verè ſuſciperet, perſona diuini verbi tamē horum nihil aſſumebat ex cauſis ſuperius aſſignatis. Identidem C Chriſtum iacuiſſe confeſſi ſumus, quoniam aliquãdo dormiuiſſe conceſſum, atque inductum eſt: verbum tamen diuinum numquam dormit in eo: quippe nulla ſomnolentiæ cauſa inſurgere poteſt. Sic Pſal. 1.20. dicitur: Ecce non dormitabit, nec dormiet, qui cuſtodit Iſrael. Deum autem Iſraelis cuſtodem dixit, quòd ad verbum diuinum pertinet. Amplius autem Chriſtum in ſepulchro iacuiſſe aſtruimus: nã ibi corpus eius ꝓlongum extenſum, atq; ſindonibus inuolutum fuit, vt inductum eſt: verbi tñ perſona nec mori poterat, vt iaceret, nec partes humani corporis habebat, ſecundum quas in ſepulchro extenderetur. Et ſi diuinũ verbum in ſepulchro cum Chriſti corpore iuxta catholicam, & neceſſariam aſſertionem cõfiteamur permanſiſſe, illud tñ extenſum fuiſſe non fatemur, q̃m iacere nequit. D Apparet ergo ex prædictis, quod ſerpens iſte Chriſtus inquantum homo eſt, iacuerit; &, vt Deus erat, nullatenus iacere potuit; ſerpens ergo iſte non iacuit.

Pars quarta metaphora quarta ſcilicet, Serpens, qui mouebatur. Cap. XLVIII.

IVxta conſequentia literæ huius quarti Paradoxi metaphorici particula quarta occurrit, ſ. qui mouebatur, i. quòd iſte ſerpens motus fuerit; &, quia Chriſtus ſerpens dictus eſt, oportet, vt moueretur. Sciēdum autem iuxta Ariſt. traditionem 3. Phyſicorum, motum eſſe actum entis in potentia, ſecundum quod in potentia, ſ. quòd motus ſit actus in re illa, quæ mouetur, ſ. imperfectus actus. Et iſte actus rei vocatur motus ſo- E lum, vt ipſe eſt in potentia ad aliquid, ſ. quod, cum aliquid debet formam adipiſci, eſt in potentia ad illam, & acquiſitio ſucceſſiua, & partialis formæ illius, anteq̃ perfectè acquiſita ſit forma, vocatur motus. Vñ ante acquiſitionem formæ, & prius quàm de forma illa, aut diſpoſitionibus eius nihil ſit in re, in quam inducēda eſt, motus nullus eſt. Cum etiam forma plenè acquiſita eſt, motus nullus manet: ſed dum aliquid acquiſitum, nec tñ totum motus eſt. Ob hòc autē motus cõuenit rebus, quę omnes perfectiones ſuas ſimul non habent, ſed quaſdam ſuſceperunt, quaſdam vero poſterius ſuſcipiendas præſtolantur, & id, quod de perfectionibus acquirunt, non ſimul acquirunt, ſed ſucceſſiuè, & particulatim: Chriſto autem hoc conueniebat, quia ipſe corporeus erat: corporum autē, & corporea- A rum rerum conditio eſt, vt oēs ſuas perfectiones ſimul non habeant, ſed aliquid nunc habeant, alterũ autem poſterius aſſequantur, & ſic ſuccedentibus ſibi temporum particulis. Quod autem Chriſtus ſpecialiter motũ habuerit determinando ad ſpecies motus poſterius diſſeretur. Quòd aũt generaliter in eo motus fuerit, i. ꝙ aliquis motus in eo fuerit, nihil limitando, in qua ſpecie motus fuerit, apparet ex eo, quod habetur Luc. 2. c. Ieſus autem proficiebat ſcientia, & ætate apud Deum, & homines: creſcere tamen augmentatio quædam eſt. Aut ſi creſcere ſolum ſecundum ætatem accipiamus, ꝙ ſolum dicit proficere in tempore nihil denominando de quantitatis augmento, identidem motus eſt: ea namque, quæ motum nullum habent, ſemper ſe habent, vt huius, vel in eodem ſtatu, quod vero creſcit, B aut augmentatur, aut qualitercunq; aliter variatur, & non habet penitus eundem ſtatum: vnde in motu eſt.

Quòd in Chriſto fuerint omnes modi motus, ſecundum quòd homo fuit. Cap. XLIX.

AMplius autem non ſolum Chriſtum moueri fatebimur, quaſi in eo largè dictus motus extiterit; nam omnes modi, motus propriè dicti, reperti fuit ibi. Sunt.n. quatuor motus propriè ſumpti, largè autem ſex modi iuxta Ariſt. doctrinam Phyſicorum lib. 5. cap. 2. Primus autem horum ſex motuum, vt ab eis, qui largè motus dicuntur inchoemus, generatio eſt: in Chriſto.n. generatio fuit, quia ipſe in benedicto virginis aluo conceptus eſt. Nã ante hoc Chriſtus, vt homo C genitus non erat, nec conceptus, poſt hoc autem genitus homo extitit. Fuit quoq; in Saluatore noſtro ſecundus motus largè dictus. ſ. corruptio non quidem, quòd corpus Dñi Ieſu corruptum, aut incineratum fuerit, dicente Pſalmiſta Pſal. 15. Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem. ſ. corpus Meſſiæ, quod factum eſt. Fuit tñ in Chriſto aliqua corruptio. Nam generatio, & corruptio in eiſdem rebus opponuntur, & eſſe, ꝙ res generatione acquirunt, corruptione perdunt: in Chriſto autem hoc fuit; nam ipſe ab æterno Deus erat ſecunda in Trinitate perſona, nunquam tñ fuit quouſqoe ex virgine conceptus, & genitus eſt: ibi enim recepit eſſe hominem, quod erat genitum eſſe. Hoc autem eſſe genitum. ſ. eſſe hominem, quòd in eo generatione acqui- D ſitum eſt, corruptione deperditum fuit, quoniam mortuus eſt, & ibi eſſe hominem perditum eſt, non manente ipſo homine in triduana morte, vt in prædictis declaratum eſt: quamquam corpus Chriſti corruptum, & incineratum non extiterit, vt ceterorum hominum morientium corpora putrefiunt. Fuerunt quoque in Domino Ieſu quatuor modi, motus propriè dicti, ſcilicet, augmentatio, alteratio, diminutio, ſecundũ locum mutatio: primus autem quatuor propriè ſumptorum motuum, ſ. augmentatio in eo fuit; Ipſe namq; cum natus eſt, tantæ extitit quantitatis, vt infantuli illius temporis, poſterius vero ad integram viri peruenit corpulētiam proportionata viri ſtatura inter magnum exceſſiuum, & paruum deficiēs. Cauſabatur autem in Chriſto iſta augmentatio ex continuo nutrimento ſuſcepto E per maiores partes, quam deperditum eſſet de ipſo corpore augmentabili, ſicut in ceteris naturalibus augmentatio eſt. In Chriſto quamquam ſecundus propriè mutationis modus fuerit. ſ. diminutio; non quidem ꝙ in Redemptore noſtro ſtaturæ proceritas diminuta ſit per curuationem, aut conſumptionem, quòd in ſenibus euenire ſolet: tunc enim deficiente calore naturali, & viribus vegetãtibus euacuatur cutis, & laxa tremit, membra quoque curuantur, & minor redditur ſtatura: Chriſtus tamen ad ſenectutis tempora non peruenit in diebus habitationis ſuæ in carne: in ea quippe ætate vita caruit: qua homo florentior, atq; robuſtior, & in ſingulis corporeis virtutibus excellētior eſt. ſ. anno 32. & paúlò vltra, aut quaſi dimidio. Erat tñ in Chriſto quanti ad aliquid diminutio. ſ. in humoribus ſuis, & qualitatibus. Humores equidem corporis eius non ſim-

Quòd in Chriſto fuerint quatuor modi motus propriè dicti.

ſemper eundem tenuerunt in quantitatis identitate ſtatum, ſed interdum maiores, interdum verò minores extitiſſe eos patet, ſicut ĩ ceteris hominibus, in hoc mutatio per contraria fieri ſolet, alioquin non habuiſſet Chriſtus conuenientem complexionem ſpeciei humanæ. Nã ſi in his perfecta ſemper ſtetiſſet vniformitas, fuiſſet impoſſibile in eo fuiſſe mutationẽ ætatis. ſ. de infantili in puerilem, & ſic in vlteriores. Cuilibet namq; ætati propria humorum, & oĩum qualitatum corporis habitudo reſpondet: qui ergo eundem in corporis ſui qualitatibus ſtatum ſemper tenet, nunquam ſemel habitar, excedit ætate. Quod de Chriſto falſum liquet, cum ſacra Scriptura aſtruat cũ ætate profeciſſe apud Deum, & hoĩes, vt patet Luc. 2. cap. Tertius quoque propriè ſumptæ mutationis modus in Chriſto extitit, quæ alteratio dr̄. Iſte autem communior modus G eſt; quoniam per hanc res ab vna qualitate in alteram permutantur. ſ. ab vno colore in reliquum: & à ſapore in ſaporem; ab odore in odorẽ: à frigido in humidum, à calido in ſiccum, nec eſt aliquis tam diffuſus motus per oĩa. Iſte autem motus in Chriſto, quamdiu vixit, ſemper fuit: in ceteris quoque hominibus, & animalibus idem accidit: nam quodã tempore frigent, alio calent, nunc humectantur, poſterius verò deſſicantur, nunc triſtitiam induunt, poſterius autem iucunditate replentur: nunc vigent, deinde debilia efficiuntur, ita vt nulla pars vitæ i animali ab alteratione vacet. Chriſtus autem hæc pertulit abundantius: nam nunc fame licus, nunc moderatè ſaturatus, nunc ſitibundus, poſt verò ſobriè bibens; nunc confortatus, poſt autem itinere fatigatus; nunc calebat, interdum frigebat, & tunc H lætus, poſt triſtis, vt hominibus intuentibus cernebatur. Verè quoque in eo triſtitia interdum fuit, vt ingruente tempore paſſionis, de quo Matth. 26. cap. Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem. Et Marc. 14. cap. cepit tædere, & mæſtus eſſe. De hoc quoque genere mutationis alteratiuæ fuerunt omnes dolores, & cuncta nocumenta, quæ in honorifica pertulit paſſione. Vltimus quoque mutationis modus, qui ſecundum locum dicitur, in Chriſto fuit: nemo enim, qui eum vidiſſet, ignorare poterat eum moueri localiter. Mutationum propriè dictarum in Chriſto potiſſimè de locali mutatione tota euangeliorum continentia exemplorum plena eſt. Ex præpoſitis plenè patet Chriſtum ſerpentem fuiſſe, qui mouebatur.

Pars quinta metaphoræ quartæ ſ. Serpens, qui non mouebatur. Cap. L.

CONtinuatæ quartæ metaphoræ particula quinta occurrit, ſcilicet, qui non mouebatur: & quoniam ſerpentem hunc Chriſtum eſſe aſſeruimus, cum motum non fuiſſe aſſerere neceſſe eſt. Sed quia Chriſtũ vt homo erat, verè mutatum fuiſſe comprobauimus, neceſſe eſt eum, vt Deus erat, ſerpẽtem fuiſſe, aſſerere qui non moueretur, & vult de Chriſto, vt homo erat, agentes, probauimus ei motum generaliter competere motum aliquem habuiſſe, nihil diſtinguentes: poſterius autem de qualibet ſpecie motus ei competere inductum eſt: ita & de Deo, aut ſecũda Trinitatis perſona primo generaliter motum in ea nullum eſſe inducetur. Poſterius autem monſtrabitur quamlibet ei motus ſpeciem repugnare. In Deo motum nullum eſſe inducitur, quoniam iuxta Ariſt. traditionem, motus eſt entium in potentia ad aliquid conſequendum, ſcilicet eorum, quæ totum, quod habere poſſunt, nondũ habent, vel totum, quod eſſe poſſunt, nondum ſunt: Deo autem eſſe in potentia ad quidquam non conuenit ei: ergo motus quicunque repugnat. Huius inductionis minor patet: quoniam Deus totum ſuum eſſe ſimul habet, nec eſt in potentia ad recipiendum id, quod non habet. Nam cum id, quod cuique aduenit illud perficiat, ſi quidquam Deo veniſſe poſſibile foret, ad quod ipſe in potentia exiſteret, cum ei adueniret, eum perficeret, quòd deitati repugnat. Non enim

Qđ Chriſtus, vt Deus erat, nullũ motũ habuerit.

Quòd totum eſſe ſuum ſimul hēt.

F eſſet ſummè perfecta, aut plena perfectio, cum ei quid deficeret, quod adhuc deſiderari, & recipi poſſet: Deo ergo impoſſibile eſt, vt quidquam recipiat, quod non habet. Item, ſi Deus in potentia ad aliquam ſuſcipiendam perfectionem foret, quis ei illam tribueret, reperiri quidem impoſſibile eſſet; nam qui alteri perfectionem tribuit, perfectior illo eſt, qui recipit perfectionem, quo pacto, qui Deum perficeret Deo proculdubio perfectior foret, quod nec intelligi, nec fingi quidem poteſt. Identidem, ſi Deum moueri fateamur, eũ ab altero moueri neceſſe eſt: nam omne quod mouetur ab altero mouetur, iuxta Ariſt. traditionem in 5. & 6. & princio. ſeptimi Phyſicorum: a nemine tamen Deus mouetur: Nullatenus ergo Deus moueri poteſt. Huius inductionis minor apparet: mouens namque agens eſt, quod autem mouetur, eſt patiens: agens autem ſemper eſt præſtantius patiente, quo pacto aliquid Deo perfectius foret; hoc autem manifeſta falſitate patet; Deus ergo à nullo moueri poteſt. Item ſi Deus ſuſceptiuus foret alicuius perfectionis, quam nondum haberet, non eſſet vſquequaque felix: Deus tamen perfectè beatus eſt; ad nihil ergo in potentia eſt, quod nõdum habeat. Huius inductionis maior patet: quoniam ſi Deus alicuius perfectionis ſuſceptiuus exiſteret, ꝙ nondum haberet in ſe omnia bona, nondum haberet beatitudinem, tamen ſtatum omnium bonorum aggregatione perfectum diffiniunt, vnde cum quid abeſt, quod bonum, atque expetibile ſit, plenum eſſe impoſſibile eſt: quoniam extra aliquid relinquitur, quòd exoptetur: nihil ergo recipere põt, quod non habeat. Idem patet Malach. cap. 3. cum ait: ego Dominus, & non mutor: vbi de nullo ſpeciali motu ſermo fit: ſed omnis motus tollitur, quoniam vno conceſſo omnes poſſibiles forent: Deus ergo moueri nequit.

Quòd in Chriſto, vt Deo non potuerit eſſe aliqua ſpecies motus. Cap. LI.

SIcut aliqualiter in vniuerſali deductum eſt Deum immobilem fore: ita quoque indici perfacilè eſt, applicando ad quamlibet ſpeciem motus. Primam motus ſpeciem largè ſumentes, generationem eſſe diximus, vt apparet in quinto Phyſicorum, ſecundum quam aliquod de non ente ad eſſe perducitur. Hanc autem in Deo impoſſibile eſſe liquet, ſcilicet, quòd I Deus, aut diuina eſſentia generetur, vt in prioribus inductum eſt in expoſitione tertij figurati Paradoxi ſuper particulam, qui non patiebatur. Aliquis autem in hoc fortaſſis arguet, quòd cum quælibet perſonarum Deus ſit, eique omnes diuinæ eſſentiæ competãt proprietates, & diuina eſſentia gigni nequeat, diuinarum quoque perſonarum quælibet ingenerabilis erit, aut ſi aliquam diuinarum perſonarum genitam conceſſerimus, diuinam quoque eſſentiam gigni potuiſſe neceſſe eſt, fateamur. Huic reſpondendum eſt, quòd diuinam eſſentiam genitam fore confiteri, plurima includit abſurda, quæ in ſuperioribus ex parte enucleata ſunt: ſi tamen vnam de diuinis perſonis genitam fore fateamur, inconueniens nullum eſt, vt in eiſdem extitit declaratum. Sed adhuc quiſquam obijciet, K quòd ſicut generatio motus, vel quaſi motus eſt, eique correſpondeat alius motus, aut quaſi motus contradictorius, qui corruptio dicitur, omnia quoque, quæ gignuntur corruptibilia ſint iuxta Ariſtotel. poſitionem primo de cælo, & mundo, omni quoque de natura loquentium, oportet, vt ſi diuinarum perſonarum aliquam genitam fateamur, eam quoque corruptibilem eſſe neceſſe erit. Quod diuinæ perſonæ repugnat, potiſsime quoniam deſinere eſſe nequit. Huic reſpondendum eſt, quod generatio ſecundum nominis ſignificationem dicit recipere eſſe, & in hoc dumtaxat in Deo, atque in creaturis generatio reperitur. Deũ autem non ſimpliciter appello, ſed notionaturaliter pro aliqua diuinarum perſonarum: filius namque, qui eſt ſecunda in trinitate perſona, a patre eſſe recipit,

pit, quia prima in perſonis eſt, vnde patrem dicimus in diuinis filium generaſſe: hoc modo identidem in creaturis generationem eſſe perſpicuum eſt. Nam vnũ creatum ab altero eſſe recipit: hoc modo, ſcilicet, communiter ſumpta generatio corruptioni non opponitur: nec omni generationi reperitur aliqua corruptio repugnans, eritque ſine corruptione generatio: immo impoſſibile eſt hoc modo generationem aliquam ſuſcipere contrarietatem, quia ſolum dicit eſſe ſuſceptum. Et ſicut ſubſtantia non recipit contrarium (nihil ei namque contrarium eſt) conformiter generationi, quæ ſolam ſubſtantiam ab alio procedentem, aut eſſe ſuſceptum fore dicit, contrarium vllum eſſe poterit. Eſt autem quædam generatio in creaturis, quæ conſequitur earum modum, habens quandam annexam imperfectionem, quæ de ratione generationis non eſt, ſed, quia creata imperfecta ſunt, in generatione ſua illam habent imperfectionem. Si autem illa imperfectio generationem ſecundum ſe conſequeretur, cum in perſonis diuinis generatio proprijſſimè reperiatur, eas quoque iſta imperfectio conſequens foret: ſed hæc imperfectio, quæ in generatione creaturarum euenit, conditionem rei gignentis, & genitæ ſequetur, & non ipſam generationem.

Quæ reperiãtur in rebus generatis ſecundum conditionem geniti, & gignentis. Cap. LII.

SVnt autem in generatione creatarum rerum conſequentes imperfectiones quædam conditione geniti, & gignentis. Quarum altera eſt, quòd id quod gignitur, aliquo modo eſſe habet, aliquo modo autem illud non habet, nec eſt aliqua creatura per generationem producta, in qua hoc non ſit: ſemper namque res genita poſt generantem in creaturis eſt. Hoc autem in generatione diuinarum perſonarum eſſe nequit: nam, quamquam vna perſonarum genita ſit, illa tamen eſſe non incipit, ſed ab æterno fuit nullo ei eſſendi dato initio. Identidem & generatio ſecundum quam diuina perſona gignitur, non cepit eſſe, ſed ipſa perſonæ genitæ coæterna eſt, & manens. Eſt autem præter hoc alia in generatione creaturarum conditio, quòd genitum poſt generans ſit: ſed hoc quoque in generatione diuinæ perſonæ eſſe diffitemur, nam pater, qui prima in Trinitate perſona eſt, filium, quæ ſecunda in eadem beata Trinitate perſona eſt, gignit: ſed patrem præcedere filium non confitemur: ſed pater, & filius ab æternitate æquales, atq; per hoc coæterni, quamquam nõ propriè coæterni, ſed magis vnũ æternũ, aut Deus æternus. Alia aũt eſt rerum creatarum genitarum conditio: ꝙ ſubſtantia rei genitæ non eſt ſubſtantia rei gignentis, nec reperiri vllatenus valet, ꝙ eadem numero geniti, & gignentis ſubſtantia fuerit. Hoc quoq; à diuinæ perſonæ generatione abeſt; pater namque filium gignit, ſed patris, & filij eadem indiuidualis ſubſtantia, atq; numero eſſentia eſt. Spiritus quoq; paraclitus, qui eſt tertia in benedicta Trinitate perſona, eadem cum eis indiuidualis ſubſtantia, vel natura eſt. Amplius aũt in creaturis ſemper gignens, & genitum ſunt duo indiuidua ſubſtantialia diſtincta. In diuinis autẽ perſonis ècontratio patet; omnes equidem tres diuinæ perſonæ vnum indiuiduum ſubſtantiale naturæ diuinæ ſunt, aut potius ipſa natura. Alia quoque in rebus creatis genita conditio eſt: genitum namque neceſſariò corruptibile eſt, vt habetur in primo de cælo, & mundo: in diuina aũt perſona genita generatio quidem eſt, corruptio autẽ impoſſibilis eſt. Huius cauſa eſt: nam corrumpi non conſequitur eſſe receptum, quod dumtaxat generationis ſimpliciter ſumptæ appellatione importatur, ſed conſequitur conditionem creaturæ genitæ. nam creatum genitum ex materia, & forma compoſitionẽ habet, materia aũt immediate habet in ſe varias mixtiones: vnde in ea neceſſariò corruptio inducetur: non quidẽ, quia eſſe ſuſceptum eſt: ſed quia eſſe ꝙ ſuſceptum eſt, debile eſt, non potens ſe in ſui ipſius virtute perpetuare. Si tñ ad eſſe receptũ corruptio neceſſariò ſequeretur, in diuina perſona genita corruptio eſſet aliqñ: quoniam ipſa vera generatione ſubſiſtens eſſe recepit. Hoc autem falſum eſt; nam corruptio ſequitur, quia corruptibile ens debile eſt, in ſe non permanens; & ad non poſſe ſemper ſubſiſtere, aut ſe ſemper conſeruare corruptio conſequitur neceſſariò. In perſonis aũt diuinis hoc non contingit, qm̃ eſſe, quod pater in diuinis filio per gñationem communicat, firmum, & perfectiſſimum eſt, nullam habens pmixtionẽ, nec naturalem cõpoſitionẽ: ſed eſſe ſimpliciſſimum, atque perfectiſſimum eſt; repugnat ergo corruptibile tale quid fore: nihil. n. dici, nec fingi quidem poterit; vnde talis deficiendi, aut corruptionis vlla inſurgat occaſio.

De quadam generationis rerum creatarum conditione. Cap. LIII.

EST autem alia generationis creatarum rerum conditio: nam quamquam gñatio nulla cum ſucceſſione temporali fiat, neceſſe eſt tamen, vt aliqua fiat generatio, aliquas præcedere qualitatũ alterationes. Hoc autem in diuina perſona genita reperiri nequit; nam, vt ipſa gigneretur nulla pcedens alteratio hoc efficit. Nã, ſi alteratio ad diuinæ perſonæ generationem præceſſiſſet, neceſſe eſſet, vt aliquo tempore alteratio foret, in quo nondum ſecunda perſona diuina genita foret: quo inferretur, vt omnes diuinæ perſonæ coæternę non forent, & ſic vna pfectior alijs foret, & tunc quoq; ſequeretur eam, quæ alijs imperfectior Deũ eſſe non poſſe. Amplius aũt, ſi ad diuinæ perſonæ ſecundæ generationem vlla alteratio præceſſiſſet, neceſſe eſſet, in Deo fuiſſe motum, alteratio quippe de quatuor motibus propriè dictis eſt, de quibus Ariſtoteles in quinto Phyſicorum; à Deo tñ omnẽ motum fore excluſum probatum eſt. Cauſa aũt neceſſitatis præuiæ alterationis in generatione rerum creatarum eſt ex conditione rerum genitarum: & hæc eſt, qua res genita formã recipit, quæ ei eſſe dat, aut potius materia formam ſuſcipit. Omnes aũt formæ ſubſtantiales præexigunt, vt diſpoſitiones in materia recipiantur, ſine quibus impoſſibile eſt has exiſtere formas. Oportet igitur primo, vt ante generationem iſtæ diſpoſitiones cauſentur. Et, qm̃ impoſſibile eſt has diſpoſitiones, non præcedentibus alterationibus cauſari, quoniã gradualiter conſtãt: gradus autẽ ſucceſſionẽ requirunt, ita vt in acquiſitione rei ſucceſſio ſit, ſicut gradualis ſucceſſio in acquiſita re conſtat; neceſſe eſt igitur, vt in qualibet creaturæ alicuius generatione, alterationes generationem antecedãt. In genratione autem diuinæ perſonæ, non ſolum diſpoſitiones iſtæ non præcedunt, ſed & præcedere impoſſibile eſt: ibi ſiquidem nulla ſubſtantialis forma gignitur in materia, quæ diſpoſitiones præexigat in ea ad cauſare, & permanere, ad quas neceſſe ſunt alterationes præuiæ. Generatio quippe diuina materiam, & formam non habet, ſicut naturales generationes, ſed perſonam genitam, quæ horum nihil expetit.

De alia generationis rerum cauſatarum conditione. Cap. LIIII.

GEnerationis quoque rerum creatarum alia adhuc conditio eſt, ſ. ꝙ ibi aliquid dans eſſe ſit, & alterutrum eſſe ſuſcipiens; materia namq; eſſe recipit, forma aũt illud tribuit; qm̃ materia nõ habet aliquod eſſe determinatum alicuius ſpeciei: forma aũt, quia eſt actus, determinat illam ad ſpeciem dãdo ei, ꝙ ſit pars ſubſtantiæ alicuius ſpeciei. In diuina aũt generatione nihil eſt, quod hoc mõ eſſe tribuat, nec quod eſſe tale ſuſcipiat, ſed eſt aliud, quod verè ſubſiſtit; nam in diuina generatione eſt perſona genita, hæc aũt nec materia, nec forma eſt ſed ſubſtantia ſimplex. Cauſa aũt diuerſitatis quãtum ad hoc in generatione diuina, & rerum creatarum eſt: qm̃ creata perfectum abſolutum-

que

Quò differat generatio, quæ eſt i diuinis à generatiõe, quæ eſt i creaturis.

In generatione filij defuit diſpoſitio pcedens.

que eſſe non habent: ideo compoſitio quædam in eis eſt,& mixtio. In compoſitione autem aliqua pars eſt, quæ ad eſſe magis pertinet, ſcilicet forma,& hæc eſſe tribuat, altera autem eſt, quæ ad eſſe non ita directè, & perfectè pertinet: hanc autem materiam appellamus. In Deo autem eſſe purius, atque perfectius, quam in aliqua re ſit, aut excogitari poſſit, ſecundum communem omnium conceptionem,& neceſſitatem principij naturæ eſſe dicimus, quoniã dux, & cauſa prima eſt: ideo in eo nulla pars eſt, quæ eſſe det, & forma appelletur: nec particula eſſe recipiens, quam materiam cognominare neceſſe ſit: ſed totum eſſe ſuũ ſimplex, & vnicum eſt. Vnde nec materia, nec forma in Deo ponenda eſt: ſed purum eſſe. Alias autem poterimus ſpeculantes reperire conditiones in rerum creatarum gñatione, q̃ in diuina generatione nõ ſunt. Hoc aũt eſt, quia cõditiones illę generationẽ ſm̃ ſe nõ conſequũtur, ſed rem genitam,& gignentem. Vnde ſecundum maiorem, aut minorem genitorum, & generantium perfectionẽ generationis perfectiores conditiones erunt. Eſſentiale tamen, quod ſecundũ ſe generatio importat, eſt, vt per illam aliquid eſſe ſimpliciter ſuſcipiat. Hoc autem in diuina generatione reperitur, & perfectius adhuc, quã in generatione rerum creatarum, cum per diuinam generationem aliquid perfectius ꝑducatur, quam per generationem omnium creaturarum ſimul ſumptarum, ſ. perſona ſecunda diuina genita. Ex prædictis ergo patet inconueniens nullum eſſe, ꝙ perſonã aliquam genitam confitemur: nam ex hoc non infertur eam aliquo modo corrumpendam. Si tamen generatio dicatur ſecundũ Ariſt. in 5. Phyſicorum progreſſus de non eſſe ad eſſe, ideſt quod ſubſtantia illa, quæ ante non fuerat, eſſe capiat, in diuinis reperiri illã impoſſibile erit; nã hoc modo, etſi generatio motus proprie dictus non ſit: eſt tñ quaſi motus, includit quoque enumeratas ſuperius ĩperfectiones, & alias, q̃ inquiri poſſent. Generatio igitur ſic ſũpta in ſubſtantia diuina, aut in aliqua diuinarum perſonarum impoſſibilis eſt.

Nullo modo corruptio diuinis aſcribenda eſt.
Cap. LV.

AMplius autem in ſubſtantia diuina, aut aliqua perſonarum diuinarũ, ſecũdus motus impropriè dictus, quem corruptionem appellamus, impoſſibilis eſt. Nam, ſi generatio in eis impoſſibilis eſt, corruptio quoque identidem erit, cum generabile,& corruptibile ſe conſequantur iuxta Ariſt. primo de cælo, & mundo. Et, quamquam diuinam eſſentiam, aut aliquã diuinarum perſonarum modo generationis creaturarum genitam minimè dicamus, facilius tamen concedimus diuinam eſſentiam, cum perſonis generationẽ huius eſſe ſortitas, quam eas corruptibiles fore: nulla quippe imperfectio maior, quàm corruptio eſt. Itẽ diuinam eſſentiam, aut perſonam corrumpi impoſſibile eſt, quoniam omnes gentes confitentur Deum maximè perfectum eſſe: corruptione verò imperfectio maior nulla eſt: Deum igitur incorruptibilem fore liquet. Item corruptio contrarietatis illatio quædam eſt: in Deo autem contrarietas nulla eſt, nec ei quidquam contrarium; incorruptibilis ergo eſt. Huius autem rationis maior eſt, Ariſt. quinto Phyſicorum: omnis enim actio ex contrarietate fit. Modus autem hic eſt: quædam enim naturalia ſunt, quæ in ſe contrarietatis extrema habẽt, ſicut compoſita,& mixta, hæc enim in ſe omnia contrarietatis extrema tenent, caliditatem, ſ. & humiditatem, frigiditatem,& ſiccitatem. In his aũt, quamquam ab extra nullum corruptiuum agens ſit, corruptio tamen aliquo modo neceſſariò inducetur, quia inteſtinum conflictantium qualitatum continuũ, atque inextinguibile bellum eſt, nunquam niſi alterius extremitatis corruptione finiendum. His autem in ſe agentibus, cum vna qualitas in aliam inualuerit, præter harmoniam complexionis rei, in qua ſunt extremitates contrarietatum corruptionem induci neceſ-

F ſe eſt. Sic aũt in hominibus,& cunctis perfectis animalibus, in quibus oẽs contrariæ qualitates ſunt, quia cõpoſita,& mixta ſunt mixtione perfecta,& hoc nõ æqualiter, ſed ſecũdum variam harmoniam complexionis ſpeciei cuiuslibet aĩalis. Et quoniã interdum proportionẽ earum, quam complexio animalis illius exigit, ſupergrediuntur: corruptionem ſequi neceſſe eſt. Vnde, quamquam nihil extrinſecum actiuum animalib. ad corruptionem aduerſaretur, neceſſe erat a ſe ipſis corrũpi, cum interius habeant ſufficientia corruptiua.

De mixtis nullam in ſe contrarietatem habentibus, ſed ab extrinſeco corrumpi poſſunt.
Cap. LVI.

G ALia autem ſunt, quæ intra ſe contrarietatem nullam habent, ſecundum quam corrumpi ab intrinſeco queant: habent tamen aliquas qualitates, quibus qualitates aliarum rerum repugnant: ab illis autẽ corrumpi poſſunt. Hæc autem ſunt, quæ compoſita ex materia, & forma conſtant: mixta tamen non ſunt, quæ mixta mixtionem perfectam non habent. Vocantur autem à Phyſicis compoſita,& non mixta, quia ex materia,& forma conſtant ampliorem in ſe diſtinctionem non habentes, ſecundum aliquas res diuerſarum naturarum,& denominationum. hæc autem ſunt dumtaxat quatuor corpora elementorum, nihilque alterum in hac ſphæra generabilium,& corruptibilium eſt, quod compoſitum quidem ſit, mixtionem autẽ nullam habeat. Hæc autem elementorum corpora ex materia,& forma conſtant: quoniam ſubſtantiæ ſimplices non ſunt, ſicut angelus, & Deus, vel anima. In his quoque qualitates ſunt qualitatibus aliorum repugnantes: nullum tamen in ſe qualitates contrarias habet, ſecundum quas ab intrinſeco corruptionem patiantur. Hoc in igne apparet, qui caliditatem, atq; ſiccitatem habet, quæ aliis duabus qualitatibus contrariantur, humiditati, ſ.& frigiditati: illæ tamen in igne nequaquam ſunt. Identidem autem in aere liquet: ipſe enim humiditatem, & caliditatẽm habet, quæ alijs duabus qualitatibus contrariæ ſunt, ſ. ſiccitati, & frigiditati, in aere tamen hæc non ſunt: Aer igitur in ſe contrarietatem nullam habet, De aqua idem dicendũ patet, quæ duas qualitates habet humorem, ſcilicet,& frigiditatem, quarum neutra alteri contraria eſt: ipſæ tamen duabus aliis repugnant caliditati ſcilicet, & ſiccitati, quæ in aqua non ſunt, ſed in alio elemento: In aqua ergo contrarietas intrinſeca nulla eſt. Nouiſſimè de terra idem diffiniendũ patet, habet. n. duas qualitates, frigiditatem,& ſiccitatem, quarum altera alteri non repugnat ſed duabus aliis, caliditati, ſ.& humiditati, quæ in terra nõ ſunt, ſed in alio reperiuntur elemento: in terra ergo contrarietas intrinſeca nulla eſt.

Nullũ elementũ hẽt contrarietatẽ intrinſecam.

Duæ concluſiones, quæ ex dictis eliciuntur.
Cap. LVII.

EX præmiſſis autem duæ eliciuntur concluſiones: prima ſit, quòd nullum elementum ſe ipſum corrumpere poſſit: ſicut animal poteſt corrumpi a ſe ipſo nullo agente exterius. Hoc inducitur, quoniam omnis actio in contrarietate fundatur, iuxta ſententiam Ariſto. 5. Phyſicorum, vt ſupra explanatum eſt in hoc figurato Paradoxo: nullum tamen elementum eſt, quòd intra ſe contrarietatem aliquam teneat, vt nunc proximè dictum eſt; nullum igitur erit elemẽtum, quod in ſe agere poſſit, aut ſe ipſum corrumpere. In animalibus autem è contrario accidit. Quodlibet namque animatum in ſe contrarietatem habet, vt nunc inducebatur, cum in eodem ſint quatuor qualitates actiuæ, & paſſiuæ: hæc autem principia ſunt omnis actionis, & paſſionis: animalia igitur in ſe ipſis tabefacta deficiẽt, & conſumentur etiam nullo extrinſeco agente corrũpente. Ex hoc quoque alia concluſio in corrolarij formam elicitur, ſcilicet, neceſſe eſt elementa durare in æternum,

Nullũ elemẽtum ab intrinſeco corrumpi põt.

æternum, niſi Deus illa miraculosè corrumpit: animalia autem neceſſariò peritura fore, niſi Deus illa, aut eorum aliquod miraculosè conſeruauerit. Nam elementa interius corruptiuum nullum habent, ſingula tamē animalia perfectā contrarietatem, & corruptionis principia intra ſe tenent. Cùm autem aliquid eſt, niſi aut à ſe, aut ab alio deſtruatur, permanere in æternum neceſſe eſt, quòd quidem de ſubſtantijs dixerim, quæ verū eſſe habent, accidentia autem etiā nullo agente ad ſubſtantiarum corruptionem finiri neceſſe erat. Secunda concluſio ſit, quod vnum elementum ab altero partim corrumpi queat, in totum autem corrumpi impoſſibile eſt, Hoc liquidò patet inductione. Nam, etſi elemēta intrinſecam contrarietatem non habent, vnum tamē alteri repugnat, quia habet contrarias qualitates qualitatibus alterius elementi: terra eſt ſicca, & frigida; aer autem humidus, & calidus eſt; vnum ergo in alterum agendo corrumpet; quoniam ſolida in eis contrarietas eſt. Ignis quoque eſt calidus, & ſiccus, aqua verò frigida, & humida: hæc autem perfectam habent oppoſitionem: vnde in alterutrum corruptiua ſunt.

Quædam attinentia ad eandem rem. Cap. LVIII.

AMplius aūt quodlibet elementū poteſt agere in cetera elementa: habet.n. vnū contrarietatē ad ſingula: ſunt quippe quatuor, & quodlibet ad cetera habet contrarietatē. Nam quodlibet elementū ad vnū de tribus ſolidā contrarietatē habet, ſ.in duabus qualitatib. Ad alia verò duo contrarietatē ſuperficialē habet. ſ.in vna qualitate: velut ignis calidus & ſiccus eſt, cōtrarietatē habens ad aerem ꝑ ſiccitatem aere calido, & humido exiſtente. Habet quoque ignis contrarietatem ad aquā: iſta verò ſolida eſt, qm̄ ignis calidus & ſiccus eſt, aqua autē frigida, & humida. Habet amplius ignis cōtrarietatē ad terram, cū calidus, & ſiccus ſit, terra verò ſicca, & frigida, & hæc ſuperficialis cōtrarietas eſt ſcilicet in vna dumtaxat qualitate. Amplius autem aeris elementum ad cætera elementa contrarietatem habet: ad ignem quippe contrarietatem patitur: quoniam aer calidus, & humidus eſt, ignis autem caliditatem, & ſiccitatem habet, quæ non eſt contrarietas ſolida, ſed ſuperficialis, quia in vnica qualitate eſt. Ad aquā quoque aer contrarietatem habet, quę plana eſt, ſiue ſuperficialis: quoniam aer calidus, & humidus eſt, aqua verò frigida, & humida: ad terram identidem contrarietatis habet oppoſitionem, hæc autem ſolida contrarietas eſt: quia aer calidus, & humidus eſt, terra autem frigida, & ſicca. Aqua autem, ſicut cetera, ad tria elementa contrarietatem habet. Ad ignem primò, quæ ſolida contrarietas eſt, quia in duabus qualitatibus opponūtur: aqua frigida, & humida exiſtēs, ignis verò calidus, & ſiccus eſt. Habet quoque ad aerem contrarietatem, quia aer calidus, & humidus eſt, aqua verò frigida, & hæc eſt ſuperficialis contrarietas in vnica qualitate. Terræ quoque opponitur contrarietate ſuperficiali, qa aqua frigida, & humida, terra autem frigida, & ſicca eſt. Terra quoque ad tria elementa contrarietatem habet: igni namque ſuperficiali contrarietate opponitur in vnica qualitate; Ignis enim calidus, & ſiccus, terra verò frigida, & ſicca eſt: ad aerem autem plenam habet contrarietatem, ſiue ſolidam, quia terra frigida, & ſicca: aer autem calidus, & humidus eſt. Ad aquam quoque quandam habet oppoſitionem ſuperficialem in vnica qualitate, quia terra frigida, & ſicca: aqua autem humida, & frigida eſt. Omnia igitur elementa inter ſe contrarietatem habent, ſcilicet vnum ad vnum, & vnum ad ſingula tria; &, quoniam ex contrarietate actio, atque corruptio ſequitur, neceſſe eſt, vt vnum elementum, in alterum agens, illud aliqua ex parte corrumpere poſſit.

Cōtrarietas elemētorū adinuicē ſolida, & ſuperficialis.

Non æqualis actio corruptiua eſt in omnibus elementis. Cap. LIX.

COnceſſa autem contrarietate inter omnia elementa, & potentia corrumpendi ex aliqua parte, non

A æqualis eſt concedenda in omnibus actio ad corruptionem; nam actio ex contrarietate eſt: contrarietas autem inter elementa omnia adinuicem æqua non eſt: actionem ergo corruptiuam omnium inter ſe corruptiuam æqualiter eſſe impoſſibile eſt. Magis enim ignis aget corrumpendo in aquam quam in aerem vel in terram, quia magis opponuntur: magis quoque corrumpendo aer in terram aget, quàm in ignem, & aquam, niſi in hoc obſtiterit terræ firmitas, atque duricies, quā ab omni agente corruptiuo ſe defendit. Duricies namque, & ſoliditas qualitates ſunt, quæ vocantur naturales potentiæ, quibus dura & ſolida, ne faciliter patiantur, agenti repugnant, vt ait Ariſt. in prædicamentis: aqua quoque magis igni obuiabit, quàm aeri, & terræ: terra identidem abundantius corrumpendo aget in aerem, quàm B in aquam, & ignem.

Nullum elementum, aliud penitus corrumpere poteſt. Cap. LX.

QVamquam autem iſta elementa ex contrarietate in alterutrum agentia mutuo ſe corrumpant, ſe tamen totaliter corrumpere impoſſibile eſt. Nam, etſi valde aqua in ignem egerit, nequaquam valebit totius mundi ignem extinguere: verſa vice ignis in aquam agens totam aquam vniuerſi conſumere, atque exſiccare nequibit. Terra quoque etſi exactiſſimè in aerem egerit, illum penitus corrumpere non valebit: aer quoque, quantumcumque in terram egerit, identidem terram omnino non conſumet. Cùm igitur vnum elementum C in alterum corruptiua actione agit, non illud penitus, ſed ex parte conſumit. Cauſa autem horum multiplex eſt, prima accipitur ex parte Dei iſta ordinantis, & intendentis; voluit namque Deus, vt elementa eſſent de partibus principaliſſimis vniuerſi: volebat quoque, vt iſte mundus ab eo conditus non corrumperetur, qui pulcher valde, atque admirandus erat, atque diuinæ magnitudinis, bonitatis, & ſapientiæ veſtigium quoddam eſt. Si autem ſic Deus elementa diſpoſuiſſet, vt eorum alterum cetera corrumpere poſſet, aut vnum ſaltem corrumperetur, perirent partes principales vniuerſi, aut ſaltem aliqua de eis, & conſequenter mundus ipſe periret, qui in partibus ſuis principalibus conſtat, quod contra Dei intentionem erat. Hoc modo igitur elementa ordinanda D erant, vt nullum alterum totaliter corrumpere poſſet. Altera huius cauſa aſſumitur ex conditione ipſorum elemētorum: quod dupliciter patet, primò quidē elementa abinuicem corrumpi non poſſunt, ita vt vnū ab altero totaliter corrumpatur propter magnitudinē, & profunditatem ipſorum. Si enim elementa paruæ magnitudinis forent, cùm vnum ſuper alterum præualeret agere incipiens cōſumendo, tamdiu agere poſſet, quamdiu totum conſumpſiſſet. Quia tamen magnitudo cuiuſlibet eorum admiranda eſt, quamquam pars cuiuſlibet eorum deſtrui poſſit, tota tamen cuiuſlibet elementi moles deſtrui nunquam poteſt: ita, vt quantumcumque de quolibet elemento corrumpatur, ſemper maior pars inconſumpta maneat. Poſtea verò elementum E illud agens in alterum, conuertit ſe in priſtinam magnitudinem, agens & ſumens ex alio partem materiæ, quæ prius ex eo ſumpta fuerat reſoluendo illud in aliud elementum. Hoc pacto inter elementa continuum bellum, atque inexorabile, & immortale eſt, quòd nunquam pace finietur concordantibus ipſis in vnum, quoniam natura ad hoc obſtat, nec alterius eorum interitu deſinet vnquam bellum.

Cuiuſlibet elemēti admiranda eſt magnitudo.

Alia ratio incorruptibilitatis in elementis. Cap. LXI.

ALia autem incorruptibilitatis ratio in elementis eſt ex parte conditionis elementorum. Sic enim elementa originari potuiſſent, vt ab inuicem corrumperentur: ſed modus iſte habitudinis eis non conſtat,

Ideo eis corruptio omnimoda induci non poteſt: nunquam ergo aut omnia penitus, aut aliquod eorum prorſus corrumpetur. Hoc autem patet, quia elementa inuicem contrarietatem habent, & reciprocè agere in alterutrum debent, atque quantum agendi exceſſus in alterutris exigit, tantum ſe corrumpunt. Magis tamen inuicem ſe corrumpunt elementa habentia ſolidam cõtrarietatem, quàm ea, quæ ſolũ in vna qualitate ſuſcipiũt oppoſitionem. Vnde, ſi elementa ſolidam habentia contrarietatem ſimul poſita forent, neceſſe eſſet, vt ſe penitus alterando corrumperent; quia nullum mediũ ſymbolum habent, id eſt nullam mediam qualitatem ſimilem, in qua conueniant. Sed nec talis eis ordinis ſitus datus eſt, quoniam ea, quæ ſolidam contrarietatem non habent, ſed ſuperficialem, ſcilicet in altera qualitate dumtaxat, ſimul locata ſunt: quæ vero ſolidam habent oppoſitionem non ſe contingunt immediatè, ſed per alia media elementa: quoniam, quæ nõ habent ſolidam contrarietatem, aliquod ſymbolum habent, in quo conueniant, ſ. aliquam mediam qualitatem. Ignis, & aqua ſolidam oppoſitionẽ habent, quia ignis eſt calidus, & ſiccus; aqua autem humida, & frigida eſt; ſimul ergo locata non ſunt. Aer quoque, & terra ſolidæ contrarietatis habẽt habitudinem; quia aer humidus, & calidus, terra autem frigida, & ſicca eſt; ſimul ergo locata non fuerunt, ſed inter ignem, & aquam aer mediat, tollens ſolidam oppoſitionem. Inter aerem, & terram aqua mediat faciens non eſſe ſolidam contrarietatem. Vnde inter omnia elementa, terra tanquam omnium elementorum centrum poſita eſt: apud ipſam vero aqua ſita eſt, quoniam iſta duo elementa tãtam ſimilitudinem, ſicut contrarietatem habent. Terra quippe frigida, & ſicca eſt; aqua autem frigida, & humida. Terra ergo, & aqua non habent ſolidam contrarietatem: ſed oppoſitionem ſuſcipiunt quantum ad humiditatem. Habent autem inter ſe ſimilitudinem, & non ſe corrumpunt propter frigiditatem, quæ in ambobus elementis eſt. Aqua autem, & aer ſolidè non opponuntur, ſed in altera qualitatum: ſimul ergo poſita ſunt, vt ſic ſe non corrumperẽt. Nam tantum aquæ aeri ſimilatur, quantum repugnat: vnde, in quantum opponuntur, ſe corrumpunt, in quantum vero ſimilia ſunt, ſe conſeruant. Non magis ergo ſe oppugnabunt, quàm conſeruabunt. Quod patet, quia aqua eſt frigida & humida, aer verò eſt calidus, & humidus, quantum ad humiditatẽ ſimiles ſunt: quantum autem ad frigiditatẽ aquæ, & calorẽ aeris ſe oppugnãt. Apud aerem vltimo loco ignis poſitus eſt: hæc autem ſe penitus corrumpere nequeunt. Tantum enim ſibi repugnant, quantum ſe conſeruant. Nam ignis calidus, & ſiccus eſt: aer autem humidus, & calidus: quãtum enim ad ſimilitudinem caliditatis, ſe conſeruant, quantum vero ad diſsimilitudinem ſicci & humidi ſe oppugnãt; non poterunt ergo ſe totaliter corrumpere. Quamquam inter elementa ſunt quædam, quę alia penitus corrumpere poſſent: & ſic omnia prorſus interirent: ſitus tamen abſtulit iſtam corruptionem, in quo infinita diuinæ magnitudinis lucet ſapientia, vt ſic elementa locaret, vt ea, quæ alias locata ſe penitus corrumperent, ſic locata ſe totaliter corrumpere impoſſibile eſſet.

Prout elementorum pondera exigebant, ſic ipſis ſunt loca diſtributa. Cap. LXII.

AMplius autem ad hanc omnimodæ corruptionis deuitationẽ multum conferunt naturalia elementorum ſingulorum loca, & pondera rectè diſtributa: nã ſecundũ pondera ſibi naturaliter tradita, tenẽt ſua loca naturaliter conuenientia, non potentia ab alio eleuari, vel deprimi. Terra enim inter omnia entia maximam obtinuit grauitatem: ideo in diſtinctione naturalium locorum vltimum poſſedit locum: vnde in centro rerũ, & circa centrum locum accepit. Aqua verò naturalem accepit grauitatem terræ propinquam, ſed minorem quidem: vnde non accepit locum ita humilem ſicut terra, ſed ei coniunctum, eamque circundantem. Aeri F autem grauitas data non eſt, ſed leuitas: non eſt tamen maxima leuitas, quæ in omnibus corporibus eſſe poſſit; accepit ergo ſublimem locum, nec tamen altiſſimum locum inter omnia elementa, ſed mediocrem ſuper aqua. Ignis autem ſicut inter omnia elementalia corpora maximam leuitatem aſſumpſit, ita altiſſimus ei locus datus eſt. Nam ſphæra ſua orbi lunæ coniuncta in parte ſua ſuperiori eſt. Vltra hunc autem nullum elementum, aut elementale corpus eſt, ſed ipſa cæleſtia corpora. His autem in iſta rerum machina ſic locatis, vnum elementum nequit alterius elementi locum naturalem vſurpare: nam ad hoc, vt vnum elementum alterius teneat locum, oportet, vt teneat determinatam grauitatem, aut leuitatem, quam exigit locus illius elementi: ſed vnum elementum nequit alterius elementi G grauitatem, aut leuitatem habere, nec igitur locum poterit vllatenus vſurpare. Hoc pacto terra eſſe nequit in ſphæra ignis, vel aeris, quoniam ſphæra ignis, vel aeris eſt locus leuium corporum, terra autem nullam leuitatem, ſed grauitatem ſummam habet. Sic quoque aqua in ſphæra aeris, vel ignis eſſe non valet: nam iſtæ duæ ſphæræ leuitatem aliquam requirunt, aqua autem leuitatem nullam habet. Identidem aer locum aquæ, & terræ poſſidere nequit: quoniam aqua, & terra graues ſunt, & loca earum ſunt loca exigentia grauitatem, aer autem leuis eſt. Aer quoque poſſidere non poteſt ſphæram ignis; nam, etſi aer ſubtilis ſit: tamen ſphæra ignis exigit corpus maximè leue, quia eſt locus maximè leuis: aer autem, etſi leuis ſit, extremam leuitatem non habet. Hæc autem ſecundum propria pondera ſingulo- H rum elementorum dixerim. Aliquando tamen propter deſiderium replendi vacuum, ut non detur diſcontinuatio in vniuerſo, vnum elementum occupat partem loci alterius. Ignis autem in loco aquæ, atque terræ eſſe nequit: quia iſta ſunt loca corporum grauium, ignis autem inter omnia elementata, & elementa leuiſſimus eſt. Identidem ignis ſphæram aeris occupare nequit: quia, quamquam aer corpus leue ſit, & locus eius ſit locus corporum leuium: nõ eſt tamen locus maximæ leuitatis, quam requirit ignis in loco, cum ſit leuiſſimus in corporibus, altiorem igitur exigit locum quàm ſit ſphæra aeris.

I

Quomodo ſitus tollat corruptionem omnimodam in elementis penitus contrarijs. Cap. LXIII.

HIc autem, quem deſcripſimus, eſt naturalis elementorum ſitus ſecundum loca, & pondera naturalia: quo poſito, quamquam aqua ignem penitus corrumpere appetat, nequibit tamen repugnante ei natura grauitatis: non enim valebit aſcendere ad locum ſphærę ignis, in qua eſt maxima leuitas, cum aqua grauis ſit. E contrario autem ſi ignis habens ſolidam contrarietatem cum aqua, eam penitus corrumpere velit, non poterit, obſtante ei naturali maxima leuitate: nam ſi velit aqua ad locum ſphæræ ignis aſcendere, nequibit ad corrumpendum totaliter ignem, obſtante ei grauitate naturali. Ita ignis ad aquam conſumendam K deſcendere nequit, obſtante naturali leuitate repugnante loco aquæ. Hoc pacto admirabilis, artificij Dei in ſituanda iſta machina elementorum, ſapientia patet, vt ea, quæ penitus viciſſim corrumpenda erant, nullum ſibi in alterutrum inferant nocumentum. Sicut enim duo capitales, atque ſæui hoſtes, qui ſpontaneam inuicem amplecterentur mortem, vt eam viciſſim infligerent, totumque populum ſuo fragore concuterent, ſi tamen diuerſis carceribus ſeiuncti teneantur, nihil ſibi nocebunt. Ita, & duo elementa ſolidam habentia oppoſitionem, ſe penitus mutuò confligentia lacerarent, atque deſtruerent, ſuaque corruptione totam vniuerſi fabricam diſturbarent, ſi coniunctura daretur locorum: locorum tamen ſeiunctio hic immenſa remouit diſpendia. Sed hic in immenſum adhuc excellit admirandi Dei noſtri ſapiens potentia: quia,

Pulchra elementorum comparatio.

quia, quando duo capitales hoſtes, ne inuicem mortẽ incutiant, populumque ſuo commoueant impetu, diſtinctis carceribus detinentur inuiti detinentur, velletque, ſi libertas daretur, prodire in publicum, vt mutua bella gererent. Ignis tamen, & aqua, aer, & terra capitales, & ſolidas fouentes inimicitias, quia plenam contrarietatem habent, nec ſe tangere queunt diuerſis manẽtes locis, inuiti tamen non tenentur, ſed in locis ſuis naturalibus manent, quæ deſerere nequeunt, nec concupiſcunt: quin potius, etſi poſſibile foret extra loca illa manere elementa, extra tamẽ manere nollent. Hoc enim admirabile opus Dei eſt, ex infinita ſapientia, qua ſic conuenienter cuncta ordinata ſunt.

Quomodo naturalis ſitus tollat omnimodam ſymbolicis elementis corruptionem. Cap. LXIV.

AMplius autem hæc pondera, & leuitates elementorum, ſecundum quæ loca naturaliter ſibi determinant, non ſolum tollunt, vt elementa ſolidam continentia contrarietatem ad ſe accedere nequeant, ad ſe penitus corrumpendum depreſſis quibuſdam, & alijs eleuatis in ſublime: ſed adhuc magis hoc fit, ad tollendam corruptionem elementorum non habentium ſolidam contrarietatem, ſed ſibi quodammodo ſimilium, & quadam ex parte repugnantium, vt ſe inuicẽ penitus non corrumpant. Nam, quamquam elementa, quæ coniuncta locis ſunt, ſimilitudinem quandam inter ſe habeant, & contrarietatem: euenit tamen interdum, vt qualitas illa, in qua oppoſitionem ſuſcipiunt, ad tantum argumentum deueniat: vt penitus contraria eſſe videant hæc elementa nullo ſymbolo interiecto. Tunc quoque inter ſe ita ferox corruptiuum bellum gererẽt, ac ſi vnum cum altero ſolidam haberet contrarietatem, atque ſe penitus corrumperẽt, niſi ſedes naturales hoc tollerent ſecundum pondera, & leuitates. Quod euidenti comprobatur exemplo. Ignis calidus, & ſiccus eſt, aer autem humidus, & calidus: in calore ſimilitudinem habent, in humore, & ſiccitate repugnant: ideo, cùm ignis in calore, & ſiccitate nimis ſupercreuerit, aget in aerem, tanquam in totaliter contrarium. Identidem autem aer igni inimicatur in humiditate. cùm igitur aer in caliditate, & humiditate improportionabiliter exceſſerit, aget in ignem, tanquam eis ſolida conſtaret oppoſitio nullo ſymbolo interiecto. Aqua quoque aeri coniuncta ad aerem ſimilitudinem, & contrarietatem habet: in humiditate ſimilitudo eſt, in frigiditate autem diſſimilantur: ideo, cum aqua ſecundum frigiditatem ſupercreuerit, ita aeri obuiabit ad corruptionem, ac ſi nulla eis ineſſet concordia qualitatis. Sic quoque de ceteris elementis, & per contrarias habitudines. Contingit tamen, quod quædam elementales qualitates abundantius quodam tempore fortificentur, quàm alio, & quędam elementa alijs magis, quodam tempore, quàm alijs aduerſentur. Si igitur ſedes non diſturbarẽt actiones qualitatum contrariarum, in illis temporibus elementa ſe penitus confeciſſent. Si enim elementa ſuper ſe aliquam influentiam non reciperent, in ſe has mutationum vices non haberent: tota tamen elementalis regio a corporibus cæleſtibus influentiam recipit. Inter hæc autẽ quædam caliditatem influunt, quædam verò humorẽ, quædã frigus, quædam ſiccitatẽ: & ſecundum hanc cæleſtium corporum influentiã fortificantur, aut debilitãtur magis, & minus elementales qualitates. Et, quia ſol totius caloris pater eſt in influendo, cùm verſus nos declinauerit tranſiens lineam æquinoctialẽ, & appropinquãs ad tropicũ Cancri, quæ eſt latitudo, vel declinatio ſeptentrionalis: quando nobis eſt ver, & æſtas, quia radij ſolis tunc potentiores ſunt, cum ſint directi aſcendentes ad perpendicularẽ: fortificatur, pars ſphæræ ignis, ꝗ eſt verſus nos contra partẽ ſeptentrionalẽ vltra æquinoctialẽ inter eam, & tropicum Cãcri, tũc ignis adiuctus à corporibus cęleſtibus agit in aerẽ

A potentiſſimè deſiccando, & poſſet illum conſumere penitus, niſi ad hoc naturales ſedes, & leuitates, atque pondera elementorum repugnarẽt. Nam, etſi ignis inclinetur ad deſtruendum aerem, cuperetque illum penitus abſumere, non poſſet tamen repugnante ſibi ſua leuitate. Oporteret namque, vt ad hoc, quòd ignis per totam ſphæram aeream deberet deſcendere eam prorſus occupando, atque coniungendo extremitatem ſuã extremitati aquæ, & terræ, quod impoſſibile videtur. Nam, ſicut aquæ repugnat aſcendere per totũ elementum aeris, vſque ad ſuperficiem concauã ſphęræ ignis: ita repugnat igni deſcẽdere per totam aeris ſphæram: ignis quippe locum maioris leuitatis naturaliter ſibi determinat, quàm ſit ſphæra aeris.

B *Quædam attinentia ad ſuperiora. Cap. LXV.*

COnſimiliter autem tempore contrario, quo ſol declinat ab ęquinoctiali verſus Capricornium, inter æquinoctialem, & tropicum Capricornij, quæ eſt declinatio meridiana, & incipit in medio quaſi mẽſis Septembris: & vocatur tempus iſtud autumnus: & tempore, quo ſol redit à capite Capricornij ad æquinoctialem, quod incipit in medio menſis Decembris, vſq; ad medium Martij, & vocatur hyems, ſol à nobis valde recedit, & cauſatur magna frigiditas, & humiditas in terra noſtræ habitationis, quæ eſt verſùs polum ãrcticum, ſiue ſeptentrionalem incipiendo à linea æquinoctiali. In hoc autem tempore humiditas aeris vigoratur, & agere poteſt in ignem, ita vt illum penitus deC
ſtruere poſſet, niſi loca naturalia elemẽtorum hoc impedirent. Aer namque aſcẽdere nequit ad totam ignis ſphæram: quoniam, etſi aer leuitatem habeat, maior tamen eſt igneæ ſphæræ leuitas, quàm ſit leuitas, quã exigit aereũ corpus: nequibit ergo per totã ignis ſphęram aer conſcendere, nec illum penitus oppugnando deſtruere. Identidem autem in hoc tempore, ſcilicet autumno, & hyeme aquæ frigiditas vigoratur, ſecundum quàm in aerem ſibi coniunctum ad corrumpendum agere poſſet: ac ſi ſolidam oppoſitionẽ haberent, ageretque aqua in aerem eum penitus corrumpendo, niſi ad hoc ſedes naturales, elementorũ obuiarent propter pondera, & leuitates. Aqua enim per totam aeris ſphæram conſcendere nequit, nam aerei corporis ſphęra leuitatem exigit in corpore, quod in ea locandũ eſt,

Aduerte ꝗ in contrarijs tẽporib. accidunt æſtas, hyẽs, ver, & autumnus in ſeptẽtrionali, & meridionali plaga.

D quod in aqua nequaquam eſt, cum ipſa grauis ſit: aſcẽdere ergo per totam aeris ſphęram nequit ad conſumendum penitus aeris elementum. Hæc autem, quæ accidunt in hac parte terræ habitabilis, in qua nos ſumus, inter æquinoctialem, & polum arcticum ſeptentrionalem, veniendo à linea æquinoctiali verſus tropicum cancri, accidunt in alia medietate mundi, quę eſt ab æquinoctiali linea, vſque ad polum antarcticũ, quæ eſt declinatio meridiana, & eſt in ea tropicus Capricorni, ſed contrarijs partibus accidit. Nam, quod apud nos accidit, cũ nobis ver, & æſtas eſt, accidit illis dum eſt nobis autumnus, & hyems: & quæ apud nos fiunt, cùm nobis autumnus, & hyems eſt, accidũt illis, quando nobis ver, & æſtas eſt. Cauſa huius notiſſima eſt. ſ. quia tanta eſt declinatio ſolis ab æquinoctiali contra
E caput Capricorni, ſiue tropicum, quæ eſt declinatio meridiana, ſiue auſtralis, quanta eſt declinatio ſolis à linea æquinoctiali verſus tropicum Cancri, quæ eſt ſeptẽtrionalis, & ſuper noſtrã habitabilẽ terrã, & eſt iſta declinatio, vel latitudo cõtra polũ arcticũ. Quod tamẽ nobis vno tempore accidit, eis alio contrario tempore fit: quia declinatio auſtralis, & ſeptẽtrionalis, ſecundũ quas cauſantur iſtæ diuerſitates, ſunt in tẽporibus contrarijs. De locis autẽ, & locationibus, actionibus, & corruptionibus, & naturalibus põderibus, & leuitatibus elementorũ ad determinationẽ locorũ, alijſque eorum proprietatib. plurimæ ſpeculationes altiſſimæ, & magni dulcoris, & in fundamentis naturę haberi poſſent: in quibus magna ex parte altiſſimi Dei ſapientia in horũ ordinatione proditur. de quibus nõ eſt nũ amplius

dilatare ſermonem, quoniam nimis diſgredi cogeremur. De his Boetius ſequens Platonicam poſitionem loquebatur in tertio de Côſolatione metro nono, quod incipit: O qui perpetua, &c.

Tu numeris elementa ligas, vt frigora flammis
Arida conueniant, liquidis ne purior ignis
Euolet, aut merſas deducant pondera terras.

Ideſt, Deus colligauit elementa inter ſe in proportionibus numeralibus, ſcilicet, quod inter duo elementa habentia contrarietatem ſolidam nô ſit vnio, niſi per duas medias qualitates alterius elementi, ſicut in numeris ſolidis, quos cubos Geometræ appellare conſueuimus, ſe habet arithmetice, vt inter duos cubos ſemper neceſſarium ſit reperiri duos numeros planos, qui ſe habeant in proportione continua cum duobus cubis. ſicut inter octo, & viginti & ſeptem, qui ſunt duo primi cubi, quorum primus ex binario, ſecundus ex ternario inſurgit. Duo quidem numeri plani reperiuntur continuo proportionales, ſcilicet duodecim, & decem & octo, qui ſe habent mutuo in proportione ſexquialtera. Et, ſicut in numeris planis, quos quadratos appellamus arithmetice, ſemper neceſſarium eſt inter duos quadratos proximos vnicum duntaxat reperiri proportionalem numerum: ita etiam & inter duo elementa habentia contrarietatem ſuperficialem, & non ſolidam, vnam qualitatem præciſe reperiri neceſſe eſt. De numeris patet, vt quaternario, & nouenario, qui primi numeri ſuperficiales, ſiue quadrati ſunt: quorum vnus ex binario, alter vero ex ternario inſurgit. Reperitur vnus numerus ſuperficialis, ſcilicet ſenarius, qui aſtis in proportionalitate continua ſe habet, ſcilicet in ſexquialtera. De elementis patet, quia primam oppoſitionem ſolidam, ſiue cubicam habent ignis, & aqua, aer, & terra; ideo inter duo qualibet horum intercidit vnum elementum, quod duas qualitates proportionales habet ad duo alia elementa ſolidam habentia côtrarietatem. In elemêtis habentibus proportionem ſuperficialium numerorum, ſcilicet quadratorum, quæ ſunt elementa coniuncta ſecundum ſitum ſolum, intercidit vnum medium proportionale, ſcilicet vna qualitas, & non aliquod elementum, vt inter aquam & terram, aerem & ignem. Nam inter aquam, & terram proportionalis eſt frigiditas, inter aerem, & ignem medium eſt caliditas: & iſta ſunt proportionalia in qualitate illa. Et hoc fit, vt frigora flammis conueniant, ideſt, vt elementa frigida & calida conueniant, ſcilicet aqua, & ignis, quæ habent contrarietatem ſolidam, & habêt medium elementum aeris, ne, ſi ſimul ponerentur, corrumperentur ab inuicem. Et hoc etiam fit, vt arida liquidis conueniant, ſcilicet terra quæ eſt ſicca conueniat aeri, qui eſt liquidus, ideſt humidus, ſcilicet quod, cum habeant ſolidam contrarietatem, ſe penitus non deſtruant obſiſtente ſitu. Et hoc etiam, ne purior ignis euolet, ſcilicet quantum ad leuitates, & pondera elementorum, ſcilicet quod iſta ſunt ordinata in proportione numerali: quoniam ſi ſi proportionis modum excedant, ignis factus purior, ideſt excedens proportionem maiorum in leuitate euolabit, dimittens contiguitatem ad alia elementa, & ſic manebit vniuerſum diſcontinuum. Vel pondera deducent terras merſas, ideſt magis mergerêtur terræ comprimendo ſe in ſe ipſis, & indurando præ nimia grauitate. Patet igitur quod elementa ſunt corpora compoſita, & non mixta: ideo, cum nullum eorum intra ſe contrarietatem ſolidam, aut qualemcûque habeat, nullum poterit corrumpi a ſe ipſo, habet tamen quodlibet eorum ad alterum contrarietatem: vnum igitur ab altero partim corrumpi poterit.

De corporibus compoſitis alterius conditionis quàm ſint elementa. Cap. LXVI.

IN ſuperioribus dictum eſt, elementa duntaxat corpora compoſita, & non mixta eſſe. quia autem compoſita, & mixta eſſe, quod quidem mixtum eſt in regione elementali generabilium & corruptibilium. Præter hæc tamen ſunt alia corpora non mixta alterius conditionis, quæ compoſita ſunt & non mixta. Hoc quidem tam de planetis, & fixis aſtris, quam de orbibus ipſis cœleſtibus intelligendum dixerim. hæc enim corpora compoſita ſunt, quoniam eorum nullum eſt, quod ſubſtantia ſimpliciter ſit: quia ſubſtantia ſimpliciter ſpiritus eſt. Item nullum horum materia, aut forma, quia nullum horum per ſe ſtare valet: ſed materia cum ſua forma, forma ſpiritualis ſit, veluti anima rationalis, quæ, cum forma humani corporis ſit, per ſe tamen ſtare poteſt. Quodlibet ergo horum cœleſtium corporum ex materia, & forma compoſitum eſt. Quamquam de materia cœleſtium corporum, an ſit eadem cum materia horum generabilium, & corruptibilium, apud philoſophantes dubium ſatis eſt: magis tamen rationi conſentaneum eſt cœleſtium, & elementalium corporum materiam eandem non eſſe, nec eaſdem habere conditiones. Et hoc autem corpora cœleſtia mixta, nullam habent contrarietatem: nullum quippe eorum in ſe qualitates habet, ſolidam contrarietatem, aut aliqualem efficientes, nec aliquod eorum qualitatem aliquam habet, quæ repugnet qualitati alterius corporis cœleſtis: hac enim conditione inter cœleſtibus corruptio aut in totum, aut in partem ſequeretur, quod falſum eſt. Alia autem, quæ ſunt compoſita, & mixta, ſunt mixtio tamen eorum parua eſt, quia paucam habent in ſe diuerſitatem, valde propinqua vel ſimilia & naturæ elementali, quæ compoſita duntaxat eſt, mixtum nequaquam. Sic eſt de lapidibus, & quibuſdam mineralibus, vnde, ſicut elementa in ſe ipſis non corrumpunt, ſed in alterutrum in ſe agunt, ita & hæc ſe ipſis nô deſtruunt. Si igitur aliquando corrumpuntur, ſe quidem non patiuntur, ſed ab extrinſeco corrumpentur, ideo, elementum terræ, quia compoſitum eſt, & non mixtum, perpetuum eſt, niſi ab aliquo agente extrinſeco corrumpatur, nam & lapides, & mixta quædam perpetuari poſſunt, niſi ab extrinſecis corrumpantur, & ſi mixta ſint, pleraque tamen mixtionis non ſunt. Sic quoque de auro, & argento, & ferro, & ſimilibus que dicendum eſt, quia imperfectam mixtionem habent. Hoc modo compoſita ſunt nullatenus mixta compoſita, & habentia mixtionem imperfectam in ſe contrarietatem intrinſecam non habent. Habentia autem contrarias qualitates ad alias res. Res autem mixtæ perfecta mixtione, atque compoſitæ, ſicut omnia animalia, & plantæ, quamquam plantæ infimum gradum perfectæ mixtionis habent, intra ſe contrarietatem habent. Ex hoc autem contrario inducitur, ſcilicet quod mixta perfecta mixtione ab intra ſe corrumpantur, etiam ſi nihil illis obſtiterit extrinſecum: compoſita autem, & nô mixta, aut mixta imperfecta mixtione ab intrinſeco corrumpi nequeunt, ſed, ſi in eis aliquo modo corruptio inducitur, neceſſe eſt, vt ab altero inducatur.

In Deo nulla eſt contrarietas. Cap. LXVII.

NVnc vero ad inceptam prius illationem redeamus, quam diu tandem ſpeculationis de habitudine elementorum aliquamdiu dilatati fuerimus. corruptio per contrarietatê fit, & in eo, quod côtrarietatem nullô habet, corruptio nequaquam fit. In Deo autem contrarietas nulla fit, ſicut igitur in eo corruptionê aliquam impoſſibile eſt. Quod autem in Deo côtrarietas nulla ſit, patet, ſi animaduertimus, quod duplici contrarietas, quæ ſolida tota eſt in corporibus, contrarietatem ſunt duæ qualitates, duplices, quæ mutuo oppoſitionem habeant: altera pars contrarietatis intra rô eſt, vna qualitas, quæ oppoſitionê habet ad aliâ qualitatê, quæ in aliqua alia re eſt. Secundus oppoſitionis côtrariæ modus conuenit compoſitis, & non mixtis, aut mixtis quidô imperfecta mixtione. Primus autem modus ſolus compoſitis, & perfecta mixtione commixtis pertinet. In Deo autem compoſitionis, aut mixtionis nullus modus eſt: nam quod mixtum, aut compoſitum

Corpora cœleſtia non ſunt mixta ſed côpoſita.

Nulla penitus contrarietas reperitur î corporibus cœleſtibus.

Duplex in aliquo eſt côtrarietas.

poſitum eſt, corpus eſt, aut corporeum: Deus autẽ nec A corpus, nec corporeum quidquam eſt. In eo igitur cõpoſito, aut mixtio nulla erit, & conſequẽter nulla corruptio. Si enim in corporibus cęleſtibus corruptio nulla eſt, ſicut omnes de natura loquentes atteſtantur, & ponit Ariſt. 2. de cęlo, & mundo, à fortiori de Deo dicetur, quòd incorruptibilis ſit, cum perfectior omnibus entibus ſit. Amplius autem Deus corruptionem ſuſcipere nequit, quia corruptio eſt paſſio: ipſa autẽ ab aliquo agente ſemper illata eſt: agens autem potentius eſt ſemper patiente: Deo tamẽ potentius nihil eſſe poteſt, nihil ergo in Deum agere valet, & conſequenter, nec corrumpi. Item in eo, quod corrumpitur, aliquid deſinit eſſe, & alterum permanet: in Deo autem non eſt aliquid, quod deſinere eſſe queat altero permanente, cũ totum eſſe ſuum vnum, & ſimplex, atque indiuiſibile B ſit: corrumpi ergo Deus nequit. Huius inductionis maior patet; nam, cum aliquid naturaliter corrumpitur, forma eius non manet, materia autem eſſe nunquã deſinit, cum ingenerabilis, & incorruptibilis ſit, vt inducit Ariſt. primo Phyſicorum. Forma autem, etſi interdũ permaneat, vt in forma humana, cum deficiente homine adhuc anima permaneat, dicendum eſt, quod ibi aliquid tollitur, ſcilicet vnio animæ, & corporis, & ipſũ compoſitum reſultans iam non eſt. Item illa corrumpi poſſunt, quæ eſſe ceperunt, & eſſe firmum non habent: Deus autem eſſe non cepit, quoniam ab æterno eſt, eſſe quoque ſuum perfectius omnibus rebus eſt: corrumpi ergo Deus nequit. Ex præmiſſis ergo illatum eſt, quod quemadmodum Deus genitus non eſt, ita & corrumpi nequit. Hi autem erant duo imperfecti motus. C

Quòd in augmentationem in Deo ſuſcipi impoſſibile eſt. Cap. LXVIII.

PErtranſitis igitur motibus impropriè dictis, de eis, qui motus propriè appellantur, dicendum eſt. In his autem primus eſt augmentatio, cum aliquid tendit a minori quantitate in maiorem, iuxta Ariſt. 5. Phyſicorum cap. 4. hunc autem motum in Deo ſuſcipi impoſſibile patet: nam augmẽtatio in corporeo eſt, Deus autem corporeum quid non eſt: augmentari ergo nequit. Item in augmentatione quantitas continua ſuſcipitur, ſed in Deo quantitatem continuam ſuſcipi impoſſibile eſt: augmentari ergo eum nullatenus eſſe poteſt, in Deo autem quantitatem continuam recipi non poſſe D patet, quia quantitas conditio corporis eſt. Deus autem nec corpus eſt, nec corpus habet. Item augmentatio fit per alimentum conuerſum in ſubſtãtiam animalis aliti ſcilicet in carnem, & ſanguinem per maiores partes quam ſuit deperditum: in Deo tamen hoc non eſt, quia non alitur, nec alimento eget: alimentum nãq; ad animatarum rerum ſeruationẽ eſt, quæ ſine alimento conſeruari non poterant: Deus tamen alimento non cõſeruatur, quia eſſe ſuum manẽs eſt, nec aliqua re indiget. Item, quod alitur, & nutrimẽtum recipit, habet ſtomachum, in quo cibus recipiatur, aut aliquid loco ſtomachi, ſcilicet aliquam cõcauitatem, qua recipiatur cibus digerendus: in Deo tamen nihil tale eſt, cum incorporeus ſit, non igitur alimento indiget, nec ſtomachũ habet. Item ſi Deus maiorem quantitatem ſuſciperet poſ- E ſet, quouſque illam acciperet, eſſet in potentia ad aliquid, Deus tamen totum ſuum eſſe perfectum habet, cum nihil vltra habere poſſit, quam habeat; in Deo igitur mutationem vllam ſecundum augmentationem fieri impoſſibile eſt. In Deo quoque diminutionem fieri impoſſibile eſt, quam ſecũdum motum propriè dictum appellamus: nam diminutio fit ſecundum quantitatem continuam: in Deo autem quantitatem continuam nullam eſſe liquet; diminutionem ergo in eo fieri impoſſibile eſt. Item, quamquam motus ſecundum ſe, aut in ſe aliquam dicat imperfectionẽ, quæ in Deo ſatis eſt excludenda cuilibet loquenti: conceſſo tamen aliquo motu magis augmentationem eſſe fateremur, quoniam augmentatio perfectionem quandam notat. A conuenientius igitur Deum creſcere, quàm diminui, fateremur. In motibus autem propriè dictis tertius eſt alteratio, quæ eſt variatio ab vna in alteram qualitatem, vt Ariſt. ait Phyſicorum lib. quinto cap. quarto. Hunc motum accidere Deo impoſſibile eſt. Nam motus ab vna qualitate in alteram, aut eſt in caloribus, & ſaporibus, odoribus, & vocibus, frigiditate, caliditate, & ſimilibus, quæ ſunt in tertia ſpecie qualitatis, & ſunt obiecta ſenſitiuarum potentiarum: aut erunt aliæ qualitates. Si autem de his ſenſibilibus loquamur qualitatibus, dicendum eſt, in Deo non eſſe motum alterationis ad tales qualitates: oẽs n. tales qualitates corpus præſupponunt, cum in corpore ſint: in Deo autem corpus non eſt, cum incorporeus ſit; in eo igitur ſecundum hoc motus impoſſibilis eſt. Si autem alias aſſu- B mamus qualitates, quæ verius paſſiones ſunt, quamquam modum qualitatum gerant, ſicut triſtitia, & gaudium, ſpes, dolor, & timor, deſiderium, abhominatio. Dicẽdum eſt, in Deo nullam talium fore qualitatum: omnes enim hæ imperfectionem magnam dicunt, diminuentes a tanto bono, quantum in Deo communis ponit animorum conceptio, aut ſapientum concludit illatio: nam, quod interdum lætum, interdum verò triſte eſt; nunc dolores, nunc deſideria ſuſtinet, in ſe bonũ ſummum nõ habet, quod in Deo ponimus: aliæ autem huiuſmodi inductiuæ rationes multæ haberi poterant, de quibus in præſenti ſufficiãt, quæ dicta ſunt.

Quòd Deus non localiter moueatur. Cap. LXIX.

C QVartus in motibus propriè dictis modus ſecundum locum eſt, qui ab Ariſt. in quinto Phyſicorum latio vocatur in capit. quarto. Hunc motum Deo aduenire impoſſibile eſt: nam id ſecundum locum mouetur, quod locum accipit locum relinquens: in Deo autem tale quid aſſignari nequit, in Deo igitur localem mutationem impoſſibilem fore liquet. Quod autem Deus nequeat vnũ locum relinquere & alterũ ſumere, apparet, quoniam tunc aliquis locus foret, in quo Deus non eſſet, quod falſum eſt. Sic patet Ieremiæ vigeſimo tertio capit. Cælum, & terram ego impleo, dicit Dominus. Item, cum aliquis eſt in loco, quem adipiſcere cupit, non mouetur: Deus autem, vbicunque eſſe vult, eſt; locum ergo non mu- D tat, nec ad locum tendit. Huius inductionis maior patet, quia locus, ad quem quiſquam mouetur, eſt terminus motus ſui; &, cum eum acquiſierit, ceſſat motus: quod autem Deus ſit, vbicunque eſſe vult, patet, quoniam non eſſe poteſt velle niſi in locis, qui ſunt, ſed nullus locus eſt, in quo Deus non ſit, quia cælum, & terram implet; nullus ergo locus eſſe poteſt, in quo eſſe velit, & conſequenter mutari ſecundum locum nequibit. Amplius autem localiter nihil mouetur, niſi loco cedens locum accipiat: ſed Deus nequit locum relinquere, aut accipere: moueri ergo illum impoſſibile eſt. Deum autem loco cedere, aut locum accipere non poſſe patet, quia Deus locum habere nequit, cum ſit in loco ſolũ corpus iuxta Ariſt. diffinitionem quarto phyſicorum, ſcilicet locus eſt vltima ſuperficies cor- E poris ambientis: Deus autem corpus, aut corporeus nõ eſt; in loco igitur eſſe eidem non contingit: hoc modo nec locum perdere, nec acquirere poteſt; motus ergo ſecundum locum ei aduenire non valet. Item locus rem locatam perficit, cum locus ponatur principium conſeruatiuum: Deo ergo in loco poſito aliquam ei cõſeruationem, & perfectionem prouenire ex loco neceſſe erat: Deus tamen a nullo perfici poteſt, quoniam ſic id, à quo Deus pficitur, Deo perfectius foret, quod humana conceptio abhorret: Deus igitur in loco eſſe nequit, & cõſequenter nec moueri ad locum. Itẽ, cum aliquid priorẽ locũ mutat, ſi ſecundum rationẽ mouetur, ad aliquam acquirendam perfectionẽ, quam in priori loco non habebat, mouetur: hanc autem in loco, ad quẽ tendit ſibi poſſibilem, aut affuturã ſibi arbitratur: Deũ non eſſe in loco.

aliquin hunc motum vanum appellari ius eſt. Dato ergo locali motu in Deo, inquiretur, an moueatur ad inquirendam aliquam perfectionē, quam non habeat, aut ad nullius perfectionis acquiſitionē moueatur. Si autem nullius perfectionis acquirendæ cauſa factum in eo motum aſtruxerimus, vanum, atque ſtultum fore motum neceſſe eſt, quod conceſſu, & auditu indigniſſimum. Si autem alicuius acquirendæ perfectionis occaſione moueatur; aut illam perfectionem per motum recipit, aut nō. Quod ſi per motum in eo perfectionem acquirendam cenſuerimus, cum ante hæc imperfectum fore cōſtabit, quoniam ei aliquod bonum aberat, quod conceſſum quodlibet non meretur. Quod ſi Deum ad aliquam acquirēdam perfectionem moueri fateamur, cum tamen illam perfectionem non acquirere, inquiretur, an illam perfectionem acquirere poſſit, an non. Si autem eum perfectionem hanc acquirere poſſe conceſſerimus, acquirere tamē nolle, fateri neceſſe eſt motum ſuum ad nihil proficere velle, quod motū vanū, atque ſtultum efficit: hoc autem Deo repugnat. Si autē Deum acquirere velle perfectionem fateamur, acquirere tamen non poſſe dicamus, confiteri neceſſe eſt Deū rebus naturalibus imperfectiorē fore: naturalia quippe mouentur, & ſecundum hos motus perfectiones acquiruntur ad quas illa conditio ſpeciei, aut agentium excitatiua inclinauit: Deus autem, ſi perfectionem illā, ad quam inclinaretur, acquirere non valeret, imperfectior naturalibus cunctis rebus exiſteret. Amplius autem, ſi Deum ad acquiſitionem alicuius perfectionis moueri fateamur, quam acquirere impoſſibile ſit, aut ſcit impoſſibile ſibi fore illam adipiſci, aut neſcit an adipiſci continget: ſi autem fateamur ſibi conſtare impoſſibilem fore acquiſitionem eius, ad quam mouetur, inutilem, atque prorſus ſtultum fore hunc motum cōſtat: nemo quippe ad quidpiam moueri debet, ſi illud ſibi acquiri impoſſibile arbitratur. fruſtra tamen, & ſtultum agere quidquam a Deo longe eſt. Quod, ſi fateamur neſcire Deum, an perfectionem, ad quam mouetur, acquirere poſſit, immane inconueniens eſt. & hoc pacto Deum inſipientem fore conuinceretur, quod abſonum eſt: patet ergo Deum moueri non poſſe: ex prælibatis ergo, longa inductione, concluſum patet, Deum moueri non poſſe; iſte igitur ſerpens, qui Chriſtus verè Deus erat, motus non fuit.

Pars ſexta metaphoræ quartæ, ſcilicet. Serpens, qui audiuit. Cap. LXX.

HVius, quam ſæpè nomino, quarti Paradoxi particula ſexta eſt. Qui audiuit, ſcilicet, ꝙ ſerpens iſte audierit, & quoniam Chriſtum hunc ſerpentem eſſe conceſſimus, de eo, ꝙ audierit, concedere neceſſe eſt. Quod autem Chriſtus aliquando audierit, dubitari irrationabile videtur: audire namque potentiæ auditiuæ actus eſt: in Chriſto autem auditiuam cōſtat eſſe virtutem: liquet ergo ꝙ audierit. Quod autē in Chriſto auditiua potentia fuerit, liquet: nam viſiua, auditiua, guſtatiua, odoratiua, & tactiua potentiæ in omnibus perfectis animalibus ſunt, quæ habent extremum gradum animæ ſenſitiuæ inter animata non rationabilia, quārò igitur differentius, quod rationale animal eſt, has potentias ſenſitiuas habebit? de Chriſto autem huiuſmodi erat, cum verus homo foret, de ipſo ergo conſtat, ꝙ audiuiſſet, cum haberet potentiam ſenſitiuam. In hoc autem dubitare radicem nullam habet: niſi fortaſſis Chriſtum hominem verum fuiſſe diffiteamur, cum corpus phantaſticum accepiſſe aſſerentes, ſcilicet, ſi verā carnem de virgine, vt Eccleſia perhibet, nō ſumpſiſſet, ſed corpus ſibi formaſſet de aere, Si autem huiuſmodi habuiſſet corpus, audire, & videre, ceteræ quoque ſenſationes impoſſibiles ei forent, vt latè diſſeruimus ſuper Exodum cap. ſeptimo, & vigeſimo, cum dicebatur, quod, cum angeli nobis apparentes corpora de aere fabricata ſumunt, quamquam ibi oculos, & naſum, aures, ceteraque corporis humani lineamenta, & diſtin-

Angeli haſ ſumētes corporā phantaſtica.

F ctiones extrinſecus habeāt, ſicut nos habere dignoſcimur, audire tamen nequeunt, & videre, odores quoq; fętidos, aut ſuaues nec percipiunt, nec diſcernunt, guſtare autem nihil poſſunt, & ſi ori ſuo applicuerint, aut introrſum velut degluciendum transfigendumq; tranſmiſerint, tactiuam quoque nullam experiuntur qualitatem: horum autem naturalia fundamenta, & obuiantia quoque, atque ſolutiones ibidem explicata ſunt. De Chriſto tamen nemo rationabiliter aſtruere valet, cum phantaſticum corpus aſſumpſiſſe: ipſe quidem pleraque veritatis naturæ humanæ in ſe ipſo ſigna dedit. Si enim Chriſtus phantaſticum ex aere confectum habuiſſet corpus, ſanguinem de illo profluere impoſſibile fuiſſet: de Chriſto tamē frequenter ſanguineus profluxit humor. Primò autem defluxus ab eo emicuit G cruor in circuncisione ſua; nam abſciſſa particula carnis ſuæ ab eo, ſicut à ceteris paruulis circūciſis, ſanguis effluxit. Quod, ſi in eius circunciſione nullus proſiliiſſet cruor, cuncti, qui eum circuncidi conſpexiſſent, eum non fuiſſe hominem manifeſto ſibi conuincerent argumento: in ceteris namque ſanguineus profluebat humor, cum circunciderentur. Item, qui eum tunc conſpexiſſent, ceterique, quibus hoc notum foret, eum tanquam alicuius mali prodigium, aut monſtrum exiſtimarent, vel ex eo aliquod aliis infligendum malum, cum illum hominem eſſe nullatenus arbitrarentur. Hoc autem lucidiſſimè in Iudæis cauſam haberet peſſimā ſuſpicandi: cum eum nouam, atque inauditam proferre doctrinam conſpicerent, non concordantem per omnia legi Dei per Moyſen datæ. Arbitratu ergo ſatis H dignum erat eum dęmonem fore, corpore indutum phantaſtico cum hominibus conuerſantem, vt docendo cunctos deciperet: hoc tamen neminem Iudæorum arbitratum fuiſſe accepimus: ipſi tamen quandocunque veriſimile, etſi in paucum malum exiſtimarunt, & quæ de Chriſto conteſtati ſunt, qui ppe, qui eius erāt æmuli: hoc tamen de eo dictum non eſt, ſicut alia impropria, quæ veriſimilitudinem non habebant, dictā referunt Euāgeliſtæ. Apparet ergo Iudęos nihil horum exiſtimaſſe. Si tñ de Chriſto circūciſo nullę guttæ ſanguinis defluxiſſent, hæc & ampliora arbitrati fuiſſent mala; de eo igitur circūciſo ſanguis, vt de ceteris fluxit.

Chriſtus non habuit corpus phantaſticum. Cap. LXXI.

I AMplius autem ſi aereum, atque per hoc phantaſticum Chriſtus corpus aſſumpſiſſet, dum illud habuiſſet, manibus attrectari a quoquam impoſſibile fuiſſet. Nam corpora de aere formata hoc habent, vt audiri clamantia, & videri queant, manibus tamen, aut pedibus attrectari impoſſibile ſit. Cuius ratio eſt, quoniam aer corpus ſolidum non eſt, & tactui reſiſtens ſicut carnes, & oſſa, ceteraque ſimilia. Chriſtus tamen palpabatur, dum inter homines conuerſatus eſt, multotiens quoque huc, atque illuc pulſatus, & attrectatus dicebatur: corpus igitur aereum non habet, ſed veram carnem, & oſſa. Sic habetur Luc. 8. c. cùm iret Chriſtus in domum archiſynagogi, vt ſanaret filiam eius: nam K tetigit eum quædam mulier, quæ a duodecim annis fluxum ſanguinis patiebatur: cumque Chriſtus inquiſiſſet, quis me tetigit? ait Petrus, & qui cum illo erant: præceptor, turbæ te comprimunt, & affligunt, & tu dicis, quis me tetigit. Ecce omnes, qui cum Chriſto tunc erant, ei inquirenti teſtimonium perhibuerunt, quod tangeretur, & comprimeretur: ſi tamen aereum aſſumpſiſſet corpus, comprimi nequiuiſſet, quoniam cuilibet ſubſtantiæ ſolidæ comprimere volenti ceſſiſſet; ſicut nos in aere communi experimur; verùm ergo de carne, atque oſſibus ſolidum corpus habebat. Item Chriſtus poſt reſurrectionem ſuam ſacratiſſimam manibus diſcipuli ſui Thomæ de reſurrectione dubitātis in veritatis, atque fidei teſtimonium attrectatus eſt. Cunque apud eum ſtetiſſet Chriſtus, ait: Infer digitum tuum huc, & vide manus meas: & affer manum tuam,

&

& mitte in latus meum, & noli eſſe incredulus, ſed fidelis. Poſt hoc autem Thomas miſit digitum, & manum iuxta præcepta Saluatoris in aſſignata loca, & tetigit: ſicut patet ex ſequētibus verbis Thomę, & Chriſti. ſubiunctum eſt enim. Reſpondit Thomas, & dixit: Dominus meus, & Deus meus. Dixit ei Ieſus, quia vidiſti me, Thoma, credidiſti, id eſt quia palpaſti me. De his Ioan. vigeſimo capitulo. Si tamen Chriſtus corpoream ſubſtantiam de aere aſſumpſiſſet, attrectari Thomæ manibus nequiuiſſet. Hoc idem inferri patet ex his, quæ Chriſtus ad diſcipulos ait, poſt reſurrectionem ſuā, introierat Dominus Ieſus ad eos ianuis clauſis: ipſi enim concluſi erant propter metum Iudæorū, ob hoc exiſtimauerunt corpus habere phantaſticum, & non eſſe Chriſtum: nam de Chriſto, quin corpus verum haberet, nulli eorum in ambiguo vertebatur, vt quippe, qui magno tempore cum eo conuerſati fuerant: ſed an ille eſſet Chriſtus ambiguum videbatur: ipſe autem tollere volens hanc infirmorum adhuc cordium ſuſpicionem, dixit eis, vt tentarent corpus ſuum, quoniam ſi phantaſticum corpus foret, carnes, & oſſa ſolida in eo non inuenirent. hoc tamen in eo viderunt. De his Luc. cap. vigeſimoquarto, cum dicitur: Conturbati, atque conterriti exiſtimabant ſe ſpiritum videre: & dixit eis. Quid turbati eſtis, & cogitationes aſcendunt in corda veſtra? videte manus meas, & pedes, quia ego ipſe ſum: ſpiritus enim carnem, & oſſa non habet, ſicut me videtis habere. & cum hæc dixiſſet, oſtendit illis manus, & pedes.

Si quis ſpiritus aereum corpus ſumpſerit, attrectari, aut apprehendi non poterit.
Cap. LXXII.

EX verbis Chriſti neceſſariò colligitur, quod, ſi aliquis ſpiritus corpus aereum ſumpſerit: etſi aliqui eum attrectare, atque comprehendere moliantur, impoſſibile erit: vnde, cum ſe quidquam apprehendiſſe, ac tenere exiſtimauerint, nihil ſe tenere cōſpiciēt, quia reuera nihil comprehenderunt. Hoc autem in Chriſto e contrario accidebat: ſi tamē ſpiritum aereum corpus aſſumentem in corpore illo attrectari diceremus poſſibile fore, atque ſolidum attrectari, vt corpora noſtra videretur, tactui non cedens, verba Chriſti omni ſententiæ pondere vacua erant: nec cuiuſquam efficaciæ argumento ſuo eſſe pateret. Nam, ſi corpora de aere ſumpto æquè vt ſolida ex carne, & oſſibus corpora attrectari poſſent: non reſpondebat ipſe Apoſtolorū ambiguitati, ſcilicet, an phantaſma, vel corpus verum foret: nec ſuum in hoc concludebat intentum dicens: tentate, & videte: quia ſpiritus carnem, et oſſa non habet, ſicut me videtis habere. Nam contra naturam, ſi quid phantaſticum corpus eſſet, attrectari ſolidum videretur, ſicut vera corpora animalium ex carne, oſſibuſque conſtantia, nulla in hoc eſſet diſtantia veri, aut phantaſtici corporis; quam ob rem verba Saluatoris irrationabiliter dicta forent, nihilque proficerent: hoc autem abſurdum cuilibet patet. Dicēdum igitur vera animalium corpora attrectari poſſe, nec tactui cedere. Corpora autem de aere formata, a nullo tāgere volente attrectari poſſe, & ſi tangi largè contingat, quoniam & hunc aerem communem tangere dicimur; extēſionem namque habet, ſecundum quam cōtactus fiat. De Chriſto autem nō ſolum, quod quis eum tetigerit, ſed quod etiam verè, & à multis attrectatus fuerit, confitemur, ipſe igitur verum de carne, & oſſibus habuit corpus. Amplius autem hoc apparet in ſanguine effuſo de corpore eius: de corpore tamen phantaſtico ſanguis nullus effluere poteſt: de Chriſto tamen ſæpe ſanguis abūdans profluxit, quod apparet in circunciſione. Præter hoc autem in oratione, quam ad patrem fundebat ingruente paſſione, cum tota corporis Chriſti moles magnis concutiebatur angoribus, dicente ipſo. Triſtis eſt anima mea, vſque ad mortem, id eſt tantum triſtor, ac ſi morerer, vel occiderer, vt habetur Matth. 26. Tunc

Vera animalium corpora tactui minimè cedunt.

A enim creſcente amaritudinum mole, nec iam Saluatoris noſtri Ieſu tenero perferēte corpuſculo ob tantā cōflictantium, vt videbatur, affectionum commotionem, ſanguineas exſudauit guttas. De hoc Luc. 22. c. cum dicitur. Apparuit autem illi angelus de cęlo confortans eum: & factus eſt in agonia, & prolixius orabat, & factus eſt ſudor eius, ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram. Effudit quoque ſanguinem ſacratiſſimū, cū flagellis cęſus eſt, cum ſpinis punctus eſt, ſpinea corona capiti teuerendo impoſita, cum in pedibus, & manibus clauorum fixuras ſuſcepit. Nec dūtaxat iſtæ ſanguinis effuſiones factæ ſunt de corpore Chriſti benedicto, quę ad eum viuentem pertinebant, ſed eo quoque exanimato in cruce pēdente ad ſolis occubitum miles Pilati lancea latus eius aperiens, ſanguini, & aquæ effluenti abundantiſſime viam fecit, vt omnes Euangeliſtæ conteſtantur. Corpus ergo Domini Ieſu verum de carne, & oſſibus conſtitiſſe patet: nec de aere fabricatum fuiſſe, vt quidam inſani hæretici fabulantur. Ex his quoque infertur eum audiuiſſe, quoniam auditiuā haberet potentiam, & organum determinatū ad hoc, cum perfectus, & verus homo exiſteret, in omnibus partibus corpore ſubſtantiæ integer, nec monſtruoſus. Sic ergo quoque liquet hunc ſerpentem audiuiſſe. Quia Chriſtus, qui verus ſerpens erat, audiuit.

B

Pars ſeptima metaphoræ quartæ, ſcilicet Serpens, qui non audiuit. Cap. LXXIII.

C PRęſatæ quartæ metaphoræ particula ſeptima eſt. Qui non audiuit. Hoc autem ad Chriſtum, qui ſerpens erat referri neceſſe eſt. Sed quia de eo, vt verus homo erat, quod audierit, ſolide inductum eſt; de eo igitur, vt Deus eſt, identidem inducendum eſt, quod non audierit. Hoc autem liquide inducitur; nam, vt quis audiat, organa auditiuæ potentiæ in eo exigūtur, ipſa quoque virtus auditiua, ſecundum quam cauſetur auditio: in Deo autem, nec auditiuam potentiam, nec organa audiēdi eſſe patet; cum igitur audire quidquā impoſſibile eſt. Hoc autem amplius patet, quoniā potentiæ auditiuæ organa corporea ſunt, determinatam figuram obtinentia: in Deo autem corporeum nihil aſſignari poteſt; nec igitur organa habebit, nec auditio in eo erit poſſibilis. Item audire, & videre, & omnes actus potentiarum ſenſitiuarum paſſiones ſunt: paſſionem autem in Deo nullam cōtingere poſsibile eſt; audire ergo nequit. Huius poſitionis maior patet, quoniā omnes potentiæ ſenſitiuæ paſſiuæ ſunt iuxta Ariſtot. poſitionem, & aliorum de natura loquentium: ex potentijs autem paſsiuis neceſſe eſt paſsionē ſemper ſequi: in Deo autem paſsionem nullam fore probatum eſt ſupra in tertia metaphora ſuper partem, qui nō patiebatur. Item in audiendo recipit animal aliquam ſpeciem, quam ante non habebat: in Deo autem nihil eſſe poſsibile eſt, quod ante non fuerit; audire igitur in illo impoſsibile eſt. Huius inductionis maior patet; nā audire duntaxat in hoc conſtat, vt audiens recipiat ſpeciem eius ſoni, qui cauſatur. Quod autem nihil in Deo taliter recipi poſsibile ſit, apparet, quoniam iſtæ ſpecies ſunt, vt id, quod eas recipit, p eas ſentiat aliquid, quod alias non ſentiret, aut intelligat aliquid, quod alias intelligi ab eo impoſsibile erat. In Deo autem nihil tale accidit, quoniam perfectio aliqua de nouo accidere poteſt ei, quod imperfectum eſt: quod autem vſquequaque perfectum eſt, ex nulla parte noui perfici poteſt. alioquin perfectus ante ſimpliciter non fuiſſet: Deum tamen totaliter perfectum omnes aſtruunt: audire ergo in eo impoſsibile eſt.

D

E

Obiectio, & alia quædam.
Cap. LXXIV.

COntra ea, quæ dicta ſunt, aliquis molietur: tota namque ſacra ſcriptura exemplis plena eſt. Sic Pſalmiſta Pſalmo quinto ait: Verba mea auribus Pſal. 5.

percipe Domine, intellige clamorem meum. Et in Pſalmo ſexto, Exaudiuit Dominus deprecationem meam, Dominus orationem meam ſuſcepit. hæc enim totam ſacri canonis ſcripturarum continentiam teplent. Deũ ergo aures habere, & audire patet. Ad hoc reſpondendum eſt, impoſſibile fore Deum aures habere, vel audire: aures ſiquidem ſubſtantiæ corporeæ partes ſunt, Deus autem, nec corpus eſt, nec aliquid corporeitatis habens. Hæc tamen ad ſacræ ſcripturæ modum pertinent: ipſa quippe, vt nos intelligere valeamus, ſic exprimit: omnis enim ſacri canonis ſcriptura ad eruditionem noſtram ſacta eſt, vt nos per eam regulati Deo ſubditi ſimus, & fęlicitatem, quæ omnium agibilium humanorum finis eſt, adipiſci valeamus: in quã quoque omnia deſideria noſtra terminantur, dicente Boetio de Conſolatione libro tertio, proſa tertia: Si autem ſacra ſcriptura à nobis intelligi non poſſet, nequaquã proficere poſſet: oportuit ergo ſacrum canonem ſub tali verborum forma, & ſententiarum tribui habitudine, vt nobis intelligibilis eſſet. Si tamen ſacra ſcriptura cũ de Deo loquitur, ſic loqueretur, vt in Deo res ſe habet, nullus humanus intellectus quantumcunque naturaliter diſpoſitus ad intelligendum in talibus intelligere ſufficeret. Præter hoc autem ad hoc exprimẽdum verba nobis nulla ſubeſſent; nam, cum in Deo nulla viciſſitudo ſit, vt habetur Iacobi cap. 1. nec temporũ variatio, et quidquid in eo, eſt pręſens, & ſimplex eſt, neceſſe eſt, vt verba, per quæ de Deo loqueremur, non ſignificarent per modum pręteriti, & futuri, apud nos tamen nulla talia verba ſunt, omnia quippe verba tempora habent, tanquàm proprietatem eorum: & per modum fluxus, & fieri eſſentialiter ſignant. Si igitur proprie quidquam enunciare cupiamus, impoſſibile prorſus fuerit, vt per verba noſtra quidquam de Deo affirmetur. Ob hoc autẽ ea, quæ Deo conueniunt, ineffabilia dicuntur; quoniam, etſi per intellectum noſtrũ aliquid intelligi de Deo contingeret, abſtrahendo ab omni conditione motus, & materiæ, & temporaneæ viciſſitudinis, eloqui tamen illud non datur, quia verba taliter exprimentia nulla ſunt. Infertur ergo, quod, cũ ſacra ſcriptura de Deo loqui voluit, non debuit ſequi proprietatem eorum, quæ de Deo enunciare vult, ſed quod in Deo ſunt: ſed, quia nos corporei ſumus, & intellectus noſtri ſubſtãtiæ ſpirituales clauſæ membris, & in intelligendo conſequentes aliquam conditionẽ corporum, neceſſarium fuit, vt ſacra ſcriptura nobis aliquid de Deo proponens, aliquo modo de eo loqueretur tanquam de aliquo corporali, habente quoque corporum ceterum conditiones. Vnde cùm audire, & videre, & ceteræ ſenſationes ſint proprietates corporum quorundam, de Deo in ſacra ſcriptura hæc prædicabuntur: quamquam Deus nec audiat, nec videat, vel ſimile quid habeat.

Ad quid ſacra ſcript. facta ſit.

Alia ratio cur, ſicut dixerat, ſcripti ſunt ſacri canones. Cap. LXXV.

AMplius autem, niſi hoc metaphorarum, & troporum modo ſacer canon ſcripturæ vteretur, quaſdam de Deo perfectiones prædicamus, quarum modum in Deo aſſignare communiter hominibus nõ cõtingeret. De Deo enim, quòd rector ſit vniuerſi, & prouideat, atque diſponat omnia, quæ fiunt, affirmamus: hoc autem quia fieri nequit, niſi Deus cuncta intelligat: cum non intelligentem dirigere aliquam actionẽ impoſſibile ſit: prudentia quippe domina eſt, qua cuncta diriguntur, vt ait Ariſt. Ethic. lib. 6. aſſerimus ergo Deum cuncta intelligentem. Et quoniam nos intelligimus, quæ vidẹmus, audimus, aut qualitercunque ſentimus. Et, quod non audimus, videmus, aut aliqualiter ſentimus, intelligere impoſſibile eſt. Conformiter in Deo arbitramur, quod ipſe omnia intelligit, ꝙ omnia videt, omnia audit, omnia ſentit qualitercúque: ſacra igitur ſcriptura hoc modo confitetur Deum omnia videntem. Sic Salomon ait, & habetur prouerbio-

F rum 15. cap. In omni loco oculi Domini contemplantur bonos, & malos. Ex hoc igitur Deum omnia videntem eſſe patet: Deus tamen nihil videt, quoniam potẽtiam viſiuam non habet, nec actum videndi, nec organa viſiua, nullum ergo locum Deus videt. Idẽ loquendi modus in ſacra ſcriptura circa auditum eſt: nam omnibus hoc inolitum, ac quaſi connatum eſt, vt cum affligantur immeriti, nullamque humana ope ſentiant releuationem, ad Deum preces luctuoſas, & querulas fundunt. Si tamen eis hoc inſitum foret, Deum nihil audire poſſe, nulla ratione ad Deum ſuas funderent querimonias: nec magis ad Deum, quam ad lapidem, vel lignum clamarent. Identidem autem in neceſſitatibus, cunctiſque amaritudinibus homines nulla aliorum ope adiuti diuinum implorant ſuffragium, orantes ſibi talia, aut talia fieri. Præter hoc autem affectus ſuos homines verbotenus Deo produnt. Si tamen exiſtimarẽt Deum horum nihil audire, ad eum nihil, nec querimonialiter, nec ſupplicatorie proclamarent: deſideria quoque explicare non curarent. Hęc enim omnia vana penitus arbitrarentur: communis ergo ſingulis conceptio eſt, quæcunque nos dixerimus Deum audire. Hoc modo ſacra ſcriptura Deum aures habere, & ꝙ dicuntur, audire teſtatur. Sæpè namque preces noſtras à Deo exauditas dicit: interdum autem eas nequaquã exaudiri profitetur. Sic patet Ioan. 9. cap. ſcimus, quod peccatores non exaudiat Deus. Is autem modus eſt, quo in ſacro canone Deus audire dicitur, & aures habere, quamquam ab re ſit nihil, neque ſic in rebus reperiri valet: fit tamen, quoniam ſic intelligentiæ noſtræ condeſcẽditur. Nec tamen in his modis quiſquam arbitretur ſacram ſcripturam mentiri. Nam, quamquam Deum aures habentem noſtraſque audientem preces introducat, non innuit, nec iubet à nobis ſic debere accipi, ſed vult nos exiſtimare hunc modum in ea introductum fore propter imperfectionem intellectus noſtri; quoniam ad ſpeculanda ea, quę de Deo enunciantur, non ſufficeret, ſi aliàs, vt propriè dici conueniebat, diceretur; in Deo tamen vt ad rerum proprietatem loquamur horum nihil eſt.

Prou. 15.

Pulcherrima dubitatio circa dicta. Cap. LXXVI.

AD hęc autem aliquis fortaſſis inquiret, cum Deus aures nullas habeat, nec habere poſſibile ſit, ad quid vniuerſaliter ad eum in voce preces fundi, & quòd coram ipſo in voce affectus noſtros, atque afflicti cordis noſtri amaritudines proponimus. Horum namque nihil ipſum audire continget. In hæc autem ex his, quæ prædicta ſunt, ſupponendum eſt, Deum nihil audire poſſe, & aures nullas habere: omnia tamen, quæ nos in voce proponimus, Deum cognoſcere patet. Nam velut cum aliquo proferente voces ſignificatiuas alius audiens intelligit, quid illæ voces ſignificent: ita & quidquid nos verbo protulerimus, Deus nihil auditu percipiens ſolo intellectu dijudicat. Et, ſicut ſolus melodiarum audientes per auditum apprehendimus vocem acutam, aut grauem, altam, vel humilem, harmonicã, aut omni harmonia carentem: ita & Deus ſolo intellectu vtens nullas habens aures aut audiendi exercitium, omnia hæc percipit. Identidem autem circa potentiam viſiuam accidit: viſu enim, an res alba, vel nigra ſit, aut alterius coloris, magna, aut parua, diſtans, an propinqua, percipimus: Deus autem, nec viſiuam potentiam habens, nec viſu vtens, an res albę, an nigræ, an lucidæ, an diſtãtes, an propinquæ ſint, cognoſcit. De ceteris autem accidentibus, quæ viſu dijudicantur, idem dicendum eſt. In auditu autem ſic erit: nam, cum nos ad Deum preces fundimus, aut amaritudines, atque deſideria in voce proponimus, etſi Deus auditiuam potentiam nullam habeat, hæc quoq; non magis audiat, quam ſi lapidi dicerentur, quidquid tamen protulerimus orantes, aut conquerentes, ipſe optime nouit perfectius adhuc, quàm ſi ei vlla audiendi daretur facultas.

Dubi-

Dubitationis ſuperius propoſitæ reſponſio. *Cap. LXXVII.*

HIs autem ſuppoſitis, quæ dicta ſunt, ſcilicet quòd Deus aures non habens, nec auditu vtens, omnia quę dicũtur, ſolo intellectu ſuo perfectè intelligat, perfectius autem adhuc, quàm nos, cùm ſuus intellectus purus ſit, plura quoque hoc intellectu comprehẽdat, quàm nos omnibus his potentijs ſenſitiuis apprehendamus. Conuenientius fortaſſis alicui videretur, vt noſtras ei affectiones ſolo animo panderemus, preces quoque interius effuſæ aptius viderẽtur, vt ſic ſola in eum interiore affectione eius miſericordiã imploraremus. Sic quoque ſola interiori cogitatione deſideria noſtra proponi poſſent nullo penitus verbo prolato. Hoc aũt nobis facillimum eſt, cuncta, quæ nos prudenter, aut B indiſcretè proferimus, interiore cogitatione cõprehendi primò neceſſe eſt. Poterimus ergo faciliter cuncta concipere nullo eorum deriuato in vocẽ. Huic reſpondendum, effuſas preces interiori cogitatione, aut queſtuoſa deſideria propoſita, aut quaſcunque affectiones ſola interiori imagine enarratas congruenter diſponi, quæ tamen horum in vocem proponuntur, fructu non carent; fructuoſiora enim hæc, quæ mens cum voce in publicum effert, vt communiter eſſe neceſſe eſt, quam hæc, quæ ſola interiori cogitatione peruoluuntur. In hoc autem vlterius dicendum eſt, quòd, quamquam Deo effundi preces noſtras ſuffecerit eas ſolo interiori actu proponendo, nullo prorſus in vocem reſultante, quia ipſe ſcrutatur renes, & corda, ſciens quid vnuſquiſque in abdito C pectoris ſui gerat, etſi nullus ei illa intelligibiliora expoſitione quadam reddiderit; Conueniens tñ eſt verbotenus preces effundere: Deus quoque in voce ad ſe orari iuſſit: quamquam ex hoc cũcta, quæ orauerimus, in vocem formare non tenemur. Ad hoc autem rationes fundamẽtales ſunt, quarum prima eſt: Deus voluit, vt homo, qui creatura ſua eſt, ei obſequium exhiberet, cetera quoq; creata ad hoc ſubdidit vnumquodque iuxta ſpeciei ſuæ conditionem, & capacitatem. Quantum autem aliquid huic diuino famulatui abundantius applicatur, perfectius eſt, à Deoq; gratius acceptatur: & quoniã perfectius quis Deo exhibet famulatum, cum ei toto conamine ſeruit, quam cũ ex parte ſuarum virium famulatur; decuit, vt orãs eo modo oraret, quo magis omnes vires ſuas ad diuinum ap- D plicaret famulatum. Nam in oratione obſequij cuiuſdam Deo genus exhibemus. Quia, ſi quis ad Deũ preces fundens, aut affectionem exprimens luctuoſamuè proponens quærimoniam, ſolo actu tacitæ cogitationis hoc efficiat, nullo penitus in vocem deriuato, ſolũ Deo intellectum ſuum, & voluntatem proponit, alias omittens vires diuino cultui applicare. Conuenientior ergo orandi modus eſt quiſquam alius, quo magis vires ſingulæ ad diuinum aliquid agere famulantur, ſ. cum intellectu, voluntate, & voce preces funduntur. Nam, cũ quis verbotenus orat, primo Deo obſequium exhibet in actu interiori intellectus, & voluntatis: nemo quippe quidquã ore proferret, niſi primo intellectus, quid proferendum ſit, dictauerit: voluntas autem illud proponendum eligat, illudque executiuis potentijs for- E mandum, proponendumque iubeat. Iſte autem modus eſt, quo vniuerſæ humanæ actiones principiantur per tria principia earum, ſ. intellectum, voluntatem, & ſenſum, id eſt executiuas potentias. De his Ariſt. Eth. lib. 6. in principio, ſ. Tria ſunt dominatiua actus, & electionis, intellectus, appetitus, & ſenſus. Poſt operationem potentiarum interiorum, ſ. intellectus & voluntatis in oratione, ſeruit Deo vox noſtra in vocali oratione. Nam hęc quoque ſicut actus interiores ad diuinum famulatum eſt: ſeruiunt quoque Deo in hac oratione virtutes interpretatiuæ, cæteraque locutionis organa in formatione vocum. Magis ergo Deus à nobis in oratione vocali colitur, quam in mentali, quoniam plura, quæ in nobis ſunt, ad Dei cultum in vocali, quam in ea, quæ in actu interiori eſt duntaxat, applicamus, & Deo am- A pliorem in corpore noſtro famulatum impendimus, nullo in nobis exiſtente, quod ad Dei cultum non aſſumatur. Quaſdam alias cæremonias in ipſa oratione facimus, ſ. genua flectimus, & manus in altum tollimus: hæc enim humiliati cordis obſequiũ ſignificãt, in quo Deus nimis colitur propriè, qđ Apoſtolus in oratione manus ad Deum tollẽdas admonebat. Sic patet prima ad Tim. 2. c. ſcilicet: Volo orare viros in omni loco leuantes puras manus ſine ira, & diſceptatione. Genua quoque flectenda in oratione exemplo ſuo erudit, dicens: Flecto genua mea ad Deum patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti. Adhuc autẽ, vt amplius, quæ in Chriſti famulatum redigi poſſunt, omnes partes noſtras redigamus, oculos in Deum orantes erigimus, & ſi vehemens deuotionis motus in nobis ſit, aut feruens B amoris ſtimulus, lachrymas dulciſſimas ab oculis fundimus. Et, quia hic orandi modus ceteris fructuoſior eſt, ad hũc nos incitat Pſalmiſta Pſalmo nonageſimo quarto dicens: Venite procidamus ante Deum, ploremus coram Domino, qui fecit nos; quoniam ipſe eſt Dominus Deus noſter: nos autem populus eius, & oues paſcuæ eius. Ex his ergo euidenter apparet ampliorem Deo famulatum in nobis exhiberi, cum in voce præces effunderimus, aut luctuoſas quærimonias protulerimus, ſingulaque deſideria noſtra voce explicuerimus, quam cum hæc omnia ſola animi actioni fiunt: Ideo, quamquam Deus eorum, quæ dicuntur, nihil audiat: omnia tamen intelligat, conuenientius ad eum oratio ſpiritus noſtri funditur, cum in vocalem laudẽ proponitur, quam cum in ſolam interiorem affectus C noſtri actionem Deo ſupplicatur.

Secunda propoſitæ dubitationis ſolutiô. *Cap. LXXVIII.*

VOcalis orationis congruentius, quam in ſolo intellectu faciendæ cauſa ſecunda eſt: quoniã orantes, quod deſideramus, nobis fieri petimus, aut animi noſtri amaritudines proponimus, vel cuncta deſideria enarramus: ſed nobis ipſis, qui hæc fundimus cuncta manifeſtiora reddũtur, ſi in vocem illa protulerimus, quam ſi ſolo intellectu hæc fiant. Vocaliter ergo præces fundere cõueniens eſt. Huius rationis vigor ex parte eorum, qui orant, attendendus eſt: ad Deum namque D nihil magis, aut oportet, aut expedit verbotenus orare, quam interiori duntaxat actione proponere: nihil magis, aut minus, nihil planius, aut obſcurius Deus, quæ volumus, intelligit, cum ei verbotenus deſideria noſtra narramus, quam ſi tacita cogitatione explicuerimus. Hoc autem apparet, quoniam Deum nihil audiẽtem eſſe ex prædictis patet: nihil ergo ei vocali proclamatione poterit inſinuari, ſi illud alias non intelligat. Amplius autem ſi Deo euidentiora deſideria, & qualitates animorum noſtrorum efficeremus, cum ei cuncta in vocem proderemus, quam cum ſola interiori cogitatione propoſita forent: contingeret in Deo eruditione aliquid amplius notificari: quod abſurditate plenum eſt. Item, ſi euidentiora Deo fierent, quæ ei in vocem proponuntur, quam quæ ſecreta cogitatione ſer- E uantur, diſcerni in Deo neceſſe erat euidentius, & minus euidens, obſcurum, & notius in intellectu. Quo fit, vt, cum ei cordis noſtri ſecreta in vocem proferremus, intelligere illa perfecte contingeret: cum vero ſola cordis actione affectus noſtros panderemus, imperfecte intelligere eum neceſſe erat. Quo dato in Deo imperfectionem notabilem, motum quoque induci patet, quod conceſſum noſtrum non meretur. Ad Deum ergo nihil differt affectus noſtros tacita cogitatione tractari, quam in clamoſas voces emitti. Ad nos tamen, qui hęc coram Deo noſtro proponimus multum differt: euidentiora ſiquidem nobis deſideria noſtra fiũt, cum ea voce protulerimus, quam ſi ea mentis cogitatione verſemus: particularius enim preces, ſenſibiliusque, atque naturæ humanæ cõgruentius, in voce noſtra proponũtur, quam ſola intelligentia peruoluuntur. Hoc autem,

Nihil melius Deꝰ ĩtelligit, qđ voce ꝓfertur eo, quod mente à nobis cõcipitur.

erſi cunctis hominibus ex conditione humanæ ſpeciei apprehendere natæ per organa euenerit: abundantius tamen in ſimplicibus, quam in peritis hęc fient. Hi n. vix ſe ipſos intelligent, ſi ſolo intellectu aliqua ad Deũ fundant, excedit enim purum intelligere ad eorum rudem, paruamque ſenſibilitatem. Conuenientius ergo eſt, orationes noſtras ad Deum, in voce fundi, quam intrinſeca cogitatione tractari.

Tertia propoſita quæſtionis ſolutio. Cap. LXXIX.

ORationis verbotenus proponendæ conuenientius, quam alias adhuc tertia cauſa eſt, ex deuotionis incentiuo. Orationes enim obſecrationes, & petitiones, atque affectuum enarrationes Deo factæ, ex deuotione acceptationem merentur, in quibus quãtò amplius fue- G rit deuotionis incentiuum, tantò magis ponderans orationis obſeruationis meritum erit. in eo ergo orationis modo preces fundi decuit, quo in deuotionis feruorem vehementius moueremur. Maius tamen ardoris cuiuſdam prouocatiuum eſt, cum in vocem preces noſtræ funduntur, quam ſi illas in ſecreto noſtri pectoris teneamus: In voce ergo orare conuenientius eſt. Hoc autem in patulum deducatur: quoniam vocibus ea à natura vis inſita eſt, vt animorum prouocatiuæ ſint: cũ pertineant ad naturam animæ, inquantum eius ſigna ſunt: iuxta illud Ariſt. in primo Perihermenias. ſ. Sunt ea, quæ ſunt in voce, earum, quæ ſunt in anima paſſionum, notæ. i. voces ſunt ſignatiuæ conceptuum, & apprehenſionum interiorum: aliquem ergo vigorẽ verba ſuper animum H habebunt, cum ad eius naturam pertineant. Hoc autem in Rhetoricis perſpicuum eſt: verba namque dulcia congrua prolatione cum vultus reuerẽtia, vt condecet, & oculorum vigore, atque totius corporis, ſi illa expetunt, motu, recta quoque accentuatione per ſe placent: etſi interdum in his ſenſus nullus ab auditoribus attẽdatur, aut ſi ſic verba etiam à ſeipſis hoc natiui muneris habent, vt placere poſſint. Hoc autem apparet, quoniam frequenter aliqua alicuius ponderis ſententia ruſticanis inculta verbis indecenti ordine incõgrua prolatione auditores nihil mouebit, nullas perſuaſionis vires habens: eadem autem prorſus ſentẽtia, quibuſdam verbis compoſita, artificioſo procedens ordine, congrua prolatione, atque corporis figuratione auditores efficaciter permouebit. De viribus autem eloquentiæ quid I potuerit apud antiquos Tullius agit in prologo Rhetoricæ veteris. Amplius autem verborum, & vocum quarumlibet efficaciæ pãduntur in muſicis harmonijs: namq; debitè modulatæ admirabiliter quodam exceſſiuo gaudio animos mouent: magnam quoque in deſiderijs mutationem auditæ faciũt harmoniæ. Generoſos quippe animos. ſ. liberos ab his, quæ parua ſunt, magiſq; intendentes eis, quæ magna ſunt, ſecundum naturam nimis iſta mouent, in dulci ſcientia illorũ deſideria, atq; cogitationes eleuantes, quamquam ante auditas ſuaues has, & prouocatiuas armonias paſſionibus quibuſdam, aut detenti, aut quodammodo depreſſi forent: trahunt n. eos iſte harmoniæ ad quædam honeſtiſſima multum excedentia hos non valde honeſtos paſſionales actus. Hæc autem permutationis efficacia, & K motus factus ab auditis harmonijs, non omnibus ineſt: quoniam non ineſt omnibus generoſum cor: eſt tamen hoc in cordibus naturaliter excellentibus natis magis, atque efficacius immutari per auditum, quam per tactum, qui inter ceteras ſenſationum vires materialior, cunctiſque animantibus terrę communior eſt, id profectò bonum differenter eſt, quo paucorum eſt. Has autem intrinſe ſentiebat in corde ſuo melodicarum efficacias magnus ille Ariſt. quem Deus ad altiſſimum ingenij gradum prouexerat. Hic autem iuuenum mores inſtituens in octauo Politicorum largè de melodijs egit, diſtinguens Doricam, & Phrigiam melodiam, quandam ętatibus quibuſdam conuenire faciens, aliam vero alijs, Phrigiam a iuuenibus excludens, quoniam paſſionalis valde, & a natura eſt. Addit autem

Quãtum armonia generoſos animos efficiat.

Quid Ariſt. in politicis de muſica.

F ad motum mutationes, eorumque confirmationem in bono, aut malo efficaces eſſe tales, aut tales melodias, ſi in eis differenter delectemur. Diſtinguit quoque Ariſtot. ibidem de muſicis inſtrumentis in quibuſdam dicens, efficaciam ad prouocandam iram, & animoſitatem fore, ſicut ea, quæ meatus vocis longos, & ſtrictos habent, ſi media non habeant reſpiracula, ſicut tubæ claſſicæ, & litui. Alijs autem muſicis inſtrumentis vis eſt ad lætitiam commouere: alijs autem ad paſſionem amatoriam, ſcilicet venereorum laſciua deſideria: alia autem ad altiſſimæ contemplationis curas ſolicitos reddunt. Hæc autem nec in omnibus ſunt, nec hi, in quibus ſunt, plenam harum permutationum ab harmonijs rationem reddere queunt: quoniam non inſunt ex fundamentis, aut principijs communibus na- G turæ: in quibus cauſæ ſecundum naturam determinatæ, & nobis manifeſtæ ſunt, ſed ex quibuſdam valde ſpecialibus naturæ viribus: quarum cauſa magis latet, ſicut ſuo modo in corporibus complexionum particularium rationes non patent: ſed ex quibuſdam particularibus naturæ accidentibus iſta eueniunt. Hæc autem, quæ de harmoniarum efficacia dicta ſunt, ſoli experiuntur, quibus temperies magna organi auditus eſt, & animus excellenter generoſus. Cõcludit igitur Ariſt. in prædicto 8. Politicorum quorundam inſtrumentorum muſicorum harmonias iuuenibus circa rectos mores inſtituendis conuenire, alias verò repugnare valde. Cum ergo voces, & verba efficaciam permouendi cordis continere pateat ex prædictis, conuenientius erit preces noſtras ad Deum in voce fundi, quàm ſola cor- H dis cogitatione deſideria noſtra proponere. Hæc autem apparent, quoniam ſi quis orationes deuotas à viris ſanctis confectas, in quibus verborum tenera dulcedo eſt, recitauerit, tantam interdum vocum ſentit efficaciam, vt in veras dulces exundet lachrymas, quod contingere nobis non videtur, ſi ſolo interiori actu affectus proponamus coram Deo, in verba nullatenus denuando. Conuenientius ergo fuit in voce orare aſſiſtente ad hoc cordis attentatione, quam in ſola ſecreta cordis cogitatione profundi.

Quæſtionis propoſitæ ſolutio. Cap. LXXX.

HIs quoque in vocem formandarum orationum noſtrarum cauſa quarta ſubit, ſcilicet vt non ſolum I nos ipſos in affectum quendam orando vocaliter incendamus, ſed vt ceteros quoque trahamus in idem. Cum quis verbo tenus orat, & ſi alij audientes non orent, interdum tamen verborum ſuorum concitati dulcore ad orandum accenduntur: quod euenire impoſſibile foret, ſi ſola interiori cogitatione preces fundendæ eſſent: decuit ergo in voce interdum orare. Hoc autem incitatiuum fuit, vt cunctæ orationes in miniſterio Eccleſiæ in voce fierent, & quod ad ipſos Eccleſiaſticos miniſtros attinet, cuncta in vocum diuerſa concordia, modulatiſq; proponuntur harmonijs, vt vocum concors diuerſitas non paruam audiẽtibus deuotionis procuret dulcedinem. Potiſſime hæc populo alliciẽdo facta ſunt. His namque auditis populus magis ad cul- K tus diuini miniſteria attentus frequentius Eccleſiarum limina viſitaret ad domum orationis conueniens: ſic quoque fieret, vt ſæpius, ardentiuſque ad orandum incitaretur, quam alias facturus fuiſſet. Horum tamen nihil accideret, ſi Eccleſiaſtici miniſtri cũcta, quę orãt, aut recitant, ſola cordis cogitatione reuoluerent. Hoc quoque fuit quare in Eccleſiam organorum flatus pro miniſterijs Diuinis inoleuit. Sic enim abundantius miniſterium, quod Deo impendimus honoratur. Multi quoque his concitati vocibus in quandam deuotæ contemplationis genus efferuntur. Hoc autem Dauid ſpeculatus Deum à nobis in muſicis organis colendum dicit, vt habetur Pſal. vltimo inquiens: Laudate eum in ſono tubæ: laudate eum in pſalterio, & cythara: laudate eum in tympano, & choro: laudate eum in chordis, & organo: laudate eum in cymbalis beneſo-

Cur in miniſterio Eccleſiæ choris vtantur ſacerdotes.

Vnde organorum vſus à diuinis officijs.

nanti-

A nantibus: laudate eũ in cymbalis iubilationis. Sic quoque Pſal. 70. Confitebor tibi in vaſis Pſalmi, veritatem tuam Deus meus, cantabo in cythara ſanctus Iſrael. Vnde & in veteri teſtamento hoc inolitum fuerat, vt in honorem Dei iſta vaſa muſica perſonarent. Sic patet 2. Reg. 6. cap. cum agitur de arca portanda de domo Aminadab in ciuitatem Dauid: Dauid autẽ, & omnis Iſrael ludebant coram Domino in omnibus lignis fabricatis & cytharis, & lyris, & timpanis, & ſiſtris, & cymbalis. Nec ſolum hoc fiebat ſpecialiter, & quaſi a contingentibus in aliquo honore, aut translatione arcæ Domini, ſed erant de leuitis inſtituti, qui ſoli huic operi mancipati erant. ſ. vt in vaſis muſicis cantarent coram Domino, vt patet 1. Paralip. 25. c. quos inſtituit Dauid, & totus Iſrael, cùm dicitur: Igitur Dauid, & magiſtratus e-
B xercitus ſegregauerunt in miniſterium filios Aſaph, & Heman, & Idithum, qui pſallerent in cytharis, & pſalterijs, & cymbalis ſecundum numerum ſuum dedicato ſibi officio ſeruientes: non ergo inconuenienter in nouo teſtamento factum eſt, vt in Eccleſia Domino confiteamur canentes in organis. Circa hoc tamen inſpiciẽdum ſatis eſt, non eundem prouocandæ deuotionis in omnibus eſſe modum, ſed quidam vocibus delectati accenduntur: hos autem in vocibus orare ſemper decet, alios quoque vocaliter pſallentes audire. Alij verò ſunt, quibus ſi interdum deuotionis cuiuſdam feruor obrepſerit, ſiquis eis colloqui, aut ſaltem apud eos loqui cœpit, ab inſurgente deuotione tepeſcent. Hoc autẽ idem fit in quibuſdam, vt ſi tacita cogitatione in Deũ
C ſuccendantur, cœperintque etiam ſolitarij aliquid ad Deum vocaliter proponere, mox in eis cœptus feruor deſiſtet. His autem expediens eſt, vt orationes ſuas ad Deum in ſecreto cordis ſui fundant, nihil vocaliter exprimentes: ab alijs quoque ſeiungi expedit, ne ab eis vocaliter orantibus perturbentur. Qua in re interior oratio ſine vlla verborum expreſſione interdum valde prodeſt: primò quoniam quibuſdam hoc accidit, vt maiori ſuccendantur feruore: cum interiori cogitatione curas, & affectiones ſuas peruoluentes id, quod cupiũt, Deo expoſuerint, quàm cum interiorem feruorem in vocem profundũt. Sic namque in paſſionalibus motibus accidere patet, vt ſi ira in verba, aut lachrymas prodeat velociter decocta, aut magis exſufflata expirauerit. Si autem ſola interiori cogitatione ſuſceptas, aut exiſtimatas iniurias contemplamur, actiori quodam, atque diu-
D turniori ſtimulo permouemur. Ob hoc autem Deus Iudæis adhuc imperfectis viris iuſſit, nè conceptam irã in corde tenerent, ſed eos, quibus irati eſſent, publicè arguentes proderent. Sic enim velocius euaneſceret furibundus ille motus, alioquin peccatum in diuturnitate cauſaretur. Sic dicitur Leuitici 19. cap. Ne oderis fratrem tuum in corde tuo, ſed publicè argue, ne habeas ſuper illum peccatum. Secunda huius ratio eſt, quoniam plerique laſſanter orantes, ſi ſemper in voce orauerint. Fiet his ergo in alterutro permutatio, vt ſic omne tollatur faſtidium. ſ. vt nunc in voce, nũc in actu interiori preces ad Deum fundant. Ex prædictis autem illatum ſatis reor conueniens eſſe, quod, quamquã Deus nec aures habeat, nec vllas voces noſtras audire
E queat: conuenientius tamen eſt voce in plurimum ad Deum preces fundere, quam ſola interiori cogitatione peruoluere. Sic quoque patet, licet quadam longa illatione, ſerpentem hunc Chriſtum, qui Deus erat, inquàntum Deus erat, minime audiuiſſe.

Pars octaua quarta metaphoræ. ſ. Serpens, qui vidit. Cap. LXXXI.

CONtinuata prædicti quarti Paradoxi figurati ſerie particula octaua eſt. ſ. Qui vidit .i. ꝙ ſerpens iſte, qui Chriſtus eſt, viderit. Hoc magnus ſane inductionibus patet: Chriſtus quippe verus homo erat: ideo ei videre, vt ceteris hominibus adiacebat. Amplius autem videre, actus quidam animalis eſt præexigens potentiam viſiuam, & organa huic actioni ſubſeruientia.

A In Chriſto autem potentia viſiua, organa quoque videndi erant: Chriſtum ergo vidiſſe ſatis patet, niſi quiſquã arbitretur Chriſtum non fuiſſe verum hominem, nec animal, ſed corpus phantaſticum ex aerea confectum materia aſſumpſiſſe: hoc quippe dato Chriſtum videre impoſſibile erat: corpora nanque phantaſtica, quamquam oculorum figuras, ceterorumq; membrorum lineamenta habere videantur, nihil tamen vident, cum potentiã viſiuam non habeant, corpora. n. animata nequaquam ſunt, de quibus late diximus ſuper 7. & 20. c. Exodi. De Chriſto autem dici nequit, quod phantaſticum corpus habuerit: erat enim verus homo corpus animatum habens, vt in præcedenti particula patet. Identidem autem de Chriſto, quòd viderit patet, quia homo erat, niſi eum ſine oculis natum arbitrari velimus,
B aut oculos habentem, à natiuitate tamen cæcum extitiſſe: naſci enim ſine oculis quorundam animalium naturalis conditio eſt: quamquam ſub cute in eis quidam Phyloſophi oculos latere aſtruant, ſicut talpæ ſunt animalia ſub terra ſemper habitantia. Naſci quoque aliquem cæcum, nec miraculum eſt, nec aliquid ab exordio ſæculorum inſolitum: multi namque viſiua potentia orbati naſcuntur, de quibus in Sacra Scriptura ſæpe refertur, vt patet de cæco nato, cuius Dominus Ieſus oculos aperuit, vt habetur Ioan. 9. capit. Hoc etiam experimento tam notum eſt, vt probatione non egeat. Si ergo horum duorum quidquam in Chriſto poneretur, quamquam homo foret, videre tamen ſic manente impoſſibile prorſus erat. Ad hæc autem reſpondendum ſatis patet, quod Chriſtus, vt ceteri homines,
C viderit, nec prædictorum in eo quidquam fuit. Primum quidem in Chriſto eſſe veriſimile, nec probabile vllo modo eſt, ſed magis omni veriſimilitudini obuiat: nam ſine oculis naſci quorundam animalium conditio eſt: humanæ tamen conditioni repugnat, quoniam homo perfectiſſimum animalium eſt: perfectorum autem animalium eſt oculos habere. Et, quamquam in partibus ſeparatiſſimis a nobis, ſcilicet, in extremitate terrarum habitabilium, vel (vt ita dicam,) in angulis mundi, gentes quædam monſtruoſæ valde habitent oculos habentes, etſi non ſit in eis idem poſitionis modus, ſcilicet, quòd non habeant in eadem parte corporis ſic figurata, vt nos habemus: hi autem Ciclopes appellantur, qui vnum oculum grandem quidem dumtaxat habent, & hunc in media fronte locatum, de
D quibus Iſidorus Ethymologiarum lib. 2. Horum autem erat poeticus fortaſſis ille Poliphemus, qui ſocios Vlyſſis per terram Siculorum cum ipſo trãſeuntes nauigio vectos, ad litus autem applicatas puppes, vorauit. De his Ouidius Metamorphoſeos lib. 12. & Boetius de Conſolatione lib. 4. metro vltimo, quod incipit: Bella bis quinis operatus annis. Aliæ autem gentes ſunt, quæ etſi in eiſdem partibus corporis, in quibus nos habemus, oculos ſitos non habeant: alibi tñ eos habent. Hi enim etſi aliquid pro capite gerant: capitis tamen figuram non habent, oculos in humeris locatos habẽtes. De his Iſidorus Etymologiarum lib. 2. Omnes igitur gentes, quantumcumq; monſtruoſæ ſint, oculos habent, etſi differant in numero, figura, vel poſitione.
E Chriſtus ergo oculos habebat ſaltem vnũ: etſi eum virorum monſtruoſiſſimũ appellemus. Sed adhuc monſtruoſitas in Chriſto nulla erat: nã hi, qui monſtruoſi ſunt, inter ceteros contẽptibiles reputantur, & nullius auctoritatis viri: quinimo, qui in corpore monſtra gerunt, in anima quoque monſtra magna, quamquam occulta, geſtare creduntur: ſicut ait Ariſt. in Phyſiognomia, quod animæ corporum qualitates conſequuntur. Chriſtus tñ prædicaturus, & diſputaturus aduenerat in hũc mundum, vt ex verbis ſuis patet, cum ad virginem reſpondit inquirentem ab eo: fili, quid feciſti nobis? nam & ego, & pater tuus dolentes quærebamus te. Ipſe autem reſpondit: neſciebatis, quod in his, quæ patris mei ſunt, oportet me eſſe? vt patet Luc. 2. capit. vocat autem ea, quæ patris ſui ſunt, prædicationem, & diſputationem: ipſe namque ante

Ciclopes vnum in frõte habent oculum.

Gẽtes in humeris oculos geſtantes.

hoc

[illegible] ſenſitiuæ agunt in eis [illegible] Deus autem [illegible] A
[illegible]
nullo extrinſeco perficitur, ſed in ſeipſo perfectionem
ſuam continet; Videre ergo, & audire [illegible] equit. Aliam
quoque imperfectionem omnes ſenſitiuæ potentiæ ſor
tiuntur; [illegible]
enim eæ datæ ſunt: vt per eas tanquã per organa quæ-
[illegible]
per ipſas [illegible] ſpecies ſenſibiles tranſlatæ ad
phantaſiam, ſuper quas [illegible]
[illegible] In Deo autem nullius rei ſubordina-
tio, [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] B
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]

Reſponſio ad obiectionem ſuperius poſitam. C. LXXXIV.

[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] C
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
quanquam ex aliqua parte ſecum commixtam habeat
imperfectionem [illegible] quod nullam perfe-
ctionem dicere poteſt. In Deo tamen [illegible]
conuenit, ſi enim in Deo viſionem poneremus, [illegible]
eſſet, vt omnes imperfectiones in eo eſſent, quas videre
in cunctis animalibus importat, quod non [illegible] D
Deus tamen non videns, nec audiens perfectionem in
ſe habet, quam videre, & audire ſignant, nullis [illegible]
bus imperfectionibus, quas videre, & audire mixtas
habent [illegible] in Deo contingere ne-
quit, in nullo enim eorum perfectio, quæ importatur
per videre, & audire reperietur, niſi illud audiat, & vi-
deat. [illegible] Videre namque
hanc perfectionem dicit, & habet, vt per ipſum ſpecies
recipiantur in phantaſia, quibus cognita nobis ſunt, quæ
aliter cognoſci impoſſibile nobis erat. In Deo autem
& ſi non videat, perfectionem iſtam reperiemus [illegible]
nempe non videns omnia intelligit, quæ videns intel-
ligere poſſet, & adhuc plura, quæ per viſum incognita
nobis ſunt. Identidem, etſi Deus nihil audiat, cuncta ta-
men [illegible] patent; quæ audiendo intel- E
ligere potuiſſet, inſuper & plurima, quæ auditu nullo
cognoſcuntur. In animalibus autem hoc non contingit,
nullum quippe animal viſu cæcus cognoſcit ea, quæ
viſu cognoſci ſolent; cæteraq; animalia id viſu appre-
hendunt, quod nullo modo ea apprehendere nequit, vt viden-
tes comprehendunt. Sicut in cæco viro perſpicuum eſt,
ipſe quidem intelligere non valet, quæ cæteri videntes
viſu comprehendunt; in auditu quoque ſimile reperi-
tur, animalia namque non audientia id apprehendere
nequeunt, quod audientia animalia cognoſcunt, in ſur-
dis enim hoc patet, ipſi quidem in genere vocum, & ſo-
norum nihil intelligunt; quod cæteris hominibus in
promptu eſt, quoniam auditu nihil percipiunt. Sic Ariſt.
[illegible] quod neceſſe eſt illa ſcientia carere, [illegible]
ius potentia cognitiua de obiecto [illegible]

autem [illegible] Deum nec audire, nec videre [illegible]
[illegible] hoc in Deo imperfectionem [illegible] ſed potius
perfectionem [illegible] quoque [illegible] ſerpentem hunc
qui Chriſtus eſt, vt Deus eſt, non vidiſſe [illegible]

Pars decima quarta metaphoræ, ſcilicet, Serpens qui ſentiebat. Cap. LXXXV.

Nec, quod ſæpe appello quartum Paradoxon, par-
ticula decima eſt: Qui ſentiebat, ſcilicet, quod ſer-
pens iſte ſentiebat; Qualitercunque autem ſentire ac-
cipitur, neceſſe eſt Chriſtum ſenſiſſe, qui ſerpens di-
citur. Chriſtus nempe, vt homo verus erat, vt cæteri
homines ſentiebat, qualitercunque ſentire dicatur.
In quo aduertendum ſentire multipliciter dici; ſenti- B
re ſiquidem [illegible] pro intelligere, iudicare, diffi-
nire aſſumitur. Sic enim quãdoq; de quibuſdam aſtrui
mus, quàm bene, aut [illegible] de fide ſentiunt, [illegible]
intelligunt, vel iudicant. Ad idem quoq; pertinet [illegible]
dicimus aliquem eſſe [illegible] vel peruerſam ſen-
tentiam, iudicium, vel diffinitionem. Hic quoque mo-
dus in authenticis ſcripturis frequens eſt; quoniam ta-
men modus iſte a propria ſignificatione huius dictionis
alienus eſt, [illegible] hoc modo. Sic ma-
[illegible]
[illegible] C
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] aliquid face-
[illegible] in huius contex-
tus particula dicebatur: Qui vidit, & nõ vidit; audiuit,
& non audiuit. Hinc notandum duæ principales ſenſatio-
nes ſunt a duabus præcipuis potentiis ſenſitiuis. Si er- D
go, cum dicimus: Sentiebat, & non ſentiebat, pro omni-
bus ſenſationis actibus uniuerſaliter aſſumpſerimus,
[illegible] quoniam idem bis [illegible]
Alius modus accipiendi ſentire particularior eſt, ſcili-
cet, pro actu ſolius tactiuæ potentiæ, qui eſt tangere:
iſtud namque tactus nomen pro tactiua potentia apud
vulgariter loquentes [illegible]
[illegible] generalior eſt
cæteris ſenſitiuis potentiis; aliis diſtinctis ſibi cor-
poris particulis [illegible] organa: tactus autem
nullam ſpecialiter diſtinctam, ſed in toto corpore æqualiter
tenet: Nullum namque in toto homine, aut quolibet
animali membrum eſt, aut corporis diſtincta particu-
la, in qua ſenſus aliquis non ſit, niſi quis capillos [illegible]
de partibus non propriis [illegible] quia ſunt comple- E
xionis terreæ, & modicum [illegible] ad participandam
conditionem animalis, ſicut ſunt oſſa, & vngues, atque
capilli iuxta Ariſt. ſententiam, tertio de Anima in fine:
[illegible] ergo quaſi ex hæreditate aſſumpſit ta-
ctus, vt ſenſus vocaretur [illegible] aliud exprimitur
potius, quam [illegible] ſenſuum quilibet. Iſte autem ſen-
ſus in Chriſto, ſicut & nobis, fuit: per hunc enim cuncta
animantia dolores, & delectationes, caliditatem & fri-
gora, mollitiem, & duritiem experiuntur, cætera quo-
que ad hunc pertinentia ſenſum. Hæc autem Chriſtus
[illegible] caliditatem, &
frigora, ſiccitatem, & humiditatem tolerans; cum hæc
accidentia ſint conſequentia [illegible] &
non inſurgebat ex decompoſitione complexionis indi-
uidui; in eo igitur eſſe neceſſe erat. Amplius autẽ Chri-
ſtus

Sentire multipliciter dicitur.

Sentire, ac nõ ſentire Chriſto non cõgruit.

ſtus dolores pertulit;doluit namque, cùm circunciſus eſt vera eius carne abſciſſa, quo ad lachrymas coactus eſt,vt prelibauimus ſupra in tertia metaphora, famem quoque, & viæ laſſitudinem pertulit, vt in eodem Paradoxo metaphorito inductum eſt. Præter hæc autem acerrimos dolores in paſſione ſuſtulit,ſæuis ei inflictis vulneribus:tanta enim horum cruciatuum immanitate permotus eſt, vt hæc, quæ ventura erant ſuper eum, ampliſſimè cognoſcens, vt patet Ioann. 18. capit. humoris ſanguinei guttas exſudauerit, antequàm horum quidquam ei illatum foret. de hoc Luc. 27. Ex prædictis ergo inductum patet, quòd ſerpens iſte, qui Chriſtus erat,ſenſerit.

Pars vndecima quartæ metapho. ſcilicet, Serpens, qui non ſentiebat. Cap. LXXXVI.

HVius iam concludendi quarti metaphorici Paradoxi particula vndecima,ac poſtrema eſt: Qui nõ ſentiebat:quod ad ſerpentem,de quo iam largus ſermo trahitur,referendum eſt.Et,quoniam liquido comprobatum extitit in prælibatis de hoc ſerpente, qui Chriſtus eſt,quòd ſecundum humanitatem verè ſenſerit,reſtat,vt ad eum ſecũdum deitatem referentes,quòd non ſenſerit,prædicemus: Chriſtus namque,vt Deus eſt, in neutro duorum modorum vltimorum ſentire potuit. Hoc autẽ inducitur:nam ad hoc, vt aliquid ſenſitiuam potentiam habeat, ſiue ſentire actum cuiuslibet ſenſitiuæ potentiæ appellemus, ſiue ad tactiuam duntaxat referre velimus, neceſſe eſt, vt virtutem corporalem, & organa ſenſationis corporalia habeat:in Deo autem hoc cadere impoſſibile eſt,quoniam nec corpus eſt,nec aliquid corporeum habet; eum ergo ſentire, vt prædicitur,impoſſibile eſt.Præter hoc autem in omni ſenſatione paſſionem eſſe neceſſe eſt,quoniam ipſa ſenſatio eſt paſſio:in Deo autem paſſionem eſſe impoſſibile eſt: eum ergo ſentire poſſe non contingit. Item,cùm ſenſatio quæcunque cauſatur, potentia ſenſitiua ipſumque animal ſentiens à ſpecie obiecti patitur:nihil tamẽ eſt, à quo Deus queat pati nullo habente ſuper ipſum potentiam actiuam,Deum igitur aut aliquam diuinarum perſonarum ſentire impoſſibile eſt.Item ſenſus tactus, qui præ ceteris differenter ſenſus appellatur, eſt propria virtus animalis;quoniam omne animal ſenſitiuum eſt, nec quiſquam ſenſus eſt, quem cuncta animalia quaſi ex natura generis habeant præter tactum. Quædam quippe imperfecta animalia ſunt, quæ extremum gradum in ceteris tenent,in quibus ſola tactiua potentia reperitur, qua dolorem, delectationem, frigora,& æſtum, humidum, & ſiccitates, durum, & molle ſunt ſentiunt: hæc autem ſunt conchilia quædam petris in mari affixa, quæ natura ſaxis affixa ſunt, quoniam eis nullum motum ſecundum ſpeciem ſuam tribuit: nec quidem vllum animal,quantumcunque imperfectum à natura conſtans eſſe poteſt, in quo tactiua virtus non ſit:multa tamen ſunt,quibus præter ſenſitiuam,ſ.tactiuam potentiam nulla inexiſtit. Hæc igitur virtus à natura generis animalibus natura diffinita conſtat, atque cum ipſa animalis natura conuertitur, nihil quippe naturam animalem habet, quod animal non ſit, Deus autem animal non eſt; potentiam ergo tactiuam non habet.Amplius autem,tactiua potentia fundatur in extenſo,quoniam obiectum ſuum ſecundum extẽſionem actionem ſuam habet, nec in indiuiſibile agere poteſt, neceſſe namq; eſt recipiens ſecundum tactum eſſe,quãtum vt diuidi poſſit:in Deo autem quantitas nulla eſt: tactiuam ergo potentiam in eo eſſe impoſſibile eſt.Aliæ autem multiplices rationes induci poſſent,quibus amplius euidens foret tactiuam potentiam in Deo non eſſe,de quibus ſufficiant,quæ dicta ſunt.Ex prędictis illatum patet,hunc ſerpentem,qui Chriſtus erat, potentiam ſenſitiuam tactiuam, & ipſum ſentire nullatenus habuiſſe.Conſequenter totius quarti Paradoxi figurati explanatio qualiſcunque explicit.

F

PARADOXON QVINTVM DE AQVILA.

Quomodo Chriſtus aquila dici poſſit. Cap. I.

COntinentiam cedulæ in ſequentibus, quam veſtra regia celſitudo mihi ſeruulorum minimo deſtinauit, quintum occurrit figuratũ Paradoxon.Cuius tenor eſt:Fuit Aquila, quę volauit,& non volauit:venit in locum,à quò nunquam diſceſſit: quieuit,& non quieuit:renouabatur,& non renouabatur: gaudebat,& nunquam gaudebat: honorata eſt, & nunquam honorem ſuſcepit. Hæc autem extrema metaphora ad Chriſtum neceſſariò referenda eſt, G ſicut tres præcedentes referebantur, quoniam ſingulæ eius particulæ nulli niſi Chriſto conuenire queunt, vt in ſequentibus per ſingula exponendo patefiet. Huius verò prima particula: Fuit aquila, ſecundum hiſtorificam,ſiue literalem expoſitionem ad Chriſtum applicari nequit, ſed metaphoris neceſſariò inſiſtendum eſt; Chriſtus namque, cum verę Deus, & homo exiſteret, aquila eſſe non poterat.Iuxta eam autem doctrinã, quæ in prælibatis de tranſumptionibus poſita eſt, neceſſe eſt,vt in conuenientibus tranſumptionibus aliqua ſimilitudo ſit eius,quod tranſumitur ad id,ad quod ſit tranſumptio: quam ob rem oportet aliquam proprietatum concordiam inter Chriſtum,& aquilam aſſignari. Prima autem horum conformitas in volatu eſt: quoniam inter volatilia nullum æquè,vt aquila ad aeris vertices H conatur aſcendere,altiſſimum.n.volatum habet.Chriſto autem hoc congruit,ipſe namq; alium,quàm ceteri homines,volatum extulit,quoniam ad altiſſimum volando peruenit locum.Hóc autem liquidò in ſua aſcenſione monſtratum eſt: tunc quippe vniuerſam elementalem tranſcendit regionem: ſeptẽ quoque planetarum exceſſit orbes:ſtelliferumque ſubegit cælum, atq; chryſtallinum,quod firmamẽtum more ſacræ ſcripturæ appellatur,ſuperauit terga:quod etiã aſtrologorum,atque philoſophantium more primum mobile nuncupatur, extremo empyreo ſolio collocatus.Hic enim eſt finis rerum, atque vltimum cælum, vbi eſt gloria beatorum. Sine iniuria igitur dicendum putauerim, Chriſtum quantùm ad hoc aquilam dictum: ipſe namque ſuper I omnia,quę in vniuerſo ſunt,tranſuolauit,nec iam vllus ei in tota natura, & rerum vniuerſitate locus manebat, ad quem conſcendere poſſet.

Secunda conuenientia inter Chriſtum,& aquilam. Cap. II.

AQuilarum autem ſecundam conditionẽ,qũo Chriſto conuenire queat, quidam non iniuria aſtruunt oculorum viuacitatem. Ipſæ enim viſiuam potentiam, & oculos conueniẽtius ad acutè videndum diſpoſitos, quàm omnia animalia habent: nam, etſi quis cuncta animantia inquiſierit, nullum tam acuti contuitus reperire valebit. Hoc autem manifeſtum redditur: nam, cùm aliqua lux intenſa, atque fortis valde eſt, aliorum K animalium oculi nequeunt intueri,quod veſpertilionibus,nicticoracibus,& bubonibus, atque noctuis accidit: hæc enim otto ſole videre nequeunt, aut debiliter valde vident.Hoc autem ideo euenit,quoniã huiuſmodi volatilia debiles oculos habent, & malæ cõplexionis.Sicut ait Ariſtot. ſecundo Meta. ſicut ſe habet oculus noctuæ ad lumen ſolis, ita ſe habet intellectus noſter ad ea, quæ ſunt notiſſima in natura, ſcilicet, quod hæ volucres lumen ſolis intueri nequeunt,ſicut & nos ea, quę ſunt principaliſſima in natura, in cauſalitate, atq; per hoc notiora eſſe debebant,diſtinctè cognoſcere non valemus. Nec quidem in his duntaxat memoratis volatilibus hanc proprietatem cauſauerimus: ſed in ceteris quoque benè complexionatis volatilibus hoc accidit, quòd, cum lux fortis fuerit, eam contueri nequibunt, quòd, ſi eam ſpeculari contendant, magnum ex hoc

Aquilæ ſunt acuti viſus.

hoc oculorum ſequitur nocumentum. Velut ſi quiſpiam hominum ſolem aſpexiſſe voluerit, non valebit. Si verò in hoc eluctatur, magnum in oculis viſus ſui ſentiet nocumentum. Sic Ariſt. inquit tertio de Anima. excellens ſenſibile tollit ſenſationem. Sicut in potentia tactiua intenſus valde calor, aut frigus apponitur: in auditiua vero excellens ſonus: in guſtatiua autem excellens ſapor: in odoratiua autem excedens odor; in viſiua autem lux admirabilis. In aquila autem hoc ſpeciale ad cetera volatilia, & cuncta animantia accidit, quòd nullum illorum ſit, cuius acies ad lucem fortem non retundatur, & prorſus obfuſcetur, aquilæ autem conruitus nulli quantumcumque luci forti cedit. Inter omnia lucentia, & ſplendentia ſolis fulgore nihil maius eſt, ſed ad lucem ſolis aquilæ acies non turbatur, ſed in eum figit intuitum, atque, vt omnes qui de natura loquuntur, perhibent, ſolem in rota indeflexo contuitu ſpeculatur, nec magnitudine lucis oculos claudere cogitur. Hoc etiam eſt, quo aquilæ velut naturali quodam experimento proles proprias, & degeneres contuentur. Eſt enim, vt interdum aliæ volucres in nido aquilarum proles à ſe editas reponãt: aquilæ autem velut quadam ſuſpicione permotæ ab alienis proprias proles diſcreturæ ſingulos pullorum in vnguibus contra ſolem leuant, vt radios ſolis directo lumine contemplentur. Qui autem horum ad ſolem immotos, apertoſque tenuerit oculos; vt vera progenies ab aquila reputatur, atque filiali charitate diligitur, & nutritur. Qui autem hunc ſplendorem ferre non potentes oculos in aduerſum contorſerint, aut clauſerint, tanquàm degeneres hoc experimento probati à nido abijciuntur. De hoc Iſidorus Ethymologiarum libro vndecimo, & de proprietatibus rerum libro decimo octauo.

Quo periculo aquilæ proprios pullos ab alienis diſcernãt.

Chriſtus aquilæ ſimilitudinem gerit: & quædam de Chriſto. Cap. III.

IN hoc autem quod de aquilis dictum eſt, Chriſtus aquilarum magnam ſimilitudinem gerit: nam velut aquilæ inter cetera animantia fulgorem ſolis acutius contuentur, ita & Chriſtus inter ceteros homines eſſentiam diuinam acutius, atque immediatius contemplatur, angelos quoque in hoc excellit. Nec quis nos hæc de Chriſto, vt Deus eſt, ſermonem agere putet, hoc enim modo ſe ipſum intuetur, nec ad aliquem alterum conferri poteſt: ſed de Chriſto, vt homo eſt, loquimur. Sic enim acutius ceteris hominibus comprehenſoribus, ſiue viatoribus diuinam contemplatur eſſentiam. Angelos quoque valde in hoc excellit: nam animæ illi benedictæ Saluatoris noſtri data eſt ſapientia ſine menſura, quæ eſt ſapientia infinita, aut cognitio omniũ eorum, quæ Deus nouit. Sic habetur Ioannis capitulo primo: Datus eſt ei ſpiritus, & non ad menſuram: de cuius plenitudine omnes accepimus: & ſecundum apoſtolum in eo omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei abſconditi ſunt. De hoc magiſter tertio Sententiarum diſtinctione decimaquarta. Vnde anima Chriſti cuncta nouit, ſcilicet quæ ſunt, & fuerunt, atque futura ſunt. Amplius autem habuit priuilegium, quod nemini vnquam datum eſt: nam, quod ceteris hominũ, qui boni ſunt, poſt mortem accidit, ei in vita inerat, & dum pateretur, & mortuus extitit, & vt generaliter dicã ab inſtanti conceptionis hoc habere cepit, poſtea verò habere nunquam deſijt. Ceteri enim, qui piè viuunt, dum eis vita manet, expectãt bonum illud extremum, quod in diuina viſione conſummatur: dũ aũt ſuperſtes eis vita eſt, hoc nulli conceditur, ſed id ſolliciti ſemper inquirunt, & ob hoc theologici doctores, omnes, quibus adhuc præſens vita agitur, viatores dicunt. Nã hoc, quod appetunt, nunquam datur: ſed illud ſemper attenti proſequuntur: vnde, quaſi quotidianam viam agerent, ſunt. Qui verò corpore ſoluti in domino optimam dormitionem acceperunt, in vita æterna beati, atque diuinã eſſentiã videntes nihil vltra deſiderãt, quoniam omne bonum, quod deſiderabant aſſecuti ſunt. Iſti autem apud theologicos doctores, comprehenſores appellantur, quoniam bonum, quod deſiderabant, iam poſſident, nihil vlterius inquirentes. Hoc modo Chriſtum comprehenſorem, dum in carne inter nos viueret, appellabamus; bonum namque maximum omnium hominum, & Chriſti, vt homo eſt, ipſa diuinæ eſſentiæ viſio erat, hoc autem iam tenebat. Fuit enim in homine Chriſto ab exordio conceptionis ſuæ: nam diuinum verbum ſibi hominem Chriſtum vnierat, ideo anima benedicta eiuſdem ſemper apertè diuinam contemplabatur eſſentiam, per hoc totam ſuam beatitudinem adepta: in hoc quippe tota humana conſiſtit felicitas. Hanc autem viſionem conformiter Chriſtus tenuit, dum inter nos in carne viueret, & dum cruciatus acerrimos actualiter in ipſa paſſione toleraret: ſicut & nunc, cum in empyreo ſedet a dextris Dei: neceſſe eſt ergo, vt velut nunc, quando in empyreo cælo eſt, vbi gloriæ locus ponitur, cum comprehenſorem appellamus: ita & ante paſſionem ſuam eodem fundamento neceſſe erat, eum comprehenſorem & felicem prædicare; hoc autem nemini niſi ipſi beata Trinitas contulit: nullus ergo hominum aquila conuenienter dici poterat præter Chriſtum. Ex eodem autem fundamento inſurgit, quòd Ioannes euangeliſta in aquila figuratus eſt, quæ eſt vnum de quatuor animalibus, quę vidit Ezechiel ante thronum maieſtatis Dei. Sic quoque eum figurat eccleſia, cum deſcribit quatuor animalia ante thronum ſedentia, quoniam inter omnes euangeliorum ſcriptores, nemo tam profunda indagine deitatis myſteria perſcrutatus eſt. Ceteri namque circa aſſumptę humanitatis conditiones magis peruagati ſunt. Ex præpoſitis ergo aquilarum proprietatibus, & pleriſque alijs, quæ applicari poſſent, Chriſtum conuenienter aquilam dici patet.

Cur homines dũ viuũt, dicũtur viatores.

Chriſtus fuit in vita cõprehenſor.

Pars ſecunda metaphoræ quintæ, ſcilicet, Aquila, quæ volauit. Cap. IV.

HVius extremæ metaphoræ particula ſecunda eſt: Quæ volauit. Hoc autem Chriſto, de quo hæc exponenda propoſuimus, in literali ſenſu non conuenit, ſed ad metaphoras neceſſario redeundum eſt: volare quidem in literæ cortice volucrum naturalis conditio eſt: Chriſtus autem nec volucris eſt, nec alatus, quoniam verus homo erat; volare ergo ei in metaphora conuenit. Quo pacto hic integram, abſolutamque tranſumptionem fieri neceſſe eſt, ſicut in prælibatis tertiam metaphoram exponentes explicuimus, ſit namque dupliciter tranſumptio, ſcilicet, perfecta, & ſecundum partem: tranſumptionem ſecundum partem appellare conſueuimus, cum propoſitionis ſubiectum tranſumptum eſt prædicato non tranſumpto, ſed in ſua proprietate manente, aut cum prædicatum tranſumitur nulla in ſubiecto tranſumptione facta. Perfectam autem, & abſolutam tranſumptionem nuncupare conſueuimus, cum in prædicato, & ſubiecto tranſumptio eſt, nulla manente vocum proprietate primaria in contextu. Sic autem hic factum eſt, quoniam aquila omnium prædicatorum, quæ in hoc figurato Paradoxo extremo ponuntur, ſubiectum eſt: ponitur autem ſecundum tranſumptionem. Chriſtus quippe ſecundum rem aquila non eſt, ſed tranſumendo. Iſtud quoque primum prædicatum, ſcilicet. Quæ volauit, tranſumptum eſt, volatus ſiquidem de Chriſto ſecundum literam dici non poteſt, quoniam non volauit, ſed per aliquam attributionem.

Chriſtus volauit.

Hæc autem particula: Quæ volauit, Chriſto cõuenit, qui aquila eſt, homo autem, vt homo eſt, quod ad aſcẽſionem ſuam in cælum referendum eſt: nam, ſicut volucris, cui volatus ex naturæ proprietate conuenit, volans alta tranſcendit, & quæcunque loca petit in quæ eam voluntas, aut naturæ inclinatio duxerit: ita Chriſtus in aſcenſione ſua altiſſima conſcendit loca. Hic autem Chriſti motus ad aſtra congruè volatus nomen accepit:

pit: quoniam ipſe verus homo erat: hominibus autem F
conuenit motus progreſſiuus, quia pedibus mouentur, & non alis. Motum autem hunc eum duntaxat, qui in proceſſu per planum eſt, dicimus hunc, qui ſuper partes ſolidas ipſa animalia ſuſtinere potens ſit: per aerem verò nullus motus progreſſiuus eſt, quia aer elementum raræ ſubſtantię eſt, nullum animal magni ponderis ſuſtinere potens. Quòd igitur Chriſtus in aerem ſcanderet, altiora quoque vltra aerem peteret, non accidebat in modum ambulationis, quæ eſt motus progreſſiuus pedibus incitis factus: ſed ad volatum pertinet. Sic ergo conuenienter dicitur, quòd volauit. Nec quidem volatus duntaxat iſte fuit, ſed vltra volatum aliquid: volatus namque tunc eſt, cùm volucres per aera mouentur ſuis alis, incitæ atque regulatæ: quanquam autem volucres grauia corpora habeant, etiamſi non ita grauia, vt homines, latitudine tamen alarum, & aliarum plumarum corporis ſe mouentes, ne G
cadant ſuſtinentur, ſub ſe aerem, quo teneantur, colligentes.

[Margin: Cur aues in aere detineri poſſunt.]

Aer autem, quanquam leue corpus ſit, aliquas tamen vires habet ad ſuſtinendum corpora non valde grauia, quoniam non eſt corpus penitus rarum, quo pacto aues in aerea tenentur regione.

Aues in ignea regione non poſſunt ſuſtineri.
Cap. V.

IN regione autem aerea, quanquam aues pennis incitę ſuſtententur: ſi tamen igneam peruolare vellent regionem, in ea ſuſtineri non poſſent. Nec hoc quidem H
quiſquam ex hoc preciſe eueniſſe arbitretur: quia ignis calore ſuo eas conſumens occideret, ſed ex alijs adhuc cauſis.

Harum prima eſt propter inſpirationem, & reſpirationem: non enim poſſent volucres in ignis ſphæra inſpirantes anhelitum trahere: quia id, de quo anhelitum conflantes ducimus, & emittimus, aer eſt, & non ignis.

Secunda in his cauſa eſt, nam quanquam volucribus alæ inſint, quibus per alta ſubſtententur, & ignis conditio eas non occideret, poſſentque ibi inſpirare, & reſpirare, ibi tamen ſe ſubſtentare non poſſent: vt enim alites volent coexigitur, vt alarum extenſione hoc efficiant, ſubſtinentes ſe in illo elemento, per quod volatus iſte fit. Sicut in aere euenit: in eo namque ad eas ſu- I
ſtentandas ſufficiens virtus in pennis eſt. Ignis tamen hoc nequit, quia eſt corpus ſubtile valde, & rarioris ſubſtantiæ, quam ſit aliquod corpus in tota elementorũ aggregatione; non ergo habet vires ad aliquid in ſe ſuſtinendum: quanquam igitur ſatis volucres conarentur alis incitis ſe in igne ſubſtinere, eis tamen effectus non contingeret, ſed neceſſariò inde in inferiora corruerent. Hoc autem liquide comprobatur in hominibus ſecundum artem natatoriam. homines quidem, & cetera animalia nullo adhibito artificio, aut ſolertia corporis ſuper terram ſubſtinentur, nec inde in aliquid alterum ruere valent præ denſitate, & duritie, atque compactione ſubſtantiæ eius. Si tamen homines aquis incumberent, quæ terra rariores ſunt, atque minoris potentiæ ad aliquid ſuper ſe tenendum: niſi ho- K
mines quadam arte, aut indicta ſolertia manus, & brachia, crura, & totum corpus ad ſe tenendum permouerint, ſubmergi eos neceſſe eſt. Sic quoque in auibus ad alterum relatis eſt; nam velut aer nullatenus hominem tenere volantem poteſt, qualitercunque corporis ſui membra mouerit: quia raræ ſubſtantiæ, & paucarum virium eſt. Sic quoque ignis alites per eum volare conantes tenere non poterit; quoniam ſubtilius, & rarius inter omnia corpora elementalia eſt. Chriſtus tamen volauit per ignem: quia ad cælos conſcendendo per ignem tranſire, neceſſe erat: aſcenſio ergo Chriſti ad cælos pluſquam volatus fuit. Amplius autem volucres non ſolum per ignem volare nequeunt, ſed difficilius per cælum volaturæ erant, aptius quidem, ſi per igneam regionem alites volantes ſubſtinere poſſent, quam per cæleſtem magnitudinem. Nam ignis, etſi leuiſſimum, rariſſimæque ſubſtantiæ inter omnia elementaria corpora ſit, aliquam tamen quaſi denſitatem habebit, ſecundum quam aliquid in eo quodammodo tenere poſſit, quia corpus elementale eſt. In cælo autem horum nihil eſt, quoniam cælum elementale corpus non eſt, nullam elementalem in ſe conditionem habens; in eo igitur volucres nullatenus ſubſtineri volando poſſent, nec ad ſe ſubſtinendum adiuuare: per cælum ergo volucribus impoſſibilis volatus eſt, & adhuc difficilior, quam per ignem. Chriſtus tamen in aſcenſione ſua ſeptem erraticorum aſtrorum penetrauit orbes, octaui cæli, quod ſtellatum, aut ſignifetum dicitur, tranſcendit magnitudinem, nonique cæli, quod chryſtallinum dicitur aquoſam excelluit ſub- G
ſtantiam, empyreum extremo vniuerſitatis margine ſitum regnaturus conſcendens: maior ergo Chriſti, quàm cuiuſque alitis, volatus fuit.

[Margin: Ignis eſt rarioris ſubſtãtię ceteris elemẽtis.]

Nunquid Chriſti volatus in aſcenſione naturalis fuerit, vel potius ſupernaturalis.
Cap. VI.

IN his autem nunc inquirendum reſtat, an iſte Chriſti ſuper æthereas ſedes naturalis [illegible] pernaturalis fuerit. Huic quiſquam forſita[illegible] debit, hunc fuiſſe naturalẽ motum: nam tu[illegible] naturaliter fieri ab aliquo agente dicitur e[illegible] H
cipio intrinſeco illius agentis ſit. Sic eſt ſe[illegible] ſtot. ſecundo Phyſicorum, cum dicitur nat[illegible] cipium motus, & quietis eius, in quo eſt: [illegible] aliquid agit, cuius actiuum principium in [illegible] eſt, motus ille naturalis non eſt: in Chriſto [illegible] iuſmodi erat. Ipſe nanque in ſe deitatem habeb[illegible] eſſet ſecunda perſona in beata Trinitate: Deus autem iſtum aſcenſum facere poteſt: erat ergo naturalis iſta aſcenſio. His autem dicendum eſt, quod, quanquam Chriſtus in ſe deitatem haberet, & per hanc cuncta, quæ dicta ſunt, & omnia, quæcunque vellet, facere potuiſſet; motus tamen iſte aſcenſiorius in cælum naturalis non erat, quoniam Deus non eſt principium actiuũ naturale, ſed ſuper naturam. Item, ſi hunc aſcenſum naturalem fuiſſe diceremus, quoniam Chriſtus dum I
virtute diuina inexiſtente ſibi hoc operatus eſt, inferri neceſſe erat, omnia Dei opera naturaliter facta extitiſſe, quoniam ipſe illa virtute ſua effecit: ſed hoc nemo catholicorum fatetur: nihil enim eorum, quæ à ſolo Deo facta ſunt, naturaliter factum confitemur, ſed cuncta ex infinita potentia, vel ſupra naturæ vires. Amplius autem neceſſe eſſet, vt cuncta miraculorum genera naturaliter fierent. Deus namque omnia illa naturali ſua virtute efficit, extrinſecus nullo quæſito, ſed fides non fatetur miraculoſas operationes naturaliter fieri, cum omnes, qui recta ſapiunt, diſtinguant operationes miraculoſas contra operationes naturales. Præter hoc autem ſi aſcenſionem Chriſti ad cælos motu naturali factam diceremus: quoniam ipſe diuina virtute, quam in ſe habe- K
bat, hunc effecit motum, pari fundamento dicere compelleremur, quòd omnes operationes Chriſti miraculosè ante paſſionem ſuam naturaliter factæ ſunt: cum eadem inexiſtente ſibi virtute hæc ageret. Hoc tamen ſinguli catholici diffitentur, & tanquam hæreticum damnant, aſſerentes ſupra naturam extitiſſe omnes huiuſmodi actus. De angelis autem à contrario loquimur dicentes, quod omnes operationes, quas inter nos habent, naturales ſunt, quoniam actio eorum duntaxat in principijs actiuis naturæ fundatur. Sic enim dicetur, quòd nullus angelorum lignum, aut ſtipulam comburere poterit, niſi ei ignem applicuerit: ſi tamen ad hoc in ſe vllam haberet virtutem efficacem, nullo appoſito igne quæcunque combuſtibilia exureret. Sic quoque nemo angelorum ali-

Quid

quid infrigidare valebit, niſi ei aliquid frigidum formaliter, aut effectiuè appoſuerit. Hoc pacto omnes actus angelici inter nos ſuper res corporales vocantur naturales, quoniam nullam habent virtutem immutatiuam harum corporalium rerum, nec aliquam actionem naturalem incipere poſſunt, niſi applicantes naturalia actiua alijs naturaliter ad paſſionem diſpoſitis. In Deo autem ſic non eſt, quoniam ipſe nihil agit in hæc inferiora virtute naturalium rerum, applicando naturaliter actiua paſſiuis naturalibus: ſed ſe ipſo nulla extrinſeca adiuncta virtute hoc agit. Vnde, ſi quid calefacere voluerit, igne appoſito non indiget, ſed confeſtim, vt voluerit, comburetur ſua efficacia infinita. Conformiter, ſi quidpiam infrigidare voluerit, nullum frigidum naturaliter actiuum apponet, ſed ſeipſo illud mox, ſi voluerit, infrigidabit. Actus ergo diuini ad has res naturales dici conuenienter nequeunt; nullis namque naturalibus virtutibus ad hos efficiendos vtitur, ſed ſuo infinito vigore id efficit. Et, quoniam Chriſtus Deus erat, cum aliquid tanquam Deus, aut diuina virtute efficeret, actum illum ſupernaturalem dici neceſſe erat; Sic enim de hoc aſcenſu dicendum eſt, quòd iſte Chriſti aſcenſus ad cælos naturalis non erat, ſed ſuper naturæ curſum.

De' quo modo agat Deus hæc inferiora.

Notandum penes ſupernaturalem Chriſti aſcenſionem. Cap. VII.

Circa hanc Chriſti ad cælos aſcenſionem conſiderandum eſt, quòd, quanquam hæc ſupernaturaliter, & tanquam priuilegium ei collata eſt, inquantum naturæ excedebat vires, ei tamen ſoli non conceſſum eſt: ſed omnibus quoque, qui ſanctam in domino dormitionem acceperunt, hoc concedetur: nam in cælum empyreum poſt carnis reſurrectionem portabantur. Fuit tamen in hoc Chriſto collatum priuilegium inter ceteros reſurgentes, quoniam ipſe primus in reſurgentibus fuit: vnde cum Apoſtolus primitias reſurgentium vocat, ideſt, quòd primus futuræ reſurrectionis exordium dedit. Sic quoque primus in aſtra aſcendit. Nec valet, ſi obijcias de aliquibus, qui ante Chriſtum ſurrexerunt: ſicut de illo, quem ſuſcitauit Elias, vt habetur tertio Regum decimo octauo capitulo; & de illo, quem ſuſcitauit Eliſæus, vt habetur quarto Regum quarto capitulo. Multo enim tempore hæc facta ſunt ante Chriſti reſurrectionem, & natiuitatem: nam omnes hi, qui ſurrexerunt, iterum morituri reuixerunt. Chriſtus autem fuit primitiæ reſurgentium: quoniam, ſicut in generali reſurrectione nunquam morituri reſurgemus, ita & Chriſtus immortalis factus ſurrexit, iuxta illud Apoſtoli: Chriſtus reſurgens à mortuis, iam non moritur, & mors illi vltra non dominabitur. Hoc autem, quod priuilegium eſſe dicimus, in aſcenſione ad empyreum, non eſt exiſtimandum de animabus bonorum intelligi: cum a carne ſolutæ illuc ante reſurrectionem deferuntur: nam animam illuc tendere ſi ſola aſcenſio in cælum attendatur, miraculum nullum eſt. Nam cum actum ſupernaturalem appellamus, qui in agente principia efficaciæ nulla habet, ſed potius contra communes aliarum actionum modos eſt: animam tamen in cælum ſcandere, contra naturam, aut ſupra naturam non eſt. Sicut enim ignem ad cælum vſque aſcendere contra naturam, aut miraculum nullum eſt: quoniam nullum eſt, quod illum deprimere debeat, quia illud graue non eſt, ſed leuiſſimum elementalium corporum; ita & animabus non eſt ſupra naturam in cælum, & ſupra cælum ſcandere, cum nullam habeant grauitatem: anima enim, nec corpus eſt, nec corporis conditionem vllam habet, ſecundum quam in ea aliquid deprimens, vel aggrauans conſequatur, vt deſcendat. Adhuc autem rationabilius eſt animam aſcendere poſſe, quam ignem: nam ignis corporea ſubſtantia eſt, contrarietatem habens

Quia Chriſtus primus ſurrexit, ideo primus ad aſtra aſcendit.

Cur, cum alii prius ſurrexerint, Chriſtus ſit dictus primitiæ reſurgentium.

Anima nõ ſupernaturaliter, ſed naturaliter ſuper cælos ſcandit.

A ad alia elementaria corpora: contrarietas autem impeditiua eſt: vnde non poterit actio perfectè explicari in eo, ſicut in illo, quod contrarietatem nullam habet. Anima autem rationalis nec corpus, nec corporis particula eſt, aut aliquid conditionem corporis habens, nec quod ad aliqua corpora contrarietatem habere queat, nec aliquid ſibi reſiſtere poterit, ſicut in igni reſiſtit. Poteſt ergo anima liberè ſurſum, aut infra moueri, nullo ſibi corpore naturali impediente. Habet autem anima iſtum motum aſcenſionis perfectius, quam ignis: quoniam, quamquam ignis ad concauitatem vſque orbis lunæ perueniat, ipſam tamen cæleſtis corporis ſubſtantiam penetrare nequit. Eum namque, etſi penetrare conatetur, cæleſtia corpora impedirent: anima autem his obicibus detineri non poteſt; corpus namque in alterum corpus dumtaxat actionem habet: anima autem corpus non eſt;

B ipſa igitur ab eis impediri nequit, quin ipſa penetret. Ex prædictis illatum patet, nullam eſſe ſupernaturalem operationem, aut miraculoſam, animam in cælum aſcendere, nec quauis adiuncta virtute extrinſeca indiget, vt in cælum aſcendat, ſed ſua naturali virtute, ſcilicet, quia nec corpus eſt, nec corporum conditiones trahit, liberè aſcendere, aut deſcendere, quo voluerit, habet. Sed dicendum in his eſt, priuilegium animarum ſanctarum in hoc eſſe, quod animæ corporibus vnitæ in reſurrectione in cælos aſcendant poſt corporum reſurrectionem. Hunc autem actum, qui a principijs operantis rei expleri non poſſet, ab extrinſeco autem adiumentis appoſitis completur, ſupernaturalem eſſe

C dicimus. De hoc autem neceſſariò ſic dicendum eſt, quia in generali reſurrectione reunitis animabus ipſis corporibus, habebunt corpora conditiones elementares, ſcilicet, grauitatem, & denſitatem: ſecundum hæc autem natura obſtat, vt corpora noſtra aſcendere queant: quòd igitur tunc ad empyreas tranſuolent ſedes, ſupernaturali munere actum erit. Hoc autem in corporibus noſtris proueniet ex dotibus corporum glorioſorum: erunt namque facta corpora immortalia, & vniuerſaliter impaſſibilia, & agilia, ita vt in momento vbicumque placuerit, eſſe poſſint, etiã ſi loca illa inde valde diſtent. Poterunt quoque quæcunque obſtantia corpora penetrare, non impediente quouis oppoſito. Sicut in reſurgẽte Domino Ieſu factum eſſe dignoſcitur: quo-

D niam ianuis clauſis intrauit ad diſcipulos, vt habetur Ioannis 20. & Lucæ 22. capitulo. Alias quoque multiplices dotes glorioſa corpora habebunt, de quibus nũc non eſt per ſingula enarrandum.

Quod cum poſt reſurrectionẽ beati cælos aſcẽdẽt ſupernaturale erit.

Nunquid Chriſtus a ſeipſo, aut adiuuante extrinſeco Cælos aſcenderit. Cap. VIII.

Ex prædictis autem aliquod dubiũ ſuboritur, cùm Chriſtum ad Cælos aſcendiſſe dictum ſit, an à ſeipſo illuc ſcanderit, aut ab alio illuc deportatus ſit, ſcilicet, an aliqua virtus qualiſcunque efficiens hanc aſcen-

E ſionem effecerit, Chriſto nihil agente; aut ad hoc ſaltẽ adiuuantem potentiam aliquam habuerit. Huic reſpondendum eſt, quòd ſi aliquod de naturalibus corporibus in cælum transferendum foret, neceſſe erat, vt illuc ab alio transportaretur: per ſe enim nequibat aſcẽdere. De Chriſti autem corpore aliter ſentiendum eſt; dicendum enim, ipſum per ſe nullo appoſito adiutore in cælum ſcandere potuiſſe duobus fundamentis. Primò quidem, quoniam ipſe Deus verus erat: ideo quodcumque facere voluiſſet, facilimum ei erat in hoc nullo egenti auxilio extra petito. Ob hoc autem Chriſti volatus in Cælum non dicitur aſſumptio, ſed aſcenſio, quia aſſumptionem appellare conſueuimus, cum aliquod corpus in Cælum tendit, aut in quemlibet locum alicuius celſitudinis, illum non ſuis viribus petens, ſed alia potentia latum: aſcenſionem verò tunc dicimus, cum in cælum, aut in quaslibet altitudines, quodcunque fertur corpus, à nullo motum, ſed ſuis viribus

agẽs; Chriſtum igitur in virtute ſua aſcendiſſe fatemur. Amplius autem Chriſtus, cum in Cælum aſcendit, glorificatum gerebat corpus: eſt autem glorificatorum corporum conditio, vt in momento, vbicumque voluerint eſſe poſſint; hac ergo agilitate Chriſtus dotatus, vt gloriæ corporis ſui effectus compos, nulla adiuuante virtute fultus, ſolis dotibus ſuis in cęlum ſubitò ſcandere poterat: hoc verò ſecundum erat, quo in virtute ſua illuc moueri poterat. De hoc autem dubium nullum extat, nec quiſquam ambigendum putabit, an Chriſtus potuerit ad cælos per ſe aſcẽdere, vel neceſſe fuerit, quòd ab aliquo agente extrinſeco iuuaretur. Sed in hoc dubitandi aliqualis videtur origo, ſcilicet, an Chriſtu ſcælum aſcenderit in aliquo corpore, tanquàm inſtrumento aſcendendi ſubleuatus, aut ab aliqua virtute naturali, vel intellectuali adiutus: nam, etſi Chriſtus à ſeipſo ſua virtute fultus aſcendere potuerit, liberum tamen ei videbatur, an in aliqua re inſtrumentaliter, aut aliàs aſcendere voluiſſet. Ad hoc autem quiſquam obijciet, Chriſtum non aſcendiſſe in Cælum ſuis viribus fultũ, ſed ab alio fuiſſe portatum: quod primo inducitur ex eo, quod habetur Actuum primo capitulo, vbi introducitur Chriſtus loquens poſt reſurrectionem ſuã de Spiritus ſancti miſſione, & cõcluditur de aſcenſione eius. ſ. & cum hæc dixiſſet, videntibus eis eleuatus eſt, & nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum. Qui autem eleuatur, non mouetur a ſeipſo, & ab altero: de Chriſto namque aſcendente dicitur, quòd eleuatus eſt. Item quod mouetur nube ſuſcipiente, à nube mouetur, & ſuis viribus nihil agit: de Chriſto autem ſic ſcriptura refert, dicens. Et nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum. Item etſi Chriſtus ſuis viribus fultus aſcendere potuiſſet, rationabile tamen valde erat, vt aliquid Chriſtum aſcendentem ad aſcendendum adiuuaret, aut eum illuc deferret. Sic enim dominorum magnatumque conditio peruulgata eſt, vt, quamquam plurima a ſeipſis agentes efficere poſſent, nihil tamen efficere velint, ſed à ſeruis ſuis hæc fieri iubeant: in Deo quoque notum erat à ſeipſo cuncta calefactibilia, aut combuſtibilia, calefacere, aut comburere poſſe, frigefactibilia quoque frigefacere, nulla aut caliditate, aut frigiditate appoſita: ſed horum nihil à ſeipſo agit: quin potius igni, ceteriſque naturalibus agentibus id permittit agendum. De Chriſto ergo non diſpariter cenſendum videtur, vt, quamquam à ſeipſo in Cælum aſcendere potuerit, tamen ab aliquo angelo, vel nube illuc portatus ſit. Hoc enim modo debitum famulatum a creatura ſuſciperet, non tanquam alieno præſidio egens, ſed propter excellentiam ſuam faciendo ſibi à miniſtris ſuis impendi famulatum.

Dubitatio an Christus aliquo Inſtrumento vſus ſit I aſcẽſione.

Act. 1. c.

Reſponſio dubitationis factæ præcedenti capitulo. Cap. IX.

HVic reſpondendum eſt Chriſtum aſcendentem in cælum à nulla virtute creata agente, aut inſtrumentali illuc portatum, ſcilicet, ab angelo deferente, vel à nube, in qua deferreretur, ſed ſuis dumtaxar viribus fultum aſcendiſſe: in hoc enim nullius extra petita egebat ope, nec eam expetere conueniens erat. Cum autem de nube obijcitur, de qua dicitur Actuum primo capitulo, quod ſuſceperit Chriſtum ab oculis Apoſtolorum, & ſic in cælum portatus eſt. Reſpondendum eſt, quòd nubes illa Chriſtum in cælum non detulerit, nec portare potuerit, ſed ipſe per ſe Chriſtus aſcendebat in altum. In quo conſiderandum eſt, quòd Chriſto in monte Oliuarum colloquente diſcipulis ſuis, iam ſermoni vniuerſo fine impoſito deſcendit nubes, quæ Chriſtum circumdedit, & in illa aſcendit in cælum. Non eſt autem in hoc quorumdam inſiſtendum iudicio. ſcilicet, quòd nubes iſta, de loco aliarum nubium ad montem Oliuarum, in quo Chriſtus aſcenſurus erat, deſcenderit, cumque circumdederit, & poſtea cum ipſo eleuata fuerit: hæc omnia ipſa ex ſeipſa agente, tanquam ex inclinatione. Nec

F id quoque arbitratu dignum eſt, quod ſimplicium multorum ſententia celebratur, ſcilicet, quod nubes hæc iuſſu Dei ad locum, in quo Chriſtus erat, deſcenderit, & poſt eum eleuauerit: hæc namque falſa liquidò comprobantur. Primum autem, cum dicitur, hanc nubem à ſeipſa ad locum, in quo Chriſtus erat, motam deſcendiſſe. Nam hoc pacto nubes illa naturali ſua inclinatione lata fuiſſet, ſed eius naturalis impetus erat, vt moueretur ad locum aliarum nubium, quod non contingebat in illa nubecula. Apparet autem hoc: nam ſicut in elementaribus corporibus ſic eſt, quod illorum quodlibet naturaliter feratur in locum confinationis, vbi eſt proprius, atque naturalis locus eius: ita quoque nubibus ineſt, vt naturaliter in locum ſui conſeruatiuum moueantur, nec in alterum locum
G ferri poſſint, cum ille non ſit conſeruatiuus complexionis earum. Naturali ergo motu nubes illa, cum qua Chriſtus aſcendit, de loco ceterarum nubium vſque ad pedes eius deſcendere non potuit. Quod, ſi quiſquam dicere maluerit, hanc nubem motam fuiſſe, impulſam ab aliquo ventorum ſpiritu eam iaciente in partem illam mundi, in qua tunc Chriſtus erat, ſtare non poteſt: nam, cum nubes ſpiritibus procellarum impellentibus moueatur, neceſſe eſt contra illam partem mundi eam moueri, contra quàm venti impellentes flant: fit autem iſte ventorum impulſus ab angulis mundi in alios angulos: non enim dici poteſt hanc nubem incitante vento fuiſſe propulſam: quoniam ventus non flat à ſummitate cæli directe verſus terram, ſed ab angulo mundi ad angulum. Sic dicitur.
H Pſalmo 134. ſcilicet. Qui producit ventos ab extremo terræ, ſcilicet, ab angulis mundi, vel punctis oppoſitis horizontis, ſed hanc nubem motam dicunt de loco aliarum nubium ad pedes Saluatoris noſtri aſcenſuri veniſſe: a nullo ergo ventorum ſpiritu mouebatur. Nec aſtrui quidem poteſt, hanc nubem ſolo Dei iuſſu nullo ſuperaddito ad pedes Chriſti deſcendiſſe: nam ad hoc, vt nubes iſta nullo addito à ſeipſa diuinam expleret iuſſionem, neceſſe erat, vt per ſe intelligens eſſet: nubem autem id quod à Deo iuberetur, intelligere, impoſſibile erat, cum ſit creatura irrationabilis, prorſuſque inanimata: mandato ergo Dei nubes iſta dumtaxat moueri non potuit. Amplius autem, ſi Deo iubente nubecula illa ſe ad Saluatoris pedes inclinaret, ipſaque hoc intellexiſſet, nõ deſcendiſſet ſolum a
I Deo iuſſa. Nam ad hoc, vt hoc nubes à ſeipſa efficeret; neceſſe erat, vt in illa principium aliquod operatiuum huius eſſet quod efficax huius eſſet: alioquin id efficere nequiuiſſet: velut ſi cuipiam Deus iubeat in cælum aſcendere, nullum ei modum ad aſcendendum tribuens, aſcendere impoſſibile eſſet: nam in ſe vires nullas principij motiui efficaces huius habet: quamquam ergo Deus illi nubi iuſſiſſet, vt ad pedes Chriſti vſque deſcenderet, & hoc intellexiſſet, efficere tamen nequiuiſſet deficiente agenti principio. De hac igitur nube dicendum eſt, Chriſtum voluiſſe, vt tanquam creatura ſuo creatori conſentanea ei aliquem famulatum exhiberet, circumdando corpus eius, dum aſcendebat. Et, quoniam ipſa per ſe ſola hoc efficere nequibat, iuſſit Chriſtus angelis ſuis, vt eam de loco aliarum
K nubium deducerent. Siue autem angelus hanc nubem deducens vnus fuerit, ſiue plures, nihil refert, vtcumque tamen eam aliqua virtute angelica deductam eſſe neceſſe eſt: hi autem eam vſque ad Chriſti pedes humiliauerunt: cum autem Chriſtus aſcendere cepit, angeli quoque illam nubem mouerunt, vt ei coniuncta foret ſub eo poſita quaſi ſedes, & circumdans corpus eius, alioquin enim nubes iſta directè aſcendere nequiuiſſet in cælum, vt aſcendit. Quod, ſi dicendum foret Chriſtum in hac nube in cælum portatum, neceſſe erat, vt eam ab angelis motam exiſtimauerimus, & intra eam Chriſtum, tanquam in ſella geſtatoria portatum fuiſſe. Dicendum tamen eſt hanc nubem non geſtauiſſe tãquam ſedes Chriſtum in cælũ, nec ideo ad pedes Chriſti ſtantis in monte Oliuarum deſcen-

De motu nubis, qua Chriſtus circũdatus & delatus in cælũ.

De nube qua Chriſtus circũdatus eſt, dũ latus in cælũ.

deſcendiſſe, vt inde Chriſtum ad Cælos ferret. Primò A quidem nullatenus conuenienter ſtare poteſt: quoniam, quanquam ab angelis per quamlibet partem aereæ regionis faciliter moueri poterat: cum tamen ad regionem ignis peruentum foret, eam comburi neceſſe erat, niſi Deus eam miraculosè conſeruaſſet. Quod concedendum non eſt: quia miraculum nullum neceſſarium erat: nunquam tamen miraculum ſine neceſſitate ponendum eſt, ſcilicet, quòd fiat per miraculum id, quod æquè ſine miraculo fieri poterat, quoniam peccatum, ſiue ſuperuacuum eſt miracula conſtituere, vbi miraculis res non eget. Sic Ariſt. ait 8. Topic. ſcilicet, peccatum eſt per plura fieri, quod fieri poteſt per pauciora. Sic igitur miraculum quod infinitam potentiam præſupponit nunquam poni debet, vbi potentia finita ſufficit, quæ eſt ſine miraculis. Amplius autem, etſi B Deus cuſtodiuiſſet nubem illam per aeream regionem, nè flammis cederet, corpora tamen cæleſtia penetrare nequibat, quoniã corpora cæleſtia nihil in ſe recipiunt, quod conditionem elementalem habeat. Vnde corpora humana cum illuc perducentur poſt carnis reſurrectionem, non erunt habentia conditionem elementalem, quia glorificata erunt, iam æternæ felicitatis dotibus excellentiam habentia: quoniam immortalia, & agilia erunt, aliaſq; beatorum habentia dotes, quibus omnem elementalem corruptiuam conditionem deponent. Nubes autem iſtam conditionem retinebat elemẽtalem, quoniam glorificanda non erat. Dicendum ergo eſt, quòd nullam cælorum particulam penetrauerit. Potiſſimè, quoniam adhuc non ſolum erat condi- C tionem elementorum habens, ſed etiam de fæcibus elementorum, quia nubes per reſolutionem factam ex vaporibus eleuatis à terra, condenſantur. Præter hoc autem, quoniam ſi nubes illa cum Chriſto per ſphæram ipſorum corporum cæleſtium tranſitura erat, vt eum aſcendentem, tanquàm ſedes geſtaret, neceſſariũm non videbatur eam illuc aſcendere, quoniam eandem opem corpora cæleſtia aſcendenti Domino Ieſu tribuiſſent: non ergo conuenienter conceditur multa miracula ſine neceſſitate exiſtere. Dicendum ergo eſt, Chriſtum ab hac nube in Cælum geſtatum non fuiſſe. Item non videbatur poſſibile, vt Chriſtus ab hac nube in cęlum, aut per aliquam ſpacij particulam portaretur: Chriſtus enim erat homo verus, habens corpus humanum verum, & denſum. Tanta autem eſt denſitas cor- D poris humani, vt à nube, quæ raritatis aereæ, aut paulò minoris eſt, geſtari non poſſit; &, quanquam ſubſtantia nubis multum denſaretur, vt in ſe dura corpora ſuſtinere poſſet, ad tantam tamen denſitatem peruenire nequibat, niſi in terream, aut lapideam ſoliditatem verteretur. Hoc autem impoſſibile eſt: nam, quanquam Deo, qui ſumme potens eſt, nihil obſtet, quod ipſe efficere non poſſit: quibuſdam tamen repugnat effici. Sic autem ſubſtantiæ nubis in eadem natura manentis repugnat, vt in tantam duriciem ſolidetur. Nam, ſi quouis actionis genere ad tantam ſoliditatem perueniret, iam non maneret ſubſtantia nubis, ſed fieret lapidis, aut terræ natura: in quolibet quidem elemento certus gradus proportionatæ raritatis, & denſitatis eſt: hanc autem tranſgredi nequaquam datur. Sicut aqua E certum ſibi diffinit raritatis gradum, nè ad aeream peruenire poſſit raritatem: ſi enim hanc quouis modo pertingere daretur, pariter quoque aeris naturam cum raritate indueret, in aquæ ſubſtantia manere non potens. His autem raritatum, & denſitatum diſpoſitionibus materiæ aduenientibus, fit elementorum in alterutrum permutatio. De quo latius diximus in libro de factis Medeæ, cum actum eſt, an aliquo artificio, aut naturæ potentia de ſubſtantia aerea equus ad equitandum per varia terrarum ſpacia percurrendo confici poſſit, ita vt in eo aliquod ponderoſum geſtaretur corpus. Nulla igitur ratione euenire poſſet, vt Chriſtus in hac nube in cælum, tãquam in ſede geſtatoria de lignis fabricata portaretur, etiam ſi angelici ſpiritus eam per aera ſubleuarent. Ex prædictis autem inferẽdum patet, A hanc nubem à Chriſto non ob hoc aſſumptam fuiſſe, vt in ea tanquàm in ſede geſtatoria portaretur: ſed vt ea aſcendens circumdatus foret: Chriſtus namque in cælum aſcendens, vt amplius, teneriuſq; ad dulcedinem quandam, & amorem ſui promoueret, non inſtantanea eleuatione penetrauit Cælos, ſed ſucceſſiuis progreſſibus ferebatur, vt diſcipuli ſui, alijq;, qui cum eo in montem Oliuarum aſcendente conſtiterant, pauliſper eum cernerent eleuari. Hoc autem tamdiu factum, quouſque diſcipulorum oculi conſpicere aſcendentẽ ſuffecerunt. Et, quoniam honeſtius Chriſtus aſcendens in hac nube videretur, quia vt in geſtatoria ſede efferri cenſeremus, quam ſi ſecus cunctæ eius ſuperficiales corporis viderentur partes: conueniens valde fuit, vt hac nube circumamictus foret: cum verò aereæ regionis magna parte B tranſmiſſa, Chriſtus Apoſtolorum oculis intuentium ereptus eſſet, nubem, quam aſſumpſerat, in proprio aeris elemento relinquens Cęlos aſcendit, nubes autem nullum cæleſtium attigit orbem, nec ad igneam ſphæram vſque peruenit, nec ceterarum nubium regionem exceſſit.

Chriſtus ad quid nubem hanc aſſumpſerit.

Obiectio, & quædam alia ad ſuperiora attinentia.
Cap. X.

AD aliud autem, cùm in hoc confirmabatur, ſcilicet, ſicut principatus obtinentes, etſi per ſeipſos pleraque efficere queant, illa tamen ſeruis efficienda iubent, ita & in Chriſto factum extitiſſe rationabiliter C argui poteſt, ſcilicet, vt Deus, qui cunctis creatis præſidet rebus, à rebus creatis quendam expeteret famulatum, ſcilicet, iubens, vt eum aſcendentem, aut angelici ſpiritus, aut ſubſtantia nubis ſubueheret. Huic reſpondendum, de nube ſatis notum fore, quòd ab ea, aut in ea Chriſtus in Cælum geſtatus non fuerit, vt ex pręcedentibus liquet: de angelis autem dubitandi rationabilior apparet origo, ſiquis dicere voluerit, Chriſtum ab angelis per totam aeris regionem, & vſque ad empyreas fuiſſe ſubleuatum ſedes, in quibus gloriæ plenitudo eſt. Hoc tamen adhuc conuenienter dici nequit: nam, cum quidam fuerint actus, quos indignitatem quandam, aut ſtatus, atque honoris abiectionem inducere cõſtat. Etſi enim faciliter eos ſeipſis explere valerent, nequaquam tamen expedit, ſed eos potius famulanti- D bus imperare decet. Alij verò interdum ſunt, qui, etſi indignitatem, aut honoris abiectionem quandam non inducant, tamen labores duros habent: hos quoque, qui præſunt deuitantes ſeruientibus iubent; cum vero aliquas contingit illaborioſas eſſe actiones, nihilque indignitatis contrahentes, nequaquam oportet, vt qui præſunt, ſubiectis hoc iniungant, ſi ſibiipſis hoc efficere ſatis licet. Hic autem conformiter cenſeri ſatis congruit: Chriſto enim plena aſcendendi in Cælos facultas erat: nullo extrinſecus petito ſubſidio, quoniam glorioſum corpus eius iam beatitudinis acceperat dotes: ineſt autem huiuſmodi corporibus agilitas gloriæ, vt ubicumque eſſe maluerint, ibidem præſtò eſſe poſſint. Amplius autem, quoniam verus Deus erat, quam E ob rem hoc ei velle erat, quod efficere, nec quidquam velle poſſet, quod efficere præſto non eſſet: hæc autem aſcenſionis in Cælum actio nullam indignitatem, aut neglecti ſtatus abiectionem importat, ſed potius magnam oſtentat potentiam, quoniam ſuo aſcendebat vigore nullius extranei ſubſidio fretus: hanc autem oſtendi potentiam impoſſibile foret, ſi ab alio illuc portaretur. Præter hoc autem, quoniam, cum Dominus Ieſus in Cælum ſuis viribus aſcendere in promptum habebat, ſi ab alio ſubleuatus aſcenderet, potius ſuam ex hoc monſtraret ineptam infirmitatem: velut ſi quis eorum, qui principalibus præſunt, greſſiuam habens potentiam per ſe, nec duobus ſaltem paſſibus moueri uellet, aliorum geſtamina ſemper poſcens: hoc enim indignitatis ſatis magnæ iudicaretur. Amplius quoque hic aſcenſionis actus laborioſus nequaquam

quaquam eſt: quoniam Deo laborioſum nihil extat. Chriſto ergo in hoc aſcenſu labor nullus ineſſe poterat, cum in eo nulla ſit fatigatio, nec quidquam amplioris laboris, aut laſſitudinis Chriſto addici poteſt: ſi ipſe ſeipſo cęlum nullo adiutus aſcenderet, quàm ſi ab angelis illuc ſubuectus foret adiecta nube, aut non oppoſita. Quoniam igitur hic aſcenſionis actus proprio vigore expletus, nihil in Chriſto indignitatis, aut abiectionis inducebat, conuenientius fuiſſe arguitur, vt ipſe nullo adiutus aſcenderet, quàm quòd illuc in aliqua geſtatoria ſede ab angelis portaretur.

Obiectio, & quædam naturalia. Cap. XI.

CVm identidē hoc confirmatur in Deo huiuſmodi reperiri: ipſe ſiquidem ſeipſo cuncta non agit, ſed naturali actione illa efficienda relinquit: velut ſeipſo nihil calidum, frigidum, aut humidum reddit, etſi cuncta, vt naturaliter fiunt, ſuo vigore explere poſſet. Huic reſpondendum eſt, Deum nihil calidum, aut humidū, frigidum, aut ſiccum reddere: ſed hoc naturalia agentia complent: ſi enim ſeipſo efficeret huiuſmodi Deus, ſuperuacua multa forent, Deus tamē ſuperuacuum nihil efficit. Si enim calidum, & frigidum, humidum, & ſiccum facere, quod naturalium cauſarum efficacia eſt, Deo ſolo agente procederet, cunctus vniuerſitatis naturalium agentium ordo ſuperuacuus foret: eis quippè horum efficiendorum virtus ineſt, Deo tamen id ſeipſo explente, naturalibus agentibus efficiendum reſtaret nihil: vnde eorum virtutes ab omni actione ociantes eſſe, neceſſe eſſet. Vt, quidnam ignis in natura neceſſitas viſa foret, ſi ſeipſo Deus cuncta calefaceret? quid verò frigus prodeſt, ſi à Deo cuncta infrigidantur? Sed, vt Auguſtinus ſuper Geneſim ad literam inquit, Deus ſic cunctas res conditas adminiſtrat, vt eas proprio motu agere ſinat. Amplius autem conueniens non eſt: vt cuncta per ſe à Deo caliditatem, frigusue, aut humiditatem recipiant. Nam hæ qualitates, rebus ad conſeruationem ſuam, influuntur: ſi tamen à Deo hæ qualitates rebus producendæ forent, naturalibus entibus non conuenirent; cuncta namque, quæ naturalia ſunt, aut mouentur, aut conditiones motus ſunt iuxta Ariſtot. 1. Phyſic. cum inquit: ſubijciantur nobis, quæ de natura hæc, aut omnia moueri, id eſt nobis cōſiderantibus de natura rerum hoc ſupponendum eſt, vt omnes res naturales mobiles intelligantur, aut ad motum pertinere. Agentibus ergo per naturam, quoniam in motu ſunt, actio per motum conuenit, Deus autem ſiquid calefaceret, aut frigidum redderet humidū ſiccumue, non illud ſucceſſiuis particulatim efficeret motibus, ſed ſubitanea quodlibet horum actione produceret: hoc autem naturaliter permanentibus conueniens non eſt: Deus igitur ſeipſo nec calidum, aut frigidum efficere aliquid debet, aut ceteras inducere qualitates, ſed cuilibet ſecundum ſuam virtutem actio relinquenda fuit.

Applicatio eorum, quæ de natura ſuperius dicta ad ea, quæ de nube dicuntur. Cap. XII.

NVnc verò, quæ de naturalibus dicta ſunt ad ea, quæ de nube dicuntur applicantibus nobis, dicendum eſt, non eſſe huiuſmodi in nube, aut angelis ſubuehentibus Chriſtum in Cęlos, ſicut de actionibus naturalium efficientium dictum eſt. Nam hoc naturale habet officium ignis, vt calidum & exuſtum reddat, quòd ſi hæc Deus ſeipſo expleret, igni naturale munus ademptum foret. Hoc autem non conuenit, quoniam, vt dictum extitit, naturalibus entibus qualitates per motum inductæ conueniunt, Deus autem ſine ſucceſſiua, atque particulata duratione agit. In nube autem ſic nequaquam eſt: nam ſi naturale munus nubium hoc foret, vt portandis humanis corporibus in Cęlum deſeruirent, Chriſtus autem in Cęlum aſcendens ſuis hoc dumtaxat viribus efficere voluiſſet, inconuenienter extitiſſet factum, quoniam nubibus naturale munus ſubla-

F tum eſſet. Hoc tamen nubibus à natura collatum non eſt, vt ſubuehendis humanis corporibus in aſtra obſequia quædam præſtent. Inconuenienter ergo factum non extitit, quòd ſuis viribus Chriſtus aſcenderit nulla nubium ſubuectus ope. Identidem autem de angelis diffiniendum reor: non enim eſt hoc angelorum opus, vt corpora noſtra in Cęlum ferant: alia autem actionum genera ſunt, quæ ſeipſo Deus non explet, ſed angelis ſuis efficienda iubet, velut quòd hominibus aliquando videantur, eiſque nonnulla diuinæ iuſſionis referant verba, & in hunc modum cetera, quæ ſine motu expleri nequeunt. Hæc enim ſeipſo Deus non efficit, nec quidem tanquam horum efficiendorum poteſtas non ſubſit, nullis enim terminis diffinita eſt potentiæ eius immenſitas. Hæc autem parui momenti ſunt: paruam quo-
G que efficaciam ſui poteſtatem coexigunt: potiſſimè autem quoniam hominibus, & angelis horum efficiēdorum facultas ſubeſt: ſed quia hæc imperfectionem quandam habent, quam à Deo procedere impoſsibile eſt, Deus ea efficere nequit; quoniam Deus nec imperfectus eſſe, nec imperfectæ operationis modum habere poteſt. Deus enim per motum efficere nihil poteſt, quoniam cauſalitas per motum infinitati perfectionis repugnat: loqui igitur, aut lapidem, vel aliquid aliud per modicum ſaltem mouere non poteſt: alia quoque in hanc formam ab eo excluduntur, de quibus latius ſupra in ſecunda figurata Paradoxa dictum eſt. In hoc autem, de quo agitur, horum nihil eſt; Chriſtum namque ſuis dumtaxat viribus fultum in Cęlum aſcendiſſe
H infinitati, & perfectioni diuinæ nihil obſtat: quin potius hoc oſtentat: alias autem diuina excellentia nō pateret. Ex his ergo ſolidè ſatis auctum reor Chriſtum ab angelis in Cælum portatum non fuiſſe, agente nube fuiſſe ſubuectum, aut in ea velut ſede geſtatoria conſediſſe, ſed ſuis illuc viribus fultum perueniſſe.

Cauſalitas per motū infinitati perfectionis repugnat.

Quæſtio, quomodo Chriſtus in Cælum aſcenderit. Cap. XIII.

HIs autem ſuccisis alia huic ambiguitas ſuboritur, ſcilicet, cum Chriſtum naturali vigore in Cęlum perueniſſe monſtratum ſit, an totum medium pertranſierit, ſcilicet totum ſpacium interiectum inter mōtem Oliuarum, de quo aſcēdit, & cęlum empyreum, in quo
I nunc in ætherea ſede permanet. Vt autem, quid hæc quæſtio velit amplius notum fiat: aduertendum eſt, quòd, cum Dominus Ieſus in Cęlum aſcendit, erat in monte Oliuarum, quod Ieroſolymis adiacet, vt habetur Actu. 1. ca. diſtat autem mons iſte à ciuitate Ieroſolyma per dimidiam leucam. ſ. per mille paſſus, vt eod. c. habetur. ſ. Tunc reuerſi ſunt Ieroſolymam à mōte, qui vocatur Oliueti, qui eſt iuxta Ieruſalem, Sabbathi habens iter, id eſt, tantum diſtans à Ieruſalem, quantum Iudæis in Sabbatho progredi licitum erat. ſ. per mille paſſus. In hoc autem monte, cum multa ad diſcipulos ſuos locutus fuiſſet, in Cęlum eleuatus eſt. Perhibent quoque, qui locum vident, in loco aſcenſionis Domini Ieſu lapidem quendā eſſe, Saluatoris impreſſo veſtigio conſignatum, ſcilicet, quòd, cum aſcendit profundum lapi-
K di pedis ſui reliquit caracterem, poſterorum ſęculis benedictam aſcenſionem teſtaturum, cum talis impreſſio ſit, quæ humano opere facta à quolibet negaretur: inde in locum gloriæ conſcendit, ſcilicet, in empyreas ſedes. Ab hoc autem loco aſcenſionis Domini Ieſu, ſi quis in beatorum locum tranſiturus per omnia media ſit: primò ei peragranti ætherea tota regio adiacet: deinde hinc totius ſphæræ igneæ ſequitur magnitudo: poſt hanc autem totus cæleſtium corporum globus. In quo tranſeunti primo cæleſtum Lunæ occurrit. Secundo loco adiacet Mercurij planetæ orbis. Tertio poſt hunc Veneris circulus adeſt. Quartus autem naturæ potens, & totius vitæ origo Solis orbis ſequitur. Quintus verò circulus quinti planetæ Martis, ſcilicet, ſuccedit. Poſt hunc autem ſextus orbis, in quo Iupiter planeta manet. Vltimus autem ſeptem plane-

Vbi erat Chriſtus, cum aſcēdit in Cęlum.

Ordo planetarum, & cælorū poſt ſphęram ignis.

tarum

tarum Saturnus eſt, quoniā ibi Saturnus mouetur. Huic autem octauus cōſequitur fixarum ſtellarum orbis, qui & ſignifer dicitur, quia duodecim ſigna, quæ in Zodiaco ſunt continet. Alij autem hunc firmamentum appellant, in quo ſtellas fixas eſſe certum eſt. Nonus autem cæleſtis orbis conſequitur, primum mobile iuxta aſtrologorum poſitionem dicitur, eo quod ibi omnis corporeæ naturæ motus exordium ſumat. Hic autem Sacræ Scripturæ vocabulo chryſtallinum Cælum vocatur, quod in ſe aquas gelidas contineat in chryſtallinam duritiem ſolidatas. Hic autem nonus orbis aſtrum nullum habet. Huic vltimus orbis empyreus adiacet, qui nec aſtra gerit, nec motum habet. Hic autem à nobis videri nequit; quia locus eſt, vbi nunc animæ ſanctorum requieſcunt. Poſt mortem autem, atque carnis generalem reſurrectionem corpori iam animato beatorum ibi quietis dabitur locus. Ad hunc autem locum Chriſtus aſcendit, cum eum in Cælos aſcendiſſe teſtamur. Propoſita ergo quæſtio inueſtigat, an, cum Chriſtus in Cælos aſcendit, ſingula horum tranſierit loca, an de terra pauliſper eleuatus aliquam aereæ regionis particulam ſucceſſiuè tranſcenderit, deinde in inſtanti in Cælo empyreo fuerit, loca media non tangendo.

Solutio ad quæſtionem, & quædam de diſtantia Cæli empyrei à terra. Cap. XIIII.

HVic inquiſitioni reſponderi debet, quod nullatenus dici poteſt, Chriſtum mox, vt de terra pedes extulit, in empyrea ſede fuiſſe, ita vt loca media nulla tranſierit. Obuiat enim huic quod habetur Actuum primo capitulo, vbi manifeſtè proceſſus eius ſucceſſiuus ſignificatur, cum dicitur. Et, cum hæc dixiſſet, videntibus illis eleuatus eſt, & nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum. Cumque intuerentur illum in Cælum euntem, ecce duo viri aſtiterunt iuxta illos in veſtibus albis, & dixerunt; Viri Galilæi, qui ſtatis aſpicientes in Cęlum? hic Ieſus qui aſſumptus eſt vobis, ſic veniet quemadmodum vidiſtis eum aſcendentem in Cælum. Ex his autem neceſſe eſt, vt Chriſtus per aliquam particulam aereæ regionis ſucceſſiuè tranſmigrando conſcenderit: nequit enim eſſe, vt Apoſtoli Chriſtum aſcendentē defixis oculis intuerentur, niſi pauliſper moueretur. Amplius autem quoniam dicitur. Apoſtolos vidiſſe Chriſtum euntem, qui autem vadit, tranſit: neceſſe erat igitur, vt Chriſtus medium tranſmigraret: nam in eis, qui ſimul ſunt in termino a quo, & termino in quem, tranſitus nullus eſt, nec ire eſt, in quo nulla eſt ſucceſſio motus; de quo Ariſtoteles in principio ſexti Phyſicorū. Rurſus autem, nec dici poteſt, quod, quemadmodum Chriſtus per aliquam aeris particulam ſucceſſiuè tranſiuit, ita & per omnia media interiecta, paulatiuo ſucceſſu tranſiret, quouſq; ad empyreas perueniret ſedes: nam, ſi iſte modus proceſſus fuiſſet in Chriſto aſcendente; quem, dum ab Apoſtolis aſcendēs videbatur, habebat, illuc vſque ad centum annos, & amplius nequaquam perueniſſet. Nam a terra Cęlum empyreum pluribus quam trecentis millibus leucarum diſtat, collata magnitudine in groſſitie aliorum cælorum, quorum eleuationes a nobis, magnitudines, & diſtantiæ ſciri poſſunt per conſiderationem apparentium aſtrorum in eis. Hoc igitur procedens modo, ad perueniendum in cælum empyreū, multis temporibus eguiſſet, quod conuenienter dici nequit. Aduertendum autem circa aſcenſionem Domini Ieſu duos locutionis eſſe modos, quorum vterque verus, aut apparens ſatis eſt. Primus eſt, vt dicatur Dominum Ieſum in aſcenſione ad cælos primò per quandam particulam aereæ regionis, dum Apoſtolorum oculis conſpici poterat paulatiuo, & ſucceſſiuo progreſſu aſcendiſſe; cum verò ab oculis diſcipulorum ſubtrahi cepit, ſubito & velut in puncto per omnia medij ſpacia pertranſiuit, quouſque in empyream perueniret regionem, nullo medio omiſſo, quod tranſitu non tangeretur. Secundus poſitionis modus, vt dicatur Chriſtum per aeream regionem aliquantulum ſucceſſiuis aſcendiſſe progreſſibus, dum eum diſcipuli conſpicere valuiſſent, cum autem ab eorum oculis defecit, in inſtanti in cælo fuit, nulla pertranſitione facta per loca media aeris, & empyrei cæli.

Diſtātia cæli empyrei a terra.

Chriſtum in inſtanti Cælum empyreum conſcendiſſe. Cap. XV.

NVnc autem in his inquirendum eſt, quis horum duorum modorum in poſitionibus conuenientior ſit. Cui ſatis reſponderi poteſt, vtramque eſſe ſuſtentabilem poſitionem, nec videtur aliqua manifeſta pati obiecta, conuenientius tamē dicendum videtur: quòd, cùm Chriſtus in cælum aſcendit paruam aeris partem, dum ab Apoſtolis videbatur ſucceſſiuè, nec in magna velocitate tranſierit, cùm verò eorum effugit intuitum in inſtanti in empyrei Cæli ſede locatus eſt, nullum interiectum his locum tranſiens. Huius autem fundamentalis ratio videtur, quoniam in operationibus diuinis, nihil fruſtra apparet: Deo tamen poſſibile erat, vt Chriſtus immediatè, poſtquam in aeris regione fuit nullo interiecto medio in cælo empyreo eſſet: nihil tamen apparet, propter quod dicere compellamur, aut ſaltem inducamur, Chriſtum per omnia loca media tranſijſſe; nihil ergo horum tranſiuit: ſed mox, vt in aeris parte fuit, & ab oculis diſcipulorum euanuit, in empyrea ſede fuit. Quod autem Deo poſſibile ſit, vt corpus aliquod ab eo loco, in quo eſt in alium ſatis diſtantem locum transferat nullo interiecto medio, ita vt per nullum medium ſpacium tranſeat, apparet, quoniam his maiora efficit. Maius proculdubio eſt, quòd aliquod corpus duo ſimul teneat loca, aut in plurimis locis maneat: hæc tamen Deus quotidie efficit: Saluatoris noſtri quippè corpus quotidie in empyrea ſede, & in altari per conſecrationem eſt, nec dumtaxat in vnico, ſed in pluribus, quàm ducentis millibus altaribus. Hoc pariter quoque, ſi eiſdem temporum momentis vtrobique conſecrata hoſtia ſit, aut ſaltem aliquando in eis conſecrata hoſtia ſimul ſita, etſi ſimul conſecrationes factæ non ſint, facilius ergo erit, vt corpus vno loco immanens ad ſatis diſtantem locum tranſierit nullo medio interiecto. Hoc autem adhuc amplius declaratur: nam ſi Deus egerit, vt aliquod corpus ſimul hic, & Hiſpalis, Toleti, ac Burgis ſit, non efficit, vt in toto medio quoque ſit: nam, etſi Toleti, Hiſpalis, atqua Burgis corpus iſtud ſimul fuerit, non erit neceſſariò in toto terræ ſpacio interiecto his locis, ſed in eis dumtaxat, Si ergo contingit, vt aliquod corpus ſimul Toleti, & Hiſpalis ſit, pariter nullam loci intercapedinem occupans, facinus ſatis videbitur, vt nunc corpus iſtud Toleti ſit immediatè, poſt hoc Hiſpali ſit, nulla media pertranſiens loca. Quod apparet, quoniam ex prima hypotheſi vnum corpus in duobus ſimul locis ponitur, quod natura quidem nequit efficere, ſed virtus infinita. In ſecunda vero ſimul non ponitur in duobus, ſed intermediorum tollitur pertranſitio, ſicut in prima quoque eſt. Aliæ autem acutiores ſpeculationes ſunt, quibus inducitur idem corpus in duobus locis ſimul eſſe; nobis tamen planius fortaſſis ſpeculantibus ſuffecerit habitudo animæ ad corporis paſſiones. Quod enim animæ ex natura ineſt, id interdum corpori diuinius ineſſe poteſt, ſed animę noſtræ, & cuilibet ſubſtantiæ intelligenti ex natura hoc ineſt, vt nunc ea, quæ hic ſunt conſiderans, mox ad ea, quæ Romæ fuerint ſpeculanda ſe flexerit, nihil eorum, quæ in tota locorum intercapedine aguntur inueſtigans, aut ſollicita: hoc autem animæ natura donat, quoniam, ſpiritus ſimplex eſt non alligatus ad locorum leges, ſicut corpora his neceſſariò ſubiecta ſunt. Conformiter ergo Deus in aliquo corpore efficere poterit, & cum collibitum foret efficiet, vt, quamquam natura motus, & locorum legibus corpus a territorio Hiſpalenſis mutatum in Romanam vrbem: ne-

Deus pōt corpus ex loco ad locū transferre abſq; medio interiecto.

ceſſe eſt, vt ſingulas directè intercapedinis partes tranſeat ab his motus, & locorum legibus abſolutum ſit. Tunc autem cum Hiſpalim egrediatur, in Romana vrbe erit, nihil eorum, quæ media ſunt tranſiens, ac ſi Romana Ciuitas Hiſpalenſis vrbis portæ contermina foret. De Chriſti corpore non diſpariter ſentiendum eſt, ſcilicet, vt mox, cum in aere fuiſſet, in Cęlo empyreo eſſet, nullius medij tranſitum faciendo: nam, ſi hoc in Chriſto poſſibile erat, nec erat aliqua cauſa, propter quā in omnibus locis medijs aeris, & empyrei cæli eſſe debebat, conuenietius eſt, vt, poſtquàm in aere fuerit, mox in empyreis ſedibus locaretur, nihil medij tranſeundo. Quòd autem nulla ad hoc cauſa ſubſit, vt per cunctam locorum interpoſitionem Chriſtus aſcendens tranſire debuiſſet, ſatis notum eſſe videtur: nihil namque myſterij, aut rationis in his ſubapparet, aut ſi quiſquam aliquam tranſitionem Chriſti per totam locorum intercapedinem conteſtetur, neceſſe eſt, vt pariter huius cauſam aſſignet, quam aſſignare difficilimum foret, nec videtur aſſignabilis. Ex prædictis ſatis apparet, neceſſe eſſe huic aſſentiri poſitioni. Hoc pacto in quotidiana hoſtiæ, & vini in calice conſecratione, Chriſtum in hoſtia, & calice pariter conſiſtere, in Cælo quoque empyreo ſimul, nec ad hoc media tranſit loca.

Modus aſcenſionis Chriſti.
Cap. XVI.

IN his igitur dicendum eſt, Aſcenſionis Chriſti hunc fuiſſe modum: ipſe enim in monte Oliuarum propè Ieroſolymam cum Beata Virgine matre, diſcipuliſque, & alijs, qui aderant, multa locutus eſt, conſolando illos, nè de ſuo diſceſſu ſecundum carnem triſtarentur: ipſe enim ad locum illis parandū ibat, & niſi ipſe ab eis tolleretur, non veniret Spiritus paracletus. Cũ aũt huic conſolationi terminum imponeret, deſcendit de aerea regione quædam nubecula vſque ad pedes Saluatoris, factaque eſt in modum throni, aut geſtatoriæ ſedis, vt ſic Chriſtus in ea ſeſſurus videretur, quamquam, vt prælibatum eſt, hæc nubecula Chriſtum non tollebat, quin potius ſuis ipſe viribus nitebatur. Tollebatur autem illa nubes paulatim in excelſum, Chriſtus quoque cùm ea aſcendebat, ac ſi in ea ſederet: maior tamen pars corporis Saluatoris noſtri nube velata non erat, vt ſic diſcipulis vultus illius videndus concederetur, & corporis reliqui præcipua portio. Hoc autem paulatiua, & ſucceſſiua per aeris primum interſtitiuũ facta aſcenſio, tamdiu durauit, quouſque ab intuentium obtutibus fruſtraretur: tunc autem hunc aeris locum adeptus, non vt prius ſucceſſiua eleuatione vſus eſt, ſed ſimul in inſtanti in æthereis ſedibus vbi permanſurus foret, collocatus eſt. Sicut autem Chriſtus in inſtanti ab illo aereæ regionis loco, in empyreas ſedes in inſtanti conſcendit, potuiſſet quoque à monte Oliuarum, in quo matri, & diſcipulis collocutus fuerat, in inſtanti aſcendiſſe: conueniens tamen non extitit. Chriſtus quippè eis, qui illi aſcenſuro in monte Oliuarum aſtabant, prædixerat, quòd inde in Cælos aſcenſurus foret. Si autem mox, vt ibi ſtetit, in empyrea fuiſſet locatus ſede, nullam aereæ regionis aſcendendo tranſiens partem, vt factum eſt, diſcipuli eius, quibus ſe ab eodem loco aſcenſurum conteſtatus fuerat, eum ab oculis ſuis euaneſcere conſpicientes, nec tamen tolli videntes in ſublime contra Cælos motum, quid de eo factum foret ignorantes, cum nullum tranſitus illius cognoſcerent argumentum, extimuiſſent valde deſolati inextimabiliter cum magiſtri ſui, & Domini, atque totius boni, in quem credentes ſalutem ſperabant, exitum neſcirent. Benedictus ergo Redemptor noſter nolens eos deſolatos relinquere in diſceſſu ſuo ſecundum carnem, quos tantum inter eos manens dilexerat, quos etiam vſque in finem dilexit, vt patet Ioannis decimoquinto capitulo, dignatus eſt in Cælum ſcandens per aliquam regio-

Nõ poterat Chriſtus abſq; viſitatione diſcipulorum ex terris in cælum aſcẽdere.

F nis aereæ particulam paulatiuis ferri ſucceſſibus, vt ſic cunctis diſcipulis ſuis, cæteriſque, quibus in monte Oliuarum collocutus fuerat, conſpiciendus daretur, qualiter à terra erectus pauliſper foret, videbantque eum ſucceſſiuè per aerem propinquum terræ tolli, quem videntes agnoſcebant fulgente vultu illo beatifico, veluti iam plenam beatitudinis obtinente dotem. Hæc autem conſpicientes replebantur gaudio inenarrabili, ſcientes Dominum illum, ac magiſtrum Saluatorem, atque totum bonum, quem tantùm præſentem dilexerant, nunc quoque tenerius diligebant, cui per tres annos ferè communicauerant, in Cælum tolli viderent. In hoc quoque nimis in ſpe futuræ reſurrectionis eorum, & aſcenſionis in cælum fortificabantur: nam velut Chriſtum aſcendentem conſpiciebant, ita & ali-

G quando ſe aſcenſuros expectabant: ſicut enim Chriſti reſurrectio eis reſurgendi exemplar, & ſpes fuit, ita & eius in Cælos aſcenſio, noſtræ aliquando futuræ aſcenſionis certiſſimum dedit argumentum. Hic modus arguendi eſt Apoſtoli prima ad Corinthios decimoquinto, ſcilicet: ſi Chriſtus reſurrexit, & nos reſurgemus. Non diſpari autem ſententia nobis arguere licet; ſi Chriſtus in Cælos aſcendit, nos quoque aſcendemus. Amplius autem iſta Chriſti conſpecta aſcenſio, vehementer aſſiſtẽtium Chriſto corda inflammauit, vt ipſi quoque illuc aſcendere deſiderarent, quò Redemptorem, & Dominum ſuum aſcendere intuebãtur, cum ipſe dixiſſet, vbi ego ſum, ibi & miniſter meus erit, vt habetur Ioannis decimo, ſecundo capitulo. Chriſtum igitur aſcendentem contemplantes, cùm magnam vn-

H dique delectationem experirentur, tanquam penitus deſiderio, & gaudio abſorpti erant, defixis in eum oculis. Iam verò ab oculis eorum Dominus ille Ieſus elabi ceperat, ipſi tamen magis illo, quo ceperant deſiderio, & amore pariter abſorpti in eam partem, qua aſcendebat, lumina defixa tenebant. Nolens autem pijſſimus Saluator noſter eos, quos diligebat eius deſiderio inaniter affligi, poſtquàm ab oculis eorum euaneſcere cepit, miſit duos angelos, virorum monſtrantes effigiem, indutos veſtibus albis, vt diſcipulos ab illa tanti deſiderij expectatione iam tollerent, qui ad illos accedentes dixerunt: viri Galilæi, quid ſtatis aſpicientes in cælũ? hic Ieſus, qui aſſumptus eſt a vobis, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum aſcendentem. De hoc Actu. cap. 1. In

I hoc autem adhuc manifeſtatur, quòd, quamquã Chriſtus ab angelis in cælum eleuatus nequaquam ſit, quin potius ſuis ipſe viribus conſcenderit, tamen cum eo angelorum aſcendit multitudo honorans, & comitata illum, ex his autem duos illos in veſtibus albis ornatos ad diſcipulos miſit, vt diſcipulos conſolarentur, eos in aſpectu illo amplius fatigari non permittentes. Ceteri autem angeli Chriſtum comitantes, in ſua natura ſimplici procedebant nullo elemẽtali corpore ſumpto: angelos tamen, qui ad diſcipulos de loco expediendos miſſi ſunt, in aſſumptis corporibus eſſe oportuit, quoniam diſcipulis locuturi erant: nam nec loqui potuiſſent, nec ab eis videri, niſi corpora aſſumpſiſſent, in quibus hæc efficerent. Et, ſicut hi duo angeli virorum effigiem aſſumpſerunt de aereo elemento, ita & veſtium fi-

K guram eis ſuperpoſuerunt: nam inhoneſtum ſatis videretur, duo corpora virorum, ſiue vera, ſiue verorum effigiem demonſtrantia depoſitis velaminibus apparere. Horum autẽ veſtes, teſte Sacra Scriptura, albæ fuerunt, quoniam color iſte decebat lætitiam aſcendentis Redemptoris noſtri. Ex prædictis ſatis colligi datur, quod Redemptor in Cælum aſcenderit, ſ. quod mox, vt in aeris parte quadam fuit, in cælo empyreo ſteterit, nullum locorum mediorum tranſiens.

Chriſtus ſuis viribus ſine cælũ eſt eleuatus.

De veſtibus, quas Chriſtus habebat in aſcenſione.
Cap. XVII.

AMplius autem, cùm Dominum Ieſum in Cælum aſcendiſſe fateamur, quiſpiam inquiret, quid de veſtibus eius factum ſit, quas, dum illuc aſcenderet, habuit

buit, aut vbi nunc ſint? Cui aliqui reſpondebunt, quòd Chriſtus in Cœlo eaſdem nunc veſtes habeat, quas hinc à nobis aſcendens tulit. Quòd, ſi in hoc arguatur, quomodo veſtes illæ tot annorum elapſis curriculis attritæ, aut putrefactæ non ſunt? Reſpondebitur, quòd etſi naturæ conditione per tantam temporis diuturnitatem durare nequiuiſſent, Dei tamen nutu vſque hodie illæſæ permanent. Hoc autem rationabiliter dictum apparet: primo quoniam in cælo corruptio nulla eſt, cum ibi contrarietas nulla ſit: in regione autem elementali contrarietas omnis eſt, ideo ibi generatio, & corruptio eſt: Cælum autem nullam elementalium rerum conditionem habet, ideo ibi generatio, & corruptio nulla induci poterit. Vnde veſtes illæ, quas Saluator noſter ſecũ aſcendẽs tulit, atteri, aut putrefieri nequibunt; quia nullum, quod eas corrumpat, eſſe poteſt, & quidquid alterum in cælis ſit, corrumpi non poterit. Amplius autem Dei nutu veſtes illæſæ permanẽt, etſi natura loci eis ad corruptionem inducens repugnaret; Deus enim ſic conſtituit, vt incorruptæ ſemper maneant. Simile factum à Deo in Sacra Scriptura reperimus: ipſa enim teſtimonium perhibet de Iſraelitis, quod, cum egreſſi fuiſſent de Ægypto, quadraginta annis per varias vagati ſolitudines nulli populorum adhæſerunt, qui tunc ſibi formidoloſi erant, cum omnes ſibi infeſti oppido forent, vnde nec ab eis veſtes, aut calciamenta habere poterant, Deus autem horum neceſſitati ſuccurrere volẽs egit, vt eorum veſtes toto illo quadraginta annorum tempore illæſæ conſiſterent nullatenus putrefactæ, nec attritæ, ſed in ea penitus habitudine permanſerunt, qua de Aegypto eas eduxerant. Calciamenta quoq; eorum, quæ facilius atteri ſolent, hoc toto quadraginta annorum tempore læſa non ſunt, nec attrita, aut vetuſtate cõſumpta quouſque terram promiſſam Iſraelitæ intrauerunt: de hoc Deut. c.8. horum autem cauſæ latius a nobis ibi inductæ ſunt. Si ergo in veſtibus Iudæorum tanta fuit diuina dignatio, vt tanto tempore nulla attererentur vetuſtate conſumptæ forent: quanto veriſimilius in veſtibus Saluatoris noſtri dicendum erat accidere debuiſſe. Aliud quoque ad hoc inducendum incentiuum eſt, quoniam facilius eſt aliquid, quod ſecũdum ſe corruptibile eſt, incorruptum ſeruari in cælo, quam in terra, quia ibi contrarietas, aut contrarietatis nulla extremitas eſt: ideo nulla actio erit, cum omnis actio ſecundum naturam fundetur in contrarietate, vt patet ex Ariſtot. in 5. Phyſic. In Arabicis vero ſolitudinibus, ꝑ quas Iſraelitæ quadraginta annis vagati ſunt, contrarietates ſolidæ erant, cum in tota elementali regione contrarietas ſit, potiſsimum in terræ ſuperficie, in qua abundantior exigitur cõtrarietatis virtus ad generationis, & corruptionis efficaciam. Si ergo Deus dignatione ſua ſupra naturæ communem modum operatus non fuiſſet, neceſſe fuiſſet Hebræorum veſtes fuiſſe tanto tempore vetuſtate conſumptas.

Facile eſt in Cælo aliquid æternum ſeruare, & ſi ſua natura corruptibile ſit.

Improbatio reſponſionis prædictæ. Cap. XVIII.

QVæ autẽ hactenus de veſtibus Chriſti dicta ſunt, falſo innituntur fulcimento. Chriſtus ſiquidem in empyrea ſede veſtes nullas habet: ſola enim in vita æterna ea ſunt, quæ ad beatitudinis complementum quidquam conferunt: veſtes autem Chriſti ad gloriæ conſtitutionem efficere nihil queunt, eas igitur nullatenus in felicitate Paradiſi eſſe liquet. Hoc autem ſatis patet, quoniam habitudo ad aliud genus bonitatis pertinet, quod eſt verum bonum: veſtes autem, aut tegendæ turpitudinis cauſa, aut excludendæ temporis intemperiei inuentæ ſunt: de hoc autem inferius magis agetur. Amplius autem, qui beata illa æternæ vitæ felicitate fruũtur, perfecta ratione degunt, & ſecundum naturæ rectitudinem: tamen ſecundum naturæ ordinem perfectius eſt corpus humanum qualibet veſte de lino, & lana, aut quacunque materia contexta: rationi ergo conſentaneum non eſt, nec quouis modo poſſibile, vt ve-

A ſtes de materia quauis fabricata hominibus ad felicitatem proſint: Chriſtus ergo in felicitate Paradiſi veſtes nullas habebit. Identidem, & ceteri beati viri. Ob hoc autem Boetius de Conſolatione lib.2. proſa quinta, arguens contra eos, qui aliquam felicitatis particulã veſtibus aſcripſerint, ait. Itane autẽ nullum eſt vobis proprium, ac inſitum bonum, vt in externis, ac ſepoſitis rebus bona veſtra quæratis? ſic rerum verſa conditio eſt, vt diuinum merito rationis animal, non aliter ſibi ſplẽdere, niſi inanimatæ ſupellectilis poſſeſſione videatur: & alia quidem ſuis rebus contenta ſunt: vos autem Deo mente conſimiles à rebus infimis excellentis naturę ornamenta captatis, nec intelligitis, quantam conditori veſtro faciatis iniuriam. Ille humanum genus terrenis omnibus præſtare voluit, vos dignitatem veſtram in-
B fra infima quæque detruditis. Item imperfecti ſatis ſignum eſt, vt aliquid corruptibile humano artificio conſtans id, quod tota beata trinitas effecerit, perfectũ redderet. Saluatoris tamen noſtri veſtimenta de lana, & lino conſtitiſſe patet, & ob hoc eas corruptibilitati ſubiectas patet, artificium ẽt humanũ eas ad eſſe perduxerat. Corpus autem Domini Ieſu incorruptibile eſt, cum per glorificationem ſuam immortalitatis corpus effectum ſit. Corpus quoque illud benedictum totius Sanctæ Trinitatis myſterio in virginis aluo miris modis cõfectum extitit. Ab re ergo eſt, vt illud ab imperfectis mortalis conditionis veſtibus quidquam pulchritudinis, aut felicitatis conſequi poſſit. Quod autem corpus Saluatoris noſtri totius trinitatis opere expletum ſit, ſa-
C tis liquet, quoniam non fuit eo modo, quo cetera humana corpora, fabricatum: corpora quippè aliorum hominum ſemine maſculino commixto ſanguini menſtruali femiuino, ipſa virtute maſculini agẽte in femininum formantur: quotidianis enim actionibus femineus digeritur humor, atque contemperatur, & ſolidatur, quouſque perfectam formam humanam ſemen illud induerit, quod organizationem appellamus. In corporis Chriſti formatione longè differenter extitiſſe cognoſcimus: ibi quippè nullum maſculinum ſemen extitit, quod ſanguinis virginis menſtrualem contemperaret, digereret, atque formaret in corpus: ipſam ſiquidem viro incognitam alma mater confitetur Eccleſia. Vnde ex viribus naturę hoc impoſsibile fuit, vt ille virginis menſtruus formaretur ſanguis, vt per ſe in eius
D vtero erat, ſed, quod viribus naturæ deſuit, hoc ſupra naturæ limites agens totius beatæ Trinitatis immenſa virtus effecit. In inſtanti enim quædam menſtrualis ſanguinis Beatæ Virginis à ceteris ſeiuncta particula in corpus perfectè organizatum formata eſt. Anima quoque eodem formationis corporis inſtanti creata, atque infuſa membris eſt, fuitque eodem inſtanti Chriſtus verus, ac perfectus Deus, & homo, ſed quidem corpore paruus. Dicit ergo Orthodoxorum fides, Chriſtum de Spiritu Sancto conceptum, quoniam Beatæ Trinitatis opere tota illa ſacratiſsima generatio, aut paſſiua conceptio celebrata eſt. De his autem latius dictum eſt in expoſitione primi Paradoxi ſuper primam particulam, ſcilicet Vas clauſum. Quia ergo hoc benedictum Chri-
E ſti corpus à tota trinitate miris modis fabricatum fuerat, ſatis diſſentire rationi videbatur, vt ex corruptioni ſubiectis veſtimentis quidquam ei pulchritudinis accedere, aut felicitatis potuiſſet.

Chriſti corpus totius Trinitatis opere expletũ eſt.

Quædam attinentia ad ſuperiora. Cap. XIX.

AMplius autem, ſi Chriſtum in felicitate Paradiſi, eiſdẽ quibus hic tegebatur veſtibus indutũ aſtruxerimus, oportet, vt pariter fateamur eas ibi, alicuius neceſsitatis, aut vtilitatis, vel iuuamẽti cauſa manere: alioquin ſuperuacuũ in Deo fatebimur, quod ſtultũ eſt in actione agentis ſm̃ rationẽ: à Deo autem longè quęcũq; talia abſunt: ipſe quippè cũcta diſpoſitiſsime in ordine conuenienti producit. Has tñ veſtes Chriſto in felicitate Paradiſi conferre nihil patet: eas ergo nullatenus habet. Hoc autem euidentius deducitur. Si enim Chriſtus

veſtibus in cælo empireo vteretur, vt inde quædã corporis inhoneſtæ, aut quandam continentes turpitudinem partes tegerentur, quas nudas veſtibus apparere illicitũ foret, aut vt aliquid decoris velatis particulis ex hoc accederet, non collato ad hoc, quod ex his, quædam partes turpitudinis velarentur. Horum autem primum eſſe nequit, quoniam hoc dato neceſſe eſt, vt fateamur cũ felicitate Paradiſi in Chriſto quaſdam adhuc manere particulas, quas indecorum ſit cerni, quod ſatis ab re eſt. Nec quidem in Chriſto dumtaxat, ſed & in ceteris, quos æternæ felicitatis participes conceſſerimus. Status quippe gloriæ quemlibet, qui eius compos eſt, ad eam deducit perfectionem, qua in eo maior iam eſſe nequeat; nulla ergo huic perfectioni erit coniuncta imperfectio; quoniam ſolide beatum eſſe nequit, quod aliqua ex parte miſerum eſt. In corpore aũt humano aliquam eſſe maculam, pœnalitatis cuiuſdam genus eſt, quam in felicitate perfecta eſſe impoſſibile eſt: in Chriſto igitur huiuſmodi inhoneſtam, aut indecoram particulam nullatenus eſſe liquet. Secundum quoq; ſupra dictum de Chriſto dici nequit. ſ. vt ideo in eo veſtes in Paradiſi felicitate fateamur, quoniam eius corpori pulchritudinẽ quandam, & honorem donant: nam, ſi quid alterũ perficit, aut illud pulchrum reddit, neceſſe eſt, vt eo, quod à ſe perficitur, pulchrius, atque perfectius ſit. De veſtibus autem Chriſti ad eius Sacratiſſimam carnem collatis huiuſmodi dici nequit, quoniam caro eius quibuſq; veſtimentis pulchrior, & decẽtior eſt: nullam ergo cauſam eſſe apparet; quare rationi conuenienter dictum videatur, vt Chriſtus in ſedibus empyreis veſtes habeat: eas ergo non habet, cum in eo fruſtra nihil ponendum eſt. Amplius autem veſtes turpitudinibus corporis tegendis inuentæ ſunt. In Chriſto autem nulla corporis particula turpis, aut pudenda eſt; in eo igitur nequaquã veſtes erunt. Huius inductionis primum patet: quoniã omnium ratione degentium finis veſtium hic eſt, vt pudenda quoque, & in pulchrum prodire indigna tegantur: hic quoque fabricatarum domorum finis eſt: voluerunt enim mortales ſic honeſtius quædam, quæ publicam cognitionem formidant, explere: ſic habetur Eccleſiaſt. 29. capit. Initium vitæ hominis panis, & aqua, & veſtimentum, & domus protegens turpitudinem. Quod autem in Chriſto pudendum nihil, aut turpe ſit, manifeſtum eſt: nam huiuſmodi pœnæ ſunt eius, in quo ſunt, in felicitate autem empyrearum ſedium pœnalitas nulla eſſe valet, cum omnimodam ibi felicitatem aſtruxerimus: ibi igitur conſequẽter omnem maculam, aut corporis deformitatem diffitebimur: nulla igitur talis macula in Chriſto eſſe valebit, vt veſtibus egeat, aut ei vſquequaque proſint.

Inuentio veſtis ẽ, vt tegat pudẽda.

In Chriſto nihil eſt pudẽdum.

Perfectior eſt ſtatus felicitatis Paradiſi, quàm ſtatus originalis innocentiæ. Cap. XX.

AMplius autem perfectior eſt ſtatus felicitatis Paradiſi, quàm ſtatus primordialis, atq; originalis innocẽtiæ: in eo tamen nulla prothoplaſtis veſtis fuit, nec eis neceſſariæ, aut opportunæ videbantur. In vita æterna igitur beatis veſtes nullatenus aderũt. Huius inductionis maior apparet, quoniam in ſtatu originalis innocentiæ hoc dumtaxat hominibus bonum erat, q̃ à peccato adhuc immunes prorſus erant, nec alicui pœnalitati ſubiecti erant, aut morti. Erat quippe innocentia iſta, aut originalis iuſtitia gratia a Deo gratis collata, prohibens ne mortalitas, quæ hominibus inerat, ex principiorum ſpeciei ſuæ conditione nocerent: erant tamẽ homines potentes peccare, atque conſequenter mortalitati ſubiacere, ſicut eis poſterius peccati merito inflictum eſt. Qui verò nunc in felicitate Paradiſi inexcogitatis fruuntur bonis, ampliora his bona habent, quoniam dotes glorię tam in corpore, quàm in anima tenent, quarum nulla in primordialis innocentiæ ſtatu fuit. Non enim vſquequaque homines primæuæ originalis iuſtitiæ tenentes ſtatum felices erant, quoniam adhuc deficere poſſe eis inerat, cum poſterius ceciderunt: felix autem circumqua F que non eſt, qui aliqualiter miſer effici poteſt. Nunc enim, qui felicitate Paradiſi fruuntur, immortales ſunt, qui verò primæuam tenebant iuſtitiam, mori poſſe prõptum habebant. Item, qui ſtatum innocentię tenuerunt, etſi tunc non peccauerant, aut peccabant, peccabiles tamen erant, ſicut eis poſterius factum eſt: qui tamen felicitatem Paradiſi tenent, peccare nullatenus queunt, aut ea, quam tenent, gratia carere. Præter hoc autem, qui primæuæ innocentiæ ſtatum tenebant, de felicitate æterna ſibi conſcij, aut certi non erant, quoniam in eis factum eſt, quod peccarent: quo ſpem eius perdiderant, niſi mediatoris Chriſti gratia redempti forent: qui verò perennis felicitatis gaudia experiuntur, de ea, quam poſſident felicitate firmitudinis, atque certitudinis conſcij ſunt, quoniam peccare nequeunt: illud G tamen, quo fruuntur, ſoli peccato repugnat, vt eo auferri poſſet. qui igitur ſibi conſcij ſunt, quòd peccare nequeunt, perennis felicitatis certa poſſeſſione lætantur. Differentius ergo maior, perfectiorque ſtatus eſt eorum, qui empyreas poſſident ſedes, quàm eorum, qui primordialis innocentiæ ſtatum aliquando tenuerunt. Huius autem ſecundum liquet: nam, cùm diuina poteſtas formauit Adam de limo terræ, nudum plaſmauit, nullum ei tribuens corporis tegmentum, vt dicitur Geneſ. 2. & 3. capit. Euam quoque cùm de latere viri dormientis formauit, nullo adhibito carnis ſuæ tegmento eam eſſe dedit: vnde erant nudi, nec erubeſcebant, vt apparet Geneſ. 3, capit. Cum verò deliquerunt, exarſerunt in vtroque ad alterutrum genitalia membra, quodam H paſſionali ad libidinem inſurgente calore: quemadmodum nobis euenire ſolet, cum in libidinem incitamur. Hunc autem prius nequaquam experti fuerant, nec tale quid accidere potuiſſe arbitrabantur, quo pacto de eo, quod acciderat, rubore ſuffuſi ſunt. Ob hoc autem genitalia, in quibus nouum illud acciderat adoperire volentes, de folijs ficus fecerunt ſibi perizomata ad tegendum dimidiam corporum partem. Hoc autem inſertur, quod, cum natura inſtituta erat nondum vitio hominum infecta, veſtibus nec eguit, nec vſa eſt. Nulla enim tunc eos ad hoc neceſſitas adigebat: quoniam nõ erubeſcebant nuditatis ſuæ, ac ſi nudum eſſe malum nihil foret. Nec hoc quidem ideo quis factum putet, quaſi tunc homines nimis adhuc rudes, quid bonum, honeſtum, aut verecundum foret, ignoraſſent. Tanta I quippe tunc rationis viuacitate vigebant, vt poſterius viguerunt: peccato tamen conſummato roboris quædã pœnalitas mox conſecuta eſt, quo veſtium neceſſitas ad honeſtatem tuendam inducta eſt. Veſtium ergo vſus ex peccati ſequela prouenit, ſcilicet, ex pœnalitate ruboris: à ſtatu autem felicitatis Paradiſi omnis pœna abeſt, cum ibi plenum, conſummatumque reperiatur bonum: in illa ergo perenni felicitate Paradiſi veſtibus nullus vtetur, & conſequenter nec Chriſtus nũc quibuſque veſtibus tectus eſt.

Quædam attinentia ad ſuperiora. Cap. XXI.

HIs aũt adiicitur, cũ diuina poteſtas hominem plaſmare voluit, cuncta ei neceſſaria contulit, veſtes tñ K ei nullas tribuit; veſtium ergo homini nulla neceſſitas, aut opportunitas eſt, Q̃d ſi homini nato, & viuẽti veſtes ad nihil neceſſariæ ſecundum ſe fuerunt, etiam ei poſt mortem iam in felicitate Paradiſi degenti, multo rationabilius conferre nequibunt, aut aderunt. Huius inductionis primum liquet: ſic enim Deus res conſtituit, vt ſingulis, quod naturæ neceſſitas, aut opportunitas exigit, tribuerit: quæ autem opportuna non ſunt, ſed ſuperuacua, non addiderit; alioquin cũ condita ſubſiſtere nequeant, niſi cũ eis, quæ opportuna, & neceſſaria quoque inſunt, tamdiu, quæ ſubſiſtũt, permanere nõ accideret. Hic aũt prauus ordo rebus impoſitus foret, ſ. vt aliqua condita forẽt, quæ ordinis defectione deperdi neceſſe eſſet. Hoc autem in Deo aſtruere nefas dixerim: cũ teſte Ariſt. Politic. lib. 1. lucide didiſcerimus Deũ, & naturã nihil ſuperuacuũ operari. Pari ergo cenſura dicẽdũ

eſt,

eſt, nihil à Deo, & natura productum, cui neceſſaria quoque, aut naturali conſeruationi opportuna adiuncta non fuerint. Si quid enim Deo, aut natura agente productum aſtruxeris, cui neceſſaria quæque diffiteatis conceſſa, fateatis oportet, hoc fruſtra productum fore: hoc tamen quiſque confiteri recuſabit: cuicunque ergo genito, producto, aut creato, Deo aut natura agente, quidquid ſpeciei conueniens eſt conceſſum fore confiteri neceſſe eſt, vt ſic progenita, aut producta conſtare queant. Hoc autem inducitur. Nam, ſi genitum, aut productum ad conuenientiam ſpeciei, neceſſaria quæque non habeat, periturum eſſet, & conſequenter eſſet ſuperuacuum; aut eſt id gigni, quod confeſtim delendum eſſet. Amplius autem Ariſtō. 12. Meta. ait, entia vniuerſi nolle male diſponi, ſed conuenientius diſponi, quo diſponi queant. Si tamen ſic vniuerſitatis res adminiſtrari fateamur, vt cuique quæ ad ſpeciei neceſſitatem ſunt non ſuppetant, etiam conſeruationes opportunæ, prauo ordine diſpoſitæ forent. Cūctis ergo genitis creatis, aut productis à Deo, vel à natura quęcunque neceſſaria ſint addijci confiteri neceſſe eſt. Hanc quoque aſſumptionē euidentius, latiusq; inducit Ariſtot. Polit. lib. 1. dicens, ꝙ, ſicut cunctorum ingeniatrix natura cunctis, vt ſint, prouidet machinas quaſdam, & argumenta eſſendi tribuens; ita & genitis rebus prouidet, vt ſeruentur. Vnde dicit naturæ eſſe virtutem prouiſiuam ad conſeruationem animalium, vt ſicut generationi contulit, ita eis genitis alimenta tenera præparat, procedentibus autem ſecundum ætatem firmiora quędam iam robuſtioribus nutrimenta miniſtrat. Ex hoc autem prouenire inquit, vt femellæ poſt partum lac in vberibus habeant, vt inde editos partus liquidiori, atque tenerrimo alant nutrimento: poſt autem ſolidiora quædam naturæ conuenientia adminiſtrat: de hoc quoque Ariſto. 1. Oechono. ait, omnia animalia à terra nutrimentum recipere, tanquam à matre; ipſa ergo terra, quæ naturæ pars quędam eſt, ſic naturæ ingenio diſpoſita eſt, vt cunctis viuentibus alimenta præbeat.

Duplex modus neceſſitatis in homine. Cap. XXII.

POteſt autem & aliàs induci, ꝙ homini plaſmato neceſſaria quæque ad conſeruationem ſuam tribuerit. Duplex enim neceſſitatum modus plaſmato homini inerat. ſ. ad conſeruandam humanam ſpeciem in ipſis indiuiduis, & ad indiuiduorum permanentiam. Ad indiuiduum verò quodlibet humanum conſeruandum, cibus, & potus neceſſarius eſt. Nam cunctis animalibus hoc ineſt, vt vitam alimento conſeruent: alioquin eis nulla per naturam poſſibilis eſt conſeruatio. Neceſſitas autem ſpeciei eſt ad permanentiam eiuſdem; &, quoniam præter indiuidua ſpeciem permanere impoſſibile eſt, dicente Ariſt. in prædicamentis, in prædicamento ſubſtantiæ, deſtructis primis ſubſtantijs impoſſibile eſt aliquid aliorum remanere. ſ. deletis omnibus indiuiduis, quæ ſunt primæ ſubſtantię, impoſſibile eſt aliquā primam ſubſtantiam permanere, quæ ad genera, & ſpecies pertinet. Et quoniam in compoſitis, & mixtis nullū indiuiduum permanet in æternum, cum quodlibet corruptibile ſit, ad permanētiam ſpeciei per generationem eſſe neceſſe eſt; qua ex vno indiuiduo alterum originē trahat, vt ſic quibuſdam occaſum facientibus alijs autem ex his ſumentibus ortum in æternam durationem permaneat ſubſtantia ſpeciei. Et quoniam ad generationem huiuſmodi potentia actiua, & paſſiua, & ſummè neceſſaria ſunt: quæ natura miniſtrat, ſexuum quoque diuerſitas, ſcilicet maſculinum eſſe, & femininum: nihil alterum neceſſarium erit hominibus ſecundum naturam habētibus, quæ conſeruandorum indiuiduorum neceſſitas exigit, cum ipſa quoque conſeruationem ſpeciei. Diuinæ enim bonitatis dignatio plaſmato homini horum ſingula tribuit: primò ei, in eis, quæ conſeruandorum indiuiduorum ratio exigit prouidens, cum ei cibum, & potum tradidit ad horum eſcam, & cunctas arbores Paradiſi illius, cuius colonus poſitus fuerat, con-

Species præter indiuidua non permanent.

In cōpoſitis, et mixtis nullū indiuiduū ſempiternū.

A cedens: cum inquit Gen. 2. cap. Ex omni ligno Paradiſi comede: de ligno autem ſcientiæ boni, & mali ne comedas. Ad potum autem homini Deus fontem Paradiſi tribuit, nondum vino in vſum hominum deducto, ſed huius aqua cunctis poculis ſalubrior erat: de hoc Gen. 2. cap. dicitur: Et fluuius egrediebatur de loco voluptatis, vel ſecundum aliam literam: Et fons egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradiſum, qui inde diuiditur in quatuor capita: nomen vni Phiſon, alteri Gion, alij Tigris, & quarto Euphrates. Quamquam autē Dominus prothoplaſto de hoc Paradiſi fonte bibere non iuſſiſſet, quoniam tñ eum colonum, & agricolam loci voluptatis collocauerat, vt patet Gen. 2. cap. cūcta, quæ ibidem erant, eidem conceſſiſſe, atque ſui effeciſſe iuris videbatur, eis demptis, quæ expreſsè prohibebat,

B ſicut de arbore ſcientię boni & mali cautum eſt. Identidem autem Deus prothoplaſto, quæ ad ſpeciei conſeruationem neceſſaria erant contulit, quod ad generationem ſpectat. Et quoniam ſolum virum gignere impoſſibile erat, cuius fundamentum patet ex prælibatis in expoſitione primi figurati Paradoxi, ei fœminam generandi coadiutricem contulit; huic enim iunctus generationis opus explere valebat. Sic enim habetur Gen. 2. capitulo. Non eſt bonum eſſe hominem ſolum, faciamus ei adiutorium ſimile ſibi, ſcilicet, faciamus ei fœminam, quæ ſimilis ſit ei in ſpecie, ſed non in ſexu, & iſta fuit adiutorium, ſcilicet, ad generationem, quæ pertinet ad naturalem communicationem, & ad communicationem œconomicam. Ex prædictis colligitur, quòd, cum

C Deus plaſmato homini neceſſaria quæque contulerit, veſtes tamen nullatenus præbuerit, eas homini neceſſarias, aut opportunas ſimpliciter non fuiſſe. Si ergo in ſtatu innocentiæ primæuæ prothoplaſto noſtro veſtes neceſſariæ non extiterunt, nec collatæ ſunt, in ſtatu felicitatis perennis Paradiſi, qui perfectior, nec parum eſt, neceſſariæ minus erunt. Eis ergo beati non teguntur, nec Chriſtus quoque nunc tegitur.

Gen. 2.

De veſtibus à Deo datis hominibus. Cap. XXIII.

AMplius autem homini in innocentia, & natura inſtituta formato, Deus veſtes nullas dedit: peccantibus autem veſtimenta tribuit, veſtes ergo homini ſecundum ſe neceſſariæ, aut opportunæ non erant, ſed,

D quoniam peccauit. ſ. vt pœnam verecundiæ in genitalibus ex peccato conſequentem tegeret: nudis nullis prodire in publicum magno eos faceret rubore ſuffundi, aut de ſe prorſus confundi. Hoc autem patet, quoniam ab exordio prothoplaſtis Deus veſtes nullas tribuerat, ſed, vt litera Geneſæos teſtatur cap. 3. nudi erant, & non erubeſcebant: poſtquàm verò iuſſa Dei tranſgreſſi peccauerunt, præter perizomata de folijs ficuum, quæ ipſi ſibi contexuerunt, Deus illis veſtes fecit, vt Geneſ. 3. cap. ſ. Fecit eis Deus tunicas pelliceas, & eiecit eos de Paradiſo. Ad neceſſitatem ergo indiuiduorum, aut ſpeciei, in plaſmatis hominibus ſecundum ſe veſtes non proderant, ſed propter peccati ſequelam introductæ ſunt: in felicitate tamen Paradiſi peccatum nullum, pęnalitas quoque nulla, nec rubor eſt; ibi igitur veſtes eſ-

E ſe conuenienter ſuſtineri nequit. Præter hæc autem ſi veſtes ob pulchritudinem corporis humani introductę fuiſſent, potius eas Deus prothoplaſtis ante tranſgreſſionem primariam contuliſſet, cum iuſtitiam originalem tunc tenerent, poſt peccatum tamen dedit, non ergo ad quandam corpori humano pulchritudinem augmentandam contulit, ſed ad ruborem noſtrum occultandum, quem peccati merito, prothoplaſti & tota eorum progenies membris genitalibus incurrerunt. Huius inductionis primum patet: nam, cum formati homines in iuſtitia originali forent, in gratia Dei erant. Habebat enim eos ſibi Deus gratos illos diligens, cum nondum quidquam peccaſſent, propter quod iram Dei incurrerent. Poſt peccatum autem filij iræ facti ſunt, odium Dei incurrentes, cum Deus oderit peccatores: rationi ergo magis conſentaneum videbatur, vt Deus quod-

Geneſ. 3.

Veſtes hominibus ex errore primo cōparatæ ſunt.

quodcunque bonum prothoplaſtis ante lapſum, quam
poſt tranſgreſſionem, tribuiſſet. Huius autem ſecunda
particula ex prælibatis inducta eſt ſcilicet quòd Deus
homini poſt peccatum veſtes tribuerit ante in nudita-
te, ſine rubore permanentibus eis. Quam ob rem inferri
neceſſe eſt: veſtes prothoplaſtis nullius augmentandæ
pulchritudinis cauſa datas, ſed tegendæ turpitudinis
neceſſitate, ne rubore ſuffunderentur. In felicitate autē
Paradiſi nulla pęnalis neceſſitas eſt; veſtium ergo vſus
ibi nequaquam erit. Præter hæc autem ſi Chriſtum in
empyreis locatum ſedibus veſtibus contectum cenſea-
mus, pariter quoque & in ceteris beatis cenſeri par cau-
ſa cogit: idem enim omnium ad hoc inductiuum, vel
diſtinctiuū erit. Quod, ſi obieceris potiora Chriſti me-
rita omnibus humanis meritis extitiſſe, quam ob rem
rationi conſentaneum fore eum veſtibus contegi, cete-
ris in ſua nuditate manentibus. Reſpondendum erit,
proculdubio cunctis humanis meritis Chriſti merita
potiora. Vnde, ſi in felicitate perenni veſtium vſus, vt
in hac mortalitate eſſet, ſolemniores nec tn parū veſtes
Chriſti ceterorum veſtimentis eſſe deberent: ipſo tamē
veſtibus contecto, ceteros in ſua manere nuditate nulli
rationi concors eſt. Si ergo Chriſtum veſtibus velatum
in polorum ſedibus arbitrari velimus, ceteris quoque
felicibus defunctorum varia cultus tegmina apponen-
da ſunt. De ceteris ergo non parua, nec cito extricabilis
quæſtio exorta foret: quomodo in reſurrectione veſtes
habere poſſent: nam nō erunt in eorum corporibus ve-
ſtes, quas dudum habuerūt: quoniam vel nullas ſepul-
ti habuerūt, aut illæ cum ipſis corporibus longa ſepul-
chrali corruptione attritæ diſtabuerunt. Nihil ergo ha-
bes, quod reſpondere queas, niſi vt cūctos angelos Dei
pannorum confectores, veſtium quoque fabros aſtru-
xeris, vt ſingulis beatorum veſtes, quibus velandi ſunt,
diſtribuere queant. hæc autem abuſio irriſoria quędam
eſt. Patet ergo nec Chriſtum in terra viuentium, nec
ceteros, qui in vtroque homine aliquando futuri ibi-
dem ſunt, veſtibus quibuſdam tegi.

Dubitatio, quòd felicitas Paradiſi non eſt futura ſine veſtibus. Cap. XXIV.

AD hoc autem quibuſdam aſtruendum videbitur,
felicitatem Paradiſi ſine veſtibus non eſſe futurā.
Quoniam inhoneſtum cuique liquet genitalia organa
reuelata cunctis monſtrari in patulo, quod ſi eos vela-
minibus carentes eſſe oporteret, rubore ſuffundi eos de
ſua nuditate neceſſe eſſe: in felicitate tamē Paradiſi nul
lum pœnalitatis arbitramur eſſe locum; veſtium ergo
ad turpitudinem contegendam vſus erit. Huic reſpon-
dendum eſt, quòd ſi nuditas genitalium organorum
quicquam ruboris, aut pœnalitatis afferret, nos quoq;
cum ceteris ſpontè fateremur in illa felicitate Paradi-
ſi, veſtium vſum cunctis eſſe neceſſarium: ibi tamē nul-
li in alterutrum de genitalium nuditate viri ſuffun-
dentur rubore. Ad feminas quoque idem erit, vt nul-
lę inuicem de talium nuditate vereantur: veſtium er-
go ibi nulla poterit eſſe neceſſitas. Hoc autem liquet,
quoniam perfectior ſtatus felicitatis Paradiſi, ſtatu pri-
mæuæ innocentiæ, originalique iuſtitiæ proculdubio
eſt: in ſtatu tamen iuſtitiæ originalis, à verecundia pro-
thoplaſti immunes erant, nihil de ſua nuditate, quæ
tunc nuditas minimè putabatur, erubeſcentes. Erit er-
go, vt in perenni empyrearum ſedium ſtatu omnis à
beatis effugiat rubor, aut occaſio erubeſcendi. Huius
inductionis primam particulam, notam fore arbitror,
eamque paulò ante firmauimus. Secunda autem dedu-
citur, quoniam in ſtatu primæuæ innocentiæ protho-
plaſti nudi erant, nec tamen de ſua in alterutrum, nudi-
tate confuſi. dicente litera Geneſeos. c. 3. Nudi erant,
& non erubeſcebant. In illa igitur, quam plenam cun-
ctorum bonorum aggregatione beatitudinem, præſto-
lamur, magis ab electis omnis ruboris materia diffu-
giet. Veſtium ergo erit ſublata neceſſitas, pariter &
opportunitas. Nos enim de genitalium organorum nu-
F ditate ſuffundimur, quoniam in eis paſſionalis quidā
ardor, & titilatio contra rationis ſurgit imperium. In
felicitate autem Paradiſi, nulla in electis paſſio aut
inſurget, aut dominabitur; verecundiæ ergo aberit lo-
cus. Sic enim aſſerit Aug. 22. de ciuit. Dei. in vita æter-
na non magis erubeſcemus de genitalibus membris,
quàm de pulchris oculis, aut manibus: ibique omnis
antiquus genitalium membrorum vſus deficiet: quo-
niam nullus viri ad feminam acceſſus, aut generatio
erit, nec ad acceſſum vlla in carne noſtra facta titilatio.
Sic enim Chriſtus reſpondit Saducæis contra reſurre-
ctionis teſtificationem arguentibus, dicens: erratis ne-
ſcientes ſcripturas, nec virtutem Dei: in reſurrectione
enim nec nubent, nec nubentur, ſed ſunt ſicut angeli
Dei in cęlo, vt patet Matt. 22. c. Ipſi enim vt eis vide-
G batur ad impoſſibile deducebant, aut graue inconue-
niens, obijcientes de muliere, quæ à ſeptem viris du-
cta eſt, ſi reſurrectio eſt, cuius eorum in reſurrectione
erit: ipſe autem reſpondit per interpretationem, vt pa-
tet ex dictis. In illa ergo felicitate Paradiſi patet nihil
eſſe, de quo nobis rubore ſuffundendum ſit: veſtium
ergo nullus erit vſus

Dubitatio de vulneribus Chriſti. Cap. XXV.

SVperioribus autem adhuc quiſquā inſtabit dicens
quòd, etſi nulli eorum, qui beati erunt, veſtium v-
ſus, aut neceſſarius, aut opportunus erit, Chriſto tamen
veſtes valdè congruent vulneribus ſuis contegendis,
potiſſime tegendo vulneri benedicti lateris ſui, quo-
H niam illud amplo patet hiatu. Si quis autem hoc elimi
nare intendens, aſtruat vulnera Domini Ieſu poſt reſur
rectionem ſic fuiſſe concluſa, ac ſi nulla ei vnquam il-
lata forent, dicendum eſt ſtare non poſſe: nam poſt ſan-
ctiſſimam reſurrectionem, vulnera ſuſcepta, patentia
vt in paſſione fuerant, permanſerunt. Hoc autem patet,
ex eo quòd Chriſtus ad Thomam diſcipulum in ſe ip-
ſo manifeſtauit: nā cum Thomas de reſurrectione Dnī
Ieſu dubitaſſet, & niſi loca vulnerum tetigiſſet, credi-
turum ſe diffitebatur: Chriſtus hæc, quæ petierat in cor
pore ſuo monſtrauit. De hoc Io. c. 20. dicitur: Dixerunt
ergo alij diſcipuli, vidimus dominum: ille autem di-
xit: niſi videro in manibus eius fixuram clauorum, &
mittam manum meam in latus eius, nō credam: & poſt
hoc dixit Ieſus Thomæ, infer digitum tuū huc, & vi-
I de manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus
meum, & noli eſſe incredulus, ſed fidelis. Hæc autem
Thomas, ut Chriſtus iuſſerat tetigit. Quod ex ſub di-
ctis eiuſdem loci manifeſtatur verbis. ſ. reſpondit Tho
mas, & dixit ei: Dominus meus. Dixit ei Ieſus, quia vi-
diſti me, Thoma, credidiſti. ſ. quia tetigiſti: Beati, qui
nō viderunt, & crediderūt. Amplius aūt non ſolū poſt
reſurrectionē ſuā Chriſtus in corpore ſuo vulnerū ha-
buit cicatrices: & aliqua illatorū vulnerū ſtigmata, ſiue
profundas habuit cauaturas, ſicut in vulneratis homi-
nibus poſt curationem relinqui ſolet. ſed patentes vul
nerum hiatus habuit, ſicut ea die, qua ei plagas impreſ-
ſere Iudæi. ſ. vt vulnus benedicto lateri eius lancea im-
preſſum, interiora carnis ad viam cordis penetrans, vſ-
que ad intima tunc patebat. Plagæ quoq; manibus in
K fiſura clauorum impoſitæ, manuū totam ſubſtantiam
penetrantes, tunc quoq; ab oppoſito in oppoſitū perue
niebant. In pedibus autem ſimili clauorum facta fixio
ne cōformia vulnera adhuc extabant. ſ. vt a ſuperficie
in ſuperficiem penetrādo viderentur. Sic enim adhuc in
eo profundæ manebant fixuræ, vt per eas intuentibus
lux, & rerū ſpecies viderentur: nulla carnis ſubſtantia
interpoſita. Hoc autem in Chriſto admirabile erat, ce-
teriſque admirabilius in lateris fixura patebat, in ipſo
namq; profundus hiatus carnis ſubſtantiā penetrās vſ-
que ad pręcordia viā faciebat intuenti. Ex his tn̄ nullū
aut mortis, aut nocumēti Chriſto incentiuum erat: nec
ex hac magna corporis apertura ſanguineus vllus de-
fluebat humor: ſicut in quolibet alio euenire neceſſe e-
rat, q talia pateretur. In Chriſto aūt, ſiue in quocunque

corpore

corpore glorioſo, ex his in hanc formam fixuris patentibus, nullum vitę diſcrimen, aut vllum ſequebatur nocumentum, etiamſi ampliores, penetrabilioreſq; fuiſſent, imo etſi præcordia cum ipſo corde vitæ noſtræ radice, ferro ab oppoſito in oppoſitum transfixa forēt. Huius ratio eſt, quoniam corpora glorificata incorruptibilia, atque penitus impaſſibilia ſunt, quidquid eis inſit, aut euenerit.

Quædam de Chriſti vulneribus attinentia ad ſuperiora. Cap. XXVI.

HAEc autem vulnera, vt prędictum eſt, relinqui pa- B tentia admirabile ſatis eſt: nec omnes id recipiunt: quin potius Doctorum Theologicorū pleriq; aſtruūt, non patentia vulnera, ſed pro vulneribus cicatrices relictas fore: ſed inuiti etiam confiteri cogentur, omnia vulnera Saluatoris, ſiue pedum, manuumque, & lateris poſt ſacratiſſimam paſſionem relicta fuiſſe patentia, vt tunc erant, cum ei cruci affixo impreſſa ſunt. Quod ex verbis beati Io. 20. c. ſatis liquet. ſ. Infer digitū tuum huc, & vide manus meas: & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli eſſe incredulus, ſed fidelis. Iuſſit enim Saluator noſter diſcipulo ſuo Thomę in latus ſuum manum immittere: latus ergo patens erat, alioquin manum immitti impoſſibile foret: ſed duntaxat ſuper latus manum ponere, in cicatricibus C lateris mittere autem non poſſet. Item hoc idem de fixuris pedum, & manuum conſtat, quod patuerint poſt reſurrectionem: quoniam in præallegatis dicitur, & mitte digitum tuum in loca clauorum: non enim dixit, pone digitum tuum ſuper cicatrices manuum, aut pedum, relictas ex fixura clauorum, ſed dixit, mitte: neceſſe eſt igitur, vt clauorum paterent fixurę, in quas digitus mitti poſſet. Item patet, quoniam dicitur, in loca clauorum, quo infertur adhuc ibi manere loca clauorum. ſ. fixuras: nam, ſi curatis, concluſiſque vulneribus ſolæ vulnerum cicatrices relictæ forent, non dixiſſet in loca clauorum, quoniam fixuræ erant loca clauorum, quia ibidem claui extiterant: cicatrices autē vulnerum clauorum loca non erant, quia in eis claui nulli fuerant, ſed locorum clauorum ſigna. Ex his ergo infertur, ꝙ vulnera Redemptoris noſtri poſt ſacratiſſimam reſurrectionem, ita aperta, penetrantiaq; relicta D ſunt, vt in paſſione patuerant, cum crucifixus fuit. Sic quoque nunc manēt: vnde & cum venerit iudicium facturus, illa bonis, & malis in patulum feret, his apertè innuens, eos ſufficienter redemiſſe effuſo ſanguine ſuo, qui per hæc vulnera late fluxerit, ipſi autem non attendētes, vt participarēt bonum redemptionis illius, perierunt. Tunc autem horriſono mugitu clamabunt omnes inferorum ſedibus mancipandi, in præcordijs ſuis indicibili dolore concuſſi, atq; lugentes, ꝙ tantum eis patens bonum non acceperint, quamobrem gehennalibus cruciatibus detrudendi in æternum ſunt. Sic Apoc. 5. patet Apocalipſis. c. 1. cum agitur de iudicio futuro ſuper omnes gentes ſcilicet. Videbunt, quē pupugerunt, & plangent ſe ſuper eum omnes tribus terræ. ſ. omnes tribus, & cognationes malorum, quoniam bonis ſolida iam ibi gaudia haurięda erunt. Potiſſime quoniam E dicit, omnes tribus terræ idest omnes tribus, quæ tunc erunt in terra, quod duntaxat malis cōuenit: ipſi enim ſoli in terra ſedebunt, cum iudicauerit filius hominis bonis in aerem eleuatis cum domino iudicante. Sic 1. Thes. 4. ait Apoſtolus 1. ad Theſſal. c. 4. ſ. Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quod nos, qui viuimus, & reſidui ſumus in aduentu Domini non præueniemus eos, qui dormierunt: quoniam ipſe Dominus in iuſſu, & in voce archangeli, & in tuba Dei deſcendet de cælo, & mortui, qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi, deinde nos, qui viuimus, & relinquimur, ſimul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Chriſto in aera, & ſic ſemper cum Domino erimus. Hoc autem non eſt intelligendum de aſcenſu vltimato bonorum in cælum poſt reſurrectionem, ſed de aduentu ad iudicandum: nam

A ſi de aſcenſu ad cælos ſermo eſſet, diceretur, quòd ipſi boni aſcenderent cum Chriſto aſcendente ſurſum in cælos; non tamen hoc dicitur, quin potius de Chriſto adueniente, ſcilicet, rapiemur obuiam Chriſto: ergo, quando ſancti rapientur, adhuc Chriſtus venit, & non redit in cælos; ad iudicandum ergo rapientur, vt cum Domino in aere eleuati ſint, dum iudicant. Item patet hoc, quoniam ibidem dicitur, rapiemur obuiam Chriſto in aera: ecce aerem terminum raptus huius diffiniuit. Si tamen de aſcenſu ſanctorum in cælos ſermo fieret, non dixiſſet rapiendos in aera, ſed in cælum, aut Paradiſum rapiemur: ergo ad aerem, idest ad iſtum B inferiorem aerem propinquum ſuperficiei terræ, vt Chriſto iudicanti aſſiſtant, malis plangentibus relictis ſuper faciem terræ.

Soluitur dubitatio, quod Chriſtus in vita æterna veſtibus tegetur. Cap. XXVII.

NVnc autem ad ceptam argumentationem redeuntes expoſitionem quorundam dicemus, quod etſi ſancti, cum reſurrexerint, nullis veſtibus induentur: Chriſtus tamen veſtibus egebit ad neceſſitatem vulnerum tegendorum, potiſſimè ad vulnus ampliſſimum lateris, rationi ergo conſentaneum videbitur, Chriſtum in vita æterna veſtibus cooperiri. Huic autem reſpondendum eſt, nullam eſſe Chriſto neceſſita- C tem, aut opportunitatem veſtium, gratia vulnerum tegendorum, quin potius inconueniens graue eſt aliqua veſte Chriſtum adopertum eſſe, vt vulnera tegat. Sed potius dicendum eſt vulnera Saluatoris noſtri in illa felicitate paradiſi aperta, cunctiſque manifeſta manere: ad ipſa quippe felices illi ſanctorum chori magna cum iucunditate intuebuntur, in laudes mirificas prorumpentes, atque dicentes, quod per illa vulnera ipſi peccatorum ſuorum veniam meruere, atque in illum beatitudinis locum peruenere. Si enim dominus Ieſus hic in corpore ſuo ſtigmata non recepiſſet, eos redimi non contigiſſet. Hæ autem laudes beatorum propter vulnera Redemptoris noſtri apparent ex ea viſione, quam refert Ioannes in quatuor animalibus, & viginti quatuor ſenioribus, de quibus Apocalipſis cap. 5. cum dicitur, & cum aperuiſſet agnus librum, quatuor D animalia, & viginti quatuor ſeniores ceciderunt coram agno, habentes ſinguli cytharas, & phialas plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes ſanctorum, & cantabant canticum nouum dicentes: Dignus es domine aperire librum, & ſoluere ſignacula eius, quoniam occiſus es, & redemiſti nos domine in ſanguine tuo ex omni lingua, & tribu, & populo, & natione: & feciſti nos Deo noſtro regnum, & ſacerdotes, & regnabimus ſuper terram. Apparet ergo, quod omnes beatorum chori, qui nomine viginti quatuor ſeniorum, & quatuor animalium deſignantur, Deo laudes aſſiduas referunt, quia in ſanguine eius redempti ſunt, quo infertur, quòd vulnera eius cernant, per quæ in laudum prolationes inſurgant. Et, quanquam Redemptor noſter Chriſtus Ieſus, in toto ſacratiſſimo corpore ſuo, pro nobis plagatus ſit iuxta teſtimonium Iſa. 53. ſcilicet, A planta pedis vſque ad verticem in eo non eſt ſanitas. inſignius ta- E men in latere, pedibus, manibuſq; plagatus fuit. Ideo, quanquam ex toto corpore Redemptoris noſtri, fulgor quidam prodeat nobis penitus inextimabilis, tanquam dos glorioſa pro ſuſceptis cruciatibus: admirabilior tamen adhuc ab eis locis procedet, in quibus differentius ceteris vulneratus eſt, ſcilicet, a manibus, pedibus, atque latere. Huic enim ſplendori ſol contendere nequibit, cum & ipſa corpora quorumlibet beatorum, ſicut ſol, fulgere debeant in illo admirabili, atque indicibili bono, iuxta teſtimonium Saluatoris. Hac igitur differenti luce vulnera Chriſti a ceteris partibus diſtincta notabuntur, ita vt tanta fulgoris, & pulchritudinis excellentia plena, atque ſuperefflūetia, tegmentorum ope nequaquam egebunt quin ponus, cum in eis differentior lux, quam in ceteris corporis

Christi vulnera in cælo beatis gaudia afferunt.

Sal-

Saluatoris noſtri partibus, fuerit, ita in eorum aſpectu beatorum gaudebunt chori: ſicut in conſpectu admirabilis vultus eiuſdem, qui eſt delectabilis viſu, & plenus omnium gratiarum, vnde in eum angeli conſpicere deſiderant: vt patet 1. Petri cap. 1. *1.Petri 1.*

Contra eos, qui aſſerunt Chriſtum veſtes tenere, vt vulnera tegat. Cap. XXVIII.

CVm autem, qui talia aſtruunt de Chriſto, enunciãt, quòd veſtes aliquas habeat ad vulnerum tegmenta, ſtare nequit. Primò, quoniam, ſi Dòminus Ieſus in felicitate Paradiſi manens veſtibus indigeret, nullo de veſtibus beatis adoperto, Chriſto minorem in felicitate ceteris confiteri neceſſe eſſet, quod falſum liquet, quoniam ipſe ceteris, qui in felicitate Paradiſi ſunt, G beatior eſt; ſi ergo ceteri veſtibus non egent, nec Chriſtus eis indigebit. Amplius autem, ſi vulnera Saluatoris noſtri talia eſſent, vt veſtibus cõtegi eis opus foret, vt nulla ei de ipſis ruboris occaſio inſurgeret, adhuc Chriſtus aliquib. pœnalitatib. ſubditus foret: ſed in felicitate Paradiſi defectus nullus, aut pęnalitas manet; Chriſti ergo vulnera talia erunt, vt de eis minime debeat erubeſcere, & conſequenter nec tegmento egeant. Amplius autẽ ſi vulnera Redẽptoris noſtri talia fuiſſent, vt eis patentibus non immerito erubeſcendum fuiſſet, ea plene concluſiſſet: & quod amplius eſt, nullum illorum reliquiſſet veſtigium, vt nec quidem in cicatrice pateret vulneris argumentum: ſed hæc nõ clauſa ſunt, nec obducta cicatrix: quin potius ita patẽtia, vt in cruce fuerunt, relicta ſunt; H nullam igitur Chriſto deformitatem inducet. Item rationi magis conſentaneum eſt, Chriſtum de patentibus vulneribus ſuis gloriari, quã rubore ſuffundi: Nam cum quis viriliter pro patria bella agens ab hoſtibus aliqua excepit vulnera, quorũ cicatrices obduci nequeũt, & niſi fortaſſis ipſe bella ageret patriæ exitum ingruebat: nullum dedecus, aut honoris diminutionem propter relictas cicatrices habet: quin potius a tota communitate, ſi rectè agat, abundantius honoratur, cum cunctis palam ſit tuendæ patriæ deſiderio hæc vulnera inflicta eſſe. In Chriſto Redemptore noſtro amplius adhuc prædicta conſtant: nam ipſe generis humani a diabolo pęna, & culpa redimendi cauſa, hęc vulnera in ſacratiſſimo corpore ſuſcepit, quę niſi ſuſcipere dignatus fuiſſet, ſalus noſtra fieri nequiuiſſet. I Amplius ergo eum nos ſic plagatum honorare debemus, quam ſi nulla vulnera ſuſcepiſſet.

Si Deus in cælo vllis veſtimentis tegeretur, longè precioſiora eſſent his, quibus in terra vtebatur. Cap. XXIX.

HIs autem adijcitur, quòd ſi Redemptor noſter in felicitate Paradiſi aliquas veſtes habiturus eſſet, non indueretur eis, quibus, dum inter nos viueret amictus fuit, ſed alijs longe precioſioribus. Nam, quæcunque in ſtatu felicitatis Paradiſi ſunt, excellentiora valdè ſunt eis, quæ apud nos ſunt, ita vt de eis nec ſufficienter admirari nobis detur, cum nobis adhuc incognita ſint: iuxta illud 1. Corint. c. 2. K Sed ſicut ſcriptum eſt, quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe. Et Iſa. cap. 64. Auribus non audierunt, oculus non vidit Deus præter te, quę præparaſti expectantibus te. *Iſa. 64.* Neceſſe eſt igitur, vt, ſi veſtiũ vſus in vita Paradiſi degentibus eſſet, illæ admirandi pretij, & nunc inæſtimabiles nobis forent. Si autem hoc generaliter dictum eſt, quid ſpecialius de veſtibus Saluatoris dicendum foret, quas ceteris precioſiores eſſe ratio exigebat? veſtimenta tamen Saluatoris noſtri, quibus, dum in carne adhuc mortali viuens opertus eſt, pauci extitere valoris: Chriſtus ſiquidem, non vt honoraretur, aut inter ceteros mortales veſtium inſignitate polleret, in orbem venerat: ſed vt humilitatis, atque paupertatis nos efficeret amatores, qđ in ſe primo edocuit. Sic patet Matt. F cap. 20. Non veni miniſtrari, ſed miniſtrare: ſed, qui miniſtrat, maior eſt, quàm qui recumbit, vt patet ibidem. Vnde ipſe teſtimonium perhibens de Iohanne Baptiſta, de ſe quoque perhibuit, quod precioſis veſtibus nõ vteretur. Sic habetur Matt. c. 11. Qui mollibus veſtiuntur, in domibus regum ſunt. Si tamen ipſe veſtibus mollibus, & precioſis vteretur, non protuliſſet, quod mollibus veſtiti in domibus regũ ſunt: ipſe quippe in nullius regis domo erat. Si igitur mollibus veſtiretur, verba ſua inepta prolata forent: apparet ergo Saluatorem paupere fuiſſe habitu contectum. Nec quidem duntaxat in habitu paupertate vſus eſt, ſeu in toto viuendi ritu eam maximè æmulatus eſt. Sic de eo dixit Zacharias cap. 9. Exulta ſatis filia Sion, & iubila filia Ieruſalem, ecce rex tuus veniet tibi iuſtus, & Saluator: ipſe G pauper, & aſcendens ſuper aſinam, & ſuper pullum filium aſinæ: hæc autem in Domino Ieſu impleta fuiſſe Euangeliſtæ teſtantur, vt patet Matt. 21. cap. & Luc. 19. Liquet igitur veſtes, quibus Saluator noſter toto tempòre, quo inter nos mortalis fuit, indutus eſt, abiectas, aut ſaltem precioſas non fuiſſe. Si tamen veſtimentis in felicitate empyreatum ſedium adoperiendus foret, oporteret ea precioſiora omnibus humanis veſtibus ſupra cunctam exiſtimationem noſtram eſſe: quanquam ergo aliquibus veſtibus amictus eſſe deberet, eis tamẽ non velaretur, quibus, dum viueret vſus eſt. Horũ ergo inepta poſitio ſtare nequit, ſcilicet, quòd Chriſtus eiſdem, quibus hic operiebatur veſtimentis, in vita æterna tegatur, atque cum eis in cælos aſcenderit.

H *Nec Chriſtus, nec alij beati in Paradiſo veſtimentis teguntur. Cap. XXX.*

MAgis autem adhuc in radice inducitur, nullum eorum, qui beata vita degunt in felicitate Paradiſi, nec ipſum Chriſtum vllis veſtimentis eſſe adopertum, nec his quidem veſtibus, quas hic viuentes habuerunt, nec alijs, quæ eis poſt aſcenſum in aſtriferas domos donatæ ſint. Superuacuæ quippe penitus forẽt, *In Paradiſo ſinguli ſingulorum penetralia, & inteſtina admirabili poteſtate* quia nullis defectibus, maculis, aut deformitatibus tegendis accederent: nam, etſi in vita felici aliquos defectus, & deformitates in corporibus fateamur, qui veſtibus tegendi forent, ea tamen ſic adoperiri prorſus eſſet ſuperuacuum: nam beatorum oculis iſta dos glorię I erit, vt perſpicaciſſimi ſint, nec ſolùm, quæ in ſuperficie patent, contemplentur, ſed etiam quæ interius velata ſint. Nec duntaxat, quæ veſtibus adoperta ſunt, illis in patulo erunt, ſed & quæ intra corpora, ſcilicet vt quilibet beatus alterius inteſtina, & ſingula, quæ intra corpus ſunt, cernat, ita vt nihil magis pateat vni beatorum alterius vultus, & oculi, ei corporis exterior ſuperficies, quàm cor, inteſtina, & quæcunque ſunt interanea membra occultis naturæ ſedibus collocata. Nec his tantummodo contenta erit ſanctorum beatitudo, ſed et cogitationes ſuas, quę ſpiritualia entia pure ſunt, in alterutrum contemplabuntur: deſideria quoque, & affectus ſingulorum cunctis in commune patebunt. Hoc autem ex magnitudine dotium gloriæ. Niſi enim ſic felix illa conſtituatur vita, perfectum degentium bonũ K non erit, cum quis alterius cogitationes, & affectus ſcire deſiderans, quod peteret, minime adipiſci valeret. Quo inferretur beatitudinem illam, plenumque bonũ non eſſe, cum aliquid exterius relinqueretur, quod adhuc deſiderari poſſet. Veſtimentis ergo, quanquam beati in felicitate Paradiſi tegerentur, prorſus nihil efficerent, cum nihil ab aliorum oculis occultare valerent. Tunc igitur veſtes ſuperuacuè ponerẽtur, eis ergo beati non vtuntur: in felicitate namque æternæ vitę ſuperuacuum nihil eſt, quoniam ſuperflua recto repugnant regimini: quod à Deo longe eſt, teſte Ariſt. noſtro 1. Politic. Deus, & natura nihil faciunt fruſtra. Ex his ergo collectum patet, quòd Chriſtus indutus veſtibus ſuis in cælum non aſcenderit, nec eis, aut quibuſuis alijs ibi adopertus ſit, nec quiſquam de beatis veſtium vllum vſum habeat.

Chriſtus, dum vixit, veſtibus vſus eſt, & quędam de quibuſdam paſſionibus. Cap. XXXI.

QVanquam autem Redemptor noſter nunc veſtibus nullis in Paradiſi felicitate tegatur, dum tamen vixit, veſtibus vſus eſt, quod ex omnium Euangeliſtarum teſtimonijs comprobatur, aſtruentium, quod in paſſione eius, milites miniſtri Pilati, qui patientem eum obſeruabant, atque illata vulnera inferebant, veſtes eius partiti fuerunt, & ſuper vnam de veſtibus, ne diuideretur, ſortiti fuerint. Diuerſitatis autem horum ratio eſt, quoniam Chriſtus in felicitate Paradiſi degēs veſtibus nó indiget, nec quiſquam eorum, qui cum eo erunt: dum tamen in hac mortali vita ſuperſtes fuit, veſtibus eguit, quod ex duobus inducitur. Primò ſcilicet ob cauſam ſui, & propter eos, in quorum medio verſatus eſt. Harum autem prima neceſſitas veſtium in Chriſto fuit: quoniam, dum vixit, rubore ſuffuſus fuiſſet, ſi inter ceteros toto corpore nudatus apparuiſſet, ſicut ēt ceteri homines erubeſcunt, præſertim ſi vaſa genitalia denudentur. Nam, etſi Chriſtus nihil peccauit, nec ab alio contraxit, peccati tamē pœnas aſſumpſit; omnes enim pœnalitates, quæ humanam naturam premunt, peccati merito inflictæ ſunt: ex quibus ipſe aſſumpſit eas, quæ conditionem ſpeciei conſequebantur, ſed non eas, quæ accidunt ex varia complexione indiuiduorum, ſicut in tertio figurato Paradoxo prælibatum eſt ſuper partem: Qui patiebatur. Inter cetera autem pœnalitatum genera verecundiam ſuſcepit, quę ab Adam hæreditario iure ceſſit in poſteros. Amplius autem quoniam cum nimis verecundia decebat: ipſe quippe viri perfecti cuiuſlibet perfectiones aſſumpſit; non ſolum, quæ ineſſent, ſed quæ ineſſe poſſent. De verecundia autem huiuſmodi: nam, etſi ſimpliciter perfectio non ſit, quoniam paſſio quædam eſt, ſecundum tamen conuenientiam ſtatus mortalium laudabilis valdè eſt, atque probitatis indicium: nam, ſi quis inuerecundus, penituſque effrons ſit, cum nullius bonitatis virum cuncti perhibent, nec in hoc quicquā metiuntur. Ait enim Ariſt. Ethic. lib. 2. & 4. circa finem, omnes virtutes eſſe laudabiles, paſſiones autem nec laudabiles, nec rurſus vituperabiles fore: quoniam nec bonæ, nec malæ ſunt: duas tamen ſpecialiter paſſiones laudabiles eſſe dicit, ſcilicet verecundiam, & nemeſin. Eſt autem nemeſis quædam paſſio, qua dolemus, cum mali homines, & politiarum turbatores dominantur, & boni ſubduntur, eiſque inuidemus. Quoniam ergo verecundiam laudabilem paſſionem aſſerimus, neceſſe eſt, vt eam in Chriſto fuiſſe dicamus, cum modeſtè verecundum aſſerentes, ſcilicet, quòd tantum verecūdaretur, quantum viro alicui honeſto nihil peccanti verecundandum erat. Hoc autem dixerim, quoniam, etſi verecundia paſſio ſit, medium tamen habet duarum extremitatum vitioſarum: quemadmodum in ſingulis moralibus virtutibus eſt. Quidam nempe ſunt, qui nihil verecundantur, aut minus, quam verecundādum ſit, verecundantur: hos autem effrontes latinorū vocauit proprietas: hos autem ideo effrontes appellamus, quoniam verecundia potiſſimum in fronte patet. Vnde, cum homines erubeſcunt, in terram vultus ducunt, eos immobiliter tenere nó valentes, qui verò verecundiam nullam habent, in fronte motum nullū ſuſtinent. quo fit, vt frontem nullatenus habere videātur, & ſic rationabilis vſus obtinuit, vt inuerecundi effrontes appellentur, iſta autē extremitas inuerecundiæ eſt defectus, quia, qui taliter ſe habet, aut nihil verecūdiæ habet, aut ab ea, quā rationabiliter habere debet, multum deficit. Alia autem verecundiæ extremitas eſt, quę ſuperabundantia dicitur. Hæc autem eſt in eis, qui amplius, quam deceat, erubeſcunt: hic autem ſecundum Ariſt. in 4. Ethic. Cathaplex dicitur, quod Græce dictū in latinum ſtupidus vertitur, ſcilicet, ꝙ ita vehementer illi erubeſcunt, vt, cum eis quicquam dicitur, mox ſtupent non timore, ſed rubore commoti: hi autem coram ceteris hominibus incognitis loqui non audēt, potiſsimū córam eis, qui aliquo honore, & dignitate præditi ſunt: hæc autem verecundiæ extremitas, nec laude digna eſt, nec rationi conſentanea. Chriſtum autem nulla harum extremitatum verecundiæ affectum cenſere fas eſt, quælibet namque in vituperium ducitur. Harū autem mediū laudamus, quod verecundiam dicimus, qua de eo verecundamur, de quo ratio verecundari iubet. Hanc autem in Chriſto aſtrui neceſſe eſt, in eo quippe omne laudabile extitit ſimpliciter, ſecundum quòd humo, vel Deus laudabile ſit. De his Ariſtot. Ethic. lib. 2. & magis in fine quarti. Quoniam autem rationi valde conſentaneum erat, vt Chriſtus de eo erubeſceret, de quo ceteris hominibus rubor eſt: nudum vero penitus eſſe, potiſsimè in parte genitalium organorum, verecundum ſingulis hominum eſt. Vt ergo hunc ruborem à Chriſto continuè tolleremus, oportet vt in eo ruborem, ſicut in ceteris aſſeramus.

Alius neceſſitatis modus impulit Chriſtum veſtes habere. Cap. XXXII.

ALius autem neceſsitatis modus in veſtibus Chriſto fuit: ipſe ſiquidem in benedicto corpore ſuo pęnalitates noſtras ſuſcepit, vt à frigore, & æſtu, humore quoque, atque ſiccitate pati poſſet: ſic autem & à ceteris temporum importunitatibus, ſicut in tertia figurata metaphora prælibatum eſt ſuper particulam: Qui patiebatur. Et, quoniam in terra Chanaan, ſcilicet in Iudæa, vbi ipſe in hac carne mortali viuens verſatus eſt, omnes hæ temporalium qualitatum importunitates erant, oportuit, vt ipſe veſtes haberet, vt ſic ab his afflictiuis qualitatibus quouis modo ſe defendere poſſet, alioquin Chriſtus multa à frigore, & æſtu, pluuijſque paſſus foret, dum viueret: vnde in his ſuę paſsionis incommoda inchoata forent. Secunda autem cauſa neceſſitatis veſtium in Chriſto ſumitur ex comparatione, quam habebat ad alios: nam, etſi Chriſtus de ſua nuditate nihil erubeſceret, quanquam penitus tegmēto carens: alij tamen homines, inter quos ipſe conuerſabatur, erubeſcebant, ſi nudi forent. Nec ſi duntaxat, ſed & Chriſtum poſitis velamentis conſpicere vererentur: potiſsime ſi genitalia organa nudata forent. Et, quoniam omnium ratione potentium conſuetudini & naturæ obuiare patet, toto corpore nudum apparere, ſi Chriſtū penitus nudum conſpexiſſent, eum virorum ſtultiſsimum, nec iniuria æſtimaſſent. Hoc autem intētioni Redemptoris noſtri valde obuiabat, quoniam prædicaturus veniebat, & eruditurus in his, quæ de ipſo credi oportebat, & quæ agi: hæc autem fieri nequibant, ſi nulla ei auctoritas tanquam ſenſato viro præberetur. Si tamen eum poſito omni velamine conſpexiſſent, nulla cū dignum reuerentia æſtimaſſent: quin potius ſtultis ſtultiorem rectiſsime arbitrati fuiſſent: nulla igitur hoc modo verbis eius auctoritate conceſſa, prædicationis, atque eruditionis eius opera inutilia prorſus fuiſſent. Dicendum ergo erit Chriſtum, ſecundum id, quod in carne agere intendebat, neceſſarium fuiſſe veſtibus regi, dum inter nos verſatus fuit. Nunc tamen, cum in cælos aſcenderit, opus non habet, vt quibuſlibet velamentis tegatur.

Opiniones, ac obiectiones quædam penes ſuperiora. Cap. XXXIIII.

NVnc autem forſitan quiſpiam opinabitur, in felicitate Paradiſi nullis veſtibus contectum fore. De ceteris quoque, qui in eo loco beatitudinis fructum habēt, eandem ſententiam diffiniri. Conſequenter autem, quod veſtes Saluatoris noſtri in cælum adductæ nō fuerunt, ſed ꝙ eas ante cælos reliquerit. Hoc modo, vt cum per primam aereæ regionis particulam tardo quodam progrederetur motu, vt diſcipulorum ſuorum pateret obtutibus, veſtes, quibus ante contectus eſſet, haberet. Cum vero ab eorum oculis altiora petens euanuiſſet,

eas

eas relinqueret. Hoc autem eſſe poterat, vt vel eas in aliquam mundi particulam à nobis diſtantem eieciſſet, aut illas in præiacentem materiam conuertiſſet totali facta reſolutione. Alijs autem aliter videbitur æſtimatione dignum, ſcilicet vt Saluatorem dicamus poſt reſurrectionem ſuam, vſque ad aſcenſionis tempus, veſtibus, quibus prius velaretur, contectum fuiſſe: cùm verò aſcenſurus foret, iuſſu eius nubes vſque ad pedes ſtantis inclinata eum contexit, vbi tanquam veſtimento adopertus, veſtes in loco aſſiſtentibus reliquit. Tunc autem, quibus hoc mentis eſt, aſtruent, ideo Chriſtum nube circundatum fuiſſe, ne, cum veſtibus nudaretur, caro eius conſpicienda daretur. Sic quoque nube tanq̃ veſtimento velatus, vt diſcerni nõ poſſet, an nudus, veſtituſve aſcendiſſet. De veſtibus autem hi aſtruent, ꝙ in Monte Oliuarum coram aſtantibus relictæ ſunt, qui eas aſſumpſerunt. De hoc tamen ſcriptura nihil refert. Hæc autem ſecunda poſitio conſiſtere nequit: nam, ſi G Chriſtus poſt reſurrectionem ſuam veſtibus adopertus erat, veſteſque ſuæ in loco, de quo aſcendit diſcipulis aſtantibus, relictæ ſunt, diſcipuli conſpicientes Ieſum, cum eum aſcendentem lento gradu intuerentur, cognoſcerent nudum eſſe: hi tamen velut abſurdum dicunt diſcipulos vidiſſe Chriſtum nudatum. Huic autem forſitan obijcient, quòd, etſi Chriſtus verè nudus in cęlum aſcenderit, nubes tamen eum aſcendentem tegebat, ita vt nequaquam nuditas conſpicienda daretur. Ad hoc autem conſutandum eſt, quoniam aſcendens Chriſtus in altum, nube penitus adopertus non erat, ſed eum ipla nè diſcipuli aſcendentem intuebantur, vt habetur Actuum c. 1. Si ergo apud eos veſtes reliquiſſet, cognouiſſent eum, cum aſcenderet, nudum fuiſſe. H

Improbatio opinionum ſuperius poſitarum.
Cap. XXXIV.

Quid actũ ſit de veſtibus Chriſti, poſtq̃ in cœlum aſcendit.

HIs autem qui circa prædicta vtcunque ſubterfugere moliuntur, dicendum eſt, has poſitiones prorſus ſtultas fore, atque quendam errorem conſurgere. Nam in prædictis quęritur, quid de veſtibus, cum quibus Chriſtus in cęlum aſcenderit, factũ ſit. In quo ſupponitur Chriſtũ, dũ aſcenderet, veſtes habuiſſe: hoc tñ manifeſta falſitate notatur. Nam poſt reſurrectionem ſuam Chriſtus veſtes nullas habuit. Cum.n. Dñs Ieſus crucifixus eſt, nudus in cruce fuit: ſic.n. ait Beatus Matth. cap. 27. & Mar. 15. Cum enim in cruce poni debuit, I milites Pilati, qui eius in paſſione cuſtodes, atque cruciatuum miniſtri erant, eum cunctis veſtibus exuerũt, relictis ei duntaxat genitalium vaſorum tegmentis, q̃ nullus, qualicunque crudelitate ſæuiat, alteri auferret ob verecundiam humanæ ſpeciei. Nec ẽt Chriſtus talẽ in corpore ſuo ignominiam toleraſſet. Hoc nãque oẽm pęnalitatis humanæ ſpeciem excedebat. Super hoc autem genitalium tegmenta quodam fortaſſis linteo cingebantur ab vmbilico, vſque ad quandam crurum partem peruenientẽ, quæ quippe ſpontè conſuiſſent deuotæ mulieres, quæ eum prædicantem audierant, fuerantque à Galilæa ſecutæ, nunc tandem eis tam amaræ paſſioni, atque iniuſtæ aſſiſtẽtes grauiſſimo cordis dolore ferentes. De quibus Marc. 15. cap. dicitur: Erant K autem & mulieres de longè aſpicientes, inter quas erat Maria Magdalena, & Maria Iacobi minoris, & Ioſeph, & Salome. Et cum eſſet in Galilæa ſequebantur eum, & miniſtrabant ei: & aliæ multę, quæ cũ eo aſcenderant Ieroſolymam. De his quoque Matth. 27. & Ioã. 19. Si autem nulla aliarum feminarum tegendo corpori Saluatori noſtri nihil præbuiſſet, ipſa benedicta mater cuncta capitis ſui velamina impendiſſet, ſi res expetijſſet. Hoc ergo fuit tegmentum corporis Saluatoris noſtri, dum in cruce extitit. Nam & veſtes eius non erant ei relictæ. Iam enim eas inter ſe milites ex parte diuiſerant, partim ſortem poſſederant: ſic patet Ioã. 19. Cum dicitur: Milites ergo, cum crucifixiſſent eũ, acceperũt veſtimenta eius, & fecerunt quatuor partes, vnicuiq; militi partẽ vnam, & tunicã. Erat autem tunica

F inconſutilis, & deſuper cõtexta per totum. Dixerunt ergo adinuicem: Non ſcindamus eam, ſed ſortiamur de ea, cuius ſit, vt impleretur ſcriptura dicens: Partiti ſunt veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortẽ. Cum autem de cruce corpus Saluatoris depoſitum eſt, Ioſeph nobilis decurio ab Arimathia ciuitate, qui erat diſcipulus Ieſu in occulto propter metum Iudæorum, qui petierat, & acceperat à Pilato corpus eius, mercatus eſt ſyndonem nouam, & vnguenti, myrrhæ, & aloes quaſi libras centum, vnxitque corpus Ieſu, & inuoluit illud ſyndone. Sic enim aptatus in ſepulchro tumulatus eſt. Iacuitq; vſque ad ſacratiſſimam reſurrectionem ſuam. Quanquam ergo in veſtibus ſuis reſurgere vellet, non daretur niſi in ſyndone, qua inuolutus erat, & in tegmentis vaſorum genitalium. In his tamen reſurgens non exitit inuolutus. Nam, cum eum deuotæ feminæ in die reſurrectionis ſuæ in ſepulchro vnguendũ peterent, inuenerũt duos iuuenes ſedentes in albis, qui erant angeli Dei, vnum ad caput tumuli, alterum ad pedes. Inuenta quoque ſyndone, in qua Saluator noſter in ſepulchro circumtectus iacuerat. Sic patet Ioan. 20. cap. Cum dicitur: Et, cum ſe inclinaſſet, vidit poſita linteamina, tamen non introiuit. Venit ergo Simon Petrus ſequens eum, & introiuit in monumentum, & vidit linteamina poſita, & ſudariũ, quod fuerat ſuper caput eius non cum linteaminibus poſitum, ſed ſeparatim inuolutum in locum vnum. Apparet ergo ex dictis, dominum Ieſum minime ſurrexiſſe inuolutum ſyndone, & ſudario, ſicut moriẽs tectus fuerat, ſed relicta ſunt ſpolia in ſepulchro, ipſo nudo reſurgente. Nec eum quiſquam aſtruat priores veſtes, quibus viuens in carne mortali vſus fuerat, poſt reſurrectionem accepiſſe: nam, etſi perfacilè ei extitiſſet de manibus eorum, qui eas poſſidebant, diuiſione, & ſorte ſubtrahere: de eis tamẽ nullam egit curam: vnde & apud eos, quibus obuenerãt, in paſſione ſua relictæ ſunt. Cuius ratio patet, earum namque vſus Chriſto iam opportunus non erat: quoniam in felicitate Paradiſi veſtibus nemo beatorum tegitur, vt ex prælibatis patet. Quod, ſi quibuſuis aſtruendum videretur, Chriſtum, & beatorum choros in perennitate felicitatis veſtibus contegendos, non eis, quibus hic vſi ſunt, adoperiri congruebat, ſed alijs longè ſolennioribus, atq; pręcioſioribus, vt in prælibatis inductũ eſt: nequaquam ergo Chriſto reſurgenti neceſſariæ, aut opportunæ erant veſtes, quibus, dum inter nos viueret contectus eſt. Dicendum ergo eſt Chriſtum reſurgentem nudum fuiſſe, in eademque nuditate cunctis apparuiſſe, quibus eum ſacer canon Euangeliſtarum apparuiſſe cõmemorat. In ea quoque habitudine cælos conſcendit, in æternum ſub eadem nuditate manſurus, hunc quoq; tenent modum corpora ſanctorũ, quæ cum domino Ieſu ad æternę illius felicitatis gloriam, cum ſurrexerint, rapientur. Nec a quoquam, qui ſapiat, obijciendam nobis reor Chriſti reſurgentis, & apparentis nuditatem, tanquam ſub inhoneſtate quadam ducendam. Nullum enim in eo erat deformitatis, aut ignominiæ ſignum, quod nudus appareret, quin potius maioris gloriæ teſtimonium erat in benedicto corpore eius, quam ſi quibuslibet veſtibus contectum fuiſſet. Corpus namque ſacratiſſimum Redemptoris in reſurrectione ſua maximam omnium corporum cepit pulchritudinem: ita vt in tota rerum vniuerſitate nulla ei æquari valeat pulchritudo, quam tanquam dotem gloriæ tunc induens, nunc quoque tenet. Hoc dato, rationabilius erat tam admirandam pulchritudinem aſpicientium oculis cernendam dari, quam corruptibilibus veſtibus adopertã fore. Vnde hanc iniuriam poſt reſurrectionem, cunctis quib. hoc Deus manifeſtare dignatus eſt, corpus Redẽptoris noſtri nudum apparuit, ſicut vere nudũ erat. Tãta erat tñ fulgoris in corpore illo admiranda reuerẽtia, tãque ſupexcellens decor, vt nulla in eo deformitatis, aut turpitudinis macula notaretur, quãquã nudũ eſſet, ſicut in noſtris corporibus videndum eſſet, ſi poſitis velaminibus publicè conſpicienda darentur. Sic enim Pſalmiſta teſtatur Pſal. 102. Amictus lumine ſicut veſtimento, Pſal. 18.

Corpus Chriſti q̃lo tumulatum ſit.

Chriſtus reſurgẽs nudus erat, & nudus cunctis apparuit.

idest,

ideſt, quòd corpus Redemptoris ita gloria, & fulgore tegebatur, ac ſi veſtibus velaretur, honorabilius tamen.

Obiectio quædam alia penes ſuperiora. Cap. XXXV.

QVibuſdam autē fortaſſis videbitur, etſi Chriſtus reſurgens, atque in cælum conſcendens, nullis de materia panni veſtibus adopertus fuerit, veſtimenta tamen de aerea ſubſtantia fabricaſſe, iuxta figuram ei placitam, vt ſic adempta nuditate honeſtum corpus eius videretur. Hoc autem inducitur ex conformitate ad angelos apparentes. B Cum enim Saluator noſter ad cælum aſcendens ſuorum oculis conſpectus parumper eſt, demum ab eorum euanuiſſet obtutibus, duos miſit angelos, qui diſcipulos de loco aſcenſionis expedirent, ne longo aſcendentis deſiderio tenerentur, dicentes. Viri Galilæi, quid ſtatis aſpicientes in cælum? hic Ieſus, qui aſſumptus eſt à vobis in cælum, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum aſcendentem in cælum. Hos autem duos viros, qui & angeli erant, in veſtibus albis apparuiſſe ſacra ſcriptura commemorat, vt patet Actuum 1. capitulo. de Chriſto igitur ſatis rationabiliter dicendum videtur, vt, ſicut angeli apparuerunt, ſic & ipſe in veſtibus albis apparuerit. De angelis quoque, qui erant in ſepulchro iam reſurgētis domini Ieſu, quod in veſtibus albis apparuerint, ſcriptura refert, vt patet Ioan. C 20. ſcilicet, ꝙ Maria flens inclinauit ſe, & proſpexit in monumentum, viditque duos angelos ſedētes in albis: His autem reſpondendum eſt, quod, ſicut dominus Ieſus in cælum aſcendens, & à mortuis reſurgens, nullas de panno, quæ propriè ſunt veſtes, habuit, ita & de aerea ſubſtantia nulla habuit tegmenta, nec ex qualibet alia materia confecit quæpiam opertoria, quod inducitur ex eo, quod habetur Ioan. 20. cap. Apparuerat enim die primo reſurrectionis diſcipulis ſuis congregatis in vnum propter timorem Iudæorum, ianuis clauſis, & cum eis nō erat Thomas: Dixerunt autem poſtea Thomæ, vidimus dominum. Ille autem dixit: Niſi videro in manibus eius fixuras clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & manum meam in latus eius, non credam. Et poſt dies octo, iterum venit Ieſus ad diſcipulos ſuos, & erat Thomas cum eis: & dixit D Thomæ: Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli eſſe incredulus, ſed fidelis. Hæc autem, ſicut Chriſtus Thomæ imperauit, ita & facta ſunt, quod ex verbis vtriuſque colligitur. Subiungitur enim: Reſpondit Thomas, & dixit ei: Dominus meus, & Deus meus. Hoc autem non dixiſſet, niſi, quod ante ignorabat, euidentiſſime cognouiſſet: quod lucidius inducitur ex ſequētibus verbis Chriſti, ſcilicet: Quia vidiſti me Thoma credidiſti: Beati, qui non viderunt, & crediderunt. Si tamen corpus domini Ieſu veſtibus contectum fuiſſet, non vidiſſet Thomas vulnera Saluatoris noſtri, nec manum miſiſſet in latus de ſuperiectis tegmentis. Apparet igitur Chriſtum poſt reſurrectionem ſuam in veſtibus nullis apparuiſſe, ſed pure nudatum, amictum tamen gloria, & ſplendore.

Obiectio quædam de Chriſto. Cap. XXXVI.

E ADhuc autem quiſpiam prædictis contramittetur inquiens, reſurgentem dominum Ieſum in veſtibus albis viſum fuiſſe, ſicut colligi videtur Lucæ 24. cap. Cum diſcipulis ſuis congregatis in vnum apparuit die prima reſurrectionis, introiens ianuis clauſis, ipſi autem eum phantaſma eſſe arbitrati ſunt, ſcilicet aliquid, quod nō erat verum ſolidum corpus, ſed ſpiritus, corporis geſtans effigiem, alioquin illum intrare potuiſſe negarent, aut neſcirent. Chriſtus autem, vt eis ſuſpicandi tolleret occaſionem, oſtendit eis veritatē corporis ſui, cum dicitur: Ieſus autem ſtetit in medio diſcipulorum ſuorum, & dixit eis: Pax vobis, ego ſum, nolite timere. Conturbati verò, & conterriti exiſtimabant ſe A ſpiritum videre. Et dixit eis: quid turbati eſtis, & cogitationes aſcendūt in corda veſtra? Videte manus meas, & pedes meos, quia ipſe ego ſum: palpate, & videte, quia ſpiritus carnem, & oſſa non habet, ſicut me videtis habere. Ex quo iam videtur ipſum tunc veſtibus contectum fuiſſe: nam ſi prorſus nudatus extitiſſet, diſcipuli in ipſo intueri poſſent, an corpus ex carne, & oſſibus conſtans haberet, vel ſi phantaſma eſſet, cum eis loci propinquitate iungeretur. Iuſſit tamen, vt carnem eius palparent, & viderent, ſi veram carnem, & oſſa haberet: apparet ergo tunc carnem ſuam aliquibus veſtibus coniectam fuiſſe: ita vt ab eis clarè videri non B poſſet. Si enim caro penitus nuda pateret eis, Chriſtus horum nihil dicturus erat. Amplius autem hoc ex eadem litera patet, cum ſubditur, & cum hæc dixiſſet, oſtendit eis pedes, & manus. Si tamen iſta omni poſito tegmento patuiſſent, non monſtraſſet eis dominus Ieſus pedes, & manus, ſed ipſi perſpicuè conſpexiſſent. His autem reſpondendum eſt, quod diſcipuli Saluatoris noſtri eum nudum prorſus conſpexerunt, totamque carnem eius lucide intuebantur: nec eis carnem ſuam tentandam, palpandamque obtulit, ac ſi eam clare non intuerentur, ſed in hoc eis deſignabat in promptu eſſe, vt caro ſua ab eis palparetur, ſi experimento diſcere vellent, quod eis hæſitantibus, nondum fides monſtrauerat: ad hoc enim viſus exactiſſimum non præſtabat experimentum, niſi & tactus argumentum ſubderetur. C Horum autem radix apparet ex his, quæ induximus in quarto figurato Paradoxo in expoſitione ſuper particulam: Qui vidit. Cum enim ſpiritus corporum phantaſmata ſumunt de aerea ſubſtantia, ſibi corporum ſolidorum ſimulachra fabricantes, in eis videri, & voces formare poſſunt; palpari tamen nequeunt: &, ſi quis conetur illum manibus attrectare, tangentis manus elabitur, nihilque inter ipſas tenentis manus poterit reperiri: velut ſi ventorum flatus quiſquam manu conetur includere, conatus effectu fruſtrabitur, quoniam, cum exactiſſime incluſerit, nihil prorſus incluſum inueniet. Conformiter autem in corporum phantaſmatibus, quę ſpiritus interdum accipiunt, eſſe neceſſe eſt: hæc enim ex aerea ſubſtantia ſumpta ſunt, attrectari ergo nequeunt. Et hoc conantes eludunt. nam, etſi iſta corpora nihil moueantur, noſque in illa apprehenſuri manus D tenaciter inieceriмus, nihil prorſus illorum apprehendemus. Sunt enim corpora magnam habentia raritatem: nec enim tantam habent denſitatem, atque ſoliditatem, vt apprehendentium manibus interclusa tactui non cedant. In his ergo corporum virorum, ſolidorumque phantaſmatibus viſus eluditur, ea vera humana corpora indicans, cum in eis nullam à veris corporibus deprehenderit eſſe diſtantiam. In eis tamen tactus nullam poteſt pati fallaciam. Si enim vera corpora fuerint, atque ſolida, vt corpora hominum verorum, manibus attractari, apprehendi & intercludi poterunt, ſicut cetera humana vera corpora patiuntur: quòd, ſi corporis humani phantaſma, & non corpus ſit, etſi videri queat, plenam humanæ ſpeciei præſentans effigiem, tactum tamen attractantem non patietur, ſed, cum palpare conetur, etiamſi præſens ſit, euanuiſſe iudicabitur. Et, quoniam Saluator noſter Chriſtus Ieſus verita-E tem reſurrectionis, veluti in re conſtabat, ita & in exiſtimatione noſtra pleniſſimè monſtrare voluit, exactiſſimam, maximamque probationem, quæ in hoc genere dari poſſet, in ſe oſtendere dignatus eſt. Hoc autem erat, ſi ſe manibus attrectandum offerret: decreuit igitur ſe videntibus diſcipulis palpandum exhibere: non quidem ac ſi eius carnem, & vulnera non conſpicerent, ſed vt reſurrectionis ſuæ efficaciorem impenderet probationem.

Etſi ſpiritus loqui poſſint, palpari tamen nequeunt.

Argumentum reſurrectionis inductiuum quod dedit ſuis diſcipulis. Cap. XXXVII.

SAcratiſſimæ autē reſurrectionis ſuæ poſt hoc Chriſtus alterum dedit argumentum, quod non erat tam effica-

efficaciter reſurrectionis inductiuum, ſicut tactus, ſcilicet, quod coram diſcipulis ſuis comederit. Nam, cum Chriſtus diſcipulis ſuis dixit: palpate, & videte, quia ſpiritus carnem, & oſſa non habet, ſicut me videtis habere, ipſi credentes, & propter reuerentiam domini Ieſu non tetigerunt carnem eius, in hoc autem eis magni meriti locus fuit. Hoc autem liquidatur; nam, ſi palpaſſent, & ideo credidiſſent, fides ſua experimento humano ortum habuiſſet, vnde nullius meriti eſſet, ipſique nimis increpandi forent, atque eos Chriſtus increpuiſſet, ſicut Thomam diſcipulum, qui niſi palparet, credere non conſtituerat, increpuit dicens: Quia vidiſti me, Thoma, credidiſti: beati, qui me non viderunt, & crediderunt, vt patet Ioannis vigeſimo capitulo, ac ſi aperte diceret: Thoma, parum, aut nihil meruiſti in hoc, quòd palpans carnem meam reſurrectionem meã credidiſti, illis autem merendi magnus erit locus, qui nihil videntes ſimpliciter credent.

Alios autem diſcipulos, quibus primò Chriſtus apparuit dicens: palpate, & videte, quia ſpiritus carnem, & oſſa non habet, ſicut me videtis habere, nequaquam increpuit. Euidenter ergo concluſum patet, eos ſimpliciter credidiſſe, nihil manibus attractantes. In hoc autem nimis apud Chriſtum meruerunt aliquid fidei relinquentes. Ob hoc autem Chriſtus alterum eis reſurrectionis ſuæ argumentum demonſtrare dignatus eſt, ſcilicet, quòd coram eis comederit, dicens: Habetis aliquid, quod manducetur? at illi obtulerunt ei partem piſcis aſſi, & fauum mellis. Et, cum manducaſſet corã eis, ſumens reliquias dedit eis. vt habetur Luc. capitulo vigeſimoquarto. Hoc autem euidenter notabat ipſum viuere: nam cibum ſumere ſolis animalibus ineſt: neceſſe erat ergo eum verum, atque viuentem hominem fore, cum comederit.

Hoc autem, etſi conueniens argumentum reſurrectionis eſſet, minoris tamen efficaciæ erat, quàm tactiua attractatio. Nam, quanquam ſpiritus in corporis veri phantaſmate ſumpto cunctos actus, qui ad veram cibi ſumptionem exiguntur, non expleat, nobis tamẽ vere omnia explere videtur, ita vt diſtinguere neſciamus, an vere cibum ſumat: ſingula namque in eo videntur, quæ in comedentibus contemplamur. De his latius ſuper Exodum capitulo ſeptimo diſputauimus. Sic enim cibum ſumpſerunt tres angeli, qui venerunt ad Abraham ſub illice Mambre, quos ſcriptura viros vocat, vt habetur Geneſ. 18. Horum enim trium angelorum eadem die ad veſperum duo declinauerũt in Sodomam, recepti in domum Loth conſobrini Abrahæ, vbi azyma, & carnes comederunt, vt habetur Geneſ. decimonono capitulo. De Chriſto autem conformiter fieri potuiſſet, ſcilicet, quanquam homo verus non eſſet, ſed ſpiritus in aſſumpto corporis veri phantaſmate, comedentis effigiem diſcipulis monſtrare potuiſſet, etſi verè cunctos comedentium non expleret actus. Quamuis ergo ſumptio cibi in Chriſto poſt reſurrectionem ſuam eiuſdem reſurgentis ſignum dedit, non tam efficaciter hoc monſtrauit, quemadmodum tactus, qui falli non poterat.

Gen. 18.

Obiectiones quædam penes ſuperiora.
Cap. XXXVIII.

ALiquis autem adhuc obijciet, quòd diſcipuli carnem Chriſti tetigerint attractantes, cum eis primò apparuit, & dixit: Palpate, & videte, quia ſpiritus carnem, & oſſa nõ habet, ſicut me videtis habere. Et, quia palpantes adhuc non crediderant eum vere ſurrexiſſe, quod apparet Luc. vigeſimoquarto capitulo, cum dicitur, & cum hæc dixiſſet, oſtendit eis manus, & pedes, & ſequitur, adhuc autem illis non credentibus ait; habetis aliquid, quod manducetur? videtur ergo ſecundum ſignum traditũ, quia primo nõ crediderint.

Si enim primum ſignum non experti fuiſſent palpantes, ſicut eis Chriſtus dixerat, fruſtra, imò inconuenienter valde ſubiunctum videretur, ſcilicet, adhuc illis non credentibus ait: Habetis aliquid, quod manducetur? quod liquide comprobat eos primum accepiſſe, ſed per hoc non credediſſe.

Reſpondendum eſt, quòd diſcipuli Chriſti videntes eum, cum ipſe locutus fuerit eis, atque oſtendiſſet manus, & pedes, non dubitauerunt, nec palpauerunt, nec ideo eis ſecundum ſignum in ciborum ſumptione datum eſt, quia primum acceperunt, eique nõ crediderint, ſed quia Chriſtus ad eorum conſolationem hoc adiunxit, cum noluiſſent tangere vulnera eius attractando, ſicut Thomas tetigit. Quòd autem diſcipuli non palpauerint vulnera eius, apparet ex dictis beati Ioan. vigeſimo cap. vbi, cum apparuiſſet eis Ieſus non aſſiſtẽte Thoma, dixerunt Thomæ venienti: vidimus dominum. Ille autem dixit eis: niſi videro in manibus eius fixuras clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & manum meam in latus eius, non credam. Ex his ergo infertur, quòd, cum Thomas hoc diceret, ſi diſcipuli Chriſti vulnera, ſicut poſtea Thomas attractauit, tetigiſſent, reſpondiſſent ei: nos miſimus manus in latus, & digitos in loca clauorum: ſed ipſe audiens ab eis, quòd vidiſſent, non credidit, addens ad hoc, ꝙ mitteret digitum, & manum in vulnera, ergo manifeſte apparet, quòd alij hoc non fecerint, alioquin ſtultè ipſe hoc ſuperadderet, etſi iam ceteri vulnera tetigiſſent. Cum verò obijcis, quod diſcipuli palpauerint, quia Chriſtus dixit, palpate, & videte, quia ſpiritus carnem, & oſſa non habet, ſicut me videtis habere, & ſubinfertur: Adhuc illis non credentibus, dixit: habetis aliquid, quod manducetur? ergo experti ſunt datum ſignum, aliàs non diceretur, quòd non crediderunt. Reſpondendum eſt, quòd non refertur iſta clauſula, ſcilicet, adhuc illis non credentibus &c. ad illam clauſulam, palpate, & videte. Tunc enim ſenſus eſſet, qui arguitur, ſed ad aliã clauſulam immediatiorẽ, ſ. & cum hæc dixiſſet, oſtendit eis manus, & pedes, & non dicitur, quòd ipſi palpauerint. Sic ergo non experti ſunt diſcipuli ſignum, quod Chriſtus eis offerebat in attrectando carnem eius, ſed eo oſtendente manus, & pedes viderunt, nihil de eius carnibus contingentes.

Cum autem obijcitur, quòd non crediderint, quia dicitur, adhuc non credentibus illis. Reſpondendum eſt, quòd iſtud non credere non erat aliqua infidelitas quæ eſt repugnantia ad veritatem, quæ credenda proponitur deliberata intentione, ſed dicitur non credere admiratio quædam. Ex magnitudine quippe rei viſæ permouebantur. Qui autem admirantur, nondum ad aliquid fixam mentem habent, nec tamen alicui repugnant. Diſcipuli igitur non negabãt Chriſtum ſurrexiſſe, quod infidelitas foret, ſed, quia aliquid magnum erat, quod videbant, erat adhuc eorum mens contertita, & iſta in quibuſdã eſſe ſolet media habitudo inter ſimpliciter aſſentire, & negare. Sed adhuc in apoſtolis exiſtimandũ non eſt, hanc fuiſſe incredulitatem, quę eſt non eſt aſſentire propter admirationem quandam ex terrore, ſed ex gaudio quodam: tam admirabile enim apoſtolorum corda repleuerat gaudium, vt ſeipſos capere præ exultatione non potentes vix ad aſſentiendum veritati, de reſurrectione Chriſti attendere poſſent. Potentiæ namque noſtræ finitæ ſunt: ideo, cum vni attendunt, alteri attendere nequeunt. Hoc autem non attendere ad veritatem reſurrectionis Chriſti inducebat, ne determinate aſſentirent, & hoc tollit perfectum aſſenſum, qui vocatur fides. Scriptura autem interdum largè ſumens, omne, quod perfectam fidem non continet, infidelitatem, vel non credere vocant. Quod autem hoc modo diſcipuli non crediderint, patet Luc. vigeſimoquarto capitulo, cum dicitur, adhuc autem illis non credentibus, & mirantibus præ gaudio. Ecce enim infidelitatem illam non protulit eſſe ſimpliciter infidelitatem, ſed admirationem, & gaudium. Adhuc autem non credere, quod ex admiratione prouenit: non ſemper æquum eſt. Si quis enim admiratus terrore concutiatur, & ob hoc non ſimpliciter aſſentiat infidelitati, magis accedit, quam ſi præ admiratione

Infidelitas quæ eſt aliquid medium inter ſimpliciter aſſentire, & negare.

tione

tione gaudij nondum aſſentit. Nam gaudium de aliquo bono concepto eſt. Terror autem de præſumpto, aut expectato malo. Qui veró in præſentia magnæ, atque delectabilis rei admira iuo terrore concutitur, nondum quicquam aſſentit: nam, ſi conciperet, prorſus gaudendum de præſenti bono erat. Infidelitas ergo ibi, etſi non pleniſſima, ſatis tamen grauis eſt. Qui veró in præſentia enunciati boni admiratur, & gaudet: etſi omnino non credat, quia potentia intellectiua vni intendens ad alterum ſe determinare non valet, tamen ſatis credit. Non enim gauderet, niſi bonum ſibi, quod dicitur, qualitercunque adeſſe crederet. In Apoſtolis autem vtraque incredulitas fuit, & vtraque abolita eſt. Primó ſiquidem admirati, & conterriti ſunt viſo Domino Ieſu, & tunc non crediderunt, ſed magis putauerunt eſſe phantaſma. Sic patet Luc. vigeſimoquarto, cum dicitur: Ieſus ſtetit in medio diſcipulorum ſuorum, & ait, pax vobis, ego ſum, nolite timere: conturbati veró, & conterriti exiſtimauerunt ſe ſpiritum videre. Et dixit eis, quid turbati eſtis, & cogitationes aſcendunt in corda veſtra? videte manus meas, & pedes meos, quia ego ipſe ſum. Poſtea autem Chriſtus oſtendit diſcipulis ſuis manus, & pedes, & illi magis animo quietati omnem terrorem, qui inuaſerat eos, de cordibus expulerunt, & pro terrore, gaudio repleti ſunt, tunc iam aliquid credentes: nec tamen plené credebant, cum magis gaudio concepto, quám veritati reſurrectionis attenderent. De hoc eodem cap. dicitur: palpate & videte, quia ſpiritus carnem, & oſſa non habet, ſicut me videtis habere. Et, cum hoc dixiſſet, oſtēdit illis manus, & pedes. Adhuc autem illis non credentibus, & admirantibus præ gaudio, ait: habetis aliquid, quod manducetur? Ad extremum autem & ipſa quædam incredulitatis pars, quæ cum gaudio exiſtebat, ablata eſt, cum quietato aliquantulum illo ſubitaneo gaudio de magnitudine rei conceptæ, ad ſeipſos redierunt, & plené cognouerunt Chriſtum ſurrexiſſe. Hoc autem fuit, cum præteritis ſignis Chriſtus etiam alia ſuperaddidit, eos informans interpretatione ſcripturarum, & cibo ſumpto coram eis. Hoc apparet, cum dicitur eodem capitulo. Adhuc autem illis non credentibus, & mirantibus præ gaudio dixit, habetis aliquid, quod manducetur? & illi obtulerunt ei partem piſcis aſſi, & fauum mellis; &, cum comediſſet coram eis, ſumens reliquias dedit eis: Et poſtea ſequitur, quomodo eis expoſuerit ſcripturas reſurrectionem confirmantes. Patet ergo Apoſtolos vulnera Domini Ieſu nō palpaſſe, nec circa reſurrectionem viſis manibus, & pedibus infideles extitiſſe.

Potentia intellectiua vni intēdēs, ad alterū ſe determinare non poteſt.

Luc, 24. c.

Diſcipuli Chriſtum nudum viderunt. Cap. XXXIX.

PRædictis adijcitur, quód, quanquam Saluator noſter apoſtolis dixerit, vt carnem ſuam palparent, fueritque eorum arbitrij eam tetigiſſe, aut nullatenus attractaſſe, ex eadem tamen litera beati Lucæ manifeſté colligitur, quód diſcipuli Chriſtum nudum intuiti ſint. Dicitur enim, palpate, & videte, quoniam ſpiritus carnem, & oſſa non habet, ſicut me videtis habere. Diſcipuli igitur antequám quidquam tangerent, redemptoris carnem conſpiciebant. Alioquin enim non dixiſſet, ſicut me videtis habere. Falſum enim, atque publicum foret. Nunc veró his datis inquiretur, an diſcipuli glorioſam redemptoris noſtri carnem veſte detexerint, eamque reuelantes intuiti ſint, aut veſtes eius nequaquam abſtulerint, vel quidquam de carne detexerint, vt intueri poſſent. Quód, ſi aſtruamus eos Chriſtum minimé attractaſſe, cum litera dicat, quód carnem ſuam viderunt, confiteri neceſſe erit, vt carnem ſuam nudam tunc fuiſſe fateamur, ita vt nulla ex panno, aut aerea ſubſtantia veſtis tegeretur. Si autē dicatur, quód Apoſtoli Chriſtum manibus attractauerint, ſtare nequit; quoniam in prælibatis indu-

A ctum eſt, quód cum non tetigerint. Sed, ſi eum Apoſtolorum manibus attractatum fuiſſe fateamur, induci neceſſe eſt, vt etiam ſic nudus extiterit; ipſe namque dicebat: palpate, & videte; quoniam ſpiritus carnem, & oſſa non habet, ſicut me videtis habere. Quanquam ergo eum manibus attractarent; prius tamen neceſſe eſt, ex his verbis, vt carnem eius viderent. Nam, etſi dicamus Apoſtolos tetigiſſe Chriſti carnem; concedendum tñ non eſt, qđ eam primó tetigerint, antequā eis Chriſtus iuſſiſſet; alioquin audaces nimis viderētur, & irreuerenter ſe habentes, nec impune laberentur: nam verbotenus increpati forent, ſicut Thomas Apoſtolus increpatus á Domino eſt, & ſicut Maria Magdalena, mitius licét quadam ex parte verbis admonita. Ipſa quippe inquirens Dominum apud ſepulchrum, B in horto cum eum cognouiſſet, illius pedibus procumbens oſculari parabat: ſed á Domino increpata eſt dicente: noli me tangere; nondum enim aſcendi ad patrem meum: vt patet Ioan. vigeſimo capitulo. Sic enim diſcipuli Dominum tangere præſumentes non vocati, increpati fuiſſent, & adhuc amplius, quoniam viri erant. Amplius autem, quoniam multi erant, omneſque errabant. Grauior enim plurimorum culpa, quam vnius eſt. vnde peccata communitatum ceteris ſunt duriora, quanquam iura humana interdum pœnas in peccatis multitudinum laxauerūt. Sic patet extra de clerico excommunicato, vel depoſito miniſtrante, in capitulo, latores. de cuius examinatione in præſenti ommittendum duxi. Præter hæc autem grauius horum delictum foret, quám Mariæ Mag C dalenæ. Hæc enim redemptorem noſtrum exactiſſima cum deuotione pedibus illius procidens, deoſculari voluit. Si autem diſcipuli Domini Ieſu eius carnem, non admoniti, attractarent, grauiter peccare viderentur: quoniam nullius deuotionis cauſa eis hoc inerat, nec vt eius pedes, aut manus humiliter oſcularentur, ſed vt de eo experimentum caperent, an verus homo foret. Si ergo Maria Magdalena, quæ de eius reſurrectione non hæſitans, deuotionis ſolius cauſa oſculari volens accedere vetita eſt, quantó magis diſcipuli, qui de eius reſurrectione adhuc infideles ſolius experimenti cauſa attractabant, increpandi forent. Dicendum ergo neceſſarió videbitur, quod ſi diſcipuli Domini Ieſu carnem attractauerunt: eam tamen quouſque admoniti forent, non tetigerunt: nam alioquin increpati forent, quod non extitit, ante ergo quám iuſſi forent D non tetigerunt, prius tamen, quám eis ſe palpare iuſſerit Dominus Ieſus, eius carnem benedictam illi claré viderunt. Nam, cum eis hæc præcepti, aut (vt verius dicatur) permiſſionis cuiuſdam diceretur, carnem tamen Saluatoris videbant, vt in eiuſdem verbis patet, cum dicitur: palpate, & videte, quia ſpiritus carnem, & oſſa non habet, ſicut me videtis habere. Tunc ergo, cum hæc dicerentur verba, caro apparebat. Ex quo infertur carnem benedictam Chriſti nudam diſcipulis apparuiſſe. Ex verbis ergo beati Ioannis vigeſimo capitulo inferri neceſſe eſt, quód Chriſtus diſcipulis ſuis nudus apparuerit, ſcilicet nulla veſte, aut de panno, aut aerea contectus ſubſtantia, qualitercunque verba accipiantur.

Diſcipuli non niſi admoniti, Chriſti corpus tāgere poterant poſt reſurrectionem.

E

Obiectio de angelis, qui veſtiti apparuerunt. Cap. XL.

SIc autem de Chriſti apparitionibus diffinito, reſpondendum eſt, cum obijciebatur de angelis, quos ad expediendū Apoſtolos de loco aſcēſionis Chriſtus miſit: hos.n. cādidis veſtitos veſtib. ſcriptura cōmemorat, de Chriſto aūt, ꝙ nudus reſurrexerit, apparueritq; hactenus aſtruebatur. Huic aūt quiſpia forſitan reſpōdebit, Chriſtum nullis indutum veſtibus ſurrexiſſe, & apparuiſſe, qm̄ ei veſtes nullatenus neceſſariæ erant. Ipſe.n. verum habebat corpus, in quo videri poſſet. Angelis aūt, vt viderentur, veſtes neceſſariæ erant. Ipſi

enim in ſubſtantia ſua corpulentiam nullam habent, qua videri poſſint: angelus enim ſubſtantia ſpiritualis, atque indiuiſibilis eſt, & per hoc inuiſibilis. Nullam enim in potentia viſiua immutationem facere poteſt. Vt autem videantur angeli, oportet, vt aliquid corporeum aſſumant, hoc autem eſt id, quo induti erant, ſcilicet, veſtes candidæ; angelis igitur erant neceſſaria tegumenta. His autem reſpondendum eſt ſtare non poſſe; nam veſtes angelorum non ideo aſſumptæ ſunt, vt eos, qui alias inuiſibiles erant, viſibiles redderent; quin potius ex horum reſponſione in eos conuenienter arguitur; nam, ſi angeli veſtes aſſumpſerunt, vt viderentur, neceſſe erat, vt aliquid alterum haberent, ſecundum quod videri poſſent præter veſtes. Nam de his inquiretur, an corpus ex aerea materia confectum aſſumpſerint, vel non. Si enim ex aere fabricatum corporis veri phantaſma aſſumptum fateamur, illud eſt, quo videri poterant; nam aer, cum ad magnam denſitatem peruenerit, colorem fundit, ita vt viſum, ſicut cetera ſolida, terminare queat. Ex aere autem huius condenſationis corpora fabricari poterant, quæ viſibilia per ſe erant, nec vllatenus opus erat, vt his aſſumptis angeli veſtes quaſcunque aſſumerent, vt in eis viderentur. Si verò fateamur angelos corpora de ſubſtantia aerea aſſumpſiſſe, in eis tamen videri non poſſent, & ob hoc neceſſe erat, vt veſtes ſumerent, in quibus viſibiles apparerent. Tunc enim inquiretur, ex quo veſtes angelorum confectæ forent, & reſpondebitur, quòd de aere, ad quod neceſſariò inducetur, corpora ab angelis facta viſibilia fore, cum eadem in vtriſque materia ſit, & eiuſdem condenſationis. Quod adhuc inferetur, veſtes angelis ad hoc neceſſarias non eſſe; quoniam corpora, vt viſionem terminarent, ſufficiebant. Si autem aſtruere collibitum ſit, angelos qui ex aere veſtes ſumpſerint, nulla corpora ex aere fabricaſſe, ſed quòd veſtes duntaxat aſſumpſerint, ſtare nequit.

Quomodo ex aere corpora fabricari poterant.

Primò, quoniam, ſi corpora ex aere nulla illi angeli aſſumpſiſſent, nihil diſcipulis domini eloqui potuiſſent, ad quod deſtinati fuerant. Locutio enim organa interpretatiua exigit, quibus virtus interpretatiua coniuncta ſit. Veſtes autem de aere fabricatæ, non ſunt taliter ſe habentes, vt eis aliqua virtus interpretatiua vniri poſſit; neceſſe eſt igitur, vt corpora aerea aſſumpta ſint, quibus veſtes illæ candidæ inhærerent. Hoc autem dato, veſtes angelicæ non ideo ſumptæ erant, vt in eis angeli viſibiles redderentur, ſed vt ab eis corpora aſſumpta tegerentur. Amplius autem ſi angeli corpora ex aerea non aſſumpſiſſent, veſtes quoque nullas aſſumerent, ſed angelos veſtibus indutos fuiſſe planum eſt: vt habetur Actuum primo capitulo. Oportet ergo, vt corporea quoque aſſumpſerint. Huius inductionis primum patet; quoniam angeli ſubſtantiæ ſpirituales indiuiſibiles ſunt; veſtiri ergo nequeunt; nam veſtiri ſolidorum corporum eſt, velut ſi quis diploidem, & tunicā, cetera quoque indumenta, & calceos aeri induendo fabricaret. Hæ enim veſtes per ſe manerent, nullusque eis indutus foret. De veſtibus autem ab angelis ſumptis hoc dici nequit; angeli namque eas mouebant. Secundum vero huius inductionis patet; nam Actuum primo dicitur, quod apparuerunt angeli in veſtibus albis. Has autem veſtes, ita ipſi mouebant, eiſque tegebantur, ac ſi aliquis vir eis contectus foret. Infertur ergo eos corpora ex aere fabricaſſe. Præter hæc autem, etſi dari poſſet, quòd angeli veſtes duntaxat non aſſumptis corporibus accepiſſent, inconueniens valde videretur: Non eſt enim hic ordo in rebus: nam, ſi difficultas conficiendorum ex aere corporum aſpiciatur, tanta in fabricandis veſtibus duntaxat difficultas eſt, ſicut ſi corpora fabricarentur. Corpus quoque decentius per ſe fabricatum eſſet, operationique conuenientius, quàm veſtes ſine corpore; conueniens ergo nullatenus erat, vt angeli veſtes aſſumpſerint non aſſumpto corpore, ſed magis vt corpus ſine veſtibus haberent. Dicendum ergo patet illos angelos corpora ſolitaria,

Vnde fit, quòd angeli veſtiri nequeant.

F nullis velata tegumentis accipere potuiſſe, in quibus terminata, quæ vellent, efficere potuiſſent: non igitur veſtes aſſumpſerunt, vt viſibiles forent, ſed vt aſſumpta corpora velarent. Veſtes tamen ſacra ſcriptura eos habuiſſe refert; corpora igitur aſſumpſerunt.

Quare angeli veſtes ſumpſerunt ad diſcipulos deſcendentes. Cap. XLI.

AD hæc autem dicendum eſt, non fuiſſe hanc, quæ exprimitur, cauſam, quare angeli veſtes ſumpſerint ad diſcipulos deſcendentes, Chriſtus autem reſurgens veſtes non aſſumpſerit: ſed, quoniam conuenientius erat Saluatorem noſtrum poſt reſurrectionem ſuam nudum apparuiſſe, angeli autem ad hoc nihil
G cauſæ habebant. Nam, etſi tam Chriſtus, quam angeli nullis ad ſetegendos, & cooperiendos indigeant velamentis: quoniam tamen quæcunque apparitiones, quæ fiunt, ſecundum conditionem eorum, quibus eſt apparitio, fiunt. Omnes autem homines, quibus apparitiones iſtæ fiunt, tecti veſtibus degunt; angeli ergo, cum eis apparent, veſtibus ſemper adoperti eſſe cernuntur. Ex aere quippe corporum ſolidorum phantaſmata capiunt fabricantes eo modo, de quo latè ſuper Exodum ſeptimo capitulo diſputauimus. Poſt hæc autem ex eodem denſato aere veſtium ſimulachra ſibi fingunt, in quibus nobis amicti videntur. Chriſtus autem eiuſdem modi veſtibus reſurgens velari debuerat, niſi aliquid in eo præfuiſſet cauſæ, quod induceret, vt omni poſito tegumento videretur. Cauſa autem nudi-
H tatis Chriſti in ſua reſurrectione, quando aliquibus viſus eſt, fuit, vt ſuam veram monſtraret humanitatem, ita vt cognoſci poſſet eum eſſe verum Chriſtum Ieſum, qui à mortuis ſurrexiſset. Eo quippe mortuo cuncti diſcipuli de reſurrectione dubitauerunt. Sola autem beata virgo, & Domina noſtra inconcuſſam reſurrectionis eius futuræ fidem tenuit. Cum verò Dominus Ieſus reſurrexit, veritatem reſurrectionis ſuæ elucidare voluit, eorum ambiguitates auferens, quibus reſurgens apparebat: vnde hæc ſpecialium apparitionum ſuarum cauſa fuit, vt illi, quibus reſurgens videbatur, eum ſurrexiſſe minime dubitarent: ſed magis reſurrectionis teſtes eam ceteris, quibus id abſconditum erat, reuelarent, vt patet Luc. vigeſimoquarto capitulo. Si au-
I tem Chriſtus reſurgens veſtibus adopertus videretur, ſicut angeli apparentes habent, caro ſua, & vulnera nequaquam patuiſſent eis, quibus apparebat: ex quo magna ſuſpicandi daretur occaſio, hunc non eſſe Chriſtum à mortuis reſurgentem, ſed phantaſma quoddam; ſicut diſcipuli primo videntes arbitrati ſunt, vt patet Luc. vigeſimoquarto capitulo. In eo enim veſtibus adoperto argumenta reſurrectionis ſuæ apparere non potuiſſent; non enim tradi poſſet caro palpanda, nec vulnera patefierent, præſertim autem vulnus, quod lateri incuſſum eſt. Hanc tamen corporis ſui oſtenſionem Chriſtus Thomæ diſcipulo egit, vt patet Ioann. vigeſimo, dicens: infer digitum tuum huc, & mitte digitum in fixuras clauorum, & manum tuam in latus meum, & noli eſſe incredulus, ſed fidelis. Veſtes
K enim redemptoris manum in latus mittendam excluſiſſent. Identidem autem nec argumentum reſurrectionis ſuæ, quod diſcipulis congregatis in vnum exhibuit, monſtrare potuiſſet tegumentis amictus, ſcilicet, palpate, & videte, quoniam ſpiritus carnem, & oſſa non habet, ſicut me videtis habere, vt patet Luc. vigeſimoquarto capitulo. Veſtiri Ieſu enim diſcipuli carnem contemplari nequiuiſſent, ipſe quoque iſta conuenienter dicere non potuiſſet; nudus ergo tunc erat, & ſic eum reſurrexiſſe, cunctiſque, quibus apparebat videri decebat. Hoc tamen, ſi ſpecialiter non interciſſet, Chriſtus reſurgens à mortuis veſtibus tectus videretur, quòd, ſi nunc aliquibus videretur, veſtitus appareret. Sic enim poſt aſcenſionem ſuam in cælos apparuiſſe commemorat ſacræ ſcripturæ canon Apocalypſis.

Cauſa cur Chriſtus poſt reſurrectionē voluerit nudus videri.

calypſis. capitulo primo. vbi dicit, quòd, cùm eſſet in exilio in inſula Pathmos Dominica die, audiuit poſt ſe vocem magnam dicentem: quod vides, ſcribe in libro, & mitte ſeptem eccleſijs; & poſt hoc conuerſus vidit ſeptem candelabra aurea, & in medio ſeptem cãdelabrorum ſimilem filio hominis, veſtitum podere, & præcinctum ad mammillas zona aurea: non ergo tunc omni poſito velamento apparuit, ſicut in reſurrectione, ſed magis veſtibus adopertus. Quod ſi obieceris hoc in imagine contigiſſe, nihilque fuiſſe realiter factum, aut viſione oculari à beato Ioanne comprehenſum. Aliquis fortaſſis reſpondendum opinabitur: hãc beati Ioannis viſionem realem fuiſſe, ſolùm autem in imagine fuiſſe concepta ea, quæ in apertione libri ſeptem ſigillorum enarrata ſunt, ea quippe realiter videri contingere impoſſibile erat: nam cuncta futura erãt, aut quaſi cuncta: quæ ergo non ſunt, realiter videri nequibant, ſed in imagine: viſio tamen eius, qui ambulabat in medio ſeptem candelabrorum aureorum, realis fuerat. Hoc etiam carneis oculis contemplatus ſit. Hoc enim ſatis rationabiliter dici poſſe videtur, ſed his non intendo. Adhuc tamen, etſi viſionem hanc ſola imagine factam conceſſerimus nullo intercidente reali, ſatis infertur, quod intendimus, ſcilicet, quòd Chriſtus poſt reſurrectionem veſtibus tectus apparere debuerit; nam ea, quæ in imagine videntur, ſimilantur ad ea, quæ in re apparent. Si ergò in viſione ſecundum imaginem Chriſtus in veſtibus albis apparuit, ſi realiter videndus foret, in veſtibus quoque albis appareret; ſemper namque imaginariè facta ad rerum expreſſiones ſunt. Signa autem ſignatis conformantur; apparet ergo, quod, ſi Chriſtus alicui videndus eſſet, veſtibus amictus appareret. De ea autem apparitione, quam per quadraginta dies ad multos habuit, nullis tegumentis ſpecialis ratio data eſt. Ex prædictis ergo concluſum patet, quare angeli diſcipulis apparentes aſcendente Domino Ieſu in veſtibus albis viſi ſunt, ipſe autem poſitis tegumentis ab omnibus conſpectus eſt.

Chriſtus nec in ſepulchro, nec in reſurrectione vllas veſtes habuit. Cap. XLII.

EX prædictis autem, longis quanquam inductionibus collectum patet, quòd, ſicut Saluator noſter nullas in ſepulchro veſtes habuit, ita quoque & reſurgens de panno, aut ſubſtantia aerea, nullis tegumentis adopertus ſit: ſed purè nudus apparuerit. Nunc autem ad extremum de ſolis fęmoralibus Saluatoris alicui magis curioſè, quàm vtiliter, vel deuotè inquirendum videbitur, quid factum ſit. De quibus, quòd in ſepulchro fuerint, nemini ambiguum eſſe poteſt, qui quidquam attendit: nam de his dici nequit, ſicut de veſtibus eiuſdem, quas diuiſione quadrifaria, & inſuper iecta ſorte milites in precium aſſumpſerunt cuſtodiri Ieſu: vt patet Ioan. decimonono cap. Nemo namque tam durus foret, vt immemor humanæ verecundiæ, tam deteſtanda aggredi auſus foret, nec, ſi quiſquam auderet, hoc Chriſtus paſſurus erat, vt in prælibatis dictum eſt; manſerunt ergo in ſepulchro. Ad hæc autem, quanquam reſpondendum fortaſſis non eſſet, ne tamen curioſis defuiſſe videamur, dicendum eſt, quòd, vt prędictum eſt, fęmoralia Saluatoris cum eo in cruce affixo relata, intacta à militibus Pilati fuerunt, eo quoque de cruce depoſito, vt fuerant, permanſerunt. Irrationabile enim prorſus erat, vt tales partes corporis in Saluatore noſtro ab aliquo tangerentur, ſed centum libris vnguenti, myrrhæ, & aloes delibutum corpus eius ſyndone inuolutum eſt, vt patet Marc. decimoquinto. Cum vero Saluator noſter ſurrexit à mortuis, linteamen, quo fuerat inuolutus, in ſepulchro relictum eſt. Sudarium quoque, quod capiti eius circumligatum fuerat, vt habetur Ioan. vigeſimo capitulo, cum dicit: Venit ergo Simon Petrus ſequens eum, & introiuit in monumentum, & vidit lin-

De fęmoralibus Chriſti quid actum ſit.

A teamina poſita, & ſudarium quod fuerat ad caput eius, non cum linteaminibus poſitum, ſed ſeparatum & inuolutum in vnum locum. Cum autem de ſingulis mentio fiat, de fœmoralibus penitus ſubticuit ſcriptura. Aliquis autem fortaſſis dicet: Saluatorem noſtrum fœmoralibus genitalia tectum cælos aſcendiſſe. Sed hoc ſtare nequit, omnia quippe inductiua, quæ in prioribus poſita ſunt, ne Chriſtus, & ceteri beati, in perenni paradiſi felicitate degentes, veſtibus adoperti ſint, in hoc militant. Eadem namque inconuenientia inferes, ſi Chriſtum fœmoralibus tectum aſtruxeris, velut ſi reliquis cum veſtibus velari fatearis. In hoc firmiter tenendum eſt, Chriſtum in cælum aſcendentem nullis fœmoralibus fuiſſe contectum, ſicut nec ceteras veſtes habuit. Dubitan-
B dum tamen ſatis videtur, an fęmoralia in ſepulchro cũ linteamine, & ſudario relicta fuerint: de eis nõ ſcriptura ſubticuit, talia nempe erant, de quibus nulla erat referre vtilis, aut honeſta eruditio. Huius ratio eſſe poterit: nam, ſicut in ipſa carnis reſurrectione Saluatoris noſtri corpus incorruptibile eſſe cepit, ita & cuncta ad corruptibilis hominis ſtatum pertinentia relicturus erat, nec Chriſto aliqua harum particularum ex panno, aut quauis corruptibili ſubſtantia tegumenta opportuna erant. Nam iam inſiſtentibus æternæ felicitatis dotibus, tantus de eius corpore fulgor procedebat, vt has corporis partes tegere, & prorſus cunctis videntibus occultare valeret, ſi honeſtatis quippiam allatura foret huiuſmodi facta contectio. Huius quoque ſatis
C videtur veriſimilitudinis locus ex verbis beati Ioan. vigeſimo cap. cùm dixit: Et vidit linteamina poſita, & ſudarium, quod fuerat ſuper caput eius, non cum linteaminibus poſitum: ſed ſeparatum, & inuolutum in vnum locum. Fortaſſis enim in hoc ſudario, fęmoralia, tanquàm minus honeſta inter cetera tegumenta palam, vt cetera relicta, nõ ſunt, ſed in ſudario colligata, ideo, quanquam linteamina in vnum collecta non erant, ſudarium collectum, & ſeparatum a ceteris erat. Alicui autem fortaſſis turpe videbitur tam particularia ſpeculari, ſed à nobis hoc excludendum erit: quoniam non ſponte talia enunciamus, ſed ne curioſis ſatisfactum non fuiſſe videatur. Poterit autem quiſpiam opinari ſecus, ſcilicet, redemptorem noſtrum fœmoralibus tectum ſurrexiſſe, in eiſque apparuiſſe, atque man-
D ſiſſe quouſque in cęlum aſſumptus ſit. Cum verò in cęlum aſcenderit, ea in aliquam ſecretam partem orbis eiecerit nulli reperienda, aut plena reſolutione in materiam præiacentem conuerterit, ita vt, cùm ad cęlos aſcenderit, nec veſtibus vllis corporis, nec fęmoralibus adopertus fuerit.

Quod ex duabus poſitionibus dictis ſecunda veritatem non contineat. Cap. XLIII.

NVnc autem his duabus poſitionibus vlterius inſiſtendum eſt, quæ earum veriſimilior ſit. Quæli-
E bet autem ſuperficie tenus ſpeculantibus rationabilis apparebit. Dicendum tamen eſt ſecundam non æquè rationi fore conſentaneam. Prima autem huius ſuaſiua ſaltem ratio eſt: ſicut enim Chriſtus reſurgens, ex omni parte plenam induit immortalitatem omni reiecta corruptibilitate, ita quoque decens fuiſſe patet, vt cunctæ corruptibilitatis conditiones, & adiumenta extrinſeca corruptibilis ſtatus tunc adempta forent: fęmoralia tamen Saluatoris corruptibilia corpora erant, mortaliſque ſtatus cõſeruatiua; tũc ergo reijci decuit. Amplius autem, ſi Saluator noſter reſurgẽs fęmoralia habuiſſet, in eo ſuperuacua neceſſariò eſſent: nihil tamẽ Chriſtus fruſtratorium unquam egit, quoniam Deus eſt: Deus autem, & natura parens nihil vnquam fruſtra faciunt, iuxta Ariſtot. primo Politicorum. Quòd autem inutile prorſus eſſet Saluatorem noſtrum reſurgentem fœmoralibus amiciri, inducitur. Si enim in horum vſu aliquid vtilitatis eſſet, hoc eſſe neceſſe erat: quia turpe

quoddam videretur, vt genitalia organa nuda forent, & in eadem nuditate aliquibus conſpici reuelata. Hæc tamen Chriſto non congruunt; in eo namque reſurgente cũctus fulgor, & decor corporalis, qui in aliqua creatura eſſe valebat, apparuit: quo dato nihil in eo videri poterat, de quo erubeſcendum ſibi foret: nec quod ceteri videntes aliquo ſuffunderentur rubore. Aliquid autem ad erubeſcendum manere incitatiuum, pœnalitatis genus eſt. A Chriſto tamen cunctæ pœnalitates excluſæ ſunt, cum eum plenè beatum aſtrui neceſſe ſit.

Fęmoralia enim genitalium organorum duntaxat occultatiua ſunt, quo dato, quæretur, an apparentibus genitalibus redemptoris noſtri, aliquid ei ad erubeſcendum pararetur incentiuum: aut valdè, videntes confuſione replerentur, daretur materia, aut nec ei rubor vllus, nec videntibus verecundiæ motus ineſſet. Quòd, ſi dixerimus nullum eſſe ruboris incitamentum, ſi Saluatoris noſtri pudenda organa patefierent, velut in felicitate paradiſi nullam nobis ruboris materiam ingerent, ſi quæque corpuſculi noſtri membra cunctis in commune cernantur, cum omnes noſtri corporis partes iam honeſtate donatæ ſint, omni impuritate, atque inhoneſtate abolita, quam in eis patiebamur, dum mortalis adhuc vitæ conditio ageretur. Hoc autem dato, ſuperuacuum manifeſtè foret Saluatori noſtro, poſt reſurrectionem fęmoralia relicta fuiſſe. Si verò erubeſcendum Chriſtum aſſeramus, ſi poſt reſurrectionem ſuam genitalia vaſa eius nuda paterent, & quòd hæc videntes nimio confunderentur rubore (quod conceſſu indignum eſt) dicendum erat, de corpore Saluatoris tantum proſilire fulgorem, vt cunctæ, quæ cum viderentur inhoneſtæ eſſent particulæ tegerentur, ne alicui facultas eſſet horum quippiam contueri: vnde hoc opportunius tegendis particulis illis eſſet, quàm fęmoralia, quæ tanquàm neceſſaria tegumenta reſurgenti fuiſſe ponuntur: ſuperuacua ergo illa eſſent, quod palam inductum eſt, in Chriſto reſurgente ea non fuiſſe. Amplius autem hæc fœmoralia, quæ aſſeruntur, nequaquam Chriſto reſurgenti opportuna erant, quicunque ponatur modus: nam ſi rubor vllus eſſet, genitalia organa Saluatoris nuda prorſus conſpici, quæ fęmoralia tegenda erant: etiamſi fęmoralibus contexeris, ſemper inhoneſtum aliquid reliquiſti. Chriſtus enim reſurgens omni poſita veſte viſus eſt, ſiue de panno, ſiue ex aerea ſubſtantia, ſicut in prælibatis illatum patet. Si ergo ei fęmoralia appoſueris, vt has particulas contegas, quas nudas relinqui inhoneſtum aſtruis, nondum plene eas honeſtaueris, fęmoralibus ea contegens velamentis, quod in cunctis viris, qui honeſtatis zelatores ſunt, euidens conſtat. Inhoneſtum quippe eis, nec impurum aſſeritur, ſi quis prorſus nudatus ſolis fęmoralibus contectus ſit, ſed vt aliquatenus tanta nuditas honeſtetur, oportet ab vmbilico vſque ad aliquam crurum particulam velamentum aliquod appenſum eſſe. Si ergo Chriſtum reſurgentem, ideo fęmoralia habuiſſe aſtruxeris, vt harum particularum tolleretur rubor, non adhuc ei deſiderij ſui contingebat effectus, ſed conuenientiùs videretur, vt ſyndonem quoque, qua in ſepulchro inuolutus fuerat, in reſurrectione apparens habuiſſet. Hanc enim corpori ab vmbilico infra pendentem corpori ſuo coaptans conuenientius ruborem abſtuliſſet. Hoc tamen non egit, quoniam linteamina, & ſudarium reſurgente domino in ſepulchro relicta ſunt, vt patet Ioan. 20. cap. ergo nec fęmoralia Chriſto reſurgenti manſerũt. Sed à corpore benedicti Ieſu tantus procedebat fulgor, vt has contegeret partes, & quaſcunque alias, quas velari, & cõſpectibus ſubtrahi, honeſtũ foret, nec cuiuſuis corruptibilis ſubſtantiæ ope, ad tegendum quidquid in corpore ſuo erat, opus erat, ſed iuſtius erat, vt ille admirandus fulgor tam glorioſi corporis redemptoris incorruptibilis facti, quicquid in eo velandum erat (ſi quid tale eſſe poterat) contegeret, vt incorruptibile ſeipſo manens, nullius corruptibilis honeſtaretur velamento. Prima

F autem poſitio conuenientior eſt, ſed nec penitus fortaſſis conuenit, rationabilius ſiquidem erit, vt dicatur, fęmoralia Saluatoris in ſepulchro nequaquam permanſiſſe. Omnia quippe, quæ in Saluatoris tumulo remanſiſſent, diſcipuli eius, ceterique fideles educerent, atque ſub diligenti cuſtodia honorabiliter propter Saluatorem noſtrum cuſtodirent: quod quidem de fęmoralibus minimè conueniens erat: in fęmoralibus redemptoris noſtri nihil quippe tale erat, quod alicuius reuerentiæ obſeruationem mereretur, nec de eis aliqua fieri mentio debebat. Si tamen ibi manſiſſent, atque cum ſyndonibus, ſudarioque educerentur, neceſſe fuiſſet, vt in aliquo honore ponerentur, aut vſibus inhoneſtis, & vilibus applicarentur. Vtrinque autem inconueniens ſurgit: nam non decebat, vt aliquibus malis abiectiſque G vſibus manciparentur: quoniam redemptoris noſtri fuerant. Rurſus autem inconueniens erat, ea aliqua veneratione digna haberi, quia fœmoralia erant. Dicendum ergo fortaſſis conuenientius videbitur, quòd Saluator noſter cum reſurrexit, aut priuſquam reſurrexerit, in nihilum prorſus conuertit illa, aut in præiacentem reſoluit materiam, vt nulli creaturæ ad vſum aliquem applicarentur. Non enim decebat ex ſupra ſumptis rationibus. Poſt reſurrectionem autem in totali nuditate permanſit veſtibus nullis vtens, nec fœmoralibus qualitercunque contectus: ſic quoque viſus eſt eis, quibus apparuit, vt in præcedentibus explanatum eſt. Ex his autem ſatis collectum patet, quid de veſtibus Saluatoris poſt reſurrectionem ſuam actum ſit, & ſi eis veſtitus cælos conſcendit, vel an Chriſtus, H ceterique beati in illa felici paradiſi amænitate nudi prorſus ſint.

Dubitatio de modo aſcenſus hominum in cælum.
Cap. XLIV.

CVm autem in prælibatis de domino Ieſu, quo in cęlum aſcenderit, dictum ſit, nunc conſequenter de modo aſcenſionis ceterorum inquirendum erit. Cui reſpondendum eſt, quòd hominibus duplex in cælum aſcenſus patet: primum quippe aſcenſum facimus, cum anima luteo ſoluta carcere cælum libera petit, vel prius purgatoria clementia exercita, iam excluſis vetuſtatibus æthereas ſedes ſola petit. Secundum vero aſcenſum aſſerimus, cum in generali carnis reſurrectione, I animæ corporibus ſociatæ in æthereas regiones feruntur. In hoc autem dicendum multum diſtare, cùm animæ corporibus ſeiunctæ cælum liberæ petunt, aut gehennali incendio, vel purgatorijs mancipantur pœnis, aut homines corpore, animaque conſtantes cęlum, aut infernas petunt ſedes. Diuerſitatis huius ratio eſt, quoniam animæ, cum ſeorſum ſunt, ſpiritus puri ſunt: cum verò homines ſunt corporea entia ſunt. neceſſe eſt ergo, vt alia hominibus, alia alijs conuenientia ſint. In his autem conſideratione dignum ſit, quòd cum anima corpore ſoluta, aut polorum celſitudinem, aut tartareas ſedes, vel purgatorias pœnas petit, non properat illuc à ſeipſa mota, ſed ab aliquo illuc fertur. Quod conuincitur ex modo orandi Eccleſiæ: nam, K cum pro aliquo, vt in vitam æternam eat, oratur: precum talis conceptio eſt, vt angeli illam animam aſſumentes, in illam paradiſi amęnitatem ducant, offerentes eam in conſpectu altiſſimi. Hoc autem ex multis collectis, & orationibus in mortuorum exequijs patet. Idem autem in quibuſdam reſponſorijs, & offerendis, quæ ad agenda defunctorum pertinent, eccleſia cantat. Dicitur enim in quadam offerenda: Sed ſignifer ſanctus Michael repræſentet eam in lucem ſanctam, quam olim Abrahæ promiſiſti, & ſemini eius. Amplius autem de inferno hoc patet: nam animæ, quæ infernas petunt ſedes, inuitæ illic eunt, cum illic plenæ calamitatis locus ſit: nemo tamen eſt, qui talia deſideret. Spiritus ergo qui inferno carceri mancipantur, illuc ire non appetunt: nolentes ergo eos illuc ire impoſſibile eſt, neceſſe eſt igitur, vt inuiti

Duplex mortalibus in cęlũ aſcenſus.

Anima à corpore ſeiũcta à ſe ipſa nõ fertur in deſtinatũ ſibi locũ.

illuc trahantur: ſed nullus ſibijpſi iniurius, vel violentus eſt: A oportet ergo aliquem alium dari, qui illuc renitentes inuitaſque animas nocentum trahat. Deo autem iſta nequaquam competunt: ipſe quippe Dominus, & non miniſter, aut ſatelles eſt: actus ergo iſti puram executionem concernentes ei non competunt, ſed magis ſententiare & iubere: ſuis verò miniſtris executio delegata eſt. Aliæ autem altioris indaginis, & ſpeculationis cauſæ ſunt, propter quas Deo nequaquam congruit: vt animas ad aliquem locorum deſtinatorum ferat, ſed vt hæc miniſtris, voluntatis eius executoribus hæc iubeat. De his autem nobis nunc inquirendum nihil erit. Præter hæc autem, ſicut pœnas infligere iudicis actus non eſt, ſed meri executoris: iudicare verò ei conuenit, ita & reos trahere ad cruciatus iudicantis actus non erit, ſed delegatorum ad hoc mini- B ſtrorum. Deus autem iudex eſt viuorum, & mortuorum, & princeps omnium regum terræ: vt patet Apocalipſis primo capit. Qui verò ad gehennalia pertrahuntur incendia, æterno carceri mancipantur, vbi factorum ſuorum plenam recipiunt vicem. Deus ergo per ſe eos illuc non trahet, ſed eos illuc pertrahendos ſuis ſatellitibus demandabit. Illatum ergo ex ſupra dictis patet, ſpiritus, qui tartareos petunt cruciatus, ſeipſos illuc non tendere, ſed ab alijs trahi: Deus quoque ſeipſo agens, eos illuc non trahit. Ab angelis ergo bonis, aut prauis illuc ferri neceſſe patet. Sed ab angelis pacis, quos angelos lucis, & Dei appellamus, illuc eos duci non conuenit: nam malorum ſpiritus, qui æternis incendijs mancipandi ſunt, ad Ciuitatem Dei nequaquam pertinent, nec eis vllo modo illuc redeun- C di facultas patet: prorſus ergo ratione caret, vt angeli lucis, qui ciuitatis Dei ciues ſunt, quorum ſors tota in gaudijs ducenda eſt, harum infelicium atrociſſimarumque pœnarum miniſtri ſint, vt ad æternam miſeriam rationales ſpiritus trahant. Ex his autem infertur, quòd dæmones, qui diuinæ iuſtitiæ apud inferos miniſtri ſunt, has miſerabiles animas ad pœnas trahant: nam velut eis, quòd inferendarum pœnarum apud inferos miniſtri ſunt, conuenit, ita quoque eis trahendorum ad ſupplicia ſpirituum executio cõuenire debet.

Dæmones dãnatos ſpirit' ad inferos trahunt.

Hanc quoque miniſtrationem infligendæ æternæ miſeriæ animabus nocentibus, diuidi in plura genera miniſtrorum conueniens non eſt, ſcilicet quòd ſicut angelis lucis, qui ciuitatis Dei conciues ſunt, pœnarum executio in inferno non expedit: quoniam hoc pacto D eos ibidem morari neceſſe eſſet, quod non expedit: ita nec eis conueniens erit, vt nequam ſpiritus ad ſuppliciorum loca trahant. Dicendum ergo videtur, quòd dæmones vniuerſas nocentum animas, qui illuc aliquo modo peruenturæ ſunt, trahunt. Angelis autem lucis non conuenit. Hoc autem multipliciter accidit: primò quidem, quoniam dæmones totius naturæ humanæ æmuli valdè ſunt: ideoque quemcunque poſſint, punire nimis cupiunt. Iterum autem quoniam à Deo huiuſmodi miniſterijs mancipati ſunt, ſunt quoque promptiſſimi cuique morituro aſſiſtentes, vt videant ſi quid iuris eis ſuper illum eſt: quòd ſi miſerabilis ille ac nequam ſpiritus à corpore nocens egreditur, E Deo iudicante, æternis gehennæ incendijs mancipandus, mox vt a corpore egreditur, in dæmonum incidit poteſtatem: qui illico rapientes atrociter gehennæ immergunt cruciatibus. Si autem felix ſpiritus omni carens labe terrenum deſerat habitaculum, etſi dæmones ei morienti diligenter aſſiſtant, nihil ibi ſui iuris reperientes, in eum nihil agere queunt, quoniam angeli lucis felicem illam animam ſuis viribus defenſatam reddunt. Ad hoc autem obſtinata illa atrocique inuidia dæmones huic felicitati inuidentes dolent: quòd eam cruciandam accipere eis fas non ſit. Ex prædictis ergo euidenter inductum patet, quòd animæ, quæ gehennæ cruciatibus immerguntur, a ſeipſis illuc non tendunt, ſed ab alijs deferuntur.

Quod non à ſeipſis, ſed ab alijs ductæ in purgatorium eant animæ. Cap. XLV.

NVnc autem de animabus, quæ carcere luteo ſolutę purgatoria clementia exercendę ſunt, idem dicendum reor, quòd à ſeipſis illuc non moueantur, ſed ab alijs ad ea trahantur loca. Hoc autem inducitur, quoniam purgatorij carcer atrocium pęnarum locus eſt, ſicut gehennalis miſeria. Sicut ergo nulla animarum libens inferorum ſedes petit: ita & nulla purgatoria loca volens adibit. Nam in purgatorijs ſedibus tanta cruciatuum immanitas eſt: vt ab inferorum qualitate modicum, aut nihil diſtet, quantum ad cruciatuum magnitudinem, & duriciem: ſed ex duratione diſtandi rationem aſſumpſerunt. Nam gehennalibus atrocitatibus in æternum permanere adiacet, atque neceſſe eſt: purgatoriæ verò exercitariuę pœnalitates, etſi nimis eas protendi contingat, extremi examinis non excedunt diem. Aliquæ autem pauco tempore manẽt, vt anno vno, aut biennio, aut plus minuſve ſicut infectæ, aut imperfectę ſatisfactionis modus exigit eorum, quæ hic contritione deleta, ſatisfactione tamen prorſus abolita non ſunt. Sunt quoque minores, quanquam atrocitatis quantitate non diſtent, minus tamen ſentiuntur: quoniam eos, qui talibus exercentur pœnis, certa futuræ beatitudinis ſpes lætificat. Eis enim, qui in purgatorijs pœnalitatibus affliguntur, certa futuræ felicitatis ſpes ineſt. Scientes autem ſe peruentúros ad eum locum, in quo felicitas ſumma eſt, hoc quoque nullatenus diſturbari poſſe, magnis gaudijs exultant, cum iſta cogitantes ſe ſuper ſe vertunt. Eis verò, quibus in gehennali incendio locus eſt, nulla futurorũ gaudiorũ deluſoria ſaltẽ ſpes ſubrepere poteſt. Deſperãt enim ſe inde poſſe vnquam egredi, quoniam eis tenaciſſime in pœna iſta inhæret ſcientia, eos ſcilicet inde nunquã exituros. Cùm autem hac commoti cogitatione ſe ſuper ſe flectunt, hoc furioſo tumultu inexcogitabiliter affliguntur: eſtque illis hæc pœnarum fortaſſis atrocior. Habent quoque ſpiritus nequam gehennalibus incendijs mancipati æternum remorſum ſcelerum, ſcilicet malorum præteritorum memoriam: nec hanc ſibi pœnalitatem ſæuiſſimam adimere queunt. Secundum hanc autem pœnitent dolentque: nec tamen conteruntur, ita vt eis verus, atque fructuoſus dolor fit, ſed duntaxat ſciũt ſe praua patrauiſſe, & horum merito cuncta eis infelicia eueniſſe. Hic tamen motus contritionis actus non eſt, quia iſte ſibi impoſſibilis eſt, cùm à gratia Dei debeat principiari, ſine qua bonum nullum agere poſſumus: iuxta illud Ioannis decimo quinto, ſine me nihil poteſtis agere, id eſt niſi ego præuenientem gratiam ad operandum tribuero, vobis operari bonum impoſſibile eſt. Hic autem conſcientiæ vermis, aut morſus nequam virorum ſpiritus apud tartareas ſedes inæſtimabiliter affligit: nam pœnis exterioribus addicti, etſi Deum nemo directè odiſſe poſſit, quoniam ipſe totius boni fons eſt, cui voluntas repugnare nequit: inquantum tamen eum harum pœnarum auctorem, & iudicem, atq; conſtitutorem credunt, eum quodã odij fomite proſequũtur. Dæmones quoque non diſpari ratione, quin potius ampliori ſæuiſſimoque odio perſequũtur: ab eis quippe gaudentibus de earum miſeria ſibi pœnas inferri vident: ſed his inflictis ſe exoſas non habent, quin potius miſerentur: vrgente tamen conſcientia ſceleris, ſeipſas atrociter exoſas habent. Recolunt enim ſe ſcelera patrauiſſe, & horum exigentibus malis, iuſtiſſimè, quę tolerant, patiuntur: hoc pacto ſeipſos ſibi malorũ ſub imagine præſentantes neceſſe eſt, vt ſe oderint. Malum enim cognitum nemo amare poteſt. Hic autem ſæuientis conſcientiæ vermis, imò furioſa compunctio, cetera cruciatuum genera ſua atrocitate deuincit: nam cum quis alterum ſibi moleſtum ſentit, ei nocere quoad poſſit, conatur, & ſi nocere non contingat, eum ſaltem exoſum habet, ſeipſum tamen non odit: cum tamen aliquis grauiſſima ſcelera patrauit, ſi infanda atque horrenda

Conueniunt, & differunt inferni pœnæ, & purgatorij.

Deũ directè nemo poteſt odiſſe.

valde ſint, ſeipſum exoſum habet. Sic enim ait Ariſt. Ethic. lib. 9. ſcilicet, Quibus autem multa, & dura opera ſunt, & propter malitiam odiuntur, fugiunt viuere, & interimunt ſeipſos, aut fugiunt. Recordantur enim multorum & difficilium, & talia altera ſperant ſecundum ſeipſos entes. Cum alteris autem entes obliuiſcuntur, nihilque amabile habentes, nihil amicabile patiuntur. Pœnitudine enim replentur praui: nec vtiq; ad ſeipſum bene diſponitur prauus, propter nihil habere amabile. Ex hoc autem accidit, quod aliquando videtur, ſ. vt aliqui grauium infandorumque ſibi conſcij ſcelerum, nõ potentes ſeipſos tolerare, affligente conſcientia patrati ſceleris, ſe interimant. Sic in Iuda Saluatoris noſtri diſcipulo, atq; proditore factum eſt, cum dominum atque redemptorem innoxium vendidiſſet: huius tam horrendi memoratus, aliorumq; infandorum, quæ ante apoſtolatum ſuſceptum peregiſſe fertur, vt credimus: grauiter intra ſeipſum premente conſcientia affligebatur, præ inquietudine amari cordis in ſeipſum concitatus, ſeque exoſum habens, abiens laqueo ſe ſuſpendit, & crepuit medius, atque effuſa ſunt viſcera eius. Non diſſimile autem huic conſciẽtiæ prauum in ſe ſæuientis exemplum patet in Oedipo Laij regis filio, & reginæ Iocaſtæ in Thebana ciuitate prouinciæ Beotiæ, quæ in Græcia eſt regnum. Hic enim Laium patrem ſuum bello petens occidit, matrem autẽ inceſtãs gemina grauidanit prole. Inde quippe gemelli Etocles. ſ. & Polynices orti ſunt. Horum autem infelix Oedipus ſibi conſcius, praua in ſe deſæuiente conſcientia, oculos funditus ſibi eruit lucis communis indignos. His autem aliud deterius excidij genus additurus erat, ſe de altiſſimis ſcopulis in mare Ioniũ præcipitare volens, niſi Antigona filia cæci patris iam ductrix facta à praue conceptis inhibuiſſet: De hoc Seneca tragedia quinta, quæ dicitur Oedipus carmine primo: De his late dictum eſt in libro de Amore & amicitia ſuper Platonico documento ad regiam celſitudinem. Hic autem conſcientiæ prauæ cruciatus, in animabus gehennali incendio mancipatis eſt, quo inæſtimabiliter affligantur. Hunc autem ſacra ſcriptura, & doctorum ſanctorum loquendi modus, vermen conſcientiæ vocat: de quo Iſaiæ cap. vltimo: Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur, ſed erunt vſque ad ſaturitatem omni carni. Hic autem cruciatus ſtimulus in animabus purgatoria clementia exercitis nequaquam eſt, ipſi quippe in charitate Dei, & proximi deceſſerunt: De patratis quoque iniquè plenè doluerunt: Hoc autem duntaxat eis reſtat, vt plenam, quã non egerunt pœnarum, peccatorũq; ſuorum ſatisfactionem in purgatorio igne expleant. Ex hoc autem nullus eis conſcientiæ morſus obrepit: de cunctis namque patratis malis plenè doluerunt corde compuncti, dum in mortali vita manerent, ſeipſas ergo exoſas non habent. Nullum ergo in hoc interiorem cruciatum tolerant, qui purgatorijs ignibus exercentur, exterius tantummodo afflictati. Ex hoc magna ſpirituum in gehennali punitorum igne, & eorum, qui purgatorijs punitionibus alligati diſtantia cruciatus liquet.

Quædam attinentia ad ſuperiora.
Cap. XLVI.

AMplius autem qui purgatoriæ afflictioni temporaliter ſubditi ſunt, multipliciter ab angelis conciuibus felicis illius ciuitatis Dei conſolationibus recreantur: ad eos namque ſæpe veniunt: ea quæ in orbe apud charos, & propinquos fiunt explanantes. His autem attenti afflictionum ſuarum atrocitatem leuius ferunt. In eis verò qui gehennali carceri mancipãtur, horum nihil eſt: quoniam angeli lucis nihil eorum, quæ apud charos fiunt reuelant, nec alterum quidpiam pandunt: vnde conſolationis vllius ſubrepat occaſio: nequaquam enim iſti ad ciuitatem Dei pertinent, cuius angeli lucis, & beatorum animæ conciues ſunt. De hoc Luc. decimo ſexto capitulo. Et in his omnibus inter nos & vos chaos magnum firmatum eſt, vt hi, qui volunt tran-

F ſire ad vos, non poſſint, & inde hinc tranſmeare. Hæc autem de his, qui in inferno, & paradiſo ſunt intelligũtur, ſcilicet, de ſinu Abrahæ, qui tunc paradiſi tenebat locum: quanquam non plenè monſtraret integritatem felicitatis. In prædictis autem nimis differt inter pęnas gehennalis carceris, & purgatorij ignis: in atrocitate autem in quibuſdam nihil differre videntur: quin potius quoſdam in purgatorijs ignibus eſſe continget acrius cruciatos quibuſdam, qui gehennali ſeueritate puniuntur. Veluti ſi quis vnico mortali patrato, quod valde graue non eſt, impœnitens migrauit à ſeculo, infernis ſedibus mancipatur. Huius autem cruciatus, etſi fine careat: durus tamen valde non eſt, ſi alijs communibus contuliſſe volueris. Si autem quiſquam mille patratis ſceleribus, ad eorum expiationem nihil egiſſet, moriens

Cõtingit aliquem in purgatorio acrius angi, quam aliquem in inferno exiſtẽtem.

G verò de patratis dolens contereretur, ab omnibus iniquitamentis ſolutus pœnas euadet inferni, purgatorios petens ignes: ibidem de commiſſis penitus ſatisfactionem expleturus. Maiorem ergo eſſe neceſſe eſt eam pęnam, quã iſte purgatoria acerbitate punitus tolerat pro decem millibus ſcelerum patratorum, quam eam, quã infernali mancipatus ſedi pro vnica, nec graui quidem culpa tolerabit. Ad magnitudinem ergo pœnarum in atrocitate, eis qui in tartareo carcere, aut purgatorio igne ſunt, nihil differt. Aliud autem eſt, quo in purgatorio exerciti ab eis, qui in tartaris cruciãtur, in pœnarum qualitate diſtinguũtur, quoniam qui apud tartara ſunt, dęmonibus tortoribus affliguntur: eorum quippe quotidianus intuitus atque cõſortium moleſtum valde eſt.

H Hoc autem etſi nihil addideris eis, quaſi quidam conſummatus cruciatus eſt. Hoc autem Chriſti ſermone diſſeritur Matth. vigeſimoquinto cap. vbi, cum verba quibus Deus ipſe malis in die iudicij locuturus eſt, deſcriberet, ait: Ite maledicti patris mei in ignem æternũ, qui paratus eſt diabolo & angelis eius. Hic enim pœnalitatum conditiones ediſſerens, conſortium dæmonum per ſeipſum velut quoddam atrocitatis genus collocauit. Apud purgatorium ignem tortores dæmones nulli ſunt. Hæc enim Deus non ſinit fieri: dæmones quippe animabus bonorum nimis inuident: quoniam hęreditatem perennis felicitatis adepturę ſunt, a qua ipſi miſerabiles, perfectioris tamen naturæ, deiecti ſunt. Affligerẽt ergo vehementer dęmones animas bonorum virorum, atque hoc pacto vlciſcerentur ſuſceptarum offenſionũ:

I hoc tamen irrationabile ſatis eſt: dæmones ergo apud purgatorios ignes nullatenus eſſe conſtat.

Quod exiſtentes in Purgatorio animæ non torqueantur à dæmonibus. Cap. XLVII.

SVpradictis autem adijcitur, irrationabile valde eſſe, ꝙ cum quiſquam hoſtem deuincens ſubiecerit, hoſtili poteſtati atque ditioni ſubdatur, commune tamen bonorum apud purgatorios ignes exercitorum dęmones, contra quos eis pugna erat, iuxta Apoſtolum deuicerunt: non ergo animæ, dęmonum poteſtati ſubdẽtur. Nam hoc dato quælibet alia pœnarum ablata atrocitate, eis hoc grauis pęna foret, ſcilicet quòd ipſi dęmones in mundo ſubiecerint, eorum ſuggeſtionibus non fauendo, eorum rurſum dictioni ſubiaceant: vt in eas torquen

K do deſęuiant: moleſtius quoque ducerent à dæmonibus per annum purgatoriis cruciatibus exerceri, quàm alias per duos, aut tres torqueri annos: velut quilibet hominum præeligeret, nec in parum, alicui incognito viro ſaluti: quàm quòd ſuo quouis modo hoſti ſubdatur. Hoc pacto ſi dæmonib. facultas eſſet, vt animas in igne purgatorio exercerent, in eas vberius ſæuientes receptarum vlciſcerentur offenſionum: hæ quippe quoad vixerunt, dęmonibus ad praua ſuggerentibus obſtitere, quo nimis eas ſibi offenſus ſentiebant, moleſtè ducentes, ꝙ eorum conſiliis non aſſenſerint. Hic enim ſuperborum modus eſt, vt ſe nimis grauatos exiſtiment, atque deiectos, ſi quis eorum ſententiæ derogauerit: Dæmones autem ſuperbiæ tenent celſitudinẽ. Dicitur enim Iob quadrageſimo primo, de dæmone ſub nomine Behemoth:

hemoth: Ipſe eſt rex ſuper omnes filios ſuperbiæ. Dæmonibus autem ad probos viros hoc frequẽtatum eſt, vt eorum ſuggeſtionibus non aſſentiant. Oderunt ergo dæmones ſtudioſos in virtute viros, eiſque nimis vbicunque offenſi forent, ſi qualiſcunque daretur facultas: hæc tamen Deus non ſuſtinet. Si autem poſt mortem ſtudioſorum virorum animæ dæmonum poteſtati in purgatorijs ignibus exercendæ concederentur, in eas pro ſua deſæuirent atrocitate, omnem iniquę cogitationis explentes ſæuitiam. Hoc autem rationi ſatis diſſonum eſſe patet: non ergo ſunt dæmones animarum, purgatoria clementia exercitarum, tortores.

Inhibitũ eſt dęmonibus in purgatorio exiſtentes animas intueri.

Nec hoc dũtaxat dæmonibus inhibitum eſt, ne animarum exercendarum habeant facultatem, ſed & illis interdictum eſt, ne ad eas videndas vadant, cùm in ipſis purgatorijs ignibus puniuntur, eis quippe in ſua afflictione poſitis, dæmones aſtare nequeunt, ne de eis patientibus gaudeant, quandam quoque vindictę ſpeciem inde trahant. In hoc enim magna animabus eſſet moleſtia, cùm hoſtes ſuos de earum afflictione cernerent congaudere. Dæmones ergo torquendarum animarum apud purgatorij loca facultatem nullam habent, nec eis quoque cum puniuntur interſunt. De his ſanctus Thomas ſuper quartum diſtinctione vigeſima prima. Eædem quoque animæ purgatorijs manẽtes receptaculis, ab angelis lucis nequaquam torquentur. Hi enim in charitate exiſtentes, animas purgatorijs manẽtes locis diligunt, quoniam eas ciuitatis Dei conciues fore certiſſimè ſciunt. Aegrè igitur angelici ſpiritus ferrent, vt illas animas in purgatoria quadam atrocitate punirent, quas paulo poſt in vita æterna conciues habituri eſſent. Sed e contrario eas, quoad eis conceſſum eſt, conſolantur, referentes talia, quibus leuius, quę tolerant patiantur, de quibus ſupra dictum exſtitit. Solus ergo Deus eſt, qui his purgatorijs receptaculis animas manentes torquet, non quidem, tanquam Deus eis actualiter punitiones infligat, quidquã agens, ſed quoniam diuina iuſtitia ab exordio illum indeficientem ſuccendit ignem. Ibi enim nullo miniſtrante, illi diuino alligatæ incendio pro meritorum qualitate, quouſque commiſſorum ſatisfaciendorum menſuram expleuerint, cruciantur. Tunc eis liber in ęthereas ſedes patebit acceſſus.

Obiectionis ratio ſuperius allata. *Cap. XLVIII.*

NVnc verò ceptum reſumatur argumentum: purgatoria ſedes atrocitatis magnæ locus eſt, velut tartarea receptacula. Ad pœnarum autem loca nemo libens accedit, ad purgatoriarum tamen pœnarum receptacula animas ire patet: eas ergo illuc non per ſe ire, ſed ab alijs trahi neceſſe eſt. In hoc autem velut in ſuperioribus diffiniendum eſt, ſcilicet quòd ſicut Deus animas gehennalibus mancipandas ſedibus à ſeipſo illuc non trahit, quoniam officium hoc nequaquam eſt iudicis, ſed miniſtri: ita quoque animas purgatorijs manſionibus exercendas à ſeipſo non trahet, ſed miniſtris ſuis hoc exequentibus imperabit. Miniſtri autem Dei in his, quæ ſpiritualia ſunt, angeli lucis & dæmones ſunt: nec tamen idem vtriſque miniſterij genus traditum eſt, ſed quibuſdam hoc, alijs verò alterum. Nunc autem de animabus in purgatoria ducendis ſupplicia dici nequit, quòd à dæmonibus illuc trahantur: animę quippe bonorum poſt defunctum corpus ad ciuitatem Dei prorſus attinent: dæmones autem ciuitatis oppoſitæ certiſſimi ciues ſunt: nihil ergo eis communicationis eſt, nec quidquam operis dæmones cum bonorum animabus habere queunt, quæ purgatorijs incendijs affligendæ ſunt. Amplius autem idem ex prępoſita ratione patet: Deus enim nequaquam permittit, vt animę bonorum à dæmonibus igne purgatorio affligantur, ne qualitercunque ibidem de eis vindictam ſumant: ex eodem quoque incentiuo eiſdem interdictum eſt, ne animarum puniendarum purgatoria ſeueritate interſint afflictionibus. Differentius ergo inhibitum erit:

Miniſtri Dei in ſpiritualibus.

ne dæmones bonorum animas ad ſupplicia purgatoria trahant, quoniam tractus ad pœnã punitionis quota pars eſt: pœna autem inuoluntaria eſt in tolerante: ſi ergo dæmonibus pertrahendi bonorum animas in ſupplicia facultas tributa foret, in hoc pœnæ quandam explentes particulam, de ipſarum animarum anguſtia lætarentur. Hoc autem ipſæ bonorum animæ moleſtè ferrent, vt à ſuis hoſtibus punirentur, tantumque in hac perductione pœnalitatis tolerarent, quantum in aliqua purgatoriarum pœnarum ſuſcepturæ eſſent. Dicendum ergo, quòd à dæmonibus illuc nequaquam trahantur, ſed angeli lucis hoc efficiant. Modus autem hic eſt, quòd cum in charitate decedens commiſſorum ſuorum aliquam adhuc particulam pro ſatisfactione deflendam habet, angeli lucis decedenti interſunt, abigentes inde aereas dæmonum poteſtates, & ſpirituales nequitias. Ipſi quidem dæmones ſi ſęuiendi permitteretur facultas, animam egredientem ſuſciperent, vt tartareis ſupplicijs mergerent: voluntas tamen effectu caret. Angeli enim lucis eam in purgatoriam ducunt manſionem, ibi eam in incendio relinquentes purgatoria exercendam ſeueritate, quoad iuxta præfinitum à Deo tempus, & pœnarum qualitatem diffinitam ſatisfactionem expleuerint. Nec tamen angeli lucis animabus ibi adſunt, vt puniant, vt in prioribus declaratum eſt. Cùm verò præfinitam pœnarum quantitatem earum, quæ purgatorio exercentur igne, expleuerit, angeli lucis aſſiſtentes eam in æternæ lucis manſiones vehunt.

De animabus liberè cælum petituris.
Cap. XLIX.

DE animabus autẽ, quæ carcere luteo ſolutæ mox liberè cęlum petituræ ſunt, ut in ceteris definiendum eſt, quòd à ſeipſis in æthereas nequaquam tendant ſedes, ſed ab alijs perducantur. Anima quippe egreſſa à corpore, quid de ea futurum ſit ignorat, cum ex alterius hoc diſpoſitione dependeat: oportet ergo vt alterum eam ducentem aſſignemus & in quacunque trium manſionum ducenda ſit. Cùm ergo æternæ felicitatis gaudia, anima corpore egreſſa aditura ſit, angeli lucis eam comitantes eunt illam ante faciem altiſſimi præſentantes. In hoc enim angelis nimis gaudere datur, cum ſedium ſuarum ruinas, de bonorum ſpiritibus repleri vident. Ob hoc ergo rationi ſatis conſentaneum eſt, angelos obuiam animabus in vitam æternam euntibus exire: præſertim angelo cuſtodi animæ illius hoc competeret. Iſte enim laboris ſui fructum expertus, ſcilicet quòd cuſtodita ab eo anima hæreditatem ſalutis aſſecuta eſt, nimis gaudet: animæ quoque gaudenti congaudet, ſciens laborem ſuum non fuiſſe ſuperuacuum. Suſceptis enim conſilijs, & auxilijs eius anima ſaluationis fructu potitur. Hic autem angelus præcipuus comitatus animam illam benedictam, ſiſtet eam coram Domino offerens ei labores ſuos. Dicẽdum ergo eſt bonorum animas, angelorum manibus in cælum duci. Angelis autem tenebrarum in hoc nulla miniſterij facultas attributa eſt: ipſi quippe animas bonorum in purgatorias ſedes ducere nequeunt, vbi eſt tormentorum locus, quanto differentius nequibunt perducere ad gaudia beatorum? Nec enim dęmonibus permiſſum erit felicitatis illius gaudia contemplari. Ex prælibatis ergo probabili ſatis inductione conuictum reor: animas de corpore egreſſas vt ad quamcunque præfatorum trium locorum perduci debeant, per ſe non tendere, ſed illuc ab alio duci.

Anima à corpore egreſſa, quid de ea futurum ſit, ignorat.

Quomodo animæ carne ſolutæ ad tria loca ſe conferant. *Cap. L.*

HVic inquiſitioni amplius inhærẽtes inquiremus, quis modus eſt, quo in præfata loca animæ carne ſolutæ, de quibus nunc ſermo eſt, eant. In quo ſupponẽdũ reor, velut ad ſequentis inquiſitionis hypotheſin

vbi tria præſata ponantur loca. Neſcienti enim vbi hęc loca ſint, inconueniens ſpeculatio eſſe nequit: quomodo animæ in hæc tria ducantur loca. Et quoniam hæc tria loca eſſe, communis ſuppoſitio eſt, de quolibet eorum, vbi eſſe dicatur ſigillatim inquirendum eſt. Hoc autem, quoniam de animarum poſt mortem gaudijs, et paſſionibus inquiſitiuum eſt, cum de locis horum experiendorũ inquiratur, duo præſupponere neceſſe eſt. Primum eſt animas poſt corporũ mortem manere, quoniam non enti nullum, aut bonum, aut malum accidere poteſt: alterum verò eſt aliquam poſt mortem animab. orum, aut triſtium diſtributorem, & arbitrum eſſe: iam cum animæ ex natura ſua hoc nõ habeant, niſi eis aliquis, qui poſt mortẽ læta, aut triſtia diſtribuat, apponatur: animabus gaudium, aut triſtitiam poſt mortẽ manere impoſſibile eſt. Apud eum igitur, qui animas negat poſt corporum mortem manere, ſed eas cum corporibus vno concludi defectu, quæſtio iſta locum nullum habet. Si enim animas ſubſiſtere deficientibus corporibus negauerimus, eis aliquod bonum, aut malum accidere impoſſibile eſt. Idem autem, ſi ſecundum, ſcilicet Deum eſſe diffiteamur, inducetur: nam ſi ad læta, & triſtia diſtribuẽda arbiter neceſſarius eſt, neminem ad tantum negotium conſtitui licet, niſi ipſum rerum principem Deum, quẽ qui eſſe negauerit, pariter quoque bona, aut triſtia animabus poſt mortẽ negabit accidere. In quo conſiderandum eſt, quoſdam phyſicorũ, an Deus eſſet, dubitaſſe: alios vero Deum eſſe totaliter negauiſſe, quorũ Diagoras, & Prothagoras, ob hoc indigniſſimi Phyloſophorum in hac re ſic diffinierunt, vt alter Deos eſſe in dubium reuocaret: alius autẽ omnino nõ eſſe diceret, De his Lactantius de natura Deorum lib. 1. cap. 2. Horum quoque Epicurus eſt: qui Deos eſſe omnino negauit: vt ait Auguſt. de Ciuitate Dei lib. 19. ita vt non immeritò de his apud Pſalmiſtam Pſal. 13. & 52. dicatur: Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus. His igitur de inquiſitione pœnarum, & gaudiorum animarum poſt mortem, locorumue, in quib. hæc exerceantur cura nulla eſt, quoniam non exiſtẽte Deo, nemo eſſe poterit, qui animabus poſt mortem gaudia, aut pœnas diſtribuere queat. Hæc autem poſitio quoniam ineptiſſima eſt, in eam niti arguendo non expedit. Per ſe enim eius liquet ineptitudo: hanc quoque conuincit Ariſto. duodecimo Metaph. in fine, vbi proceſſu quodam naturali agens de ordine, & principatu rerum ait: entia vniuerſi nolle male diſponi: mala eſt pluralitas principum: bonus eſt ergo vnus princeps. Hunc autem, qui vnicus ſuper omnia præſidet, quicũque ille ſit, nos Deum appellamus: Deum igitur eſſe patet. Item non oportet in hoc argumentorum multorum eſſe aculeos: nam Deum eſſe, vt ab inueſtigatione ſyllogiſtica aliquando quieſcamus, naturaliter argutũ eſt, nec ſolum Deum eſſe, ſed etiam eſſe æternum, & alia pleraque attributa. De his Apoſtolus ad Romanos cap. primo: Inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, à creatura mundi intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque eius deitas. Intenta ergo ſuppoſitio quæſtionis noſtræ ex hac parte labefactari nequit: quoniam Deum eſſe cunctorum prodit aſſertio. Ex prædictis autem ſuppoſitionis intentæ ad inquiſitionem de tribus locis animarum primum fundamentum collectum eſt, ſcilicet Deum eſſe.

Confutatio opinionis phyſi. perperã de Deo ſententiũ.

Opiniones multiplices de natura animæ. Cap. LI.

SIcut autem in hoc primo fundamento Phyſicorum quoſdam delirantes comperimus, ita & in ſecundo ſuppoſito plurimorum deliratio exoritur. Quidam nãque, quamquam Deum eſse fateantur; animas tamen eſse poſt mortem negant, quoniam eas tales ſubſtantias eſse faciunt, quibus poſt corporum ſeparationem manere impoſſibile ſit. Quidam enim animam nullam ſubſtantiam verè ſubſiſtentem eſse dicunt, ſed quandã corporis harmoniam, qua corpus debito ſubſiſtit ordi-

F ne. Hoc autem Ariſtoxenus poeta magnus, & muſicus dixit: & quidem aliquid veritatis continens, ſed ab arte ſua non multum receſſit. Alij enim animam cor eſſe aſſeruerunt, alij autem cerebrum, alij ſanguinem, alij aerem, quo ſpiramus, & reſpiramus: quorũ poſitiones, & pleraſq; alias Ariſt. recitat primo de Anima, & Tullius primo lib. Tuſculanarum quæſtionum. Si tamen horum alicui crediderimus, animas cum corporibus deficere, atque ex hoc non manere noſtram de animarum receptaculis quæſtionem, liquet. Si enim anima corporis harmonia ſit, cum ipſa morte corpus reſoluatur, animam manere impoſſibile eſt: cũ harmonia nulla ſit in eo, quod corrumpitur, aut prorſus corruptum eſt. Cor autem, aut cerebrum ſi animam aſſeramus, eam aliquando perituram eſſe ſatis patet: nam cerebrum G cum quædam carnis medulloſa particula ſit, aliquando diſſolui neceſſe eſt. Cor identidem corporis membrum quoddam eſt: ceteris ergo morte ſolutis, illud incolumen reſidere ſatis falſum liquet. De aere autem nemini ambiguum fuerit, ſi eum animam eſſe dicamus: nam cum ipſa vita inſpiratio, & reſpiratio clauditur, igitur animam interemptam eſſe patet: hanc vulgatiorem tamen poſitionem eſſe ſcimus: nam cum inſpirationem, & reſpirationem in omnibus animalibus eſſe cernant, in eis tamen, qui iam vita functi ſunt, hoc nullatenus eſſe patet: aerem igitur molliſſimum inſpiratum, & reſpiratum animam tradiderũt. Hanc autem inſipientes poſitionem renuere, vt patet Sapien. 2. cap. Dixerunt enim impij cogitantes apud ſe non recte: exiguum eſt, & cum tædio tempus vitæ noſtræ, non eſt re- H frigerium in fine hominis, nec eſt, qui agnitus reuerſus ſit ab inferis: quia ex nihilo nati ſumus, & poſt hoc erimus tanquam ſi nõ fuerimus: quoniam fumus flatus eſt in naribus noſtris, & ſermo ſcintillæ ad commouendũ cor noſtrum, quia extinctus cinis erit corpus noſtrum, & ſpiritus noſter tanquam mollis aer diffundetur: & tranſiet vita noſtra tanquam veſtigium nubis, & tanquam nebula diſſoluetur, quæ fugata eſt à radijs ſolis, & a calore illius aggrauata, & nomen noſtrum obliuionem accipiet per tempus, & nemo habebit memoriam operum noſtrorum. Vmbræ enim tranſitus eſt tempus noſtrum, & non eſt reuerſio finis noſtri: quoniam conſignata eſt: & nemo reuertitur. Ecce enim impij iniquitatem de ſtatu animarum in viſceribus conceperunt, ſed confeſtim iniuſtitiam parituri ſunt. Sequitur enim ibi- I dẽ. Venite ergo & fruamur bonis, quæ ſunt: & vtamur creatura, tanquam in iuuentute celeriter vino præcioſo, & vnguentis nos repleamus, & non pertranſeat nos flos temporis noſtri: coronemus nos roſis antequã marceſcant, nullum ſit pratum, quod non pertranſeat luxuria noſtra. Nemo exors ſit luxuriæ noſtræ: vbique relinquamus ſigna lætitiæ, quoniam hæc eſt pars noſtra, & ſors. Ecce enim animam molliſſimum aerem putauerunt. Ab hoc autem in Græco animæ nomen trahitur, Animus enim eadem lingua ventus eſt. Iam vero qui animam ſanguinem eſſe dicunt, quid ambigendum ſit prorſus non habent: nam ipſum ſanguinem in morte gelari liquet, in puluerem ac ſordidam tabem poſt paululum conuertendum. Quidquid ergo horum aſſeueris, neceſſe eſt, vt animæ æternitatem, aut permanentiã poſt K mortem tollas. Has inſipientium poſitiones reprobat Tullius lib. 1. Tuſculanarum quæſtionum, animæ immortalitatẽ cõfirmans: ſed rhetoricis quidem ſuaſionibus magis quam naturalibus fulcimentis, ſolidioribus vtiq; fortaſſis idem inducere valeremus, ſi in id nunc conaremur, ſed ad aliud tendendum eſt. Solidius autẽ Ariſt. more ſuo inducit animę immortalitatem, improbans antiquorũ ſatis inſipidas poſitiones in libris ſuis de Anima. Immortalitatem autem animæ, quoniã non eſt de conditione materiæ, ſed ab extra, & diuina, omnes phyloſophi, qui aliquid ſapiunt confitentur, vt Plato, & Anaxagoras, Socrates, & Peripateticus Ariſtot. & Stoyci generaliter. Ex prelibatis ſecũdi fundamẽti veritas patet ad inquiſitionẽ de locis animarũ corpore ſolutarum, ſ. an a corpore ſolutæ animæ remanere queant.

De ſtatu animarum. Cap. LII.

VT autem quod inquiritur, ſolidius, atque vberius, enucleatis quibuſdam principijs, cognoſcatur, de animarum ſtatu inquirẽdum eſt, vt ſic de locis, de quibus intentio inquirendi fuerat, concludatur. In quo interdum naturali vtamur iudicio, non quidem catholicæ fidei derogantes poſitioni, ſed eam magis adornãtes, atque, vt poſſumus, eam ex naturalibus euidentiorem facientes. Præſertim admonente Apoſtolo Petro Cano. prima cap. 3. Eſtote parati reddere rationem omni poſcẽti vos de ea fide, & ſpe, quæ in vobis eſt. Ex principijs, ergo naturæ, hęc concluſio danda eſt. Eorum quæ in vita acta ſunt, bonorum ſiue malorum, teſtarani mabus poſt mortem naturaliter locus gaudij, vel dolorum. In cuius ampliori euidentia conſiderãdum eſt, quod catholici in hac parte tenent ſpecialiorem modum loquendi, quàm omnes qualitercunque loquentes. Dicunt enim animas poſt mortem immortales remanere, eaſque poſt multa tempora, cum Deo placuerit, ad diem iudicij à Deo aſſignatum ad corpora redituras, quod reſurrectio vulgariter appellatur. Et tunc ſi fidelium firma poſitio nihil vlterius addidiſſet, ſatis liquebat poſt eam reſurrectionem, gaudium aut triſtitiam hominibus prouenturam: ſine his enim vita hominis duci nequit. Quantum verò ad corporum reſurrectionem, ſpeciale in catholis eſt: nulla enim phyloſophorum poſitio hoc recipit: adeo cum Paulus apud Athenas in Areopago phyloſophis reſurrectionem corporum prædicaret, delectati ſunt primò viri illi Athe- C nienſes promoti dulcedine eius, quod dicebatur, quia

Theſſ. 4. verè propoſitio iſta delectabilis eſt ei, qui credit, vt patet prima ad Theſſalo. cap. 4. vbi Apoſtolus iubet nos condelectari adinuicem in ſermonibus de reſurrectione. Deinde videntes reſurrectionem repugnare omnibus, quæ ipſi ſciebant, aut ſcire ſe putabant, & eis, quæ naturaliter fieri poſſe exiſtimabãt, deriſerunt eum quidam de Stoycis, & Epicurçis, eum ſeminatorem verborum appellantes, ideſt quod ſola verba diceret nullam realitatem, aut veritatem continentia. Alij autem eum annunciatorem nouorum dæmoniorum dicebant, quia Ieſum, & reſurrectionem prędicaret. De his Actu. decimo ſeptimo cap. Reſurrectio autem corporum à ſtemine Phyloſophorum negatur, tanquam naturæ repugnet. Nulli enim principio naturæ repugnat, ſicut D latiſſime induci poſſet, ſi ad hoc noſtra nunc flecteretur intentio: ſed ob hoc eam fieri, aut futuram eſſe negant, quia nullum agens ſecundum naturam eſt, quod tantæ virtutis ſit, vt reſurrectionem corporum cauſet. Sic namque in naturalibus, multa phyloſophi concedunt, quæ fieri non repugnat, ſed nunquam futura eſſe aſſerunt, quoniam nullam tantæ virtutis potentiam eſſe credunt. Sic enim nullus, terram ſecundum ſe totam moueri, credit includere contradictionem, cum quælibet eius particula moueri poſſit, & multæ moueantur. Ariſt. tamen noſter primo de Cælo, & Mundo dicit, terram non poſſe moueri, quia non eſt aliqua potentia potens eam pellere de medio mundi.

Loquentes de reſurrectione delectamur.

Animabus poſt mortem lætitia, & anguſtia inerunt. Cap. LIII. E

HIs autem poſitis, quæ de reſurrectione corporum ſacroſancta orthodoxorum Eccleſia confitetur, ſatis liquet, animabus poſt mortem lætitiam, aut anguſtias ineſſe; hoc tamen phyloſophi non confitentur. Sed etſi nobis phyloſophi non aſſentiant in reſurrectione corporum, quoniam ignorant infinitatem diuinæ potentiæ, qua mortuos ſuſcitare poſſit, & immenſitatem bonitatis eius, qua id efficere velit: tamen concesſo eo, quod ipſi nobiſcum ſentiunt, ſcilicet animarum immortalitatem, ſatis inducitur, quod intendimus, ſcilicet animabus poſt mortem delectationes, aut pœnas manere. Nam animæ manentes

A poſt mortem, etſi in corporibus non maneant, intellectiuæ tamen, & volitiuæ ſunt, quia igitur aliquid volũt, aut illud aſſequuntur, aut ſemper id tenent, aut non. Si ſemper bonum, quod ſemel aſſequuntur tenent, delectari eas neceſſe eſt: quia ad boni conſecutionem naturaliter ſequitur delectatio. Si autem bonum, quod ſemel aſſequũtur, aliquando perdiderunt, triſtari eas, atque pœnalitatibus affici oportet. Quoniã ſicut aliquid nobis bonum præſentia ſua delectabile eſt, ita & abſentia ſua triſtitiam afferat oportet: quoniam bonum, quod inerat, ablatum eſt. Si autem animas poſt mortem manentes, quod volunt, non aſſequi fateamur: neceſſarium eſt eas triſtari, quia & in nobis viuentibus triſtitia eſt, cum quæ deſiderauerimus non euenerint. Rurſus autem anima poſt mortem intellectiua eſt: intelligit ergo B quoniam ocioſa non erit: quinimo ſemper intelliget: nullius. n. carneæ molis oppreſſione grauabitur. Hic enim corruptibilitate corporis ab intellectione impedimur, & retardamur: iuxta illud Sapient. 9. cap. Corpus quod corrumpitur, aggrauat animã, & terrena habitatio deprimit ſenſum multa cogitantem. Depoſita ergo omni aggrauante corporis mortalis ineptitudine, anima ſemper in intellectione vacabit. Nam intelligere ſecundum ſe delectabile eſt, & ipſa anima ſeparata non habet aliquid ſecundum quod fatigetur; quia non eſt iam potentia vnita corpori, ſicut cum in nobis eſt, quia tunc propter conditionem deficientium organorum fatigatio in intelligendo cauſatur. Poſt mortem autem ſeparata, quia nunquam fatigabitur, ſemper intelliget. Hoc autem dato, aut id, quod anima intelliget poſt mor- C tem, eſt ſibi bonum, aut malum. Si autem, quod intelligit malum ſibi eſt, neceſſarium eſt, vt hoc intelligendo triſtetur, cum malum ſibi ineſſe ſentiat, in quo eſt vera triſtitia. Si autem, quod intelligit bonum ſibi ſit, erit neceſſarium, vt intelligendo delectetur, quoniam bonum condelectatiuum eſt naturaliter eius potentiæ, in qua eſt. Ex principijs ergo naturæ neceſſaria illatione inductum patet, conceſſa animarum immortalitate, pœnalitatibus, quibuſdam animas defunctorum affici, aut gaudijs quibuſdam frui.

Quòd neceſſario alæ poſt mortẽ lætẽtur, vel doleant.

Qđ poſt mortem alã intelligat.

Sap. 9.

Quare Ariſt. an gauderet, vel pateretur anima poſt mortem, ſubticuit. Cap. LIIII.

AMplius autem cum de ceteris, quæ naturalia ſunt, D aut naturalium rerum quodammodo conditiones tangunt, Ariſtot. noſter pleniſſimè, etſi in omnibus ſententioſe tractauerit, quare de hac re omnino ſubticuit, ſcilicet an poſt mortem animabus gaudia, vel dolores vlli maneant. Quod magis inducitur ex induſtria factum: nam ſi id, quoniam de hoc agere non curaret, ſubticuiſſet, etſi nõ plenè, interdum aliquid tamen expreſſiſſet: de hoc tamen nihil vnquam diſſeruit: videtur ergo non ex negligentia, aut inaduertentia omiſiſſe, ſed ex electione ſubticuiſſe. Quod duobus incitamentis factũ videtur. Primò eſt ipſius Ariſtot. magna prudentia: ipſe namque vt ex ſingulis eius libris patet, vbicumque loquitur, ſolidiſſimis atque multum euidentibus vtitur rationibus. In materia autem de pœnis, & gaudijs animarum a corpore ſolutarum, & de locis pœnarum, & E gaudiorum, & conditione eorum ambiguum valde eſt eis qui ſolis naturæ innituntur fulcimentis. Cum hæc ex quadam Dei ſummi rerum iuſti arbitri ſentẽtia prouenire debeant, & cùm ipſe liberum ágens ſit diffinitum, in his naturaliter loquentibus nihil aſtrui poteſt, ſed reuelatione quadam indigent, vt ſciantur: cum nullius liberi agentis factum, quamquam ſecundum perfectam rationẽ reguletur antequam fiat, perfectè cognoſcere poſſimus. Ariſtoteli autem nihil tale inerat, cum ſolis rationis practicæ, & ſpeculatiuæ principijs niteretur, ſed ſi quidpiam ſibi reuelatum foret velut alicui prophetarum, cui ipſe firmiſſime aſſentiret: tamen adhuc non tetigiſſet, in ſtylo ponens, ſicut naturales, & metaphyſicas, & dialecticas plurimas poſuit traditiones. Nam ipſe hoc ſolum deſcribebat, quod manifeſtis

proba-

probationibus induci poterat. Hoc aũt quanquam ſibi cõſtaret, illud tamẽ aliqua ſyllogiſtica neceſſitate inducere non valebat: prælegit igitur de his penitus ſubticere: quàm aliquid ſemiplenè enunciare. Credendum eſt tamen eum aliquid intellexiſſe: nam illi, qui natura ingenio pollent, ſatis naturaliter indicant, hoc conuenieus eſſe. Non enim rationabile videtur, vt actus humani, qui in hac vita æquam præmiorum, ſiue in bono, ſiue in malo non ſuſceperunt vicem, in ęternum ſic maneant: ſed vt magis poſt reſolutum morte corpus, animę eorum vices iuſtas accipiant. De hoc autem, quid intellexerit nihil refert.

Secunda cauſa quare Ariſt. de animarum corpore ſolutarum ſtatu ſubticuit. Cap. LV.

SEcundum verò Ariſt. noſtri motiuum, qđ de animarum corpore ſolutarum ſtatu ſubticuerit fuiſſe videtur, quoniam ipſe veritatum introductor, atque eruditor eſſe voluit: modorum tamen viuendi humanorum deſtructor litigioſus eſſe noluit. Nam etſi aliquid plenè Ariſt. de hac re intellexiſſet, & id fortaſſis neceſſariis fulcimentis inducere voluiſſet: tamẽ quia in hoc repugnare videretur omnibus politijs, quæ tunc erant, etiamſi aliquę tunc conuenienter ſecundum illud tempus ordinatæ videbantur. Si enim poſt mortem bonum aliquod, aut malum ineſſe animabus aſſeratur: illud maius bonum eſſe, aut malum animabus patet, quam id, quod in vita experimur, cum ea, quæ viuentes ſentimus bona, aut mala ſecũdum corpus ſunt, quod non eſt principale in nobis. Poſt mortem autem quidquid illud ſit, ſiue bonum, ſiue malum, maius eſſe neceſſariũ eſt: quoniam animabus aduenit, in quibus, vel totum eſſe noſtrum, iuxta Platonicam poſitionem eſt, vel maior pars, & principalior eſſe noſtri: iuxta Ariſt. Ethi. li. 9. & 10. Ideo hoc ſuppoſito, cum maius bonum humanum poſt mortem ſit, illa erat conuenienter inſtituta, & ordinata politia, quę inducebat homines ad hoc, vt poſt mortem bene ſe haberent. Eas autem, quæ ad hoc optimè ſe haberent, optimas eſſe patet. Quæ autem de hoc nihil attenderent, inordinatiſſimas eſſe politias. Et quia earum politiarum, quæ Ariſt. tempore conſiſtebant, nulla aliquatenus ad bonum illud, quod poſt mortem euenit homines dirigebat, nulla bene ſtatuta videretur. Repugnaret ergo in hoc omnibus hominibus, qui tunc erant præter quam Iudæis, qui pauci erant, & hanc ſpem futuræ vitæ ſemper tenuerunt. Quanquam inter eos Saducei non credebant reſurrectionem, nec ſpiritus aliquos, aut angelos concedebant, de quo Matth. 22. & Actuum 21. capit. deuitauit ergo Ariſto. aliquid de animarum ſtatu poſt mortem enunciare; etiamſi ſibi aliquid vtcunque cognitum foret.

Quę ſentiunt aſæ poſt mortē, maiora ſunt his, quę in vita.

Quare Ariſt. egerit aliqua de animarum ſtatu poſt mortem. Cap. LVI.

NEc in hoc tamen nobis omnes conſentiunt. Aliqui enim dicunt Ariſt. aliqua de ſtatu animarum poſt mortem fuiſſe locutum, obiicientes nobis in primis librum de Pomo, qui & de morte Ariſt. nomen aſſumpſit, & eſt vltimus in paruis eius naturalibus. Quibus reſpõdendum eſt, hunc non eſſe Ariſt. librum, quod ex eius ſtylo ſatis claret: nam liber de Pomo, nihil niſi quãdam nullius ponderis hiſtoriam cõtinet. Totus autem Ariſt. ſtylus magnis obſcuritatibus, & ſententiarum difficultatibus plenus eſt. Diſtant enim inter ſe Ariſt. & libri de Pomo ſententiarum grauitate, & ſtyli, velut ſi quis Tullianam, aut Demoſthenis eloquentiam cuius barbarica vix verba ſonare ſcienti coęquaret. Amplius & in ſententia hoc patet. Totus enim liber de Pomo ſententiis Ariſt. in aliis libris repugnat: nam ibi Deum Abraham, & Iſaac, & Iacob concedit, & profert, quod ab omni phyloſophante prorſus alienum eſt. Nulla ergo ratione conceſſerim hunc librum aliquam Ariſtol. ſententiam continere: ſed magis ab aliquo Arabico confectus eſt. Stylus enim eius Arabicam redolet eloquentiã. Sed adhuc quiſquam in hoc obiiciet, inquiens Ariſt. felicitatem, & infelicitatem poſuiſſe poſt mortem: & conſequenter ſolutis à corpore animabus pœnas, & gaudia tribuiſſe. Sic enim haberi videtur Ethicorum lib. 1. in cap. Poſterorum autem, amicorumque fortunæ. cum ait. Fortaſſis autem inquirendum videtur circa eos, qui defecerũt, an communicent bono aliquo, vel oppoſitis. Videtur autem, etſi redundat in ipſos quodcunq; bonum, ſiue contrarium, fragile quoddam, & paruũ vel ſimpliciter, vel illis eſſe: ſit autem non tale, & tantũ: vt eos, qui non ſunt felices eſſe faciat, aut eis, qui ſunt auferat beatitudinẽ. Ponit ergo aliquod redundare bonum, vel oppoſitum. Aliquos ergo videtur poſt mortem ponere felices, quibus non poteſt tolli felicitas, quæcunq; bona, vel mala adueniant, & alios eſſe poſt mortem infelices, quibus felicitas prouenire non poſſit, quantacunq; permutatio fiat in pronepotibus, vel amicis viuentibus. Huic reſpondendum eſt, Ariſt. hæc non poſuiſſe, ac ſi per hæc intelligat aliquam felicitatem, aut infelicitatẽ eſſe poſt mortem, ſed intendit de felicitate, quæ in vita eſt, ſ. quòd per ea, quæ pronepotes, aut amici alicuius faciunt, vel ſuſcipiunt, nõ efficitur ipſe felix, vel infelix, ſ. quód nõ tollitur eius præterita felicitas, vel infelicitas. Ob hoc autem introducitur ea quæſtio, quam Ariſt. mouet Ethycorum lib. 1. cap. Pronepotum autem fortunas. Poſuerat enim conditiones felicium in vita, & feliciter viuentes diffiniuit: cuiquam tamen fortaſſis dubium videretur, an ſicut nemo felix dici poteſt, quandiu viuit niſi in bono finierit, an ſic poſt mortem dicẽdum foret: & an fortunæ, vel infortunia amicorum, vel pronepotũ felicitatem tollerent eis, qui felices mortui ſunt, & an eis, qui felices non ſunt, felicitatem apponerẽt. Reſpondet ergo, quid prohibet dicere, felicem ſecundum virtutem perfectam operantem, & exterioribus bonis ſufficienter ditatum non contingenti tempore, ſed perfecta vita, vel apponendum, & victurus ſit, & finiturus ſecundum rationem, quia futurum immanifeſtum nobis. Felicitatem autẽ finem ponimus, & perfectum omnino. Si autem ita eſt, beatos dicemus viuẽtium, quibus exiſtunt, & exiſtent, quæ dicta ſunt. Beatos autem vt homines. Conſtat ergo ex immediatè dictis, eos ſolos beatos ponere, qui viuentes ſunt. Si autem aliqui beati, vel miſeri poſt mortem ſint, nihil tangit. Ex ſuperioribus conceſſum eſt, quod ſecundum numerum conceſſa animarum immortalitate, neceſſarium eſt eas poſt mortem delectari, vel triſtari. Sed adhuc non conſtat ſecundum numerum an conceſſa animarum immortalitate, poſt mortem dolores, aut amaritudines quaſcunq; inflictas pro peccatis animæ tolerent, an pro bonis actibus delectentur.

Ex verbis Ariſt. oſtenditur animas poſt mortem, vel dolere vel triſtari. Cap. LVII.

ACcedentibus autem nobis ad intentionem Ariſtot. dicendum eſt, quòd etſi Ariſtot. ex præpoſitis incentiuis de ſtatu animarum poſt mortem explicite nihil locutus fuerit: ex verbis tamen ſuis, in vnam velut formã redactis, neceſſariò infertur animas peccatrices poſt mortem peccatorum ſuorum pœnas tolerare. Bonorum autem virorũ animas magna gaudia experiri, hoc quoque ſecundum naturam eſſe neceſſe eſt. Inducendi autem modus talis ſit: animæ poſt corporum ſolutionem ſi immortales manent, neceſſarium eſt, vt ſemper intelligant, cum intellectus non ſit potentia fatigabilis, cùm eſt ſeparatus à corpore. Nunquam ergo fatigabitur, non habens cohærentiam ad conditiones organorum. Si ergo aliquod bonum ſibi intelligunt, neceſſarium eſt, vt delectentur. Si autem intelligunt aliquod malum, neceſſarium eſt, vt triſtentur, ſed neceſſarium eſt, vt mali poſt mortem intelligant ſemper malum, & boni neceſſarium eſt vt bonum ſemper ſibi intelligant: ergo impoſſibile eſt, quin malorum animæ poſt mortem non triſtentur, & doleant valde: Bonorum autem

animæ

animæ ſemper lætentur. Hoc autem ex nulla alia cauſa malis euenit, niſi pro peccatis: imò ipſa peccata inferunt eis iſtas pœnas, quas ferre compelluntur, qui mali ſunt. Quod patet, nam in viuentibus ſic eſt, quòd cum aliquis eſt cum alio, delectatur & triſtatur ſecundum ea, quæ in alio reperit, & collocantur. Cum autem ſolitarius eſt, neceſſarium eſt, vt delectetur, & triſtetur ſecundum ea, quæ intra ipſum ſunt. Ideo ſi iſte, qui ſolitarius eſt, bonus eſt, ſemper actibus bonis inſiſtens, delectabitur intra ſeipſum, quia veniunt ſibi in mentem actus boni, quos fecit, de quibus non modicũ delectatur. Aduertit quoque præſentes actus bonos: ſperat etiam ſimiliter ſe in futurum meliora alia operaturum: ex quibus gaudijs immenſis repletur, magis iſta recogitans, quàm quando cum alijs eſt. Quo fit, vt qui valdè boni ſunt, magis velint ſolitarij interdum eſſe quàm cum alijs. Et hoc vocatur conuiuere ſibipſis, de hoc Ariſto. Ethic. libro nono ait: Etenim conuiuere ſibipſi talis vult qui delectabiliter ipſũ facit. Operatorum enim delectabilium, & theorematum mentem abundat, condoletque, & condelectatur maximè ſibiipſi. Impœnitibilis enim vt eſt dicere. Si autẽ aliqui mali ſunt, quando ſolitarij ſunt affliguntur: quoniam veniũt eis in cogitationẽ mala, quę fecerunt, & ea, quę quotidie facinora patrãt: ſperant, quoque ſe ſemper deteriora patraturos. Ex his autem nimis affliguntur, & ſeipſos odio habent, atque fugiunt, inquirentes alios cum quibus communicent, ne ſic magnis anguſtijs crucientur. Cum verò nequeunt prorſus has declinare cogitationes, ſeipſos nimis exoſos habentes, atque ferre non potentes, occidunt. De his Ariſt. Ethic. lib. 9. ait: quibus autem multa opera ſunt, & dura, & propter malitiam odiuntur, fugiunt viuere, & interimunt. Seipſos autem fugiunt. Recordantur enim multorum, & difficilia, & talia altera ſperant ſecundum ſeipſos entes: cum alteris aũt entes obliuiſcuntur, nihilq; amicabile habẽtes, nihil amicabile patiuntur. Pœnitudine enim replentur, praui verò vtique videtur prauus, nec ad ſeipſum amicabiliter diſponi propter nihil habere amabile.

Probi, et ſi ſolitarij exiſtãt, delectantur, è contrario eſt de malis.

Quædam attinentia ad ſuperiora. *Cap. LVIII.*

SIcut in viuentibus de conuictu, & gaudijs, atque triſtitia dictum eſt, ita & in animabus à corporis carcere ſolutis dicendum eſt, in vtriſque enim, atque amplius ibi eſſe neceſſe eſt. Nam animabus ad ſeipſas cõuiuere abundantius eſt, quam viuentibus: quoniam viuentes ad inuicem collocutione, & quibuſdam corporalibus communicationibus conuiuunt: condelectantur quoque, & contriſtantur de his, quæ ſunt in alterutro. In animabus autem poſt mortem, quoniam ſecundum phyloſophorum poſitionem, quam nunc diſcutiendam ſuſcepimus, corpora non manebunt, neceſſarium eſt, vt ſibiipſis magis conuiuant, ſcilicet conuertens ſe in ſeipſas. Et tunc neceſſarium eſt, vt animæ bonorũ in ſe conuerſæ cernant bona, quæ fecerunt, quæ in eis manent, & de his intensè valdè delectentur. Rurſus autẽ non reperiunt in ſe malum aliquod, quod earum delectationem interpollet, atque impediat. Oportet ergo, vt delectatio illa ſincera, atque permanſiua ſit. Cum ergo huiuſmodi animæ in æternum maneant intelligentes, ab actuali intellectione nunquã ceſſantes, nec fatigatæ, & bonum ſuum, quod eſt eas feciſſe bonum dum viuebant, ſemper eis maneat, neceſſarium eſt, vt in æternum ſine aliqua intermiſſione delectentur, cum nullus eis triſtabilis actus intercidere poſſit, de quo doleant. In animabus autem virorum prauorũ poſt mortem è contrario fieri neceſſe eſt, ipſę quippe in æternum ſicut animæ bonorum intelligentes manent: & quoniam ſibiipſis conuiuunt, neceſſarium eſt, vide eo, quod in ipſis eſt delectentur, vel triſtentur. Et quia prauorum animæ poſt mortem nullum bonum inuenire queunt, in quo delectentur: ſed ſola mala, & facinora, quæ dum viuerent patrauerunt, neceſſarium eſt, vt iſta recogitantes multum triſtentur. Et ad-

Acri' dolent damnati, dũ recordãtur de pteritis.

A huc autem amplius intenſiuſque dolebunt mali homines, quando eis in mentem venient quæcunque ſcelera perpetrata à ſeipſis in vita. Homines namque in vita quædam deſideria paſſionalia habent, ſecundũ quæ feruntur in malum quoddam apparens delectabile, & in facinora. Ratio autem, & intellectus in eis ſunt, quæ ad optimum deprecantur iuxta Ariſt. primo, & nono Ethic. Si igitur iſtæ habentes partem ſenſitiuam repugnantem parti rationali, ita acriter de patratis ſceleribus interdum dolent, quanto ferocius dolebunt animæ poſt mortem, in quibus non eſt aliqua pars affectiua, ſed ſolum intellectus, & voluntas. Nam tunc nihil eſt, quod impediat intellectum, & voluntatem à dolore malorem patratorum, & odio quodam, neceſſe eſt, vt tunc ratio noſtra, pro patratis malis in æternum doleat.

B Viuentes tamen cum multa, & nefaria valdè fecerunt, eorumque ſibi conſcij ſunt, cum eorum recordantur, interdum occidunt ſeipſos non potentes ſe tolerare. Quis ergo, aut quantus erit ille dolor, & amari cordis anguſtia, quam neceſſariò patientur animæ illæ miſerabiles, quæ hinc magnis cum ſceleribus deceſſerunt. Neceſſe eſt enim hunc dolorem maiorem eſſe, quam ſit mors, & cum iſta anguſtia ſit eis continua, & vſque in æternum, quia non eſt in poteſtate earum non intelligere, aut recordari, hòc neceſſarium eſt, vt in animabus miſeris peccatricibus poſt mortem maior ſemper maneat dolor quam ſit mors: vnde vellent ipſæ miſerabiles animæ mori ſi poſſibile eſſet, ne tam diuturnis afficerentur malis.

C *Neceſſarium eſt animas decedentes in peccatis deſiderare mori.* *Cap. LIX.*

QVod autem ſecundum naturam ſit neceſſarium animas decedentes in peccatis deſiderare mori, ſi poſſibile eis foret, apparet, quia ſecundum numerum bonum appetimus, & magis bonum magis appetimus: ſed minus malum eſt magis bonum in comparatione ad maius malum. Propoſitis ergo duobus malis inæqualibus, neceſſarium eſt, ſecũdum numerum, vt illud, quod nobis minus malum eſt appetamus, ſed maius malum eſſe probatum eſt dolorem, quem in quotidiana perpetuaque patratorum malorum memoria animę peccatrices poſt mortem ſuſtinent, quam quæcumque

D mors: neceſſarium eſt ergo, quòd magis vellent mori, quam viuere in illo acerrimo diutinoque dolore. Quod ſi dicas animas decedentes hinc cum ſceleribus poſſe poſt mortem euitare cogitationes, atque memoriã ſcelerum, vt non triſtentur de eiſdem, ſtare non poteſt: nam tanta libertas eſt animæ noſtræ in vita, quãta poſt mortẽ eſt: ſed in vita illi, qui ſceleratiſſimi ſunt, quando ſoli ſunt non poſſunt euitare memoriam ſcelerum ſuorum: ideo fugientes triſtia, quæ ſunt in communicãdo ſibijpſis, fugiunt ſeipſos, quærentes alios, cum quibus communicent: & ſi nequeant ſemper alios habere, cum quibus communicent, nec ſuorum poſſint memoriam facinorum deuitare, interdum occidunt ſeipſos. Sic ergo inerit animabus poſt mortem, quòd nequibũt præteritorum malorum memoriam deuitare. Nec ineſt

E eis remedium, quod in viuentibus eſt. Si enim ad alios communicatio nobis ſit aliquo modo tollimus, aut lenimus dolores, & anguſtias inſitas nobis: animabus autem in alterutrum communicatio nulla eſt, ſed ſibijpſis vacant: ideo neceſſarium eſt, vt ſemper illis afficiantur anguſtijs, Quo fit, vt illæ miſerabiles, nec tamen miſerandæ animæ, quæ hinc magnis cum ſceleribus deceſſerunt, in æternum patratorum ſcelerum affligantur dolore, non potentes illam acerrimam memoriam deuitare. Hæc autem eſt altiſſimè ſpeculantium phyloſophorum ſententia, ſcilicet, quòd ipſamet bona nullo alio addito ſibijpſis præmia ſunt, & ipſa ſcelera ſibiipſis pœnæ ſint. Cum ipſa bonorum geſtorum memoria nobis delectationem, qua in æternum gaudere neceſſe ſit, tribuat: & ipſa perpetrata ſcelera anguſtias atrociſſimas nobis infligant, quas pati neceſſe ſit in æternum.

Bona ipſa nullo alio addito ſibi ipſis pmia ſunt.

Hæc

Hæc autem naturaliter purè dicta ſunt, nullo fidei fundamento ſuſcepto: quoniam nunc vt principia naturæ non vt fidei fundamenta ſectantes, eloquimur, etſi nihil fidei catholicæ obuiemus: multa quoque ex eadem radice ſimilia dici poſſent, de quibus ſufficiant, quæ dicta ſunt. Ex eis quidem, quòd natura ſola, pœnæ, & gaudia animabus corpore ſolutis maneant, conſtat.

Quod furiæ infernales animi commotiones in damnatis ſint. Cap. L X.

HOc autem in ſe experientes doctiſſimi inter poetas, in pœnis inferni tres furias locauerunt vltrices ſcelerum. Sunt autem furiæ animi commotiones, & memoriæ ſcelerū, aut verius ipſę cogitationes, quas tres furias poſuerunt, ſecundum quòd ſcelerati viri tres motus afflictiuos, nullo exteriori appoſito malo, in anima patiūtur, ſcilicet præteritorum malorū memoriam, præſentium cogitationem, & futurorum malorum ſpē: de quibus Ariſtot. Ethicor. libro 9. ſicut prælibatum eſt. Hæc quoque in ſe quilibet vir doctus experitur. Poetæ autem iſta conſiderantes tres furias poſuerunt: quod veraciter ſic eſt, quoniam & ſcelerati viri iſtas tres furias viuentes patiuntur, in inferno autem in omnibus ſunt. Harum tamen furiarum cauſam philoſophi, & poetæ ignorabant: ſed hæc a Deo venit: nam indidit nobis Deus vim quandam animæ, quam conſcientiam, aut ſindereſim appellamus, ſecundum quam neceſſarium eſt de malis triſtari, & malorum præteritorum habere memoriam, & per has memorias ſibijpſis mali diſpliceant, vt ſic nulla, nec in præſentibus bonis, quibus mali frui intendunt, eis perfecta contingat delectatio. Sic enim ait Auguſt. Iuſſiſti Domine, & ſic eſt, vt pœna ſit ſibi omnis inordinatus animus. Hæc autem, quæ naturaliter dicta ſunt, fidei catholicæ multum conſonant, cum fides catholica ſolidiſſima veritas ſit. Vero autem omnia conſonant exiſtentia iuxta Ariſtot. Ethicor. libro primo, vnde hæc omnia, quæ nunc dicta ſunt a fide catholica aſſeruntur, ſed & plura alia apponuntur, quæ ex fide reuelata ſunt. Hæc tamen, quæ naturaliter dicta ſunt, ſ. quòd decedentes in ſceleribus neceſſe eſt, ipſorum malorum memoria, & ipſorum aſſidua cogitatione torqueri, & hanc eſſe eis æternam, atrociſſimam, atque indeſinentem pœnam: ſicut in ſtudioſis actibus finientes vitam, oportet ipſorum bonorum delectatione in æternum teneri, nec vlla triſtitia hæc interpellari bona: hanc dico pœnam, quam naturaliter loquentes poſuimus, ſacra ſcriptura vermem, & conſcientiæ corroſionem vocat. Nam ſicut vermis corrodendo perforat, & deſtruit: ita iſta ſcrupuloſitas in æternum affligendo perdurat. De hoc Iſa cap. vltimo. cum de ſtatu miſerorum in gehennali mancipatoru incendio agatur, dicitur. Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Vermem autem corrodentem conſcientiā appellauit. Vocatur quoque iſta pœna, quæ naturaliter inducta eſt, pœnitentia apud inferos: ſecundum quàm ſcelerati malorum ſuorum memores anxiantur, de hoc habetur Sapient. cap 4. & 5. vbi de dolore, quē pro ſceleribus ſuis mali concipiunt plenè agitur, cum dicitur: Venient in cogitationem peccatorum ſuorum timidi, & traducent illos ex aduerſo iniquitates eorum, tunc ſtabunt iuſti in magna conſtantia aduerſus eos, qui ſe anguſtiauerunt, & qui abſtulerunt labores illorum: videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in ſubitatione inſperatæ ſalutis gementes, & præ anguſtia ſpiritus dicentes: hi ſunt quos aliquando habuimus in deriſum, & in ſimilitudinem improperij, nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorū ſine honore: ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt. Ergo errauimus à via veritatis, & iuſtitiæ: lumen non illuxit nobis, & ſol intelligentiæ non ortus eſt nobis: laſſati ſumus in via iniquitatis, & perditionis, vias difficiles ambulauimus. Viam autem domini ignorauimus. Quid profuit nobis ſuperbia? aut diuitiarum iactantia quid nobis

Cōſcientia vis a- nimæ quædam.

Memoria ſceleſuū in inferno pœnitētia ē

ſap. 4. & 5

F contulit? Tranſierunt enim omnia illa tanquam vmbra, & tanquam nuncius præcurrens, & tanquam nauis, quæ pertranſit fluctuantem aquam, cuius cum præterierit non eſt veſtigium inuenire, nec ſemitam carinæ illius in fluctibus: aut tanquam auis, quæ tranſuolat in aere, cuius nullum inuenitur argumentum itineris illius: ſed tantum ſonitus alarum verberans leuem ventum, & ſcindens per vim itineris aerem, motis alis tranſuolauit, & poſt hoc nullum ſignum inuenitur itineris illius: aut tanquam ſagitta emiſſa in locum deſtinatum, diuiſus aer continuo in ſe recluſus eſt, vt ignoretur tranſitus illius. Sic & nos nati continuo deſinimus eſſe, & virtutis quidem nullum ſignum oſtendere valuimus: in malignitate noſtra conſumpti ſumus. Talia dixerunt in inferno, qui peccauerunt: quoniam G impij ſpes tanquam lanugo, quæ à vento tollitur, & tanquam ſpuma gracilis, quæ à procella diſpergitur, & tanquam memoria hoſpitis vnius diei prætereūntis.

Quędam attinentia ad ſuperiora. Cap. LXI.

SIc ergo poſt mortem animabus ſceleratorum virorum manere ſupplicia: animabus autem bonorum gaudia ſine fine relinqui ex ſolis fundamentis naturæ ex prælibatis inductum ſit. Et ſi ex ſuperioribus ſuper animarum immortalitate fundati, earum gaudia, & punitiones poſt mortem induximus: quidam tamen animarum concedentes immortalitatem, quadam aſſerta per corpora animarum demigratione, omnem pœnalitatem excludunt, in quibus Pythagoras auctor eſt. In H quo vnam concluſionem poſuerimus horum inſaniæ repugnantem, ſcilicet animarum demigratio continua per corpora, iuxta Pythagoreorum poſitionem, non poteſt ſtare: nec animarum poſt mortem tollit punitionē. Hæc autē vt euidentius comprobentur, attendendum eſt, quòd Pythagoras inter antiquos magnus ſatis Phyloſophus, animæ immortalitatem poſuit: pœnarum tamen inflictionem excluſit, dixit namq; animabus poſt mortem nulla remanere ſupplicia, aut gaudiorū fruitionem, ſed eas continua demigratione per corpora labi dixit, ſcilicet quòd cum hominem mori continget, anima eius egrediens mox alterius hominis corpus intrabit. Eueniebat tamen, vt interdum animæ de humanis corporibus egredientes, in alia humana corpora introirent: interdum autem in volatilium, aquatiliū, I & greſſibilium ſicut eis ſors obtuliſſet. Propter hoc autem Pythagoras frugalitati vitæ nimis ſtuduit, alios ad eam amandam, ac inſectandam admonens. Carnium verò cibos valde deuitandos admonuit. De hoc Seneca Epiſto. lib. 20. Epiſt. 108. Hanc quoque Pythagoricam poſitionem recitat Ouid. Metamor. 15. dicens.

Parcite mortales dapibus temerare nefandis
Corpora, ſunt fruges, ſunt deducentia ramos.
Pondere poma ſuo, tumidaque in vitibus vua.

Addidit quoque Pythagoras aliam inſaniam, ſcilicet animam ſuam in prioribus ſeculis in alijs fuiſſe viris ſcilicet ꝙ anima illa fuerit in Euphorbo milite Troiano. Sic quoque eum fuiſſe mortuum in bello Troiano, K deinde autem quibuſdam factis tranſmutationibus ad eum peruenerit. Hanc poſitionem recitat Ouidius Metamorph. 15. dicens primo non eſſe timendas pœnas inferorum poſt mortem, quoniam nullæ ſunt, ſed iſta ſunt figmenta poetarum incutientium hominibus timorem, cum ait.

O genus attonitum gelidæ formidine mortis,
Quid ſtygia, atq; vmbras q́d numina vana timetis?
Materiem vatum, & falſi pericula mundi,
Morte carent animæ ſemperque priora relicta
Sede nouis habitant domibus, manentque receptæ,
Ipſe ego nam memini Troiani tempore belli,
Panthoides Euphorbus erat, cui pectore quondam,
Hæſit in aduerſo minoris iacula Atridæ.

Pri-

Primus auctor Pythagoras migrationis animarum. Cap. LXII.

NEc huius poſitionis auctor Pythagoras in hac reſolitarius exiſtit. Alios enim huius dementiæ habuit ſectatores, hanc quippe de tranſitu animarum poſitionem Ennius Latinorum poetarum ferè primus tenuit, vt de anima Homeri ſolemniſſimi poetæ Græcorum iactandi aliquatenus daretur facultas. Fuit ſiquidem Homerus excellentiſſimus Græcorum poetarum. Ennius autem, qui in Latinis primò in vrbem Romanam tẽpore Scipionis Africani ductus eſt, fuit de prioribus Latinorum poetis. Vt autem ea, quæ diceret abũdantiori ſoliditate, atque auctoritate tenerentur, animam Homeri, atque Pythagoræ ſe habuiſſe perhibuit, quorum alter inter poetas, alius verò inter Phyloſophos ſui temporis, præcipuè in Phyloſophis Italiæ claruit, Phyloſophorum ſiquidem Italorum Pythagoras origo exiterat: vt ait Auguſt. de Ciuitate Dei. Addidit quoque Pythagoras, iſtam animam prius fuiſſe in Euphorbo. Sed ſecundum enarrationem Perſei non ponitur gradus animæ in Euphorbo, ſed ꝙ fuerit iſta anima in Euphorbo, & poſt eũ nullo interpoſito primo loco, dicitur fuiſſe in Homero, qui Meonides dicitur, ſecundo loco in quodam Cigno, tertio loco in Pythagora phyloſopho Samio, quarto loco in quodam pauone, quinto loco in Ennio poeta dormiẽte in Parnaſijs montibus apud fontem Pegaſeum inter muſas. Satyricus autem Perſeus veritatem rerum acutius ſpeculatus, eius poſitionem improbauit, irridens eam ſatyrarum modo, vt patet in ſexta ſatyra ſua, quæ incipicit: Admouit iam, cum ait.

Cor iubet hoc Enny poſtquam deſtertuit, eſſe
Meonides quintus pauone ex Pythagoreo.

Horum autem Perſianorum verſuum ſenſus eſt, ꝙ Ennius factus eſt Meonides quintus, ideſt, excitatus fuit à ſomno, in quo aduenit ei anima Homeri, & fuit factus Meonides, ideſt Homerus: Dicitur fuiſſe Meonides quintus .i. quintus Homerus: quia fuit quintus ab Homero, recipiendo illã animam, ſ. ꝙ poſt Euphorbũ, in quo animam illam Pythagoras fuiſſe aſſeuerat, fuerit in Homero: in quo tempore, an fuerit facta aliqua ſucceſſio aliorum, non enarratur: ſed dici oportet: dein de ſecundo loco fuit in quodam Cigno, tertio autem loco fuit in Pythagora Phyloſopho Samio, quarto loco in quodam pauone, quinto loco in Ennio poeta. Vnde Meonides quintus, i. quintus ab Homero, q Meonides dicitur, fuit, ſ. ſuſcipiendo animam eius quinto loco. Dicitur etiam pauone ex Pythagoreo, quia Ennius animam Homericam, quam ſe ſuſcepiſſe teſtatus eſt, ex pauone quodam immediatè ſuſcepit, vt patet ex ſuperiori enunciatione. Dicitur autem pauo Pythagoreus, quoniam poſt Pythagoram mox in pauonem anima illius tranſmigrauit, a quo in Ennium deriuata eſt.

Quod opinio Pythagoræ de migratione animæ de corpore in corpus ſit falſa. Cap. LXIII.

NVnc aũt enarratę poſitioni ex parte inſiſtentes, dicendum hanc Pythagoreorum ſiuiam, tollentem animarum gaudia, & dolores, de migratione quadã facta per corpora, inſaniam potius quã phyſicam fore poſitionem: nam animę à corporibus ſeparatæ, alijs corporibus vniri non poſſunt, niſi illis, quæ reliquerunt, vt catholici concedunt, & ſatis hoc induci poterit. Non quidẽ, ꝙ neceſſariũ ſit animas corporibus reuniri, ſed quod non eſt aliqđ inconueniens, nec militat contra naturalia fundamẽta animas corporibus reuniri, quanq̃ phyloſophi reuniendas negant: quia vt dictum eſt, nullam tãtæ virtutis potentiam eſſe exiſtimant, quæ ſufficiat hoc inducere animas tñ poſt mortem alijs corporibus vniri quam eis, in quibus fuerunt, tam catholici, q̃

A phyſici negant. Hoc autem ſatis naturaliter induci poteſt: primò autem probatur animam, quæ in corpore vnius hominis fuerit, non poſſe informare alterius hominis corpus, qui nouiter gigni debeat, vel quomodocunque ſe habeat. Et, vt hoc fortius inductum ſit, concedamus quædam, quæ naturales nullo modo concederent propter eſſe valdè difficilia, ſ. quòd Deus poſſit animam vnius hominis ponere in corpore alterius. Nã licèt Deus poſſit animam, quæ in vno humano corpore fuerit in alio ponere: hoc quidem concederetur diffinitiuè. ſ. ꝙ intra corpus illud ſit, & non extra. Nam ſi de intelligentijs confitemur, & naturales hoc dicunt diffi- B nire intelligentias ſibi locum; tamen non erit in corpore illo vnita formaliter, ad hoc quod det eſſe illi corpori. Multum namque differt intelligentiam, aut ſpiritũ aliquem eſſe in aliquo corpore diffinitiuè, vel formaliter: nam de angelis concedimus, quòd poſſint eſſe in corporibus humanis, vel beſtiarum: eos tamen ibi formaliter eſſe impoſſibile eſt. Quod patet: nam quanquã angelus ſubſtantia ſimplex ſit velut anima humana, cõtinet tamen in ſe totam naturam ſpeciei: ideo non poteſt alicui rei formaliter vniri, vt det illi eſſe: nam dare eſſe formaliter alicui rei, eſt dare eſſe per intrinſecum. Hoc autem non pertinet ad id, quod eſt totaliter ens in actu, quemadmodum angelus. Nam entia, quæ ſunt totaliter in actu, poſſunt deriuare actionem, quæ conſequitur C totalem perfectionem rei; non tamen poſſunt deriuare eſſe. quia hoc ſoli formæ competit, quæ non eſt perfectum eſſe continens, ſed eſt perfectius alterius. Vnde id quod alteri eſſe dat ſecundum Ariſt. 2. de Anima, actus illius eſt, ſed nõ eſt ens in actu, quod autem in actu eſt, alteram rem actuare nequit. Quoniam cum aliqua res actuatur, ſuſcipiens eſſe formaliter, actuans, & quod actuatur faciunt vnum ens ſimpliciter. Non enim manet ſubſiſtens aliquid horum duorum componentium, ſed tertium, quod reſultat; hoc autem modo in omnibus compoſitionibus accipitur tertia ſpecies, ſcilicet, quòd anima, & corpus ſe habent in compoſitione, vt actuans, & actuatum: compoſitione tamen facta non eſt anima ens illud, quod eſt, nec corpus eſt ens, quod ſubſiſtit, ſed homo.

Formaliter eſſe i corpore, & diffinitiuè eſſe i corpore differũ.

Quod aliquod actu exiſtens alteri non poſſit dare eſſe formaliter. Cap. LXIIII.

D SOlida autem ſententia eſt, quòd ea, quæ in actu ſunt, actuare nihil nequeunt dando eſſe in compoſitione. Nam ſi id, quod eſt ens in actu daret eſſe formaliter alteri, neceſſe eſſet, vt compoſitione non reſultaret vnum ens, ſed duo entia: quia illud quod erat ante ens in actu, maneret vnum ens actu ſubſiſtens conuertibile cõtra alia entia. Et cum per illam compoſitionem alterũ ens cauſetur, eſſet illud alterum ens diſtinctum ab ente perfecto, quod ſubſiſtebat antè compoſitionem. Eſſent igitur per compoſitionem duo entia: ſed hoc non poteſt ſtare, quia ipſum quod actuabile erat, & per ſe ſubſiſtere non potens, poneretur tanquam vnum ſubſiſtens per ſe. Si autem fortaſſis aliter hoc ſtatuamus. ſ. vt id, quod erat ens in actu per ſe, & actuabat, & id quod actuabatur, conſtituerent vnum ens in actu ſimpliciter, & perfectum, ſicut anima, & corpus conſtituunt hominem, ne- E ceſſarium tunc eſſet, vt id, quod erat ens in actu, efficiatur non ens in actu perfecto, vt non ſubſiſtat per ſe, ſed ipſum cũ eo, quod actuatur, conſtituant vnum tertium ens in actu, & ſimpliciter. Et ſic iam quando actuaret, non eſſet ens in actu per ſe exiſtens, ſed ſolum eſſet actus, & perfectio alterius tanquam pars, vel perfectio eius, quod fit. Ideo conſtat non poſſe ens in actu alicuĩ actuare, ſed id quod non eſt ens in actu, & eſt actus, dare autẽ alicui eſſe formaliter, eſt informare illud: ideo non poteſt ens in actu dare alteri eſſe formaliter; angelus aũt eſt ens in actu, continens in ſe totam rationem ſpeciei. Eſt ergo impoſſibile, vt alicui corpori humano, vel alicui pecori eſſe det, quamquam intra illud ſit. Apparet autem adhuc amplius manifeſtiſſimis naturæ exemplis: nam anima adueniens corpori nondum anima-

Ens in actu haud actuare poteſt.

to

to dat illi eſſe ſimpliciter,& facit eſſe hominem:tamen ſi homo viuens vniat ſibi corpus non viuens,non dabit eſſe illi corpori, vt ſit ens viuens, quia homo ens in actu eſt,& non actus. Anima autem eſt actus,& non ens in actu,& eſt tanquam perfectio,& pars alicuius:homo autem eſt tanquam totum & nullius perfectiuū. Nam ſi homo eſſe dare poſſet; quando embrio eſt in aluo materno,& diſponibilis ad animæ ſuſceptionem,mater, quæ eſt ens in actu, daret eſſe illi embrioni faciens illud eſſe ens perfectum,ſicut poſtea eſt anima adueniente,ſed non habet completum eſſe embrio,donec anima adueniat,quæ non eſt ens actu, ſed actus,& perfectio, & pars:ideo ſatis apparet, quòd entia in actu non poſſint dare eſſe forma liter alicui, ſed ſolum ens imperfectum, quod tamen eſt actus vel perfectio. De angelo tamen ſatis patet, quòd poſſit eſſe in corpore aliquo tanquam motor illius:nam & dæmones, & angelos ſæpe ſcimus mouere aliqua corpora. De anima autem humana conformiter dicendum eſt, quòd poteſt poni per virtutem diuinam in quolibet corpore, vt ibi ſit diffinitiuè,& fortè vt moueat ſi tantæ potentiæ eſt, vt mouere corpus ipſum ſufficiat. Hoc modo anima humana in lapide,& ligno, aqua, & ferro atque corporibus beſtiarū eſſe poteſt. Nec in hoc aliquod inconueniens eſt. Sic dicunt catholici animas alligatas eſſe igni infernali. Et Gregorius quandam animam in gelu inuenit peccatorum ſuorum cruciatus tolerantem. Phyloſophi quoq; aſſerunt intelligentias cœleſtibus orbibus alligatas eſſe,quod eſt in aliquo loco diffinitiuè, & non formaliter eſſe,idest, dando eſſe formaliter: omnes tamen tam catholici, quam Phyſici negant animam humanam poſſe vniri lapidi dando eſſe humanum, manentibus qualitatib. lapidis,ſcilicet, duritie, & frigiditate, dato quòd perderetur ſubſtantialis forma lapidis. Nam durities lapidis,& frigiditas,& carentia diſtinctionis organorum repugnant harmoniæ, quam anima requirit, vt vniatur alicui ad dandū eſſe, ideo impoſſibile eſt,quod illi vniatur ad dandum eſſe.

Quòd anima humana non poteſt vniri alteri corpori humano niſi ſuo. Cap. LXV.

NVnc autem magis accedentes (licet per quaſdam longas probationes,quoniam ſic natura rei exigit) ad id,quod intendebamus, dicendum eſt, quòd ſicut impoſſibile eſt animam humanā vniri alicui corpori non humano,quia in eo non poteſt reperire harmoniā, quam ipſa requirit,quod ita impoſſibile erit vnam animā humanam alteri corpori humano vniri,ſi in eo non reperit diſpoſitiones harmoniæ ſuæ:ſed in nullo corpore poteſt anima diſpoſitiones harmonicas, quas requirit reperire,niſi in corpore illo,cuius eſt. Impoſſibile eſt ergo, quòd anima exiens de vno corpore humano, in alterum aliquod ad informandum introeat. Quod verò diſpoſitiones harmonicæ, quas anima requirit, eſſe non poſſint niſi in illo corpore, in quo primo fuit, patet,quia illa harmonia,qua anima corpori vnibilis eſt, non reperitur niſi in illo corpore,cui vnita fuerat. Quod inducitur,quia anima recipit eſſe vnam diſtinctam numero contra omnes alias animas ex vnibilitate, quam habet ad materiam ſignatam,cum non recipiat eſſe vnam numero à ſpecie ſua,quia tunc differrent animę humanæ in ſpecie, ſed ſunt omnes in eadem ſpecie; ergo non accipiunt indiuiduationem ex natura ſpeciei, ſed ex vnibilitate ad materiam ſignatam, quæ eſt aliquid extrinſecum. Et quia ſignatio materiæ, quæ eſt in vna materia non ſit in alia,cum duæ partes materiæ ſint inter ſe diſtinctæ:& quælibet partes materiæ ad inuicem differunt,ex quibus ſunt corpora humana,& alia compoſita,neceſſarium eſt, vt altera vnibilitas ſit ad vnam partem materię,& alia ad alterā. Neceſſarium eſt ergo, vt ea,quæ per iſtas vnibilitates eſſe ſuſcipiunt, diuerſa ſint. Non poterit ergo vna anima habere vnibilitatem ad plures partes materiæ, quia tunc ſequeretur, quod vna anima eſſet plures animæ: nam ſi anima ſuſcipit

Ex vnibilitate, quā hēt alia ad materiam alia numero diſtinguitur ab alijs.

F eſſe vnam in ſe per vnibilitatē ad hanc ſignatam materiam,oportet vt ſi alteri materiæ vnibilis fuerit, altera anima ſit: & ſi multis partibus materiæ vnibilis ſit, neceſſarium eſt,vt eadem anima plures animæ ſit. Data autem vnica vnibilitate in qualibet anima, etiamſi ponatur in alio corpore,quàm in eo,cuius erat, non poterit vniri illi: nam nihil vniri poteſt alicui niſi quod ei vnibile eſt, anima autem ſolum eſt vnibilis illi corpori, in quo erat formaliter ad dandum eſſe: ergo in quocunque alio ponatur, eſt impoſſibile, quòd anima illi formaliter vnita ſit ad dandum eſſe, ergo illa anima, quæ in vno corpore fuit, non poteſt tranſire in alterum corpus, vt in illo ſit, & eſſe tribuat.

Ratio ex accidentibus confirmans præcedentem concluſionem. Cap. LXVI.

G HVius autem poterimus exemplari vti poſitione in accidentibus: nam formæ accidentales inter ſe diſtinguuntur. Et accipiunt eſſe vnum per ſubiecta, nam ideo iſta albedo, & illa ſunt duæ albedines, quia ſunt in duobus ſubiectis. Si autem eſſent in eodē ſubiecto,eſſet eadem albedo. Sicut ergo albedo vnius ſubiecti alterius ſubiecti albedo eſſe nequit: quia pereunte ſubſtantia illa, cuius eſt albedo, ipſa albedo deficeret: ita cū anima quęlibet recipiat, quod ſit iſta anima per vnibilitatem ad illud corpus: ſi reciperet, quod eſſet in altero corpore, iam deſineret eſſe iſta anima, quæ erat, & ſic non eſſet iam illa anima, q̄ fuerat, ſed inciperet eſſe alia anima per aliam vnibilitatem, quæ eſt cauſa identitatis,vel diuerſitatis: aut ſi diceremus,quòd iſta anima eſt eadem,quæ habet vnibilitatem ad alterum corpus,cum per nouam vnibilitatem incipiat eſſe anima noua,eſſet vna anima duæ animæ; quod includit contradictionem, ſicut quòd albedo,quæ eſt in vno ſubiecto ſit albedo, quæ eſt in altero ſubiecto, aut vna albedo eſſet duæ albedines. Si quis fortaſſis prædictis reſpondeat, nō eſſe ſimile de indiuiduatione animarum, & indiuiduatione accidentium: quia accidentia tranſmigrare nequeunt,vt quæ in altero ſubiecto fuerint ad alterum tranſeant, quia corrumperentur, in animabus autem non ſequeretur corruptio ad ſeparationem. Reſpondendum eſt, quod quamuis accidentia vnius rei indiuiduata tranſire poſſint, & poni in aliqua alia re, non informarent tamen illam, vt albedo exiſtens in papyro, ſi tolleretur, & poneretur in lapide, non informaret lapidem,nec eſſet albedo lapidis,quia deficeret in lapide ratio ſubiectalitatis, ſcilicet, quod accidentia illa eſſent à lapide,& emanaſſent ab eo. Sicut patet de accidentibus hoſtiæ, quæ, ablata penitus ſubſtantia panis, in aere remanent: aerem tamen non informant, cum non dicamus aerem eſſe album albedine hoſtiæ,nec quantum quantitate hoſtiæ,nec circularem circularitate hoſtiæ. Sic enim de anima noſtra rationali eſt: quanquam enim ipſa a nobis ablata, in aliquo alio corpore poneretur: tamen illud non formaret,ſed eſſet ibi, ſicut dæmones ſunt in ventre quorundam hominum, quos arrepticios appellamus,& eorum,qui habent pythones, ſicut de quadam puella legitur Actu. 16. cap. de cuius ventre Paulus dæmonem pythonem excluſit: dæmones tamen non informant: ſic anima poſita in alio corpore non informaret, nec vegetaret: quia deficit ratio vnibilitatis ad illud corpus, cum non ſit iſta materia ſignata, in qua & ſecundum quam ſuſcepit iſta anima, quòd eſſet vna anima humana. Et ſi hoc modo vna anima poneretur in corpore illo,cuius non fuerat à principio anima: quamuis ibi ſtaret,non eſſet illud corpus viuens,ſed putrefieret ſicut cadauera, exiſtente tamen interius anima rationali: quoniam nihil magis differt illam animam eſſe interius,quam nihil eſſe intra, cum non ſit illius corporis anima. Euidenter ergo contra inſanam Pythagoreorum doctrinam concluſum eſt, vnam animam non poſſe tranſire per diuerſa corpora ad illa informanda.

Si

Si anima Sortis aliud corpus, quàm ſuum informaret, Sortes qui fuit, amplius non poſſet eſſe, nec corpus quod informaretur, diceretur eius, qui fuit.
Cap. LXVII.

EX his autem, quæ contra ineptam Pythagoricam poſitionem arguendo concluſimus, ſequitur, ꝙ ſi poſſibile eſſet in reſurrectione corpora hominum informando animas tranſmigrare, tot eſſent homines, quot ante fuerant, ſed de prioribus nullus ſtaret. Demonſtratum enim in ſuperioribus eſt: animam vnius corporis non poſſe in alterum corpus migrare ad illud informandum. Si tamen detur, quòd Deus poſſet vnam animam alteri corpori, cuius non erat, inducere, & eã illi formaliter vnire, vt puta, quod aĩam Platonis mortui induceret in corpus Socratis, & aĩam Socratis B induceret in corpus Platonis, ſequeretur, ꝙ non eſſent iam illi homines, qui ante fuerant. Huius aũt ratio eſt, quia in cõpoſitis eſſentia accipitur à materia, & forma, cũ vtraq; dicatur pars eſſentialis rei. Cũ ergo eſſẽtia rei cõſiſtat in indiuiſibili, ſi aĩa Socratis inducatur alicui corpori, quod non ſit corpus Socratis, ſed Platonis. Cũ anima non contineat totã eſſentiã rei, ſed materiam & formã, ille qui reſultabit ex anima Socratis, & corpore Platonis, non erit Socrates, quia tunc daremus, ꝙ totus Socrates conſtaret ex aĩa Socratis, & corpus ſuum non eſſet pars eſſentiæ ſuæ, quæ ſunt inconuenientia: ergo iſte homo non erit Socrates. Etiam iſte homo non erit Plato, quia iſte ſolũ continet corpus Platonis. Corpus aũt, quia eſt pars materialis, non continet totã eſſentiã rei, ideo vbi fuerit ſolũ corpus Platonis, non erit Plato. C Eodem modo de illo homine, qui eſt reſultans ex anima Socratis, & corpore Platonis, è contrario q̃ in primo dicendũ eſt: nã ibi ſolum eſt anima Platonis, ergo non eſt Plato, quia anima ſola Platonis non continet totam eſſentiam Platonis. Ibi quoque corpus Socratis ſolum eſt, non ergo Socrates: qm̃ corpus Socratis non continet totam eſſentiam Socratis. Et ſic antea ex his duobus corporibus, & duabus animabus reſultabant Socrates, & Plato: nunc aũt facta huiuſmodi commutatione erunt duo homines, ſed non erunt Socrates & Plato. Sic namque cum anima beati Petri nunc ſit in vita æterna, & anima beati Pauli ſimiliter, poſt reſurrectionem coniuncta anima beati Petri corpori eius, erit beatus Petrus: quæ ante reſurrectionẽ nõ erat, his duobus diſiunctis. D Eodem modo redibit in reſurrectionem beatus Paulus, vt ſit beatus Paulus, cum nunc non ſit beatus Paulus. Si tamen in reſurrectione generali Deus poneret animam, quæ fuit beati Petri in corpore, quod fuit beati Pauli, & animã beati Pauli in corpore, quod fuit beati Petri Apoſtoli, fierent per reſultationem duo homines, qui non eſſent beatus Petrus, nec beatus Paulus: ſed quidam alij duo homines, qui nunquam antè fuerunt, & impoſſibile eſſet, quod exiſterent beatus Petrus, & beatus Paulus, nec erat poſſibile eos aliquatenus reſurgere. Et ſic ſi in generali reſurrectione omnes animæ permutarentur, ita quod nulla anima induceretur corpori, in quo ante informans fuerat: ſuppoſito ergo ꝙ iſtæ animæ poſitæ in alijs corporibus informare poſſent, ſequeretur, ꝙ nullus homo de his, qui ante fuerant reſurgeret, quia nulli conſiſterent ſuæ partes eſſentiales ſ. anima, & corpus. E Eſſent tñ tot homines, quot ante erant, quia tot animæ, & tot corpora eſſent in reſurrectione illa, quot ante fuerãt, & tot vniones animarum & corporum, quot ante fuiſſent: iſti tamen homines non eſſent nouiter geniti tanquam aliquid eſſentiale eorum tunc nouiter eſſe cepiſſet.

Quædam impoſſibilia penès ſuperiora.
Cap. LXVIII.

CEterum autem in præaſſumpta poſitione Pythagorica, quam Ouidius 15. Metamorph. recitat, continebatur, ſe fuiſſe Euphorbum militem in bello Troiano: quòd etiam animæ continua demigratione A per corpora tranſeant, & quòd cùm quis comedat carnes pecorum, cõtinget interdum, quod comedat carnes patris ſui, & ꝙ eum occidat: idem autẽ de carnibus matris, & fratrum cæterorumque propinquorum. Hæc.n. vniuerſaliter negãda ſunt: nulli quipp eorum aliquid rationabile ſubeſt: quin potius omnia hæc impoſſibilia ſunt rationi, & toti naturali philoſophiæ repugnantia, atque quibuſcunque apparentibus fundamentis. Quod autem in his primum dicebatur difficilius elidi, erat. ſ. ꝙ anima per varia corpora demigrare poſſet, non enim videbantur ſic manifeſta inconuenientia, ad hanc poſitionem, ſicut ad ceteras particulas, de quibus infra dicetur. Hæc autem in ſuprapoſitis improbata eſt, ſed adhuc hoc idem patere poteſt: quoniam anima recipit, ꝙ ſit vna per vnibilitatem ad corpus, in quo primo eſt. B Si autem deberet in alterum corpus tranſire, cum illud ſit altera materia ſignata, neceſſe eſſet, vt iſta anima haberet aliam vnibilitatem, cum variatis terminis, vel altero terminorum, & relationes neceſſe eſſet multiplicari, ſiue variari per ipſum reſpectum, vel relationem, quæ recipit eſſe ab eis: ſed iſta anima recepit indiuiduationem, ſcilicet, quod ſit iſta anima per hanc vnibilitatẽ: ergo neceſſe eſt, vt recipiat aliam indiuiduationem per aliam vnibilitatem. Sed duæ indiuiduationes faciunt duo indiuidua: ſicut duæ humanitates particulares faciunt duos homines: ergo iſta anima erit duæ animæ, quod includit contradictionem. Anima ergo quæ fuit Euphorbi militis in bello Troiano perempti, non fuit anima Pythagoræ, nec Homeri, nec Ennij poetæ, ideo Perſeus poeta Satyricus, qui acutius hanc veritatem cõ C templatus eſt, irriſit poſitionem Ennij, & Pythagoræ in hac re, in ſatyra quarta. Amplius autem ſi vna anima tranſiret in corpus, quod prius non informauerat, cum habitus ſpeculatiuus, & factiuus, atque practicus ſint in intellectu, & habitus virtuoſi in voluntate, & intellectus, ac voluntas maneant, & iſti habitus ſibi radicaliter inhæſerunt: neceſſe erat, vt cum anima tranſiret in alterum corpus, iſti habitus comitarentur tranſeuntem ad alterum corpus. Quòd ſi quiſquam obiecerit, habitus morales non poni in anima rationali, ſed in parte affectiua, quanquã in præſenti non ſit de hoc ſpeculandũ, ſaltem habitus intellectiui practici, & factiui, atq; ſpeculatiui manebunt, per quos habens illos intelligeret, & non oporteret, vt quilibet homo ad hoc, quòd ſciret, addiſceret, ſed aliqui docti naſcerẽtur. Cum enim D intellectus ſit principium intelligendi, ſic intelliget, vt eſt diſpoſitus, vel habituatus: ſed in iſta anima manent habitus tam ſpeculatiui, quam practici, ergo ſecũdum eos poſtea intelliget. Plato autem quanquam non tenuerit Pythagoricam poſitionem, poterat tamen in hoc reſpondere ſecundum ſuam poſitionem, ꝙ anima priuſquam corpori vniatur, omnia naturalia intelligat, quæ ipſam cognoſcere poſſibile eſt in corpore exiſtentem quantumcunque perficiatur, ſed in vnione ad corpus propter imperfectionem materiæ obliuiſcitur omniũ, quæ ſciuerat: ſed poſtea per doctrinam excitatur illa cognitio, quæ ante fuerat, & ſic noſtra ſcientia, quæ nũc acquiritur, nihil aliud eſt niſi reminiſcentia eorum, quę obliti ſumus ſecundum Platonem. Hæc tangit Boetius de conſolatione lib. 3. Metro 11. cum ait:

Si daretur opin. Pythagoræ aliqui naſcerentur docti.

E
Quiſquis profunda mente veſtigat verum
Cupitq; nullis deuijs falli.
In ſe reuoluat intimi lucem viſus,
Longosq; in orbem cogat inflectens motus
Animumq; doceat quidquid extra mouetur,
Suis retruſum poſſidere theſauris.
Dudum, quod atra texit erroris nubes
Nitebit ipſo perſpicatius Phœbo.
Non omne namque mente depulit lumen
Obliuioſam corpus inuehens molem.
Hæret profectò ſemen introrſum veri
Quod excitatur ventilante doctrina.
Nam cur rogati ſponte recta cenſetis.
Hic merſus alto viueret corde fomes.

Quod

Quod ſi Platonis muſa perſonat verum,
Quod quiſque dicit, immemor recordatur.

Hunc Platonicæ poſitionis modum ad reſpondendum videtur ſecutus Pythagoras dicens, quod anima exiens de corpore vnius, & intrans corpus alterius obliuiſcebatur ſui: ideo neſciebat cuius anima fuerat. Ipſe autem dicit ſe cognouiſſe, quod anima ſua fuerit anima Euphorbi militis Troiani per ieiunia multa, ſ. quia organa ſic diſponebat, vt intellectus ei⁹ ad actũ ſuũ præindigens purus eſſet, & intelligere poſſet quidquid vellet.

Quod Platonis data reſponſio ſit falſa. Cap. LXIX.

PLatonica autem, aut Pythagorica in hac parte reſpõſio nullis innititur fulcimẽtis: falſa enim manifeſtè eſt. Nam cum in anima imprimãtur habitus practici, & ſpeculatiui, & factiui: & anima tranſeat in alterum corpus, G dato, quod propter indiſpoſitionem organorũ adhuc multum tenerorum non poſſit homo per illos habitus intelligere, ſed cum temporis tractu, & ciborum conuenientia deducantur organa ad talem diſpoſitionem, vt intellectus poſſit eis vti, conuenienter incipiet intelligere perfectè ſecundum illum habitum, & non indigebit, vt poſtea doceatur: ſed videmus nullum eſſe hominem, qui ad ſciendum non indigeat doctrina, ſaltem vt declarentur ei termini, qui nullo modo conuenienter, & perfectè ab intellectu apprehendi poſſunt, niſi prius doceatur quantumcunque intellectus acutiſſimus ſit: qm̃ termini ad ſignificandum ad placitum poſiti ſunt. H Cognitis autem terminis artis alicuius, aliquis intellectus propter magnum lumen ſuum, poterit ſe deducere in cognitionem perfectam artis illius, vel multorum, quæ in illa arte ſunt. Sed in hominibus nullum vnquam vidimus, aut legimus, qui non egeat magiſtro quantum ad aliquid, ſcilicet quantum ad terminos artis ſaltem: ergo nullius anima tranſit in alterum. Patet conſequentia, quia cum ille, qui habet habitum ſcientiæ practicæ, vel ſpeculatiuæ, non ſolum cognoſcit concluſiones, ſed etiam terminos artis: immo magis terminos, & principia quam concluſiones, vt ait Ariſt. primo Poſteriorum. Cum ille, qui iſtam animam ſuſcepit, incipiat, tempore quo impedimẽtum organorum ablatum eſt, intelligere, & ſecundum habitum illum non ſolum cognoſceret concluſiones, ſed etiã intelligeret terminos. ergo non indiget magiſtro ad aliquid, I ſed per ſe ſolum intelliget totum, quod alius intelligebat, cuius iſta anima primo fuit. Hanc opinionem tenuit Ennius poeta, qui vt ſe Poetarum iactaret egregiũ, animam Homeri ſe ſuſcepiſſe perhibuit, qui fuit excellentiſſimus inter Græcos poetas, vt ex hoc pateret eum ſcire, quæcunque Homerus cognouiſſet. Hoc autem amplius manifeſtatur, quia Plato non dicit in coniunctione animæ ad corpus totaliter abradi ſcientiam, ſed impediri mole carnis animam, ne intelligat ea, quæ antè intelligebat. Et Pythagoras etiam dicit per ieiunia poſſe recuperari ſcientiam, quæ fuit prius in eo, qui viuebat per illam animam. Eſt ergo ſic habitus impeditus, & non abolitus. Sicut ergo eſt in naturalibus, quod cum aliqua res habeat virtutem ad aliquid operandũ, K & prohibeatur ab aliquo agente: non oportet quod ad hoc, vt res illa agat, iuuetur ab aliquo agente augente potentiam, ſed ſolum quod tollatur prohibens agere. Vt ſi lapis ſua grauitate tractus deſcendere ad ima poteſt, & ponatur aliquid, in quo teneatur, ne deſcendat, ad hoc quod exerceat actum ſuum, ſcilicet, quod deſcendat, non oportet quod ab aliquo adiuuetur impellente eum deorſum: ſed ꝙ ſolum tollatur illud, quod prohibeat actionem. Sic etiam patet in habitibus ſciẽtificis. Si enim aliquis ſit Geometra, vel Phyſicus, ſecundũ habitum, & poſtea efficiatur ebrius, vel ſomno oppreſſus, vel incurrat inſaniam, aut epilepſiam, vel ſimiles paſſiones, in quibus vetatur totaliter actus intellectus: non poteſt ille ſic ſe habere, licet habitum habeat, & intelligat, quia non ſunt diſpoſita organa: cum tamen F deuenerit ad congruam diſpoſitionem organorum, incipiet intelligere perfectè ſecundum habitum, quem ante habebat, ideoque non indigebit aliquomodo doctore; ſed nullus eſt, qui non indigeat doctore, modo quo ſupra dictum eſt: ergo non tranſit vna anima de vno corpore in aliud,

Oẽs indigent præceptore.

Inſania Pythagoræ, quòd fuerit miles Euphorbus in bello Troiano interfectus à Rege Menelao. Cap. LXX.

PRædictis aũt aliam Pythagoras inſaniam ſuperaddit. ſ. ꝙ ipſe fuerit miles Euphorbus in bello Troiano interemptus à rege Menelao: ſed hæc erat poſitionis ſuæ cõfirmatio. Sicut ergo poſitio incõuenienter aſſignata erat, ita & hoc falſum eſt. ſ. ꝙ nunquam aĩa ſua fuit in Euphorbo, vel Homero, nec in Pauone, vel Cigno, G aut aliquo hominum. Eædem quoq; rõnes militãt contra iſtud exemplũ, quæ militabant contra principalem poſitionem. Amplius aũt & Pythagoras addidit, ꝙ aĩa exiens de corpore humano interdum ingrediebatur in corpora hominum, interdũ verò in corpora beſtiarũ, ſicut reperiret diſpoſitionem in corporibus ad ingrediendũ in illa, & vt formæ capacia eſſent. Contra hoc dictum militant oĩa argumenta facta contra ſuperiorem poſitionẽ eiuſdẽ: nam ſi vnius hominis aĩam in corpus alterius tranſire impoſſibile erat, à fortiori eſſet impoſſibile tranſire in corpora beſtiarũ: pluræ namque ad huius tranſitum inconuenientiæ conſequuntur. Adhuc tñ præter inconuenientias poſitas ſequuntur aliæ H inconuenientiæ ad iſtam poſitionẽ. ſ. ſi dicamus aĩas humanas ingredi in corpora beſtiarũ. Primò, quia oĩs forma requirit debitas diſpoſitiones ĩ materia, in qua debet ſuſcipi: diſpoſitiones tñ corporis humani, & corporum beſtiarum non ſunt eædem: ergo anima humana nunꝗ põt recipi in corporibus beſtiarũ. Patet hoc, quia ad hoc, ꝙ aliqua forma recipiatur in materia ſicut aĩa in corpore, requiritur in corpore debita magnitudo: nã ſi ponatur aliqua pars materiæ tãta, ſicut vnus digitus, vel vna manus, non poterit ibi recipi anima humana, dato ꝙ poſsẽt fieri organa parua & delicata, cũ ſit magna organorum pluralitas & paruitas materiæ, nõ poterit ergo aĩa humana vegetare illud corpus, quia tam parua organa non poſſunt eſſe conuenientia ad explendas organicas operationes aĩæ conuenientes, vt vegetet I corpus. Anima tñ, vt vniatur corpori, neceſſe eſt, vt corpus tale ſit, in quo operari poſſit: quia aĩa vnitur corpori non ſolũ ſicut forma materiæ, ſed ẽt vt motor mobili, & finis ei, quod eſt ad finẽ, iuxta Ariſt. 3. de Anima, Motor tamen requirit organa determinata in magnitudine, & figura per quæ agat. Etiãſi detur aliqua pars materiæ tanta ſicut vna magna turris, illa non poterit vegetari ab aliqua anima humana: quia non eſt tantarum virium, vt complere poſſit operationes requiſitas ad ſanitatem, & bonam habitudinem tanti corporis, ſed eſt dare certam periodum magnitudinis in qualibet ſpecie ad hoc, quòd informetur materia per formam illius ſpeciei, & ſic eſt de rebus cuiuſcunque ſpeciei, quæ requirunt debitam magnitudinem. Et K propter hoc diuerſæ res habent diuerſas magnitudines in rebus naturæ, ſcilicet in indiuiduis ſuis, & res vnius ſpeciei non perueniunt ad magnitudinem conuenientem alteri ſpeciei. De hoc Ariſt. 2. de Anima, ſcilicet de vegetatiua, & nutritiua potentia ait: Omnium natura conſtantium poſitus eſt numerus magnitudinis, & augmenti. Requiritur etiam ad introductionem animæ, vel alterius formæ in materia debita figuratio, ſiue organizatio, ſicut videmus in fœtu humano, & aliorum animalium, & in ipſis arboribus: nulla namque arbor ſic figurari poteſt, vt homo, aut ſicut capra, aut aliæ res naturales, quia nõ poſſet fieri digeſtio ſufficiẽs, ſi eſſent arbores in parte ſuperiori groſſiores, quã in trunco, qui eſt locus digeſtionis in ipſis. Requiruntur ẽt ad hoc, ꝙ forma recipi poſſit in materia, debitæ qualitates: nam aliæ qualitates ſunt in ma-

Aĩa hũa nõ migrat in beſtiarum corpora.

Aĩa quo corpori vniatur.

teria

tetia cũ introducitur forma humana, quã cũ introducitur forma equina, vel caprina.ſ. alia teneritudo requiritur, & alius gradus caliditatis, aut frigiditatis, & ſic de ceteris. Iſta aũt non ſunt eadem in omnibus naturalibus rebus: imò nec in omnibus animalibus, nec ſunt ſic in vno animali, ſicut in alio, ſi reſpiciantur diligenter: quia vel in ſuperficie corporum, in figuratione membrorum, vel intra cutem, in diuerſa anatomia diuiſionis corporum ſemper reperiretur aliqua diuerſitas.

Nunquid diuerſitas quantitatis, & organizationis ſint ſecundum numerum ad introductionem formæ.
Cap. LXXI.

NVnc autem his præpoſitis, quæ præmitti neceſſarium fuit, quæritur an iſta diuerſitas quantitatis, & organizationis, & ceterarum rerũ ſit neceſſaria ſecundum numerum ad introductionẽ formæ, aut non. Si aũt dicas, ꝙ ſic; habetur intentum, ſ. ꝙ cum in beſtijs non ſit talis diſpoſitio, qualis eſt in corpore humano, non poterit ibi introduci forma humana, ſ. anima, & ſic ceſſabit dictum Pythagoræ. Si autem dicas, ꝙ non ſunt neceſſariæ iſtæ diſpoſitiones; ſequetur, quod natura fruſtra operatur in faciendo, conſtat namq; quòd plus laborabit natura faciendo diſpoſitiones, & organizationes, & quantitatiuas dimenſiones, quæ ſunt in corpore humano, cum plures ſint, & ſubtiliores, ꝙ̃ faciendo diſpoſitiones, & organizationes in corpore vnius vermis, vel colubri. Si ergo non ſunt magis neceſſariæ ad introductionem formæ ſubſtantialis iſtę diſpoſitiones quàm illæ, ſuperuacuus labor naturæ eſt: quod nullo modo concedendum eſt, cum entia naturalia ſint ordinatiſſima, iuxta Ariſtotelẽ in fine 12. Metaphyſic. Itẽ patet iſtas diſpoſitiones, & dimenſiones varias, neceſſarias eſſe; quia animæ hominum, & beſtiarum habẽt diuerſas virtutes operatiuas: & quia operationes vegetatiuæ, & ſenſitiuæ præſupponunt organa, ergo ſecundum numerum virtutum operatiuarum, requiritur numerus potentiarum, & diuerſorum organorum, ergo non debent eſſe tales diſpoſitiones organicæ, vel dimenſiones pro animabus brutorum, ſicut pro anima humana. Quia ſi aliqua anima habẽs multas potentias vniatur corpori habenti pauca organa: non poterit exercere omnes operationes ſuas; ideo non poterit teneri colligata illi corpori. Item ſi non eſſet neceſſaria iſta organorum multiplicitas, & lineamentorum ad introductionem animæ, ſed poſſet introire in corpus aliarum diſpoſitionum, ſicut eſt corpus cuiuslibet beſtiæ: ita poſſet introire in corpus valde diſſimilium diſpoſitionum, ſicut ſunt corpora lapidum, & arborum, & aliorum entium naturalium. Sed hoc valde magnũ inconueniens eſt, vt anima humana informet materiã lapidis manentem ſub illa figuratione, & denſitate, atque frigiditate: nullus quoque hoc concederet, tanquã valde abſurdum; ergo nec tranſeunt in corpora beſtiarum. Item ſi animæ humanæ ex eo, quod non requirunt determinatas diſpoſitiones, vt dicitur, poſſunt trãſire in corpora beſtiarum: ergo animæ beſtiarum conſequenter non requirentes debitas diſpoſitiones poterunt gigni in corporibus humanis: & ſic aliquæ forent beſtiæ habentes corpora humana, quod abſurdum valde eſt. Si ergo hoc non conceditur, nec alterum concedi debet quia æqualis cauſa eſt abſurditatis. Item hoc impoſſibile eſt: quia operatio cuiuslibet rei eſt ſecundum formam, quam habet, quia forma eſt principium totius operationis, & actionis, ſicut materia eſt principium omnis paſſiuæ mutationis. Sic enim ait Ariſt. 3. Phyſic. ſicut operatio dat cognoſcere formam, ſic tranſmutatio dat cognoſcere materiam: cum ergo varientur actiones, neceſſe eſt formas variatas eſſe. Si ergo in corpora beſtiarum aliquando tranſirẽt animæ humanæ, neceſſe eſſet, vt corpora beſtiarum haberent eandem actionem, quam homines habent, ſcilicet, vt intelligerent, & vellent, & facerent cetera in hunc modum, quæ pertinent ad prudẽtiam, & actiones humanas; ſed

Forma ẽ totius operationis principium.

nulla beſtia eſt, quæ habeat actus humanos, nec vnquã viſa eſt: ergo nunquam aĩa alicuius hominis intrauit in corpora beſtiarum. Nec valet ſi dicas quaſdam beſtias habere prudentiam, vt ſunt vulpes, & taxones, vel caſtores, & ſimiæ, vt communiter dicitur: quia videntur habere actus quoſdam ſimiles omnibus actibus humanis: ſed de his dicit Ariſtot. Ethic. lib. 6. ꝙ non propriè habent vim prudentiæ, quæ eſt iudicatiua de bonis, & malis agibilibus, ſed quandam potentiam prouiſiuam ad vitam, quę eſt quædam naturæ ſolertia. Sed ob hoc; quòd ſimiæ in quadam figuratione vultus, & in quibuſdam cautelis humanam prudentiam, & figuram imitãtur, poetica licentia occaſionẽ habuit dicendi, eas olim magnos hominum populos fuiſſe, poſtea verò à Ioue in ſimias conuerſos retenta prioris naturæ quadam leui ſaltem effigie, de quibus Ouidius Metamorph. lib. 7. Amplius aũt ſolidius inferuntur, quæ dicta ſunt, ſcilicet, quòd nunquam tranſeant animæ in corpora beſtiarum: nã licet in compoſitis eſſentia accipiatur à materia, & forma: ipſa tñ forma eſt, quæ dat eſſe materiæ, & determinat eam ad certam ſpeciem, actuando eam. Secundum ergo varietatem formarum ita ſunt varietates ſpecierum: ſed aĩa humana eſt quędam forma ſpecifica differens ab alijs formis ſpecificis, ergo ipſa dabit corpori, in quo fuerit eſſe ſm̃ ſuam ſpeciem: neceſſe eſt ergo, quòd vbicumque anima rationalis formaliter vnita fuerit, quòd ſit illud. Si ergo anima humana exiẽs de corpore humano introierit in corpus beſtiæ organizatum, & diſpoſitum ad recipiendum formam, neceſſe eſt, vt recipiat eſſe humanum, & iam non erit beſtia illud compoſitum, & tunc falſum erit, quòd animæ humanæ ſunt in beſtijs, ſed in hominibus: hoc tamen eſt impoſſibile. ſ. ꝙ aliqua beſtia ſit homo: ergo impoſſibile eſt animam humanam intrare in corpora beſtiarum.

Pythagorica alia poſitio. ſcilicet, quòd ſi quis comederet pecorum carnes, poſſet ibi comedere carnes patris ſui, aut aliorum propinquorum.
Cap. LXXII.

AMplius autẽ in hac Pythagorica poſitione aliud dictum eſt ſcilicet, quòd ſi quis comederet carnes pecorum, poſſet ibi comedere carnes patris ſui, vel matris, aut aliorum propinquorum. Ob hoc autem introducere conabatur frugalitatem, dicens, vitandi nimis eſſe carnium comeſtionem. Hæc autem ſubſiſtere nequeunt: omnia enim ſupra inducta contra hoc militãt. Nam hic præſupponitur, quòd anima patris mei, vel matris tranſire poſſet in corpus beſtiæ, & hoc ſupra improbatum eſt. Sed præter rationes illas, aliæ autem adhuc ſunt, ſcilicet, quòd non poſſint eſſe carnes huius pecoris carnes alicuius hominis, ideo nemo ſic comedendo comedet carnem patris, vel matris. Dato quippe animam humanam poſſe intrare in corpora beſtiarum, & informare ea. Tamen ſicut ſupra dicebamus, ſi Deus poneret animam beati Petri in corpore, quod ante fuit beati Pauli, & animam beati Pauli in corpore, quod ante fuit beati Petri: iam nullus eorum eſſet Petrus, aut Paulus, ſed eſſent duo homines nouiter formati, qui nunquam ante extitiſſent. Ita ſi hic anima alicuius viri poneretur in corpore alicuius beſtiæ, & informaret illud, atque inde reſultaret compoſitum, quod eſſet homo: non eſſet ille, cuius anima ibi erat. Nam anima non complet totam eſſentiam in compoſitis, ſed anima & corpus, ibi tamen ſola anima viri prioris eſt: ergo non eſt ibi vir prior, qui fuerat pater alterius, & cõſequenter nec carnes eius. Sed adhuc dato, quòd anima compleret totam eſſentiam rei, ſcilicet, quòd vbicumq; eſſet anima ibidem etiam eſſet homo, cuius erat aĩa illa, non ſequeretur hoc: nam darẽtur tunc, ex eo, quòd anima alicuius viri mortui introiuit corpus alicuius beſtiæ, quòd illud compoſitum reſultans ex anima humana & corpore illius beſtiæ, eſſet vir, qui ante fuerat. Et tũc ſi vir, qui ante fuerat, fuit pater aliquorum, etiam diceretur, quòd illud compoſitum

tale

tale ſi pater illorum genitorum: & tamen ſi aliquis de filijs viri prioris comedat de carnibus illius corporis, in quo eſt anima patris ſui, q̄q̄ illud compoſitum ſit pater ſuus, tñ non comedit de carnibus patris ſui: quia carnes patris ſui, de quibus iſte filius deciſus eſt, corruptæ ſunt recedente aīa, & iſtæ in quibus nunc anima eſt, non ſunt carnes patris ſui, ſed carnes alicuius beſtialis corporis: nam recedente anima patris ſui ab iſto beſtiali corpore, nihil remanebit ibi, quod ad patrem ſuū pertineret. Si tamen aliquis occideret illud compoſitum reſultans ex anima patris ſui & corpore beſtiali, in quo erat, occideret patrem ſuum. quoniam ex hypotheſi data anima patris ſui ibi exiſtens faciebat, quòd illud compoſitū eſſet quod alias fuerat pater aliquorū hominum. Poſtquam tamen occidiſſet illum patrem ſuum, & comediſſet carnes, non comedebat carnes patris ſui, quia iam ibi nihil de patre ſuo manebat. G Ex prædictis ergo ſatis neceſſarijs illationibus concluſum videtur, quod poſitio Pythagorica circa animarum demigrationem per corpora prorſus erronea ſit.

Quod gaudent, vel triſtantur animæ locus aſſignandus ſit, in quo vel perpetuo gaudeat, vel perpetuo triſtetur. Cap. LXXIII.

NVnc autem varijs erroribus extirpatis, quæ noſtrā de tribus receptaculis animarum inquiſitionem excludebant: quibuſdam enim quoniam aīas ipſas nō manentes poſt mortem: alijs autem, quia animabus datis immortalibus earum lætitiam, & pœnalitates per quaſdam tranſmigrationes excludebant: H particularius ad inquiſitionem noſtram accedentes, dicemus, q̄ animabus poſt mortem in aliqua lætitia, aut pœnalitate permanentibus, neceſſe eſt aliqua eſſe loca aſſignata, in quibus hæc, quæ eis congruunt, aut tolerent, aut ſuſcipiant. Pro quo ſit vna cōcluſio: delectationibus gaudentes, vel ſupplicia ſubituras animas corpore ſolutas, oportet aliquibus locis eſſe immanſuras, id eſt, q̄ neceſſarium eſt animas poſt mortem eſſe in aliquibus locis ad tolerāda ſupplicia pro peccatis, vel vt gaudijs perfruantur. Nec enim mihi in hac partē repetendum eſt, an animæ ſecundum naturalia fundamenta pęnas poſt mortem, aut gaudia ſuſcipere debeant: cum hoc in ſuperioribus lucide comprobatum fuerit: ſed ſolum inducendum eſt, qualiter in aliquibus locis immanſuræ ſint. I Quod ſatis patet: animas poſt corporum mortem permanere ſupra conceſſum eſt, & ab omnibus Phyloſophis partim probatum, & partim præſuppoſitum eſt: ergo cum ipſę infinitæ non ſint, ita vt in omni loco ſint, vt catholici de Deo confitentur: neceſſe eſt, vt alicubi ſint. Nec in hoc dicendum eſt eas proprie eſſe in loco, cum ſolis corporibus proprie locari conueniat per quantitatem ſuam, quæ in animabus nullatenus eſt: ſed dicimus animas eſſe diffinitiuè in locis, ſ. quod diffiniunt ſibi aliquas partes mundi, in quibus ſint: non quod ibi proprie ſint, ſed quòd ita ibi ſint, q̄ in nullo alio loco ſint, & ſic homine viuente dicimus animam in corpore eſſe: nec tñ corpus replere, aut ibi ſecundum leges locorum eſſe, ibi tñ eſſe. Ita igitur poſt reſolutum morte corpus, anima ſtare poterit in aliquibus alijs locis diffiniendo ſibi illa loca & non alia. K

Diffinitiue eſſe in loco.

Dubium de loco animarū poſt mortem.

Hucuſque naturaliter inductum eſt: ſed an animæ poſt mortem ſint in cælo, vel in terra, aut in viſceribus terræ, vel in diuerſis aeris partibus, patere ſufficiēter naturali inductiuo nequit, ſed aſſumptis fidei fundamentis hæc habentur. Satis aūt rationabiliter dici deberet, & nullius fidei exiſtentę poſitione, quòd animæ illæ, quę in virtutibus, & actibus bonis ſtudentes a corporibus diſceſſere, in loco excellenti eſſe debeant, ſicut in cælo, cum probauerimus eas in æternum nulla data interpollatione gaudere debere, & animæ, quæ ſceleribus implicitæ corporum reliquerunt incolatum, videtur debere in locis triſtibus eſſe. Sed hæ quidem ſuaſoriæ rationes ſunt, neceſſitas autem demonſtrationis in his nulla eſt. Hoc namque præſupponit aliquem eſſe iudicem diſtributorem pœnarum, & gaudiorū pro ſceleribus, aut ſtudioſis operationibus. De quo apud eos, qui ſola naturali ratione ſpeculantur, nullo fidei illuſtrati fulgore, ſatis magnum dubium eſt. Nobis autem, quibus ex immenſa Dei noſtri dignatione in fine ſeculorum, incarnato verbo Dei occultorum veritas patefacta eſt, hæc clarius luce conſtant.

Quædam attinentia ad ſuperiora. Cap. LXXIIII.

NVnc autem, vt condecet ab exordio, vt valemus, auſpicantes quid antiqui, (etſi non rectè per omnia) ſenſerint: quoniam hoc eorum excedebat vires, ex parte perſcrutari operæ precium eſt. His enim noua gaudent ingenia, quæ ſeculorum vetuſtate iam pene abolita ſunt. G Plato autem, etſi per omnia Pythagoricus non extiterit, Pythagoreorum tamen poſitionem in quibuſdam imitatus eſt, dicens, animas humanas in compatibus fuiſſe aſtris, & inde in corpora deriuatas in quandam quaſi pœnam: poſt exitum autem à corporibus morte ſolutis, iterum ad aſtra conuerti: rurſus verò in alia corpora redeunt: ita vt in eis ſit infinita circulatio. De his Auguſt. de ciuit. Dei libr. 19. de hoc Boetius de Conſolat. lib. 3. Metro 9. vbi per omnia Platonicus eſt: cum de anima Mundi tetigiſſet, animas quoque humanas intactas eſſe noluit, dicens.

Quid de aīa ſenſerit Plato

Tu cauſis paribus animas vitaſq; minores
Prouehis, & leuibus ſublimes curribus aptans,
In cælum, terramq; ſeris, quas lege benigna
Ad te conuerſas reduci facis igne reuerti. H

Boetius enim hic humanas animas vocauit animas, & vitas minores: animas. n. ab animando dixit, quoniā animæ animent, id eſt, informant, dantes eſſe ſubſtātiale. Aut animæ vocantur, quod ſecundum Græcam originem ventus fuit. Animam namque primi, atque rudis ſæculi viri aerem inſpiratum, & reſpiratum putauerunt: ſatis leui coniicientes argumento, quod ſola viuentia inſpirare, & reſpirare videant. Vnde ei congruum ad hoc a vento nomen impoſuerunt: de quo in prælibatis tactum eſt. Vocat etiam animas humanas vitas minores. eſt enim generale omni animæ, quod vita ſit: nō quidem formaliter, ſed eſſentialiter: nam ſi formaliter anima vita eſſet, vbicumque eſſet, viuens illud eſſet, anima tamen in corpore aliquo eſſe poterit, & non viuificauit. I Vt ſi ingrediatur aliqua anima in corpus humanum, quod iam tabefactum, ac plenè reſolutum eſt, illud viuificare nequibit, etiamſi interius ſit, atque illud localiter moueret. Quin potius, etſi anima à corpore ſemel egreſſa, rupta ſemel illa formali, atque vitali vnione in illud ſtatim redire permittatur, viuificare non poterit. Nam & propter hoc anima a corpore egreſſa, quia illud ſic diſpoſitum viuificare nequibat: imo etſi anima aliqua introeat corpus nouiter organizatū, & ad animationem diſpoſitum, niſi ab aliquo formaliter vnita fuerit, corpus nihil magis viuens erit, quàm ſi anima nulla in eo eſſet. Horum autem cauſæ naturales fortaſſis alibi exponentur. Eſt igitur anima vita, nō quidem formalis, ſed ipſa formalis vita, qua animal quodlibet viuit; K & habet eſſe participatum corpori ſecundum ſpeciem ab anima: illo autem eſſe participato manente per continuum influxum animæ res viuit. Illo verò adempto animal moritur: anima autem vita eſt, ſed eſſentialis, quoniam eſt quædam eſſentia, vel natura, cuius formalis actus eſt dare eſſe, & illud eſſe ab ea participatum vita eſt. Hoc autem omni animæ conuenit, vt vita ſit, quare animam humanam vitam eſſe neceſſe eſt, ſed eam vitam minorem Boetius appellauit, quod quidem conferendo ad aīam mundi dictum eſt. Aīam. n. mundi Platonico more Boetius poſuerat eodē metro, cum ait:

Aīa ē formalis vita.

Aīa hoīs vita minor dicitur.

Tu triplicis mediam naturæ cuncta mouentem
Connectens animam, per conſona membra reſoluis:
Quæ cum ſecta duos motum glomerauit in orbem.

In

In ſemet reditura meat, mentemq́ profundam
Circuit, & ſimili conuertit imagine cœlum,

De hac autem nobis, ſi per ſingula enucleandum fo
ret, grãdis, & inextimabilis, & fortaſſis præſenti inqui-
ſitioni prouincia eſſet. Hanc autem cum ad animam ho
minis contuleris, neceſſe eſt, vt maiorem animam aſſe-
ras. Nam anima maior dicitur, quoniam maioris perfe-
ctionis eſſentialis eſt, quod de anima mundi ad animã
humanam ſatis cõſtat. Differunt enim per ſpeciem, ſed
duæ ſpecies nunquã ſunt æqualis perfectionis ſubſtan-
tialis, quoniam eſt impoſſibile perfectam includere cõ-
tradictionem, ſicut duos numeros eſſe æquales. De ſpe-
ciebus namque ait Ariſt. 10. Metaph. Species ſunt ſicut
numeri. Quod autem differant, ex Platonica poſitione
innoteſcit. Dicit enim tres eſſe ſpirituũ naturas, quarũ
Tres ſunt ſpirituũ naturæ. primam in ſeparatis, abſolutisque ſubſtantijs poſuit:
ſecundam verò animam mundi dixit: tertiam autem in
hominibus, & dæmonibus poſuit, cum ait Boetius.

Tu triplicis mediam naturæ cuncta mouentem
Connectens animam,

Vocauit enim animam cuncta mouentem ipſam ani
mam mundi, quam dixit eſſe mediam triplicis naturæ.
Anima ergo humana, quæ tertia eſt, & extrema in natu
ra ſpirituum, minor erit in ſubſtantiali perfectione. Vi-
ta ergo minor appellabitur. Appellat quoque eam vi-
tam minorem ab efficacia. Nam cum anima non ſolum
ſit forma, ſed etiam motor, & finis iuxta ſententiam A-
riſtot. noſtri 3. de Anima: ea, quæ plures operationes in
corpore habuerit, magis habet de ratione motoris. Ani
ma autem mundi potiſſimas habet operationes, ipſa
namque totam vniuerſitatis mundi molem mouet. Di-
xit enim Plato, omnia elementa, & elementata, & ipſa
cæleſtia corpora viuificari hac anima mundi: imò totã
rerum vniuerſitatẽ præter ea, quæ alias animas habent,
ſicut animalia cuncta, & calcodæmones, atque cacho-
dæmones. Hoc notat Boetius, vbi ſupra, cum ait,

Connectens animam per conſona membra reſoluis.

Membra enim conſona vocantur illa, quæ non ha-
bent magnam diuerſitatem partium in eſſentia, & de-
nominatione, ſicut ſunt omnia homogenea. Hæc enim
propriè informantur ab anima mundi: & quædam, quæ
non ſunt plenè homogenea, ſed homogeneorum nu-
merum parum excedunt, vt ſunt omnia plantarium.
Hæc enim quoniam animam per ſe mouentem non ha-
bent, mouentur ab anima mundi, Et dicuntur mem-
bra conſona, quia ſunt homogenea, aut quaſi. Alia au-
tem non ſunt homogenea, ſed prorſus etherogenea ha
bentia partes organicas variarum rationum, & deno-
minationum. Hæc ergo anima mundi reſoluta eſt, id-
eſt ligata per membra conſona, ideſt per omnes partes
mundi, quæ ſunt homogeneæ: & vocantur conſonæ, aut
modicum excedunt homogeneitatem, vt in plantari-
uis, & has omnes materiales partes imò totum ipſum
vniuerſum præter animalia, quæ in ſe habent princi-
pium ſui motus: ſic dicit Boetius.

Tu triplicis mediam naturæ cuncta mouentem
Connectens animam.

Dixit ergo hanc animam cuncta mouere: anima autẽ
humana ſolum humanum mouet corpuſculum, ergo
incomparabiliter ferè anima mundi excedit animam
humanam. Vnde haud iniuria, humana anima dr̃ vita
minor. Quanquam quidam aliter intellexerunt, ſ. ani-
mas dicentes eſſe ſpiritus humanos, vitas autem mino-
res animas brutorũ appellauerunt. Quod rationabiliter
dictũ arbitrarer, niſi ſequens litera huic repugnaret, di
cẽs has vitas ſerti in cœlũ, & in terras, & rurſus in aſtra
redire: aĩas tñ pecorũ nemo vnquã in aſtris eſſe aſtru-
xit, nec illuc redituras. De aĩa ergo humana intelligi

A neceſſe eſt. Amplius autem cauſis paribus animas, &
vitas minores prouehi curribus ſublimibus dixit, &
ſerit in cęlum, & terram, ideſt, quòd iſtæ animæ appli-
centur corporibus ad viuificandum, & hoc cauſis pa-
ribus, ideſt eadem ratione, ſcilicet, quòd ſicut anima
mundi toti rerum vniuerſitati per membra conſona re-
ligata eſt ad mouendum cuncta, vt Boetius expreſſit:
ita & vitas minores, ſcilicet, animas humanas ex eiſ-
dem cauſis corporibus humanis coniunctas eſſe, ſcili-
cet, vt vegetent, moueant, & informent. Amplius au-
tem dicit, quòd Deus aptat vitas iſtas minores ſubli-
mes, curribus leuibus, ideſt, quòd Deus ponit iſtas ani-
B mas in aſtris conuenientibus ſuæ leuitati, vt ibi ma-
neãt, quouſque in corpora diffundantũt. Vocantur au-
tem aſtra currus quidam propter modum motus, quo- Aſtra quare curſus leues appellẽtur.
niam aſtra indeſinenter mouentur: & quia in eis animæ
ſunt, animas quoque moueri neceſſe eſt, etſi per acci-
dens. Vocantur autem leues currus, quoniam aſtra le-
uia ſunt, leuiterque mota, vel quia ſunt de natura leuiſ-
ſima ſecundum Platonicam poſitionem, ſcilicet de na-
tura ignis. Exiſtimat enim Plato corpora cęleſtia eſſe
de natura elementorum: vltra elementa autem corpus
nullum conſtituit. Ariſtoteles tamen & alij, qui rectius
ſenſiſſe videtur, naturam cęleſtem quintam eſſentiam
poſuerunt. In his autem curribus animæ manent, quo-
uſque, vt Plato ait, in terram, & cęlum diffundantur.
C De his enim ſubditur in eiſdem verſibus:

In cœlum, terramq́ ſeris.

Deus animas in cęlum ſerere dicitur, quoniam ali-
quas earũ de aſtris tollens, ponit in corpora angelorum Demones ſunt duplices.
ſecũdũ ſuã poſitionem. Dixit. n. eſſe dęmones duplices,
quos nos angelos appellamus, ſ. angelos bonos, qui di-
cuntur boni dęmones, vel boni ſcientes: & alij ſunt ca-
chodęmones, ideſt mali dęmones, vel mali ſciẽtes. Hos
autem dixit habere corpora ſicut Apuleius Platonicus
refert eoſq; animalia aſſerunt. Vnde animas habere aſ-
ſueuerat, quæ in aſtris quondam fuerunt, ſed Deus eas
ſerit in cęlum, ideſt ponit in corporibus dęmonum ho-
rum, quando eſſe incipiũt: & hi in cęlo habitant, ſ. qui-
dã in cęlo, alij autem in aere: ſic ergo aiæ in cęlo ſerun-
tur. De modis autem aĩalium cęleſtium, rationalium, &
D aereorum magis inferius diſſeretur, cũ aliorũ antiquo-
rum poſitiones exponent. Addit quoq; aĩas iſtas in ter-
ram ſeri: quia Deus animas iſtas infundit in corpora hu
mana, vt ſint homines, & hi in terra morantur. Addit
autem in prædicta Platonica poſitione Boetius:

Quas lege benigna
Ad te conuerſas reduci facis igne reuerti.

Animas. n. iſtas ad Deum conuerſas dicit: quia cùm
corpus morte reſoluitur, animæ in aſtra vnde venerant
reuertuntur, ita ꝙ ibi ſunt, & rurſus in alia corpora re-
deãt, cùm tempus fuerit, ſimiliq; curſu iterum in aſtra
redeant. Dicit has lege benigna cõuerſas. i. ꝙ Deus iſtas
aĩas ad aſtra poſt reſolutum morte corpus ex benignita
te ſua redire facit. Nam ex natura ſua redire eis nõ erat,
ſed eis Deus hoc donat. Nam aĩas Plato aſſerit in corpo
E ribus, velut in carceribus detineri, ideoq; cũ inde in aſtra,
in quibus prius fuerant, redierint: benignius cum eis
agit, vt ſic terreno pondere releuentur. Dicit aũt eas re-
uerti, reduci igne, i. ꝙ aĩæ in aſtra redire queant, redu-
cente eas ignea qualitate. In quo Plato innuit cęlos eſſe
de natura ignea, & aſtra eſſe purum ignem. Et quia na-
turaliter ſimilia a ſimilibus adiuuantur, ſi animæ redi-
re debeant in aſtra, oportet eſſe conditionẽ aĩarũ igneã.
Sic aĩæ quendam igneum vigorem, antiqui aĩam eſſe
dixerunt. Propter hoc aũt Poetæ, cum finxerũt Prome-
theum homines formaſſe de luto, eius pectori ignẽ ap-
plicuiſſe ferunt, & ſic animatum reddidiſſe. Primò
namq; hominem de luto formatum inſenſibilem fece-
rat, cuius opus Minerua mirata ſpopondit ei, vt ſi quid
vellet, de cęleſtibus donis ad ſuum opus adiuuantem

inquireret. Ille nihil ſe ſcire ait, quę bona in cæleſtibus haberentur, ſed ſi fieri poſſet, ſe vſque ad ſuperos eleuaret, atq; ex inde ſi quid ſuo congruum cerneret operi, tanquam oculatus in re arbiter quidquā eligeret. Illa inter ora ſeptemplicis clypei ſublatum cælo opificē detulit. Dumq; videret omnia cæleſtia flāmatis vegetari vaporibus, clam ferulā Phœbi applicās rotis, ignē furatus eſt: quem pectuſculo huminis applicans, animatū reddidit corpus. De his Fulgentius Mithologiarū lib. 2. in fabula Promethei. Aīam ergo naturæ igneæ eſſe putant, ideoque cæleſtibus corporibus, præcipue ipſis aſtris æqualis naturæ eſſe autumant. Vnde & in eis eſſe dicunt. Ex prædictis ergo patet, quid Plato de ſtatu animarum corpore ſolutarum ſenſerit.

Quod opinio Platonis ſit quaſi opinio Pythagoræ. Cap. LXXV.

HAec autem Platonica poſitio, etſi totaliter Pythagoricæ non conſentiat, in multis tñ eandem eſſe manifeſtū eſt: nam quemadmodum ex Pythagorica poſitione dicebatur, aīas per corpora demigrare, & per Platonicā poſitionem animarum demigratio neceſſaria eſt, hoc tñ diſtat, ꝙ Pythagoras animam ab aliquo humano corpore ſolutam, in aliud mox ingredi teſtabatur, nulla interiecta alterius ſtatus qualitate. Plato autē animas, cum corpore egreſſæ ſint, ad comparia aſtra tedire. Deinde autem poſt aliquanta tempora in corpora relabi dicit. Hæc autem corpora non ſunt ea, quæ antè fuerunt, ergo anima eadem per diuerſa corpora demigrabit. Nam cum in hac parte directè incidat in poſitionem Pythagoricam, neceſſe eſt, vt eædem inconuenientiæ Platonicam conſequantur, quæ in Pythagorica reperiuntur. Sed hæc late in prælibatis improbata eſt. Et quoniam conſiſtente poſitione Platonis argueretur, quod anima, quæ ſemel fuerit in vno viro, cum ad alterum deueniret, haberet omnem ſcientiam quam in priori habuit, dicit animam quidem naturaliter omnia ſcire, quæ naturaliter cognoſcibilia ſunt: ſed cum intrat in corpus mole carnis grauatum omnia obliuiſci: deinde autem ventilante doctrina omnia excitari, ideoque infert noſtrum addiſcere non eſſe aliud de nouo corpore, ſed præteritorum actualiter cognitorum recordari. Inducit autem prædicta, quoniam ſi quis ab aliquo viro inquiſierit, qui nunquam eruditus ſit de aliqua propoſitione ſpeculabili, cuius principia ordinatè ſumat, petens primo de principijs, & deinde per ſingula vſque ad ipſam concluſionem perueniens, reſpondebit inquiſitus in eo, quod nunquam didicerit. Hoc tamen accidere non poſſet, niſi qui taliter inquiritur, intellectu ſuo veritates illas haberet reconditas. Sic enim in puero, qui Aculitus dicebatur, factū eſſe refert, qui cum ſeriatim inquireretur de principijs, reſpondit de paſſionibus quadrati, cum nullus eum vnquam docuiſſet. Sed hæc ſtare nequeunt: cum enim primò dicat animam naturaliter omnia cognouiſſe, quę naturaliter cognoſci poſſunt, antequam in corpus ingrediatur, non videtur conuenienter dictum. Nam ſi anima ſcit, neceſſe eſt, vt ſciat per aliquas ſpecies, quas in ſeipſa habet: ſicut de alijs intelligentijs dicimus, ꝙ intelligentiæ ſunt plenæ formis: vt patet in libro de cauſis, ideſt ſpeciebus informantibus ad intelligendū. Aīumæ tñ humanæ ſunt imperfectiores ceteris ſubſtantijs intelligentibus: quia in ſe non habent aliquas ſpecies, per quas actuentur: ſed totaliter ſunt in potentia ad intelligere, & ſpecies ab obiectis ſuſcipiunt per potentias ſenſitiuas. Et hæc cauſa eſt, quare animabus corpora organica aſſignata ſint. Alijs autem ſuperioribus intelligentijs nulla corpora aſſignata ſunt, ſed ſimplices, abſolutæq; manent per ſe intelligere potentes. Animæ autem a corporibus ad intelligendum adiumenta trahunt. Non eſt ergo veriſimile, quòd etiamſi animæ, antequam in corpore ſint, in aſtris ponantur, omnia naturaliter cognoſcibilia ſcire queant. Quinimmò, nec videtur, quomodo quicquam eis cogno-

F ſcere poſſibile ſit, quoniam id, quo naturaliter ad ſcire determinantur, non habent, ſ. organicas potentias ad apprehendendum obiectorum cognoſcibilium ſpecies.

Impoſſibile eſt animas in aſtris poni, antequam in corpore ſint. Cap. LXXVI.

AMplius autem hoc impoſſibile eſt, ſcilicet, vt animæ in aſtris ponantur antequam in corpore ſint: nam, vt prioribus ſatis lucidè inductum eſt, animæ humanæ non ſuſcipiunt indiuiduationem ex natura ſpeciei, quoniam tunc, quot eſſent aīumæ, tot eſſent ſpecies animarum: hoc falſitate euidenti notatur: accipiunt igitur indiuiduationem ex vnione ad ſignatam materiam. Sed animæ cum in aſtris ſunt, non fuerunt adhuc in corporibus, quia primo fuerunt in aſtris, antequam eſſent in aliquo corpore, ergo non poterunt illæ accipe-

G re indiuiduationē, niſi ex materia ſignata, ſ. vt primo fuerint in corpore, quàm in aſtris: quo infringitur Platonica poſitio, aut ſi eas primo in aſtris fuiſſe contenderis, neceſſe eſt, quod eas indiuiduari aſſeras ſine vnione ad materiam ſignatam: & conſequenter differrent per ſpeciem, quod falſum eſt: animas ergo in aſtris fuiſſe, antequam in corporibus eſſent impoſſibile eſt. Item horum fulcimentum prorſus falſitate plenum eſt, ideo omni animas in aſtris fuiſſe aſſerunt, quoniam corpora cæleſtia ignea eſſe autumāt, ipſa autem aſtrorum corpora puriſſimum ignem affirmant: animam quoque complexionis igneæ eſſe ferunt: ideo naturaliter ſimilia in ſimilibus manere opinati ſunt. Sed in his vtrumque

H falſum eſt, corpora namque cæleſtia de ignea eſſe natura, aut quauis elementali ſubſtātia impoſſibile eſt, quoniam in elementis contrarietas eſt: contrarietatem autem comitatur actio, & paſſio, generatio, & corruptio, & omnis motus tam propriè, quàm impropriè dictus, quod repugnat incorruptibilitati: corpora tamen cæleſtia, omnes, qui quidquam ſapiunt, incorruptibilia confitentur. De ſubſtantia ergo ignis illa eſſe impoſſibile eſt. De hoc autem grandis oriretur ſermo, ſed in ſingulis non expedit immorari. Animæ quoque de natura ignis non ſunt, etſi hoc indocta ſenſerit antiquitas. Ob hoc enim exiſtimauerunt, quia ignis fons totius caloris eſt: ipſe quoque maximè actiuus inter cetera elementa eſt, & in motu ſubtiliſſimus ac leuiſſimus, atque ad incorporeitatem magis, quam cetera corporea appli-

I cans ſe, quæ ſingula, vt etiam aliæ ignis conditiones animarum proprietati concordant: ipſę enim calorem in corpore faciunt; cum enim quidquam viuit calidū eſt, potiſſimè in eis, quæ terreſtria, & volatilia viuentia ſunt: cum autem illa mori contigerit, frigore teneri neceſſe eſt, & ob hoc antiquitas mortem gelidam eſſe finxit deam: vt ait Ouidius Metamorphoſeos. 15.

O genus attonitum gelidæ formidine mortis.

Ignis quoque actiuus maximè eſt. Sic enim cūcta viuentia dum viuunt actionem habent; cum verò vita defuncta ſunt, actio eis nulla ineſt. Ad motum quoq; ignis aptiſſimus, & ſubtiliſſimus eſt, viuentia etiam per animam, cum viuunt, mouentur: dum autem vita carēt, ad motum inepta ſunt. Ignis etiam ad ſpiritualem magis quam cetera corpora accedit naturam. Sic quoque de a-

K nima videtur, ſpiritus enim eſt. Multa quoque in hunc modum igni, & animæ ſymbola, aut quaſi ſymbola eſſe videntur, qua in re haud iniuria, quibuſdam videatur antiquorum non inconueniens, animam vaporem igneū eſſe. Sed hæc quidem ſtare nequeunt: nemo enim animam ſpiritum quendam eſſe dubitauerit, niſi diſſipiat nimis. Ignem tamen, & quamcunque ſubſtantiā igneæ naturæ corpus eſſe procul dubio patet.

Rationes aſſerentes animam non eſſe ignem. Cap. LXXVII.

AMplius autem ſi animam noſtram ignem eſſe aſſeramus, impoſſibile eſſet animas hominum quouis modo excellere beſtiarum animis: nam in vtriſque

igneus

igneus vigor anima eſſe diceretur:ſed in his diſtantię euidentia eſt,ignem ergo animam humanam aſſeuerare abſurditate non vacat. Item ſi anima humana de natura ignea eſſet, cùm ignis ſit de conditione elementali; impoſſibile eſſet animam humanam excedere conditionem elementalē, ſed nulla qualitas elementalis ſufficit ad intelligere,& velle: ergo anima noſtra non eſſet intellectiua,& volitiua. Conſequentia patet, quoniam res naturales habent operationes ſuas per qualitates ſuas: in elementis autem nulla qualitas operatiua eſt, niſi quatuor primæ qualitates, ideo quidquid elementa agunt,per iſtas qualitates agunt, in igne autem caliditatem,& ſiccitatem locamus omnem:omnem ergo actionem ſuam neceſſe eſt, vt vel per calorem,aut ſiccitatem principietur: intelligere tamen,& velle non principiatur per calidum,& ſiccum:ergo anima non eſt vis ignea. Item nulla vis actiua excellit ſuum genus, ſcilicet, ꝙ agere nequit in ea, quæ ſunt vltra genus ſuum. Vt corporalia non poſſunt agere vltra genus corporis, ſcilicet,in ſpiritus. Sicut viſibilia non poſſunt agere vltra genus viſiuæ potentiæ, ſcilicet in auditum:& auditiua nequeunt agere vltra genus audibilium,ſ.in odorabilia,& in hunc modum de cæteris. Sic ergo virtus corporalis nō excedit corpora: animæ tamen operationes excedunt corpora, quoniam circa æterna, & penitus incorporalia,ſ.Deum,& intelligentias ſpeculamur, & circa relationes, & habitudines,quæ corporum naturam excedunt: anima ergo ignea vis non eſt. Item omnem elementalem conditionem excedit conuertere ſe ſupra ſe:quia conuertere ſe ad aliud eſt,agere in aliorū: conuertere ſe ſupra ſe eſt agere in ſeipſum: nulli autem conditioni elementali, aut rei corporali hoc competit: quia naturalia, quæ ſunt de genere corporum, in alterū dumtaxat agunt, in ſeipſa autem agere nequeunt:anima tamen cuius actum dicimus intelligere, non ſolum cetera intelligit, ſed & ſeipſam intelligit,ſicut & cetera:ignea autem virtus ad agendum in cetera eſt,in ſeipſam autem minimè,ergo anima non eſt vis ignea. Item conditiones elementales agunt ſecundum contrarietatem,quia in natura tota actio fundatur ſuper contrarietate,vt patet per Ariſtot. 5. Phyſicorum. Anima tamen actionem ſuam non habet per contrarietatem: quia tunc determinaret ſe ad vnum genus intelligibilium, vel volibilium,ſcilicet,calidorum, vel humidorum,vel frigidorum, & ageret in illud:in anima autem, iſta quidquam agere ex natura contrarietatis, eſt ſimpliciter impoſſibile. Sed anima non determinatur ad intelligendum ſecundum vnum genus contrarietatis, ſed æqualiter intelligit in frigidis, calidis, humidis,& ſiccis: nec ſolum iſta,ſed etiam excedit omnia corporalia, vt etiam intelligat,& velit quæ non ſunt corporalia: neceſſe eſt ergo animam non eſſe de conditione ignea,aut alicuius elementi. Multa autem in hunc modum induci poſſent, ſed ſuffecerint,quæ dicta ſunt.

Opinio Platonis de ſcire animarum. Cap. LXXVIII.

AMplius autem cum Plato aſſeuerat animas in aſtris exiſtentes omnia ſcire, quæ naturaliter cognoſci poſſunt,cum verò in corpora dilabuntur,obliuiſcūtur. Hæc ſtare nequeunt, quin potius anima vnita corpori abundantius intelligere deberet:quia corpus habet organa, quæ determinat ſibi anima ad actus ſuos intelligendi, ſ. vt actus organorum præuij ſint: ſed quælibet res adiuuatur in operatione ſua,cū applicantur ea,quæ connaturalia ſunt:anima ergo coniuncta organis intelligendo augebitur:cum per organa accipiat, ꝙ intelligere poſſit. Et ſi dicamus a principio,cum anima primū in corpus delapſa fuerit, propter teneritudinem organorum, & indiſpoſitionē intelligere non poſſe,cum tñ hæc ad debitum ſtatum peruenerint, anima ſufficientius intelliget per illa,quam alias intellectura foret,tūc ſubitò nullo ducente quiſquam peritus eſſet. Nam,cum in actu omnis ſcientia naturaliter compoſſibilis ſit in aſtris, antequam in corpora de aſtris delabantur iuxta

A Platonicam aſſertionem, obliuionem propter corporū ineptitudinē inductā dicit, non oportet ergo, vt poſtea paulisper cognitio præexiſtens acquiratur: ſed ablato impedimento molis carneæ à principio ad intelligere obuiās,omnia ſimul intelliget,cum omnia in actu habuerit,nec nunc nouiter inquiſitiua eſt. Sed quantumcunq; anima diſponatur ad intelligere exiſtens in corpore,neceſſe eſt, vt ſemper veritates ſucceſſiuè acquirat:manifeſte ergo apparet has veritates non præfuiſſe, ſed nunc nouiter cauſari in anima. De his magis dictū eſt,cum de poſitione Pythagorica ageretur.

Reflexio argumenti Platonis contra ipſum. Cap. LXXIX.

B AMplius autem cum Platonici tradunt, nos intelligere veritates rerum,cum rectè de illis ſecundum ordinem principiorum inquirimur, etiamſi nunquam eruditi fuerimus. Dicendum eſt hoc potius contra ipſum militare Platonem. Nam nobis hoc euenit propter duo. ſ. quia principiorum naturalem cognitionem habemus. Secundo, quia naturaliter concluſiones inducuntur ex habitudine principiorum. Nam ſecundum Ariſt. 1. Poſter.& vt nos experimur, omnis ſcientia, & notitia ex præexiſtenti fit cognitione: ſ. ex cognitione principiorum. In ipſis quoque principijs naturaliter in virtute manent concluſiones: vnde idem Ariſtot. 1. Poſter. ait, quòd poſita in ſyllogiſmo propoſitione maiori & minore,non eſt aliqua mora, quin intelligatur concluſio, quia naturaliter ex illis reſultat. De primis autē C principijs,quòd nobis nullo docente cognita ſint,ambiguum nulli eſt:quoniam ipſa rerum experientia mōſtrat, & ob hoc ipſa principia communes animorū conceptiones appellamus: quia omnes animæ illas concipiunt,nulla in hoc diuerſitatis diſcrimine intericcta diſtantia. Ea etiam dignitates vocamus, quia propoſitiones,quæ principia ſunt, in ſeipſis dignitatem habent,vt eis credatur nulla præcedente eruditione. Tunc igitur, cum quælibet ſit in actu principiorum, illa ſine aliqua doctrina naturali intellectus vigere cognoſcens,& habitudo principiorum ad concluſiones dependentes ex eis neceſſaria ſit, fit vt quando aliquis quæſitus de veritate primorū principiorū ab aliquo, qui nihil vnquā didicit, reſpondeat de eorum veritate. Et cum immediatè quæſitus fuerit de aliqua concluſione dependenti D ex illo principio,nulla alia intericcta, reſpōdebit quoque. Nam ſicut ipſum principiū per ſe cognitū eſt, ita & habitudo dependens ex principio ad concluſiones immediatas eſt manifeſta,& illius concluſionis inuentæ ad aliā immediatā: & ſic hoc proceſſu peruenietur vſq; ad ſpecialiſſimam cōcluſionē cuiuslibet artis. Ex his aūt apparet, ꝙ per hæc Platonica aſſertio non confirmetur,ſed potius infirmetur. Nā ſi aliquem in actu ſciuiſſe omnia aſſeruerimus,& oblitū fuiſſe: poſtea verò ea,quæ cognita fuerant reuiuiſcere, non ſolū de concluſionibus reſpondere ſciret, qñ rectè inquireretur: ſed etiā,ſi inquireretur nullo ordine poſito, vel prænio de principijs, & immediatè de vltima concluſione artis reſponderet:nā ſi aliquis ideo reſpondet inquiſitus, quia in actu habet intra ſe ea,de quibus reſpondet,cum E omnia in actu habeat, de quolibet eorum verè proferre poterit, cum iā nullum eorū ad alterum dependentiam vllam habeat, inquantum cognitum eſt in actu, ſed cum eſt cognoſcibile. Sed ſolū inquiſiti reſpondent, inquantum primo inquiruntur de eis, quæ per ſe nota ſunt:& cōſequenter de eis, quæ immediate dependēt: alias autem reſpondere neſciunt: non ergo iſti hæc reſpondent, quia aliquando in ſe horum cognitionem habuerint, aut nunc habeant: ſed quia ex virtute cognitorum neceſſariò dependent ipſa cognoſcenda, cum ordo neceſſariæ illationis inter illa eſt, quod in omnibus ſyllogiſmis & conſequentijs neceſſarius apparet: ibi enim inducitur id, quod incognitū eſt ab eo, quod eſt cognitum, quia ordo illius dependentiæ neceſſarius eſt. Eſt autem, & huius alterum ſignum,

Primorū pricipiorū noīa multeplicia.

quoniam non reperiet Plato, aut quiſquam huius poſitionis aſſertor hoc in quolibet homine, ſed in eis ſolum, qui naturali pollent ingenio. Hi enim interrogati per ordinem, etiamſi nunquam eruditi, reſpondebunt ad ea, de quibus inquiruntur. Et hoc eſt, quia hi, qui naturali quodam vigent acumine, ſicut prima principia cognita habent: ita quoque & concluſiones cognoſcunt, cum cognoſcant habitudinem principiorum ad immediatas concluſiones. Qui tamen ingenio caligant, etſi de principiorum veritate quæſiti vera reſpondeant, mox tamen, vbi de ſequentibus veritatibus inquiruntur, delirare incipiunt: quoniam habitudo horum mutua illis cognita non eſt, ſed doctrina quadam egent. Si tamen animæ omnium eſſent in actu intelligendi, antequam in omnia delaberētur membra, æque benè iſti, quos ingenio hebetes appellamus ad omnia reſpondere valerent, ſicut hi qui doctiſſimi eſſent. Ex dictis autem aliqualiter manifeſtum ſit de poſitione platonica circa habitudinem animarum corpore ſolutarum, & an ſtare poſſit.

Virgilij opinio verior Platonis opinione de locis animarum corpore ſolutarum. Cap. LXXX.

HAEc autem quanquam Plato ſenſerit, aliter tamen Virgilius platonicus, atque poeta opinatus eſt: etſi poeticus ei mos gerendus ſit, veritati tamen catholicæ magis conſentaneus eſt, quàm pura platonica aſſertio. Diſputat enim de locis animarum corpore ſolutarum, quaſdam platonicas aſſertiones ſtatuens, licet poeticis integumētis, de quibus in 6. Aeneidos. Introducit enim Aeneam Troianum, petentem à Sibylla Cumana, vt cū per infernas duceret ſedes, quo pacto ei Anchiſem patrem ſuum videre, atque eidem colloqui contingeret, Quo fretus ductu Sibyllæ, cum Aeneas Anchiſem alloqueretur de omnibus, quæ ſibi inquirenda occurrerant, qualiter apud inferorum ageretur loca, pater, vt Aeneas ſciſcitatus fuerat, reſpondebat. Tandem inquiſiuit, an de tartarei illis ſedibus in cælum animas aliquas ire contingeret, vel aliqua in corpore reuerti. Ad hoc autem Anchiſes pater quaſi aliquid magnum enodare nitens, primo de natura animarum diſſeruit, dicens, quomodo in ſingulis rebus anima eſſet, & de anima mundi. Adiunxitque animas, mox à carneo ſolutas carcere, inferorum petere loca, ibique iuxta delictorum qualitatem varios ſuſcipere cruciatus, quibuſdam enim viuaci igne ſcelera exuruntur: alijs autem in magnitudine vaſti æquoris ſub profunditate fluctuum, facinorum eluuntur pœnæ: quædam autem ſuſpenſæ ad auras pendent. Cum vero temporum diuturnitate ſcelerum maculas prorſus eluerint, ad elyſios mittuntur campos, qui tartarei ſedibus propinqui ſunt: ipſoſque poetarum communis conceptio beatos vocat campos, in quibus cum per mille annos perſtiterint, nullo penitus remanente quod purgari debeat in animabus, ſed ad modum ignis puri plenam adeptæ ſynceritatē, omnes illas animas elyſiorū camporum per vices ſuas Deus ad letheum amnem facto conuocat agmine, vbi cum obliuioſam illam aquam hauſerint, ſui ipſarum prorſus oblitæ, velut ſi inebriatæ forent, in corpora redire deſiderant: quam obliuionem ob hoc Deus fecit, vt ad corpus gratis redire curarent. Redeunt ergo iterum in corporibus victuræ, rurſuſque ſedes tartareas, atque Elyſios perituræ campos. Hæc poſitio cum Platonica ſatis conſonat, quin potius Virgilius, vt quibuſdam videtur cum, prorſus platonicam teneat poſitionem, nihil aliud, quam Plato exprimere voluit. Plato tamen planè, vt Philoſophum decet: Virgilius autem per quibuſdam circulationes iuxta poetarum officia obliquauit. Differt autem iſta poſitio à Pithagoreorum poſitione: nam illa nec in aſtra iuxta platonicam poſitionem, nec in infernas ſedes, atque Elyſios campos iuxta Virgilium reduces facit, ſed mox à corporibus exeuntes in alio corpore, ſiue hominum, ſiue beſtiarum, vt ſors obtulerit ſubintrare cogit.

Animæ i Iferno diuerſis pœnis cruciā tur p̃ p̃ diuerſitatē demeritorum.

Differentia Pithagoreorū opinionis de aīa à platonicorū poſitione.

Verſus Virgilij in ſexto quibus Aeneas alloquitur Anchiſem. Cap. LXXXI.

QVæ autem de Virgiliana poſitione circa animarum ſtatum enarrata ſunt, habentur à Virgilio Aeneidos lib. 6. cum introducitur Aeneas loquens, & Anchiſes pater reſpondens, & dicitur.

O pater an aliquas ad Cælum hinc ire putandum eſt
Sublimes animas? iterumq́; ad tarda reuerti
Corpora? quæ lucis miſeris tam dira Cupido?
Suſcipit Anchiſes, atque ordine ſingula pandit.
Dicam equidem, nec te ſuſpenſum nate tenebo.
Principio Cælum, ac terras, camposq́; liquentes.
Lucentemq́; globum lunæ, titaniaq́; aſtra
Spiritus intus alit, totamq́; infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.
Inde hominum, pecudumq́; genus, vitaq́; volantum.
Et quæ marmoreo fert monſtra ſub æquore pontus.
Igneus eſt illis vigor, & cæleſtis origo
Seminibus, quantum non noxia corpora tardant.
Terreniq́; hebetant artus, moribundaq́; membra.
Hinc metuunt, cupiuntq́; dolent, gaudentq́; nec auras
Reſpiciunt clauſa tenebris, & carcere cæco.
Quin & ſupremo cum lumine vita relinquit:
Non tamen omne malum miſeris, nec funditus omnes
Corporeæ excidunt peſtes, penituſq́; neceſſe eſt,
Multa diu concreta modis inoleſcere miris.
Ergo exercentur pœnis, veterumq́; malorum
Supplicia expendunt. Aliæ panduntur inanes.
Suſpenſæ ad ventos. Alijs ſub gurgite vaſto
Infectum eluitur ſcelus, aut exuritur igni.
Quiſque ſuos patimur manes. Exinde per amplum.
Mittimur Elyſium, & pauci læta arua tenemus:
Donec longa dies perfecto temporis orbe,
Concretam exemit labem, purumq́; relinquit.
Aethereum ſenſum, atque auræ ſimplicis ignem.
Has omnes, vbi mille rotam voluere per annos,
Lethæum ad fluuium Deus euocat agmine magno:
Scilicet immemores ſupera vt conuexa reuiſant:
Rurſus & incipiant in corpora velle reuerti.

In hoc Inferno pœnarum multiplicitates in eodem ſexto Virgilius eſſe aſſerit, ita quod enumerati nequeant, cum ait.

Multiplices pœnæ inferni.

Non, mihi ſi ſint centum linguæ, oraq́; centum,
Ferrea vox, omnes ſcelerum comprehendere formas,
Omnia pœnarum percurrere nomina poſſem.

In hoc autem Virgilius non ſolum Infernum eſſe eluendis ſceleribus deputatū aſſeruit, ſed etiam vbi fuerit, expreſſit. Dixit enim illum eſſe in terra Siculorum, quæ olim Ciclopia, aut Trinacria, aut Sicamina dicta eſt, nunc verò vulgariter Sicilia dicitur, apud ciuitatem Cumarum, a qua Sibylla Cumana, vel Cumea dicta eſt, quam oraturus Aeneas adijt, tanquam Apollinis vatem, vt ei inferni reſeraret abſcondita, oſtendens ei Anchiſem patrem ſuum. Huius autem cauſa eſt, quoniam in Sicilia quædam vorago eſt patens, quæ fumiferos eructat ignes: quàm poetæ Aethnam vocant. Alia quoque eſt, quām Vulcanum dicunt, quæ identidem emicantes ignes euomit. Nullus igitur poetis conuenientior in toto orbe ad ponendum infernum locus viſus eſt, quàm terra Siculorum. In hac autem ſtatuit Virgilius, ad ſtygium fluuium, nautam animarum ad infernas ſedes tranſeuntium portitorem, quem Charontem nuncupauit. Deſcripſit quoque tres inferorum iudices, multa quoque perſonarum dudum Aeneæ cognitarum ſupplicia deſignauit, & cauſas. Alia quoque ad idem pertinentia, de quibus omnibus per totum ſextum Aeneidos agitur nullo penitus mixto. Hanc eandem poſitionem ſequitur Seneca in Tragędia prima, cuius titulus eſt. Hercules furens, cum introducitur Theſeus cum Hercule de inferis egreſſus, Amphitrioni regi principatum inferorum, & habitudinem

Multiplex nomen Siciliæ.

tudinem enarrare,cunctarumque animarum cruciatus, vt patet in carmine ſexto.quod incipit. Vtrum ne viſus vota decipiunt meos. Hanc eandem poſitionem tenet Ouidius Metamor.lib. 4. Idem autem omnes alij poetæ expreſſerunt,qui propriè poeticè locuti ſunt.

Duo loca animarum poſt mortem,& quædam de campis Elyſiis. Cap. LXXXII.

EX dictis autem horum duo animarum receptacula poſt mortem manere patet.ſ.Purgatorium,& Paradiſum. Primus quidem locus, in quo Virgilius ceterique poetarum animas pro flagitiorum menſura puniri dicunt,infernus dici nequit, eo modo,quo nos catholicè loquentes infernum appellamus.Infernum ſiquidē catholicorum vocat aſſertio pœnalem locum, in quo ſeueritate pœnali animæ in æternum cruciantur remiſſione penitus interdicta. Nullum tamen Virgilius locum aſſignat,in quo pœnalis quæcunque acerbitas aliquando non terminetur. Nam cum illas ſtygias ſedes animæ ſubintrauerint, vſquequo iuxta ſcelerum menſuram pœnarū quantitas exequetur,illic mancipatæ ſunt: cunctis autem veteribus maculis dignè ſublatis ad campos Elyſios tranſmittuntur, vbi lætitiæ locus eſt: nulla namque ibi irrogatur pœnalitas.Secundus locus,quem animarum à corpore ſolutarum poetæ receptaculum faciunt,ad campos Elyſios pertinet, vbi animę in amœnis vagantur locis, cum delictorum condignas pœnas eluerint.Hunc non iniuria quis Paradiſum appellare valeret.Nam vt in Paradiſo nos ſimpliciter quietem ponimus:ita iſti quædam in Elyſijs campis conſtituunt,quę nos de Paradiſo ꝓdicamus. Nos enim eas animas,quas in cælo collocamus, integram puritatem conſecutas fuiſſe aſſerimus,nec in eis quidquam eluendum relinqui,aut quouis purgandum modo. Animæ tn̄, quæ ad Elyſios tranſeunt campos, quanquam nihil vlterius mœroris, aut alicuius pœnalitatis paſſuræ ſint: ad totalem tamen nondum puritatem peruenerunt, quantam in cæleſti igne,vel æthere ponūt. Cum verò per mille annos ſingulæ in Elyſiis campis permanſerint,penitus depurantur:ità vt æthereū ſenſum,& ſimplicis auræ,ignęque naturæ puritatem ſuſcipiant. Alia differentia Paradiſi,quam fides catholica aſtruit à poſitione Elyſiorum camporum eſt: quia qui ſemel æterna vita potitur,in ea ſemper manet,qui tn̄ ex ſtygiis ſedibus ſecundum Virgilianam poſitionem in Elyſios tranſibant campos,ibi mille annis manentes inſtar puritatis cæleſtis,indè reducebantur tunc in agmen magnum à Deo aduocati, lethei fluminis aquas bibentes, eorum quæ pertulerant obliti, ac ſi nunquam quidquam boni,aut mali pertuliſſent,& ſic in corpora redire deſiderabant,atque redibant. Aliæ quoque huius multæ inter Virgilianam de cāpis Elyſiis,& catholicam poſitionem de Paradiſo differentiæ ſunt,quas aſſignare facilè eſſet. Cauſas autem quare poetæ ſingula horum dixerunt præcipuè Virgilius,qui in his magis inſtat,& qualiter Virgiliana poſitio ad Platonicam reducatur, differentis conſiderationis negocium eſt:ideo a præſenti ſecludatur.Hāc autem Virgilianam poſitionem, & ceterorum poetarum de receptaculis animarum poſt mortem,antiqui Phyloſophi inter Gentiles improbant. Pythagoras namque infernum,& pœnas, aut gaudia poſt mortem eſſe negauit, aſſerens iſta eſſe poetica figmenta, & quòd animæ ſemper tranſeant per corpora.Cuius poſitionem recitauit Ouidius Metamorphoſeos 15.dicens.

Infernus ſecundū Virg. quō differat a poſitione fidelium

Cāporū Elyſiorū à Paradiſo differentia.

Pythagoras opi. de anima, & inferni pœnis.

O genus attonitum gelidæ formidine mortis.
Quid ſtygia,quid manes,quid numina vana timetis?
Materiem vatum,falſiq; pericula mundi:
Morte carent animæ, ſemperq; priore relicta
Sede:nouis habitant domibus,manentq; receptæ.

Sed huius poſitio in præcedētibus improbata ex parte eſt. Alii tamen rationabilius in hac parte locuti poſitionem poetarum de receptaculis improbant. Sic enim

A Tullius primo lib.. Tuſculanorum quæſtionum eam improbat, atq; apud omnes Phyloſophos eam aſſerit improbari. Vilipendit quoq;, atq; exprobat Iuuenalis Poeta Satyricus hanc poſitionē Satyra ſecūda, quæ incipit: Vltra Sauromatas libet ire, & glacialem. Cum ait:

Iuuenalis negat īfernum eſſe.

Eſſe aliquos manes,& ſubterranea regna.
Et contum & ſtygio ranas in æquore nigras,
Atque vna tranſire vadum tot millia cimba:
Nec pueri credunt,niſi qui nondum ære lauantur.

Animas ad Cælos euolare, & quædam de dijs. Cap. LXXXIII.

B

ADdunt autem poetæ, quorum præcedens poſitio extitit, animas in Cælo eſſe. Has autem de ſtygijs ſedibus, aut Elyſijs campis aſcendere non ponebant ſed ex terra ipſa ferebantur in cælum nullo impediente.Hos aūt,qui de terra in cælum aſcenderunt Deos dicunt, viuentes in corporibus,& animabus. Hos ēt ſtellas eſſe aſſeuerant. Quamlibet namq; magnam ſtellā, aut conſtellationem pluribus conſtantem aſtris Deum dicunt. Sed in hac Deorum numeroſitate trifariam fecerunt partitionem,quoſdam ſelectos Deos,ideſt,multum electos appellantes:alios autem ſemideos,quia ex media parte dij ſunt:tertij autem ruſtica numina appellantur.Primi autē,qui ſelecti,ideſt, ſeorſum electi, aut

C valde electi dicebantur, vigintiduo erant, de quibus Seneca in multis locis. De his quoque tangit Auguſt. lib.6. & 7. de Ciui. Dei. Hos enim Deos ſelectos diffiniunt, qui ex vtroq; parente dij ſunt: genitor namque, & genitrix dij ſunt, Deos namq; ſelectos,atq; per hoc maximos ſexuum commixtione,vt cunctis animalibus conuenit prolem gignere poetæ palam confitentur, & proferunt. De his Marcianus, Mineus,Fœlix, Capella libro de Nuptijs Mercurij, & Phiſiologię proſa prima. In ſecundo gradu Deorum Semidei ponebantur. Hi enim integre dij non ſunt,ſed ex dimidio Deos eſſe nominis eorum origo prodit. Hoc autem,quia non exiſtit eis vterque parens Deus, ſed vnum parentem Deum, alterum autem hominem habebant.Omnes autem huiuſcemodi Semideos, Poetæ primò homines mortales fuiſſe aſſerūnt: poſtea verò in cælum ad aſtra tranſla-

D tos, ipſoſque in aſtra conuerſos aſſeuerant. Sic enim Romulum Semideum dicunt, quoniam cum Martis, qui Deus erat, filium, & Iliæ virginis filiæ Numitoris regis affirmant.Sed in hoc Romani Poetæ,nimis auctori vrbis ſuæ Romulo indulſerunt. Nam Ilia Romuli mater, cum virgo veſtalis ab Amulio auunculo ſuo effecta foret, vt ex ea nulla regnatura proles naſceretur, Numitori auo materno ſucceſſura,per ſtuprum a quodam ignoto viro deflorata eſt: quām cū Amulius prægnantem reperiſſet,vſque ad partus effuſionem conſeruans,iuxta veſtalium virginum antiquam legem viuentem tumulauit: paruuli autē in Tyberi expoſiti à quadam lupa enutriti ſunt. Ne tn̄ Romani autorem ſuum vrbis, patris in natalibus defectum pati confiteantur, ſi eum ignoti cuiuſdam viri filium prædicauerint, à Marte Deo bellorum, matrē eius grauidatam tradiderunt. De his tangit Paulus Oroſius libro de Ormeſta

Romuli natiuitas

E Mundi.Herculem quoq; Semideum dicunt, qm̄ pater eius Iuppiter Deus extitit,mater tn̄ eius mortalis fuit.ſ. Alcmena vxor regis Amphitrionis.Idem de Perſeo filio Iouis, & Danaes. Idem de Mercurio Iouis,& vnius de ſeptē Pliadibus,quæ Maia dicitur filio.Alijs autem Semideis præpoſtera origo erat.ſ.vt earum patres mortales forent, matres aūt deas habuiſſent. Sic enim Aeneas filius Anchiſæ viri Troiani,& Veneris deę prædicatur. Achilles quoque à Peleo, & Thetide genitus eſt. Peleum enim mortalem aſſerunt virum: Thetidem autem maris deam, atque inter ſelectas computatam. Multi quoque in hunc modum de Semideis ſunt. Præter hos autem alij Semidei ſunt, quos ex neutro parentum Deo natos dicunt, ſed eos admirabilium factorum gloria ſupra cælos tollens vertit in

aſtra. Sic enim multi in cælo ſtellificati referuntur. Sic ſeptem Pliades, quæ alio nomine ſeptem Athlantides nuncupantur, à patre matreq; mortalibus, ſcilicet, Athlante, & Pleyone in cælo locauit antiquitas, quā ſeptem ſtellarum conſtellationem vulgus ſeptem capellas vocat. Sic quoque ſeptem hyades, quas Latinè ſitulas appellamus, in cælo gentilitas collocauit, quas vulgato nomine proferentes, Gallinam cū pullis appellamus. Idem de Caliſtone, quæ alio nomine parraſis dicitur: & de Archade filio eius in Septentrionales conuerſo vrſas. Tertium genus Deorum in ruſticis numinibus collocatur. Horum autem quidam in Cælo ſunt, alij autem nequaquam. Eorum autem numinum ruſticorum, qui cæleſtes manſiones non habent: quidam aliquando in cælo manebunt, alia autem non, ſicut declarauit Ouidius Metamor. lib. 1. cum de diluuio Deucalionis, incipit in quo Iuppiter vniuerſam terram delere noluit, ne cum ea ruſtica numina, quæ nondum in cælum peruenerant, delerentur. Alia autem horum in cælo ſunt, de quibus Marcianus, Mineus, Fœlix, Capella in libro primo de Nuptijs Mercurij, & Phyſiologiæ in proſa penultima, vbi totum cælum in decem ſeptem manſiones diuidit, in quarū qualibet dij aliqui de ruſticis numinibus morabantur. De his aūt dicit, quòd Iouis iuſſu corrogati ſunt, vt deliberarēt an Mercurij, & Phyſiologiæ deberent coniugalia fœdera copulari. De his dijs poetæ innumera deliramenta confingunt, de quibus penitus ſubticuiſſe expediens eſt.

Quædam ad ſuperiora attinentia. Cap. LXXXIIII.

OMnium autem horum Deorum turbam, tā ſelectorum, quàm ſemideorum, & ruſticorum numinum gentilitas fœlicem fecit. Hi enim in quodam tertio loco, aut receptaculo erant, qui Paradiſus dici poſſet. De his verò diſſimile eſt ad animas, quæ in Elyſijs morantur campis: nam quæ Eliſios cāpos tenent euoluta mille annorum rota ad Lethæum flumen agente Deo conuocantur, vbi hauſto obliuionis poculo, omnium, quæ pertulerant immemores facti, in corpora redire deſiderant, ac redeunt. Animæ autem, quæ ſuper aſtra ſunt, aut in aſtrorum conuerſæ ſubſtantiam, amplius in corpora rediturę non ſunt, ſed in eiſdem in æternum manent. Sicut autem prior Virgiliana poſitio à Phyloſophis reprobatur, ita & iſta improbanda eſt, quoniam manifeſtiores errores continet, ſi inſpiciantur. Apud antiquos igitur, qui aliquid ſapiebant, nulla præcedentiū fouetur opinio. Nec enim contra vtramque argui expedit: nam cum liquidè errores contineant, à ſeipſis arguuntur: in ea autem arguendo niti fortaſſis conueniēs eſt, quæ cum in re falſitatem contineant, veritatis tamen, aut probabilitatis cuiuſdam geſtant effigiem.

Opinio manifeſtè falſa non indiget improbatione.

Tullij opinio de animabus, & de beatitudine. Cap. LXXXV.

INſpectis autē poſitionibus, quæ precesſere, Tullius Romanæ eloquentiæ pater, qui tam in Rhetorica, quàm in Phyloſophia ſatis floruit, qui & Phyloſophorum antiquorum ferè nouiſſimus extitit, ante Chriſti natiuitatem per annos non quadraginta defunctus: inquirens de ſtatu aīarum poſt mortē, animas immortales eſſe dixit, eaſque de conditione cæleſtis ignis, ex quo omnia ſtellarum corpora ſunt. Poſt mortem autem luteo ſolutæ carcere liberiores ſunt in intelligendo. Leuitate quoque ſua in cælos conſcendunt, ſolari corpori, aut aliarum ſtellarū ſe orbibus cōiungentes: & quia animæ de natura ignis cæleſtis, (vt ipſe opinatur) ſunt, ſimiliaque quoque à ſimilibus adiuuantur, neceſſe eſt, vt animæ noſtræ cæleſtibus coniunctæ corporibus ad intelligendum aptiores ſint, atq; liberiorē actum habeāt. Ex eo autē eminentiſſimo loco terræ globum, & maris anfractus, & obliquas circulationes, atque aerearū regionum diſtenſionem intuentur, & intelligunt cuncta, quæ ſunt. In his autem perfectum Deorum gaudium

F conſiſtit, à quo nunquam ſibi ceſſandum eſt, nec aliarū gerendarum rerum curas habent. De his Tullius libro primo Tuſculanarum quæſtionum. Inter omnes autem in ſuperioribus enarratas gentilium poſitiones, nulla eſt, quæ ita rationi, atque fundamentis catholicorū conſentanea ſit. Hæc tamen adhuc à catholica poſitione ſatis diſcors eſt. Primò quidem, quia nulla poſt defunctum morte corpus animabus eluendorum ſcelerum purgationem relinquit: ad participationem tamen fructus vitæ æternæ neminem catholica conſentit poſitio, niſi eum, qui penitus ab his expiatus eſt. Secundò differt à poſitione catholica, quoniam catholicè loquentes, in viſione Dei beatitudinem collocamus, cum Deus ſummum bonum ſit. Hic tamen Cicero in conſideratione totius cæleſtis globi, & elementaris regionis a-
G ſpectu, atque perfecta negligentia felicitatem ponit, ſed in hoc quamquam amplius aliquid ſit, ſufficiat tamen quod dictum eſt.

Marcianus, Mineus, Felix, Capella de beatitudine, & quædam de varijs alijs dijs. Cap. LXXXVI.

MArcianus, Mineus, Felix, Capella profectò vir magni ingenij, qui in quibuſdā poeta, in alijs aūt putam, vt ipſi vī, ſecutus veritatem, de felicitate in quibuſdā fidei catholicæ cōcordauit, ait. n. (nec quidē poetico more, ſed quantum ei intelligi datum eſt) totā mūdi huius magnitudinem à ſummo cælorum cardine vſque ad terram multiplicium ſpirituum numeroſa va-
H rietate repletam, ac diſtinctam fore, vt Phyſiologia Iunone teſte didicerit. Totam nempe cæleſtium corporū magnitudinem à ſummo vſq; ad concauū lunaris globi in duas ſecuit partitiones. Nam à ſummo cæli vſque ad ſolis orbem, ſpiritus quoſdam inhabitare dicit, qui corpora aſtrorum ſuperiorum inhabitant, atq; mouent ignea natura fulgentes. Hos Deos cæleſtes appellamus rerum occultarū cantores, quos, q̄m mundanarum rerū curā nulla gerunt, impaſſibiles appellat. De his. n. ait li. de Nuptijs Mercurij & Phyſiologiæ in ſecundo proſa ſecunda: illi, inquit, quos ignitæ ſubſtantiæ flammantiſq; ſuſpicimus ab ipſo ętheris, ſphæræque ſuperioris ambitu vſquè ad ſolarem circulum demeantes, ipſi dicuntur dij, & cęlites alias perhibentur, cauſarumq; latentium arcana componunt: ſunt. n. priores, nec admodū
I eos mortalium curarum vota ſollicitant, apatheſq; perhibentur. Illic Iouem regnare certiſſimum eſt. Conſequenter autem in ſecunda cæleſtis globi partitione à ſolari regione vſque ad concauitatem lunaris circuli, trifarias ſpirituales ſubſtantias collocat: Deos. & genios, atq; lares. Deos eorum primos collocat in ipſorum aſtrorum latentes corporibus, atq; in ipſa cæleſti vagātes magnitudine, quos dicit poteſtatem hr̄e minorem eis, quos ſupra deſcripſimus, nec æqualiter eſſe felices. Hos quoque ſomnijs, augurijs, & vaticinijs, & in animalium extis præſidere aiunt. Interdum etiam inquirentibus de occultis vocaliter reſpondere: interdum verò cæleſti ſignificatione, vt in fulmine, aut cometis currentibus, vel alterius generis rerum manifeſtare latentia. Secundi autē in hac cæleſti inferiori regione genij ſunt. Hos enim
K præſidere hominibus, & populis ait. Hoc pacto, vt cum quiſquam mortalium in lucem eruperit, ei genius addatur, qui ſpiritus quidam cæleſtis eſt fideliter, ardenterque commiſſum ſibi cuſtodiens, eique conuenienter in agendis conſulens. Hi enim cuſtoditorum à ſe cogitationes ſuperioribus enunciant dijs, qua ex re angelos. i. nuncios eos vocatos dicit. Hos etiam præſtites à præſidendo vocari inquit, quoniam communis ſibi præſunt. In hunc autem modum populis ſingulis, ſicut & priuatis viris genios cuſtodes à diuina ſuperum poteſtate aſſignatos ait, qui facta populorum diligenter curent; hoſque dicit à populis exorari, ſicut à quolibet ſuus genius exoratur. In his quo ſpiritu ductus ſit, vel an caſu vera protulerit, neſcio: ſed à Sacræ Scripturæ diffinitione in his, quę de genijs dixit, nihil delíraſſe conſtat. Sic enim

Dij genij dantur in cuſtodiā hominū.

Sacra

Sacra Scriptura, tam noui, quàm veteris teſtamenti, angelos perſonarum priuatarum cuſtodes aſſeuerat, & ipſorum populorum, hæc eademque facere, quæ iſte retulit. Tertij autem in hac cœleſti ſecunda regione lares ſunt, qui animæ fuere mortalium, quos meritorum excellentia ad eum duxit incolatum. Sunt enim iſtæ animæ puriſſimæ, quæ & interdum tanta puritate vigere queunt, vt Iouialem tranſcendant orbem. De his in eadem proſa dixit: At infra ſolis meatum vſque ad lunarem globum ſecundæ beatitudinis numina pariſque potentiæ, per quæ tamen vaticina, & ſomnia, atque prodigia componuntur. Hæc aruſpicio exta phiſiculant admonentia quædam, voceſque tranſmittunt auguratis loquuntur hominibus: plerumque enim quærentes admonent, vel ſyderis curſu, vel fulminis iaculo, vel oſtẽtaria nouitate. Sed quoniam vnicuique Deorum ſuperiorum ſinguli quique deſeruiunt, ex illorum arbitrio iſtorumque comitatu, & generalis omnium præſul, & ſpecialis ſingulis mortalibus genius admouetur, quem etiam præſtitem, eo quòd præſit omnibus gerendis, vocauerunt. Nam & populi genio cum generalis poſcitur ſupplicant, & vnuſquiſque gubernatori proprio dependit obſequium: ideoque dicitur genius quoniam cum quis hominum genitus fuerit mox eidem copulatur. Hic tutelator fidiſſimusq; germanus omnium animos menteſque cuſtodit. Et quoniam cogitationum arcana ſuperæ annunciat poteſtati, etiam angelus poterit nuncupari. Hos omnes Graij dæmones vocant Apo tu Dumonias, Latini Medioximos vocauerunt. Qui quidem omnes minus lucidè ſplendentiſque naturæ, quàm illi cæleſtes, ſicut conſpicis approbantur: nec tamẽ ita ſunt corpulenti, vt hominum capiantur obtutu. Hi igitur lares hic poſt membrorum nexum degunt animæ putiores, quæ plerumque ſi meritorum excellentia ſubuehantur, etiam circulum Iouis, & flammantia ſepta tranſiliunt. Quòd autem animæ carcere luteo ſolutæ in ſuperiorem cæli partem aliquando tranſeant, ſi magni meriti extiterint, idem Marcianus lib. 2. proſa vltima indicat, dicens, Phyloſophorum ibi eſſe numeroſitatem, inquiens: Elementorum quoque præſides, angelicique populi pulcherrima multitudo, animæque præterea beatorum veterum, qui iam cæli templa meruerant, greſſus maiugenæ ſequebantur. Linum, Homerum, Mantuanumque vatem redimitos, canenteſque conſpiceres, Orpheum, atque Ariſtoxenum fidibus perſonantes: Platonem, Archimenidem, ſphæras aureas deuoluentes. Ardebat Heraclitus, Vdus, Thales: circunfuſus athomis Democritus videbatur: Samius Pythagoras cæleſtes quoſdam numeros replicabat: Ariſtoteles quoque per cæli culmina endelechiam ſcrupuloſius requirebat: Epicurus verò mixtas cum violis roſas, & totas apportabat illecebras voluptatum: Zeno ducebat feminam prouidentem: Archeſilaus collum intuens columbinum: multuſque præterea palliatorum populus ſtudijs diſcrepantibus diſſonabat.

Dij lares fuerũt animæ mortalium.

Sciẽtiq; acquiſitæ remanẽt in animab. beatis.

De ſectione ſphæræ actiuorum, & paſſiuorum. Cap. LXXXVII.

CVm autem Marcianus, Mineus, Felix, Capella totam ſuperioris ætheris, & cæleſtis globi capacitatem ſpiritibus diſtribuerit prælibatis: eam partem, quæ à cælo lunæ vſque ad terram reſtat, in duas quoque ſectiones bipartit. In prima iuxta lunarem circulum verſus terræ ſoliditatem ſemideòrum variã collocat multitudinem, de quibus ſupra ex parte dictũ eſt: hos enim Græci Aemicheos vocant, ideſt, ex media parte Deos, quos mortales aliquando fuiſſe aſſerit, ibique nunc eorum manere ſpiritus. Vocat autem ſemideos non ex eadem origine, quam ſupra tetigimus: nam non ſibi conueniunt omnes Phyloſophi, atque Poetæ. Dicit ergo ſemideos illos eſſe, qui quaſi Dei quadam prouidẽtia ad vniuerſalem mundi vtilitatem geniti ſunt, vt Hercules, qui mõſtra domuit, alij quoque, qui humanis negocijs artes quaſdã neceſſarias aliaſque perutiles inuenerunt.

Quid Semidei.

A De hoc in prædicto libro ſecundo proſa ſecunda, ait, De hinc à lunari circulo vſque ad terram quidquid patet, interſticij proprij partitione diſcernitur: & ab orbe lunari interfuſa medietas diſperatur, ſed ſuperior portio eos, ſicut cõſpicis, claudit, quos Aemitheos dicunt, quoſque latino ſemone ſemideos conuenit nominare. Hi animas cæleſtes gerunt ſacraſque mentes, atque ſub humana effigie in totius orbis commoda procreantur. His animus datus ex ſempiternis ignibus, quæ ſydera, ſtellaſque vocamus. Qui quidem plerumque ſui miraculo fidem fecere cæleſtium, vt in hortu Herculis geminatæ noctis obſequium, ſerpenteſque idem paruus oblidens vim numinis approbãt. Tages ſultis emicuit, & ritum ſtatim gentis ſignumque monſtrauit. Hamon apparuit cum cornibus arietinis, & veſtimento lanitio,
B atque ſitientibus vndam fontis exhibuit. Quid loquar eos, qui primi mortalibus vſum rerum maioraque commoda præſtiterunt? vt vitem. Dionyſius apud Thebas, Oſiris apud Aegyptios hauſtum vini: vſumque comperiens, frumentum Iſis in Aegypto: Tritholemus apud Athicos docuere, eademque Iſis lini vſum, ſementemque monſtrauit: comminuendæ frugis, farris fragmenta Pilumno ſignat Italia: aſcribit Aeſculapio Græcia medicinam. Alij quoque huius generis homines in diuinandi vſum, & præſcientiam procreati, vt Carmentis in arcadia ab effuſo per vaticinia carmine memorata eſt. Sibylla, vel Aerithrea quæq; Cumea eſt, vel Frigia, quas non decem, vt afferunt, ſed duas fuiſſe non neſcis, ideſt, Erophilam Troiani Marmenſis filiam, & Syma-
C chiam Hypothenſis filiam, quæ Aerithrea progenita, etiam Cumis vaticinata eſt. Ex hac diuinandi poſſibilitate Amphiaraus, Mopſuſque celebrati.

Inuẽtores nouarum rerum.

Quædam de animabus, & de dijs ad ſuperiora attinentia. Cap. LXXXVIII.

AD ſecundam autem aereæ regionis partem, quæ à media aeris parte protenſa, terræ contermina fit: Aemitheos, & Manes, atque heroes idem Marcianus ponit. Nõ enim omnium ſemideorum, quos Græci Aemitheos memorant, eadem excellentia eſt, ideo etſi quidam coniunctam lunari orbi portionem aſſumpſerint, alij tamen minoris meriti ſecundam, quæ terræ propinquior eſt, partitionem poſſederunt. Hic quoque heroes ſunt, quos quidam ſpirituales valde, atque aereos viros
D appellant, humanam prorſus in virtute conditionem ſupergreſſos, à quibus moraliter loquẽtes virtutem heroicam appellamus, de qua Ariſtotelis Ethicorum lib. ſeptimo: Marcianus tamen eos heroes à terra vocat, quonã hi ſpiritus ſunt, qui in terrenis corporibus aliquando fuerunt. Addit autem, & in hac regione manes eſſe, qui animæ ſunt, quas dicit ibi eſſe, antequam humano corpori vniantur. Hos manes dicit, in commixtione viri & feminę miſceri ſeminibus, eoſque corpora vegetare. In quo iſti aſtruunt omnes animas hominum ante corporum formationem præfuiſſe in aerea regione, ſicut quidam de noſtris arbitrati ſunt, omnes animas à Deo ſimul fuiſſe creatas, & poſtea ſucceſſiuè in formatione corporũ eiſdem admiſceri: ſed hoc falſum in ſuperio-
E ribus quoque improbatum eſt, cum de poſitione Pythagorica ageretur. Hæ autem animæ manes vocantur: quia de parentum ſeminibus manant: nam cum ſeminibus commiſceantur, cũ deciduntur, ex eiſdem manare perhibentur. Cum autem à corpore animæ iſtæ ſolutæ fuerint, quædam Lemures dicuntur: aliæ verò laruæ perhibentur, ac maniæ: nam ſi bonæ in corporibus fuerint, cum ab eiſdem receſſerint, manes & agathos eas dicimus. Si verò morum prauitate in corporibus peruerſantur, laruæ vocantur, & cachodæmones, & ſicut viuentes in corporibus delectantur, ita poſt mortem gaudent in eiſdem. De his in eadem proſa ait. A medietate verò aeris vſque in montium, terręque confinia Emithei, heroeſque verſantur, qui ex eo, quòd terram heram veteres dixere, heroes nuncupati, ibique manes, ideſt, corpori humano præſules attributi, qui parentum ſeminibus

bus manauerunt. Denique hæc omnis aeris à luna diffuſio ſub Plutonis poteſtate conſiſtit, qui etiam Summanus dicitur, quaſi ſummus manium: hic luna, quæ huic aeri præeſt proſerpina memoratur. Verũ illi manes, quoniam corpori ſuo illo tempore tribuuntur, quò fit prima conceptio, etiam poſt vitam iiſdem corporibus delectantur, atque cùm his manentes appellantur lemures, qui ſi vitæ prioris adiuti fuerint honeſtate, in lares domorum vrbiumque vertuntur. Si autem deprauantur ex corpore, laruæ perhibentur, ac maniæ. Manes igitur hic tam boni, quàm truces ſunt conſtituti: quos agathos, & cachodæmonas memorat Græca deſcriptio. Sũt autem præter dicta ſpirituum genera quidam alij, qui circa ipſum terræ globum in aere quodam detinẽtur. circa terram namque aer repercuſſione radiorum eleuatorum calefit, & eleuatione humiditatum quarũdam ingroſſatur: ex quo clauſulis, & turbidus fit. Multæ animarum à corporibus egreſſæ cum æthereas ſedes petere enitantur, turbidi aeris madore, & calore inuoluuntur: vbi ſecundum Iudicij Plutonis, qui Beionis, aut Vedius, ideſt, malus Iuppiter, aut malus Deus dicitur, arbitrium puniuntur: vnde Poetarum poſitio originem ſumpſit, animas in flegetonte torqueri, ſcilicet, in fluuio quodam ardenti. De his in eadem proſa ait. Circa verò ipſum terræ circulum aer ex calore ſupero, atque ex halatu madoreque inſero turbidatus egrediẽtes à corporibus animas quodam fluenti æſtu collidẽs non facile patitur euolare: hincque tractum Pyr Phlegetonta ſolertia poeticæ adumbrationis alluſit, atque in eo perenni ſtrepitu volutata colliditur animarum, quas Vedij adiudicarit impietas .i. Pluto, quem etiam Ditem, Veiouemque dixere. Hic enim eſt in generali animarum ſtatus ſecundum poſitionem Marciani, quã ex ſuperioribus proſecuti ſumus. Præter hos autem, & ipſos viuentes homines, qui nondum ſtatum ſuum habent: quoniam viatores corruptioni appropinquantes ſunt, inter viuentes ſunt, quorum terra ſecundum Marcianum, & Gentiles Poetas plena perhibetur, ipſaque terræ ſecreta, quæ hominibus ſunt, penetrãt. Quorum quidam in montibus, alij verò in lacubus, & fluminibus habitant. ad quos etiam Nimphæ, Driades, Orreades, & Naiades, atque Mapeæ pertinent. Hos .n. Gentilitas Panes, Satyros, Faunos, & Nimphas vocat, atque Syluanos. Ouidius autem 1. lib. Metamorph. ad Deos iſta pertinere dixit: ſed ea ruſtica numina appellãtur, de quibus dicit, quòd ad tempus in terra manent, poſterius autem in Cælum transferrentur. Nam vt Marcianus ait, mortales ſunt, quanquam longo tempore viuant. De his enim idem Ouidius ait:

Dij Syluestres.

Sunt mihi Semidei, ſunt ruſtica numina Nymphæ,
Fauni, Syluaniq́, & Monticolæ, Satyriq́:
Quos quoniam nondum Cæli dignamur honore,
Quos dedimus certè terras habitare ſinamus.

De his dicitur, quòd quanquam poſt longa tempora moriantur: diuinandi tamen, & nocendi, atque incurſandi, præſentiendique poteſtatem habent. De his Marcianus eadem proſa ait: Ipſam quoque terrã, quæ hominibus inuia eſt refereiunt longæuorum chori, qui habitant ſyluas, nemora, lucos, lacus, fontes, ac fluuios: appellanturque Panes, Fauni, & ſatyri, ſyluani, nimphæ, fatui, fatuæ, vel fantuæ, vel etiam fanæ, à quibus fana dicta ſunt, quod ſoleant diuinare. Hi omnes poſt prolixum æuum moriuntur, vt homines: ſed tamen & præſciendi, & incurſandi, & nocendi habent præſentiſſimam poteſtatem. De his autem quanquam Marcianus non expreſſerit quid poſt mortem habituri ſint: Ouidius tamen dixit, eos in cælum transferendos. Addit quoque idem Marcianus de illo vero Deo, qui ceterorum Deorum, & rerum pater eſt, feliciſſimum eſſe: eiusque diuerſam valde fore beatitudinem ab ea, quã ceteri minores dij, & homines, & alij ſpiritus ſentiũt: eumque nullo cæleſtis magnitudinis teneri loco. Sed F vltra ipſam extremi cæli magnitudinem, quodam empyreo, vel ſpirituali cælo teneri aſſeruit. Hic enim eſt, à quo tota rerum machina mouetur, atque defenditur in ſuo manens curſu. De quo in eodem libro ſecũdo proſa vltima Marcianus introducens Phyſiologiam orantem, ait: Ipſam verò, quæ ambitum coercet vltimum, ſphæram miris raptibus incitatam, polosque, & axem ex cæli ſummitate vibratum, profundam tranſmeare terram, atque ab ipſo totam cæli molem, machinamq; torqueri tanti operis, tantæque rationis patrem: Deumque non neſciens ab ipſa etiam Deorum notitia ſeceſſiſſe: quoniam extra mundanas beatitudines eum tranſcendiſſe cognouerat, empyreo quodam, intellectualique mundo gaudentem iuxta ipſum extimi ambitus murũ innixa genibus, ac tota mentis acie coarctata diu G cum ſilentio deprecatur. Ex his ergo inductum patet quid Marcianus circa omnium ſpirituum beatitudinem, aut miſeriam, ſiue in corporibus mortalibus, ſiue immortalibus ſint, aut prorſus à corpore abſoluti. Quam poſitionem an vera ſit inueſtigare non expedit: nam etſi in quibuſdam rationi adhærere conatur, ſaltem in modo eorum, tamen quæ dicta ſunt plurima falſa neceſſariò ſunt.

De locis animarum corpore ſolutarum catholicè hic agitur. Cap. LXXXIX.

SEd quoniam iuxta Ariſtotelem noſtrum Ethicorum libro primo: omnes perſcrutari opiniones fortaſſis H inutile erit. Sufficiens autem ad eas intendere, quæ veritatem magis habere videntur. Cum ergo de varijs famoſioribuſq; antiquorum poſitionibus circa ſtatum animarum corpore ſolutarum dictum ſit: fortaſſis intempeſtiuum non erit ad veritatem Catholicam accedere, quid de his diffinierit locis. Et quoniam in tribus locis, de quibus inquirebatur infernum priorem eſſe dicimus: de eo prius inquirendum eſt. In cuius aſſignatione circa locum pleriſq; occurrit dubitatio, quibuſdam eum in aere, alijs in cælo, alijs alibi collocantib. Iuxta quod ſit vna concluſio, ſcilicet, infernus, quem ſtatuit poſitio Catholica, conuenienter poni nequit in regione ignea, ideſt, quòd infernus in regione ignis eſſe non poteſt. Nunc varijs tam Poetarum, quàm Gentilium Phyloſophorum poſitionibus ex parte tactis, & I ex parte diſcuſſis: ad eam, quæ Catholicorum eſt, accedimus. Omnes namque, qui Phyloſophantes, aut Poeticè loquentes in hac parte de ſuo expreſſerunt, nihil à Deo illuſtrati veritatẽ, quam Catholica poſitio ſtatuit pertingere nequiuerunt. Quę ſi ad alias poſitiones Gẽtilium Phyloſophorum, & Poetarum conferatur, ablato omni fidei fundamento, & diuina in hac re aliquali declaratione, & auctoritate ſola naturali ratione in vtriſque inſcripta, apparet hanc ceteris rationabiliorẽ fore. Et ſi omnes præpoſitæ poſitiones, ſingulæq; aliæ, quas naturali ratione homines excogitare, & ſtatuere valerent in vnum collatæ, alicui viro magni iudicij præſentarentur, qui in nullam earum differentius, quã in ceteras affectus foret, proculdubio rationabiliorem K aſſereret Catholicam poſitionem. De viliſſima turpiſſimi, atque inſipientis Mahometi ſatis rudi poſitione, quantum ad vitam æternam dicere nõ attinet: nam ipſa euidentiſſimè irrationabilior eſt omnibus Gentilicijs, atque Poeticis poſitionibus ſuperius enarratis. Catholici autem tractatorès tria animarum receptacula principalia eſſe ponunt, quanquam poſt hæc alia quoque ſint. De his autem dubitari nequit, quoniam teſte ipſa Sacra Scriptura confirmantur, ſcilicet, Gehennæ ſupplicia, & purgatorias ſedes, atque inuiſa gaudia Paradiſi. Primus horum locorum eſt Gehennę receptaculum, vbi incendia magna, atque frigora, aliaque variarum genera pœnarum ſunt, quæ nobis inexcogitabiles ſunt: iuxta Virgilianam aſſertionem in ſexto Aeneidos, cum dicitur.

Infernus nõ eſt in ſphæra ignea.

Non mihi ſi centum linguæ, oraq́ centum
Ferrea vox, omnes ſcelerũ comprehendere formas,
Omnia pœnarum percurrere nomina poſſem.

In hoc animarum receptaculo dęmones ſunt,qui angeli ſecundum naturam ſunt, ſed malitia ſua dæmones,aut diaboli nuncupantur. Hi æternis ſupplicijs mãcipati ſunt. Hic quoque indeſinentes pœnæ ſunt,& eſt iſte locus vnicus ad pœnas ſeparatus, ab alijs locis diſtinctus,nec vbique, vt aliqui exiſtimauerunt, dicẽtes animas æternis incendijs traditas ibi puniri,vbi peccata commiſerunt.Hoc tamen ſtare nequit:quoniam contingit,quòd aliquis in multis locis peccauerit: ergo in multis locis deberet ſimul puniri, ſed non contingit eandem animam in multis locis ſimul poſſe puniri:ergo non punitur in locis,in quibus peccauit.Niſi fortaſ- B ſis dixeris, quòd anima punitur pro quolibet peccato in loco,in quo deliquit,ſed punitur in vno loco,in quo deliquit pro peccatis, quæ ibi patrata ſunt: deinde in alio loco pro peccatis, quæ ibidem facta ſunt, quo pacto in ſingulis locis, atque in omnibus punitionẽ ibidẽ patratorum recipiet peccatorum.Hoc tamẽ adhuc ſtare nequit,quia pro quolibet mortali peccato debetur pœna æterna:ergo cum inceperit in aliquo loco anima puniri,in quo deliquerit,quia pro quolibet mortali æterna pœna debetur, ibi æternaliter punietur, & ſic non tranſibit, vt puniatur in alio loco, in quo deliquit: ita vt impoſsibile ſit eam in omnibus locis,in quibus deliquit puniri Item ſi daretur,quòd aliquis condemnatus in aliquo loco puniretur pro peccato, quod ibi commiſit, quouſque perueniretur ad vltimum peccatum,cũ C peccata cuiuslibet hominis, quanquam multa ſint, tamen finita ſecundum numerum ſuit,tunc quæretur,an pro illo vltimo punietur æternaliter, aut non; ſi autem dicamus,quod puniatur æternaliter,erit inconueniens: quia pro quolibet illorum fuit punitus homo vſq; ad perfectarum pęnarum perſolutionem, & tamẽ pro nullo eorum, nec pro omnibus ſimul ſumptis fuit punitus ęternaliter,ergo nec pro iſto punietur ęternaliter.Si autem dicamus, ꝙ pro iſto vltimo punitur,ſicut pro quolibet aliorum,ſicut pœna cuiuslibet aliorum,& omniũ ſimul ſumptorum eſt pœna temporis finiti,ita huius vltimi pœna finita erit.Et ſic dabitur,quod illi,qui in inferno ſunt,ęternaliter non puniantur,quod prorſus catholicę obuiat aſſertioni:non eſt ergo idem locus punitionis,& delicti. Si autem aliquando(quod rarum eſt) D aliquas animas ęterno mancipatas igni, per diuerſas terrarum,atque maris, & aerearum regionum loca pœnas tolerare cognouerimus, hoc regulare non eſt, ſed ad quoddam myſterium vtilitatis viuentium eſt, vt hoc cognito aliquid in viuentibus permutetur.De hoc Gregor.Dialog.lib.4.Dicendum eſt igitur eos, qui in mortali culpa deceſſerunt ęternis pęnis eſſe ſubiectos, in quodam receptaculo ad hoc ſpecialiter determinato, quod à nobis latinitatis more infernus appellatur.

Aīæ aliquãdo in ſpeciali loco puniuntur.

Quædam de Inferno. Cap. XC.

SVPPOSITIS autem, quę in pręcedentibus dicta ſunt,ſ.inferni locum non vbicunque peccatum fuerit eſſe, ſed aliquem eſſe determinatum locum ad has E pœnalitates, adhuc à quibuſdam ſatis deliratum eſt. Quidam namque hunc pœnarum vnicum locũ in aere caliginoſo eſſe voluerunt:quorum aliquale videtur eſſe motiuum, qm̃ infernus pœnarum locus eſt. In aere autem caliginoſo iſta conuenienter fiunt, cũ locus ipſe pęnalitatibus adaptetur. Eſt.n.ibi caliditas nimis afflictiua in gradu exceſſiuo,ꝙ infernali loco cõpetit:qualitates namq; actiuæ,& paſſiuæ ſunt organa,ſiue inſtrumenta quædam ſubſtantiarum agentium,& patientiũ. Hæ autem oẽs actiuæ & paſſiuæ qualitates ſecundum poſitionem omniũ de natura loquentium quatuor ſunt .ſ.caliditas,& frigiditas;humor,& ſiccitas.Harum duę .ſ.caliditas,& frigiditas ſunt magis actiuę.Aliæ autem ad patiendum magis directæ ſunt,quàm ad agendum,

Infernus eſt i ſphęra ignis, & aere caliginoſo.

A ſi cũ duabus prioribus cõferantur. Infernus ergo ibi eſſe propriè debet, vbi iſtæ duæ in gradu intẽſiſſimo ſũt,& quia intẽſiſſimus calor in elemẽto ignis eſt.Exceſſiuum aũt frigus in aerea regione, in aere caliginoſo,videbitur alicui non inconueniẽter dictum, infernum in ignea,aut aerea eſſe regione. Fuit autẽ huius poſitionis origo.Quidam.n.volentes Platonicę inniti poſitioni cũ ipſo Platone ſanxerunt, totam machinam mundialẽ ex quatuor conſtitui elementis, ita ꝙ præter quatuor elemẽta,& formata ex his corpora,quæ elemẽta vocamus, nihil in tota corporũ vniuerſitate eſſe poſſit. Quo pacto ipſos cęleſtes orbes,atq; aſtrorũ corpora elemẽtares ſubſtantias crediderunt; vnde Cęlum ſubſtantiã igneã dixerunt,& aſtra corpora eſſe ex igne conſtãtia puriſſimo.Demõſtrat.n.hoc cęli nomen. Cęlum.n.apud Poe- B tas, atq; alios antiquos et doctiſſimos ſcriptores æther dicitur:Aether tñ ex ſua primaria origine ignem notat. Et quia ſecundum Aſtrologicam,atq; notam ſatis poſitionem planeta diſtemperãtior in caliditatis influxu Mars eſt,in Cęlo Martis puriorem,atq; viuaciorem conſtituerunt ignem. Addiderunt quoq; flegetontẽ fluuiũ, qui ab oĩbus Poetis apud inferos eſſe aſſeritur, atq; ardens, & vrens ex Græca origine interpretatur cęlũ Martis eſſe,ex quo inferunt inferorum loca ipſius Cęli Martis eſſe quædã receptacula.ſ.in medio,& viciniori loco igneę regionis.Hanc(vt quidam referunt)tangit poſitionem Marcianus,Fęlix,Capella libro 1.de Nuptijs Mercurij,& Phyſiologiæ,proſa prima,diſtinctione ſecũda quæ incipit; Verum eoſdem amnes diuerſicolor fluentorum vnda raptabat,vbi de planetarũ conditione agi- C tur.Hæc tñ Marciani intentio non eſt,quin potius flegetontem, poetica obliquatione adopertum quid eſſe dicit, quod iuxta terræ circulum in ipſa propriè regionis aerę priori particula ponit,dicens, iuxta terrã ex calore ſuperiori aerem calefieri, & quodã quaſi eleuato à terra madore obnubilari, ita vt humore calor mixtus fluctus quidam ſit.Cũ aũt animę corporibus egreſſæ ſuperioris Aetheris partes petere enitãtur; nubuloſo quodã; atq; madido æſtu fluctuantes ferũtur, nè tranſeãt,ibiq; eis tãdiu pęna eſt,quãdiu Pluto aĩarum Deus adiudicarit. De hoc lib.2.de Nuptijs Mercurij, & Phyſiologiæ proſa ſecunda ait;Circa verò ipſum terrę circulũ aer ex calore ſuperiori,atq; ex halatu,madoreq; infero turbidatus,egredientes a corporibus aĩas quodã fluenti æſtu collidens non facile patitur euolare;hincque tractũ Pyr- D flegetonta,ſolertia poeticæ adũbrationis alluſit, atq; in eo perenni ſtrepitu volutata colliditur aĩarũ, quas Vedius adiudicarit impietas,i.Pluto, quem etiam Direm Veronemq; dixere. Illa tñ, quæ prædicta ſunt ſtare nequeunt; quoniam præſupponunt cęleſtia corpora ex elementali materia eſſe,quod contra doctrinam oĩum Phyloſophorum militat,præſertim Ariſtotelis, & Peripateticorum. Identidem quoque contra catholicorum doctorum poſitionem.Item hoc patet vlterius, qm̃ corpora cęleſtia incorruptibilia tam ſecũdum partem, quam ſecundum totum oẽs concorditer aſtruunt: elementalia tñ corpora corruptibilia ſunt: ipſa namque elemẽtalia corpora q̃q̃ ſecundum ſe totã nullam corruptionẽ patiãtur,nè aliqua deſit de partibus principaliſſimis vniuerſi,ſecundum partem tñ corrumpuntur. Si igitur Cę- E lum,aut elementum, aut elementatum corpus eſſet, in eo aliquam cauſari corruptionem neceſſe eſſet, nullam tñ corporibus cęleſtibus peregrinam aduenire concedimus impreſſionẽ: ergo nec elementum,nec elementatũ eſt. Amplius aũt non conuenit iſta poſitio,quantum ad id, ꝙ dicit.ſ. ꝙ infernus ſit in corporibus ſupra cęleſtibus: nam infernus męroris ſummi locus eſt: non decet igitur,ꝙ ſit in iucũdiori, atq; perfectiſſima orbis parte, ſed in ea,quæ imperfectior,atq; ad infligendum pœnas apta.ſ.vt ipſa loci facies, atque qualitas ſibiipſi errorẽ quendam,atque timorem incutiat. In corporibus autẽ cęleſtibus horum nihil eſt, cùm illa ſint perfectiſſima in tota naturæ vniuerſitate. Non congruit ergo, vt in corporibus cęleſtibus inferorum locus aſſeratur. Aliæ autem rationes induci poſſent,de quibus ſufficerit.

Cęlũ eſſe ſubſtãtiã igneam.

Flegetõ. fluuius a quibuſdã dicitur CęlũMartis.

Infernus

Infernus non eſt in aere caliginoſo. Cap. XCI.

QVemadmodum autem quidã delirantes in ignea regione, atque cœleſtibus corporibus infernorum locauerunt ſedes ita & quibuſdam viſum eſt ad hoc caliginoſum aerem conuenire, quod ſtare nequit. Sit igitur concluſio. Locus æternorum ſuppliciorum, qui infernus dicitur, in aere caliginoſo nequaquam ſtatuitur. Senſus huius eſt; quòd infernus poni non poteſt in aere caliginoſo: De caliditate enim exceſſiua, quòd in igne poneretur ſupra dictum eſt. Nunc autem de frigiditate, quæ ſecunda qualitas in actiuis ponitur, dicitur, quòd ipſa in aere caliginoſo exceſſiua ſit, ſcilicet, quòd in toto vniuerſo non ſit tanta frigiditas, quanta eſt in aere caliginoſo: infernali autem loco competit aliqua qualitas nimis afflictiua, qualis eſt intenſa frigiditas in gradu excellenti: ergo in media aeris regione, ſcilicet, in aere caliginoſo eſt. Iſta enim media aeris regio, exceſſiuã totius naturæ rerum continet frigiditatem, non quidem ex natura aeris: quoniam aer ſecundũ ſe calidus, & humidus eſt. Principatus autem frigoris ſecundum naturã in elemento aquæ eſt: aer tñ frigidior actualiter, quam aqua eſt. Hoc autẽ patet, quia nix frigidior eſt aquatico elemento: niuis tamen generatio in aerea regione eſt, & non in aqua. Oportet ergo locum, in quo niues gignuntur, frigidiorem eſſe loco, in quo aquæ ſunt. Item grandines, & lapides magni geniti per metheoricam impreſſionem frigidiores ſunt aqua. Oportet ergo, vt locus ille, in quo gignuntur, frigidior ſit, quàm aqua: quoniam id quod gignitur, attrahit præcipue virtutem à loco generationis, cũ ab omnibus ponatur locus generationis, tanquam principium rei genitæ, & hoc, quia genitum gignitur in loco in virtute influentiæ receptæ in loco, in quo fit generatio: ſed oĩa hæc in aere gignũtur, ergo frigidiſſimus locus eſt aer, per cuius actionem res tam frigidæ generantur. Item ſi aqua eſſet frigidior aere, eſſet in medio ſui frigidior, quam in aliqua ſui ſuperficie, tã ſuperiori, quam inferiori, cum mediũ non habeat mixtionem cum aliquo alio elemento. ſ. nec cum terra, nec cum aere. In ſuperiori namque ſuperficie aqua aeri coniungitur: in inferiori autem terræ permiſcetur à quibus ad aliquam extraneam qualitatẽ perduci poteſt, quod in medio fieri nequit. Sed hoc falſum eſt, quoniam frigidior eſt aqua in ſuperficie ſuperiori, qua aeri coniungitur, quam in medio: ergo non eſt frigidior aere. Hoc apparet quoque tempore magnæ hyemis, cum piſces fugientes ſuperiores à quæ partes propter nimiam frigiditatem ima petunt, vbi tanta frigiditas non eſt quanta in parte ſuperiori. Item inter omnia frigidiſſima, quæ in vniuerſo ſunt: aqua gelida, ſ. ipſum gelu, frigidiſſima eſt: gelu tamen non gignitur in aqua ex virtute actiua aquæ, ſed propter actionem aeris, eſt igitur frigidior aer aqua. Quòd autem gelu virtute actiua aeris, & nõ aquæ generetur, apparet: quoniam ſi propter aquam fieret, in medio aquæ gelu prius, quàm in ſuperiori ſuperficie gigneretur: in medio namque aqua purior eſt nulli extraneo commixta elemento, ſcilicet, nec aeri, nec terræ. Fieret igitur, vt gelu prius in medio aquæ, quã in alijs partibus gigni inchoaret, ita vt parua cruſta fieret: deinde pauliſper concreſcens vſque ad ſuperficiem aquæ perueniret vbi aeri coniungitur. Penitus tamen è contrario fit: nam cùm aqua incipit congelari, in ſuperficie eius, qua immediatè aeri coniungitur, quædam parua cruſta gelidarum aquarum fit: deinde continuis verſus profundum adaugetur incremẽtis, quouſque tota aqua gelida fuerit, imò tota gelu facta: aerem igitur, à quo in aqua intenſa cauſatur frigiditas, aqua frigidiorem eſſe neceſſe eſt.

Aer caliginoſus eſt frigidiſſimus.

Niues generantur in aere.

Locus eſt principiũ generationis.

Gelu generat virtute aeris & eſt frigidiſſimum.

Aer eſt frigidior terra. Cap. XCII.

SIcut autem aerem aqua frigidiorem eſſe inductũ eſt, ita identidem de eius collatione ad terram dicetur,

F ſcilicet, cum maiorem continere frigiditatem, quàm in terra ſit. Si enim terra frigidior aere eſſet, cum aqua gelida fiat ex actione magni frigoris, neceſſe eſſet, vt magis terra frigefaciens aquam gelidam efficeret, quã aer, quod falſum eſt: nã aer gelu in aquis cauſat, & nõ terra: Quod apparet, quia ſi terra gelidas aquas efficeret, cum omne naturale agens agat in ea, quæ propinquiora ſunt, quia actio per contactum eſt, iuxta Ariſto. 1. de Generatione, & Corruptione, inciperet aqua gelida fieri ab ea parte, qua immediatè terræ coniungitur, ſcilicet, in inferiori ſuperficie, & continuis incrementis vſque ad ſuperiorem aquæ ſuperficiem, in qua aeri cõiungitur, perueniret. E contrario tamen accidere ſemper manifeſtũ eſt; nam cum aquas gelidas quiſquam fieri conſpexerit, primo a ſuperiori ſuperficie aquæ, vbi aeri coniuncta
G eſt, cruſtulam quãdam gigni videbit, quouſque ad auctã frigiditate agente continue, aquæ partes cõgelentur vſque ad imum. Neceſſarium eſt igitur confiteri aerem aqua, & terra frigidiorem eſſe, & conſequenter aerẽ eſſe frigidiſſimum, quod in tota rerum vniuerſitate ſit: quãquam à complexione ſua nulla ei frigiditas inſit: ſed calidus, & humidus ſit. Modus aũt, quo aer, cum nõ ſit ſecundum naturam frigidus, ſed calidus, & humidus, tantum infrigidetur, vt ſit frigidiſſima rerum, eſt, quoniam ſecundum communem, & directam naturæ actionem calida calefaciunt, frigida autem infrigidant, humida humefaciũt. Siccorum autem actio eſt deſiccare. Eſt autem alius actionis modus, quo frigida calefaciũt, & calida frigefaciũt. De humidis autem, & ſiccis idem iudicium eſt. Iſte ſecundus modus actionis ſecundum
H Ariſt. in lib. Meteorum vocatur per antiperiſtaſin, quaſi actio ex contrariorum reſiſtentia. De hac autem actione multa in natura exempla patẽt: velut ſi quis valde frigidas manus habuerit, cum eas primo ad ignem applicuerit, acriorem frigiditatem ſentiet, quam antequam eas applicuiſſet: hoc igitur modo caliditas frigefacit. Huius cauſa eſt, quia contraria naturaliter in ſeipſa agunt, & à ſe inuicem fugiunt. Cum autem aliquis nimis frigidus igni ſe applicat, caliditas in frigiditatem agit, vt eam deſtruat. Frigiditas autem in ſeipſam coniungitur, vt ei reſiſtat, cum aliqua virtus vel qualitas coniungitur, fortior eſt ſeipſa diuiſa, iuxta communem regulam in natura: omnis virtus vnita fortior eſt ſeipſa diuiſa: vnde neceſſarium eſt fortiorem eſſe illam frigiditatem cum
I ei caliditas magna coniungitur: quæcunque enim qualitas actiua tunc fortiorem actionem habet, cum ipſa fortior eſt. Neceſſe eſt igitur, vt magis frigeat, qui nimis frigidus exiſtens igni accedit, quàm antequam applicetur, & ibi cum primo adiunctus fuerit magnum ſentit cruciatum, cùm intenſiſſimè agat frigiditas recedens a calore ignis. Propter quod interdum accidit, vt qui in alpibus magnam frigiditatem ſuſceperit, cum ad ignem fortiſſimum applicetur, manus ei, aut pedes cadant a reliquo diuiſa corpore: quod non accideret, ſi in magnis alpium frigoribus iſte conſiſteret, nec accidiſſet ſi vlterius permanſiſſet: quia hic repercuſſa frigiditas à calore igneo fortior efficitur. Et cum ſit proprietas ignis conſtringere, & à maxima frigiditate conſtrictio maxima conſequatur, tanta partium frigidarum conſtri
K ctio fiet, vt ab inuicem ſeiungantur, & ſic manus, aut pedes cadant à reliquo diuiſæ corpore. Aliud autem ſimile huic exemplum patet, ſcilicet, quòd frigiditas calefaciat, quod in fabris apparet, qui volentes intenſiorem facere ardorem carbonum ignitorum, ſuper eos aquam guttatim ſpergunt, & tunc maior quàm antè fuerat ignis inſurgit. Cauſa autem huius eſt, quia cum aqua ſuper carbones iacitur, calor in ſeipſum colligitur, & anguſtatur. ne ſuperueniente frigiditate vincatur, & quia virtus vnita maior eſt ſeipſa diuiſa, fortior calor efficitur, & acrius exurit. Multa his ſimilia in natura exempla ſunt. Iſte modus actionis per antiperiſtaſin eſt, quo niues, & grãdines, fulmina, & fulgura, ceteræ quoque Meteoricæ impreſſiones cauſantur. De his Ariſtot. in libris meteororum.

Aer eſt ex ſui natura calidus & humidus vnde fit frigidior omnib⁹.

Frigidus ſi igni appropinquauerit immediate maiorẽ frigiditatẽ ſentit.

Fumoſitates nõ aſcendant vſque ad extremitatem aereæ regionis. Cap. XCIII.

NVnc autem dicendum eſt, quòd regio aeris tenet a ſuperficie terræ, & aquarum vſque ad igneã regionem. Ad hanc autem regionem aſcendunt de terra, & aquis multæ exhalationes, atque vapores diuerſarum qualitatum, quorum quidam humidi, alij ſicci ſunt. Hoc autem, quia ſol calore ſuo ſubtiliat, & digerit has fumoſitates, & incorporatur illis, eleuat eas in aeream regionem: non poſſunt tamen iſtæ fumoſitates vaporum, aut exhalationes ſurgere vſque ad igneam regionem ad extremitatem aereæ regionis. Quod triplici ratione factum videtur. primò quia nequeunt fumoſitates iſtæ ad regionem igneam accedere: quia cum fumoſitates iſtæ terreæ ſint, quanquam non ſint terra,
B nec partes terræ: retinent tamen quandam terrę conditionem in grauitate, ideo eis locus alicuius grauitatis competit. Sphæra autem ignea, & extremitas aereæ regionis loca ſummæ leuitatis ſunt: non igitur poterunt competere iſtis fumis eleuatis à terra. Secunda autem cauſa harum eſt, quia qualitas iſtarum fumoſitatũ eſt contraria ad qualitatem ſphæræ igneæ, & extremitatis aereæ regionis: nam conditio harum fumoſitatum eſt, quod humidæ ſint, vt in plurimum: aut ſiccitatẽ quandam terreſtrem habeant cum frigiditate. In extremitate autem regionis igneæ & aereæ, caliditas magna eſt, ſed cõtrarijs iſta lex eſt, vt cùm mutuo ſe expellat, in eodem ſubiecto, aut loco eſſe non poſſint: non poterunt ergo hæ fumoſitates terreſtres in regione ignea,
C aut extremitate aereæ regionis apud ignem conſiſtere. Tertia in his cauſa eſt, quoniam iſtæ fumoſitates non ſunt directè elementa, aut elementa, ſed quędam impuritates elementorum, potiſſimè ipſius terræ. Conditio autem ignis eſt omnes impuritates conſumere, & quęlibet res ſeipſam conſeruare cupit, & mortem perniciemque deuitat, vt ait Boetius de conſolatione libro tertio, proſa vndecima: neceſſarium ergo eſt, vt iſta ab extremitate, & confinio aereæ, & igneæ regionis fugientia alium locum inferiorem teneat. Hoc autem eſt, quia iſti vapores a terra eleuati, manent ſuper terræ ſuperficiem in ipſa aeris regione. Fit enim iſta eleuatio per radios ſolis reflexos, vel incidentes. Hos enim radios in corporibus radioſis diſtinguimus.

Cuiuslibet aſtri radij ſunt duplices. Cap. XCIV.

D IN quo ſuccincto ſermone ſupponendum eſt, ſolis, & cuiuſlibet aſtri duos eſſe radiorum modos, ſcilicet radios incidentes, & directos; & radios reflexos, & obliquos. Primi ſunt qui directè veniunt á corpore ſolis, vel alicuius aſtri vſque ad terram, quam non pertranſeunt propter compactam ſoliditatem: hi ab aſtris venientes vſque ad terram nullo medij obiecto confringuntur, nec reflectuntur. Incidentes autem radij ſunt, qui in aliud cadunt iuxta nominis ſui originem, ſcilicet qui ab aſtrorum corporibus ſuper terram inci-
E dunt. Secundi vocantur radij reflexi, & obliqui: hi ſunt, qui a terra conſurgunt. Cum enim in terra incidunt radij directi aſtrorum, quia illa eſt denſa, non valent pertranſire, ſed ſurgunt ex ipſa in aerem reſilientes. Sic in omnibus rebus duris eſſe videtur: nam ſi lapis lapidem, aut ferrũ ferrũ tetigerit, confeſtim inde diſcutitur, atque reſilit. Hos autem radios, quos reflexos appellamus, eſſe apparet, quia ſi ponatur vas aliquod magnum aqua plenum, vt lebetes, vel peluis, aut caldarię ad ſolẽ iuxta aliquẽ parietẽ, ad quem antè radii nulli ſolares pertingebãt & ſint ibidẽ obiecta aliquarũ mediarũ rerũ: ex illa aqua radii reſiliẽt tangentes, & illuſtrantes parietem, ac ſi in eum ſolares radij inciderent. Sed iſti non ſunt radij directi, & incidentes, cum ſol directè illum parietem tangere non poſſit, & antè hoc non tangebat: ſed nunc videntur ex appoſitione aquæ, in qua fit reflexio. Neceſſe eſt igitur præter radios directos eſſe alios, qui reflexi nominentur. Non.n.

Quo modo cauſentur radij reflexi.

Radij incidentes.

A poſſumus dicere illos eſſe radios incidentes: quoniam incidentes radii ſunt, qui in aliquam rem ſolum incidunt. Nullus ergo iſtorum reſurgit, ſed hi dũtaxat qui reflexi nuncupantur. Cum igitur fieri debet aliqua eleuatio fumoſitatum terrenarum, fieri nequit a radiis incidentibus: nam cum ipſi in aere non reſurgant, irrationabiliter dictum videtur, quòd aliquid eleuent ad aeream regionem. Secundi igitur ſcilicet radii reflexi ſunt qui aliquid in aerem eleuant, & ad hos pertinent fumoſitates exhalationum, & vaporum ad aereã ſubtiliando eleuare regionem, & quantum iſti radii ſurgunt, tantum ſecum eleuant terrenas fumoſitates. Et quia in uernali, & æſtiuali tempore radii iſti reflexi magis eleuantur: cum radii incidentes ſint directiores propter multum ad nos appropinquantem ſolem ver-
B ſus perpendicularem, eleuabuntur magis terrenæ fumoſitates verſus igneæ ſphæræ regionem elongatæ á terra multum. In tempore autem hyemali ſunt iſtæ fumoſitates exhalationum, & vaporum propinquiores terræ: quia præ humiditate temporis groſſiores ſunt, atque ponderoſiores, & radii ſolis nequeunt eas multum eleuare. Et hoc potiſſimè quoniam ſol in hoc tempore multum declinat à nobis deſcendens á perpendiculari: & cũ ſint radii incidentes modicum directi, ſed quaſi veniunt á latere radii reflexi, modicũ inſurgent, paucumq; eleuare valebunt has terrenas fumoſitates.

Eleuatio vaporis à quib. radijs fiat.

Totius aereæ regionis tripartitio. Cap. XCV.

C HIs autem ſuppoſitis neceſſe eſt totam aeream regionem tribus partitionibus, quanquã non æqualibus, diſtributam fore, quæ ſecundum Philoſophos interſtitia appellantur. Harum autem partitionum prima eſt, quæ aere caliginoſo, & terræ circulo intercipitur. Hæc autem ſerena, vt in plurimum eſt; quia in ea non ſunt vapores, aut exhalationes in quantitate notabili. Secunda autem portio caliginoſi aeris eſt, in qua exhalationes & vapores ſunt: in hac quoq; niues ſunt. Inde etiam ad nos imbres fluunt: ibi quoque grandinum, & fulminum ceterorumque meteoricorum cunctũ generatio eſt. Tertia aereæ regionis particula eſt ſuper aerem caliginoſum vſque ad igneam regionem. Ad ſecundam regionis aereæ particulam vapores, & exhalationes perueniunt, in qua ſumma frigiditas, quæ in
D toto vniuerſo ſit, cauſatur hoc modo ex actione per antiparistaſim, ſcilicet, quòd iſtæ fumoſitates, quæ ex natura terræ, aut aquæ frigidæ ſunt, fugiunt á calore primæ partis regionis aereæ ad medium ſphæræ, vel regionis aeris, & rurſus fugiunt a parte ſuperiori regionis aereæ propter calorem ſuperioris particulæ. Sunt enim concluſæ a duabus calidis regionibus, ſcilicet, á prima portione aereæ regionis, quæ calida eſt propter radios ſolis reflexos ibi exiſtentes, & calefacientes: etiam ab extrema particula aereæ regionis, quæ calida eſt propter propinquitatem ad igneã ſphęram. Vt igitur iſtæ exhalationes, & vapores ſe conſeruent, quæ frigidæ ſunt, a contrariis fugientes in ſe condenſantur,
E & per vnionem virtus maior efficitur, ſicut prælibatũ eſt de eo, qui magnum frigus paſſus in manibus eas ad ignem applicat: nam tunc maior fit frigiditatis intenſio. Non eſt autem alius locus in toto vniuerſo, in quo continuè per antiparistaſim frigiditas fortificetur, niſi in aere caliginoſo, qui inter duas calidas regiones eſt. Neceſſe eſt igitur, vt maior totius vniuerſi frigiditas in caliginoſo aere ſit. Cum igitur in hoc caliginoſo aere qualitas maximè afflictiua in genere ſuo, ſcilicet, maxima frigiditas ſit, conuenienter alicui dici videretur, vt in eo infernus, qui pęnarum maximarum locus eſt, ſtatuatur. Amplius autem hoc induci videtur auctoritate Apoſtoli in Epiſtola ad Epheſios capitulo vltimo, cum ait: Induite vos armaturam Dei, vt poſſitis ſtare aduerſus inſidias diaboli: quia non eſt vobis colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem, ſed aduerſus principes, & poteſtates mundi, aduerſus rectores tenebrarum harum: contra ſpirituales nequitias in cęleſtibus.

Niues grandines, & huiuſmodi generantur in medio aeris.

Summa frigiditas eſt in medio aeris.

Epheſ. vlt.

Dæmones ſtant in aere.

Innuit

Innuit igitur nobis Apoſtolus manifeſte pugnam eſſe contra dæmones, qui ſunt in cælestibus, ideſt, in parte aerea. Non enim poſſunt dici cæleſtia loca cælorum, quia ad illa dæmones non aſpirant. Patet autem, quod de dęmonibus dicat: quoniam à principio dixit, induite vos armaturam Dei, vt poſſitis ſtare contra inſidias diaboli. Amplius autem idem patet, quia nobis non eſt colluctatio, ideſt, pugna per tentationes, niſi contra carnem, & ſanguinem, ideſt, contra ea, quæ ſunt intra nos, aut contra id, quod in mundo eſt, aut contra dæmones, qui generis humani capitales hoſtes ſunt. Hæc autem pugna, quam hic Apoſtolus nominat, non eſt contra carnem, & ſanguinem, quod eſt aliquid in nobis, cum expreſſe hoc Apoſtolus inſinuet: ergo aut contra ea, quæ in mundo ſunt, aut contra dæmones. De his autem concupiſcibilibus, quæ in mūdo ſunt intelligi nequit: quia iſta non vocantur principes, & poteſtates, & rectores tenebrarum. Item non ſunt ſpirituales nequitiæ, quia nec mala ſunt ſecundum ſe, aut nequitiæ, quod grauius quidem eſt, nec etiam in cælestibus, ideſt, in aerea regione, ſed inter nos ſunt. Sed de dæmonibus intelligendum eſt, qui principes mundi, & rectores ſunt, & poteſtates tenebrarum iuxta illud Ioan. vigeſimo. Nunc iudicium mundi eſt, & princeps mundi huius eijcietur foras, & Ioan. decimoquarto: Venit princeps mundi huius, & in me non habet quidquam, & Lucæ vigeſimo ſecundo: Nunc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum. Quæ omnia ad dæmones neceſſariò referenda ſunt. Hos autem dæmones Apoſtolus nequitias ſpirituales in cæleſtibus habitantes dixit, ideſt, in aere, quia non ſunt in alia regione, nec vocauit eos poteſtates in terreſtribus, aut in ignea regione habitantes: dæmones tamen in inferno ſunt: infernus ergo in aerea regione eſt. De dæmonibus autem, quin in inferno ſint, dubium nullum eſt: infernum ergo ibi eſſe conſtat. Ad hoc infra reſpondetur.

Infernus in terrena locatur regione. Cap. XCVI.

QVi etenim infernum in aerea locauerunt regione, vt ex dicendis concludetur: rationi & auctoritati nihil conſentaneum dicunt. Sit ergo concluſio: Infernum, quem ad æterna ſupplicia dicimus eſſe paratum, in terrena regione oportet eſſe locatum. Hoc autem ex ſignificatione huius nominis ſecūdum omnes linguas, in quibus eſt, apparet. Accipio autem omnes linguas, ſcilicet, principales, quæ tres ſunt, ſcilicet, Latina, Hebræa, & Græca, vt ait Iſidorus Ethymologiarum libro nono: quod identidem ex ſuperſcriptione Crucis Domini Ieſu patet: nam titulus eius Latinè, Hebraice, & Græcè conſcriptus eſt, vt patet Ioann. 19. cap. In lingua autem Latina Inferni nomen ab infra originem trahit. Infernus tamen reſpectu noſtri dicitur. Oportet ergo, vt infra nos ſit: ſed regio aerea non eſt infra nos, nec vlla alia niſi dumtaxat terra: cum ergo in terra eſſe neceſſe eſt. Item ex Græco nomine hoc idem apparet: nam in Græco Gehenna, aut Gehennon dicitur, quod nos infernum appellamus: illud tamen idem Græce, quod profunda terra ſignificat: Gehenna enim terra eſt, nō autem profundum notat. Idem ex Hebræa apparet origine. Infernus enim in Hebræo Scol dicitur, quod infernum pariter, & ſepulchrum ſignat, ſed Scol aliquid, quod infra nos eſt notat. Omnium ergo linguarum proprietas infernum ſub terra eſſe prodit. Item hoc patet Numeri decimoſexto cap. Nam cum de Dathan dicitur, & Abiron, cæteriſque ſceleris ſui complicibus, quòd terra ſubmerſit eos, dicitur: Deſcenderunt viuentes in infernum. Infernus ergo in terra erat: alioquin enim non potuiſſent illuc deſcendere Dathan, & Abiron. Idem patet Pſal. 85. Domine liberaſti animam meam ab inferno inferiori, vbi ſiue accipiatur comparatiuus comparatè, ſiue abſolutè, neceſſe eſt, vt infra nos infernus ſit. Nam ſi ponatur comparatiuè, oportet ſaltem duos inferos eſſe, & alterum eſſe altero inferiorem: & tamen vtrumque infra: ergo infra nos. Idem apparet hoc ex eo quod dicitur Iſa. capitulo ſeptimo, ſcilicet: Pete tibi ſignum à

F Domino Deo tuo, ſiue in profundum inferni, ſiue in excelſum ſupra, vbi Iſaias duas diſtinxit locorum poſitiones, ſcilicet, ſupra, & infra: ſupra dixit eſſe excelſum: infra dixit profundum inferni. Item neceſſe eſt poni infernum in terra, & non in aere: quia præcipue pœna inferni eſt in igne, ſed in caliginoſo aere non eſt ignis: ergo non eſt infernus. Aſſumptum inducitur: quia pœnæ infernales ſunt maximæ: ergo fieri debent in qualitate maximè aſſlictiua: ſed nulla magis, aut æquè aſſlictiua eſt, vt cauſalitas ignis, oportet ergo ignem poni vbi infernus fuerit. Firmius autem adhuc patet, ex eo quod habetur Matthæi vigeſimo quinto capitulo, ſcilicet: Ite maledicti patris mei in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & angelis eius ab origine mundi: ignem igitur præcipuam inferni pœnam poſuit, vel G magis ipſum tanquam totam inferni pœnam deſignauit. Quòd autem in aere caliginoſo ignis non ſit, manifeſtum eſt: quoniam regiones elementorum diſtinctæ ſunt, ſed aer caliginoſus eſt in media aeris regione: ergo ibi ignis nequaquam eſt. Huic rationi quiſpiam fortaſſis obuiabit, dicens, quòd ſicut in terra ignem ponimus, quanquam ipſa elementum, & ſphæra diſtincta ab ignea regione ſit, & qui in terra infernum collocant in ea ignem ponunt: ita in aere caliginoſo ignem, & infernum poni licebit. Reſpondendum his eſt, dicta ſtare non poſſe: nam ſi in aere caliginoſo infernalia incendia poſuerimus, nullus effectus ſequetur de his, quos ſequi naturaliter videmus. Si enim in caliginoſo aere ignis eſſet, poneretur locus ille calidus, & quidem valde calidus: ergo non poſſent ibi gigni grandines, & H niues, qui ex magno frigore generantur: idem de fulminibus, & pluuijs, & omnibus meteoricis impreſſionibus. Nulla quippè ipſarum gigneretur, ſi locus ille calidus poneretur, cum omnia hæc fiant per exceſſum frigoris, niuem condenſantis. Locus autem maximi frigoris, & cuiuſcunque caloris quantumlibet parui multum diſtantes ſunt: aer ergo caliginoſus intenſe frigidus eſt, imò frigidiſſimus, & non eſt ibi calor aliquis igneus, nec infernus.

Pœna infernal maxima in igne.

Reſponſio ad rationes ſuperius allatas; & quædam de dæmonibus. Cap. XCVII.

AD rationes autem præpoſitas, inducētes infernum I in caliginoſi aeris quadam locari particula, ſatis faciliter reſponderi poteſt.

Ad primam, cū dicitur, infernus eſt in loco vbi qualitates aſſlictiuæ ſunt intenſiſſimæ, ſed in aere caliginoſo frigiditas intenſiſſima totius vniuerſi eſt: Infernus ergo ibi eſt. Dicendum, quòd ex hoc modo arguendi inducitur potius contrarium. Nam in inferno non ſolum eſt vna qualitas actiua intenſa, ſed omnes: ſi tamen in caliginoſo aere eſſet, ſolum ibi poneretur frigiditas intenſa, & nulla caliditas, & cum in caliginoſo aere ſit ſola frigiditas, vt in prædictis inductum eſt, eſſent hoc modo omnes pœnæ inferni vna pœna, ſcilicet in frigore: quod euidentiſſimè falſum eſt.

Ad ſecundam rationem quando arguitur de dicto Apoſtoli, ſcilicet, Non eſt nobis colluctatio aduerſus K carnem, & ſanguinem, ſed aduerſus principatus, & poteſtates, & rectores tenebrarum harum, & ſpirituales nequitias in cæleſtibus. Reſpondetur, quòd ſi ex hac auctoritate induci poſſit, q̄ dæmones in aere ſunt: non tamen patet, quod infernus ſit in celeſtibus, ſ. in aere. Dęmones namque bipartiti ſunt: quidam enim tentantes ſunt: alij autem puniuentes, & puniti. In quo ſciendum eſt, quòd vbicumque dæmones ſint, infernum ſuum ſemper ſecum portant, ideſt, ſemper habent pœnam, quam in inferno habituri erant, etiamſi ibi ſemper eſſent. Sed adhuc quidam ſunt, qui in inferno ſunt, vbi ſunt animæ damnatorum, & iſti dæmones puniuntur ibi, atque animabus, vt miniſtri Dei, pœnas pariunt. Hi autem nequaquam nos ad malum ſuggerendo ſolicitant, nec alicui noſtrū realiter, aut in conceptu lædunt, quia de carcere illo infernali non exeunt: & iſti non ſunt in aere,

Dæmones ſūt bipartiti.

nec

nec infernus, in quo iſti mancipati ſunt in aere eſt. Alij dæmones ſunt ad tentandum homines deputati, qui bonos & malos indiſtinctè ſolicitant ad praua: pœnas quoque corporales, & alia nocumenta aliquando bonis, & aliquando malis inferunt. Quòd autem dæmones nefarios homines interdum tentent, apparet ex eo, quod habetur Ioan. 13. cap. de Iuda, cum dicitur: Accepta buccella panis ingreſſus eſt in eum Satanas, ſcilicet, quòd poſtquam panem conſecratũ de manu Chriſti accepit, merito præuaricationis ſuæ cepit eum diabolus acrius tentare, quam ante tentauerat. Nec eſt ſenſus, quod intrauerit dæmon in Iudam ad torquendum eum, vel ad loquendum per eum, ſicut in obſeſſis ab ſpiritibus immundis, vel arrepticijs eſt. Quia de Iuda nihil tale conceditur, ſed intrauit fortiter tentans, & ad nefanda ſcelera impellens. Item dæmones tentant bonos viros, ſicut apparet de beato Petro, qui tentatus fuit tempore paſſionis Chriſti ad negandum eum. De hoc Luc. 22. cap. dicitur: Simon ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum: ego tamen orabo pro te, ne deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos. Fuit tamen Petrus tentatus à dæmone, & ſuperatus. Ter enim Chriſtum negauit. Item dæmones cruciandis hominibus præſunt, eoſque cruciant, ſicut patet in obſeſſis à dæmonibus, & arrepticijs. Hi n. à dæmonibus puniuntur. Dæmones autem aliquando viuentes bonos premunt, interdum verò nefarios. De malis patet, vt in Aegyptijs: dæmones enim intulerunt plagas Aegyptijs, qui peccatores erãt. De quo Pſal. 77. Miſit in eos iram ſuam indignationem per angelos malos. Quòd autem boni quoque à dæmonibus puniantur viuentes, patet in Iob, qui vir bonus erat, cumque Sacra Scriptura commendat: tamen illum Satanas tentauit, & inflixit omnes pœnalitates, quas pertulit, vt patet Iob primo, & ſecundo capitulo. In hoc autem nihil refert, an bonos, vel malos iſti dæmones, dum viuũt, puniant, quia hoc ſecreto Dei iudicio agitur: cui Satanæ miniſtrationi puniendo conueniat. Iſti autem tentantes, aut punientes non ſunt in inferno, ſed in aere. Et de his loquitur Apoſtolus, cum ait: Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem, ſed aduerſus poteſtates, & principatus, & rectores tenebrarum harum in cæleſtibus, id eſt, in aere habitantes, quod cœlum in Sacra Scriptura appellatur. Manifeſtè enim de his loquitur, cum dicat eſſe nobis colluctationem non aduerſus carnem, & ſanguinem, ſed contra aereas poteſtates. Colluctatio enim tentationem, & pugnam quandam ſignat: ergo illi, quibus nobiſcum colluctandum eſt, in aere ſunt. Alii autem dæmones in inferno ſunt, & contra hos non eſt nobis colluctatio vlla, quia nihil in his rebus agunt, & iſti non vocantur aereæ poteſtates, ſed infernales. Inductum ergo patet ex hac Apoſtoli auctoritate, in aere caliginoſo infernum nequaquam eſſe; ſed in terra eum eſſe dici neceſſe eſt. Hanc poſitionem à principio, Poetæ, quanquam fidei Catholicæ ignari, tenuerunt, ſicut patet ex Virgiliana poſitione in ſexto Aeneidos, & Senecæ in Tragædia prima, cuius titulus eſt, Hercules furens: carmine ſexto, & Ouidius Metamorphoſeos libro quarto, & Iuuenalis Satyricus in Satyra ſecunda.

Dæmones aerei tẽtant & bonos & malos.

Dæmones dupliciter in homines intrant.

Pſal. 77.

Non differt an bonos, vel malos dæmones dũ viuũt puniant.

In aere caliginoſo nõ eſt infernus.

De qualitatibus quibuſdam Inferni. Cap. XCVIII.

Accedendo autem poſt hæc acutius ad veritatem de loco inferni, omiſſis cunctis erroribus ſupra ex parte tactis, & ex parte improbatis. Dicendum, quod infernus eſt in terra, nec tamen in ſuperficie terræ, ſed in denſitate, ſcilicet intra terræ groſſitiem in ſphæra, & mole eius. Et vbi infernus eſt, ponitur quædam vacuitas terræ, quæ tenebris craſſis plena eſt, ita quòd in toto orbe tenebroſior locus nullus eſt: & hoc, quia ad illam partem inferiorum nulli de aſtris radii penetrare poſſunt, vt illuſtrent illam horrendam tenebram, atque æternam noctem; nam infernus in remotiſſimo loco vniuerſi eſt reſpectu aſtrorum, nam in centro terræ eſt. Nullus autem locus à cœlo diſtantior eſt, quam centrũ mundi. In hanc autem inferorum infelici ſede calor inteſior eſt, quam ſit in toto vniuerſo: nam ibi eſt ignis magis vrens, quàm in toto orbe: tamen lucis nihil habet ignis iſte, ſed vt nimia tenebra. Et hoc, vt cũ ignis iſte per exceſſiuum, & ineffabilem calorem damnatis intolerabiles dolores inſtigat, per lucem nullum præſtet oblectamentum: nam lux delectabilis eſt in oculis noſtris, vt ait Salomon Eccleſi. cap. 11. f. Dulce lumen, & delectabile in oculis hominum videre ſolem. Cauſa autem huius nimiæ obſcuritatis in infernali igne videtur eſſe ex materia, in qua fomentatur. Ignem enim hunc in pice pabulum ſuſcipere aiunt. Nullus autem ignis nigrior eſſe poterit, quàm ignis picis, & reſinæ. Nam totus videtur velut quidam fumus teterrimus, aut quolibet fumo quidquam obſcurius. De igne autẽ nihil penitus habere videretur, niſi eius intenſiſſimus, atque intolerandus calor hoc proderet. Poſitio autem horum ſatis rationabilis eſſe videtur: nam in omnibus alijs ignibus hoc apparet. Non enim ſunt omnes ignes æqualiter lucidi, ſed quidam lucidiores, & alij nigriores ſecundum differẽtiam combuſtilium rerum: quod frequentiſſima experientia cunctis notum effecit. Amplius autẽ in hoc gehẽnæ loco aqua frigidiſſima eſt: in qua, qui damnati ſunt, affliguntur. Nam ſicut calor nimius pœna afflictiua eſt, ita etiam magna frigiditas. Vtrumque ergo pro cruciatibus impiorum tradi debuit. Nec abre, aut abſurde dictum quis exiſtimauerit in inferno aquam fore. Nam cum ibi verum, corporeumque ignem eſſe non ambigatur, ita neque aquam eſſe irrationabile eſt, ſed potius rationi valdè conſentaneum, vt à duobus extremis maximus cõficiatur cruciatus. De iſta pœnalitate apud inferos Iob ait, cap. 24. Tranſibunt ab aquis niuium ad calorem nimium: & hoc eis duriſſimæ pœnæ incitamentum eſt, vt tanta in eis diſtemperies ſit: nam cum nimis infrigidati fuerint, ſæuius calor in eos aget, & cum vehementer calidi fuerint, intenſius frigiditas eos cruciabit. Sicut ſupra de eo, qui nimium in manibus frigus patiens eas igni applicabat, diximus. Grauiorem enim iſte frigiditatem percipiet, acriuſque cruciabitur, cum manus gelidas igni applicuerit, quam cum eas in pura frigiditate tenuerit. De agentibus autem naturalibus, quæ in inferno tanquam organa, vel inſtrumenta cruciatus poſita ſunt, dicendum eſt, quòd non habeant ibi agendi modum naturalem: quia agentia naturalia, quando ſunt in æquali gradu potentiæ actiuæ, æqualiter agunt in materiam æquè diſpoſitam, vt ſi ſint duo calida, aut duo frigida in æqualibus gradibus, neceſſarium eſt eorum eſſe actionem æqualem. Cum verò fuerint inæquales qualitates actiuæ, ſequuntur inæquales actiones. In inferno tamen è contrario eſt: quia ibi conſiſtit ignis vnicus, & vnius modi, vel quantitatis gradualis in calore: tamen non æqualiter agit in animas damnatorum, ſed quædam magis, quædam verò minus affliguntur. Exiſtente enim illo igne æquali ſecundum naturã, non tamen ibi quilibet affligitur quantum ignis afflictiuus eſt, ſed quantum ſcelera ſua exigunt, vt crucietur. Dicendum ſimiliter de illa aqua frigidiſſima, quã apud inferos Sacra Scriptura cõfirmat: nam illa æqualis immò eiuſdem frigiditatis apud omnes exiſtentes, non æqualiter omnes cruciat, ſed vt eorum vitia meruere. Et ſic rei huius diffinitio eſt, quòd apud inferos ſunt agentia naturalia pœnarum illatiua: non tamen puniunt quantum punitiua ſunt: ſed quantũ Deo placet, vt puniant. In his ergò pœnis inferni nullus ordo in permanendo eſt: nam cum aliquis fuerit in magno calore, transferetur ad nimium frigus, cum autem fuerit in frigore, transferetur ad calorem, & aliæ diſproportionatæ mutationes in ipſis punitis fient, quæ omni repugnant ordini, vt patet Iob cap. 24. Tranſibunt ab aquis niuium ad calorem nimium: iſta tamen eſt cõditio ſedium inferorum. Vocatur enim locus vbi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat. Sic patet Iob 10. cap. In taxatione tamen pœnarum iuſtiſſimus Dei punientis ordo

Infernus quare eſt obſcurus.

In inferno eſt aqua frigidiſſima.

Iob 24.

In inferno agẽtia naturalia nõ naturaliter agunt.

Agentia naturalia pœnarum inferni nõ agunt, ut poſſunt, ſed vt De' vult.

eſt:

eſt: nam quilibet ſolum tantum punitur quantum promeruit,& ſic ſe habent differenter gradus pœnarum,ſicut fuerint differentes gradus culparum.Plurima enim apud inferos ſunt,de quibus quidquam agi poſſet: ſed de eius conditionibus dicta ſufficerint,

Quædam de portis Inferni. Cap. XCIX.

ADhuc autem circa inferorum ſedes , quidam vlterius cogitantes , infernum oſtia quædam habere dixerunt, ſcilicet, quòd porta patens quædam ſit , qua animæ in ipſas infelicitatis introeant ſedes . Sic enim Æthnam montem terræ Siculorum inferni os appellãt, In quo ſit hæc cõcluſio: Æthna mõs, Vulcanus,& Veſſeuus non ſunt aperturæ ad eum locum,qui a nobis vocatur infernus.Cum enim quibuſdam viſum ſit,inferni G quędam ora eſſe, Ætham montem terrę Siculorum,qui vulgariter Mongibel dicitur, de his inferorum aperturis eſſe aſſerunt. Alij autem montes huiuſmodi ſunt, vt Vulcanus in eadem inſula Siculorum. Veſſeuus quoq; ſimul mons eſt in Cãpania prouincia Italiæ. In his enim omnibus ſunt magnæ voragines patentes ,& obſcuræ: ita vt interdum ignes eructuent cremantes , quæquæ è vicino adiacentia loca incommodent,tantamque illius ignis efficaciam eſſe in cremando paret, vt ſaxa quoque quaſi liquefacere ,aut in cinerem conuertere videatur . De his enim a quibuſdam indubitato aſtruitur , quòd inferni ora quædam, vel voragines ſint : quia ibi ignes eructuare vident,quos ad nihil aliud,nec ex aliqua alia cauſa eſſe putant , niſi quòd ex gehennali carcere prodeant. In quo omnes,qui ſtygias ſedes ponunt tam H Catholici , quam Gentiles conſonant,ſcilicet, quòd apud inferos ignis ſit.Ouidius autem,quia,vt vere Poeta figmentis ſtudet , quamquam hæc interdum ad quaſdam alias veritates detorqueat,de monte Æthna,& eructuationibus ignium de eo aliter ſentit. Terram enim Siculorum, in qua Æthna mons eſt,olim terram gigantum fuiſſe præſupponit : in quo nihil fallitur , cum Oroſius auctor certiſſimus in libro tertio de Ormeſta Mundi hoc aſſerat . Dicit etiam ab antiquo ibi gigantes cum dijs pugnauiſſe, vt eis eiectis Cælum eriperent : in quo vt affectus non careret effectu,montes montibus ſuppoſuerunt , vt ait Ouidius Metamorphoſeos libro primo. Horum autem gigantum princeps, atque ſtatura procerior Typheus fuit, qui pro miranda ſui, atque incre- I dibili magnitudine de terra genitus dicitur: ac ſi de ſemine humano nemo tantus concipi,aut formari potuerit.Huic totam Siculorum inſulam ſuperpoſitam ferũt, cum alijs eiuſdem factionis, & compugnationis participibus,aliarum terrarum montes ſuperponerentur . Continet autem Sicilia tres montes præcipuos,ſcilicet, Aethnam, Pachinum,& Pelorum. Lilibeus autem,qui vnus de montibus Siculorum eſt,cum prædictis aliqua ex parte coincidere dicitur : & ob hoc inſula illa poetico vocabulo,& antiquo ſcriptorum more Trinacria dicta eſt, quaſi tres habens montes. Acros enim in Græco mons eſt. Cum autem tota hæc inſula Typheo giganti ſuperiecta ſit , iſtæ montium particulæ Typhei partibus diſtributæ ſunt, ſcilicet, quod ſuper caput, & fauces eius ſit mons Aethna , ſuper pectora , & ventrem K Pachinus mons iniectus ſit , ſuper crura autem Pelorus mons , aut altiſſimum promontorium pateat. De Aethna ſuper caput , & fauces iacente Typheo, habetur per Ouidium Metamorphoſeos 14. in primo verſu cum de tranſitu Vlyſſis per terram Siculorum littera dicere vellet,ait :

Iamq; giganteis iniectam faucibus Aethnam
Liquerat: &c.

Ideſt , iam tranſierat Vlyſſes Aethnam , qui eſt iniectus ſuper fauces Typhei gigantis.Et tunc cum de cauſa eructuantium ignium de monte Aethna quæritur, reſpondet Ouidius hoc prouenire ex ſpiraculo giganteo. Aſtruit enim poetico more, gigantem illum terra

F preſſum nondum oppreſſum, ſed ſub terra viuere. Iſte enim igneũ Chaos ex ore vomit per mõtis illius aperturam. Et cum inſula illa Trinacria,ſiue Sicilia,vt vulgari vocabulo vtar , frequenter terræmotibus concutiatur , dicit hoc eſſe : quia toto giganteo corpori ſuperiecta eſt,qui cum ſe in alterutrum latus verterit commutans poſitionem,neceſſe eſt, vt penitus à fundamentis iniectam concutiat inſulam.

In Sicilia quare ſunt terræmotus

Quædam de terræmotibus. Cap. C.

COntra hanc autem Ouidianam poſitionẽ de Aethna monte argui non expedit : quia cũ in re poetica ſit , neceſſe eſt, vt cum ſolum in cortice fuerit perquiſita,non modicam cõtineat falſitatem . De eructuatione autem horum ignium, quoniam de hoc principaliter inquiritur,infra dicetur . De frequenti autem terræmotu inſulæ Siculorum,cauſa patet : quia terræmotus fit ex incluſis ſpiritibus ventorum , & fortificatis per aliqua tempora per groſſiciem terræ eiuſque exhalationes & vapores , quibus cum non pateat aditus , ſi fortiter concuſſerint neceſſarium eſt terrę fieri quandã apertionem: vt incluſus exhalet ventorum ſpiritus, & concutiatur terra ex interiori impulſu ventorum collidentium,& ex apertione eorum in exitu : de hoc Ariſt. in ſecũdo Meteororum. In terra autem Siculorum, hæc maximè ſubſiſtunt propter duo : primo quia tota terra Siculorum mari affluitur , cum ſit inſula quædam à continenti Italia diuiſa in locis Scillæ , & Caribdis, vt ait Solinus in Polyhiſtor . Loca autem apud mare cre- H brius terræmotum ceteris partibus patiũtur, quoniam in illa magis ventorum ſubintrat ſpiritus. Secunda autem cauſa eſt: quia tota illa terra eſt montuoſa: in montibus autem , quia terræ tumores ſunt , plures cauernæ ſunt quam in terra plana, & ob hoc neceſſe eſt eſſe plures terræmotus. De hac autem ignium eructuatione in Aethna monte aliter ſentit Virgilius in 6. Aeneid. quia aut illam voraginem atram inferni os eſſe putat, aut ſe hoc exiſtimare oſtentat: Vnde cum vellet introducere Aeneam loquentem patri ſuo Anchiſæ exiſtenti apud inferos, & recipienti ab eodem inquiſitorum reſponſa, quantum ad futurum ſtatum generis ſuæ , quæ Romanorum effecit populos, de perſonis inſignibus vrbis Romæ, quæ poſtea pullularent: non poſuit eũ introiſſe in infernum in aliqua parte itineris, quod a Troiana vrbe vſque ad Siculorum terram eſt , cum in toto illarum terrarum interiectu nulla talis eructuantiũ ignium ponatur vorago. In Sicilia autem , quia Aethna mons ignes eructuat, & Vulcanus, introduxit ibidem Aeneã loquentem ad Sibyllam Cumanam de ciuitate Cumarum, vel vt ait Marcianus in ſecundo de Nuptijs Mercurij,& Phyſiologiæ, Sibyllam Erythream ab Erythra ciuitate: quam ideo Cumanam appellauit antiquitas : non quod Cumis nata ſit: ſed quod ibi vaticinauerit. Ad eã autem Aeneas locutus eſt, vt illum introduceret in infernum . De hac autem Aethnæ montis ruptione. qua ignes eructuat , vulgus commune diffinit ſententia inferni eſſe aperturam, quod exiſtimant, quia inde ignũ globos prodire ſciunt . Ex hac autem inferni ſedes ibi K arguunt. Et quia, vt facile vulgus ſolet quibuſdam exiſtentibus multa imperitę cumulare, addunt in hac Aethnici montis voragine gementium animarum audiri lamẽta . Nec hoc quidem vulgo dumtaxat dicitur, ſed & quidam Doctores Catholici hoc tenent: de hoc Frãciſcus de Mayronis in quarto ſuo Sententiarum in ſcon flactu circa finem cum agit de vniuerſali reſurrectione. Dicit.n. quod poſt diem iudicij claudet Dominus montem Gibellum, & alia foramina inferni . Vocat autem montem Gibellum eum, quẽ Poetæ,& antiqui ſcriptores Aethnam vocant: quoniam mons Gibellus vulgari celebratur ſermone. De veritate tamen huius,& cauſis eructuationis apud antiquos Phyloſophos perquiſitũ eſt: multis tñ cauſa ignota manſit . Empedocles vero, quia Phyloſophus,& Poeta erat, oriundusque de terra Siculorũ, nimis conatus eſt, vt inquireret huius eructuationis

Terræmotus quo generantur.

Terræmotus frequentius fiũt in locis maritimis, & montuoſis.

Porta inferni vulgo nociſſi.

Empedocles Siculus ab Aethnę ignibus combuſtus.

pus

A nis cauſam: cumq; hoc inquiſiturus voragini illi propius accederet, ab igne, & fumo ſubito erumpente eſſocatus eſt, vt certiſſimi hiſtoriographi tradunt. Horatius tamen inter Poetas quidem magnus, ſed in hac parte velut nimis mordax, & liuidus infamauit Empedoclem, dicens, ipſum deſideraſſe, vt tanquam immortalis Deus haberetur: ad cuius experimentum de ſe populis exhibendum, poſitis veſtibus in flammas Aethneæ voraginis inſilijt. De hoc idem in libro ſuo de artificio ſuo poetico, ait:

Dicam Siculique Poetæ
Narrabo interitum. Deus immortalis haberi
Dum cupit Empedocles, ardentẽ frigidus Aethnã
Inſilijt. falſis liceat perire Poetis.

Aethna, & alij Siculorum montes non ſunt inferni porta; & quædam de exhalationibus ignium. Cap. CI.

EX antiquorum autem poſitionibus non plené patet de ruptura Aethnei montis, & ignium eructuatione, quid ſit, & a qua prouenit origine, & an inferni ſedis apertura quædam velut oſtium ſit, aut quoddam alterum. Dicendum tamen rationabiliter videtur, & ſecundum ſolidam ſatis veritatem: Aethnam montem Siculorum aliasq; ſimiliter terræ ruptæ voragines flãmas æſtuantes inferni ora nõ eſſe, nec eructuatos inde ignes ex inferno venire vllatenus. Sed hæc naturaliter cauſantur diſſoluente terræmotu, & aperiente ſicut in pleriſq; terræ locis ſæpiſſime monſtrant patentes hiatus. Nam cum terra agente motu ſuo ex viſceribus ſuis rumpitur, interdum fractura aperta relinquitur. Interdum autem cum ſemel diſſoluerit in ſeipſam partibus coeuntibus recluditur. In quibuſdam autem verius, ſine vllo terræmotu partes terræ igne adurente combuſtæ ſunt, quæ, cum adustio paulatim ad terræ ſuperficiem vſque peruenerit, rupturam fieri aduſtis, & diſcõtinuatis partibus neceſſe eſt. Cauſa autem eructuationis flammarum in his locis eſt, quia in eis abundat ſulphurea materia, quæ eſt de maximé velociter inflammabilibus, ſicut patet in nutrimẽtis ignium, quia cum ignem leuem ſcintillantem excuſſum de lapide, in cõbuſtum pannum ſuſcipere volumus, nõ reperimus aliquam materiam ita faciliter inflammabilem, quæ ab illo igniculo debili inflammetur, quam partem papiri ſulphure linitam, qua faciliter ignis incenditur. In his etiam terræ hiatibus, concauitatibuſque aerei ſpiritus ſunt, qui cum interdum commoti collidantur ad ſulphuream materiam, ipſa ex concuſſione naturaliter caleſit, & quia velociter inflammabilis eſt, citó inflammatur, & tunc magna pars ſulphureæ materiæ cremari incipit, atque combuſtionis flammæ per terræ rupturas efflant. Fit autem hoc ſpecialiter in Aethna monte, quia ibi ſulphureæ materię copioſa moles eſt. Præter hanc tamen montis voraginem ſunt alij hiatus terræ, é quibus flammæ prodeunt: ſicut eſt mons Vulcanus in inſula Siculorum. Eſt etiam Veſſeuus mons in Campania, de quo crebro ignium eructuationes fiunt: ibi nãq; Baſus poeta, atque Phyloſophus Perſei ſatyrici poetæ magiſter incendio abſumptus eſt, ſicut Empedoclem Aethnei montis vorauit incendium. De hac Veſſeuui E montis flammarum eructuatione ait Boetius de Conſolatione lib. 1. Metro. 4. quód incipit:

In Veſſeuio mõte Baſus phyloſophus ac poeta incẽdio abſumptus eſt.

Quiſquis compoſito ſerenus æuo.

In quo ſenꞇire ſe prodit nullum inferni os eſſe, ſed multis terram abundare concauitatibus, in quibus ventorum ſpiritus latent: illæ quoque cauernoſitates ſulphure plenæ ſunt, vbi ex concuſſione ventorum ad ſulphuream materiam ipſa ſuccenditur, flammarumque prodeunt globi. Et quamdiu ſulphureæ illius materię crematio durauerit, manebit eructuantis ignis globus, cum veró materiæ combuſtilis moles defecerit, eructuantium flammarum reſidebit vapor exundans. Sic enim ait ibidem.

Nec ruptis quoties vagus caminis,
Torquet fumificos Veſſeuus ignes.

Si enim illa inferni ora crederet, eſſent directé patẽtia ora ab infimis prouenientia Gehennæ ſedibus, & per eadem ſemper ignis ille ſpiraret: ſed non ſemper per eandem partem ſpirat: ſed dicit eſſe varios caminos, i. clibanos, vel fornaces in quibus ignis ſit, & quód de omnibus fiant viciſſim, vel accidentaliter eructuationes, quod eſt eſſe varios caminos, quia multi ſunt. Mõs autem vagus eſt, quia non ſemper ex eiſdem flammas exæſtuat: ſed ex quibuſdam nunc, poſtea vero ex alijs nullo obſeruato ordine. Conditiones autem ſulphureæ materiæ quantum ad hoc, quód in terræ cauernis ſit, & quód cito inflammabilis eſt, & inflammetur ex leui concuſſione, patet adhuc amplius in cõcuſſione aquarum balneorum. Aquæ quippe balneorum calidæ, at-B que pene feruentes de ipſa ſua ſcaturigine manant: quod iuxta Ariſt. doctrinam, & aliorum Phyloſophorũ, ideo euenit, quia aquæ iſtæ per loca ſulphuroſa meant, ex quarum tranſeuntium impetu, ſulphurea inflammatur materia, ipſaſque tranſeuntes caleſacit aquas. Et ſicut fuerit maior copia ſulphureæ molis in loco ſcaturiginis, & tranſitus fontalium aquarum: ita inde ortæ aquæ maiorem, minoremue induẽt caliditatem, ex quo accidit quædam balnea ita calida eſſe, vt vix ſuſtineri queant, alia veró tepeſcunt.

Balneorũ aquæ quare ſũt calidæ.

Aethna, Vulcanus, Veſſeuuſq; montes non ſunt inferni ora. Cap. CII.

C SOlidioribus autem adhuc inducitur fulcimẽtis Aethnei mõtis, atq; Vulcani, Veſſeuuiq; campaniæ vagas, ceteraſq; voragines inferni ora non eſſe, nec illas flammarum eructuationes de inferna prodire ſede. Nã ſi de inferno ignis ille eructuaret, aut continua eructuatio foret, aut nunquam inde eructuaret: ſed hoc falſum eſt, quia aliquñ ignis iſte eructuat, & non ſemper: ergo ab infernorum locis ignis iſtę non efflatur. Conſequentia patet, quia ignis inferni ſemper vniformiter ardet, & in eodem gradu calidus eſt, ne vnquam damnati refrigerium vllum habeant, vel quouis modo ab alicuius pœnæ rigore ſoluantur. Si ergo Gehennæ ignem tantis ſemel incrementis adauctum conceſſerimus, vt ab ipſo centro terræ ad ſuperficiem vſque pertingat, & ſuper eam eructuet, cum æqualis ſemper ſit, ſemper D in eodem gradu ſuper terram eructuaret: ſed hoc falſum eſt, quia aliquo tempore iſtæ eructuationes fiunt: alio autem fieri nequeunt, aut non fiunt: non eſt igitur iſte ignis ab inferna efflatus ſede. Ad hoc autem quiſpiam rñdere conabitur, hunc eſſe tartareum ignem: ſed non ſemper eructuari, quia non naturaliter efflatur ab infimis, ſed ad malorum punitionem. Hanc ergo eructuationem aliqñ Deus fieri patitur, aut potius iubet, & efficit, vt mali torqueantur: ſemper tñ non efficit, quia malorum punitio ab illo igne neceſſaria ſemper non eſt. Cui reſpondendũ eſt, ſtare nõ poſſe: nam ſi iſtæ ignium eructuationes diuino nutu ex igne inferni ad hominum peccatorum punitiones fierent, ſicut ignis egreſſus eſt de altari holocauſtorũ, & cõbuſſit Nadab, & Abiu filios Aaron delinquentes in ſacerdotio ſuo, E cum obtuliſſent ignem alienum, quem Deus vetuerat, vt habetur Leuitici decimo cap. & ignis quoque a Domino egreſſus combuſſit ducentos et quinquaginta viros, qui inſurgentes in Moyſem, & Aaron offerebant thura coram Domino: vt patet Numeri decimo ſexto cap. Nunquam eſſet aliqua talium ignium eructuatio, quin aliqui viri peccantes cremarentur, aut aliqua eorum ignis aſſumeret, aut fructus terræ eorum vorax flamma diſſiparet. Sed hæc falſa ſunt. Nam interdum parua flammarũ exæſtuatio fit, ita vt cum in ipſorum montiũ verticibus emicuerit, ad inferiora quoque, & plana non deſcendat: ita vt ſæpiſſimé eructuatæ flammæ nemini mortaliũ directé, vel indirecte inferant nocumentum: Non ergo ſunt iſtæ inflammationes a Deo

illas ſpecialiter faciẽte: ergo nec ab inferna ſede ignis iſte eructuat. Aliquis autem, q̃ dicta ſunt aliter probare conabitur. ſ. ꝙ iſtæ igniũ eructuationes ab inferno nullatenus ſint: nam ſi per has montium voragines infernalis ignis erumperet, ille eſſet totaliter obſcurus, & piceus ipſo teterrimo fumo obſcurior: q̃m ignis Gehẽnæ huiuſmodi eſt, cum piceam materiam in fomentũ habeat, ẽt vt dãnatis nullum lucis ſuæ præſter oblectamentum: ſed ignis, qui per Aethnei, atque Vulcani mõtis, aliorumq; hiatus erumpit, lucidus eſt, ſicut hic cõmunis nobis ignis: ergo non eſt ab inferna ortus ſede. Huic reſpondendum eſt, nihil hinc induci: nã dato, ꝙ iſtę voragines inferni ora eſſent, igniſque eructuans de ſtigijs erumperet locis, poſſet tñ eſſe ita lucidus ſicut eſt. Nam magis, aut minus habere de luce ex natura fomenti prouenit: ſecundùm ꝙ fomẽtum eius magis, aut minus diſpoſitum eſt ad lucem, vel fumoſitatem atrã cauſandam in igne: cũ ignis iſte, quem nos cõſpicimus nihil aliud quã fumus inflammatus ſit. Et quanquam inferni ignis ab origine obſcurus ſit, quia materia picea eſt, q̃ in inferno pro fomento habet: tamen cùm erumpat ad terræ ſuperficiem tranſiens per concauitates cauernoſas terræ, inueniam materiam ſulphuream inflãmaret, atque ex eadem cauſata materia lucida eſſet, iuxta ſulphuris conditionem. Nihil ergo ratio iſta inducit de eo, quòd improbare intendit. Hoc tamen pro nullo ſuſcepto ex prelibatis concluſum manet, foramina Aethnei montis, qui alio modo vulgo mons Gibellus dicitur, & Vulcani, atq; Veſſeuui, aliorumque huiuſmodi locorum rupturas non eſſe inferni ora, nec per ea vaporem igneum ex inferna ſede exhalare.

Obiectio penes ſuperiora diſſoluitur. *Cap. CIII.*

SEd adhuc ex eiſdem fundamentis quiſquã arguet dicens, ꝙ iſta ſint ora inferni, & ignis ille inde erũpat. Et qñ dicebatur ſupra arguendo, ꝙ ignis inferni nunquam ad hoc ſufficit, vt exeat per terræ voraginẽ, ſed ipſe accedit vſque ad aliquam partẽ groſſiciei terræ, & ad hanc ſemper pertingit regulariter, ibi autem inuenit materiam ſulphuream, quã inflammans maior efficitur, & pertingere poteſt vſq; ad terræ ſuperficiẽ. Et ſic ignis inferni erumpit per rupturas Aethnei montis, & aliorũ montium, quia quanquam ipſe per ſe ad exeundum ſufficere non valeat: tñ cùm maior fiat ex inflammatione ſulphureæ materiæ, q̃ in medio inuenit, pertingit ad emicandũ ſuper terræ ſuperficiem. Ad hoc dicendum, ꝙ ſtare nequit: nam poſito iſto caſu neceſſe eſſet, vt ignis Aethnæ montis, & Vulcani, atque aliorum ſemper erumperet, aut poſtquam ſemel erumpere deſijſſet, nunquam amplius erumperet, ſed hoc falſum: ergo poni nequit, ꝙ iſte ignis ex inferni ſedib. euaporatus ſit. Conſequentia patet, quia cum ignis inferni ſecundum iſtum modum ponatur accedere vſq; ad aliquam partem groſſiciei terrę, & non vſq; ad ſuperficiem, cremaret ſulphur, quod ibi eſſet, & totum ꝙ in medio eſt, per quod ille ignis erumpit ad ſuperficiẽ terræ. Quia ignis, poſtquam in aliqua materia combuſtili inceditur, non extinguitur quouſque illa totaliter exuſta ſit: niſi ab aliquo extinguatur. Et ſic ſi aliqua materia eſſet in illo ſpiraculo infernalis voraginis ſulphurea combuſtibilis, iſta nõ ceſſaret comburi, quouſque combuſta eſſet, cum verò ſemel foret exuſta, nihil vltra maneret comburendum: ideo non poſſet vlterius erumpere per illud os inferni ignis. Sed falſum eſt, quia frequenter, & interpollate ignium eructationes fiunt: ergo non eſt ignis inferni, nec vorago patentis inferni. Modus tamen, quo hoc fit talis eſt: quia quilibet horum mõtium multas concauitates ſulphure plenas habet, & inflammatur ſulphur in aliqua earum. Et dum illa concuſſio durat, ardet ſulphur, & fiunt eructuationes ignium. Et quanquam vnius concauitatis ſulphur ardeat, poſtea alterius concauitatis inflammabitur ſulphur, & fiet eructuatio, & ſic non ſemper in eodem loco montium fient ignium incenſiones. Et hoc

F eſt, quod ſignat Boetius Metro. 4. lib. primi de Conſolatione præallegato: cum ait.

Nec ruptis quoties vagus caminis,
Torquet fumificos Veſſeuus ignes.

Quia dicit vagum eſſe Veſſeuum in caminibus ſuis: ergo non ſemper in eodem loco ardet, ſed nunc in vna parte, nunc autem in alia. Ex prædictis ergo inductum patet, qualiter Aethnei montis vorago infernarum ſedium apertura non ſit, nec ignis inde eructuans de inferno erumpit. Sic autem in alijs locis ſimilium eruptionum, patet etiam vnde tales ignium eructuationes fiant, & propter quid. Cùm autem populus dicit lamẽta gementiũ animarũ in Aethnæ montis audiri voragine, dicendũ, ꝙ populus facilis plura fingit q̃ poetæ, magiſq; poetis quàm vulgo credẽdum eſt: quia poetæ
G ſciunt, quod fingũt: populus aũt, quod dicit, ignorat. Iuxta exigentiam autẽ dubitationis de ſtatu animarũ, ſ. an animabus poſt mortẽ gaudia, aut dolores vlli accidãt, ex parte ſatisfactum eſt. Sed adhuc plura dicenda manent, cùm de ſola infernorum poſitione hactenus dictum ſit, & hoc quidem nec vſque ad vnguem perductum eſt. De alijs autem, quę animarum ſtatum poſt mortem concernunt, conſequenter dicendum erit.

De purgatorijs locis. *Cap. CIV.*

AB exordio enim, cùm de ſtatu animarum corpore ſolutarum agere inceperamus, dictum eſt, tria eſ-
H ſe principalia animarũ receptacula, ſ. ſtygias ſedes, & purgatoria loca, atque empyreas æternæ felicitatis mãſiones. De primo autem ex parte hactenus actũ eſt, nũc verò, ſed breuius, de ceteris quid catholica fides, quidue poetæ, aut ratio naturalis in his aſtruere queat, diſſerendum eſt, ſed ſuccinto quidem ſermone. Nunc igitur de ſecundo horum receptaculorum, ſcilicet de purgatorijs locis agendum eſt, quid purgatorium ſit, & vbi conſtituendum ſit. In quo primo quibuſdam obrepit dubitationis ſcrupulus, an aliquis locus determinatus ad purgationem præfixus animabus ſit, an varijs locis, ſiue vbi peccauerunt, puniantur. De quo fortaſſis aliquid poſterius diſſeretur. Nunc tamen velut in ſuperioribus ſatis inductum patet, vnum atque determinatum eſſe infernarum ſedium locum, in quo damnatis Purgatoriũ quid & vbi ſit.
I animabus æterna ſupplicia pœnali acerbitate eluenda ſint, ita & vnum, atque certum eſſe locum animabus exercendis purgatoria clementia, vt perfectam ſatisfactionem pœnarum perpeſſione reſarciant, pari ſententia proculdubio determinandum eſt. In quo animaduertendum in generali eſt circa ſtatum morientium, quòd cum quis ſine caritate, mortali nexu implicitus, extremum diem clauſerit, infernis ſedibus mancipetur æterna animaduerſione plectendus. Quidam in charitate decedunt patratorum ſcelerum commiſſa dolentes, ſed his non plenè pro ſingulis pœnarum partibus ſatisfactum eſt, vt culpæ quantitas exigebat. His quidam, plenè ſoluendi pœnarum debita, locus præfigitur, in quo tamdiu manent, quouſque ſecundum altiſſimam Dei ſapientiam, atque arbitrium ſufficienter
K ſcelerum ſingularumque culparũ debita luerint. Deinde verò in æternam empyrearum ſedium felicitatem perducũtur. Hic autem purgatorij locus, vſque ad iudicij diem duntaxat extenderetur, ad quem terminum cuncti, quibus aliquid præteritarum macularum in viuentibus nõ plenè abſterſarum eluendum eſt, ſufficiẽter pro quantiſcunq; commiſſis agere poterũt, ita vt cum iudicij dies aduenerit, nulli ibi manẽdum ſit, nec in æternum quiſquam erit, qui ibi puniri debeat, aut poſſit: infernalis autem ſedis dura pœnalitas æterna eſt. In hoc tamen adhuc intendendum eſt, quod quanquam eluendorum ſcelerum, quæ purganda ſunt vnus determinate locus aſſignatus ſit: accidit tamen quibuſdã animab. vt in varijs locis pro imperfecta cruciẽtur ſatisfactione. Quod dupliciter euenire dignoſcitur,

tur, primò quidē ꝙ animæ iſtæ in eis locis punitiones A quaſdam ferāt, in quibus quædam ab eis facinora acta ſunt. Hoc enim ſatis rationi conſentaneum eſt. Alio mō prædicta euenire queunt, vt interdum defunctorum animæ in quibuſdam locis hominibus cognitis patiantur, etſi in eis nunquam iniquitatis quidquam egerint, propter hoc ſolum, vt ab aliquibus videri, & audiri queant, quo pacto earum cognoſcatur ſtatus, atq; his, qui cognouerunt peccatorum fugiendorum ſtimulus magnus ſit, ne in talia incidant genera tormentorū: aut vt aliquibus punitæ animæ colloqui poſſint, ſtatū ſuum exponentes, atque remedia liberationis velocioris inquirāt. De his multa Greg. in 4. Dialogorū. Quod verò animæ, quæ ſupplicijs non plene ademptorū vitiorū maculas, aut reatus quoſdam pœnæ in varijs locis tolerent, ex prædictis cauſis accedens eſt: regulari- B ter tñ vnus omnibus locus præfixus eſt, in quorumcunque nondum expletorum in ſatisfactione ſcelerum, ſatisfactio expleatur. De hoc autem Virgilius cum in lib. 6. Aeneidos de purgatione animarum, quæ ad campos Elyſios tranſituræ ſunt agit, tres purgationis deſcribit formas ſcilicet in igne, in aqua, & aere. Ait enim.

Ergo exercentur pœnis, veterumq; malorum
Supplicia expendunt, aliæ panduntur inanes,
Suſpenſæ ad ventos, alijs ſub gurgite vaſto
Infectum eluitur ſcelus, aut exuritur igni.

Scilicet ꝙ animæ de præteritis ſceleribus pœnas tolerant: ſed quædam ponuntur ſuſpenſæ ad ventos, aliæ igne cremantur: aliæ autem ſub aquarum profunditate C ſunt. Hos autem punitionis modos in animabus Aug. Catholicè loquens concedit, & aſſerit. Ipſe.n. Platonē, & Virgilium nimis ſequitur de his in libris de Ciuitate Dei: his tñ conceſſis, adhuc locum vnum præfigi oportet, qui eluendis ſceleribus, purgandiſque animabus præfixus ſit. Hic autem intra terræ magnitudinem eſt, ſ. in eius groſſitie, ſicut in præcedentibus de inferni ſedibus dictum eſt, nec quiſquam alius locus purgatorius ſituando conuenit, niſi terræ profunditas, quoniā infernalis, atque purgatorius locus contermini ſunt.

Quædam penes ſupra dicta. *Cap. CV.*

AD hæc autem, vt his amplius intendatur, animaduertendum eſt, ꝙ more ſacræ ſcripturæ omnis lo- D cus pęnalis, quo animæ corpore ſolutę peccatorum pęnas luunt, infernus largè appellatur. Huius nominis origo eſt: quoniam omnis talis locus infra nos eſt, vt in ꝓlibatis explicuimus. Iſte autem infernus ſic generaliter ſumptus quatuor habet loca, quæ ſinus, vel partitiones quędam appellantur: primus horum damnatorum infernus, vel lacus dicitur: quoniam in hoc animæ in ęternum damnatæ acerbè puniuntur. Secundus autem purgatorius locus eſt, in quo animæ, inexpletæ ſatisfactionis purgatoria clementia exercitæ, reliquias explent. Tertius horum ſinus, eſt puerorum Lymbus, in quo æterna cæcitate damnati ſunt paruuli in originali culpa decedentes, ſiue à Iudeis, ſiue Chriſtianis, ſiue quibuſcunque gentibus, aut cuiuſcūque ritus originem traxerint. Quartus, & extremus locorum eſt ſinus Abrahæ, E qui Sanctorū Patrum lymbus dicitur, quo ante Chriſti mortem Sanctorum Patrū animæ tenebātur. Quod autem in inferno diſtinctiones aliquę, aut ſinus ſint, apparet ex eo, quod habetur Pſal. 85. cum dicitur: Liberaſti animam meam ab inferno inferiori. Apparet ergo alium infernum non eſſe ita profundum, vt ille eſt, de quo ſe Dauid à Deo liberatum gratulatur, alioquin nulla eſſet infernorum collatio, collatio equidem duorum ad minus habitudo relatiua eſt. Amplius autem in inferno diſtinctionem quandam ineſſe locorum, apparet ex eo, quod Chriſtus retulit, & habetur Luc. 16. cap. vbi de diuite Epulone agitur, qui comedebat ſplendidè, & de Lazaro mendico, qui ſimul eadem die mortui ſunt: factumq; eſt, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ. Mortuus eſt autem & diues, & ſepultus eſt in inferno. Eleuans autem oculos ſuos cum eſſet in tormentis vidit Abraham à lōge, & Lazarum in ſinu eius, & ipſe clamans dixit: miſerere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremū digiti ſui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. Et dixit illi Abraham: fili recordare, quia recepiſti bona in vita tua, Lazarus autem ſimiliter mala. Nunc autem hic cōſolatur, tu autem cruciaris. Et poſtea cum aliam cauſam adderet, qua hoc impoſſibile eſſe probabatur, ait: Et in his omnibus inter nos & vos chaos magnum firmatum eſt, vt hi, qui velint hinc tranſire ad vos, non poſſint, nec inde huc tranſmeare. Apparet ergo diſtincta eſſe infernorū loca, cùm chaos inter vtrūque nominatum locum Abraham eſſe aſtruxerit. Chriſtus quoque dixit, quòd diues vidit Lazarū à longe, quod ad identitatem loci non attinet. Quod ergo inter infernalia loca diſtinctio aliqua ſit, lucidè atque ſolidè comprobatum eſt. Quòd tamē ſit quadruplicis ſinus diſtinctio, nondum patet: ſed cōceſſis, quæ dicta ſunt, ſatis rationabiliter induci poteſt, & in eis, q̄ ſubiungentur amplius id agetur. Prædictæ autem inferorum quatuor portiones, ſicut diſtinctos acceperunt ſitus, vt infernus damnatorum, qui primus eſt, in maxima profunditate locatus ſit. ſ. in centro terræ. Alij autē tres ſinus conſequenter ordine ſuper eum locati ſunt. Hoc aūt apparet auctoritate Pſalmiſtæ Pſal. 85. cum dicitur: Dñe liberaſti animam meam ab inferno inferiori. Oportet ergo inferiorem poni infernum illum, de quo Dauid ſe à Deo liberatum refert, quod de inferno, qui eſt ſinus Abrahæ, ſiue ſanctorum patrum lymbus, dici nequit. Ab ipſo.n. Dauid nequaquam liberatus eſt: ſed ibi cum ceteris ſanctorum animabus, vſq; ad Chriſti reſurrectionem detentus eſt. De lymbo etiam paruulorum intelligi nequit: qm̃ Dauid circumciſus eſt, per circumciſionem autem in veteri teſtamento originalis macula tollebatur. Ad eum ergo locum Dauid ire nequiuit, poſtquam ſemel circumciſus eſt. Nec de pœnis purgatorijs agitur: ad hæc.n. ſanctum virum Dauid deſcendiſſe non aſſentur, ſed animam eius corpore ſolutā mox ad ſinum Abrahæ deſcendiſſe. De inferno ergo damnatorum dicit ſe liberatum, non ꝙ in eo aliqñ fuerit, quia qui ibi ſemel eſt, nunquam inde exire valet: ſed ne illuc deſcenderet à Deo factum eſt, quod liberatio vocatur. In hoc autem inferno damnatorum pœnalis acerbitas æterna eſt: vnde animæ, quæ ſemel tartareis illis ſedibus puniendæ mancipatæ ſunt, exire poſtea in æternū nequeunt. Sic.n. conſitetur ſacra ſcriptura, inquiens. In inferno nulla eſt redemptio. Iſte.n. damnatorum infernalis locus ab origine mundi conſiſtit. Sic ait Chriſtus Matt. 25. c. Ite maledicti à patre meo in ignem æternū, qui paratus eſt diabolo, & angelis eius ab origine mūdi. In hoc ēt damnatorū loco ab origine mūdi ſemper aliqui fuerunt, qui punirentur. ſ. diaboli, qui cōfeſtim, vt creati ſunt peccauerūt, atq; in tartareis illis ſedib. poſiti ſunt. Deinde verò diſcurrentibus temporū primordiis, hominum quoq; animæ in eo loco puniendæ mancipatæ ſunt: quorū primus fuit Cain primogenitus Adæ, hunc.n. Aug. in 14. & 15. de Ciuitate Dei refert, ꝙ ciuitatis diaboli caput extiterit. Hæc autē peruerſa ciuitas exitum ſuum in pœnis inferorum habet. Ex eo autem tempore miſerarum animarum ſupplicia in gehenna manent, atque in æternum manebunt.

Infernus generaliter ſumptus hēt quatuor loca.

Pſal. 85.

De ſecunda purgatoria ſede inferni. *Cap. CVI.*

QVatuor autem prædictorum ſinuum, aut portionum inferni generaliter dicti, ſupra diſtinctorū, ſecunda purgatoria ſedes eſt, quæ ad hoc data eſt, vt animas, quæ culparum ſuarum pœnas, dū in uita fuerūt non expleuerunt, plene ſuſcipiat. Hic aūt locus ſupra infernum damnatorum eſt, in quo pœnarum multiplicitas eſt, ſed præcipua in igne eſt. Hic enim locus dæmones nullos habet: qui ibi pœnas nequitiæ ſuæ habeat, aut purgandis animas torqueant, quin potius nec

permittit Deus, vt animabus igne purgatorio punitis aſſiſtant, cum puniuntur, vt in præcedentibus declaratum eſt. Hic autem purgatoriarum pœnarum locus ab origine mundi, ſicut inferni ſedes conditus eſt, atque in eo poſitus, ibi tamen ab origine mundi, qui pœnas illas toleraret, nemo fuit: ſicut de inferno dictum eſt, nam in inferno damnatorum ab origine conſtituti ſeculi, dęmones pro iniquitate ſua maxima cruciabantur. In loco autem purgatoriorum ſuppliciorum dæmones nulli ſunt, quoniam dæmonum ſupplicia æterna ſunt, pęnæ autem purgatorij loci aliquo tempore finiuntur. Animę quoque hominum ibi nullæ eſſe potuerunt ab orbe cōdito: nam à conditione orbis vſque ad mortem primi hominis, ſcilicet, Abel, anni multi fluxerunt, ſicut refert Methodius martyr in libro de Chiliadibus, ideſt, de ſeculo per millenarios computato. Toto autem hoc tēpore nullus pęnis purgatorijs mancipatus fuit. De Abel vero dubiū eſt, an cum anima eius corpore ſoluta fuit, purgatoria petierit loca, in quibus alicuius ſaltem leuis peccati inexpletam compleuerit ſatisfactionē: an mox ad ſanctorum patrum euolauerit ſinum. Hoc tamen ſecundum certius, veriſimiliusq; eſt: quoniam etſi quicquam viuens peccauerit, pœna tamen martyrij vniuerſa deleuit peccata, ſicut in alijs martyribus confitemur: præſertim cum de eo Saluator noſter teſtimonium perhibeat, quod iuſtorum primus fuit, vt patet Matth. 23. c. In hoc autem aduertendum eſt: quis fuerit ſtatus, aut conditio morientium ab origine ſeculi. In prima enim ætate orbis conditi, quæ cum orbe nouiter condito inchoans, vſque ad diluuium protenditur, anni fuerunt duo millia ducenti quinquaginta duo, ſecundum computationem tranſlationis ſeptuaginta interpretum, & ſecundum Hebraicam veritatem, atque Bibliæ noſtræ literam mille ſexcentis quinquaginta quatuor annis manſit: vt ait Auguſt. de Ciuitate Dei lib. 15. In hac morientium conditio hæc fuit, ſcilicet, quòd qui decedebant, aut antequam ad annos diſcretionis, & liberi arbitrij peruenirent vſum, decedebant, aut cum iam peruenißent, ſi ante vſum liberi arbitrij, & diſcretionem decederent, non erat in eis aliqua actualis culpa, quæ eos inferni damnatorum dignos efficeret, ſed in eis ſolum originalis erat macula, in qua naſcebantur. Ad vitam autem æternam hac macula deformati introduci non poterant: ſed ad vnum de quatuor locis inferorum enarratorum ire neceſſe erat. Non quidem ad damnatorum infernum, vt prælibatum eſt, nec ad purgatoriorū ſuppliciorum loca, quoniam ad hæc nullus, niſi qui iam rationis compos actualiter deliquerat, & de commiſſis dolens incompletam ſatisfactionem egerat, ducebatur. Manebant ergo duo loca, ſ. ſinus ſanctorum patrum, & puerorum lymbus: ſcilicet, qui in originali macula decederent, ad puerorum lymbum eos ferri neceſſe erat, qui cęcitatis magnæ locus eſt, in quo etſi pœnæ dolorū nullæ ſint, eſt tamen perpetua triſtitia de carentia diuinæ viſionis, per quam eſt beatitudo. Si autē ab originali macula abſoluti erant, ſinum Abrahæ, qui alio nomine ſanctorum patrum lymbus dicitur, petebant: in quo vſque ad Chriſti paſſionem nulla pœna exerciti permanebant. In hoc tamen conſiderandum eſt, quoſdam voluiſſe in prima ætate peccatū originale in nullo deleri potuiſſe, donec ad annos diſcretionis homo peruenißet: tunc verò per primum actum bonum, quem in Deū dirigeret, ſiue ſacrificij, vel alterius cęremoniæ, aut ſaltem amoris intrinſeci macula illa abſtergeretur. Quo pacto quoſcunque paruulos, qui in prima ætate ſeculi deceßiſſent, neceſſe erat in æternum eſſe damnatos, quoniam originali macula carere non potuerunt: quod ſatis graue eſt, vt aliquod tempus Deus hominibus ſine ſalutis remedio dederit: quod ad Dei bonitatem fortaſſis ſatis diſſonat. Alijs autem videtur, quod in hac ætate per ſacrificia, & oblationes adimeretur originalis macula: quod ſi ad eos, in quibus macula deleri debet, referre volueris, grauius eſt, quam id, quod dictum à primis eſt. Alijs autem placet, quòd in paruulis remitteretur culpa originalis per fidem parentum, videlicet,

Pęna martyrij ſatiſfacit pro omnibus peccatis.

Originalis culpæ deletio multiplex.

F vt paruulis non baptizatis parentum fides, loco Baptiſmi eſſet; maioribus autem ſacrificia ad deletionem culpæ proficiebant. De hoc Magiſter ſententiarum in quarto diſtinctione prima: & ibidem Grego. ait, quod apud nos valet aquā baptiſmi, hoc valet apud veteres, vel pro paruulis ſola fides, vel pro maioribus virtus ſacrificiorum. Hæc autem vltima poſitio iuſtior eſt, magiſque bonitati Dei conſentanea, quod ſic intelligendum eſt, ſcilicet, ſi paruuli in illa ætate naſcerentur a parentibus fidelibus, ſcilicet, Deum verum colentibus, & credentibus ea, quæ ſolum in vniuerſali, & à natura ſuſcipienda ſunt, ſcilicet, quòd Deus eſt, & in ſe credentibus, atque ſperātibus remunerator ſit, iuxta Apoſtolum ad Hebræos. cap. 11. Mox vt naſcebantur pueri, ab originali culpa ſaluabantur: quia fides parētum cum iam G eſſet, non expectabat vlteriora tempora, in quibus haberet efficaciam, ſed eam immediatè habebant. Quo dato, impoßibile erat aliquem de paruulis natis in prima ætate a fidelibus parentibus, Deumque colentibus, ſi ante tempus diſcretionis, & vſus liberi arbitrij moreretur, periſſe æternaliter, quoniam mox vt naſcebantur liberati erant ab originali culpa. In quo melius cum eis agebatur, quam cum paruulis natis tempore datæ circumciſionis. Nam ſi ante octauum diem pueri Hebræorum eo tempore, quo circuncißio erat, moreſentur, culpa originalis in eis remitti non poterat, cum per circuncißionem, quæ in die octauo conferebatur, abſtergendū erat. Nec enim circuncißio præueniri poterat, vt ante octauum diem fieret: quāquam quidam hoc ſenſerint: quod videtur tenere Magiſter ſententiarum in quarto, in fine H primæ diſtinctionis. De hoc magis diximus ſuper Geneſim in cap. decimoſeptimo. Ex hoc autem alterum accidebat, ſcilicet, quòd in prima ętate, ſi aliqui paruuli ante annos diſcretionis mortui ſunt de linea filiorum Cain, illi æternaliter perierunt, aut rariſſimi ſaluari potuerunt. Cuius cauſa eſt, quoniam per lineam Cain, incepit, & tendebatur ciuitas diaboli, vt ait Auguſt. lib. decimoquinto de Ciuitate Dei, & omnes ferè illi mali viri erant Deo non adhærentes, atque infideles, filij ergo eorum ex ipſorum fide nullum conſequi poterant emolumentum, cum illa nulla foret: aut ſi aliqui eorum boni erant, & fideles rariſſimi fuere. In linea autem Seth filij Adæ, quę fuit ſecunda linea generationis in prima ætate, à contrario accidere neceſſe fuit, cùm omnes ferè viri boni eſſent, atque Deo fideles, quod ſacra ſcri- I ptura de eis teſtatur vocās filios Cāin filios hominum, & filios Seth filios Dei, vt patet Gēneſ. 6. cap. cum dicitur: Ingreßi ſunt filij Dei ad filias hominum, ſcilicet, filij Seth ad filias de ſtirpe Cain. Cum autem aliquis à patre fideli natus nō fuerat, ita vt abſtergenda originali macula parentum fides minimè profeciſſet, ab ea liberari non poterat, quouſq; diſcretionis tempora, & liberi arbitrii attigiſſet vſum. Et hoc eſt, quod dicit Grego. ſcilicet, quod in parentibus proficiebat virtus ſacrificiorum, ſ. ad hoc quòd tolleretur macula originalis, in parentibus erat virtus ſacrificiorum. Quod intelligendum eſt, quando aliquis effectus parens, ſ. ætatis maioris, & nondum fuiſſet in eo deleta macula originalis, deleretur per ſacrificia. Dicitur autem de ſacrificiis, nō quidem quòd non eſſet alius modus delendi hanc ma- K culam in adultis illius ętatis, niſi per ſacrificia. Nam & per omnes alios actus cæremoniales oblationis cuiuſque, & laudis diuinę, & orationum vel ieiuniorum, aut quarumcunque cæremoniarum in Deum trahentium. De ſacrificiis tamen dicitur, quoniam nihil magis erat in omnibus actibus latriæ deitatis expreßiuum, aut ſignificatiuum, quod offerens crederet eſſe aliquam deitatem, quam offerre ſacrificia: & ob hoc ea Deus magis ſibi accepta dicebat, quàm reliqua in ſtatu veteris teſtamenti. Et non ſolum per actus quoſcunque cęremoniales in Deum culpa originalis in adultis delebatur, ſed etiam per quemcunque actum in charitate: quod apparet, quia per quemcunque actum charitatis, mortalia peccata delentur, & efficitur homo gratus Deo, ſed nemo gratus Deo eſſe poteſt, qui ad mortem æternam

Hebr. 11.

Geneſ. 6

obligatus eſt: quoniam qui Deo grati ſunt, ei ſunt vniti, dicente Apoſtolo ſecunda ad Corin. cap. 6. Qui diligit Deum, vnus ſpiritus eſt cum eo: ſed partibus Dei, aut vnitis Deo debetur æterna felicitas: ergo neceſſe erat, vt per primum actum charitatis tolleretur originalis culpa. Quo fit, vt quādo primo aliquis de cōmiſſis peccatis doleret, aut quando veniens ad adultam, ſ. diſcretionis ætatem, opus aliquod in charitate faceret, nulla actuali culpa præcedente, peccati originalis macula tolleretur. Primum patet, quoniam contritio de commiſſis, remiſſionem peccatorum operatur: remiſſio autem per gratiam fit, ſine qua collata, peccata aboleri impoſſibile eſt, cùm ipſa ſit formaliter redemptiua peccatorum, vt dicit S. Thomas ſuper tertium Sententiarum diſtin. 20. Deus autem ſolum efficienter culpam delet, paſſio verò Chriſti promeritoriè. Sed gratia cum nulla culpa ſtat: ergo impoſſibile eſt in eo, qui de commiſſis tunc conterebatur & dolebat, originalē manere culpam. Secundum patet. ſ. quòd ſi quis ad ætatē diſcretionis perueniens, nulla præcedente in eo culpa actuali, aliquem actum bonum in charitate ageret, ſcilicet, dirigendo in Deum, neceſſe erat in eo deleri originalem culpam. Nam hunc operantem aliquid dirigendo in Deum, in quo nulla actualis macula præceſſiſſet, neceſſe erat eſſe in charitate. Charitas autem cum nulla culpa, aut macula, vel reatu æternæ mortis ſtare poteſt: ergo in eo deletur. Alioquin daretur, quòd aliquis poſſet tota vita in charitate manens, & ſecundum eam operans, atque decedens, æterna damnari morte: quod prorſus impoſſibile eſt: igitur impoſſibile eſt in charitate exiſtentem habere maculam originalē, quia illa manente ſumus filij iræ, & vaſa mortis obligati ad mortem æternam, patet ergo quid de paruulorum ſtatu dicendum ſit, qui ante vſum liberi arbitrij in prima ætate decedebant.

2. Cor. 6.

Quædam ad ſupradicta. Cap. CVII.

NVnc vero dicendum eſt, ſi illi, qui in hac prima naſcentis ſeculi ætate decedebant, erant prouecti ad vſum diſcretionis, & ætatem aliqualiter adultam. Pro quo conſiderandum eſt, quòd eo tempore hominibus nulla à Deo præcepta vitæ regulatiua tradita erāt, nec obligabantur ad aliquem ſpecialem modū viuendi, aut colendi Deum, ſed in lege naturæ viuebant. ſ. quod nullam aliam legem regulatiuam habebant niſi eam, quam natura eis tribuerat. Vocatur autem natura, ipſa conditio ſpeciei humanæ: eſt namque homo ſecundū ſpeciem ſuam intellectum habens, qui in practicum, ſpeculatiuūmque diſtinguitur. In practico autem ſunt ea, quæ directioni agendorum proficiunt. Sicut ergo nobis intellectum habere natura eſt, ita & propoſitiones, quæ in intellectu noſtro ſunt nullo docente, ſed ipſa determinante natura ex principijs rationis practicæ, naturalia ſunt: & homines inquantum per ea diriguntur, dicuntur viuere per legem naturæ, quoniam præceptum lex eſt. Præcepta ergo agendi, quæ naturaliter inſunt, naturalis lex appellantur. De hac lege loquitur Apoſtolus ad Romanos. cap. 2. dicens: Gentes, q̄ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt faciunt, eiuſmodi legem non habentes, ipſi ſunt ſibi lex: qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum, & inter ſe inuicem cogitationum cauſantium, aut etiam defendentium. Iſtis ergo lex naturæ eſt, vt generaliter & ſatis verè dixerimus, quidquid conſcientia totaliter faciendum, aut vetandum dicit. Ideo quiſquis agit contra conſcientiam, peccat dicente Apoſtolo ad Rom. 14: Omne quod non eſt ex fide, eſt peccatum. i. quidquid eſt contra id, quod homo credit eſſe bonum, eſt peccatum. Et principaliter, atque magis expreſſe homines in hac lege naturæ obligabantur ad decē præcepta decalogi, q̄ poſtea Deus dedit Iſraelitis in monte Sinai: vt patet Exod. 20. cap. In hoc aūt tempore primæ ætatis, idola nulla fuiſſe referūtur: qm̄ homines recēter in memoria habebant, ſeculū creatum fuiſſe à Deo, & illum eſſe verū Deū: ſed in ſecūda ætate idolorum cultus cępit exordiū. Colebāt aūt tunc homines Deū, ſed ad nullum modū cultus ſpecialiter obligati erāt, cū nulla lex determinans præceſſiſſet, ſed aut in ſacrificijs ſic, vel aliter factis, vel orationibus, vel ieiunijs, aut diuinis laudibus, vel quibuſcunq; actibus in hunc modum. In his enim, ſi originalis culpa deleta non fuiſſet ex fide parentum in paruulis, qn̄ ad adultam ætatē peruenirēt ſcilicet in qua vſum liberi arbitrij, & aliquantę diſcretionis haberēt, in primo actu facto in charitate directo in Deū remittebatur reatus, & cōferebatur gratia, ſicut tēpore datæ circuncisionis in veteri teſtamento per ipſam circūciſionem fiebat, & nunc in nouo teſtamento per baptiſmum efficitur. Tales autem, quandocunque poſt hoc morerentur, in originali macula decedere nō poterant, nec damnari in æterna tenebra lymbi puerorum. De his ergo dicendum eſt, quia aut in peccatis actualibus mortalibus diē claudebant extremum vltimatè impœnitentes, aut in charitate, & de cōmiſſis dolentes decedebant, ſiue in innocētia poſt remiſſionē originalis culpæ ante aliquam actualem culpam. Si vero peccatis mortalibus grauatus, & impœnitens eo tpē quis deceſſiſſet, infernalibus incendiis mancipabatur, ſicut nunc in ſtatu noui teſtamēti fit, & fiebat in veteri. Si aūt quis peccaſſet, & in charitate decedens de eis doleret, remittebantur ei: nā ſicut nunc per contritionē cū propoſito cōfitendi, & obediendi eccleſiæ in ſatisfactione peccatorum tolluntur reatus: ita & tunc, & ab origine creati ſeculi in quacunq; gente hoc obtinuit, vt ſola cōtritione peccamina delerentur. Vnde etiam ſi quis eo tpē tota vita idola coluiſſet, aut alijs ſe facinoribus, & flagitijs immiſcuiſſet, modo vt de eis doleret, remiſſa erant, dicente Ezechiele: Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, omnium iniquitatū eius quas operatus eſt, nō memorabor. cap. 18. Aequalem n. vigorem contritio omni tempore habet. In his autem, qui de peccatis dolentes in prima ætatę decedebant, diſtinguendum eſt: quia aut peccaminum ſuorum ſatisfactionem viuentes expleuerant, aut nequaquam. Si verò compleuiſſent, animę à corporibus ſolutæ mòx in lymbum ſanctorum patrum, qui ſinus Abrahæ dicitur deſcendebant: vbi vſq; ad Chriſti paſſionem permanebant nullam pœnam ſentientes. Si vero plenam de cōmiſſis ſatisfactionem non egiſſent, ad purgatoria loca ferebantur, vbi tandiu manebant, quouſque perfectam ſatisfactionem implerent. Si autem aliquos de puniţis, in purgatoria clementia ante Chriſti paſſionem explere peccatorum debita ſupplicia contingeret, transferebantur in ſinum Abrahæ: nam expletis ſupplicijs debitis, nulli in purgatorio loco, qui penalis eſt, manendum erat. Deinde autem in lymbo ſanctorum hæ animæ manebāt, expectātes Saluatoris paſſionem, antè quam ad vitam æternam nemo pertingere potuit.

Lex naturæ & præcepta eius.

Rom. 14.

Lex naturæ obligat ad decem præcepta.

Idola cęperunt in ſecunda ætate.

De decedentibus in ſecunda ætate. Cap. CVIII.

CVm de conditione decedentiū in prima ætate dictū ſit, nunc ad eos, qui in ſecūda ętate vitā clauſere transeundum eſt. In ſecunda ætate iā puerilis, & p̄cedentis ſeculi, quæ totum tempus cōtinet à diluuio facto vſq; ad tempus, quo Abraham egreſſus de Meſopotamia venit in terram Chanaam, & accepit circuncisionem anno vitæ ſuæ nonageſimo nono: vt patet Gen. 17. cap. fluxerunt anni trecenti octoginta octo, vt patet cōputando annos generationum ſingularium, à tempore diluuii vſq; ad natiuitatem Abrahæ, q̄ omnia habētur Geneſ. 11. c. & his ſuperaddendo annos nonaginta nouem, quos egerat Abraham, cum circūcidit carnē pręputii ſui. In hoc autem toto tempore fuit eadem conditio decedētium, quæ fuit in eis, qui ante diluuium deceſſerunt: & eædem diſtinctiones de illis habendæ ſunt, vt de prioribus. In hoc autem differt, q in tota prima ſeculi ætate idola nulla fuiſſe referuntur. In tempore autem poſt diluuium vſque ad datam circunciſionē

Abrahæ, multę gentes idola coluiſſe leguntur. Obligatio autem nulla magis tunc, aut determinatio ad cultũ diuinum, aut lex data erat, quàm in prima ſeculi ætate, ſed adhuc ſola lex naturæ in hominibus permanebat. Totum autem tempus, quod ab Abrahæ circuncisione vſque ad legem datam Iudæis in monte Sinai fluxit, quadringentorum & ſex annorum eſt, vt apparet latiſſimè ex computatione, quã fecimus Geneſ. 15. & Exod. 12. ca. In hoc autem tempore differens modus fuit morientium, quantum ad ſtatum animarum a corpore ſolutarum, quam in alijs temporibus. Nam tunc Iudæi deſcendentes de genere Abrahæ ab originali macula, & reatu ſola circuncisione liberabantur, quia quanquam à principio hominibus ſalus ab originali reatu per parentum fidem eſſet: quia Deus iam dederat ſpeciale præceptum Abrahæ, & ſemini eius, erat ablatum in eis iſtud remedium, & ſola circuncisione ſaluandi erant, quod ad viros extenditur, quibus inerat ſexus potens recipere circuncisionem. In feminis autem nihil tale fiebat, ſed per ipſam parentum fidem ſaluabantur, ſicut dicit Gregorius, & habetur quarto Sententiarum diſtinct. prima. Ideo ſi aliqui Iudæorum non circuncisi ad adultam ætatem peruenirent, in qua aliquas cęremonias ſacrificiorum aut alterius generis facerent in Deum dirigentes, aut eum diligerent, non tolleretur peccatum originale, quouſque circunciderentur. Sicut ſi quis a chriſtianis parentibus ortus ſciens ſe non baptizatum, & ad ætatem adultam iam prouectus non ſe faceret baptizari. Ideo ſi de Iudæis decedentibus agatur à tẽpore datæ circuncisionis vſque ad datam legem Moyſi, dicẽdum eſt, quòd aut iſti moriebantur ante circuncisionem, vel poſt. Si enim antè circuncisionem morerentur, æternaliter damnabantur ad lymbum paruulorum. Si verò poſt tempus circuncisionis factæ moreretur, aut in peccato mortali impęnitens decedebat, aut in charitate, & de commiſſis dolens moriebatur. Si enim decederet impœnitens, inferni ſedibus mancipabatur. Sic etiam & nunc qui charitate priuatus moritur, mox infernali incendio detruditur, ſemperque hæc lex communis extitit. Si autem decedens in charitate decederet, aut aliquando actualiter peccauerat, aut non. Si enim innocẽs foret, ſcilicet, vt poſt deletam originalem culpam nunquam quidquam mortale commiſiſſet, in ſinum Abrahæ, qui lymbus patrum dicitur, deducebatur. Si vero aliquando mortale commiſiſſet, nunc tamen in charitate decederet, aut de commiſſis debitam ſatisfactionem expleuerat, aut nequaquam. Si expleuiſſet, identidem in ſinum Abrahæ ducebatur. Si vero inexpleta foret, tamdiu purgatorijs detinebatur incendijs, quouſque inexpletam compleuiſſet ſarcinularum remiſſionem. Cum autem plena facta foret in pœnalitatibus ſolutio, ſi ante mortem Chriſti hoc accidiſſet, ad lymbum patrum reducebatur, vt ibi vſque ad Chriſti mortem, expectans redemptionem, maneret.

De circuncisione penes gentiles. Cap. CIX.

CVm autem de his, qui de genere Abrahæ circuncisionem ſuſceperunt, dictum ſit, de gentilibus, qui eo tempore, ſcilicet, a circuncisione data vſque ad dationem legis fuerunt, dicendum eſt. De quibus hoc primò conſtat, quod non tenebantur ad circuncisionem: nam circuncisio Abrahæ & ſemini eius tradita & iniuncta eſt, vt habetur Geneſ. 17. cap. cum dicitur: Dixit Deus ad Abraham, tu cuſtodies pactum meum, & ſemen tuum poſt te, in generationibus ſuis. Hoc eſt pactum, quod obſeruabitis inter me, & vos, & ſemen tuum poſt te, circuncidetur ex vobis omne maſculinum, & circuncidetis carnem præputij veſtri, vt ſit ſignum fœderis inter me & vos. Gentiles ergo ad hanc circuncisionem datã non obligabantur: quoniam non fuit intentio legiſlatoris eos obligare, cum ad eos lex data non ſit. Si tamen aliqui de gentilibus ad circuncisionẽ tranſirent, ꝑ eam delebantur in eis peccata, ſcilicet, originalis macula, ſicut in Iudæis accidebat. Ideo aut gentiles illius tẽporis

Gentiles non tenebātur ad circuncisionem.

F circuncidebantur, aut non: ſi circuncidebãtur: dicẽdum eſt de eis penitus, ſicut de Iudæis, quia in nullo differebant. Si autem non circuncidebantur, aut decedebant antequam peruenirent ad vſum liberi arbitrij, & ætatem alicuius diſcretionis, aut non. Si ante vſum diſcretionis, aut erat ademptus originalis culpæ reatus, aut non: ſi non erat ademptus per fidem parentũ, vt in præcedentibus declaratum eſt, ad puerorum lymbum originali depreſſi macula, in æternum damnati ferebantur. Si autem ademptus reatus foret, ad ſinum Abrahæ inter ſanctos patres deſcẽdebant. Si verò, poſtquam diſcretionis attigiſſent ętatem, morerentur, aut in mortali decedebant culpa, aut nequaquam. Si verò mortalibus depreſſi decedebant, in æternum gehennalibus incendijs mancipandi erant. Si autem vitio mortali carentes G decederent, aut antequam actualiter peccauerunt, aut quidquam commiſerunt mortiferum. Si autem nunquã peccauiſſent, ad ſinum ſanctorum patrum ferebantur. Si vero aliqua eis mortifera labes contracta foret, aut de ea plene ſatisfactum in pœnalitatibus erat, aut non: ſi ſatisfactum foret, ad ſignum ſanctorum patrum deſcendebant huiuſmodi. Si verò nondum ſuſcita ſatisfactio impleta eſſet, tamdiu in purgatorio detinebantur, quouſque ad nouiſſimum quadrantem perſolutum foret. Cum autem hæc impleta fuerit, ſi antè Chriſti mortem hoc accideret, ad lymbum ſanctorum patrum traſferendi eſſent. Prædicta probantur: nam gentiles, quia ad ſuſcipiendam circuncisionem obligati non erant, ſaluari poterant ea non ſuſcepta: ideo ſi decederent in innocentia, ſcilicet abolita originali macula, ante omH nem contractam culpam, aut de peccatis ſuis dolentes plena præcedente ſatisfactione, neceſſe erat, vt ſaluarentur ſanctorum patrum lymbum petentes, nec poterant gehennæ incendijs mancipari. Quo ſuſcepto inquiretur, quem locum iſti decedentes petebant: dici nequit, quod iſti vita defuncti æternæ felicitatis peterent ſedes) nemo namque vitam æternam adipiſci potuit, quouſque Chriſtus redemptionis noſtræ precium ſoluerit. Identidem autem dici nequit, ſic decedentes puerorum lymbum petere: quoniam illi duntaxat illic manent, qui originali ſolum culpa grauati deceſſerunt: hi autem quoniam hanc maculam iam depoſuerant, lymbo puerorum teneri nequibant. Amplius autem nec dici poterit hos apud purgatorias manere ſedes. I Nam purgatoria clementia illis ſolis eſt, qui de commiſſis dolentes inexpleta tamen pœnitentia, deceſſerunt: qui tamen innocens mortuus eſt, aut de commiſſis plena iam ſatisfactione, nihil pro quo puniendus ſit, habet, apud purgatorias ſedes nequaquam manebit. Manet ergo duntaxat ſinus Abrahæ, qui eſt locus ſanctorum patrum, in quo taliter decedentes debeant permanerė. Ex prædictis ergo inductum patet, quod gentiles, qui a tempore datæ circuncisionis vſque ad datam legem in monte Sinai deceſſerunt, ſi innocentes, aut de commiſſis plena habita ſatisfactione defuncti ſunt, ſinum Abrahæ, qui eſt locus ſanctorum patrum, petebant.

Gentiles ſaluari poterant abſq; circuncisione.

Qui ex gentilibus ad purgatorij loca tendebant. Cap. CX.

K SI vero gentilium quiſpiam completa nondum ſatiſfactione, ſed de peccatis dolens, & ex parte ſatisfactus deceſſiſſet, purgatoria clementia in ſedibus purgatorijs exercendus erat: quod apparet. Non enim hic gehennalibus ſupplicijs mancipandus erat, cum de commiſſis doluiſſet, identidem quoniam hoc ſuſcepto nihil differret aliquem impęnitentem vltimate mori, aut de vniuerſis dolendo ſceleribus, quod falſum liquet. Amplius autem, perennitatem felicitatis hunc aſſequi, non contingebat, quoniam ante Saluatoris paſſionem neminu hoc contingens fuit. Præter hoc, quia qui in vitæ æternæ felicitate ſuſcipiendi ſunt, ab omnibus maculis, & reatibus abſoluti eſſe debent, qui vero aliquam pœnæ particulam expiendam habent, nondũ ab omnibus

Quibus deberetur puerorũ lymbus.

bus reatibus abſoluti ſunt:ergo ad vitam æternam non admittuntur. Identidem autem dici nequit hos in puerorum lymbo locãdos, qm̃ hic locus eis ſolis debetur, qui macula originali depreſſi deceſſerunt. Qui verò de commiſſis dolẽtes, aliquali præmiſſa ſatisfactione, etſi non plena deceſſerunt, culpa originali non grauantur, ad lymbum ergo puerorum deficientes non tendũt. Ad ſinum quoque Abrahæ huiuſmodi decedentes tendere nequeunt, ibi quippe ſoli detinentur, qui iuſti vſquequaque ſunt, nihil eluendum ſupplicijs habentes. Hi autem aliquid adhuc flammis exurendum habent, quia nondum plenè ſatisfecerunt. manet ergo eis duntaxat purgatorius locus, vbi vſque ad pœnarum perſolutionem clementer exercendi ſunt. Gentilis ergo, qui de commiſſis dolens, nondum plena ſatisfactione decedebat ad purgatorias neceſſario tendebat ſedes. Amplius autem neceſſe erat, vt cùm gentilis, qui ob inexpletam ſatisfactionem purgatoria adierat loca decedens, cum ibidem quod viuenti defuerat expleuerit, ad ſinum Abrahæ transferatur, quod apparet. Huic enim. qui ſemel purgatoria clementia exercitus eſt, ad gehennæ cruciatus transferri eſt impoſſibile, cum à purgationis loco ad penalitatem acerbam gehennæ minimè transfeatur. Ad lymbum quoque puerorum à purgatorijs ſedibus tranſmigrare impoſſibile eſt: quoniam in lymbo puerorum illos duntaxat puniri conſtat, quos originalis culpa grauat, in purgatorijs verò ſedibus actualium culparum, inexpleta completur ſatisfactio. Ab vno ergo in alterum tranſitus impoſſibilis eſt. Præter hæc autem à minori pęna in maiorem tranſitus nunquam fit, ſed è contrario. pœnæ tamen purgatoriæ minores ſunt damnis lymbi puerorum, quoniam in lymbo puerorum manere, æternum malum eſt. Purgatoriis autem implicari pęnis temporale malum eſt, à purgatoriis ergo locis in locum lymbi tranſitus nullus fit. Amplius autem qui purgatorium ignem egreditur, omnium facinorum ſuorum pęnas eluit. pęnæ autem peccatis correſpondent. Qui ergo ignem iam derelinquit purgatorium, gehennalia incendia aut puerorum lymbum amplius non ſuſtinebit: vterque enim pęnalis locus eſt quanquam varie. Hic quoque purgatorio iam liberatus igne, paradiſi felicitatem aſſequi non poterat: nam æternæ vitæ ianua vſque ad Saluatoris mortem cunctis concluſa manſit. Reſtat ergo ſolus Abrahæ ſinus de receptaculis animarum corpore ſolutarum. Apparet ergo animas gentilium, quæ purgatoria clementia præteritarum macularum penitus exſoluiſſent cruciatus, in ſinum Abrahæ mox transferendas eſſe.

Gentiles ex purgatorio 1 ſinu Abrahæ ſtatim admitti poterant.

Pęnę purgatoriæ minores ſunt damnis lymbi.

De lege data in monte Sinai. *Cap. CXI.*

TEMPVS autem à lege data in monte Sinai Iudæis, eundem per omnia videtur habere modum: quantum ad conditionem decedentium, qui tempore datæ circunciſionis decedebant, ſcilicet, ex quo data eſt vſque ad legem datam. Quod primò in gentilibus apparet, ipſi quippe nullam, data lege, maiorem obligationem, quam ante habuerunt: nam ſicut ad circunciſionem obligatos eos nullatenus eſſe probauimus, ita & de lege data conformiter dicendũ eſt. Nam circunciſio eſt ianua ad totum vetus teſtamentum, & ea ſuſcepta obligatur quis ad veteris teſtamenti cęremonias vniuerſaliter, vt patet ad Galat. cap. 5. cum dicitur: ego Paulus teſtificor omni homini circuncidenti ſe, quod debitor ſit vniuerſæ legis faciendæ. Sicut ergo nemo chriſtianus eſſe valet, niſi baptiſmate dilutus ſit, ita nemo ad legem obligatus erit, aut iurare poterit, niſi caro præputij eius circunciſa fuerit. Gentilibus autem ad circunciſionem obligatio nulla erat, ergo nec ad legem. Amplius autem hoc patet, quoniam lex neminem obligat niſi eos, quibus data eſt. Lex autem data in monte Sinai ſolis Iudęis impoſita eſt: quod apparet Exod. 19. vbi Deus blanditijs quibuſdam collatorum beneficiorum Iudæis ſuadet, vt eius legem

A ſuſcipiant, cùm ait: Vos ipſi vidiſtis, quid fecerim Aegyptijs, & quomodo portauerim vos ſuper alas aquilarum, & aſſumpſerim mihi. Si ergo audieritis vocẽ meã, & cuſtodieritis præceptum meum, eritis mihi in peculiis de cũctis populis terræ: Mea enim eſt omnis terra, & vos eritis mihi in regnũ ſacerdotale. & gens ſancta. Et poſtea ſequitur quomodo populus conſenſit accipere legem, cum dicitur: Reſpondens omnis populus ſimul ait: cuncta, quæ locutus eſt Dominus, faciemus. Ecce ergo qualiter ſpeciali cõſenſu eorum lex data eſt, & ſi eam recipere recuſarent, Deus eam nõ dediſſet. Ad gentiles autem hoc factum non eſt, quia nec ipſi ſuſcipere conſenſerunt, nec Deus aliquos populos conſuluit an legem ab eo ſuſcipere vellent: Ad obſeruandam ergo hanc legem, nemo Iſraelitarũ tenebatur. Præcise ergo

B gentiles, qui tempore datæ legis erant, ad obſeruationem legis naturæ tenebantur. Gentilibus autem ab hoc tempore, vſq; ad Chriſti mortem, & euangelii publicationem, idem ſtatus manſit, nec quicquam obligationis acquiſitum eſt. Ideo dicendum eſt, quòd ſi quis gentilium ante ætatem diſcretionis decederet: ſi fide parentum originalis culpa ei abolita nequaquam foret aut ad ætatem aliquam diſcretionis perueniens in ea duntaxat originali labe maneret, ad puerorum lymbum tendebat: quod apparet. Nam ad lymbum ſanctorum patrum huiuſmodi anima ferri nequibat, quoniã ille iuſtorum locus erat, ſicut nunc amęnitas paradiſi. Decedentes autem in originali macula iuſti non erant: ad eum ergo locum non deſcendebant. Amplius verò paradiſi felicitatem ij adipiſci nequibant, quoniam

Lex gentilium quę ad iſta vſque tẽpora obſeruata eſt.

C hic locus nulli aut iuſto, aut iniquo antè Saluatoris mortem reſeratus eſt. Præter hoc quoniam eorum hic ſolum locus eſt, qui omni labe mundi, & omni reatu pęnarum abſoluti ſunt. Qui autem originali macula inficiuntur, vtrunque horum habent, paradiſi ergo felicitatem non attingebant. Identidem autem purgatoriis ſedibus immorari non poterant, quoniam hic locus eorum eſt, qui de commiſſis dolentes ſatisfactionem inexpletam habent, qui tamen originali macula decedentes grauantur, in peccato mortali obeunt, nec de contractis dolent, aut culpa in eis deleta eſt, purgatorias ſedes nequaquam adibunt. Nec quidem in gehennalia ſupplicia huiuſmodi decedentes detrudũtur: quoniam ſolum illi ſupplicia patiuntur gehennæ, qui in mortalibus decedentes; de patratis nequaquam

Quib. cõſerpetua ſit purgatorij locus.

D doluerunt. Qui verò ſola originali tenentur labe, & nulla adhuc actualia facinora commiſerunt, gehennalibus nequaquam cruciatibus adigendi ſunt. Solum ergo lymbus puerorum manet de locis animarum corpore ſolutarum: ad hunc ergo ibant. Generaliter ergo diffinitum ſit, quod Gentiles ab exordio orbis conditi, ſi ſic dicere voluerimus, aut a tempore circunciſionis datæ, vt proprius dicamus, antè vſum liberi arbitrij in culpa originali decedentes, aut ſi peruenientes ad vſum liberi arbitrii, & aliquantæ diſcretionis in ea duntaxat moreretur, ad lymbum puerorum deſcendebant, ibi in æternum manſuri. Generaliter quoque diffinitum ſit, Gentiles, ſiue ab initio creati orbis, ſiue à circunciſione data, antè vſum liberi arbitrii deleta originali culpa decedentes, aut ad ætatẽ diſcretionis per-

Gentiles qui moriebãtur ante vſũ liberi arbitrii perpetua lymbi pęna damnati ſunt.

E uenientes, & in innocentia, deleta originali macula, morientes, vel de patratis ſceleribus plena ſatisfactione præmiſſa ad ſinum ſanctorum patrum, vſque ad Chriſti mortem deſcendebant permanſuri. Hoc autem neceſſarium patet. Nam ſic decedentes gehennalibus ſupplicijs teneri non poterant. Illi enim duntaxat his tenentur malis, qui de patratis impenitentes decedunt. In his autẽ nulla mortalis macula fuit, aut ſi fuit, prorſus quantum ad culpam, & omnem pęnæ reatum deleta eſt. Hi ergo gehennalibus non manebunt locis: nec rurſus paradiſi felicitatem aſſequi poſſunt: quia hoc nulli ante mortem redemptoris datum eſt. Nec hi quoque purgatorias petebant ſedes. Hic enim locus eorum eſt, qui cùm de actualibus mortalibus doluerint, plenam eorum viuentes ſatisfactionem non ege-

runt. Hi tamen aut nequaquam de actualibus quippiam habuerunt, aut de eis prorſus ſatisfactionem expleuerunt, ergo purgatoria non exurentur flamma.

Ad lymbum quoque puerorum his deſcendendum nequaquam eſt: quoniam hi, qui originali labe infecti deceſſerunt, tenentur duntaxat. Hi autem dum viuerent huiuſmodi depoſuerunt maculam. Eis ergo ſolum ſinus Abrahæ de omnibus animarũ receptaculis manet.

Quædam penes ſupradicta. Cap. CXII.

REpetentibus ergo nobis eandem concluſionem dicendum eſt, quod ſi Gentilis ab orbe condito, vſq; ad mortem Saluatoris depoſita originali labe innocens moreretur, aut de commiſſis plena ſatisfactionẽ præmiſſa, ſinum Abrahæ, qui lymbus ſanctorum patrum dicitur, petebat. Si vero quiſquam gentilium ab orbe incipiente vſque ad Christi mortem, de commiſſis ſceleribus impœnitens decederet, gehennalibus incendijs in æternum mancipabatur. Hoc autem omni ætati, genti, & ſexui, & profeſſioni vniuerſale eſt. Nihil enim ad hoc differt, an de Chriſtianis, aut Iudęis, Sarracenis, aut quibuſcunque gentibus decedens fuerit. Si autem aliquis de Gentilibus toto hoc tempore, ſcilicet vſque ad Chriſti mortem de commiſſis peccatis plena præmiſſa ſatisfactione decederet, ad lymbum Abrahę deſcendebat, vt patet ex rationibus ſupra aſſignatis. Si vero quiſpiam de Gentilitate, de patratis quotcunque ſceleribus dolens moreretur, ſatisfactione nondum finita, aut non cepta, ſolo dolore verò de commiſſis præcedente, toto hoc tempore, neceſſe erat, vt ad purgatorias deſcenderet ſedes tandiu ibi puniendus, quouſque ad nouiſſimum quadrantem debitas exſolueret pœnas. His verò perſolutis ad lymbum ſanctorum, ſcilicet ad ſinum Abrahæ transferri neceſſe erat. Ad inferni quippe cruciatus deſcendere non debebat: nec ad puerorum lymbum, nec ſinum Abrahæ, nec paradiſi amœnitatem conſcendere poterat ex rationibus ſupra aſſignatis in hoc caſu. Cum vero ſatisfactio vſque ad vnguem finita foret, ad ſinum Abrahæ tranſitus erat vſque ad redemptoris mortem.

Sinus Abrahæ lymbus ſanctorũ Patrum appellatũ.

Quæ differentia fuerit inter Iudæos, qui ante legem datam poſt circumciſionem impoſitam erant, & eos, qui poſt legiſlationem vſque ad Chriſti mortem exstiterunt.

Cap. CXIII.

NVnc verò de Iudæis dicendum eſt, cum de Gentilibus egerimus: in quibus hoc diffiniendum eſt, paruam ineſſe differentiam eis, qui ſub data lege fuerunt, vſque ad Chriſti mortem ab eis, qui fuerunt à data circunciſione vſque ad legiſlationem. In hoc enim differebant: quoniam Iudæi, qui à data circunciſione vſque ad legiſlationem extiterunt, ad ſolam legem circunciſionis obligati erant. In alijs autem poterant facere ex arbitrio; dum tamen non militarent contra præcepta legis naturæ expreſſa, aut contra quodcumque conſcientiæ dictamen. Ideo nunquam mortaliter iſti peccarent, niſi cum aut circuncidi recuſabant, vel negligebant, ſi contingeret aliquem adultum incircunciſum fore, vel vt conuenientius dicamus, ſi parentes circuncidere, aut negligerent, aut recuſarent, vel cum contra legem naturæ agerent. Cum verò lex ſuſcepta eſt, non ſolum ad circunciſionem ſupra legem naturæ obligati erant, ſed etiam ad omnia legis mandata, contra quæ agentes mortaliter peccabant, ſecundum ipſius legis determinationem. In ceteris autem plena erat ſimilitudo Iudæis, qui ante legem datam poſt circunciſionem impoſitam erant, ad eos qui poſt legiſlationem vſque ad Saluatoris mortem extiterunt. Si enim aliquis poſt datam legem Iudæus incircunciſus vſque ad Chriſti mortem decederet, ad lymbum puerorum deſcendebat: nam lymbus eſt ſedes eorum, qui duntaxat originali macula deprimuntur: hi autem in ea ſolum

F accedebant. Illuc ergo eis tendendum erat. Si verò poſt datam legem vſque ad mortem Saluatoris, quiſquam de Iudæis poſt circunciſionem in totali innocentia decederet, aut de commiſſis plena ſatisfactione præmiſſa, lymbum ſanctorum patrum, ſcilicet ſinum Abrahæ petebat. Eædem quippe in hoc rationes ſunt, quas in præcedenti tempore datæ circunciſionis antè datam legem eſſe oſtendimus. Si vero quiſpiam de Iudæis, à data lege vſque ad Chriſti paſſionem, ſuſcepta circunciſione, & de patratis ſibi peccatis dolens: plena tamen nondum habita ſatisfactione, aut nondum cepta moreretur, purgatoria clementia vſque ad vniuerſorum ſuppliciorum debitam perſolutionem exercendus erat, de quo in prioribus rationes datæ ſunt. Cum verò ſatisfactum eſſet pro commiſſis, ad ſinum Abrahæ vſque ad

G Saluatoris paſſionem tranſibatur.

De ſtatu quodam decedentium. Cap. CXIV.

ALius autem ſtatus decedentium fuit à morte Saluatoris vſque ad publicationem dati Euangelij, qui a prioribus differens eſſe conuincitur. Fuit autem publicatio Euangelij poſt mortem Chriſti per Apoſtolus, & coadiutores eorum fideles facta. Dicitur autem facta publicatio Euangelij, non quidem cum primò apud aliquam gentem Euangelium prædicatum eſt, ſed cum apud omnes gentes ſufficienter per vocem Apoſtolorum, & aliorũ diuulgatum eſt: ita vt credere poſſent, quæ vellent, nec quiſquam Euangelij ignorantia prætenta ſe tueri poſſet. Quod autem ſtatus temporis

H huius intermedij a ceteris temporibus differens ſit, Patet primò quidem de Gentilibus: hi enim eo tempore ad circunciſionem, aut ad legem Moſaicam obligati non erant, ſicut nec ante hoc obligabantur. Sed adhuc non magis ab obligatione recedebant, quam in præcedentibus ſeculis: prius quidem, etſi Gentiles ad circunciſionem ceteroſque Iudaicos ritus obligati non eſſent, circunciſio tamen in ſe proficiens erat, ipſiſque profeciſſet Gentilibus, ſi eam acceptarent. Nunc vero omnia extincta, morte redemptoris erant: ita vt in ſe circunciſio, & cetera cęremonialia nullius eſſent virtutis contentiua, aut effectiua, etſi Gentiles ad Iudaiſmum conuerterentur, nihil profeciſſet, ſed eſſent ſicut cum liberi in lege naturæ manebant: nam & ipſis Iudæis, qui à primordio in his manſerant cęremonijs, nihil talis pro-

I derat exercitatio. Identidem autem Gentiles huius temporis, ad legem Euangelicam obligati non erant, nulla nempe lex ſuper aliquos virtutem conſequitur, quouſque perfectè publicata ſit: quod non contigit de Euangelica, donec per totum orbem Apoſtolorum inſonuit tuba, & in fines orbis terræ eorum efficacia verba audita ſunt. De Gentilibus ergo, qui hoc tempore ſiue nondum peruenientes ad vſum rationis, ſiue eum aliqua ex parte attingentes, qui tamen culpam originalem nondum exuerant, dicendum eſt, quòd decedentes ad lymbum puerorum trahebãtur. Quod quidem omni ſeculo, & ætate generale eſt, vt quicunque ſola originali depreſſus macula deceſſerit ad puerorum tendat lymbum. Hic enim locus maculæ illi præfixus eſt. De tempore ergo decedentis aut ętate ſeculorum nihil

K differt cum tñ originalis macula dũtaxat permaneat. Si aũt hoc tempore aliquis de gentilib. moreretur abolita originali culpa, innocẽs adhuc manens, vel de cõmiſſis plena præmiſſa ſatisfactione, ad paradiſi amœnitatẽ ferebatur. In hoc aũt ſtatus iſte à ceteris priorib. ſeculi nimis differt: nã prioribus ſtatibus, quicũq; hoc modo ſe habens, extremũ clauſiſſet diẽ, ad ſinũ Abrahæ ducebatur, nũc vero ad vitam ęternam. Quod ſic andu erat, vt qui innocens aut de cõmiſſis dolens, & plena ſatiſfactione expleta decedebat, gehennalib. claudi nequibat ſupplicijs, quoniam impœnitẽs non decedebat. Amplius autem purgatorijs ſedibus huic nihil eluẽdũ erat; nã hic locus eis duntaxat eſt præfixus qui ſatisfactionem aut non expleuerunt, aut de peccatis doluerunt, ſatisfacere tamen ceperunt. Præter hoc etiam ad

Euãgelij publicatio quid.

puero-

puerorum lymbum deſcendere non debebant huiuſmodi; quoniam eis locus ille congruit, qui originali infecti macula duntaxat obeunt, in his autem abolita iã eſt. Ad ſinum quoque Abrahę ſiue lymbum ſanctorum patrum deſcendere non debebant, quoniam iſte fuit locus iuſtorum, in quo detenti erant, quouſque Saluator moreretur, qui morte ſua hos, qui detenti erant, & ceteros redimeret, quoſdã ſufficienter, & efficienter; quoſdam aũt ſolum ſufficienter, oẽs verò efficienter. Nõ erat ergo aliquis talis locus opportunus ad detentionẽ animarum beatarum; quoniam ceſſabat cauſa detentionis. Ad vitam ergo æternã ferri neceſſe erat, vel ſi poſt mortem Chriſti antè publicatum Euangelium decedentes, purè in innocentia, aut completa de commiſſis ſatisfactione, ad vitæ æternæ non transferrentur amęnitatem: nunquam daretur, ꝙ taliter decedentes vitam conſequerentur æternam: quoniam nulla maior diſpoſitio fieri poterat, ſiue ex parte redemptoris, ſiue ex parte redemptarum animarum, ad hoc vt illam perennem conſequerentur Paradiſi felicitatem.

Dicendum ergo, ꝙ decedentes eo tempore, vt dictũ eſt, mox in ſedes æthereas ferebãtur. Si vero quiſquam de Gentilibus hoc tempore, ſ. poſt mortem Chriſti vſque ad plenam promulgationem Euãgelij decederet, de commiſſis quidem pęnitens, nec tamen plena eorũdem ſatisfactione præmiſſa, purgatoria clementia excercendus erat, vſque ad ſolutionem vniuerſi debiti, ex rationibus ſuprapoſitis. Non enim erat alius locus, ad quem ferri deberet. Cõpleta aũt ſatisfactione delictorum, ad vitam æternam conuolabat. In hoc quoque huius temporis ſtatus a prioribus differebat: nam in præcedentibus perſoluta debita ſatisfactione, animæ omnino purgatæ in ſinum Abrahæ transferebantur: nunc autem in vitam æternam. Ratio autem huius diuerſitatis eſt, quoniam purgatarum omnino animarum locus, ipſa æternæ felicitatis ſedes empyrea eſt, & ad hũc toto tempore antè Chriſti mortem ſanctorum virorum animæ conuolare debebant. Sed quoniam illuc nemini niſi per ſanguinem teſtamenti mediatoris patebat iter: detinebãtur quouſque redemptor ſanguinem effudiſſet. Cũ verò Chriſtus mortuus eſt, iam patebat iter cunctis diſpoſitis: nihil ergo impediebat, quin animæ tunc ad vitam æternam diſpoſitæ, mox, vt a corporibus egrederentur, vitam cęleſtem peterent: ideo non detinebantur in ſinu Abrahæ, hoc in eo aliqua de ſanctis animabus poſt mortem mediatoris manſit.

Quædam penes ſupradicta. Cap. C.X.V.

SICVT autem tempus à morte Saluatoris vſque ad perfectam publicationem Euangelij in Gentilibus decedentibus a ceteris ſeculorum ſtatibus differẽs fuit, ita & etiã ad Iudæos conferendo dicendum eſt. In hoc enim tempore Iudæi ad circumciſionem, aut ad quæcunque præcepta legis Moſaicæ obligati nequaquam erant: cum ipſa enim morte redemptoris legalis obligatio extincta, & ſepulta eſt. Si ergo quiſquam Iudæus eo tempore incircumciſus moriebatur, non ſequebatur ex hoc, quod in peccato originali decedebat, nam obligatio ad circumciſionem extincta erat; poterant namque Baptiſmate Chriſti ab originali culpa liberari. Identidem autem hoc medio tempore Iudæi ad legem Euangelicam, & Baptiſmatis ſuſceptionem obligati non erant: nulla namque lex vires obligandi conſequitur, quouſque plene promulgata ſit: lex autem Euangelica hoc medio tempore promulgata non erat: Iudæi ergo medij duorum teſtamentorum, hoc tempore ab vtroque liberi erant. Nam quodcũque illorum obſeruantes ſaluarentur: ſed ad neutrum determinate obligati erant, vtrumque tamen illorum exuere non poterant, ſed ad alterum eorum obligabantur, licet non determinatè. Si autem neutrum hac libertate vtentes obſeruare vellẽt, ſaluari non poterant: ſed tenebantur illud magis obſeruare, quod eis conſcientia determinaſſet. Similiter determinat Apoſt. ad Roman. 14. cap. vbi de cęremo-

A nijs legis, an hoc tempore nondum perfectè publicati Euangelij obſeruari deberent, agit. Et dicit, quod illi, qui credebant ſe obligatos ad obſeruationem cæremoniarum, non diſtinguentes diem, & omnem diem obſeruarent: quia conſcientia eis dictabat obſeruare debere: qui vero intelligebant ſe obligatos non eſſe ad hanc obſeruationem, diſtinguentes inter diem, & omnem diem non debebant obſeruare cęremonias: quia nihil contra conſcientiam agendum erat, cum omne, quod contra fidem fit, peccatum ſit. Hoc autem tẽpore ſi quis de Iudæis poſt ſuſceptam circumciſionem in innocentia moreretur, aut de commiſſis perfecta ſatisfactione præmiſſa, ad Paradiſi felicitatem confeſtim euolabat. In hoc autem differt tempus iſtud à ſtatu elapſorum ſeculorum, qm̃ in nullo præteritorum tẽporum decedentes in innocẽtia, aut commiſſorum expleta ſatisfactione vitam æternam petebant, ſed in ſinu Abrahæ tenebantur: Diuerſitatis autem ratio eſt, quia in præteritis ſeculis vitæ æternæ ianua clauſa erat, cum Chriſtus nõdum ſoluiſſet precium redemptionis noſtræ: adeo iuſti, qui moriebantur, quamquam ad vitam æternam diſpoſiti erant, tamen in ſinu Abrahæ vſque ad mortem Redemptoris præſtolari neceſſe erat. In tempore autem, quod inter Chriſti mortem, & Euangelij publicationem intercidit: quoniam Saluator mortem iam ſubierat, ianua vitæ æternæ cunctis ad hanc diſpoſitis patebat, nec oportebat decedentem in hac diſpoſitione ad lymbum Sanctorum Patrum deſcendere, aut ad aliquem locum adire per aliquod tempus præſtolaturũ: Si verò aliquis de Iudæis hoc tempore de commiſſis C habita contritione, necdum tamen plena ſatisfactione moreretur, clementia purgatoria exercendus erat quouſque contractæ labis exemiſſet reatum. Cum verò omnia deleta forent, ad ſinum Abrahę non tranſibat, vt in præcedentibus ſeculis generale erat, ſed mox ad æternæ vitæ felicitatem conuolabat. Hæc autem ex præpoſitis rationibus patent.

Diuerſitas horũ tẽporũ à priorib. in his, qui moriebãtur Iſontes.

B

De morientibus poſt publicationem Euangelij vſque ad finem mundi. Cap. C.X.VI.

ALius autem ſtatus, à cunctis prioribus differens, poſt hos ſequitur, ſcilicet, poſt publicationem perfectam Euangelij vſque ad finem mundi. In hoc autem tempus iſtud à prioribus differt: quia lex Euan-D gelica, quæ iam publicata erat, omnes homines ad cuſtodiam ſui obligabat, quã ſi non obſeruauerint, ſaluari eos impoſſibile eſt. Hoc autem eſt, quo nimis differt lex Euangelica à Moſaica: nam totum tempus, quo durauit, ad libertatem Gentilium conceſſum eſt. Nihil enim ad huius obſeruationem obligati erant: adeo quanquam non obſeruaſſent, nihil in hoc mortaliter peccabant. Legis autem Euangelicæ modus ab hoc diſtans ſatis eſt: nam quicunque ad hanc obſeruandam tenetur. Et ſi quis alicuius gentis, populi, nationis; aut profeſſionis fuerit, qui hanc legem aut nullatenus obſeruare velit, aut eam ex aliqua parte infringat, mortali grauatur reatu, ne quoquis modo ſolui poterit, niſi eam obſeruare incipiat. Quod autem lex Moſaica Gentilem nullum obligaret, ſed duntaxat Iudæos, ap-E paret: quoniam eis ſolis data eſt, ipſique a Deo conſulti ſunt, an eam vellent; & beneficiorum enarratione ad eam acceptandam ſuaſi ſunt; aliæ autem gentes, nec ad hoc conſultæ ſunt, nec eis quidquam collatum eſt, vt in prioribus declaratũ eſt, & habetur Exod. 19. cap. Lex autem Euangelica omnes obligat: quia omnibus collata eſt, omnibus quoque gentibus in voce Apoſtolorum, & aliorum coadiutorum promolgata eſt. Sic enim Chriſtus iuſſerat, & habetur Matth. vlt. capit. & magis Marci vltimo dicitur: Euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ; qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit, qui vero non crediderit condemnabitur. Cauſa autem, quare lex Euãgelica omnes gentes obligauerit, lex autem Moſaica ſolos Iudæos, eſt quia lex Euangelica concernit ſtatum

Cur lex Euangelica oẽs obligauerit, lex verò Moſaica ſolos Iudæos.

perfe-

perfectum ordinantem homines ad æternam felicitatem, in qua eorum totum bonum eſt. Fuit quoque iſta lex data in præceptis vniuerſalibus, quæ non determinantur magis ad modum viuendi vnius gentis, quàm alterius: quamobrem cuilibet conuenire queunt. Lex autem Moſaica non continebat ſtatum perfectum deducentem hominem ad perfectionem, ſicut de ea Apo-

Hebr. 7. ſtolus diffiniuit ad Hebr. cap. 7. ſcilicet. Neminem ad perfectum deduxit lex, ſed erat quædam diſpoſitio ad ſuſcipiendam legem Euangelicam, quæ perfectionem continebat, ſcilicet, vt homines aſſuefacti iugo legis, & occupati in cæremoniali facilius inducerentur ad obſeruandam legem perfectionis ſcilicet Euangelicam. Amplius autem lex Moſaica conſiſtebat in quibuſdam particularibus præceptis, tam cæremonialibus, quàm iudicialibus, quæ non conueniebant omni nationi, ſed ei ſoli genti Iudæorum, de qua Meſſias naſciturus erat. Tam particularem enim ſtatum, & conditiones concer- G nebant leges Moſaicæ, vt etiamſi omnes aliæ gentes eas ſuſcipere vellent, eis non conuenirent. Cum ergo lex Euangelica poſt perfectam promulgationem ſuam omnes homines ad cuſtodiam ſuam obliget, neceſſe eſt, vt ſi quis non ſuſcepto baptiſmo, qui ad legem Euangelicam introitus eſt, & præcipuum de præceptis noui teſtamenti, in æternum damnatus ſit. Erat enim hic duplex peccati genus, & vtrumque quidem ad æternam damnationem ſufficiens ſcilicet originale, quod nondum deletum erat: quia illud deleri non poterat, niſi per baptiſmum, cum omnes obligati erant ad iſtũ modum expiationis peccati originalis, ſicut in Iudæis tempore veteris teſtamenti nullus erat modus expur- H gandi originalem labem, niſi per circunciſionem, ad quam ſpecialiter obligati erant. Erat autem & præter hoc peccatum mortale, ſi hic, qui ad ætatem diſcretiuã peruenerat, non baptizatus decedebat, cum recuſaret illud accipere, quod accipere obligabatur. Hunc ergo æternaliter damnati gehennalibus ſupplicijs mancipatum, neceſſe eſt. Si verò aliquis poſt publicatum Euangelium baptizatus moriatur, antequàm ad diſcretionis peruenerit annos, labem originalem nondum exemit, quæ niſi per baptiſmum hoc tempore adimi nequit. Ad lymbum ergo puerorum hunc deſcendere neceſſe eſt, qui originalis culpæ locus eſt. Nec quidem gehennalibus incẽdijs mancipabitur; quia in mortali actuali non deceſſit: cum iſte baptiſmum contemnere, aut recuſare non potuit, qui nihil intelligere valuit. Si I verò adultæ fuerit ætatis: quia tam originali, quàm actuali mortifera premitur culpa, gehennalibus adigi cruciatibus neceſſe eſt. Si autem quis aſſumpto baptiſmo, ac per hunc originali labe exemptam in perfecta innocentia deceſſerit, aut de commiſſis dolens plenam eorum ſatisfactionem præmiſerit, ad vitam æternam mox conuolabit, vt ex ſuprapoſitis rationibus liquet. Si autem aliquis ſuſcepto baptiſmate in mortali deceſſerit, infernorum detrudi ſedibus neceſſe eſt. Hoc quippe omnibus temporibus generale fuit, vt quicunq; his preſſus deceſſerit, in æternũ gehennæ incendijs adigatur. Cum aũt quiſpiam de peccatis plenè dolens, plena tñ ſatisfactione nondũ premiſſa, deceſſerit, purgatoria exercendus, quoadusq; vniuerſæ labis reatũ exemerit. cũ vero hæc completa ſint, ad vitã æternam tranſire K neceſſe eſt, ad nullum aliorũ locorũ trauſeundo. Non.n. ad ſinum Abrahæ tranſibitur, velut in ſtatu præcedentium ſeculorum: ibi quippe iuſtorum aïæ detineri ſolebant, qm̃ nondum redemptionis noſtræ ianua manifeſta erat. Ex prædictis illatum patet, de ſtatu animarum à corpore ſolutarum, ſcilicet, quæ loca peterent, in quocunque tempore, & ſtatu homines morerentur ab exordio ſeculorum vſque ad finem eorundem.

Pœna purgatorij ab orbe condito vſque ad eius interitum ſunt duratura. Cap. CXVII.

NVnc autem redeuntibus nobis ad ea, quæ de purgatorio dicere cœperamus: dicendum eſt pœnas F purgatorias ab orbe condito vſque ad eiuſdem cõſummationem permanere: ita quòd nullum fuerit tempus, aut ætas, in qua hominibus pœnæ purgatoriæ non tolerarentur, ſiue ante mortem Saluatoris, ſiue poſt eam. In hac autem purgatoria clementia, quæ in igne exercetur, antè mortem Saluatoris, tam animæ Gentilium, quã Iudæorum puniebantur. Quoniam Iudæi in lege Moſaica ſaluabantur: Gentilibus quoque in ſolius legis naturæ obſeruatione ſalus erat, etiamſi legem Moſaicã nullatenus obſeruarent. Ad eam quippe obligati nequaquam erant, vt in præcedentibus declaratum eſt. Cum ergo horum aliqui de commiſſis quidem dolentes, nec tamen plena ſatisfactione præmiſſa decedebant, purgatorio igne omnem ſcelerum exiſtimebant reatum. Hoc idem à tempore mortis Saluatoris vſque ad completam Euangelij promulgationem manſit, cum nec Iudæi ad Moſaicam determinatè, nec Euangelicam obligati G erant, licèt ad alteram indeterminatè tenerentur. Gentiles verò ad neutram tenebantur, vt in prioribus inductum eſt: ideo quomodocunque ſaluabantur. Promulgatione autem completa Euangelij, nemo decedens ad purgatorias ſedes tendit, niſi Euangelicam fidem profeſſus ſit, baptiſmalis regeneratus lauacro. Sarraceni autem, Iudæi, atque Pagani, & quorumcunque rituum gentes purgatorijs ſedibus teneri nequeunt, quoniam eos decedentes gehennali carceri mancipari neceſſe eſt. Hoc autem, quia omnes quotcumque huiuſmodi in originali, atque mortali culpa decedunt actuali, ſi ætas capax ſit diſcretionis. Paruuli namque eorum nondum rationis attingentes vſum, originali H ſolum deprimuntur culpa, quoniam baptiſma emundatiuum non ſuſceperunt. Qui verò iam adulti ſunt, duplici tenentur piaculo, originali ſcilicet, & actuali: originali quippè, quia baptizati non ſunt: actuali autem, quia baptiſma contempſerunt.

Quædam de Chriſti deſcenſu ad Inferos. Cap. CXVIII.

DE Purgatorijs autem ſedibus Chriſtus ad Inferos poſt mortem ſuam deſcendẽs, nullos traxit, ad Paradiſi amœnitatẽ eos ducens. Nam qui Purgatorijs cruciatibus exercebantur, ad perſolutionẽ debitæ ſatisfactionis his cruciatibus immanebãt. Tũc ergo quæritur, ſi Chriſtus ad inferos deſcendẽs de purgatorio igne ali- I quos eduxit, aut hi plenè pro cõmiſſis ſatisfecerat, aut nequaquã. Si verò ſcelerum ſuorũ plenè eluiſſent cruciatibus labem, in purgatorio igne iam eis manendum non eſſet, ſed in ſinu Abrahę quẽ Sanctorum Patrũ lymbum dicimus. Non ergo hi de purgatorijs ignibus educerentur, ſed de ſinu Abrahæ. Si vero aliquos a Chriſto eductos aſtruamus, qui plenè pro commiſſis non ſatiſfeciſſent, abſurdum confitemur. Hoc pacto dici neceſſe erit aliquos, qui nondum plenè mundi ſint, manere in vita æterna: Neminem.n. illa admiranda, nec tñ plenè nobis excogitata felicitas Paradiſi recepit, niſi oïb. prorſus mundũ inquinamentis. Hoc ergo neceſſariũ eſt, vt dicamus Chriſtum ad Cælos aſcendentem nullum de his, qui purgatoria clementia exercebantur, ſecum eduxiſſe: ſed hi, cum cruciatibus plenè concretam exemiſ- K ſent labem, ab his liberati ſupplicijs in Cælum ferebãtur. Hæc aũt inconcuſſe vera ſũt, niſi eueniſſe dicamus, vt cum Chriſtus in Cælos aſcenſurus eſſet, aut ex tpe, quo ipſe deſcendit ad inferos, aliqui de commiſſis expleuerint ſatiſfactionem. Tunc enim hi cum Chriſto exeuntes in Cælum conſcendiſſent, ſicut alioquin exituri erant de purgatorijs ſupplicijs, ſi Chriſtus non moreretur. Propriè ergo loquentes dicendũ eſt, ꝙ Chriſtus nullos de purgatorijs ſedibus eduxerit. Nam etſi aliqui eo exeunte exierint, eis tamẽ ex eius morte, aut exitu ad hoc, ꝙ de purgatorijs ſupplicijs exierint, nil acceſſit, nilq; contulit. Profuit tñ eis quodam alio modo: nam ſi Chriſtus tunc mortem non ſubiiſſet, quanquam iſti purgatoria ſupplicia exuerent, in lymbo tñ ſanctorum detinendi erant ad ſedes empyreas nequaquam aſcenſuri.

Quia verò tunc Chriſtus mortuus eſt, eos ad vitæ æternæ felicitatem perduxit. Eos autem Chriſtus verè, & directè eduxit in Cælum ſecum ferens, qui in ſinu Abrahæ tenebantur: quia hi ſoli propriè redemptorem expectabant: alij tamen etſi eis ſaluatoris mors prodeſſet, tamen nō expectabant. Amplius autem animaduertendum eſt gehennales cruciatus, & purgatorias pœnas inæquales duratione eſſe: nam gehennalis afflictio æterna eſt. Quilibet namque, qui illic tenetur, in his in æternum affligitur, nec vlli quantumcumque longorum ſeculorum ibi tranſegerit ſpacia, exuere atroces illos cruciatus datur. Qui verò purgatoria detinentur ſede, in æternum ibi non manent, ſed tandiu cruciatur, quamdiu illos cruciari commiſſorum quantitas, & diuina iudicatio cogit. Præter hæc quoque purgatoriæ pęnę cum æternæ non ſint, nec etiam extremi examinis ſcilicet diei Iudicij tempus excedunt. Cum ipſo enim ordine ſeculorū conſummato, Purgatorij quoque extinguuntur cruciatus: poſt autem nemo ibi cruciabitur quantacumque peccata præceſſerint. Vnde ſi quis ante diem Iudicij per menſem, aut octo dies ſaltē, vel quantumcunque parui diſcurſus temporalis inexpleta de commiſſis ſatisfactione, qui iuxta magnitudinem patratorum, & reſarciendotum per triginta, aut quadraginta annos Purgatorijs ſupplicijs exercendus foret, in pauco illo temporis diſcurſu totū hoc ſeueritatis perferet, quodcunque in triginta, aut quadraginta annis ſublaturus foret, vt pœna illa diem Iudicij non excederet. Tota enim manens duratio ad felicitatem ſanctarum pertinet animarum: nihil ergo illius ſibi in pęnalitatibus ducendum eſt.

Differentia pœnæ infernalis, & purgatorij.

De lymbo puerorum. Cap. CXIX.

CVm de duobus locorum gehennalium locis actū ſit, de tertio ſuperueniendum eſt. Hic enim lymbus puerorum appellatur. Iſte enim locus illis à Deo diſpoſitus eſt, qui ante ætatem capacem vſus rationis decedentes in originali macula: quia baptizati nō ſunt, aut alio modo ab illa non mundati, piaculo deprimuntur: vel vt proprius dicamus, hi ſoli in hoc detinentur loco, qui in ſola originali macula diem claudunt, ſiue ideo originali macula expiati non ſint, quia baptiſmatis eos vnda non abluit, ſiue cum circuncidi deberent non circuncisi ſunt, aut eo tempore, quo fides parentū eis ſuffragari debebat, ex iniquitate parentum nihil cōtulit. Dico autem in ſola originali macula decedentes: nam ſi quis originali macula preſſus obeat, cum qua, & actuales plures habeat, in lymbo puerorum nō manet, ſed in Tartareis ſedibus collocandus eſt. Omnes namque de ſtirpe Adam geniti per deciſionem ſeminalem immediate originalem maculam contrahunt, niſi hoc Deus ſpecialiter adimere voluerit, vt in Beata Virgine factum creditur. Cauſatur autem hæc originalis macula in nobis propter peccatum prothoplaſti Adæ, iuxta Apoſtoli teſtimoniū ad Romanos capitulo quinto: vbi latè inducit, quomodo omnes in Adam peccauerunt, & in ipſo moriuntur: in Chriſto autem omnes iuſtificati ſunt, & viuificantur. Hoc autem eſt, quoniā Adam totius naturæ humanæ pater erat: totamque in lumbis ſuis continebat: potuit ergo totam inficere, ſed per peccatum, quicunque peccat, inficitur. Adam autem, quia in ſe totam continebat ſpeciem, non ſolū peccabat vt perſona, ſed velut tota natura: ideo cum ex hoc peccato infectus eſt, non ſolum ipſe perſonaliter infectus eſt, ſed & totam, quam in ſe continebat humanam infecit ſpeciem. Cum ergo nos per ſeminalem naſcimur deriuationem, maculam originalem contrahimus: non quidem à parentibus noſtris immediatè, ſed ab Adam: nam parentes noſtri non continent in ſe totā naturā: ideo naturā inficere nequeunt. Perſonalis autē coinquinatio non eſt ab vno in alterum: ſed eam in ſe quilibet habet. Dicimur ergo in peccato nati originali, quia ab illo originem trahimus, qui totam infecit naturam. De hac etiam originali macula ait Apoſtolus: om-

Quibus lymbus à Deo præſcriptus ſit.

A quo immediatè trahatur originalis culpa.

A nes naſcimur filij iræ, ideſt, omnes, quando naſcimur ſumus in ira Dei; nemo tamen in ira Dei eſſe poteſt, niſi merito peccatorum: ergo quandocunque quis naſcatur, in peccato naſcitur. Sed iſtud non eſt aliquod peccatum quod agamus: quia cū naſcimur nondū quidpiā boni, aut mali egimus; ergo eſt peccatum quod contrahimus, & vocatur originale: quia ex origine illud contrahimus, ſcilicet, cùm naſcimur, imò cùm in vtero concipimur, in ipſa animę rationalis vnione ad corpus. De hoc etiam Pſalmiſta Pſalm. 50. Ecce in iniquitatibus cōceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea: Non enim poteſt eſſe conceptio noſtra in peccatis, niſi de originali macula intellexerimus. Nullum enim alterum tunc, vel agimus, vel contrahimus. Niſi fortè quis hæc peccata, aut iniquitates ad concipientem feminam, & non ad prolem conceptā referre malit. Sed hoc nō conuenit: nam tunc mater in peccato concipit, cum à viro non legitimè accepto in fœdus matrimoniale cognita, concepit: Dauid autem de legitimo matrimonio natus eſt: Et dato, quod per damnatam, aut quouis modo illicitam copulam natus foret, talem turpitudinem de matre ſua non expreſſiſſet: de originali ergo peccato concepta prolis neceſſariò intelligendum eſt. Si ergo proles concepta mox, vt nata eſt, obeat, aut in ipſa ab vtero effuſione, ita prius mortua, quam plene nata ſit, aut cum intra vterum fuerit, nondum matura ad vterum relinquendum decedat, in peccato originali moritur: quia nullo remedio emundatiuo abluta eſt.

B

C

Quanto tempore mori quiſpiam non poterat abſque originali ſorde. Cap. CXX.

AB orbe condito vſque ad circumciſionem datam Abrahæ, vt quidam aſtruunt quicumque ante vſum rationis decederent originali culpa grauati, moriebantur. Dicunt enim peccatum originale toto illo tempore duarum ætatum ſeculi aboleri nequiuiſſe, niſi aliquibus cæremoniis directis in Deum, vt ſacrificiis, vel ſimilibus, aut ſaltem quibuſcumque actibus charitatis. Hæc autem nulli inſunt, vſquequo capacem rationis ætatem attigerit; ad illud igitur vſque tempus à peccato originali nemini ſalus eſſe poterat. Quomodocumque ergo quis toto hoc tempore moreretur, priuſquam ad ætatem rationis capacem perueniſſet, in originali macula eum mori neceſſe erat. Sed hoc non ſimpliciter eſt verum, quoniam vt ſuperius declaratum extitit, toto duarum ætatum primarum ſeculi diſcurſu, paruuli in fide parentum ab originali macula liberabantur, ſicut in veteri teſtamento per circumciſionem, & nunc per baptiſmum. Sed hoc generale in eis remedium non erat, nam tunc fides parentum genitis ſaluādis proficiebat, cum parentes fideles eſſent, ſcilicet, de Deo rectam habentes fidem, eumque colentes, nec conuerſi ad Idolorum inſanias, proles in eorum fide ſaluarentur. Si tamen parentes de Deo nihil crederēt eorum quæ naturaliter cognoſcere poſſent, ſed ſimulachorum inſiſterent cultui, & variis ſuperſtitionibus, filii paruuli in fide parentum non ſaluabantur, cum parentum nulla fides exiſteret. Hi ergo, vſque ad ætatem rationis capacem, ab originali elui non poterant, in qua actibus ſuis mundarentur. Si verò hi in ætate nondum rationis capaci dececiſſent, neceſſe erat in orginali eos macula deceſſiſſe. Ad lymbum ergo puerorum hos deſcendere neceſſe erat. Poſt datam verò circumciſionem, vſque ad legiſlationem factam in monte Sinai Iſraelitis, omnes Gentiles decedentes in parua ætate ante rationis vſum, neceſſe erat in originali labe decedere, niſi fide parentum adiuuarentur. Et quoniam hoc tempore tota terra variis ſuperſtitionibus, & ſimulachorum cultibus plena erat, parentes cum fideles nō eſſent, filios adiuuare fide ſua non poterant, de Deo nihil rectè ſentientes: vnde oēs ferè gentiliū filii tunc ante rationis vſum decedentes in æternum damnabantur, ad lymbum puerorum deſcendentes. Si autem Gentiles ad ætatem perueniſſent adultam, in primo actu cæremoniali,

D

E

remoniali, aut qualitercumque bono, quem in Deum dirigerent, quem theologi actum latriæ vocant, quia talem in Deum referimus, tanquam ei debitum, ſaluabantur ab originali macula. Iam verò qualitercumq; ſe haberent, ad lymbum puerorum deſcendere non poterant. In eo autem tempore, quod à lege data in monte Sinai vſque ad publicatum Euangelium fuit, Gentilibus idem modus à culpa originali eruendi fuit, qui in præcedentibus, ſcilicet, vt fide parentum in parua ætate, vel fide ſua, & in operatione adulta ſaluarentur. Iudæis autem poſt datam legem in monte Sinai, imò poſt datam circuncisionem in Abraham, vnicus modus emundandi originalem labem fuit, ſcilicet, vt circunciderentur paruuli octo dierum, vt habetur Geneſis decimoſeptimo. In feminis autem, quæ circunciſionis capaces non erant propter c. entiam ſexus, fides ſufficiebat parentum, vel quædam ſacrificiorum cæremoniæ, de quibus ex parte dictum eſt, & aliquid infra dicetur. In his ergo peccatum originale non excedebat diem octauum deputatum ad maſculos. In feminis autem confeſtim, vt natæ erant, abolebatur originalis macula, quoniam in his fides parentum ſuffragabatur, ſed fides parentum non magis ad diem primum, quam ſeptimum, & octauum, vel ad milleſimum ſufficiebat: ergo immediatè, vt natæ erant feminæ, tollebatur in eis macula originalis. Si fortè per ſacrificia fieri hanc culpæ abolitionem diceremus, ad tempus ſacrificiorum differenda erat neceſſariò abolitio peccati. Et in hoc melius erat feminis, quàm viris inter Iudæos, quoniam paruuli antè octauum diem inter Iudæos decedentes, ſi circuncidi non poterant, æternaliter peribant: feminæ autem, quia immediatè, vt naſcebantur, ſaluæ erant, & ſecurius, quàm maſculi ſe habebant. Qualitercumque ergo Iudæi ſe haberent, non excedebat in eis originalis culpa octauum diem. In Gentilibus autem interdum permanebat illa per totam vitam virorum: etiamſi centum, aut ducentis annis viuerent: imò plurimi Gentilium in peccato originali decedebant, etiam magno tempore viuentes. Hoc autem ideo accidebat, quoniam plurimi Gentilium, & ferè omnes filij infidelium parentum erant, ſcilicet, de Deo male ſentientium, & idola colentium, ideo in parua ætate in macula originali non expiabantur fide eorum, cū in eis nulla recta fides eſſet, ſed omnis prauitas in intellectu, & affectu. Cum verò perueniſſent ad ætatem rationis vtentem, idolorum culturæ, & alijs illicitis ſe tradebant, in hoc vſque ad mortem perſeuerantes. Vnde nihil in eis vnquā erat, quo originalem maculam exuere poſſent, quia actum nullum vnquam in Deum dirigebant. In hac autem mori eos neceſſe erat hoc pacto, cum nunquam abolita foret, nec tamen ad lymbum puerorum iſti deſcēdebant, quia cum plurimis actualibus grauarentur peccatis, gehennæ ſedes eos decedentes ſuſcepturа erat.

Actus latriæ apud Theologos quid ſit.

Quò feminæ ab originali culpa diſſoluerentur apud legē Moſaicam.

Omnes gentes præter Chriſtianos poſt legem Euangelicam moriuntur originali crimine infectæ.
Cap. CXXI.

POſt publicationem autem Euāgelij omnes Iudæos, & Saracenos, Paganos, & cuiuſcumque ritus gētes, & populos præter eos, qui fidem Chriſti profitentur, in peccato originali mori neceſſe eſt. Quia ad baptiſmatis ſuſceptionem omnes homines obligantur, nihilque aliud eis eſſe poteſt, quo originalis macula deleatur, aut in æquiualenti, ſcilicet, in ſanguine. Sed hunc quoque baptiſmum appellamus: nam baptiſmus flaminis, & ſanguinis ſine deſiderio, aut conformitate aliqua ad baptiſmum fluminis eſſe nequit. Soli autem Chriſtiani ſunt, qui ſine originali reatu decedunt, quoniam in eis baptiſmus, regenerationis lauacrum eſt ad emundationem originalis maculæ ceterorumq; peccatorum, ſi quæ fuerint. Si tamen quis eorum, nondum exemit labem, ideo æternaliter damnatus lymbo puerorum, tanquam carceri ſempiterno mancipatur. Hæc

F autē vniuerſaliter vera ſunt, niſi cum quis filius Chriſtianorum parentum inaduertentia imbaptizatus manet: & poſtea hoc in obliuionem tranſit, ipſe autem, qui filius Chriſtianorum eſt ſe baptizatum æſtimat, cùm adultā ætatem pertigerit; nec inquirere curat, an baptizatus ſit, cùm ceteri Chriſtiani baptizati ſint. Si hic recteque alma mater Eccleſia recipit, credidérit, cùm deceſſerit, originalem nullam culpam habet. In eo enim fides de baptiſmo, & ceteris, quæ Orthodoxa poſitio recipit, ſine baptiſmo originalem culpā delent, quam alias fides per baptiſmum deletura erat. Huic autem ad æternam ſalutem nihil obſtat non baptizatum eſſe. Eccleſia quoque pro eo defuncto orabit, etiamſi poſt eiuſdem mortem conſtiterit eum ſine baptiſmo deceſſiſſe. Sic habetur extra in decretalibus in titulo de clerico

G non baptizato, in capitulo Apoſtolicam: vbi Papa authoritate beati Auguſtini in octauo de Ciuitate Dei; qui ait: Sæpe hominibus Baptiſma Sacrum conferri inuiſibiliter, operante in eis gratia inuiſibili Dei, cùm neſcitur, an baptizatus quiſpiam ſit, vel cum aqua Sacramentalis omiſſa non ob contemptum, ſed propter inuincibilem ignorantiam fuit. Idem etiam in eodem capitulo, beati Ambroſij auctoritate confirmatur. Si tamē aliquis filius Chriſtianorum ad adultam perueniens ætatem ſe non baptizatum fuiſſe manifeſtis documentis compererit, baptizari debet. Poteſt tamen baptizari cū conditione, quæ non debet ſecundum formam, quam tradit Eccleſia, ſcilicet: Si tu es baptizatus, ego non baptizo, &c. vt patet extra de baptiſmo, & eius effectu capitulo primo. Quamuis tamen aliquis dubitet, & documenta

H menta manifeſta nulla inueniat, quibus edoceatur eum baptizatum eſſe, non debet baptizari, ſi filius Chriſtianorum eſt, & inter Chriſtianos ſemper nutritus. Si tamen compererit lucidè ſe baptizatū nō fuiſſe, baptizandus eſt. Sic patet in decretalibus in titulo de præsbytero non baptizato, cap. veniens.

Quò baptizari debeat, qui dubitabat, an eſſet baptizatus.

Quædam ad ſuperiora attinentia. *Cap. CXXV.*

SI verò quiſpiam de ſacerdotibus fuerit, miniſtrans in ſacerdotio ſuo, de quo euidentiſſimis conſtat probationibus, quod baptizatus non ſit, baptizari debet, & iterum, promouendus eſt incipiendo à prima tonſura, quamquam iterū omnes ordines nullo facto ſaltu ſumpſerit, & hoc vſque ad illum ordinem, in quo miniſtrabat cùm baptizatus eſt, ſiue præsbyter vſque ad præsbyteratum, ſiue Diaconus vſque ad diaconatū, & ſic in

I ceteris. Sic habetur in eodem titulo de præsbytero non baptizato, capitulo, ſi quis præsbyter. Hi autem ſacerdotes, qui exiſtimant ſe baptizatos, cum non ſint, quando promouentur, nullum ordinem verè ſuſcipiunt. Baptiſmus enim omnium Sacramentorum noui teſtamenti ianua eſt: ideo eo non ſuſcepto, nullum ſacramentum ſuſcipi poteſt, ordines autem ſacramenta ſunt. Amplius autem hoc apparet: nam ſi iſte ſic ordinatus aliquem prius ordinem ſuſcepiſſet, non reordinaretur: Eccleſia tamen eum ordinari iubet: apparet ergo eum nullum ordinem ſuſcepiſſe. Eſt quoque aliud accidens his ſacerdotibus, quod cum ordinati non ſint, conficere Eucharistiæ ſacramentum non poſſunt. Hoc enim ſolius

K præsbyteri efficere eſt. Hi autem, etſi videantur conficere proferentes verba, quæ alij veri præsbyteri proferunt cum conſecrant: nihil tñ efficiunt, quoniam collatam ordinis poteſtatem nullam habent. Velut ſi quis purè laicus in apparatu verba cōſecrationis proferret et totā Miſſam celebrans, perſpicuū eſt eum, nihil efficere poſſe, quoniam laicus eſt. Amplius autē hi ſacerdotes non baptizati, exiſtimantes ſe baptizatos, abſoluere nequeunt eos, quorum peccata in confeſſione audierint. Abſolutio quippe actus eſt a duab. clauibus Eccleſiæ, ſcilicet, a ſcientia diſcernendi, & poteſtate ligandi atque ſoluendi, quæ ſimul in ordine ſolius ſacerdotij conferuntur. Ad ſacerdotium ergo non promoti, has claues nequaquam habent, nec abſoluunt. Sic autem eſt de ceteris actibus, qui poteſtatem alicuius

ordi us

ordinis exigunt. Nam cum iſti ordinem nullum habeant, nequaquam poterunt efficere, quod intendunt, aut agere videntur. Cum tamen hi ſacerdotes non conſecrati, celebrantes dignè, & deuotè conſecrationis verba proferunt, exiſtimantes ſe quidquā facere, ſicut ceteri veri ſacerdotes efficiunt, & poſt illum panem, & vinum ſumentes, quæ arbitrantur in verū corpus Chriſti, & ſanguinem verſa, tantā in anima ſua gratiam ſuſcipiunt, ſicut ſi verum corpus Chriſti, & ſanguinem ſuſcepiſſent, quanquam ſecundum veritatem, nihil niſi purum panem, & vinum aſſumpſerint. Cauſa huius patet, quia hic inuincibilis ignorantia eſt, nihilque hic omiſſum eſt contemptu, aut negligentia aliqua ſacerdotis. Identidem autem in laicis, qui de manu talium ſacerdotum Euchariſtiæ Sacramentum accipere conantur, accidit. Nam cum iſti volunt Euchariſtiam ſuſcipere, arbitrantes illum ſacerdotem ſine vllo ſcrupulo conficere poſſe, & hāc quam confecit eſſe Euchariſtiā, quanquam corpus Chriſti, & ſanguinem nequaquam ſuſcipiant, ſed purum panem, & vinum, quia ſacerdos iſte conficiendi poteſtatem non habuit: tantam tamen gratiam ſuſcipiunt, quantam verum corpus Chriſti aſſumentes ſuſcepturi erant. Si autem hæc ſic non conſiſterent, magnæ atque intolerandæ inconuenientiæ ſequerentur, ſcilicet, multos ſine aliqua culpa ſua, & nihil efficere vlterius potentes æternaliter damnari. Hæc autem omni æquitati repugnant: nimis quoque diuinæ bonitati obuiarent. Amplius autem, cum quis talium Sacerdotum aliquos confitentes audierit, abſoluere nequit: & ipſi quos talis ſacerdos abſoluere videtur, nullatenus abſoluti ſunt: quia claues ad ligandum & ſoluendum iſte non habuit. Deus tamen, qui ſummus ſacerdos eſt, in hoc caſu confitentes abſoluit, quantum ad id, quò claues Eccleſiaſticorum miniſtrorum effecturæ erant: quia hi, qui confitentur nihil vltra efficere queunt. Eſt enim hic error publicus, & inuincibilis ignorantia: contrarium enim ſciri nequit, nec præſumi vllatenus rationabile eſt. Quod ſi actus ordinis, quos iſti adminiſtrantes faciunt, nullius eſſent efficaciæ, omnia confuſa eſſent, & plurimis magnum damnum immeritis ſequeretur. Damnum autem publicum per errorem conſentiendum non eſt, ſed magis cauendum, vt error publicus veritati non noceat: hoc enim omnis ratio recta dictat. Iura quoque humana id ſequuntur, vt patet. ff. de iudicibus in l. Barbarius Philippus: vbi dicitur, quòd Barbarius Philippus ſeruus erat, & propter notam ſeruitutis, iudex eſſe nō poterat, qui Romam vadens, ignorato quòd ſeruus eſſet, iudex conſtitutus eſt, qui cum magno tempore iudicaſſet, in multis cauſis diffiniuit, & rectè quidem: compertum autem poſt multum eſt, eum ſeruum eſſe, cui conſequens erat illum iudicem conſtitui non potuiſſe, nec fuiſſe iudicem, & conſequenter ſententias ab eo latas nullius eſſe momenti, tanquam à non iudice latas. Quia tamen cunctis eius ſententijs retractatis, magnus error fortaſſis reipublicæ, & ſingulis de populo non ambiguè ſequebatur, decretum eſt omnes ab eo datas ſententias ratas eſſe. In ſacerdotibus autem, de quibus ſermo fit, ſimile per omnia eſt. Apparet ergo cuncta, quæ ab huiuſmodi ſacerdotibus facta ſunt, etſi quantum ad poteſtatem agentis nulla forent, rata tamen, & plena efficacia manere, ac ſi à veris ſacerdotibus effecta fuiſſent. Hoc tenet Bernardus in Glo. cap. ſi quis preſbyter. in tit. de presbytero non baptizato.

Caſus, in quo non baptizatus ab originali culpa eximitur. Cap. CXXIII.

ALIVS autem caſus eſt, in quo qui baptizatus non eſt, & conſtat ſe baptizatum non eſſe, ab originali labe prorſus eximitur. Hoc autem in tali, vt ſi quis baptizari velit, & cum baptizari feſtinet, in itinere moritur, aut ſi quis baptizari ceptus prius expiret, quā baptiſmus expleatur locum habet. Hic enim ab originali ita plenè mundatur, ac ſi baptiſmatis fonte lotus foret, & quod in eis baptiſmus cum fide ef-

A fecturus erat, ſola fides compleuit. Sic patet in decretalibus in titulo de præsbytero non baptizato, in capitulo Apoſtolicam. Sic quoque teſtatur beatus Ambroſius: ipſe enim Imperatorem Valentinianum baptizaturus erat, qui cum in itinere poſitus eſſet, vt ad baptiſmum properaret, morte præuentus eſt, de quo dicit Ambroſius, quod gratiam baptiſmalem non perdidit, aut verius ea non caruit, inquiens. Ventrem meum doleo, quia quem regeneraturus eram amiſi: ipſe tamen gratiam quam conſecuturus erat, non perdidit. In ceteris autem caſibus, quotiens quis imbaptizatus diem claudit, & originali culpa preſſus decedit, lymbo puerorum immergitur.

B *Non omnes in originali culpa decedentes in puerorum lymbo mancipantur. Cap. CXXIIII.*

IN præcedentibus quoque dictum eſt, decedentes duntaxat in originali macula, ſedibus lymbi puerorum detineri. Non enim verum eſt, omnes in originali culpa decedentes, in lymbo puerorum mancipari. Pleriq; namque originali macula preſſi decedunt, qui Tartareis ſedibus immerguntur. Velut in Iudæis, Saracenis, ceteriſque Paganorum populis accidit. De his enim perſpicuum eſt, quod omnes in originali macula decedant. Nam nullum emundatiuum huius remedium eſt, præter regenerationis lauacrum baptiſmale, in quo cūctæ maculæ cuiuſcumque generis abluuntur: has tamē Gentes non ablui baptiſmate patet. Ab originali ergo macula eas in eo ritu manētes, abſtergi impoſſibile eſt.

C Saraceni tamen, Iudæi, atque omnium Paganorum nationes, cum eas decedere contingit, non in lymbo puerorum; ſed gehennalibus incendijs immerguntur: quoniam præter originale, quod mortale eſt, multa alia actualia habent peccata. Cum verò quiſpiam in peccato actuali decedit, ſiue præter hoc originale habeat, ſiue nequaquam, Tartareis ſedibus collocatur: vbi peccatorum ſuorum actualium in æternum pœnas luit; pro peccato quoque originali, quod in lymbo puerorum paſſurus erat, ſuffert. Pro vtroque enim, in inferno damnatorum ſufficiens, & conueniens ſecundum ſpeciem pœna eſt, tam pro actualibus per ſe, quam pro originali. In lymbo autem puerorum è contrario eſt; quoniam pro ſola originali macula pœna ibi data ſufficit, pro actualibus verò nequaquam: nam originali culpæ priuationis pęna debetur, ſicut culpa, & actus in ſola priuatione eſt:

D actualibus verò debetur ſenſus in actuali inflictione pęnarū ſicut ipſa in actione conſiſtunt. In gehennali autem manſione damnatorum vtraq; pęna eſt, quia grauior eſt cruciatus: ideo tam originali, quam actuali, pœna hæc ſufficit. In lymbo autem puerorum, ſola pœna priuatiua. Non ergo ſufficiet eis, qui in tartareis dānatorum ſedibus collocantur. In gentilibus autem, vt communiter hoc, potiſſime ab eo tempore quo idolorum cultus, & varia ſuperſtitio orbem polluere cępit, accidebat: nam rari eorum tunc erant, qui in originali non decederent macula, etiamſi multo tempore ſuperuiuerent. Nam fide parentum in parua ætate non mun-

E dabantur: cū verò ad diſcretionis ætatē capacē ipſi peruenissent, non habebant aliquid, quo talis macula eluceretur, cum mox idolatriæ, & aliis immunditiis ſe traderent. His igitur non in lymbo puerorum manendum erat, ſed in tartareis manſionibus. Illi autem ad puerorum lymbum deſcēdebant, qui originali macula decēdentes, nihil alterum impie egerunt. Hi autem erant, qui in ætate paruula morte occupati prius moriebantur, quam peccandi acquirerent facultatem.

Quæ pœna ſit in lymbo puerorum. Cap. CXXV.

IN hoc autem, de quo agitur puerorum lymbo, pęna ſenſus nulla eſt, ſcilicet pœna frigoris, aut caloris, & ſimiles aliæ, quæ pertinent ad aliquam inflictionem, ſed priuatiuæ pœnæ ſunt, ſcilicet in priuatione ſola diuinæ viſionis conſiſtentes. Hæc enim, qua priuantur, beatifica

beatifica viſio eſt, in qua hominibus totum bonũ, quod habere poſſunt conſiſtit. Animæ quippe rationales talem perfectionem ſecundum naturam habent, vt Deũ intelligere poſſint, & in eo delectari. Cum verò à corporibus ſoluuntur, eis tempus eſt, vt Deum videant, & fruantur. Si verò contigerit eas corpore ſolutas Deum non videre, nec in eo delectari, pœna illis eſt: quia eo bono carent, quod aliàs habituræ eſſent, niſi peccaſſent: Deus autem, quia iuſtus, & iuſtitia eſt, iuxta qualitatem & quantitatem culparum, pœnarum menſurat quantitatem, vt in omnibus æqualitas ſit, cum iuſtitia in æqualitate conſiſtat, iuxta Ariſtot. Ethicorum lib. 5. Culpæ autem omnes priuationes ſunt, earũm tamen quædam in priuatione ſola, aliæ verò in poſitiuo quodam fundantur, quæ autem in purè priuatiuo fundantur, nullum poſitiuum præſupponunt in actu volitiuo, G nec in actu executiuarum potentiarum fundantur ideo nec pro eis poſitiuam pęnam Deus infligit. Quamobrẽ qui in aliquo actuali mortali decedunt, igne gehennali in æternum cruciantur. In hoc autem animarum receptaculo pęnæ frigoris, & caloris ſunt, & ſimiles, quæ pęnæ ſunt in poſitiuo actu conſiſtentes. Originalis autem macula ſuper purè priuatiuo fundať: in ſola quippe originalis iuſtitiæ priuatione conſiſtit, quam tenere obligabamur. Pęna igitur, quæ pro hoc peccato infligitur, in pura priuatione conſiſtit, ſcilicet, vt qui in ſola originali labe decedunt, in æternum diuina viſione priuentur, in qua totum hominis bonum, quod felicitas vocatur, conſiſtit. In hoc autem puerorum lymbo, nulla in ſenſu pęna eſt, ſcilicet frigoris, aut caloris, aut alterius modi. Ignis namq; aut dęmones vel aliquod aliud H dolorem, aut pauorem incutiens ibi non eſt. Omnia tamen bona, & delectationes, quibus infelices animæ illæ conſolati poſſent, abſunt, ita vt infelices prorſus ſint. Et velut in hac gehennæ particula, habitantibus interior tenebra eſt in priuatione viſionis diuinæ quæ eſt lux intellectus noſtri: ita & exterior tenebra eſt ſcilicet priuatio interioris lucis, ſcilicet quæ oculis videri debet. Eſt ergo ibi in loco illo infelici æterna caligo, atq; palpabiles tenebræ, ne ſaltem miſeris aliquod lucis oblectamentum ſit.

Perfectio aīæ rõnalis à natura inſita.

De his, qui ſunt in lymbo puerorum. Cap. CXXVI.

IN hoc autẽ puerorum lymbo de quo agitur, ab exordio orbis conditi non fuerunt, qui hac æterna punirentur cęcitate, veluti in inferno damnatorum a primordio ſęculorum, qui punirentur, fuerunt. Ibi namq; dæmones ab initio extiterunt, qui mox, vt creati ſunt, tranſgreſſores effecti, tartareo carceri mancipati ſunt. Poſtea autem aliquãta ſucceſſione ſęculorum, ibi quoque ſpiritus hominum eſſe cęperunt. In lymbo autem puerorum nulli dæmones ſunt, qui puniant aut puniãtur, ſed ſolæ animæ in peccato originali decedentium. Sed ab exordio orbis cõditi ſcilicet cum ipſo orbe creato, nemo immediatè in originali deceſſit reatu: ergo populatio lymbi non cœpit cum orbis conditione, ſicut populatio carceris gehennalis. Aſſumptum patet, quia nemo in originali peccato decedere potuit niſi de K poſteris Adæ. Hi etiam, qui nunc in lymbo detinentur, in nouiſſimo die examinis horrendi cũ ceteris, qui aliquando homines fuerunt, reſurgent, quoniam reſurrectio generalis erit: nihil quippe ad humanam ſpeciem vnquam pertinuit, quod ibi non reſurgat. De his tamẽ neceſſarium non eſt, vt coram Domino ceteris aſtantibus in die iudicij præſentẽtur in valle Ioſaphat, in qua iudiciũ futurum à Doctoribus aſſeritur. Sicut videtur ſonare illud Iœl cap. 4. cum dicitur. Quia ecce in diebus illis, & in tempore illo cum conuertero captiuitatem Iudæ, & Ieruſalem, congregabo omnes gentes, & deducam eas in valle Ioſaphat, & diſceptabo cum eis. Et quibuſdam interpoſitis dicitur: Erumpite, & venite omnes gentes de circuitu, & congregamini: ibi enim recumbere faciet dominus robuſtos tuos: conſurgant, & aſcendant gentes in valle Ioſaphat: quia ibi ſedebo vt iudicem omnes gentes in circuitu. Quod autem hi non præſententur iudicio, ratio eſſe videtur, quia iudicium fiet de his, quæ vnuſquiſque prauè egit aut probè: vt qui peccauerunt, iuſtam operum ſuorum vicem recipiant videantque ſe coram toto orbe iuſtè pro patratis damnari. Hi autem nihil egerunt, pro quo damnari debeant, ſed contraxerunt originale, propter quod viſione Dei priuati ſunt in æternum: nõ ergo his opus eſt Deo iudici peccatum ſuum ei demonſtrare: cum nõ ipſi peccauerint, ſed à parentibus peccatum contraxerint. Hoc autem quidam exiſtimant, ſed nos cum ceteris coram Deo iudicante præſentari aut nequaquam nihil differt. Amplius autem ſciendum, hos, qui in lymbo puerorum patiuntur, in æternum ibi manſuros. Pęna quippe cuiuslibet mortalis peccati in æternum manet. Qui verò in lymbo puerorum ſunt, in mortali peccato deceſſerunt: originale quippe mortale eſt: quantumquam de actualibus non ſit. Sicut ergo qui in actuali mortali decedit, in æternum gehennalibus incendijs mancipatur: ita qui in originali diem claudit, in æternum in lymbo puerorum illa interiori, & exteriori aſſligitur tenebra. Sciendum autem de hoc puerorum lymbo, à Chriſto tempore paſſionis, & reſurrectionis ſuæ nullos eductos fuiſſe: omnes quippe de inferorum locis educti ad vitam æternãm conſcenderunt, ad eam tamen nemo aſcendit, niſi qui perfectè mundus eſt. De lymbo ergo puerorum nullos ſecum Chriſtus eduxit: quia illi in mortali peccato, quòd originale dicitur, in æternum manent.

Qui in lymbo ſunt puerorũ non aderũtam tẽ Deũ, vt ſubijciantur alicui ſentẽtiæ.

Originale peccatum mortale eſt.

Quartus ſinus apud Inferos. Cap. CXXVII.

CVm in prioribus de tribus receptaculis animarũ, in inferno diſtinctis, actum ſit, de quarto aliquid enarrare operępretium erit. Eſt autem quartus, atq; extremus ſinus inter infernalia loca lymbus Sanctorum Patrum, quem Chriſtus cognoſci dedit per beatum Lucam capitulo decimo ſexto, cum dicitur: Factum eſt, vt moreretur mendicus, & portaretur ab angelis in ſinum Abrahæ: mortuus eſt autem, & diues, & ſepultus eſt in inferno. Eleuans autem oculos ſuos, cum eſſet in tormentis, vidit Abrahãm à longe, & Lazarum in ſinu eius. Hunc autem ſinum, Lymbum Sanctorum Patrum vocant, quia in hoc ſoli viri iuſti, & totaliter I ab omni contagione exempti erant. Nemo namque ibi erat, qui in mortali deceſſiſſet crimine, aut qui aliquid pœnalitatis pro incompleta ſatisfactione explendum haberet: hi quippe ad alios tres ſinus, vt in prælibatis diſtinctum eſt pertinebant. Deſcendentium verò ad Sanctorum Patrum Lymbum modus hic erat, ꝙ quicunq; adempta originali macula, aliquo de ſupra deſcriptis emundatiuis remedijs innocentia moreretur, ad lymbum hunc deſcendebat, ſi ante Saluatoris mortem deceſſiſſet. Aut ſi quis ſemel adępto originali reatu, aliqua actualia flagitia perpetraſſet, de quibus plenè ante obitum ſatisfeciſſet, ad lymbum ſãctorũ Patrũ ferebatur. Hæc autem conditio decedentium ab exordio conditi orbis, fuit vſque ad datam circumciſionẽ: & inde generaliter vſq; ad mortem Saluatoris, ſiue Gẽtilis ille, ſiue Hebræus eſſet. Quòd ſi quiſquã quolibet horum antè Saluatoris mortem elapſorum temporum de commiſſis dolens, imperfecta tamen ſatisfactione deceſſiſſet, ad purgatorias deſcẽdebat ſedes, vbi tãdiu cruciatibus purgatorijs exercebatur, quouſq; vniuerſum præteritæ labis reatum exemiſſet: deinde autẽ ad SS. Patrum lymbum transferebatur. In hoc autem quarto ſinu inferorum, pœnarum locus non erat, quoniam qui ibi manebant, nullam culpam aut reatum habebant, propter quæ pęnalitatibus affligendi eſſent, nec quidem eis, quæ in ſenſu ſunt, nec eis, quæ in damno, ſcilicet, in tenebris interioribus. Hunc autem locum ideo diuina bonitas ab exordio ſęculorum cum ceteris animarum receptaculis ſtruxit: quia viri, qui quocunque tempore in innocentia, aut completa

Quanto tẽpe huius lymbi durauerit cõditio.

de

de commiſſis ſatisfactione decederent, vitæ æternæ felicitatem confeſtim habituri erant, quia ad hanc ſuſcipiendam perfectè diſpoſiti erāt. Identidē aūt, & qui de commiſſis dolentes incompleta tamen ſatisfactione decedentes, purgatorijs ignibus tenebantur, exempta prorſus labe ad vitam æternam mox recipiendi erant. Et quia toto ſeculorum præteritorum lapſu, vſque ad Saluatoris mortem ianua vitæ æternæ clauſa extiterat, nōdum ſoluto precio redemptionis noſtræ, ſed Chriſtus moriens vitæ portam reſerauit: neceſſe erat quendam poni locum, in quo vſque ad id temporis animæ virorum iuſtorum ab exordio ſeculorum decedētium permanerent. Hic autem eſt ille locus, quem Sanctorum Patrum lymbum appellamus, qui ad ſtabiliter manendū non erat, ſed vt ibi promiſſam, atque proculdubio affuturam præſtolarentur redemptionem, ſcilicet, vſquequo Paradiſi porta reſerata foret. Hic autem locus à ceteris tribus animarum receptaculis differebat, quoniam in alijs aliquid pœnalitatis erat, in hoc autem nihil. Nam qui in alijs tenebantur locis, aliqua culpa grauabantur, aut onus ſatisfactionis inexpletæ eos premebat, quamobrem vbicumque exiſterent, neceſſe erat, vt aliquo genere pœnarum afficerentur. Qui autem in lymbo Sanctorum Patrum erant, nulla culpa tenebantur, nec aliquam inexpletam completuri erant ſatisfactionem: iniuſtum ergo ſatis videretur, eos aliquo pœnalitatum genere affligi.

Quædam de nominibus Lymbi Patrum. *Cap. CXXVIII.*

HOc enim quartum animarum apud inferas ſedes receptaculum, quod nos ſanctorum patrum lymbum dicimus, ſacra ſcriptura ſinum Abrahæ frequenter appellat. Sic enim patet Luc. 16. vbi Chriſtus dicit mendicum Lazarum ab angelis portatum in ſinum Abrahæ: diuitem quoque in tormentis gehennalibus acriter afflictatum, introducit clamantem ad Abraham, & ad Lazarum, qui erat in ſinu eius. Nec nos cum quibuſdam arbitremur, hunc ſanctarum animarum locum ante Chriſti paſſionem ſinum Abrahæ ideo vocatum, quoniam ibi Abraham primus ſteterit. Nam ante eum plerique ad eum locum deſcenderūt. Sic enim de prothoplaſto Adam patet, qui quamquam a principio peccans, poſtea tamen vir iuſtus, & timoratus Deo fuit: tanti enim boni priuatio, quantum experiri cœperat in terreſtri paradiſo, quod identidem culpa ſua perditum nouerat, eum nimis cautum reddidit, atque vitæ eius exoſum, & in ea velut in quodam diuturno luctu manentem, atque in perpetuo deſiderio illius, quam ſemel cognouerat felicitatis. Vnde de eo ſacra ſcriptura teſtimonium reddit, quod vir ſanctus fuerit. Sic patet Sapientiæ cap. 10. ſcilicet: Hæc illum, qui primus formatus eſt à Deo orbis terrarum pater, cum ſolus eſſet creatus, cuſtodiuit, & eduxit delicto ſuo. Præter hunc autem ante omnes, qui ad lymbum ſanctorum deſcenderunt, Abel filius Adæ primus fuit, qui quoniam Deum diligenter, ac deuotè colebat, Deuſque ſacrificia illius ſuſcipiebat, exterminatus eſt à fratre ſuo Cain, vt patet Geneſ. capitulo quarto. Tota autem ſacra ſcriptura de hoc teſtimonium perhibet, quod vir ſanctus ſit. Potiſſimum autem eſt Chriſti præconium de eo, quod habetur Matth. 23. capit. vbi dicit: Vt veniat ſuper vos omnis ſanguis, qui effuſus eſt a ſanguine iuſti Abel, vſque ad ſanguinem Zachariæ filij Barachiæ. Ecce enim iuſtum vocauit Abel. Hoc etiam habetur ad Hebræos capitulo 11. ſcilicet: Fide plurimam hoſtiam Abel, quàm Cain Deo obtulit, per quam teſtimonium conſecutus eſt iuſtus, teſtimoniū perhibente muneribus eius Deo, & per illam defunctus adhuc loquitur. Hic autem cū obijt, ad lymbum ſanctorum mox deſcendit, cum innocens moreretur: nulla quippe peccata in eo præceſſerant, quorum merito ad alia loca deſcendere debuiſſet, & ſi aliqua peccata habuiſſet, iam de eis plene ſatisfeciſſet, cum ſcriptura eū iuſtum vocet. Dato quod Abel

Sinus Abrahæ vnde dictus ſit.

A quædam habuiſſet peccata, quæ viuens deploraſſet, de eis tamen non plene ſatisfeciſſet, cuncta tamen obligatio ad ſatisfactionem per martyrium extinguebatur. Eo enim quo zelans Dei latriam, & iuſtitiam, æmulatoris fratris ſui manu concidit, ab omni onere ſatisfaciendi liberatus eſt: ipſa enim martyrij ſuſceptio plena, & ſupererogans ſatisfactio erat. Hoc quidem catholicum documentum apud omnes theologicos doctores eſt, ꝙ etiamſi quis ducenta millia patrauerit mala, pro quibus ei in vita dolenti in purgatorijs ignibus amplius, quam per mille annos manendum eſſet, ſi pro Chriſti nomine, aut pro defenſione cuiuſcunque probitatis mortem ſubeat, mox ad ſanctorum ætheream cōuolabit felicitatem. Martyrium quippè, cuiuſcumque ſatisfactionis faciendæ, quantumcunque magna ſit, extinguit obligationem. Dicendum ergo ex his patet, primum fuiſſe Abel virum ſanctum, qui ſanctorum lymbum deſcēderit. Poſt hunc autem deſcendit Adam pater eius. Prius namque Abel, quàm Adā mortuus eſt: quia poſt mortem eius Adam genuit Seth, dicens, poſuit mihi Dominus ſemen aliud pro Abel, quem occidit Cain, vt habetur Geneſ. 4. capit. Poſt Adam tertius ad lymbū deſcendens fuit filius eius Seth. Prius autem Adam, quam Seth mortuus eſt, vt colligitur Geneſ. 5. cap. computando annos Adæ, & filij eius Seth, & annos quos habuit Adam cum genuit Seth. Nam Adam vixit annis octingentis poſtquam genuit Seth, & Seth vixit annis noningentis, & duodecim: ergo centum duodecim annis mortuus eſt Adam ante Seth: quæ patent in eodem cap. Quod autem Seth fuerit vir iuſtus deſcendēs ad lymbum ſanctorum, conſtat: quia omnes de ſtirpe eius viri ſancti appellantur, vſque ad finem huius primæ ætatis circa diluuium cum iam omnis caro corruperat viam ſuam, vt apparet Geneſ. 6. cap. Quartus deſcendens ad lymbum fuit Enos filius Seth: iſte enim vir ſanctus fuit: quoniam ſacra Scriptura teſtatur de eo, ꝙ ipſe cœperit inuocare nomē Domini ſuper terram, vt apparet Gen. cap. 4. Sed iſte mortuus eſt poſt Seth annis nonagintaocto, quia Seth vixit, poſtquā genuit Enos annis octingentis ſeptem. Enos verò vixit annis nongentis quinque, vt patet Gen. 5. capit. Et ſic de ceteris viris ſanctis per lineam Seth, vſque ad Noe, dicendum ſatis rationabiliter videtur, ꝙ omnes ad lymbum deſcenderint ſanctorum: potiſſime de illis, quos ſacra Scriptura in illa linea enunciat. Quoniam præter hos multi alij in eadem fuerunt linea, quæ in ſacra Scriptura non computantur: de quo non eſt idem præſumendum, quod de eis, qui ſcripti ſunt: quoniam nullus, qui in linea Seth ſcriptus, in ſacra Scriptura reperitur, perijt in diluuio, vt patet ex cōputatione quam fecimus Gen. ca. 5. Multi tamen de his, qui non ſunt in eadē linea ſcripti, quāquam de eadem fuerunt, diluuiò abſumpti ſunt, cū per aquam ſolū octo animæ ſaluæ factæ ſunt. ſ. Noe, & tres filii ſui, & vxores, Noe & filiorum trium. Poſt hos autē de Noe manifeſtius adhuc eſt, quod ad lymbū deſcenderit, quam ceteri, quia de eo manifeſtiora teſtimonia ſunt in ſacra Scriptura, vt patet Gen. 7. cum dicitur: Ingredere tu, & omnis domus tua in arcam: te enim vidi iuſtum corā me in generatione hac. De eo etiam teſtimonium redditur, quod iuſtus fuerit Eccleſ. 44. cap. ſ. Noe inuentus eſt perfectus iuſtus, & in tempore iracundiæ factus eſt reconciliatio: ideo dimiſſum eſt reliquum terræ, cum factū eſt diluuium, & teſtamenta ſeculi poſita ſunt apud illum, ne deleri poſſet diluuio omnis caro. Laudat etiam eum Apoſtolus de fide ad Deum, vt habetur ad Hebr. 11. ſ. Fide Noe reſponſo accepto iis, quæ adhuc non videbantur metuens, aptauit arcam in ſalutem domus ſuæ, per quam damnauit mundum, & iuſtitiæ, quæ per fidē eſt hęres eſt inſtitutus. De Henoch, qui in hac ætate prima fuit ante Noe ſacrę Scripturę teſtimoniū reddunt, ꝙ vir ſanctus fuerit, ad lymbum tñ nō deſcendit, ſed rapuit eum Dñs, & trāſtulit in Paradiſum: ſic patet Eccleſiaſtici 44. cap. ſcilicet: Henoch placuit Deo, & tranſlatus eſt in Paradiſum, vt det pœnitētiam gētibus. De hoc ēt Apoſt. ad Heb. 11. ait: Fide Henoch tranſla-

Primus Abel deſcēdit ad lymbum SS. patrū.

tranſlatus eſt, nè videret mortem, & non inueniebatur, quia tranſtulit illum Deus. Ante tranſlationē enim teſtimonium habebat placuiſſe Deo. Hi igitur omnes alijq; plurimi antè Abraham ad ſanctorum ſinū deſcēderunt. Non eſt ergo rectè dictum, ideo vocari hunc locum ſuum Abrahę: quoniam ipſe illuc primus deſcenderit. Item hoc ſtare non poteſt: nam de Abraham habetur Gen. 25. cap. Deficiens mortuus eſt in ſenectute bona, prouectęq; ætatis, & plenus dierum congregatuſq; eſt ad populum ſuum. Et hoc exponunt Doctores de congregatione ad viros ſanctos poſt mortem. Oportet ergo, q alij in lymbo iam exiſterent, cùm ipſe illuc deſcendit: quia dicitur congregatus ad illos: primus autē ad nullum congregari poteſt. Et non ſolum aliqui præceſſiſſe in lymbo probantur, ſed ēt multi: quia dicitur congregatus ad populum ſuum: vnus tamen, aut duo, vel pauci populum non faciunt. Aliqui autem iſtum populum vocant angelos: ſed hoc ſuper Geneſis capitulo vigeſimo quinto improbauimus. Neceſſe eſt ergo locum hunc ſinum Abrahę propter aliam cauſam vocari. Hoc autem eſt, quoniam in tota natura ſic obtinuit, vt à dignioribus denominetur res: ſed ī toto lymbo nullus æque iuſtus, & Deo acceptus erat, vt Abraham, ideo ab eo denominari debuit. In ipſo quoque populus Dei accepit exordium: nam ante eum nemo populus Dei vocatus eſt, quamquam in linea Seth deſcendentes ab Adam filij Dei vocabantur, in quantum differebant à deſcentibus per lineam Cain, qui peſſimi erant, de quo Geneſ. 6. capit. Deus quoque ad Abraham maiorem monſtrauit familiaritatem, quam ad aliquem antiquorum Patriarcharum, ſicut patet ex proceſſu Geneſis a cap. 12. vſque ad 24.

Abrahā præ ceteris Patriarchis a Deo primo dilectꝰ eſt.

Omnes quoque poſteriores viri ſancti, cum à Deo aliquid precabantur, commemorando merita Abrahæ Precabantur, & ſe hoc modo exaudiendos æſtimabāt, Vt frequenter patet in Exodo, & libro Numerorum, atque in pleriſq; libris veteris teſtamenti. Amplius autē Promiſſiones factę de danda terra Chananæorum, quę erat diuiſa in ſeptem gentes, vel in decem, vt patet Geneſ. 15. c. & de Meſſia naſcituro de ſemine ſuo, nulli ante Abraham factæ ſunt. In eo quippe cuncta inchoata ſunt. Nam etſi omnia noui, & veteris teſtamenti volumina perlegeris, nemine inuenies, ad quem primo iſta dicta ſunt. Sic enim ait Apoſtolus ad Galat. c. 3. Abrahæ factæ ſunt promiſſiones, & ſemini eius, quaſi dicat, non fuerunt factæ prius alijs. Omnium autem harum rationum, & plurium fundamenta habentur diſfuſè p proceſſum Geneſis, & habentur ſimul Eccleſiaſtici 44. capitulo, cùm dicitur: Abraham magnus pater multitudinis gentium, & non eſt inuentus ſimilis illi in gloria, qui conſeruauit legē Excelſi: & fuit in teſtamento cum illo. In carne eius fecit ſtare teſtamentū, & in tentatione inuentus eſt fidelis, ideo iureiurando dedit illi gloriam in gente ſua creſcere illum quaſi terræ cumulum: & vt ſtellas exaltare ſemen eius, & hæreditare illos a mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos orbis terræ. Et in Iſaac eodem fecit modo propter Abraham patrem ipſius. Benedictionē omniū gentium dedit illi, & teſtamētū ſuum confirmauit ſuper caput Iacob. Agnouit eū in benedictionibus ſuis & dedit illi hæreditatem, & diuiſit ei partem in tribubus duodecim, & conſeruauit illi homines miſericordiæ, inuenientes gratiā in oculis omnis carnis. Ex prædictis aūt rōibus alijsque in hunc modum conuenientibus ſatis patet, debuiſſe vocari ſinum illū ſāctorū ab Abraham, quanquam antè ipſum plures in eo manerent.

Quomodo ad ſinum Abrahæ iuſtorum animæ, ſiue Iudæi, ſiue Gentiles eſſent, deſcendebant.
Cap. CXXIX.

AD hunc ſanctorum lymbum, ſiue ſinum Abrahæ, iuſtorum virorum animæ deſcendebant, ſiue Iudæi, ſiue Gentiles eſſent. Cuius modus hic eſt

F Ab exordio orbis conditi decedentes, aut in ætate adulta moriebantur, aut priuſquam ad ætatem rationis capacem peruenirent: Si vero in parua ætate decederent, aut meritò fidei parentum, originalis culpa abolita erat, aut nequaquam. Sed ſi fides parentum fuiſſet, vt in prælibatis expoſitum eſt, macula in paruulis tollebātur, quo pacto decedentes paruulos ad lymbum ſanctorum deferri neceſſe erat, quoniam cum plena innocentia diem clauſerant. Si verò nulla parentum exiſtente fide paruuli nequaquam iuuarentur, in originali illos decedere neceſſe erat; & hoc modo ad lymbum puerorum deſcendere, qui originalis maculæ locus eſt. Cū verò homo ad ætatem ratione vti & conſiderare potentem perueniſſet, per primum actum bonum, quem in Deum dirigeret, originalem maculam poterat expiare.

Ex fide parentū originalis macula in paruis tollebatur.

G Hic autem, ſi, poſtquàm originalem eluiſſet reatum in innocentia manens, decedebat, ad ſinum Abrahæ ferebatur. Quod apparet: nam hic gehennalibus incendijs detrudi non poterat, quia in mortali non decedebat peccato, gehenna tamen damnatorum pro actuali, & mortali culpa locus eſt. Præter hoc autem, nec purgatoriis ſedibus detinendus erat, quia ibi illi dumtaxat exercentur, qui inexpletæ ſatisfactionis reatu tenentur. Hic autem nihil eluendum habet, cum nihil dignum pœna commiſerit. Ad lymbum quoque puerorum deſcendere nequibat: quia ibi ſoli tenentur, qui originalis maculæ reatu grauantur: In hoc autem omnis macula exempta eſt. Vitæ quoque æternæ gaudia adipiſci non poterat. Nam ad hunc locum nemini acceſſus patuit, quouſq; Saluatoris mors illum reſeraret. De receH ptaculis autem animarum corpore ſolutarum nullum manet neceſſe eſt ergo vt in ſinu Abrahæ, qui reliquus eſt, huiuſmodi decedentis anima commoretur. Si quis vero poſt aliqua mortalia patrata decederet; aut ille de commiſſis doluerat, aut minime. Si verò nequaquam doluiſſet, quoniam impœnitens erat, ad gehennæ incendia deſcendere neceſſe erat, vbi in æternum manendum erat. Si verò de commiſſis ante mortem doleret, aut de eis expleuerat ſatisfactionem, aut minimè: ſi expleuerat debitam ſatisfactionem, ad ſinum Abrahæ deſcendebat, nihil namq; in eo erat, propter quod alterum locum petere deberet. Si verò plenam de commiſſis ſatisfactionem non egiſſet, purgatoriis ſedibus detinendus erat, quouſque debitæ ſatisfactionis expleretur modus. Cum vero hanc ſupplicijs exercitus exI pleuiſſet, ad ſinum Abrahæ transferendus erat: quia nihil in eo erat, propter quod vlterius ſupplicijs purgatoriis immanendum eſſet. Ibi autem manebat vſque ad mortem Saluatoris. Iſte autem fuit modus omnium decedentium ab exordio orbis conditi, vſque ad circumciſionem Abrahæ datam, quod eſt tempus duarum ætatum ſeculi.

De mutatione decedentium de ſtatu ſeculi, quoad conditiones data circumciſione.
Cap. CXXX.

DAta autem circumciſione, aliquantū de ſtatu prioris ſeculi, quantum ad conditiones decedentium mutatum eſt. K Nam ſuſcepta in Abraham circumciſione, quicumque circumcideretur, ſiue de Gentilibus, ſiue de Iudæis ille foret, ab originali macula in ipſa circūciſione ſaluabatur. Ideo cum inter Iudæos aliquis ſuſcepta circumciſione moreretur, etiamſi ante ætatem rationis capacem decederet, parentibus etiam non ſuffragantibus per fidem, in originali macula decedere non poterat: ideo ad lymbum Abrahæ iſte deſcendebat. Ad Infernum quippè damnatorum nequaquam ferri poterat, quoniam nullo mortali actuali grauabatur. Ad purgatorias quoque ſedes identidem non tendebat: quia iſte inexpletæ ſatisfactionis locus eſt: huic autem explendum nihil manſit, cum nullum vnquam pœna dignum egerit. Nec quidem in puerorum lymbo detineri poterat: quia iam ei originalis ablata fuerat labes. Nullum autem ei de animarum corpore ſolu-

Iuſtarum præter ſinum Abrahæ reliquum recepta- culum erat: ad hunc ergo huiuſmodi ferri neceſſe erat. Si verò Iudæus poſt datam circũciſionem in adulta moreretur ætate, iam in eo originali abolita macula, aut in peccato actuali mortali decedebat, aut non. Si verò nullo adhuc mortali patrato decederet, ad ſinum Abrahæ deſcendebat, nulla quippè, aut culpa, aut ſatiſfactionis explendæ onus ad aliud animarum receptaculum ire cogebat. Si autem in mortali culpa decederet impænitens quidem, id eſt, de commiſſis non dolens, gehennalibus detrudi cruciatibus neceſſe erat. Si autem patratis quibuſdam mortalibus doleret, expleta pro eiſdem debita ſatisfactione, ad lymbũ Sanctorũ ei deſcenſus erat, vt ex prædictis patet. Si verò de commiſſis pręceſſiſſet dolor, nec tamen expleta facinorum ſatisfactio foret, purgatoriis cruciatibus explere neceſſe erat, vbi cùm omnis macula ſupplicijs aſſumpta foret, ad lymbum Abrahæ tranſitus ei erat.

Quædam de Gentilibus. *Cap. CXXXI.*

HIC autem modus, quem in Iudæis poſt datam circumciſionem aſſignauimus, in gentilibus fuit poſt datam circumciſionem vſque ad mortem Saluatoris. Data enim circumciſione gentiles propriè eſſe cœperunt: quia tunc data circumciſione Abraham, & poſteri eius cœperunt eſſe populus Dei, à ceteris gentibus ſignaculo circumciſionis diuiſi. Sed adhuc propriùs gentiles dicti ſunt, ſuſcepta lege ab Iſraelitis in monte Sinai, quam nullæ aliæ gentes ſuſceperunt. Lex autem facit vnum populum ab altero diſtingui. Gentiles autem, qui à data circumciſione Abrahæ vſque ad mortem Saluatoris fuerunt, imò vſque ad publicatum Euangelium, ad ſinum Abrahæ deſcendere poterant quadrupliciter. Primò quidem, vt ſi quis eorum à parentibus fidelibus natus, ſcilicet, qui de Deo rectè ſentirent, quæ naturaliter ſentiri poterant, & idolorum immunditias cauerent, in parua ætate antè tempus diſcretionis decederet, fide parentum in eo macula tollebatur originalis: ad ſinum ergò Abrahæ deſcendere neceſſe erat. Fides namque parentum inter Gentiles, in paruulis originalem culpam adimere potuit: rarò tamen parentes fideles habebant: cùm omnes ferè ad idola declinarent: ideo hic modus inter Gentiles rarus fuit. Secundus autem modus erat, ſi quis de Gentilibus in parua ætate ab originali macula in fide parentum expiatus, ad adultam perueniret ætatem, aut ſi non expiatus fide parentum ad ætatem rationis capacem impenſo aliquo actu cęremoniali in Deum directo, ab hac liberaretur, ſi vſque ad mortem nullum mortale patraret in plena innocentia permanens, ad ſinum Abrahæ deſcendebat. Quod apparet, quoniam ad damnatorum ſupplicia gehennę huic eundum non erat, quia nulla actuali mortali culpa tenebatur. Identidem autem ad purgatoria loca hic non pergebat: quia nihil ei igne cremandum manebat, cum nihil vnquam pęna dignum patrauiſſet. Ad lymbum quoque puerorum deſcenſus nullus erat, quia ille originalis culpæ locus eſt, qui in huiuſmodi decedente abolita prorſus erat. Taliter ergo morienti nullum animarum reſtabat receptaculum, niſi ſinus Abrahæ. Ad hunc ergo deſcendere debebat. Nam ad vitam æternam, nulli vnquam ad mortem vſque Saluatoris tranſitus patuit. Tertius modus deſcendendi ad ſinum Abrahæ in Gentilibus erat, cùm quis mortalia patrans de eis doleret, ſiue hoc in cultura ſimulachrorum, ſiue in quocunque genere peccati eſſet. Poſtea autem plena habita ſatisfactione decederet, ad ſinum Abrahæ talibus iter erat. Huic namque ad gehennales ſedes, aut purgatoria loca, aut Aethereas empyrei manſiones, aut puerorum carcerem tranſitus nullus erat. Ratio autem ex prædictis patet. De Paradiſi loco cauſa manifeſta eſt. De alijs autem patet, quoniam pœnalia loca ſunt: huic autem nihil ineſt, propter quod puniri vllatenus debeat. Quartus autem modus, quo Gentilibus in hoc tempore patebat deſcenſus ad ſinum Abrahæ eſt, ſi quis quibuſdam mortalibus perpetratis de eis dolens non expleta ſatisfactione ad purgatorias ſedes deſcenderet: ibi autem cum debitam ſatisfactionem expleſſet, ad ſinum Abrahæ transferebatur. Nam completa ſuppliciorum debita pro ſceleribus toleratione, in cruciatibus vlterius immanendum non erat. Patet ergo ex dictis, quòd non ſolum Iudæi ad ſinum Abrahæ deſcendebant, ſed etiam Gentilibus ab orbe condito vſque ad plenam Euangelij promulgationem, illuc multipliciter iter patuit.

Quo tẽpore Gẽtiles eſſe cœperunt.

Quando animæ in ſinu, ſcilicet, patrum eſſe cœperunt,

Cap. CXXXII.

AMPLIVS circa iſtud quartum animarum receptaculum ſpeculandum occurrit, quando animæ ibi eſſe cœperunt, & qñ eſſe deſierunt, vel an aliquando euacuetur. Cui reſpondendum, in hoc ſanctorum lymbo ab exordio creationis rerum non fuiſſe animas, ſicut in inferno ab initio rerum conditarum fuerunt, qui punirentur, ſcilicet, dæmones ipſi, qui mox, vt creati ſunt ceciderunt. In lymbo autem ſanctorum non accidit hoc: quoniam ibi duntaxat iuſtorum virorum animæ erant, quæ ſine mortali culpa, & originali reatu, & omni ſatisfactionis onere à corporibus diſceſſerunt, aut ſi quam decedentes habuerunt, priuſquam ad lymbum ſanctorum peruentum foret, eam penitus perſoluerunt. A principio tamen orbis conditi, non fuerunt aliquorum virorum iuſtorum animæ à corporibus ſolutæ: ergo lymbus ſanctorum à principio orbis conditi animas nullas habuit. Nam vt ſupra inductum eſt, primus homo, qui in toto orbe mortuus fuit, iuſtus Abel extitit: hic tamen vſque ad annum ab orbe condito, ſecundum Ioſephum lib. 1. Antiquitatũ Iudaicar. mortuus non eſt. Amplius autem in hoc ſinu Abrahæ, animabus in æternum manendum non eſt, velut in gehennalibus ſupplicijs, aut lymbo puerorum. In his enim duobus receptaculis animæ ſemel receptæ in æternum manent: in ſinu autem Abrahæ vſque ad mortem Chriſti duntaxat animarum ſanctarum fuit incolatus. Huius autem ratio, vt ex prælibatis patet, eſt: quia qui ſine culpa mortali actuali, aut originali premente, aut onere inexpletæ ſatisfactionis deceſſit, ad vitæ æternæ gaudia diſpoſitus eſt: nihil quippè ei ex ſe deficit, vt ad hæc diſpoſitus ſit. Si ergo animæ iuſtorum mox, vt à corpore ſolutæ ſunt, gaudiorum loca non aſſequuntur, ex eis non eſt, ſed ex conditione æthereariun ſedium, quoniam reſeratæ ſunt. Et quià vitæ æternæ manſio nulli concedenda erat, quouſque pro omnibus peccatis noſtris plena eſſet facta ſatisfactio, quæ per ſolum mediatorem noſtrum Chriſtum Ieſum fieri poterat: neceſſe erat, vt nulli animarum ad vitam æternam pateret ingreſſus vſque ad mortem Saluatoris. Ideo viri ſancti, qui ex ſe nihil habebant, quo à fruitione beatifica impedirentur, toto hoc tempore impediti in ſinu Abrahæ manebant, vbi nullius afflictionis habebant experimentum. Facta autem redemptione per Saluatorem neceſſe erat, vt omnes viri Sancti ad Paradiſi reciperentur ſedes, quia tunc nihil, aut ex parte ſui, aut ex parte redemptoris manebat explendum. Ad quod neceſſe fuit, vt Chriſtus moriens omnes, qui in lymbo ſanctorum erant, educeret, cum duntaxat hic eius præſtolarentur mortem, & conſequentem redemptionem. Poſt mortem autem Saluatoris nemo ad Abrahæ ſinum deſcendit: quoniam quicunque in iuſtitia perfecta deficeret nullo actuali, mortali, aut originali preſſus, aut alicuius inexpleto ſatisfactionis onere alligatus, mox vitæ æternæ gaudia conſequebatur: quoniam iam vitæ æternæ porta, prioribus incognita ſeculis patefacta erat. Ex prædictis ſatis inducitur, quòd cum Chriſtus ſurrexit, & ad Cælos aſcendit, non ſolum ſecum de animabus ſanctorum virorum Iudæo-

Cũ Chriſtus ſurrexit, ſecũ & Iudęorũ, & Gẽtiliũ alias vexit.

Iudæorum duxit:ſed etiam de animabus Gentiliū. Hoc autem appa:et, quoniam Chriſtus eos omnes ſecum tulit quos moriens, atque deſcendēs ad Inferos in ſinū Abrahæ inuenit. Non enim erat vlla ratio de aliqua animarum ibi manentium, quod magis ibi relinqueretur, quam ceteræ omnes, quippe iuſtorum virorum animæ erant, ſingulisq; adipiſcendæ vitę ęternę perfecta inerat diſpoſitio. Iniq; ergo agi videretur cum ea aīa, quā Deus relinqret in ſinu Abrahę, cū nihil magis induceret quaſdam earum ibi manere, quam alias. Sed vt euidentiſſimè in prioribus inductum eſt, in ſinū Abrahæ, tam Gētilium, quam Iudæorum animæ erant: Chriſtus ergo ad tartara deſcendens de ſinu Abrahæ animam Adæ prothoplaſti, & iuſti Abel, atq; Noe, & ſimilium virorum Sanctorum ſecum eduxit. Hi tamen Gentiles fuerunt, quia non ſuſceperunt aliquod circumciſionis ſignaculum: in Abraham namque hoc inchoatum eſt, nec legem directiuā à Deo receperunt: quia iſta primò per Moyſen in deſerto Sinai data eſt. Sed in ſolis naturalis legis præceptis vitam duxerunt: in hac autem poſteriores Gentiles, qui iuſti erant, vixerunt à tempore datæ circumciſionis vſque ad mortem Chriſti. Cum ergo decederent, & in ſinu Abrahæ locarentur, congruum erat, vt Chriſto reſurgente, & aſcendente ab inferis, cum eo iſtæ ſanctæ Gentilium animæ conſcenderent, ſicut animæ Iudæorum. Ex quo ſatis rationabile videtur quod animæ Socratis, & Platonis, atque Ariſtotelis ſimiliumque Phyloſophorum ad lymbum in morte ipſorum deſcenderint, poſtea autem cum Chriſto reſurgente, inde in æternas aſcenderint manſiones. His quippè vita ſtudioſa erat, & vitia caſtigabantur ad vnguem, ne quid inhoneſtum eis accederet cautiſſimè aduertebant, quod ſatis colligi datur, ſi eorum dicta, & facta ex hiſtoriis Phyloſophorum aduertamus.

Quō perſuadere quiſpiā poſsit Ariſtotelē & Platonē in cęlis eſſe.

Quomodo differat ſinus Abrahæ a lymbo puerorum. *Cap.* CXXXIII.

NVnc verò circa iſtud quartum receptaculum animarum, quod ſinum Abrahæ appellamus, ſpeculandum occurrit, quomodo differat a lymbo puerorum. Nam, ad cetera ſi contuleris, differentia euidens eſt. In gehennali quidem carcere pœna æterna eſt, in ſinu autem Abrahæ, nec pœna vlla eſt, nec ibi in æternum manendum eſt, ſed ſolum vſque ad mortem Saluatoris. In purgatoriis quoque ſedibus, etſi in æternum manēdum non ſit, acriores tamen & magna cum acerbitate pœnæ ſunt, etſi cum clementia exerceantur; in ſinu autem Abrahæ, nec incolatus in æternum eſt, neq; vlla pœnalis ſentitur inflictio, quæ aut temporaliter, aut in æternum duratura ſit. Reſtat ergo dumtaxat ſpeculandum quomodo differat, & an quid differat inter ſinum Abrahæ, & lymbum puerorum. Huius inquiſitionis motiuum eſt, quoniam diuerſa iis locis manentibus animabus cōditio ineſt, locorum ergo diſſimilis debet eſſe habitudo. Nam qui in lymbo puerorum tenentur, originali macula infecti ſunt, in qua lucem clauſerunt, quæ & in eis in æternū manet. Qui verò in lymbo ſanctorū ſunt, nulla actuali mortali, aut originali culpa tenentur: aut inexpletæ ſatisfactionis vllius pondere obnoxii ſunt, Sed dumtaxat ibi manent: quia nondum vitæ æternæ ianua aperta erat, quæ in Chriſti paſſione aperienda erat, vt in præcedentibus explanatum eſt: non ergo debuit in his vllum eſſe genus pęnæ, ſicut in eis, qui in lymbo puerorum erant, cum nihil haberent, cui pœna reſponderet. Quibuſdam tamen videtur nihil differre inter habitudinem lymbi puerorum, & ſinus Abrahæ: lymbus enim puerorum nihil continebat pęnalitatis in ſenſu: ſicut in frigore, aut calore, vel ceteris inflictionibus: vt in ſuperioribus magis patuit. Cuius cauſam eſſe diximus, quia originale peccatum in nullo poſitiuo ſundatur in eis, in quibus eſt, ſiue quātum ad rationales potentias, & principia actuum humanorum, ſiue quātum ad potentias executiuas, ſed in pura priuatione originalis iuſtitiæ. Nulla ergo pęna ī eis poſitiua corporalis, aut qualiſcunq; aſſignari debuit, ſed ſola priuatio diuinæ viſionis. Hanc autem pœnalitatem ſuſtinere coguntur, Eandem vero pęnalitatem ſuſtinere vār, qui in ſinu Abrahæ ſunt. Diuina.n. viſione carebant, dum ibi manebant. Si.n. eum ibi vidiſſent, perfecta illis iucunditas eſſet, atq; felicitas: vnde in vita æterna eſſe dicerentur. Nihil quippe ad completum eorū bonum deeſſe videbatur, quoniam in loco nihil differt, an hic vel ibi beatitudo ſit, dum tū reuelata facie Deum cernant. Hoc tamen non ſtat, quoniam in continua ſpe manebāt animæ virorum ſanctorum apud inferos permanentiū, de Meſſia venturo ad liberandas eas, & de lacu, in quo non erat aqua, educendas ad gaudia paradiſi in ſanguine teſtamenti ſui. Si tamen has, quæ in ſinu Abrahæ erant, diuina viſione carentes dicamus, nihil differre videntur a conditione animarum permanentium in lymbo puerorum, nulla ergo in alterutrum eis differentia erat.

Opi. quorundā de differentia lymborum.

Reſponſio ad ſuperiora & obiectio quædam. *Cap.* CXXXIIII.

AD hæc autem quiſpiam fortaſſis conabitur reſpondere, dicens nimis intereſſe in animab. quæ in lymbo puerorum ſunt, quæ ibi vſq; hodie manent, atq; eis vſque in æternum ibidem manendum eſt, quæ vero in ſinu Abrahæ erant, non habebant hunc velut ſempiternam manſionem, ſed vſque ad ſolam redemptoris mortem conſiſtere cogebantur, qui eas inde eduxit, nūc autē nulla ibi manet, ſatis ergo in hoc intereſt. Cōtra hoc autem aliquis ſubiiciendum putabit, non ſatis rectè hanc differētiam aſſignari duorum receptaculorum animarum. Nam etſi animæ in paruulorum lymbo conſiſtentes, in æternum manere habebant; animæ autem, quæ in ſinu Abrahæ tenebantur, perpetuam ibi manſionem nō acceperant, tamen adhuc data aliqua pœna animabus manentibus in ſinu Abrahæ eſt. Nam velut animæ paruulorum in ſuo lymbo manētes, æternam diuinæ viſionis patiuntur priuationem, & hoc eis dumtaxat pœna eſt, ita & animæ virorum iuſtorum, quæ apud ſinum Abrahæ manebant, hac carentia diuinæ viſionis afficiebantur eo tempore, quo eis ibi manendum erat. Ex quo aliquod forſitan non paruum abſurdum cōſequerimus, ſ. q; ab orbe condito, vſque ad deſcenſum Saluatoris morientis ad inferos, æqua fuit pęna animarum in ſinu Abrahæ manentium, & earum, quæ in lymbo puerorum manebant, & vſque hodie permanent. Sed adhuc iſtud inconueniens videtur: nā pęna in eis ſimilis eſſe debet, qui in culpa ſimiles extiterunt, cum verò culparū diſſimilitudo eſt, pęnæ quoque proportionaliter diſſimiles eſſe debent. Et quia animæ in lymbo ſanctorum permanentes, & quæ in lymbo puerorum erant non habebant parem, aut ſimilem cauſam patiendi: cum illi, qui in lymbo paruulorum manebant, in originali mortali deceſſiſſent, qui verò in ſinu Abrahę erant, nullo tenebantur actuali aut originali reatu, nec inexpletæ ſatisfactionis onere premebantur pœna: Igitur ęqua in eis eſſe non debuit. Modus ergo reſpondendi, quo ſimilis pęna aſſignatur eis, qui tūc in ſinu Abrahæ, & his, qui in lymbo puerorum, conueniens non eſt.

Alia reſponſio, & quædam penes ſupradicta. *Cap.* CXXXV.

FOrtaſſis quiſpiā huic aliter rūdebit quæſito dicens, eis qui erant in ſinu Abrahæ, non fuiſſe ſimilitudinē pęnæ cū eis qui erāt in lymbo puerorū: nunc aūt poſt paſsionem Saluatoris, quoniam hoc tempore nulla fuit, cum ibi nullus conſiſtat. Sed adhuc in tempore, quod ab orbe condito vſq; ad Chriſti paſsionē fluxit, in quo vterq; locus habitatores habuit, dicent nō fuiſſe vtriuſque ſimilem pęnam. Quoniam paruuli, qui in lymbo erant, patiebantur plenam, & omnimodam excæcationē intellectus: qui verò in ſinu Abrahæ erant, non patiebantur hanc excæcationem, ſed erat intellectus eorum lucidus ſatis. Ad hoc animaduertendum eſt, quod habitus

bitus intellectus, qui ſunt qualitates quædam infixæ, & permanentes in intellectu cauſatæ per doctrinam, aut ſpeculationis exercitium circa aliquod genus obiecti: aut per infuſionem & totaliter diuinam operationem, manent in intellectu poſt mortem eius, cuius iſti habitus ſunt, atque cōſequuntur animam, quocunque ierit. Hi autem habitus ſunt, quibus homines perfectè, acutè, faciliter, & delectabiliter intelligunt, dum viuunt. Sic enim ait Ariſt. ſecundo Ethicorum, ſignū à generatim habitus eſt faciēs delectationē aduenire operibus. Amplius autem ſciendum, quòd vna qualitas cauſata in intellectu noſtro, qua delectabiliter, & faciliter ſpeculamur ea, quæ ad genus artis grammaticæ pertinent: vocatur grammatica aut habitus grammaticus. Qualitas quoque, qua ſpeculamur circa genus artis, & obiecti dialecticæ, dialectica qualitas, aut habitus dialecticus appellatur: & hoc modo ponimus in ceteris generibus obiectorum ſpeculabilium aliquos habitus conſideratiuos. Hi autem habitus manent in anima poſt ſolutionem à corpore. Quod ſi anima his habitibus informata, vitæ æternæ gaudia petierit, erūt iſti habitus ad intelligēdum perfectiores: plures quoque concluſiones per eos intelligemus, atq; lucidius, & firmius, quàm cum per eos viuentes ſpecularemur. Si autem anima his habitibus informata, gehennalibus incendijs manciperur, aut purgatoria detineatur manſione, vel ad quodcūque alterum animarum receptaculum a corpore ſoluta tenderit, manebunt iſti habitus æquè perfecti ad intelligendum, vt in viuentibus fuerant nihil perfectionis ſuſcipiētes. Amplius autē conſideratione dignum eſt, excellentiorem potentiam inter omnes, quæ ſunt in anima, intellectum eſſe. Quamobrē cum ponitur nobis differentia, qua ab alijs animabus diſtemus, rationales a ratione, ſiue intellectu appellamur: nec vocamur volitiui à voluntate, quanquam voluntas ita ſit propria hominum, vt intellectus: nam nullo enim ceterorum animalium voluntas vllatenus eſt, ſicut nec intellectus. Si tamen voluntas perfectior, quam intellectus eſſet, cum omnes denominationes in natura a perfectioribus fiant, vocarentur homines volitiui à voluntate, tanquam in modum differentiæ; ſicut vocantur intellectiui ab intellectu, vel rationales. Intellectus autem, quia eſt perfectior potentia in anima, & perfectionem ſuam recipit per habitus intellectiuos, cum hac perfectione caruerit, nimis imperfectus eſt, & afflictio non intelligentis. Si autem intellectus habitibus intellectiuis perficiatur, gaudium, & perfecta lætitia in intellectu eſt. Nam totum gaudium intellectus, eſt in intelligēdo. In hoc autem differt inter eos, qui in lymbo puerorum, & eos qui in ſinu patrum reſidebantur. Nam qui in lymbo puerorum erant, paruuli defuncti ſunt, nec aliquos habitus acquiſierunt in intellectu, quibus intelligere queant. Non enim eos dum vixerunt, præ anguſtia temporis habere potuerunt. In eis verò, qui in lymbo erant ſecus accidebat: nam animæ illæ iuſtorum, cum à corpore ſolutæ ſunt, habitus intellectus habebant, maiori enim temporum ſpacio viuentes habitus intellectiuos acquirere potuerunt in intelligendo, ergo qui ætate maiori ſunt, nō ſuſtinebūt eandem pœnam, quam paruuli patiuntur in lymbo.

Habitus intellectuales manere in aia post corporis ſolutionem.

Impugnatio reſponſionis, & quædam alia.
Cap. CXXXVI.

AD ſupradicta autem ſpeculantibus nobis, dicendum eſt ſtare non poſſe, quoniam iſta reſponſio impertinens eſt, & falſum præſupponit. Primo quidem, etſi vera ſupponerentur, reſponſio tamen impertinens eſſet. Nam etſi qui ad lymbum puerorum deſcendebant, habitibus intellectiuis carebant, & in hac carentia afflictio quædam eis erat: & illi qui ad lymbum ſanctorum deſcendentes habitus ſpeculatiuos habebant in intellectu, quibus vacantes delectabantur, & ſimilē eis, qui in lymbo puerorum erant non patiebantur pœnam: hoc tamen non proueniebat ex conditione loco-

A rum in quibus manebant, ſed ex conditione ætatis illuc deſcendentium. Quia hi in magna, illi verò in parua adhuc ætate. Sed cum duorum locorum conuenienter differentia aſſignari debeat, non eſt aſſignanda ex habitudine aliquorum ibi manentium, quia hoc eſt loqui per extrinſeca rei, ſed ex natura locorum diuerſitas aſſignanda eſt. Vt ſi hoc modo accideret, quòd quicunque ad lymbum puerorum deſcenderet in quacunque ætate, aut qualitercunque deceſſiſſet, hac pœnalitate afficeretur, quòd priuaretur intellectione. Et quòd tendentes ad lymbum ſanctorum patrum, qualicunq; deſuo gererentur ætate, neceſſe eſſet, quia in tali loco erāt, habitus intellectiuos habere, ſed hæc falſa ſunt. Amplius autem reſponſio iſta falſum ſupponit, ſ. quòd deſcendentes ad lymbum puerorum, quia in parua ætate

B decedebāt, in qua nihil addiſcere potuiſſent, carebant habitibus intellectiuis, & hac carētia afficiebātur. Qui vero in ſinu Abrahæ ſunt, quia in magna ætate decedebant, habitus potuerunt habere ſcientificos, quibus intelligentes nō afficiantur, velut hi qui in lymbo puerorum ſunt. Vtrunq; tamen falſum eſt: & primò quantum ad eos, qui in lymbo erant puerorum; nam etſi quantum ad aliquos verum ſit, quod dicitur, tamē vniuerſitaliter non eſt conſtans: vnde veritas per accidens erat. Quod patet in Gentilibus, ſi quis enim patribus infidelibus, & idola colentibus naſceretur, non poterat in ætate parua originalis in eo macula deleri, cum fides parentum ad hoc nō ſuffragaretur, quia nulla erat. Poſtea verò ad ætatem perueniens rationis capacem, ſi

C nec ad iniquitates vllas deflecteret, nec rurſus aliquem actum ſpecialem in Deum directum ageret, quo macula originalis tolleretur, non tollebatur in eo ille reatus, hic autem in ea conſiſtens habitudine ad ætatem ſatis adultam poterat peruenire, in qua habitus ſcientificos acquirere potuiſſet. Cum verò hic decederet, ad lymbum puerorum deſcendebat, quia in eo originalis adhuc macula permanebat, & hac ſola premebatur; poterat tamen iſte cum in lymbo puerorum eſſet, per habitus, qui in eo erant, intelligere, velut hi, qui in ſinu Abrahæ erant. Non eſſet ergo iſta priuatio intellectionis in omnibus, qui erāt in lymbo. Vnde manebit inconueniens, ſcilicet, quod pœnæ in ſinu Abrahæ, & in lymbo puerorum æquales ſint. Hoc quoque quod dicebatur de his, qui in lymbo ſanctorū erant,

D vniuerſaliter verum non eſt: Sed maiores amplioreſq; adhuc patitur defectus: nam hoc quod dicunt, aliquatenus ſtare poſſet, ſi omnes, qui ad ſinum Abrahæ deſcendebant, in adulta ſatis ætate morerentur, ſed hoc non ſtat, tam in eis, qui moriebantur de genere gētiliū, quàm de genere Iudæorum. Nam in Iudæis tollebatur originalis macula per circumſionem, hæc autem in die octauo fiebat: vt patet Geneſ. 17. capitulo. Si ergo mox puer circumciſus moreretur, ad ſinum Abrahæ deſcendebat. De his ergo plerique decedere poterant ante ætatē, in qua habitus intellectiuos acquiſiuiſſent, vnde neceſſe erat pari illam ignorantiam atque excæcationem, & afflictionem, quæ eſt in carendo habiti-

E bus intellectiuis. In hac ergo parte æquam haberent excæcationem, & pœnam cum eis, qui in lymbo puerorū erant, imò quod amplius eſt, aliqui eſſent in lymbo puerorum, qui hac non afficerentur pœnalitate, vt in præcedentibus inductum eſt. In ſinu autem Abrahæ excæcationis, aut verius cæcitatis pœna eſſet. In gentilibus quoq; decedētibus ad ſinum Abrahæ idem patet: quoniam ſi hi a parentibus fidelibus naſcerentur, vt in præcedentibus expoſitum eſt in parua ætate mox, vt nati erant meritis fidei parentum, macula originalis tollebatur. Hi ergo, ſi confeſtim morerētur, ad lymbū Abrahæ deſcendebant, quibus nullus habitus cognitiuus ineſſe poterat: eandem ergo paterentur cæcitatem, & pœnam, quam hi, qui in lymbo paruulorum eſſent, nec ex aliqua parte differrent. Amplius autem, etſi verum eſſet, quod ſupponebant, ſcilicet omnes, qui deſcendebant ad ſinum Abrahæ, iam ætatis adultæ fore, quod manifeſte falſum erat, adhuc non ſtat, quod di-

cunt. Multi namq; adultæ ætatis viri ſunt rudes nimis, F qui habitus intellectiuos nullos acquirunt, ita vt in eis delectari queant: horum tamen aliqui ad lymbum ſanctorum deſcendere poterant, vnde eandem ibidem cæcitatem haberent, quam paruuli in lymbo ſuo. Non ſtat ergo, vt ſinus Abrahæ, & lymbi paruulorum differentia, in hoc conſiſtere dicatur.

Alia reſponſio ad quæſitum. Cap. CXXXVII.

ACcedentibus autem nobis ad huius quæſiti veritatem, dicendum eſt, dupliciter ad hoc reſponderi poſſe. Primò quidem differre eos, qui in ſinu Abrahæ erant ab his, G qui ſunt in lymbo paruulorum tanquam perpetuum a temporali. Nam qui in lymbo paruulorum ſemel fuerunt, ibidem in æternum manſuri ſunt, qui verò in ſinu Abrahæ erant, perpetuum non habent incolatum, ſed vſque ad Chriſti paſſionem permanſere. Nunc verò eorum nemo ibi eſt. Amplius tamen differunt, quoniam & in eodem tempore, quo quidam in lymbo ſanctorum, alij verò in lymbo paruulorum manebant, differebant: nam his, qui in lymbo paruulorum erant, in pœnam datum eſt, quod tunc, & vſque in æternum manerent, nunquam inde exituri, nec vnquam diuinam viderent eſſentiam, nec videntes delectarentur, in qua totum bonum humanum eſt. His vero, qui in ſinu Abrahæ erant, nulla pœnalitas impoſita H eſt: nec locus vllus in pœnalitate præfixus: nulla enim macula aut actuali, aut originali premebantur: nec inexpletæ ſatisfactionis eos vllum grauabat onus. Si forte obieceris eos, qui in ſinu Abrahæ erant, ita ibidem ante Chriſti paſſionem fuiſſe detentos, ſicut qui in lymbo paruulorum tenebantur: ita quoque eodem tempore vtroſque diuina viſione æqualiter fuiſſe priuatos. Reſpondendum eſt, eis, qui in ſinu Abrahæ tenebantur, nihil in pœnam aſſignatum fuiſſe: ſed quia ad vitæ æternæ gaudia, & diuinam eſſentiam videndam admittendi non erant, quouſque morte redemptoris; precium redemptionis fuiſſet ſolutum, tenebantur in ſinu Abrahæ, nec diuinam videbant eſſentiam, nec in loco paradiſi erant. Hoc autem non ideo accidebat tanquam eis in pœnam daretur, ſed quia aliter fieri, aut diſponi de eis conuenienter diuinæ iuſtitiæ nequibat: Nam priuati diuina eſſentia, aut vt aptius dixerimus, ipſæ bono I rum animæ non videntes diuinam eſſentiam, in nullo loco conuenientius eſſe poterant, quam in ſinu Abrahæ. Si igitur defectus, aut pœnalitates aliquæ in his, qui in ſinu Abrahæ, & his, qui in lymbo paruulorum erant, æquales eſſent, ex accidenti erat: non enim intendebat lex pęnam aliquam imponere eis, qui in ſinu Abrahæ erant, ſed quia etiamſi omnes ei auferrentur pęnalitates, dummodo eis diuina viſio non concederetur, meliori modo eſſe nequibant, quam erant. Cum vero in ſuperioribus argueretur, æquatis culpis, pęnæ quoque culparum æquari debent. Si vero culpæ inæquales fuerint, pęnæ quoque æqualitatem nullam habere debēt. Sed eorum qui in lymbo paruulorum ſunt, eorumque qui in ſinu Abrahæ permanebant, culpæ æquales non erant: immo nulla inter eos collatio eſſe poterat, cum hi, qui in lymbo paruulorum erant originali premerentur reatu. Qui vero in ſinu Abrahæ nec mortali, nec a- K ctuali tenebantur macula, aut inexpletæ ſatisfactionis pōdere grauabantur: pœnas ergo æquales eſſe iniuſtum valde erat. Reſpondēdum eſt pęnas eorum, qui in lymbo paruulorum, & eorum qui in ſinu Abrahæ erant nec æquales, nec inæquales eſſe, quoniam entis ad non ens collatio nulla poſſibilis eſt. Hi quippe qui in lymbo paruulorum erant, hac premebantur pęna, quod in loco illo manerent in æternum non exituri, nec vnquam diuinam viſuri eſſentiam. Eis verò, qui in ſinu Abrahæ quieſcebant, nihil pęnale impoſitum erat. Nequaquam ergo qui in lymbo paruulorum ſunt, & qui in ſinu Abrahæ, æquantur in pęna.

Quædam penes ſupradicta. Cap. CXXXVIII.

AMplius autem etſi nihil reſpexerimus ad hoc, quod eſt aliquid impoſitum eſſe pęnale iis, qui in lymbo, aliis vero nihil quod ſatis magnum eſt, adhuc ex ipſa priuatione diuinæ viſionis, quæ vtriſque inerat, æquales non ſunt. Nam qui in ſinu Abrahæ manebant, fixam tenebant ſpem, quod inde aliquando exituri eſſent, & diuinam viſuri eſſentiam. Hoc autem non tanquam opinantes arbitrabantur, ſed certiſſime & immutabiliter hoc euenturum eſſe nouerant. In quo magnum eis gaudium erat, nec nimis affligebantur, ꝙ aliquandiu ab hac ſpe ſeparati eſſent, ſcientes ſe ſolidis bonis poſterius gauiſuros. Qui verò in lymbo paruulorum erant, nihil de ſe tale nouerant per certitudinem, nec vllatenus ſuſpicabantur aut ſperabant, ſed potius deſperabant, ſcientes ſe Deum nunquam viſuros, nec vllis gaudiis potituros ad felicitatem pertinentibus, in quo eis affligendum erat. Amplius autem, qui in his duobus morabantur locis, diſſimiles valde erant: nam qui in ſinu Abrahæ manebant, ab omni culpa immunes erant in gratia Dei, & charitate permanentes. Hoc etiam proculdubio eis notum erat, ſciebant enim ſe a Deo diligi. Hunc quoque, quo diligebantur, amorem nequaquam extinguendum aut minuendum eſſe in æternum. Hoc nempe eis non mediocre, nec de vulgaribus gaudium erat, quod famuli ad dominos experiuntur: nimis enim gaudent famulantes, ſi ſe dominis diligi conſpexerint, etſi in præſenti eis nulla bona conferantur, gaudent tamen. Cum autem hunc amorem permanentem arbitrentur, etiamſi in alijs affligantur, hoc ſolo affligentium curarum, & opprimentium laborum ſolamen accipiunt. Qui autem in lymbo paruulorum erant, horum nihil habebant, ſed eis ex oppoſito cuncta fuint. Sunt enim in originali reatu, in quo ſe manere ſciunt, & quod eius merito ibi in æternum manent diuina viſione cituri. Amplius autem ſe in ira Dei eſſe ſciunt, & quos Deus exoſos habeat eo modo, quo creator creaturæ ſuæ iratus eſſe dicitur. Nam vere ira nulla eſt, vt patet Sapien. cap. 6. Eos verò in ira Dei eſſe patet, quoniam in eo ſtatu manent, in quo ab vtero eruperūt. Qui autem in ſtatu, quo natus eſt, manet, in ira Dei ſemper eſt, eos ergo in ira Dei eſſe conſtat. Quod autem qui in lymbo paruulorum ſunt, in ſtatu natiuitatis ſuæ maneant apparet: quoniam ſicut cum naſcerentur nihil boni, aut mali adhuc egerant, ita & qui in lymbo ſunt nihil boni, aut mali egerunt, antequam illuc introirent. Nam ſi malum egiſſent, ad aliud animarum receptaculum ferri neceſſe erat. Si verò bonū identidem, vt patet ex ſuperioribus inductionibus. Item quoniam hi, cūm nati ſunt, in originali macula de vtero eruperunt, ita & cum in lymbo ſunt, in eodem manent ſtatu. Homines autem confeſtim natos in ira Dei eſſe, Apoſtolus prodit ad Epheſ. 2. c. ſ. Omnes naſcimur filii iræ. i. quando homines naſcuntur, in ira Dei ſunt: hi ergo cognoſcentes ſe in ira Dei eſſe, non modicum affligentur, non eſt igitur æquum malum eis, qui in ſinu Abrahæ, & his, qui in lymbo paruulorum. Amplius autem qui in ſinu Abrahę erant, quamquam ante paſſionem Chriſti detinebantur ne introirent in ſedes æthereas paradiſi, erant tamen conciues ciuitatis Dei: ſicut angeli Dei, qui tunc in vita æterna erant. Angelici autem ſpiritus hos conciues ſuos eſſe cognoſcentes, diligebant eos in charitate, atque iuſſu Dei frequenter illos viſitabant, reuelantes eis quædam, in quibus valde conſolabantur, potiſſime enarrantes eis ſuam ſalutem e vicino affuturam. Sicut omnibus Doctoribus theologicis concors ſententia eſt, angelicos apparere ſpiritus eis, qui in purgatoriis ignibus exercētur. Qui autem in lymbo paruulorum ſunt, nihil ſolaminis, aut releuationis, vel beneficii alicuius ab angelis ſuſcipiunt, quoniam ciuitatis Dei conciues nequaquam ſunt. Sicut dęmones, & animæ gehennalibus mancipatæ ſuppliciis, in peccato namq; mortali originali ſunt, atque ira omnipotentis Dei, nihil ergo cauſæ ſubeſt, quare angeli ſanctis eis ſolamē aliqđ afferre debuerint.

Apparet

Apparet ergo ex prædictis ſtatum eorum,qui in lymbo puerorũ ſunt, & eorum qui in ſinu Abrahæ æqualẽ nõ eſſe:nec vtriſq; eaſdem dari pœnas, cũ nullæ eis. qui in ſinu Abrahę ſunt dentur:& argumentũ factũ nõ tenet.

Alia ſolutio, & quædam de originali culpa.
Cap. CXXXIX.

POteſt autem aliter huic quæſito, & adhuc conuenientius reſponderi. Dicemus enim,quòd inter pœnam eorum,qui in lymbo paruulorum erant,& eorum qui in ſinu Abrahæ,differebat,dum in ſinu Abrahæ ali qui fuerunt. Dicendum autem, ꝙ qui in ſinu Abrahæ erant,aliquam habebant pœnam: quæ quidem non erat pœna ſenſus.ſ. frigoris, vel caloris, aut ſimilium qualitatum, ſed pœna erat in priuatione diuinæ viſionis toto tempore,quo manſuerunt in loco illo.ſ.vſque ad paſſionem Chriſti. Hãc aũt priuationem pœnalem ſuſtinebant,quoniam eis Deus in pœnã impoſuerat: ſicut eis, qui in lymbo manebant,priuatio viſionis ſitius pœna erat. Non tamen ideo hoc accidebat, quia illi aliqua mortali actuali, aut originali premerentur culpa, aut aliquæ inexpletæ ſatisfactionis onere premerentur, nihil enim ſibi tale inerat.

Obiectio. Sed immediatè ad hæc quiſpiam arguet,dicens, cur Deus illis hanc inferebat pœnam,cum peccatis, aut peccatorum reatibus dumtaxat pœnæ debeantur,in his autem nihil tale inerat?

Solutio. Reſpondendum eſt hos pro peccato originali puniri: non quidem quaſi tunc hanc originalem in ſe maculam haberent:quia iam deleta erat:ſed quia non plene redemptum erat.

Originalis culpa quid ſit. In quo conſideratione dignum eſt, quòd peccatum originale eſt macula quędam, vel culpa,quã anima noſtra incurrit, cum corpori coniungitur: & ob hoc ſolum, quia coniungitur corpori deriuato ab Adam per propagationem ſeminalem: ipſe enim totam humanam infecit ſpeciem. Hæc autem originalis macula a nobis eximitur tum actione noſtra, tum actione Dei. Actio verò noſtra ad hanc maculam eluendã prorſus non ſufficit: Deus autem, etſi per ſe ſufficeret:non tamen ſine actione noſtra aliquali tollit.ſ. ꝙ Deus verè tollit originalem maculam, & quamcumq; maculam peccatorum,ſed tollere non vult, niſi nos egerimus aliquam diſpoſitionem, quam ipſe fieri vult, aut iubet. Cum vero nos egerimus quod ex nobis eſt, etſi nihil actio noſtra de ipſa peccati macula, aut reatu tollat: Deus tamẽ immediatè cuncta tollit: Vt autem ſciatur, quæ ſit actio noſtra,quam Deus vult præcedere, aut iubet ad delendam maculam originalem, conſiderandũ eſt,ꝙ ab exordio orbis conditi, vſque ad datam circumciſionẽ Abrahę, tollebatur macula originalis in paruulis confeſtim natis fide parentum, ſi parentes fideles eſſent.ſ. de Deo rectè ſentientes, quantum naturaliter ſentiri poterat, non conuerſi ad Idolorum culturam: etiamſi in quibuſdam alijs mortaliter peccarent. Nam praua operatio non tollit meritum fidei, quando fides ſubſiſtit: opus ergo fidei ſine aliqua alia cæremonia ſufficiebat,vt Deus maculam originalem tolleret paruulis merito parentum. Si verò parentibus de Deo fides nulla recta eſſet,ſed magis ad dæmonum culturam cõuerſi eſſent,paruuli non poterant adiuuari meritis fidei parentum,quæ nulla erat. Manebat ergo macula in paruulis vſquequo ad ætatem rationis capacem peruenientes, aliquem actum in Deum directum agerent, per quẽ macula tolleretur originalis, etſi aliqua alia præexiſteret. Vſquequo autem actum bonum ſpecialiter in Deum non exerceret, non poterat in eo macula originalis abſtergi. Vnde in eis, qui fide parentum mox nati hanc originalem non exuerant labem,ſi peruenientes ad ætatem rõnis capacem, prauè ſemper operarentur, impoſſibile erat originale deleri peccatum. Data autem circumciſione Abrahæ,per circumciſionem delebatur originalis macula,ſiue fides eſſet in parentibus, ſiue non, & ſiue ille, cui abſtergebatur peccatum aliquem actum in Deum directum ageret, ſiue non imò ſine aliquo alio actu macula illa ſoluebatur.Hoc autem

A non ſolùm in Iudæis, quibus data eſt circũciſio fiebat, ſed & ſi Gentiles circumciderentur, ad eadem eis circumciſio proficiebat In Iudæis autem iſte modus auferendi per circumciſionem,vſque ad Chriſti mortem, & initium noui teſtamenti manſit. In Gentilibus verò poterat eſſe idem modus,ſed qui de eis circumcidebatur,penitus tranſibat in ritum Iudaicum,nõ manens in gentilitate. Eis verò,qui in gentilitate manere volebãt erat modus ille,qui ab initio orbis cõditi vſque ad datam circumciſionem Abrahæ fuit. Peccatum originale prædictis modis abſtergebatur,quantum abſtergi poterat per aliquam cæremoniam, vel actum factum ab homine Deo conferente virtutem. Nec tamen penitus ablatum erat,quia adhuc manebat aliquid auferendũ. Et quanquam factis cæremonijs, vel actibus ſupradi-B ctis Deus cuilibet peccatum originale remitteret,quantum ad ipſum tamen non penitus dimiſſum erat: quia non erat pœna ſublata, quæ toleranda pro eo erat. Alia namque pœna eſt, quam quilibet pro peccatis ſuis tolerat,alia autem,quam oportet tolerare à mediatore. Et quia quodlibet peccatum eſt offenſæ, vel iniuriæ infinitæ,cum contra illum fiat,qui verè infinitus eſt,commenſurando ſatisfactionem iniuriæ ad æqualitatem Arithmeticam,quæ in hac commutatiua iuſtitia requiritur, neceſſe eſt, vt aliquis pro hoc peccato patiatur, cuius paſſio ſit meriti infiniti.Tunc enim prorſus auferentur peccata, ſed non primò facientibus hominibus actus quoſdam, aut cæremonias ad ablationem horum peccatorum. Nam huiuſmodi actus non ſufficiunt ad talem ablationem, cum non ſint infiniti meriti. Neceſſe erat ergo,quòd propter inexpletam ſolutionem pœ- C narum debitarum,ſiue pro peccato originali,ſiue actualibus homines impedirentur ab ingreſſu in vitam æternam,& diuina viſione,quouſque penitus elueretur pœna,modo aſſignato, ſcilicet, per mortem alicuius, qui in infinitum mereretur.

De pœna originalis peccati. *Cap. CXL.*

CVm ergo originale peccatum, vel quodlibet actuale põt totaliter tolli, aut ex parte tolli, & ex parte manere,aut nullo modo tolli,ita pœna æquãda eſt,quę pro ipſo debetur. Si enim peccatũ originale,aut actuale penitus ablatum ſit,nihil pœnalitatis pro eo infligi- D tur directè,aut indirectè. Si verò peccatũ,ſiue originale,ſiue actuale ex parte ablatũ ſit,nec tñ in totum:quædam pœnalitas infligenda manet,ſed non magna.Cum autem nullatenus peccatum remiſſum ſit, magna pro eo pœna infligenda. Hoc aũt ex prædictis liquet:nã qui in lymbo puerorũ ſunt, nullatenus ab originali macula exempti fuerunt: quia nec ipſi aliquid ad huiuſmodi deletionem fecerunt,nec aliquis pro eis: nec ipſa redemptio mediatoris illis aliquid profuit, cum membra eius non ſint, quia ergo ex nulla parte ab eis culpa originalis ablata eſt, ex omni parte pœnã debitam pro originali tolerant. Eſt autem totalis pœna huius peccati carentia perpetua viſionis diuinæ. Hanc aũt, qui in lymbo paruulorum ſunt tolerare coguntur: Alij verò ſunt, quibus originalis reatus ex oĩ parte abolitus eſt, E ſiue quantum ad id quod Deus per ſe agit, ſiue quantũ ad actus, aut cæremonias, quas homines præmittunt. Hi.n.nullam pœnam ſenſitiuã, aut damnum tolerant: qm̃ nec diuina viſione priuantur. Sic aũt eſt in eis, qui baptizati, antequam in aliquod mortale inciderint, ab hac luce recedunt. Hi namq;, aut alij loco eorum egerunt, quidquid fieri poterat, & debebat,vt ab hac originali ſoluerentur labe: quia baptizatus decedens iſte eſt. Deus quoq; quidquid ex parte ſua agendum erat compleuerat ad huius peccati remiſſionem.ſ. ꝙ Chriſtus pro hoc & ceteris moreretur, & moriendo ſatisfecit.His ergo, qui aſſumpto regenerationis lauacro, antequam in aliqua vitia inuoluãtur,decedunt, nulla pœna toleranda manet,ſed cõfeſtim decedentes vitæ æternæ gaudia cõſequuntur. Alij aũt ſunt, quibus peccatũ originale ex parte ademptũ eſt, ſed nõ prorſus ablatũ.

Totalis pœna peccati originalis.

Hi autem ſunt, qui quantum per eos fieri debebat ad remiſſionem fecerunt. Deus tamen nondum fecerat, quòd ad huius deletionem peccati facturus erat. Hi namque ſunt, qui in ſinu Abrahæ ante Chriſti paſſionē tenebantur. Quia, cum viuerent quantum in eis fuit, egerunt, vt iuſſum erat, aut vt Deus fieri volebat ad huius deletionem peccati, ſiue per cæremonias, aut quoſcunq; actus. Vnde non debuerunt æternaliter puniri, quoniam iam in eis iſtæ maculæ, aut reatus nō manebant: na qui in ſinu Abrahæ erant, originalem maculam nullam habebant, velut illi qui erant in lymbo puerorū. In his quippe plena macula originalis manebat. Quia tamē in his, qui erant in ſinu Abrahæ, nō erat prorſus originalis deletus reatus, quia nondum ad expletionem eius Chriſtus tolerauerat pœnam, quam ſublaturus erat, neceſſe erat, vt animæ ſic manentes aliqualem pœnam tolerarent, dum pro eis à mediatore plena fieret expiatio. Nā aliquid manebat ſoluendum. Hoc autem per nullum G tolli poterat, niſi per mediatorem Dei & hominū Chriſtum Ieſum, & quia tūc Chriſtus pro eis ſoluebat, quidquid ipſi tolerare nequibāt: iuſtiſſimum erat, imo quaſi neceſſarium, vt ipſi penitus à pœna quacumque ſoluerentur, plenam beatitudinem induentes ad diuinam productæ viſionem; pęna autem animarum, pro quarū peccatis originalibus Chriſtus nondum ſatisfecerat, erat, vt diuina carerent viſione. Hanc autem in ſinu Abrahæ perferebant. Et quia nihil de macula originali eorum, qui in lymbo puerorum manebant, abolitum erat. De peccato autem originali manentium in ſinu Abrahæ, multum ablatum erat, ſcilicet, quantum humana operatione agi poterat obediente diuinis iuſſionibus, & H Deo conferente efficaciam, iuſtitiæ modus expoſcebat, vt inæqualis eſſet pęna eorum, qui in ſinu Abrahæ, & eorum, qui in lymbo puerorum manebant, quamquam vtrique pęnam aliquam tolerabant.

Notandum penes ſupradicta. *Cap. CXLI.*

Circa ea verò, quæ dicta ſunt, adhuc vlterius conſiderandum eſt, quod quamquam in ſinu Abrahæ eſſent animæ iuſtorum, quæ nullum vnquam mortale patrauerant, ſed ſolum originalem maculam contraxiſſent, a qua per aliquam cæremoniam, aut actum propriū directum in Deum, aut fidem parentum liberatæ forēt: tamen non pro hac ſola macula nondum completè expiata ibidem tenebantur, ſed etiam pro peccato mortali. I Non quidem, quod in eis eſſet, aut ipſi aliquādo patrauiſſent, nam ſi ſic accidiſſet, gehennalibus ſupplicijs detruſi forent. ſed quia illam partem ſatisfactionis, quæ reſidua erat, ipſi explere non poterant: hæc quippe infinitum meritum exigebat, quod in eis nequaquam erat. Hoc aūt inducitur. nam qui erant in lymbo ſanctorū patrum, pro quibus non erat plenè ſatisfactum, in peccato originali non deceſſerunt, nec tunc in eo manebāt, cùm eis dum viuerent ademptum foret ſecundum formam tollendi ſuperius diffinitam. Nec tñ prorſus adimi potuit, quia ad hoc, vt pro actu illo plenè ſatisfieret, neceſſe erat, vt aliquis, cuius actus eſſet infiniti meriti, aliquid pro illo pateretur ſatisfaciendo, hic aūt Chriſtus mediator eſt. Si ergo peccatum originale per actum noK ſtrum prorſus adimi non potuit, ſed neceſſe erat, vt aliquam pro eo pateretur pęnam, quouſq; mediator Dei, & hoīum Chriſtus prorſus ſua morte redimeret, neceſſarium magis erit in peccato mortali actuali. Nam etſi nos de illo patrato nimis conteramur, & quantum nobis ſubeſt ſatisfacientes pro illo pœnas toleremus, non poſſumus penitus ſatisfacere, quia offenſæ infinitæ eſt: ideoq; exigit, vt quis pro eo ſatisfaciat, cuius actus infinitè meritorius ſit: hic aūt Chriſtus eſt: nullū ergo peccatum actuale mortale penitus remitti, & deleri poterat: quouſq; Chriſtus moreretur. Ex hoc aūt infertur neceſſariū eſſe, ꝙ etiāſi quis nulla mortali actuali, aut originali culpa affectus decederet, nec inexpletè cuiuſuis ſatisfactionis onere preſſus in ſinu Abrahæ maneret, tolerans pœnalitatem priuationis diuinæ eſſentiæ: quouſ-

F que Chriſtus ad deletionē illius culpæ, & aliarū pateretur. Hoc aūt inducitur hoc modo: peccatum quidē mortale actuale maioris grauitatis eſt, q̄ peccatum originale ſolum, ſed pro peccato originali nemo ſatisfacere integrè per actum ſuū quemcūque valet, nec ergo pro actuali mortali valebit. Maior inductionis huius patet: quia pęnę ſecundum proportionalitatē ad peccata infliguntur, cum iuſtè inferūtur. Iuxta illud Deut. 25. c. Iuxta Deut. 25. menſuram delicti, erit & plagarū modus, & ſic habetur Apoc. 18. cap. Quantum glorificauit ſe, & in delitijs Apoc. 18. fuit, tantum date illi & tormentum. Deus tñ maioribus cruciatibus puniri facit eos, qui mortaliter peccauerūt, quam eos, qui ſolo originali crimine grauantur: maius ergo actuale peccatum mortale, qua originale eſt. Hoc aūt patet, quia pro originali peccato Deus dūtaxat dat pœnam, quæ eſt in lymbo: pro peccato aūt actuali dat pœnam, quæ eſt in gehenna damnatorum. Sed pœna in lymbo paruulorum ſolius diuinæ viſionis priuatio eſt, Pęna aut gehennę damnatorum eſt: partim in priuatione, & partim in inflictione pœnali. Eſt. n. ibi priuatio viſionis diuinæ eſſentiæ, ſicut in lymbo. Amplius aūt ibi pęnarum multiplicitas in calore, & frigore ceteriſque incommodis infligitur. Omnes. n. pęnarum modi a nobis inexcogitabiles ibi ſunt, ampliora quoq; quam nos imaginari valeamus. Secundum autem, quod in hac argumentatione ſupponebatur, erat, neminem pro peccato originali ſatisfacere poſſe, quod ex præcedentib. inductum eſt, amplius tamen inducitur. Si quis. n. per aliquem actum ſuum, aut cæremoniam pro peccato originali ſatisfacere poſſet, etiamſi Chriſtus pro eo mortem non ſubijſſet, mox vt a corpore anima ſoluta foret, omni labe prorſus exempta, libera cælum peteret, nullum alium receptaculum animarum prius petens. Falſitas tñ euidens eſt: nam hoc conſtito, cum Abraham ita vir probatæ patientiæ, obedientiæ, & fidei in tota ſacra ſcriptura prædicetur, tantumque Deo familiaris. Moyſes quoque Dei conſecratarius nimiumque dilectus, qui cum eo ore ad os loquebatur, ſicut loqui ſolet homo ad amicum ſuum, vt patet Exod. 33. ca. cui diuina eſſentia aperte reuelata eſt: quod de maximis beneficiis eſt, quæ cuiquam mortalium conferri poſſunt, neuter tamen horum vitæ æternæ gaudia, mox anima a corpore ſoluta petiit, ſed in ſinu ſanctorum detenti ſunt. De Abraham patet Luc. 16. c. De quo Saluator noſter teſtimoniū perhibuit. De Moyſe autem eadem ratio eſt. Nullus ergo ceterorum, quantumcunque ſanctitate polleat, proprio actu originalem labem eximere poterit. Ex his autem adhuc fortius illatum eſt, neminem proprijs actib. pro aliquo actualium peccatorum mortalium ſatisfacere poſſe, cū actualia originalibus maiora ſunt. Ex his quoque neceſſariò illatū patet, omnes animas, quæ aliquando mortali labe contactæ forent, etſi, quantum per hominem purum ſatisfieri poterat, ſatisfeciſſent, ſiue de peccato dolendo, ſiue alia opera laborioſa ſatisfactoria faciendo, non poterant ſufficienter hanc labem eximere, & conſequenter neceſſe erat illas aliquas ſubire pęnas, vſq; ad mortem mediatoris, qui pro omnibus erratis integrè ſatisfacturus erat. Hæ autem pęnalitates in ſola priuatione viſionis diuinæ eſſentiæ conſiſtebant, quouſque Chriſtus moreretur, locus autem horum K pęnalitatum erat ſinus Abrahæ. Cum igitur aliquis ante mortem Saluatoris deceſſiſſet, cui nulla mortalia patrata forent, culpam quoque originalem per aliquos actus, vel cæremonias eluiſſet, ad ſinum Abrahę deſcendebat, hanc pęnalitatē priuationis viſionis diuinæ eſſentiæ, vſq; ad mediatoris mortem toleraturus. Hoc autem quoniam quædam, & maxima quidem ſatisfactionis pars reſidua erat, quæ per ipſum expleri nequibat, ſed ſolo mediatoris actu. Conformiter aūt ſi quis quibuſdam patratis mortalibus dolens de commiſſis, & vt alicui mortali ſatisfacere poſſibile eſt, atque debitum ſatisfaceret, ad ſinum Abrahæ deſcendebat: quia non fuerat expleta ſatisfactio, non quidem ea, quam hic defunctus expleturus foret, ſed ea, quam iſte explere non potens, Chriſtus ſe ad tolerandam iniecerat.

Quædam penes ſuperiora. Cap. CXLII.

EX præcedictis autem dubitandi occaſio ſubappa-ter, cum enim dictum ſit, eos, qui originali ademptæ labe per aliquam cæremoniam, vel actum ſecundum exigentiam temporis, & perſonarum ante Chriſti paſſionem decedebant, nullo mortali patrato, in ſinu Abrahæ vſque ad mortem mediatoris detineri, diuinæ viſionis paſſuros carentiam, quoniam quædam pars ſatisfactionis pro originali reſidua erat, per ſolum Chriſtum conſummanda. Ampliores ergo pęnas in eodem ſinu Abrahæ paſſurus foret, qui originali expiato, emūdatis quoque quibuſdam commiſſis mortalibus, pro quibus dolendo, & laborando viuens ſatisfecit, cum il-luc deſcenderet ante paſſionem Saluatoris. Primi namque in ſinu Abrahæ pro ſola reſidua ſatisfactione pro originali culpa, quam Chriſtus expleturus eſſet, tenebantur. Secundi autem pro reſiduo, quod in originali manebat: Amplius etiā pro reſiduo ſatisfactionis, quod in peccato mortali per ſolum mediatorem manebat agendum. Et quod in recta diſtributione pœnarū, quantitati culparum commenſurantur pœnæ, acrius diutiniuſque puniri debuit, qui pro reſidua ſatisfactione peccati actualis mortalis, & originalis pariter in lymbo ſanctorum manebat, quam qui pro reſiduo explendo in ſatisfactione pro reatu originali in lymbo detentus vſque ad paſſionem mediatoris erat. Huic autem forſitan aliquis argute reſpondere conabitur, nequaquam inæqualem eſſe pœnam ad magis, & minus in eis, qui in lymbo puerorum, & in his qui in ſinu Abrahæ manebant, quoniam vtrorumque pœna priuatiua eſt. In priuatione autem non eſt dare magis, aut minus, nec gradus nec exceſſus quantitatis. Sicut in cæcitate: cum enim ſemel quenquam vere cæcum diffinierimus, nullus eo magis aut minus cæcus eſſe valet. Sic & in ceteris priuationibus. In poſitiuis autem entibus, quæ verè aliquam habent entitatem, magis, aut minus dari poteſt, ſicut in gradibus albi, & nigri, & ſimilium qualitatum, magis album, & magis nigrum, confitemur. Eadem autem collatio conſtat pęnis, qui in gehennalibus manſionibus detinentur, quoniam pro impiè factis ibi manent: in quibus poſitiuum aliquid ibi eſt pęnæ eorum culparum, correſpondentes conformitati in poſitione conſiſtunt, ſcilicet, in perpeſſione caloris, & frigoris, & ſimilium ſenſibilium qualitatum. Hoc modo eis, qui in hac horrenda damnatorum ſede manent, adinuicem collatio conſtat. Vt aliquem maioribus affectum cruciatibus prædicemus .ſ. vt maioribus frigoris, aut caloris ſtimulis, & ceterarum afflictiuarum qualitatum. Idem autem habitudinis modus conſtat eis, qui purgatoria clementia exercentur. Nam horum pęnalitates poſitiuæ ſunt, ſicut ipſi pro actualibus ſatiſfaciunt peccatis, in quibus aliqua poſitiua actio, aut realitas eſt. Qui vero in lymbo puerorum, & in ſinu Abrahæ manent, pęnalitates ſuas in priuatione habēt: Nam carentia diuinæ viſionis his pro pęna eſt, hæc tamen pura priuatio eſt. Non ergo erit magis aut minus, ita vt aliquem diuina viſione magis altero priuatū aſſeramus. In lymbo ergo puerorum nulli grauior quam alteri pęna conſtat, ſic quoque in ſinu Abrahæ. Cum ideo omnes puniri dicantur, qui diuina viſione ſolum carent, nemo abundantiorem, quam alius pęnam habebit. Quo infertur, nihil magis puniri eū, qui pro ſola inexpleta ſatisfactionis originalis labe, a Chriſto facienda, ibi manet: quā cui tam pro originali, quā pro actuali aliquid expiandum manſit, quod a Chriſto tolleretur.

In priuatione nō eſt magis aut minus nec exceſſus aliquis.

In lymbo puerorū nulli grauior, quā alteri pœna eſt.

Obiectio contra ea, quæ dicta ſunt. Cap. CXLIII.

NVnc autem contra prædicta quiſquam obijcere valebit dicens, quod qui in lymbo ſanctorum ſunt, pro quacumque cauſa ſit, diuinæ viſionis priuationem ſuſtinent, in quo pates eſſe nemini ambiguum fuerit: qui tamen in ſinu Abrahæ ſunt, ab angelis con-

A ciuibus ſuis multa ſolaminis genera, & gaudiorum modos accipere ſoliti ſunt, cum eis pleraque reuelauerint. Et ſicut diuina eſſentia vidēda priuari pęnalitas in priuatione eſt, ita & priuari gaudijs, quæ ab angelis præſtari ſolent pęnalitas eſt priuatiua. Et quanquam nemo queat magis alio diuina viſione priuari, cum vterque priuatus ſemel extiterit; poteſt tamen priuato diuina viſione addici gaudiorum ſpirituum beatorum priuatio. Poterat ergo hoc pacto cuiquam de his, qui in ſinu Abrahæ manebant, abundantior eſſe pęnalitas, quàm ceteris, cum plures ei priuationes affuerint. Ad hæc verò reſponderi debet, quód cuiquam de manentibus in

B ſinu Abrahæ maior ineſſe pęnalitas poterat, ſi ei plures ineſſent priuationes. Dicendum tñ eſt, ꝙ inter omnes, qui erant in ſinu Abrahæ, nemo erat, cui maior pęna aut abundantior priuationum ineſſet multitudo, quanquā vnus duntaxat maneret, quia nondum per Chriſtū reliquiæ peccati originalis illius redemptæ erant, alius quia tam originalis maculæ, quam actualis ei manebat reſiduum per Chriſtum eximendum. Ratio autem prędictorum eſt, quia ſi quis ibi maneret, cui duntaxat originalis maculæ manebant per Chriſtum explendæ reliquię, non habebat in ſe maculam originalem aut reatum: quoniam hæc quibuſdam actibus, vel cęremonijs in ſeculo iſto prominis, dum viueret, ablata erant, manente eo duntaxat, pro quo Chriſtus ſolus ſatisfacturus

C erat, atque poterat. Si autem quiſquam actualia mortalia commiſiſſet adhuc, viuens neceſſe erat, eū prius pro commiſſis dolentem tantum affligi laboribus ſatisfactoriis, quantum aliquis homo purus ſatisfacere deberet, & poſſet, aut ſi hæc viuenti inexpleta manerēt, neceſſe erat purgatorio igne abſumi, & poſtea ad ſinum Abrahæ, viq; ad mortem mediatoris manſurum deſcēdere. Cum ergo pro peccatis actualibus tantum ſatisfeciſſet, quantum alicui puro homini, ſatisfaciendi facultas eſt, irrationabile prorſus erat, vt poſtea in lymbo ſanctorū, ſiue in ſinu Abrahæ amplius pati pro iis debeat. Sic ergo ei, cui in lymbo ſanctorum ſemel manere dabatur, nihil differebat an multotiens, & variis peccatorum generibus deliquiſſet, quam ſemel, iam enim pro ſingulis horum, quantum debitum homini ſatisfacere erat, ſatisfactum erat: nihil ergo oneris imponendum erat. Et ſi quis dicat, ſi pro peccato originali eunti ad ſi-

D num Abrahę exempta hac labe in vita, manendum erat in pœnalitate carentiæ diuinæ viſionis vſque ad mortē Saluatoris, & id quod manebat Chriſto ſoluendum de reliquiis actualium noſtrorum, poſtquā nos ſatisfecerimus, eſt tantum quantum pro originali, aut amplius, ergo pro eo amplius manendum erit, quam pro originali duntaxat. Reſpōdetur, quod qui in lymbo ſanctorum ſunt, ꝗ̃ ibi pęnalitate quadam afficiuntur in priuatione viſionis diuinę eſſentię, cum non ponuntur in loco illo directè, vt pœnas patiantur, ſed vt ibi manerent quouſque Chriſtus pro eis ſatisfeciſſet, quod eis explēdum manebat, nec expleri poterat per illos: ideo nihil differebat, an Chriſtus multa pro eis toleraretur, aut pauca, cum ipſi de his actu ſuo nihil poſſent aſſumere. Quod autem ad pœnam in lymbo ſanctorum directè non ponerentur, quanquam ibi pœnam aliquam haberent, apparet quia hoc dato quandocunq; animæ ali-

E quid haberent, propter quod ibi eis manendum eſſet, illuc deſcenderent, etiamſi Chriſtus iam mortē ſubiiſſet, & inde ferrentur in cælum. Sicut purgatoria ſedes in pœnam animabus, nōdum plenè expiatis indicitur. Ibi tñ manent etiam poſt mortem Chriſti, quouſq; debitam ſatisfactionem exſoluerint, De lymbo tñ ſanctorum ſecus: Inductem ergo patet eos, qui in lymbo ſanctorum erant æqualem per omnia habere pęnalitatem, nec alterum altero plures habere priuationes.

An grauiores penas quiſpiam ex his patiatur, qui in lymbo ſunt. Cap. CXLIIII.

SVCCISIS autem prioribus, conſequens eſt pertrāſire, an eorum, qui in lymbo paruulorum erant, quoſ-

dam alijs grauiores perpeti pœnas aſſerendum ſit. Huic quiſquam, ſicut in ſuperioribus, de lymbo ſanctorũ reſpondendũ putabit. ſ. ꝙ cum pęna lymbi in priuatione cõſiſtat, in priuatione aũt non eſt reperire magis aut minus. Ad hoc aũt dici põt, ꝙ quãquam, quantum ad diuinæ viſionis carentiã, nemo eorũ qui in lymbo paruulorum ſunt, maiorẽ alio pęnalitatem ferre poterat, cum oẽs penitus hac viſione priuati ſunt: poterat tñ Deus alicui maiorẽ in tolerando hanc priuationẽ triſtitiã inferre, q̃ ceteris. Velut in viuentibus experimur. Quidã. n. ſunt, qui moleſtius ferunt priuationẽ, aut abſẽtiam alicuius boni, q̃ alij in eodẽ bono ablato tolerarẽt, ſic Deꝰ vni eorum, qui in lymbo manent maiorẽ triſtitiam infligere poterit, q̃ alijs, & hoc modo amarius puniretur. His reſpondendũ eſt, plures eſſe modos, quibus quidã eorum, qui in lymbo paruulorum ſunt, acrius q̃ ceteri punirentur: nemo tñ grauiores alio pęnas toleraret. Ratio aũt horũ eſt, q̃a pęnæ debẽt eſſe inęquales, aut ęquales, ſẽm ꝙ culpæ æquales aut inęquales ſunt, omnibus tamẽ qui in lymbo erant, culpæ conſtabant æquales: conformante ergo iuſtitia commutatiua pœnæ æquales eſſe debebant. Quod aũt omnium, qui in lymbo paruulorũ erant, culpæ æquales conſiſterent, euidens eſt. Nam in peccatis actualibus, vnum altero maius eſſe accidit, ex diuerſis cauſis, originale tamen alterũ altero maius eſſe impoſſibile eſt. Quanquam in hoc nimis inter philoſophos differt, inter eos dico, quos Stoicos vocant, de quibus Tullius, Seneca, Zeno, & Chryſippus atque cõſimiles ſunt, & inter Peripateticos, quorum princeps noſter Ariſtoteles eſt. Peripatetici quippe aſſeuerant peccatorum inæqualitatem, quibus fidei catholicæ omniumque catholicorum poſitio conſentanea eſt. Stoici verò peccatorum æqualitatem conſtituunt, dicente ſępiſſime Seneca in epiſtolis, alijſque locis: Si gubernator euertat nauem auri, vel paleæ, in re quidem differt, in arte vero nihil. Sic quoque Tullius in Paradoxo tertio, quod parua, inquit, culpa vt magna eſt, ideſt, æquè grandis eſt parua culpa, vt magna. Ponere autem fundamenta Peripateticorum atque Stoicorum, & quomodo Stoicorum fundamenta deficiant, latiſſima atq; ſpeculatiua inquiſitio foret, de qua ſuperſedendũ per ſingula erit. Sed in hoc ſuperficialiter inueſtigantibus nobis ſufficeret vnica ratiocinatio, quæ ſatis euidens eſt, ſcilicet, tunc aliquod opus humanum rectè factum eſt, cum omnes circunſtantiæ illius actus rectę ſunt, tunc quoque actus prauus eſt, cum non omnes circunſtantiæ actus in debita rectitudine obſeruantur: ſiue in vna, ſiue in pluribus erratum ſit. In actu autem eſſe poſſunt ſeptem, vel octo circunſtantiæ, iuxta Ariſt. doctrinam Ethic. lib. 3. & in peruerſitate cuiuslibet earum peccatur, neceſſe eſt ergo, vt grauius peccetur, cum in duabus earum erratur, quam ſi in vnica: & ſi in tribus erretur, grauius deliquerimus, quam ſi in duabus: ſic quoque vſque ad peruerſionem omnium ſimul ſumptarum. Hoc autem amplius inducitur, vt ſi dixerimus quemquam aliquid facere, qualiter non debet, hic deliquit in vna circunſtantia, quæ dicitur qualiter. Si autem alius fecerit quippiam, quando nõ debet, deliquit in circunſtantia, quam quãdo appellare conſueuimus. Hoc autem eſt, cum ad aliquem actum tempus limitatum eſt: quod nec præueniri, nec prætermitti vel dilatari licet: vt lege vel ſpeciali alicuius decernẽtis iuſſione cautum eſt. Nunc verò dicamus alium hominum feciſſe aliquem de prędictis duobus actibus delinquens in duabus circunſtantijs. ſ. ꝙ non egit, quando fieri res debebat, nec qualiter fieri debebat. Poſtea vero dicamus duos viros in eodem actu, ſecundum ſpeciem delinquere, alterum tamen, quia non egit quando debuit ſolum, aliũ verò quia nõ egit quando debuit, nec qualiter debuit, errans in duabus circunſtantijs. Quo dato inquiretur, an hi æqualiter deliquerint, an inæqualiter. Quòd ſi fateamur grauius deliquiſſe eum, qui deliquit non obſeruans qualiter, nec quãdo in actu, eo qui duntaxat peruertit circumſtantiam, quæ eſt quando: eſt quod intenditur. ſ. alteram altera maiorem eſſe inqui-

Peripatetici fatentur inæqualitatẽ peccatorum, ſed non Stoici.

F tatem. Si autem dicere malueris, æqualiter erraſſe eũ, qui deliquit peruertens quando in actu cũ eo, qui peruertit qualiter agendum eſſet, & quando ſimul: ſequitur nullũ eſſe delictum errare in qualiter agendum eſt, quod falſum eſt. Apparet tñ, quoniam horum duorum delinquentium, alter deliquit in quando agendum eſſet, alius vero in qualiter, & quando actio dirigẽda ſit: error ergo vnius delicto alterius æquabitur in peruerſione circunſtantiæ huius, quod eſt quando. Hoc autem dato inquiretur de circumſtantia, quæ eſt qualiter, an errorem cauſet in opere cum peruertatur. Si autem aſtruxeris peccatum eſſe in opere cum qualiter peruertatur, quæ eſt circunſtantia modi: ſequetur quòd cum error, qui eſt in peruerſione circunſtantiæ temporis. ſ. quãdo quid agendum ſit maius eſſe peccatũ in eo actu, quo G quis peruertit duas circumſtantias, ſcilicet, quando & qualiter, quæ ſunt circũſtantię modi, & temporis, quã in eo actu, quo quis deliquit peruertens duntaxat circũſtantiam temporis, quæ eſt quando. Si verò dixeris, quòd peruerſio circumſtantiæ, qualiter, non addat aliquam grauitatem delicti ſuper tranſgreſſionem circũſtantiæ, quæ eſt quando, ſed ita ſit, ac ſi ſola circunſtãtia temporis peruerſa foret, neceſſariò fateberis peruerſionem circũſtantiæ modi. ſ. qualiter, ſecundum ſe delictum nullum conſtituere, ac ſi nihil peruerſitatis foret. Nam ſi hæc per ſe delictum conſtitueret, cum alteri circunſtantiæ conſtituenti delictum adderetur, maius fieri neceſſe erat. Hæc enim conditio rerum vnius generis eſt, quod cum aliqua ponat aliquam magnitudinem, & alia ei ſuperaddita ſit, maius quid effici H neceſſe eſt. Hoc tamen falſum eſt: nemo quippe etiam inſanus confitebitur, tranſgreſſionem, quę eſt circunſtantiæ modi peccatum nullum conſtituere. Nam ex eodẽ fundamento induci poteſt circumſtantiam temporis, quæ eſt quando, de qua cõceſſum eſt, quòd cauſaret in actu peruerſitatem, cum non eſſet, vt decet, non cauſare peccatum. Nam detur de aliquo, ꝙ quippiam egerit, vbi non oportet, deliquit enim in circumſtantia locali: & huius actum confiteberis eſſe delictum vel errorem, dicamus verò alterum deliquiſſe, q̃m egit quidquam vbi non oportebat, & quando non oportebat. Ecce enim hi duo actus, quos delicta, vel peccata neceſſario confiteris, etſi nemo cogat, vltroneus cõfiteberis, ꝙ æquales ſunt quantum ad tranſgreſſionem circumſtantiæ, quæ eſt vbi pertinentis ad locum. Quo dato aut hos I actus delicta æqualia vocas, aut inæqualia. Si verò inæqualia, habeo quod negas, aſſerens paruam culpam eſſe ita grauem vt magnam. Si vero æqualia aſtruxeris, neceſſe eſt, vt quod ante conſtruxeras, deſtruas: dixeras enim peccatum eſſe, ſi quis tranſgrederetur circunſtantiam temporis, nunc tamen confiteri cogeris in tranſgreſſione huius circunſtantiæ peccatũ nullum eſſe. Nã cũ hæc duo peccata. ſ. in tranſgreſſione, vbi, & quando æqualia ſunt quantum ad tranſgreſſionem, quæ eſt in circumſtantia dicente habitudinem loci, & tu ea ſimpliciter æqualia aſtruas, neceſſe eſt, vt tranſgreſſio circunſtantiæ, quæ eſt, quando, nullam faciat peruerſita- K tem, alioquin adderet ſuper peruerſitatem, quæ eſt in circũſtantia locali, maiorẽ efficiat trãſgreſſionẽ, neceſſe eſt, ſed prius confeſſus fueras peruerſitatem eſſe in tranſgreſſione circumſtantiæ, quæ eſt, quando, ergo erras in maiori. Et hoc modo inducetur de ſingulis ſeptẽ, vel octo circũſtantijs actuum, quod in nullius earum tranſgreſſione peccatum ſit, quod prorſus abſurdum eſt. Plures autem ad hoc rationes, & ſatis fundamentales induci poterant, ſed ſufficerit, quod dictum eſt. Ex prædictis ergo inductis ſatis ſolide liquet alteram altera maiorem eſſe culpam. Apparet igitur prima pars antecedentis huius. ſ. culpam quãdam mortalem actualem, altera eſſe maiorem. Ob hoc autem leges humanę maiorem quibuſdam ſceleribus, quam alijs inferunt cruciatum. De legibus quoque diuinis idem patet in toto veteri teſtamento ac nouo. Sic enim & apud tartareas ſedes atque purgatoria loca quædam animę acrioribus, quam aliæ cruciatibus puniuntur.

Nullum originale peccatum altero maius eſt. Cap. C X L V.

HVius antecedentis alia erat particula, nullum originale peccatō altero originali maius eſſe. Quod patet, quoniam originale non fundatur, ſuper aliquem actum poſitiuum, ſicut in actualibus eſt, ſed eſt quędam culpa, macula, & reatus, quam incurrit anima cum corpori vnitur: quia coniungitur corpori deriuato ab Adā per ſeminalem propagationem. Conſiſtit autem in priuatione ſolum iuſtitiæ originalis debitæ in eſſe. Et quoniam hoc non eſt tranſgreſſio circumſtantiarum poſitiuarum aliquarum, ſicut in peccato actuali, per quarum violationem incurratur maior, vel minor peruerſitas ſecundum numerum circunſtantiarum deordinatarum, & earum habitudinem; ſed ſolum conſiſtit præuaricatio originalis in priuatione: in priuatione autē magis, aut minus poſſibile non eſt, ſicut in prioribus oſtenſum eſt, nequit igitur aliquod originale peccatum altero maius eſſe. Si ergo duo ob ſolius originalis delicti maculam cruciatibus, aut quibuſuis penalitatibus ſubijciendi forent, non deberent alter altero grauioribus affici penis: ſed qui in lymbo paruulorum ſunt, ob ſolius originalis maculæ reatum tolerant quidquid habent, nihil ergo grauius alius altero tolerare debebit. Quod autem qui in lymbo paruulorum ſunt, ſolius originalis culpæ penas patiantur, ex prædictis ſatis apparet, ſcilicet, quòd illi in lymbum deſcendebant, quos ſolius originalis culpæ grauabat reatus. Nam ſi quis decedens culpa actuali teneretur, etiamſi pariter originali macula premeretur, gehennalibus incendijs immergendus erat. Si ergo hi ſoli paruulorum lymbo tenebantur, qui originalis maculæ duntaxat onere grauabantur, ſatis liquet quoſcunque in paruulorum detentos lymbo, ſolius originalis culpæ penas luere, cum nihil aliud habeant, propter quod torqueri aut puniri qualitercūque debeant, nullum quoque originale altero maius eſt. Neceſſe eſt ergo alterius pœnam eorum, qui in lymbo paruulorum ſunt, aliorum pœna maiorem non eſſe. In hoc verò conſideranda eſt quædam regula ſatis notabilis, ſcilicet, quod a principio orbis conditi antè datam circumciſionem, & poſtea vſque ad finem ſeculi, nemo, ſemel aut pluries actualiter peccauit mortaliter committendo, qui ad puerorum lymbum deſcēderet. Poſtquam quis enim mortaliter peccaret, quomodocunque ſe haberet, nequibat deſcendere ad lymbum puerorū. Quod inducitur, nam cū quis mortaliter peccabat, aut conterebatur de illo, aut non. Si autem non contereretur antè mortem, quanquam cum originali quoque ſimul decederet, non poterat tendere in lymbum puerorum, ſed in gehennam damnatorum, qui locus eis, qui in mortalibus decedunt, deputatus eſt. Si autem, qui mortale patrauerat, ante mortem de commiſſis doleret, neceſſe erat, vt quanquam ante hoc ſemper fuiſſet in originali nunc decederet, atque prorſus non periret. Nam ſicut in tempore datæ legis, & circumciſionis, Iudæis tollebatur macula originalis per circumciſionem, ita in gentilibus ſemper antè mortem Chriſti, cum adulti eſſent, tolli poterat per quemcunque actum directum in Deum: ſi in parua ætate fide parentum ablata non fuiſſet, contritio aut actus directus in Deum originale tollere poterant. Si autem diximus, ꝙ nunc nō poteſt tolli originale per contritionem, niſi baptiſmus aſſumatur, dicendum eſt, quòd regula ſemper ſtat: nā aut per contritionem tollitur peccatum mortale in eo, qui conteritur, aut nō: ſi tollitur neceſſe quoque eſt originale tolli. Si autem non tollatur mortale, non tolletur originale. In gentilibus enim qui antè Chriſti mortem ab orbe condito fuerant, quia non erat aliqua obligatio ad certam legem, per contritionem tollebantur ſemper peccata mortalia, & per quemcunque actum directum in Deum tollebatur originale. In Iudæis autem erat determinatio ad accipiendam circūciſionem, ideo ſaluari non poterant ab originali, niſi acciperent circūciſionē. Si ergo aliquis de Iudæis, qui forte non circumciſus eſ-

Qui mortali crimine delinquerit ad lymbum deſcendere nō poteſt.

A ſet, doleret de peccatis mortalibus, dolens quoque de hoc mortali, quòd non ſumpſiſſet in tranſactis temporibus circumciſionem, tollebantur per contritionē mortalia, & ipſum quoque originale. Si autem dolens de aliquibus mortalibus, non doleret ꝙ circumciſus non fuiſſet, non tollebatur aliquod mortale peccatum, nec originale: cauſa eſt, non quod contritio ad tollenda peccata aliquando impotens fuerit, ſed quia vera atq; perfecta contritio non eſt, cum de quibuſdam dolemus, ſi de alijs non doluerimus, aut in alijs maneamus. Idem autem caſus eſt, ſi quis hoc tempore ſiue filius Chriſtianorum, ſiue de qoacunque gente natus, baptiſmatis lauacro tinctus nō foret: nam hic in mortali peccato erat, quoniam ſacrum regenerationis lauacrum nō ſumebat. Si ergo de cunctis mortalibus doleret, neceſſe eſſet, vt
B de hoc quoque contereretur, ꝙ hactenus imbaptizatus māſiſſet, & túnc ipſo dolore ante ſuſceptum baptiſma, tam mortalia, quam originalia abolentur. Eſt igitur generale, ꝙ in quocunque ſtatu, contritio ſi vera, & perfecta eſt, omnia peccata, tam actualia, quam originale delet, actualia quidem directè, originale autem indirectè. Nam cum mortale peccatum per contritionem deletur, gratiam conferri neceſſe eſt, qua macula peccati, deturpans imaginem Dei, formaliter deleatur. Sed gratia nō conſentit ſecum culpam mortalem, & obligationem ad mortem æternam, cum efficiat hominem deiformem. Culpa tamen originalis eſt mortalis, reddēs hominem obligatum ad mortem æternam, & tollens à deiformitate: ergo collata gratia homini dolenti de peccatis per contritionem neceſſe eſt, vt originalis culpa, ſi in eo præ
C fuit, deleatur. Cum ergo deleretur in contritis, ergo non manebat. Stat ergo data regula; quòd qui ſemel mortaliter peccaret ante Paſſionem Chriſti, ad lymbum puerorum deſcendere non poterat. Et ſi ſuperior probatio ſufficiens ſit ad omne tempus, vt inductum eſt, tamen adhuc magis induci poteſt de tempore poſt Euangelij promulgationem vſque ad conſummationem ſeculi. Nam qui in hoc tēpore mortaliter peccat, aut eſt Chriſtianus, aut Saracenus, Iudæus, vel Paganus, aut cuiuſcunque ritus. Si eium effectus Chriſtianus ſit, ad lymbū puerorum deſcendere nequit, quoniam per baptiſmatis lauacrum hæc originalis macula deleta eſt, quam habentes, duntaxat ad lymbum puerorum deſcendebant. Si autem Saracenus, Iudæus, aut cuiuſcunque gētis, vel ritus ſit, aut ad fidem Chriſtianorum aliquando redijt,
D aut nunquam: ſi vero aliquando ad rectam fidem conuertitur, in Baptiſmo originale cum omnibus actualibus, quæ præfuerunt, delerur. Quomodocunque ergo poſt hoc deceſſerit, ad lymbum puerorum deſcendere nequit, quoniā iam originale ablatum eſt, propter quod erat deſcenſus ad lymbum puerorum. Apparet quoquè ex prædictis eorum, qui in lymbo puerorum ſunt, nullū altero grauius puniri, nec ad hoc eſt aliquod rationabile inductiuum.

Quantum pollit contritio poſt peccata admiſſa.

Dubium, an Ieremias, & Io. Bapt. qui in vtero ſanctificati ſunt, poſt obitum in lymbum deſcenderint. Cap. C X L V I.

E QVoniam autem in prælibatis dictum eſt, antè mortem mediatoris Dei & hominum Chriſti, ianuam vitæ æternæ clauſam fuiſſe, nec quempiam illuc introire potuiſſe: ſed illi, qui nulla originali, aut actuali macula grauati, nullo quoque inexpletæ ſatisfactionis onere preſſi decedebant, ad ſinum Abrahæ ferebantur, vſque ad Chriſti paſſionem manſuri: Cuiquam tamen ambigendum videbitur de eis, qui in vtero ſanctificati ſunt. De Ier. patet Ie. c. 1. cum dicitur: Et factum eſt verbum Dñi ad me, dicens: Priuſquam te formarē in vtero noui te, & antequam exires de vulua ſanctificaui te, & Prophetam in gētibus dedi te: In quo ſatis nota eſt omnium catholicorum Doctorum ſententia dicentium, eū in vtero ſanctificatum. De beato Io. Bapt. eadē omnibus Doctoribus catholicis, quę de Ieremia ſentētia eſt: ide. Eccleſia in ſolemnitate eiuſdem cantat id, quod ad ſe-

dictum

dictum à Domino refert Ier.c.1. Inducunt autē Catholici Doctores ſatis rationabiliter ad aſſerendum de Beato Io. quòd ſanctificatus in vtero ſit: nam Deus ſuper ipſum miraculosè operatus eſt: cum adhuc in vtero faciens eum moueri, vt inclinaretur ad quandam exhibitionem reuerentię Matri Saluatoris noſtri, veniente ad Eliſabeth Ioan. matrem. Sic habetur Luc. cap. 1. cum dicitur. & factum eſt, cum audiuit ſalutationem Marię Eliſabet, exultauit infans in vtero eius. Et poſtea ipſa ſpiritu ſancto mouente ait: Ecce enim vt facta eſt vox ſalutationis tuæ in aurib. meis, exultauit infans in gaudio in vtero meo. Hi autem, qui in vtero ſanctificati ſunt, peccatum originale non habebant: ſi ergo actuale nullum committerent, ſicut de quolibet horum duorum aſſeritur, cum decederent, non reſtabat eis quidq̄ propter quod ad lymbum ſanctorum deſcenderet, nec ad aliud animarum receptaculum, ſed mox ad vitam æternam conuolarent. Nam in ceteris, qui ad lymbum ſanctorum deſcendebant, etſi pro actualibus ſatisfactū eſſet, ſi qua egiſſent, & originale ablatum, tamen reliquiæ quędam manſerunt, quę per ipſos expiari nō potuerunt, ſed debebant per Chriſtum expiari. In ſanctificatis tamen ab vtero, quia nullum actuale erat nec originale, nullius reliquiæ manere poſſe videbantur, pro quib. Chriſtus ſatisfacturus eſſet, & iſti vſque ad mortem ſuam tenerentur in ſinu Abrahæ. Ad hoc reſponderi debet, quòd ſanctificati in vtero, ſicut beat. Io. & Iere. ſi ante Chriſti mortem decederent, ad lymbum ſanctorum, ſ. ad ſinū Abrahæ ferebantur, quamobrem, cum tam beatus Ioan. q̄ Ieremias in vtero ſanctificati antè Chriſti paſſionem deceſſerint: ad lymbū ſanctorum deſcenderunt, vſque ad Chriſti mortē, ibidem ſicut ceteri permanentes. Hoc autem inducitur: nam qui in vtero ſanctificabantur, aut dum viuerēt aliquid mortale peregerunt aut nihil: quamquam iſta diſtinctio non recipietur ab omnibus Catholicis, cum dicant ſanctificatos in vtero confirmatos, & impeccabiles factos. Quod non impedit: nō enim aſſerimus eos peccaſſe, aut peccare potuiſſe, ſed de eis conditionaliter loquimur: conditio autem nemini prędicat. Si ergo diceremus quemquam eorum mortaliter peccaſſe, aut dolebant de patratis, aut minimè. Si non contererentur, gehennalibus mancipabantur incendijs. Si verò eos de peccatis dolentes feceris, atque perfectè, vt puro homini poſſibile, atque dignum eſt, laborantes pro commiſſis ſatisfeciſſent, ad lymbum Abrahæ deſcendebant. Nam quædam reliquiæ ſatisfactionis in peccatis actualibus manebant, de quibus per hominem purum ſatisfieri impoſſibile erat, ſed Chriſto eluendæ manebant: ideo in lymbo Sanctorum redemptionem illam expectaturi erant.

Si ergo in vtero ſanctificatos, poſtquam de vulua eruperint, nullum incurriſſe peccatum aſtruxerimus, adhuc neceſſe eſt hos ante paſſionem Chriſti decedentes ad lymbum ſanctorum deſcendere. Nam hi in peccato originali concepti ſunt. Cum enim aliquis in vtero ſanctificatus erat, originalem maculam prius contraxerat, cum deſcenderet de ſtirpe Adæ per deriuationem ſeminalem: cum Deus tamē eos in vtero ſanctificabat, delebat in eis originalem culpam: cum autem erumpebant in lucem nullo originali infecti erāt, quia eis ablatum erat, in eo tamen ſicut ceteri geniti ſunt. Hi ergo ad lymbum ſanctorum morientes deſcendebant: nam nihil à ceteris differunt, niſi quòd alij in peccato originali concipiuntur, atque erumpunt ex vtero, poſtea verò per aliquas cęremonias aut actus tollitur. Sanctificati autem in originali concipiuntur, ſed non naſcūtur in peccato, cum ante natiuitatem ablatum ſit. Sicut ergo illi, qui in peccato originali eruperunt in lucē, poſtea autem cęremonijs circumciſionis aut quibuslibet alijs, illud exuebant, decedentes ad lymbum ſanctorū deſcendebant, ētſi nihil vnquam mortale peregiſſent, quia ſemel in illis peccatum originale fuit, & quāquā poſtea deleretur, tamen plenè ablatum non erat, quoniam adhuc manebat aliquid expiandum per mediatorem. Ita cum quis in vtero ſanctificabatur, primo originale contraxerat, ideo quamquam per ſanctificationem deleretur, tamen non penitus delebatur, quin aliquid maneret poſterius per Chriſtum expiandum. Nā ſicut circumciſio, aut quęlibet ceremonię, quæ Deo imperante, aut volente efficaciam habebant, non ſufficiebant delere originalem maculam, etiamſi Deus illam deletionem operaretur, ſed ſemper manebat aliquid expiandum per Chriſtum: ita & ſanctificatio per Deū ſolum facta in vtero non prorſus originalem adimebat reatum, quin aliquid per mediatorem ſatisfaciendum maneret. Cum enim ſanctificatio horum fiebat in vtero, nondum Chriſtus mortem ſubierat, ideo ſatisfactio illa non poterat eſſe tantæ efficacię, vt omnino prorſus deleret, ne quid de hoc morte mediatoris eluendum maneret. Inerat ergo eis ſemper aliqua obligatio, vt decedentes ad ſinum Abrahæ deſcenderent. Sic ergo ad propoſitam dubitationem diffiniendum erit, omnes in vtero ſanctificatos, qui antè Saluatoris mortem deceſſerint, etiamſi in vita nequaquam peccauerint, ad lymbum ſanctorum deſcendere, quia nondum in eis omnis originalis reatus ablatus erat vſque ad mortem Saluatoris. De Ieremia autem dicendum eſt, quòd fuit vir ſanctus atque Propheta, & vitæ incontaminatæ, atque ſanctificatus in vtero, moriens tamen ad lymbum ſanctorum deſcendit, cumque inde Chriſtus iam paſſus eduxit.

Dubium, an Ioannes Baptiſta ad lymbum Sanctorum Patrum deſcenderit. Cap. CXLVII.

NVnc vero de Beato Ioanne Baptiſta cuiquam ambigendum videbitur, quoniam ipſe antè Chriſti paſſionem mortuus eſt, & de eo nunciatum eſt Chriſto, quod ab Herode occiſus eſſet, & doluit, de quo Matth. 14. cap. ad ſinū Abrahæ cum ceteris ſanctis patribus deſcenderit. Reſpondendum eſt Ioā. Bapt. in vtero ſanctificatum poſt mortem ſuam in ſinum Abrahæ deſcendiſſe, ſicut Ieremias deſcendit, qui in vtero ſicut & beatus Ioannes ſanctificatus erat. Nam ſanctificatio in vtero facta non tollebat originale peccatū pręceſſiſſe in ſanctificato, quamquam faceret iam non manere. Cum ergo præfuerit, nequibat totaliter tolli, ita vt non maneret aliquid poſt per Chriſti mortē redimendum, quod aliter redimi nequiuiſſet. Neceſſe ergo erat, vt vſque ad Saluatoris mortem maneret Beatus Io. in lymbo ſanctorum. Si vero quis obijciat Ioan. Baptiſ. à Chriſto fuiſſe baptizatum, & ob hoc penitus originale deletum, quoniam baptiſmus Chriſti tollit originale, & actualia, ſi ſint. Vnde ſi quis multis mortalibus, et ipſo originali depreſſus baptizaretur, ab omnibus penitus exemptus eſſet, ita vt ſi confeſtim moreretur, ad vitam æternam euolaret. Sed Ioan. Bapt. à Chriſto baptizatus eſt: ergo per illum baptiſmum originalis macula prorſus auferretur, ſicut tollitur in nunc baptizatis, cum ergo moreretur, nihil haberet, quo tenderet in lymbum ſanctorum. Non.n. de beato Ioan. quiſquam aſtruit, nec auderet aſſerere, ꝙ aliqñ mortaliter peccauerit, & huius aliquæ reliquię manerent per Chriſtum redimendæ, pro quibus teneretur expectare mortē Saluatoris in ſinu Abrahæ. Omnes quippe Catholici Doctores aſſerunt Beat. Ioan. nunquam mortaliter peccauiſſe, cum de eo Chriſtus tantum protulerit teſtimonium, ſ. Inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioan. Bapt. vt patet Matth. 11. c. Si tñ mortaliter peccauiſſet, aliquis eo maior ſurrexiſſet, cum de quibuſdam alijs dicatur, quòd mortaliter non peccauerint. Amplius autem Eccleſia ſupponens eum mortaliter peccare non potentem, ait receſſiſſe in deſertum, vt non peccaret ſaltē venialiter in verbo leuiſſimo, vt habetur in quodam hymno ſolemnitatis eius, ſcilicet.

Antra deſerti teneris ſub annis
Ciuium turmas fugiens petiſti
Ne leui ſaltem maculare poſſes
Crimine vitam.

Io. Bapt. nūquam mortaliter peccauit.

Huic autem reſpondendum eſt, ꝙ etiamſi baptiſmus Chriſti antè paſſionem ſuam inſtitutus foret, vt Magiſter ſententiarum in iiij. diſt. iij. inducit: neceſſe eſſet vt Io. etiam hoc baptiſmate lotus ad lymbum ſanctorum deſcéderet, cum antè paſsionem Saluatoris deceſſiſſet. Cauſa huius eſt, quia ſi quis ante paſsionem Saluatoris baptiſmate eius tingeretur, hac lotione ab originali culpa cunctiſq; inquinamentis baptizatus expiabatur, refectus particeps redemptionis Chriſti, non tamen liberabatur penitus antequam Chriſtus mortem ſubiret. Nam fructus paſſionis Chriſti communicari nequibat antequam eſſet: oportebat ergo vt quicunque deceſſiſſet ſic baptizatus antè mortem Saluatoris, ad lymbum ſanctorum deſcéderet. Baptiſmus quippè Chriſti in ſeipſo, vt a ſe tantam non habet efficaciam, vt per eum à delictis emundemur. Sed hanc virtutem dumtaxat habet paſſio Saluatoris noſtri: ipſa quippè veraciter eſt meriti infiniti, ideo per eam vniuerſa delicta ſoluũtur. Hoc autem inducitur: nam ſi baptiſmus Chriſti in ſeipſo hanc haberet efficaciam, vt omnes recipiẽtes illud ſimpliciter, & perfectè emundarentur ab omnibus culpis, tam actualibus, quam originali, & à pœnis pro his debitis, ita vt ſi confeſtim decederent, ad vitæ æternæ gaudia conuolarent, cum iſtud ſacramentum ante Chriſti paſſionem inſtitutum fuiſſet, iuxta ſententiam Magiſtri ſententiarum lib. 4. diſt. 3. poſtquam illud inſtitutũ eſſet, non erat neceſſe, vt Chriſtus moreretur, quoniam quidquid mora illius nobis beneficij allatura erat, iam baptiſmus perfectè contuliſſet. Hoc tamen falſiſſimum eſt, & peruertens totam catholicam poſitionem. Nam alma mater Eccleſia aſtruit nobis peccata condonari nõ potuiſſe, niſi Chriſtus pro nobis pateretur. Sic enim patet Iſa. 53. Cuius liuore ſanati ſumus, id eſt, quòd nos per vulnera benedicti Ieſu ab omnibus maculis, & pœnis liberati ſumus. Nõ ergo habet in ſe hanc efficaciam baptiſmus à Chriſto inſtitutus, ſcilicet, vt per illum ab omnibus eriperemur malis, ſed hæc erat virtus paſſionis mediatoris noſtri Ieſu.

Nullum eſt tam efficax Sacramentum, quod per ſe poſſit peccata diſſoluere, Cap. CXLVIII.

HOc identidem euidens eſt ex eo, quod omnes Doctores catholici, & ſãcta mater Eccleſia cõfitetur, ſcilicet, ꝙ omnia ſacramenta efficaciã receperunt à paſſione Saluatoris: non erat igitur efficacia operis in illis, ſed in paſſione. Dicendũ ergo generaliter eſt, & multũ catholicè, nullũ eſſe tam in nouo, quam in veteri teſtõ ſacramẽtum, per quod per ſe penitus, aut ex parte peccata deleantur. Quod primò apparet in ſacramentis veteris teſtamenti: nam in his cæremonialibus operationibus, ſiue ſacramẽtis nihil erat, per quod totaliter, aut ex parte, per ſe, aut inſtrumentaliter peccatum aliquod deleret, niſi circuncisio. Ceteræ quippe cæremoniales expiationes proficiebant dumtaxat quibuſdam maculis, aut irregularitatibus corporalibus abſtergẽdis, quæ interdum prohibebant homines ab acceſſu ad res ſacras: interdum verò à communicatione populi, & contactu ſacrorũ. Sicut ſæpiſſime habetur in lib. Leuitici, ſcilicet, cap. 11. & vſque ad 17. & in libro Numerorum cap. 5. & 19. atque in multis alijs locis librorum Moyſia. Circuncisio autem, quæ erat ſacramentum veteris teſtamenti, tollebat peccatum originale. Non quidem quòd circuncisio hanc in ſe cõtineret efficaciam, aut ꝙ actus iſte cæremonialis tanti meriti eſſet, vt eam recipientes mererentur omnium culparum, aut ipſius falſitem originalis deletionem. Liberatio autem à peccato originali in veteri teſtamento erat per fidem. Circuncisio quippè in ſe nihil erat, niſi quoddam ſignum diſtinctiuum populi Dei à ceteris populis, quia populus ille à cunctis diſtinctus moribus, & ritibus eſſe deberet, cũ de eo Meſſias naſciturus eſſet, qui etiam populus ad Meſſiam ordinabatur. In eo autem, quòd a Iudæis cæremonialis iſte actus, & caracter circumciſionis ſumebatur in fide futuri Meſſiæ, ad quem iſta fiebant, ſiue iſta

Liberatio à peccato originali in veteri lege erat per fidẽ.

A fides eſſet in manifeſta proteſtatione, ſiue occulta, tollebatur hoc modo originale per circumciſionem ſecundũ fidei meritum Deo hoc agente. Amplius autem apparet, ꝙ per fidem, aut per conuerſionem ad Deum originale magis tolleretur, quàm per circumciſionem. Nam antè datam circũciſionem inter omnes alios homines, peccatum originale tollebatur per primum actum bonum conuerſionis, quem habuiſſent in Deum. Data quoque circumciſione hic idem modus in omnibus gentilibus vſque ad Chriſti paſſionem manſit: non ergo ipſa in ſe circũciſio, ſed magis cõuerſio in Deum, vel fides originalem abſtergebat labem. In ſacramentis autem noui teſtamenti idem dicendum eſt ſcilicet ꝙ ipſa in ſe ipſis non habeãt efficaciam peccatorum delendorũ, & pœnarum ſoluendarum, etiamſi loquamur de baptiſ-

B matis lauacro, & de pœnitentia, quæ nauſtagantium tabula ſecunda eſt, per quæ duo omnia deleri peccata, ſententia omnium catholicorum, nec dubia quidem vllatenus eſt. Quamquam in his differt, quoniam per baptiſmum omnia delentur, ſcilicet, originale cum actualibus, in pęnitentia autem ſola actualia, originale autem nequaquam. Idem autem quantum ad pœnas peccatorum differt. Nam in regenerationis lauacro omnis macula originalis, & actualia abſterguntur: pęnę quoque pro his debitæ ſoluũtur totaliter, ſcilicet, vt ſi quis baptizatus confeſtim decederet, qui antè multa ſcelera patrauiſſet in ſedes æthereas raperetur. In pœnitentia autem omnes actuales culpæ tolluntur, pœnæ tamen pro his debitæ non ſoluuntur, niſi quantum ad quandam particulam, quæ virtute clauium aboletur.

C *Quædam attinentia ad ſuperiora. Cap. CXLIX.*

IN his autem dicendum eſt, ꝙ ſacramentum regenerationis, & pœnitentiæ in ſe ipſis efficaciam nõn habẽt vniuerſorum delẽdorum peccatorum, nec alicuius, aut partis alicuius peccati. Nam baptiſmus nõ eſt tale ens, in quo ſit aliquis actus, vel cæremonia, ſecundum quam deberent peccata dimitti. Quia in ſe nihil habet pro meritorũ, aut naturaliter æquiualens deletione faciendi peccatorum. Paſſio autem benedicti Saluatoris noſtri non eſt, ſicut ſacramenta noui, ac veteris teſtamenti: paſ-

D ſio namque Saluatoris eſt meriti infiniti, quia tolerabat eã, qui erat meriti infiniti, ſcilicet Deus & homo, cuius operatio quælibet infiniti meriti eſt in eo, ꝙ operatio in caritate, quæ eſt ab anima Chriſti, eſt operatio alicuius vniti verbo Diuino ex parte qua trahit infinitatem in merẽdo, ſiue quia ipſum ſuppoſitum operans diuinũ, & non humanum. Peccata autem noſtra ſimul ſumpta, & quæ facta a principio ſunt, & quæ vſque ad finem ſeculorum fient, in ſe verè infinita non ſunt: paſſio autem Chriſti erat in ſe ipſa ſine aliquo adiuncto extrinſeco infiniti meriti, quia erat actus eius, qui poterat in infinitum mereri: ipſa igitur naturaliter talis erat, quæ æquiualeret ad auferendum peccata noſtra, cum maius eſſet bonum in ea, quam malum in peccatis noſtris. Rationabiliter ergo dictum eſt, omnia humana peccata, quæ ab exordio ſeculorum vſque ad terminos omnium ætatum in ipſo die Iudicij, deleri poſſe per paſſionem, quo-

E niam omnia ſimul ſumpta, nec in numero, nec in culpa infinita ſunt. Cum ergo paſſionem Chriſti hic poſueris, culparum verò noſtrarum multitudinem contuleris, maioris ponderis reperietur bonum, quod in paſſione eſt, ſcilicet meritum infinitum, quam malũ, vel culpæ peccatorum noſtrorum. Secundum ergo naturalem exigentiam, habita ratione menſuræ & menſuratı, etiamſi nihil paſſioni Chriſti faueamus, ipſa promeretur, vt pro ea omnia hominum peccata deleantur. Velut ſi quis equum pro formica daret, ex natura apparet conuenienter, & vltra modum ſatisfactum: nam equus in valore tam ſecundum perfectionem ſpeciei, quam ſecũdum rationem vſus nimis formicæ valorem excedit. Habitudo tamen maioris exceſſus eſt ſecundum naturã paſſionis Chriſti ad peccata omnium hominum: nam cum paſſionis Chriſti meritum vere infinitum ſit, peccatorum

Baptiſmus per ſe nõ, neq; pœnitẽtia põt, vt peccata delere poſſit.

Paſſio Chriſti ẽ meritũ infiniti.

catorum autem noſtrorum ſimul ſumptorũ culpæ infinitæ nullatenus ſint, liquet paſſionis Chriſti merita in infinitum excedere mala peccatorum noſtrorum. Quodlibet namque finitum, quantumcumq; magnum ſit, in infinitum exceditur ab eo quod eſt infinitũ. Nec duntaxat hoc de humanis peccatis dixerim, ſed etiã, ſi eis omnium dęmonum peccata coniunxeris, non æquiparabuntur meritis paſſionis Chriſti, quæ quidem infinita ſunt: peccatorum autem mala ſemper manent finita in numero, & culparũ grauitate: ideo paſſio mediatoris noſtri Chriſti Ieſu non ſolum ſuffecit ad redẽptionem peccatorum humanorum, ſed etiamſi cum eis dæmonum peccata iuncta forent: dæmones tamẽ Chriſto moriente redempti non ſunt. Cauſa autem, quare dæmones paſſione Saluatoris redempti non ſunt, cum ipſa vtriſque delendis ſuffeciſſet, eſt, quia rationabile fuit homines redimi, de dæmonibus autem irrationabile foret. Quare autem aut in quo rationabile fuerit homines à Deo redimi, de dæmonibus autem idẽ non fuit, diſputare altiſſimæ fortaſſis ſpeculationis erit. Quoniam hoc dependet ex conditione liberi arbitrij angelici & humani. ſ. an angelicum liberum arbitrium ſemel verſum ad aliquid poſſit ſe conuertere ad contrarium, ſicut de humano eſt, & de fundamentis eius, de quibus decurtandi ſtyli cauſa in præſenti relinquatur. Ponit autem Sanctus Thomas cauſas quinque ſuper 3. Sent. diſt. 1. art. 2. in reſp. ad arg. 5.

Cur dæmones à Paſſione Chriſti non fuerint redẽpti.

Paſſio Chriſti aliquid habet in ſe, quod meretur ſolutionem peccatorum, quod in nullo alio Sacramento eſt compertum. Cap. C L.

Concluſum autem manet ex prædictis, nullam eſſe ſimilitudinem inter Paſſionem Saluatoris, & inter ſacramenta noui & veteris teſtamenti: nam Paſſio Chriſti habet aliquid in ſe, ſecundum quod meretur naturaliter remiſſionem omnium peccatorum. Et adhuc amplius cum contineat meritum infinitum, quod naturaliter præponderat culpis omnibus, quæ naturaliter nec vllo modo ſunt peruerſitatis infinitæ. Sacramenta autẽ in ſe nihil tale habent, quod naturaliter præponderet ad malum, quod eſt in aliquo peccato, ita vt per illud deſtrui debeat: non ergo habent ſacramenta in ſeipſis efficaciam, ſecundum quam omnia, aut aliqua deleantur peccata, quanquam in collatione ſacramentorum vniuerſa abſterguntur delicta. Cum autem vniuerſa alma mater Eccleſia confitetur, & eſt aſſertio Chriſti, per ſacramenta omnia peccata deleri, non eſt ſenſus, quod ſacramenta in ſe aliquam efficaciam continent, ſecundum quam peccata deleantur, & iſta operatio ipſorummet ſacramentorum ſit: ſed eſt ſenſus quod ſacramenta noui teſtamenti ſunt inſtrumenta quædam, quibus nobis merita paſſionis Chriſti, & efficacia communicantur. Virtus nãque, & merita in paſſione Chriſti ſũt, quibus nobis vniuerſa peccata, & interdum in quibuſdam pœnæ peccatorum abſterguntur. Hæc tamen merita communicari nobis nequeunt, niſi aliquibus inſtrumẽtis ad nos deſcendãt. Sacramẽta autẽ ſunt hęc inſtrumẽta, quibus uirtus paſſionis Chriſti in nos deriuetur, in quantum nos ei coniungunt: quoniam Chriſtus eſt caput noſtrum, & habet gratiam capitis ſecundum quã omnia, quæ ipſe facit, proſunt nobis tãquam membris ſuis. Caput autem numquam deriuat virtutem ſuã, niſi in membra vnita ſibi, quia in diſcontinua defluxus eſt impoſſibile. Oportet ergo aliqua eſſe, quæ nos Deo copulent, hæc autem ſunt ſacramentales exercitationes, quæ nos Deo vnitos faciunt atque eius virtutem participantes, Sic quoque de aquis irrigantibus ſuperficiem terræ dicimus: omnis enim aqua, quæ aliquam partem terræ irrigat, ex aliquo fonte originem ſumit, ad loca tamen illa, quæ irrigat, tranſire nõ poſſet, niſi aliqui aquæductus aut aluei torrentum, & fluminum eſſent, quibus ad irrigandum aqua tranſmearet, Eadem autem habitudo paſſionis Chriſti eſt ad ſacramenta noui teſtamenti. Nam omnis virtus ſiue meritum delendorum

Sacramẽta noui teſti ſunt Iſtrumẽta quędã quib. merita Paſſionis Chriſti nobis cõmunicantur.

F noſtrorum peccator à paſſione Chriſti deriuatur; ad nos tamen iſta merita deriuari non poſſent, niſi per inſtrumenta, quæ ſunt ſacramenta. De indulgẽtijs quoque, quas Eccleſiarum prælati concedunt, identidem dicendum eſt, ſiue cum Papa conferat, ſiue cum minores prælati. Quandocunque enim quidquam nobis adimitur de pœna, quam pro peccatis toleraturi eramus, hoc autem oportet, vt de aliquo tollatur, in quo ſuperabundans ſit. Eſt enim hoc de meritis paſſionis Chriſti quæ ſuperabundat ad omnes defectus noſtros, ex meritis quoque ſanctorum, quæ cùm ſatisfactoria eſſent, & ipſis minimè neceſſaria, manſerunt in theſauris Eccleſiæ, cuius diſpenſatio in prælatis Eccleſiarum eſt. Hæc ergo virtus efficax, qua in nobis, per collatas indulgentias à prælatis, partes quædam debitarum pœ-
G narum pro peccatis adimunt, in prælatis non eſt: Quoniam eorum merita non ſufficiunt, vt per ea nobis peccata deleantur, cùm interdum pro ſe non ſufficiunt, potiſſimè cum indigni miniſtri ſunt, ſed eſt virtus à meritis ſanctorum, & paſſionis Chriſti principalius, hæc autem in theſauro matris Eccleſiæ ex benignitate conditoris noſtri cõſeruata manent. Et quoniam prælati ſunt miniſtri, & diſpenſatores Eccleſiæ in theſauro eius, merita paſſionis Chriſti, & ſanctorum deriuantur in nos per ipſos, ſ. cùm ipſi volunt diſpenſare, concedendo nobis partem illorum meritorum. Hoc autem modo communiter loquimur, ꝙ prælati nobis indulgentias tribuunt ad relaxationem quarundam pœnarum, non, qđ ipſi in ſe ipſis hanc virtutem abſolutionis efficacẽ contineant ad pœnas relaxandas, quoniam iſta virtus à paſ-
H ſione Chriſti eſt, ſed dicimus indulgentiam hanc nobis a prælatis concedi: quia virtus paſſionis Chriſti in nos, per eos tanquam per miniſtros, & media deriuatur. Continet ergo in ſe ipſa paſſio Chriſti efficaciam, qua delicta noſtra tollantur: ſacramentum autem nullum hoc continet: ſed duntaxat inſtrumenta quædam ſacra ſunt, quibus in nos virtus paſſionis Saluatoris deriuatur, quæ ſine medijs deriuanda non erat. Et quoniã antè mortem Saluatoris nihil erat, in quo meritum eſſet aut virtus peccatorum delendorum, non poterat ꝑ aliquod ſacramentum deriuari in nos virtus remiſſionis peccatorum. Inſtrumenta quippe in ſe nullam habent virtutem, ſed eam a principali agente recipiunt: quæ ideo ad actionem pertinere dicuntur, quia per ea virtus principalium agentium deriuatur in effectum.
I Velut in aqua irrigante ſuperficiem terræ, ipſa quidẽ alueis ſuis fluminum vel torrentum ducitur ad ea loca, quæ irriganda ſunt, cum tamen in fontali ſcaturigine aqua defuerit, aluei & aquęductus nihil adiumenti præſtabunt ad irrigãdum. Cum igitur baptiſmus ſit inſtrumentum, quo in nos deriuatur omnium culparum plena abſterſio, atque debitarum pro eiſdem relaxatio pœnarum, quæ deriuatio fontaliter à paſſione Chriſti eſt, cuius merita, & efficacia in nos per regenerationis lauacrum deriuantur, cum paſſio Chriſti nõdum præceſſiſſet, nequibat in nos deriuari virtus remiſſionis peccatorum aut relaxationis pœnarum, ſiue in totum, ſiue ad quædam: cũ non ſit aliquid vnde virtus deriuaretur, quamquam ſit aliquid, per quod deriuatio fieret. Velut ſi fonte nondum erumpente aliquis feciſſet
K alueos ducendarum aquarum capaces, quamquam eſſet id, per quod deriuatio fieri poſſet, nõdum tñ quidquam, vnde aquarum deriuãdarum origo eſſet: aut eſſet calamus, & nemo ſcribere potens, aut ſerra, & nullus ſecans, & in hunc modum de ceteris inſtrumentis, ſiue principalibus agentibus: nulla enim hoc pacto actio ſequeretur. Quamquam ergo quiſpiam baptiſmo Chriſti lotus foret ante Chriſti paſſionem, etiamſi eum Chriſtus ipſe baptizaſſet, quod maximum erat, ſi antè eiuſdẽ Saluatoris mortẽ decederet, nõ tollebatur ꝑ hoc pœna debita totaliter pro culpa originali, nec quidq̃ de pœnis peccatorum actualium: ſed ad ſinũ Abrahæ hic deſcenderet, etiamſi cum eo optimè ageretur, quãuis ſuſcepto lauacro baptiſmali in nullo deliquiſſet. Quãquã igitur dicatur beatum Ioannẽ Baptiſtã baptiſ-

Prælati ſunt Eccleſiæ miniſtri.

mate

mate Chriſti lotum fuiſſe, etiã ab ipſo Saluatore, quia A tamen ante eius paſſionem deceſſit, nõ erat baptiſmus tunc tantę efficaciæ, vt eum ab omnibus pęnis debitis pro originali eripuerit. Neceſſe erat igitur, vt decedẽs ad lymbum Abrahæ deſcendiſſet, nec mox anima corpore ſoluta libera poterat æthereas petere manſiones.

De Baptiſmi virtute. Cap. CLI.

NVnc vero Baptiſmus Saluatoris plenam habet virtutem: quia Paſſio Chriſti, a qua trahit efficaciã, iam præteriit: poſſunt ergo iam per eum in nos Paſſionis Dominicæ merita deriuari. Neceſſe eſt igitur, vt nunc ſi quiſquam hoc regeneretur lauacro, & mox anima corporis ſoluatur retinaculo, in ætheream libera felicitatem eat: aut ſi baptiſmate tinctus poſtea nulla B ſe prauæ operationis labe infecerit, decedens Paradiſi amœnitatem mox adibit. Si quis tamen ante mediatoris paſſionem lauacro regenerationis ab eo inſtituto tinctus foret, vſque poſt mortem Saluatoris ſuperſtes factus, non erat opus, immo nec decebat, vt poſt mortẽ redemptoris iterũ baptiſmate lauaretur. Et quamquam baptiſma a principio ſuſceptũ, omnium pœnarum perfectè delendarum inſtim non extiterat, nunc tñ remiſſæ erunt. Et ſi poſt ſuſceptũ baptiſma non deliquiſſet, mox vt corpore ſolueretur, anima in ęthereas itura erat manſiones, ac ſi tunc nouiter baptiſmus poſt redẽptoris paſſionem ſuſceptus foret. Si tamen hic antè paſſionem baptizatus deceſſiſſet ante Saluatoris mortem per duas aut tres horas, ſiue paululum ante quam Saluator C expiraret, neceſſe erat, vt ad lymbum deſcendiſſet, nec mox ſoluta corpore anima cæleſtem incolatum adire mereetur. Iam.n.baptiſmus a paſſione recipere efficaciã poterat, etiamſi præceſſiſſet eam, quamquam pro tempore illo, quo præceſſerat efficaciæ nullius erat, ſicut in aquęductibus patet. Si enim aquæductus ante fontalem ſcaturiginem fiat, inutilis eſt. Si tamen facto aquæductu fontalis origo fluenta emittere cœperit, incipiet aquæductus proficere; & ex eo tempore duntaxat, quo ſcaturigo fontalis ad ſuperiora terræ erupit. Ita & baptiſmus cum ante paſſionem Chriſti efficaciã non haberet, in ipſa cõſumata paſſione ſuum cœpit habere vigorem. Nec ſolum baptiſmus, qui tunc nouiter conferebatur, ſed & qui prius ſuſceptus fuerat, dum tamen is, cui collatus erat ſuperſtes foret. Cauſa autem D diuerſitatis huius eſt, quia baptiſmus, quem quiſpiam ante Chriſti mortem ſuſcepit efficaciã ſuam ante hanc mediatoris mortem non tenuit, cum ex ea deriuetur virtus per omnia ſacramenta. Toto autem tempore, quo iſte baptizatus extitit ante mortem Saluatoris, baptiſmus in eo efficaciam ſuam non tenuit: oportebat ergo, vt ſi hoc toto tempore moreretur, ad lymbum deſcenderet, nondum baptiſmate quicquam efficiente. Cum vero Chriſtus mortuus eſt, cœpit baptiſmus habere ſuam efficaciam: ideo ipſemet baptiſmus alicui collatus, qui ante mortem Saluatoris efficaciæ nullius fuit, poſt eiuſdem mortem efficaciam habebit, vt per illum remiſſio fiat peccatorum.ſ. vt omnes pœnæ, quæ ante remiſſæ nondum erant, remittantur, nam adueniente E paſſione, efficax eſſe cœpit. Quod apparet, quoniam ſi quiſquã ante mortem Chriſti baptiſmate eius tinctus foret, qui mortuo Chriſto ſuperſtes eſſet, ſi huic omnes pęnæ, aut reliquię pęnarum nõ erant ex hoc baptiſmate remiſſę, quod ante paſſionẽ ſuſceperat: neceſſe erat, vt de nouo baptizaretur poſt Chriſti paſſionem, vt in eo baptiſmus ſuam haberet efficaciam. Sed hoc falſum eſt, quoniam baptiſmatis lauacro lotus, rebaptizãdus non erat: neceſſe ergo erat, vt cum quis baptizaretur ante paſſionem Saluatoris, & in eo efficaciam collatum lauacrum tunc non haberet, adueniente paſſione inciperet plenam habere efficaciam. Ita vt eo momẽto quo Saluator moreretur emittens ſpiritum, remittebantur omnes pœnę præteritorum peccatorum ante baptiſmũ. Et ſic in omnibus, qui hoc modo baptizati eſſent.

Si quis baptizatus confeſtim deceſſiſſet ex vita, priusꝗ Chriſtus fuiſſet paſſus, ad lymbũ cõmigrabat.

A *Obiectio contra prædicta, & quædam alia.* Cap. CLI.

FOrtaſſis autem contra ſupradicta quiſquã molietur dicens, baptiſmum a Chriſto ante paſſionẽ ſuã inſtitutum, ante eandem paſſionem plenam efficaciam habuiſſe.ſ. quód ſi quis ante Saluatoris paſſionem baptiſma aſſumpſiſſet, mox omnium iniquitatum actualium ipſiuſque originalis culpæ pœnæ delerentur, etſi eum tunc mori contingeret, in æthereas ſedes cõfeſtim ferretur, ad lymbum ſanctorum non deſcẽdens. Et cũ diceba tur ſacramentis non ineſſe remittendorum peccatorum, atque ſoluendarum pœnarum efficaciam, ſed hæc a paſſione Chriſti proueniunt, atque per ipſa ſacramenta in nos tanquam per inſtrumenta decurrit, & B ſic nondum exiſtente paſſione, per ea deriuari nihil poſſe. Reſpondent, quód quamquam baptiſmus ante paſſionem Chriſti ſuſceptus a paſſione eiuſdem efficaciam nullam ſuſciperet, recipiebat tamen a Chriſto inſtitutore eiuſdem, & hæc virtus ſuſcepta ad plenariam pœnarum atque culparum remiſſionem ſufficiebat de eis, quæ ante baptiſmum patrata forent. Huic reſpondendum eſt, baptiſmum a Chriſto inſtitutum ante paſſionem ſuam ab ipſo efficaciam recipere, nec tamẽ quidem hoc recipiebat, vt per eum in nos omnium pęnarum relaxatio, & culparum fieret abſterſio: ſed tantum tunc ſuſcipiebat a Chriſto inſtitutore, quantum circumciſioni efficaciæ inerat.ſ. vt cęteris remiſſis ad eundum in ſinum Abrahæ maneret obligatio. Hoc autem in acti C bus Saluatoris imperfectionem nullam dicit, aut in ſacramentis ab eo inſtitutis. Nam Chriſtus erat Deus, cui facultas erat remittendi peccata noſtra etiam pro nulla re, aut nihilo præmiſſo, ita vt pro eis nihil pateretur: aut licuiſſe ei peccata noſtra delere imperanti aliquid leuiſſimum facere, vtpote, quód aliquem lapidem oſculemur, aut modicum panis deguſtemus, atque pro his cuique agenti plena fieret peccatorum abſterſio, debitarumque relaxatio pœnarum. Quia tamen Deus iuſtus erat, iuſtitia ſua exegit, vt ne ſic fieret remiſſio peccatorum, ſed deſtinauit, vt nullius peccati plena poſſit fieri remiſſio, donec ipſe humana carne velatus in eorum ablutionem, atque ſolutionem moreretur. Hæc autem fuit inſtitutio altiſsimi diuini conſilij, iuxta totius orthodoxorum poſitionis ſtabilita D tem, & ſacræ ſcripturæ documenta. Exiſtente autem in nobis hoc diuino, atque æterno decreto, impoſſibile erat Chriſtum ſtatuiſſe aliquod ſacramentum, quod ante paſſionem eius ab ipſo virtutem efficacem ſuſciperet peccatorum delendorum, atque omnium relaxandarum pœnarum, ita vt eo ſuſcepto ante paſſionem Saluatoris, ſi mori cõtingeret, mox ad æthereas ſedes, nullo præmiſſo euolandum foret. Et quoniam ab æterno hoc decretum ab infinita diuinæ iuſtitiæ totius ſanctiſſimæ Trinitatis magnitudine exierat, impoſſibile erat baptiſmum ab ipſo inſtitutũ nobis hoc ante paſſionem ſuam conferre, quód per eum vniuerſa peccata, atque peccatorum pœnæ prorſus tollerentur. Amplius autem apparet, nullã ex hoc in actibus Chriſti imperfectionem videri, nec in baptiſmate ab eo inſtituto. Nã E ſicut baptiſma à Chriſto datum eſt, ita & circumciſionem Deus ipſe inſtituit, atque Abrahæ contulit: vt patet Geneſ. 17. capitulo. Si ergo imperfectionem aſtruamus in baptiſmate Saluatoris, quoniam cum ab eo collatum foret ante paſſionem eius, delendis criminibus, atque relaxandis pœnis vniuerſaliter non proficiebat ante eius mortem, fateri conſequenter neceſſe erit, imperfectum fuiſſe Deum: quia ab eo collata circumciſio omnia delicta, cum ſuis pœnis correſpondentibus ante Saluatoris mortem non tollebat. Hoc tamen falſum eſt, quoniam ob hoc Deum imperfectiorem nullatenus facimus: apparet ergo baptiſma a Chriſto collatum non habuiſſe ante paſſionem eius efficacem virtutem tollendorum peccatorum omniũ, ſimul cum omnibus pęnis debitis, & conſequẽtibus ipſa peccata, nec ex hoc aliquam eſſe imperfectionem in Chriſto inſtitutore,

tutore,aut in baptiſmate ab eo inſtituto.Ideo quãquam F beatus Ioannes baptiſta à Saluatore noſtro regeneratus foret:quia tamen antè eius paſſionem deceſſit,ad lymbum ſanctorum deſcendere cogebatur, cum non poſſet liber ad ſedes æthereas tranſuolare.

Sacramenta ex ſe ipſis nullam efficaciam habent delendorum peccatorum,niſi quatenus inſtrumenta quadam ſunt.
Cap. CLIII.

NVnc verò, vt in ſuperioribus inſerebatur, dicendum patet, paſſionẽ Domini Ieſu ſolam eſſe, quæ omnium peccatorum abſtergendorum,& pœnarum relaxandarum in ſe ipſa virtutem habet efficacem, & ſuperabundantem,atque per ipſa cuncta delicta humani G generis ſufficienter expiata ſunt. Sacramenta verò in ſe efficacem virtutem alicuius culpæ,aut debitæ pęnæ relaxandæ non habent, ſed duntaxat inſtrumenta ſunt, quibus in nos virtus,& merita paſſionis deriuantur, vt redemptionis atque remiſſionis peccatorum,& vniuerſarum pœnarum efficaciam capiamus. Eſt autem nunc dicendum,quòd quanquam baptiſmus à Saluatore inſtitutus remiſſionis peccatorum, & pœnarum in nobis inſtrumentaliter efficax ſit, tamen nõ erat neceſſarium, vt poſt paſſionem Saluatoris conſerretur,per quam plena peccatorum, atque pœnarum abſterſio, & relaxatio facta erat. Nam non exiſtente baptiſmo fuiſſet modus alius, quo originalis macula deleretur, & actuales, ſi quæ præceſſiſſent,atque omnes pęnæ conſequentes tollerentur, ſicut in omnibus hominibus ab orbe condito H fuit in prima,& ſecunda ætatibus ſæculi, vſque ad datã circumciſionem Abrahæ.Et ſicut in gentilibus poſt datam circumciſionem vſque ad mortem Saluatoris, & publicatum Euangelium manſit. Hi namque vel mox nati ab originali culpa fidem parentum liberabantur, aut ſi in parentibus fides non foret, manebant in culpa originali, vſq; ad ætatem ſecundum diſcretionem operari potentem,in qua per primum actum bonum,quem in Deum conuerterent, remittebatur eis originalis culpa,atque reatus. Et ſi poſt hoc, nihil vſque ad mortem delinquerent, ad lymbum Abrahæ deſcendentes ferebantur. Nondum enim plena fieri poterat omnium pęnarum debitarum pro peccato remiſſio, quouſque Saluator mortem ſubiret, cuius amariſſima paſſione vniuerſa auferrentur delicta, atque pœnæ ſoluerentur, & I pateret ianua paradiſi.Sic enim & adhuc perfectius accidiſſet in nouo teſtamento,non dato regenerationis lauacro:quoniam paruuli fide parentum ab originali macula expiarentur.Aut ſi quouis modo inexpiati manſiſſent,cum peruenirent ad ætatem ratione vti potentem, per primum actum conuerſum in Deum hæc abſtergerentur,quæ prius fide parentum eluenda erant.Hoc autem,quia nõ erat peioris conditionis,tempus quod erat ſub nouo teſtamento, quam tempus aliorum ſtatuum ſeculi.Si ergo in hominibus,qui erãt extra legẽ Moyſis in primo actu,quo in Deum conuertebantur remittebatur originale, conformiter & adhuc rationabilius in nouo teſtamento,vel paruulorum maculas fides parentum aſſumeret,aut cum ad ætatem rationis capacẽ peruenirent, actibus horum in Deum relatis tollerentur. K Sic enim futurum eſſet, niſi Chriſtus ſpecialiter eluendis originalibus maculis regenerationis lauacrum inſtituiſſet.Nec quidem dũtaxat hoc fuiſſet in ſtatu noui teſtamenti in deletione originalis maculæ, quod in antiquorum ſtatu præceſſerat, ſcilicet, vt cum quis ſe in Deum conuerteret, macula ſolueretur originalis, manente obligatione deſcendendi ad ſinum Abrahæ. In ſtatu tamen noui teſtamenti mox, vt in Deum conuerſio facta eſſet, macula deleretur, atq; omnis tolleretur obligatio eundi ad ſinum Abrahæ:ſed ſi permaneret in eo ſtatu vſque ad mortem,mox vt anima à corpore ſolueretur libera cælum petitura erat: quoniam iam tranſierat mors mediatoris,per quam omnia peccata,atque eorundem pœnæ ſublatæ erant.

Quod Chriſtus ſacramentum baptiſmi nobis reliquerit.
Cap. CLIV.

QVanquam autem à peccato originali in ſtatu noui teſtamenti modo ſupradicto ſine ſacramentis inſtitutis eripi potuiſſemus,inſtituit tamen Chriſtus regenerationis lauacrum. Quod tribus rationibus factum videtur,quibus rationabile viſum eſt baptiſmatis debere inſtitui lauacrũ.Prima quippe, quoniam etſi in nouo teſtamento actibus conuerſionis noſtræ in Deũ,aut fide parentum in parua ætate macula originalis,vt in prioribus ſeculis deleri poſſet: quia tamen erat vnus Dominus ſpecialius legiſlator noui teſtamenti, decuit q; vnum determinaret actum, quo macula originalis abſtergenda foret.Iſte verò actus fuit baptiſmus. Irrationabile nec parum videbatur vno legis conditore exiſtente homines ſubiectos ei varijs ritibus circa idem viuere, & operari cuilibet prout in mentem veniret. Congruentius ergo fuit baptiſmum inſtitui,quo omnes ſub lege Chriſti manentes, ab omni originali macula, & omnibus conſequentibus pœnis liberarentur,quã q; cuilibet permitteretur agere,vt ei in mẽtem veniret ad hanc maculam abſtergendam. Hunc autem modum Deus tenuit in veteri teſtamento: nam etſi homines ab originali reatu liberari potuiſſent eo modo,quo liberati fuerant in præcedentibus ſeculis ante datam circũciſionem,ſcilicet accedentes ad diſcretionis ætatem primo actu recto à macula ſoluerentur originali: quia tamen ipſe populi Hebraici legis conditor erat,inſtituẽs ei agendi normam, voluit certum atque diffinitum date modum,quo omnibus Iudæis originalis culpa eluẽda eſſet. Hic autem fuit circumciſionis modus, ad quẽ omnes tunc Iudæi obligabantur,nec poterant aliter maculam illam auferre,cum lex eos ad certũ agendi obligaſſet modum.Quod ſi quis obijciat,conuenientius eſſe,quod in prima ætate,atque ſecunda ſeculi, ante datam circumciſionem erat,quam id,quod nũc,quoniam ibi multis modis originalis maculæ patebat remediũ, nunc vero vnico. Reſpondendum eſt, hoc non ideo fuiſſe tanquam ſtatus ille conuenientior, atque perfectior foret: ſed quoniam imperfectior erat lege carens, nec poterat eſſe determinatus ad aliquid, cum nullus legis conditor decreuiſſet. Nondum enim Deus vllam hominibus agendi, aut viuendi normam dederat. Vt autem non maneret in eis macula originalis, conceſſerat, vt per quemcunque actum rectum conuerſionis in Deum hæc macula tolleretur.

Inſtitutionis baptiſmalis lauacri in nouo teſtamento alia cauſa. Cap. CLV.

INſtitutionis Baptiſmalis lauacri in nouo teſtamento, ſecunda extitit cauſa, vt ſignum eſſet diſtinctiuum Chriſtianorum à ceteris Gentilibus alterius ritus.Nam quamquam lex Euangelica vniuerſalis eſſet toti orbi data, omneſque ad ſui obligans obſeruationem, quia tamen Chriſtus prænouerat non conuertendas ad illam omnes gentes, rationabile fuit dari aliquod ſignum diſtinctiuum quo Chriſti cultores, quos Chriſticolas,aut Chriſtianos appellamus,à ceteris gentibus diſtinguantur. Nulla quippe gens,aut populus eſt,quæ ſe ſalutem conſecuturam cõfidat in regenerationis lauacro,præter populos Chriſticolarum. Simile autem fecit Deus in veteri teſtamento circũciſionem inſtituens in fœdus cũ Iudæis, & tanquam ſignum diſtinctiuum, quo Iudæi à ceteris gentibus ſegregari viderentur, ſicut colligitur Gen.17.c.& ad Romanos c.4.Fuit igitur conueniens in nouo teſtamento,ſignum aliquod dari,quo Chriſtianis à ceteris gentibus diſtinctio vlla pateret,hoc autem ſignum baptiſmus fuit.nulla namque gens præter Chriſtianos hoc tingitur. Tertia autem ratio eſt inſtituti baptiſmatis magnum periculum in eis,quibus originalis macula abſtergenda foret. Nam in gentilibus ab exordio orbis cõditi vſque ad mortem Saluatoris nemo ab originali macula ſolui poterat,quouſque ad ætatem ra-

Baptiſmus diſtiguit Chriſtianõs ab infidelibus.

tionis

tionis capacem perueniret, in qua actibus ſuis liberaretur, vel in parua ætate merito fide parentum fieret huius abſterſio. Quod ſi aliquo horum modorum non deleta originali macula quis decederet, in æternum damnabatur, quod magnam præſentibus difficultatem ingereret. Nam cum de his, qui hac ætate viuunt, multi, antequam ad adultam aut plene rationis capacem ætatem perueniant, moriantur, plurimi cum originali macula decederent, atque æternaliter damnarentur. Hoc autem inextricabile malum erat. Decuit ergo, vt Chriſtus legiſlator noui teſtamenti aliquid ſtatueret, quod non ſolum eis, qui ætatem attigiſſent adultam, ſed eis quoque qui nati nouiter erant, remedium eluendi criminis, atq; inueniendæ ſalutis haberet. Hoc autem Baptiſmus eſt: quo non tantum eis, qui ætatem rationis capacem attingentes actibus ſuis mereri poterant, ſed eis quoque qui recenter nati eſſent abſtergendæ originalis maculæ ſufficiens remedium paratur. Et non ſolum eis, qui nati ſunt, baptiſmus confert, ſed eis quoque qui cum naſci cœperunt, partim egreſſi ex vtero, partim vero intra materna manentes viſcera aliquid principale corporis foris exerunt, in quo baptizari poſſunt. Nam ſi hi ſic baptizati, nondum perfecte egreſſi ab vtero, moriantur, a culpa originali abſoluti in æternæ fœlicitatis habitacula tendunt. Id autem, in quo puer nondum egreſſus ex vtero, ſed quandam foris corporis partem proferens baptizari poteſt, caput eſt, quod eſt principalis corporis pars, ſi vero manum ſolam infans protulit, baptizari nequibit.

Infans aliqua tantũ parte eius ex vtero matris emiſſa baptizari pôt, ſed non quæcunque.

Eminentia Baptiſmi ſuper Circumciſionem. Cap. CLVI.

IN hoc autem excellẽs valde eſt Baptiſmus ſuper circumciſionem: quia in circũciſione originalis macula abſtergi poterat, ſed vſque ad diem octauum nõ fiebat, vt patet Gen. 17. poterat autem interim quiſpiam mori, qui neceſſario damnabatur, qm nondũ ei originalis macula ablata erat. In ſacramento autẽ regenerationis nullum diem ad cõferendum illud paruulis expectare tenemur, nec horam: ſed mox, vt quis natus eſt, baptizari poteſt: Nec ſolum, poſtquam natus eſt, ſed & antequam plene ex vtero egreſſus ſit, dum tamẽ principalior pars ſcilicet caput egreſſa ſit. Sciendum autem, ꝙ modus auferendi originale peccatum in Iudæis non fuit vnicus, Circumciſio quippe abſtergendæ maculæ originali in maſculis profuit, in fœminis vero nequaquã, cum eius capaces non eſſent propter carentiam membri, in quo fieret circumciſio. In hoc etiam magna eſt baptiſmi ſuper circumciſionem excellentię dignitas. Nam baptiſmus æque fęminis, vt viris ad emundationem à crimine proficit. Fęminæ autem inter Iudæos, quia peioris conditionis ꝙ viri eſſe non debebant, habebant purgationis ſuæ modos quoſdam: in quo quidam dicũt peccatum originale dupliciter remitti debere. ſ. vel actu aliquo in diſcreta ætate, qua ſe agẽs in Deũ cõuerteret, aut aliquo cæremoniali actu, hoc efficiendũ erat, qui haberet ex diuina inſtõne efficaciã remittendorũ criminũ, & potiſſimẽ originalis maculæ. Primus horũ modorũ abſtergendæ originalis maculæ in prima, & ſecunda ætatibus ſęculi manſit, cũ nondum circumciſio data eſſet; manſit quoq; in gentilibus vſq; ad Chriſti paſſionem. Tpe aũt datæ legis veteris, & circumciſionis non manebat modus iſte Deo dante quaſdam ſpeciales cęrimonias, quibus maculæ abſtergerentur. Et quia viris auferebatur macula originalis in cęremoniali actu circũciſionis, neceſſe erat aſſignari aliquem alium cęrimonialem actum, in quo fęminis eadẽ macula tolleret, qđ eſſe aſtruunt in primis cęrimonijs, quas Deus fieri iuſſit natis fęminis. ſ. in oblationib. in lege ſtatutis cũ fęminæ naſcerentur. Nã cũ aliqua fęmina ſuſcepto ſemine maſculum peperiſſet, erat immunda ſeptẽ dieb. iuxta dies ſeparationis mulieris mẽſtruatę, & circumciſo puero in octauo die, manebat triginta tribus diebus in ſanguine purificationis ſuæ, & ſimul erant quadraginta, in fi-

Modos abſtergẽdi originale ĩ Iudęis multiplex fuit.

Hæc opinio. cap. ſequen. reijcitur.

A ne quorum veniebat pariens in ſanctuarium offerens agnum anniculum, vel par turturum, aut duos pullus columbarũ. Si verò fęmina naſceretur mater ſtabat octuaginta diebus in purificatione poſt partum, & completis illis offerebat idem ſacrificium, quod in puero nato, vt habetur Leuitici 12. ca. In hoc autem ſacrificio facto pro fœminis dicebant hi earum maculam originalem aboleri: fiebat ergo in pueris natis originalis peccati deletio die octauo, in fęminis verò per ſacrificia in octuageſimo.

Circumciſio fieri non poterat ante octauum diem Cap. CLVII.

DE Circumciſione autem quanquam forte vtilius fuiſſet die primo fieri nato puero quàm expectari B octauum, vt qui ante octauum moriebantur, æternaliter non damnarentur, non tamen permiſſum eſt fieri ante diem octauum, propter periculum circumcaſorum paruulorum. Graue quippe diſcrimen erat puerum recenter natum prima die circumcidi in tanta carnis teneritudine, plurimi quippe illorum morerentur effuſo illorum ſanguine: in octauo autem die ſunt aliquantulum duriores: ideò non fuit tunc periculum circumcidendi. Quod autem in fœminis, natis à data circumciſione ex Iudæis vſque ad mortem Saluatoris, & publicatũ Euangelium, aliquod abſtergendæ maculæ originalis eſſet remediũ, nulli ſub ambiguo fuerit, alioquin neceſſe erat, omnes perire non habentes a Deo inſtitutum remedium, quod eius bonitati non parum repugnat. Sed modus, quem tribuunt præcedentes, ſcilicet, per cęrimonias ſacrificiorum factas die octuageſimo in eis originalem C abſtergi maculam, & ante hoc nequaquam, ſtare nequit. Primo quidem, quoniam nimis longe meta auferendæ maculæ eis præfixa erat, antequam plurimas fęminarum mori cõtingeret, & æternaliter damnari. Sed nec in hoc nimis inſiſtendum eſt, cum in gentilibus, qui fide parentum non iuuabantur, longior eſſet terminus remiſſionis, ſcilicet in ætate capaci rationis. Sed quoniam poſitio horum obſtat poſitioni ſanctorum, quæ, dempta eorum auctoritate, cui eſt nimis ſtuendum, adhuc rationabilior eſt. Dicunt enim in eis, qui naſcebantur de Iudæis per circumciſionem deleri originale, ſi viri eſſent, in fęminis vero per fidem parentum, & præcedentium poſitionem confutant. Eſt enim poſitio iſta beati Gregorij & habetur. 4. Sentent. diſtin. 1. cum dicit. Quæritur de viris, qui D fuerunt ante circumciſionem, & de fęminis, quæ fuerũt ante & poſt, quod remedium contra peccatum haberẽt. Quidam dicunt ſacrificia, & oblationes eis valuiſſe ad remiſſionem peccati: Sed melius eſt dicere, illos, qui de Abraham prodierunt per circumciſionem iuſtificatos; mulieres vero per fidem, & operationem bonam, vel ſuam, ſi adultæ, vel parentũ, ſi paruulæ. Amplius autem, quod dicunt de ſacrificijs, per quæ originalis macula in fœminis tolleretur, non tenet: nam ſacrificium, quod in die octogeſimo mulieris parientis fęminam fiebat, non erat ad emundationem conceptæ, & natæ prolis, ſed ad purificationem parientis & pro ea orabatur, & non pro puella nata. Sic patet Leuitici 12. Cum dicitur. E Cumque expleti fuerint dies eius, ſiue pro filio, ſiue pro filia deferet agnum anniculum in holocauſtum, & pullum columbæ, ſiue turturem pro peccato ad hoſtiũ tabernaculi teſtimonij, & tradet ſacerdoti, qui offeret illa coram domino, & orabit pro ea. & ſic mundabitur à profluuio ſanguinis ſui. Item ſtare nequit, quoniam in infantulis in veteri teſtamento tollebatur macula originalis in octauo die circumciſionis, & tamen die quadrageſimo purificationis matris offerebantur eadem ſacrificia, quæ offerebantur, quando fœmina naſcebatur: ergo non offerebantur ad deletionem culpæ originalis: nam tunc pro natis infantulis nihil horum offerretur. Dicendum ergo, hæc ſacrificia nihil conferre pueris natis, aut fœminis, nec ad hoc fieri, vt prodeſſent: ſed pro parientibus expiandis duntaxat erant. Sed in fœminis natis de Iudæis poſt datam circumciſionem macula originalis per fidem parentum tollebatur mox, vt naſcebantur.

Vnde

Vnde melius cum eis, quàm cum infantulis agebatur, vt F præmiſſis expoſitum eſt.

Alia eminentia baptiſmi ſupra circumciſionem. *Cap. CLVIII.*

ADhuc autem quiſquam dicet aliam ineſſe ſacramento regenerationis excellentiam ſuper circumciſionē, ſcilicet, quòd baptiſmate loti ab omnibus culpis, pœnis debitis, vel qualitercunque conſequentibus abſoluebantur, ita vt ſi quis baptizatus confeſtim decederet, ad vitam æternam conuolaret. In circumciſione autem ſecus erat: nam decedens non euolabat mox vt decederet ad felicitatem paradiſi, etiamſi nihil labis poſt aſſumptam circumciſionem in ſe ſuſcepiſſet, ſed ad ſinū Abrahę deſcendebat. Ad hoc autem reſpondendum eſt, G ꝙ baptiſmus eſt ſacramentum in multis excellens circumciſionem, vt expoſitum in præcedentibus eſt, in hoc tamen non excedit. Nam quamquam, qui ſuſcepto baptiſmali lauacro decedunt, mox vitæ æternæ gaudia aſſequantur, & qui tempore veteris teſtamenti ſumpta circumciſione decedebant ad ſinum Abrahæ prius ferebātur, vitam æternam vſque ad Chriſti paſſionem nequaquam conſecuturi, tamen hoc non proueniebat ex viribus baptiſmatis, & defectu circumciſionis: ſed ex conditione ſtatus temporis, in quo baptiſmus obligauit, & in quo circumciſio vigorem ſuum tenuit. Tempus quippe circumciſionis fuit, poſtquam ipſa Abrahæ collata eſt, vſque ad Chriſti paſſionem: tunc enim vigorem ſuum tenuit. Toto autem hoc tempore, quia nondum fuerat paſſio redemptoris, per quam omnium peccatorum, & debitarum pęnarum plena remiſſio fit, impoſſibile erat per regulam diuini decreti ſupra datam alicui peccati pœnam prorſus tolli, etiamſi multa ſacramenta ad hoc eſſent. Baptiſmatis autem tempus eſt poſt paſſionem mediatoris, per quam plenaria remiſſio fit peccatorum, à qua baptiſmus efficacem virtutem habet, ita vt per ipſum omnia peccata, & eorum pœnæ tolli poſſint. Si tamen baptiſmus fuiſſet à principio datæ circumciſionis cum ipſa circumciſione, ita vt ambo eſſent ſacramenta abſtergendi originalis cauſa data, neutrum eorum omnimodam feciſſet remiſſionem, ſed habuiſſet baptiſmus ſolum eandem virtutem, quam dicimus à principio habuiſſe circumciſionem. Quod patet in eo, quod probatū eſt de his, qui ante Chriſti paſſionem baptizarentur eius baptiſmate, & decederent, quoniam ad ſinum Abrahæ I deſcendebant, ſicut ſi circumciſi forent, nec magis proficiebat baptizari, quàm circumcidi: quia nondum exiſtēte paſſione Saluatoris, non poterat per aliquod ſacramentum plena fieri remiſſio. Eodem modo, ſi circumciſio nunc cum baptiſmo duraret, ita quòd non excluderetur propter tempus noui teſtamenti, neceſſe erat, vt eandem haberet efficaciam, quam baptiſmus. Nam ſi nunc circumciſio excluſa non eſſet, ſed haberet efficaciam, quam habuit ab antiquo ante mortem Saluatoris, tolleretur peccatum originale, ſicut à principio tollebatur, cum data eſt. Tunc ſi quis ſuſcepta circumciſione moreretur, quæritur an iret ad ſinum Abrahæ ſic à principio, an mox ad vitam æternam conuolaret. Si enim ad vitam æternam ſic circumciſus aſcenderet, nihil differt baptiſmus à circumciſione, ſed eadem vtrique vis efficiendi eſt. Si autem dicatur, circumciſum, primò ad ſinum Abrahæ deſcendere, ſtare nequit, quoniā tunc poſt mortē Chriſti maneret ſtatus ſinus Abrahæ: quod ſupra improbatum eſt: nā Chriſtus moriens omnes, qui ibi erant eduxit. Similiter qui ibi manebant, ob hoc ſolum erant, quia Chriſtus redempturus eos, nondum mortuus fuerat: mortuo ergo Saluatore neminem illuc deſcendere contingens erat: Nam tunc nunquam inde educeretur. Sic ergo dabitur, quòd circumciſus mox decedens ad vitam æternam conuolaret, quod eſt æquale baptiſmo. Similiter autem ſi baptiſmus fuiſſet à tempore datæ circumciſionis, vſque ad Chriſti mortem perſeuerās, & circumciſio ſola poſt mortem Saluatoris permaneret; accidiſſet penitus è contrariò, ſ. vt baptiſmus nunquam

Statim moriens poſt baptiſmum tendit in paradiſū nō aūt is ꝗ ſtatim poſt circumciſionem decedebat.

Quò circumciſus nunc moriens ſe āferret.

habuiſſet vim omnium peccatorum delendorum, & pęnalitatum ſuarum ſimul, & circumciſio quantum ad vtrunque plenam haberet efficaciam. Ergo baptiſmus nō habet aliquid ſuper circumciſionem ex ſe ipſo, aut ex virtute collata ei per inſtituentem, ſed ex conditione ſtatus temporis in quo manet. Quæ dicta ſunt, patet: quoniam ſi baptiſmus datus foret tempore datæ circumciſionis, & maneret ſolum vſque ad Chriſti paſſionē, non poſſet tollere omnem culpam cum pęnalitatibus conſequentibus, quia vis tollendi hoc proueniebat ex paſſione Chriſti, quæ nondum fuerat. Patet etiam cum probatum eſt de illis, qui baptizabantur à Chriſto, ſi ante paſſionem ſuam decederent, ꝙ deſcenderent ad ſinū Abrahæ. De circumciſione autem ſi maneret ſola poſt paſſionem Chriſti, quòd efficeret plenam peccatorum, & pœnarum ſolutionem, apparet, & quod decedentes confeſtim irent ad vitam ęternam. Nam cùm per eam ſaltem tolleretur culpa peccati originalis, ſicut à principio inſtitutionis eius tollebatur, ſolum maneret obligatio circumciſis ad deſcendendum in ſinum Abrahæ, ſicut ante paſſionem Chriſti manebat, ſed ad ſanctorum lymbum poſt Chriſti mortem nemo deſcendit, ergo circumciſi confeſtim decedentes, ſi nunc circumciſio maneret, ad vitam æternam conuolarent. Præter hoc autem amplius patet, quoniam aliquod tempus fuit, in quo baptiſmus non efficit plenam peccatorum ſolutionem, atque pœnarum, ſed baptizati ad ſinum Abrahæ deſcendebant. Aliquod quoque tempus fuit, in quo circumciſi ſolum confeſtim ad vitæ ęternæ gaudia ferebantur: ergo circūciſio baptiſmum excelleret, hoc tamē ex ſolius tempo- H ris conditione erat. Primum patet, quoniam beatū Ioan. Bapt. à Chriſto baptizatum dicimus, ipſe tñ ad ſanctorum lymbū deſcendit, qm̄ ante Chriſti paſſionē deceſſit, oēs quoq; confitentur eum illuc deſcendiſſe. De ceteris autem, qui Chriſti baptiſmate tincti ſunt, & ante paſſionem eius deceſſerunt, idem dicendum patet: qm̄ nemo ſine Chriſti paſſione plenè poterat emundari, ipſa tamen nondum fuerat. Quod verò aliqui ſolum circumciſi, confeſtim decedentes ad æthereas conuolarent ſedes, apparet: nam pueri, qui poſt Chriſti mortem ante Euangelij publicationem inter Iudæos circumciſi ſunt, atque deceſſerunt in ſtatu illo, neceſſe eſt, vt confeſtim liberi ad vitæ ęternæ gaudia tranſmearent. Nam circūciſio adhuc vires tenebat ſuas, quouſque Euangeliū publicatum eſt: quādo omnia legalia prorſus abolita ſunt, ergo circumciſis poſt mortem Chriſti ante publicatum perfectè Euangelium remitteretur culpa originalis. Si ergo tunc morerentur, aut mox vitam æternam aſſequerentur, aut in ſinum deſcenderent Abrahæ. Dici autem nequit, quòd in ſinum Abrahæ deſcenderent: ergo mox in vitam æternam conuolarent. Antecedens patet, quia ſtatus lymbi ſanctorum fuit ante Chriſti mortem, poſtea verò nullus ibi fuit, vt ex prioribus patet.

Ioannes Baptiſta baptizatus à chriſto fuit.

Quędam attinentia ad ſuperiora de vi circumciſionis. *Cap. CLIX.*

ADhuc autem amplius iſta fulciuntur: quia circumciſio tenuit omnes vires ſuas, & alia cęremonialia K veteris teſtamenti aliquas vires habuerunt vſque ad publicatum Euangelium, & declaratum deberi obſeruari ab omnibus: quanquam non obligabant eos, qui exiſtimabant legem Euangelicam nondum publicatam eſſe ſeruandam, & non Moſaicam, ſed ad habere vires ſuas nihil differebat, quia ſicut à principio datæ circumciſionis, qui eam ſuſciperet ab originali mundabatur, ita & tunc. Hoc dato ſi circumcideretur aliquis poſt Chriſti mortem per duos, vel tres dies, aut toto tempore, ante publicatum Euangelium, & circumciſus confeſtim moreretur: tunc aut iſte confeſtim ad Paradiſi ſęlicitatem tendebat, aut ad lymbum ſanctorum deſcendebat. Si enim dixeris eum confeſtim in Cœlum tranſuolare, conſequens erit circumciſionis tantam eſſe efficaciam, ſicut baptiſmi, ſcilicet vt circumciſi ab omnibus culpis, atque culparum pœnis liberentur, & ad vitæ æter-

næ

næ tranſeant manſiones. Si verò dixeris ad ſinum Abrahæ eum deſcendiſſe, ſtare nequit: quoniam locus iſte non fuit conſtitutus, tanquam aliquarum animarum æternum receptaculum: ſed tanquam temporale detentiuum, ſcilicet, vt animæ bonorum virorum vſque ad Paſſionem Chriſti ibi manerent. Anima ergo eius, qui circumciſus, & confeſtim mortuus poſt tres dies à morte Saluatoris, aut ante publicationem Euangelij ad lymbum ſanctorum deſcendere, non poterat, cum per Paſſionem Redemptoris omnes inde educti fuiſſent, vt in prioribus probatum eſt. Cum igitur cuncti, qui præfuerant in ſinu Abrahæ, inde educti fuerant, quomodo hic nouiter illuc deſcenſurus erat? Item ſi huiuſmodi anima ad ſinum Abrahæ deſcendiſſet, quando inde liberanda erat, non videtur: nam Chriſtus non erat iterum moriturus, vt de ſinu Abrahæ animas denuo exiſtentes liberaret, ſed nullus alius terminus videtur, in quo Deus inde educere debuiſſet animas, quæ nouiter illuc irent poſt Chriſti Paſſionem, non ergo vllatenus dici poteſt aliquam animam poſt Chriſti Paſſionem ad ſinum Abrahæ deſcendiſſe. Sic enim tota Orthodoxorum tenet Eccleſia. Nequaquam ergo dici poteſt Iudæum, qui poſt tres, aut quatuor dies à Paſſione Chriſti circumciſus, aut ante publicatum Euangelium confeſtim moriebatur, ad ſinum Abrahæ deſcendiſſe: Amplius autem, nec dici poteſt hunc ad gehennam deſcendiſſe damnatorum: nam locus iſte eorum eſt, qui mortalibus actualibus patratis impœnitentes decedebant. Nec dici poteſt hunc ad loca purgatorij ignis deſcendiſſe: eſt enim purgatoria ſedes his duntaxat aſſignata, qui mortalibus infecti aliquando doluerunt, inexpleta tamen ſatisfactione, aut nondum cœpta deceſſerunt. Hic autem de quo ſermo eſt, actuale quid committere nequiuit, cum eſſet puer duntaxat octo dierum ſcilicet quando circumciſus, & pariter mortuus eſt: ergo in gehennæ incendia, aut purgatorios ignes deſcendere non debebat. Ad lymbum quoque puerorum iſte deſcendere non poterat: ibi enim duntaxat externa, atque interior tenebra cruciat eos, qui in originali culpa deceſſerunt: hic tamen poſt Chriſti Paſſionem per biduum, aut triduum, aut ante publicatum Euangelium circumciſus mortuus eſt: ergo ad lymbum paruulorum deſcendendum ei nequaquam erat, cum non maneret originalis macula. Quod verò circumciſio collata huiuſmodi paruulis originalem auferret maculam, neceſſe eſt, cum à principio hoc efficeret, niſi dixerimus tempore Paſſionis Chriſti nullas penitus circũciſioni manſiſſe vires, quod falſum eſt, vt ex prædictis liquet. Amplius autem neceſſe eſt, vt circumciſioni ſuæ manerent vires vſque ad Euangelium plenè publicatum per vniuerſum orbem. Nam baptiſmus, & vniuerſaliter tota lex Euangelica omniſque humana ſanctio obligandi vires nequaquam ſortitur, quouſq; promulgetur: oportebat igitur, vt dum lex Euangelica non obligabat, Moſaicæ legi priſtinæ remanerent efficiendi vires: alioquin daretur neceſſariò, quòd vna non ſucceſſiſſet alteri: nam ſucceſſor prædeceſſoris iura immediatè conſequitur. Hoc autem patet, quia fuiſſet tempus medium inter legem Euangelicam, atque Moſaicam: in quo nec lex Moſaica quidquam proficeret, nec lex Euangelica quemquam obligaret, ſed hoc abſurdum eſt, potiſſime cum Euangelica lex maiorum teſtimonio veteri teſtamento ſucceſſerit. Neceſſe eſt ergo profiteri legem Moſaicam tamdiu efficiendi, etſi non obligandi vires ſuas tenuiſſe, quouſque Euangelica veritas plenè toti orbi promulgata, & diuulgata eſt, atque obligare cœpit. Cum verò lex noui teſtamenti obligare cœpit, vetus teſtamentum cœpit nullas nec efficiendi, nec obligandi habere vires: non enim ſtabat, vt obligante lege Euangelica omnes gentes aliqua alia efficiendi vires haberent. Eſſet enim hoc ſuperuacuum, cum cærimonijs noui teſtamenti omnia neceſſaria pleniſſime efficerentur, & ad has cogeremur, manerent autem cæremoniæ alterius legis proficere potentes, & nulli vnquam proficerent. Non ergo erat rationabile, vt lege Euangelica incipiente vniuer-

A ſaliter obligare, lex veteris teſtamenti, aut alius viuendi modus vllas haberet vires. Illatum ergo ex prædictis manet, quòd Iudæus, qui per biduum, aut triduum poſt mortem Saluatoris circumciſus moreretur, aut ante plenè promulgatum Euangelium, ad ſinum Abrahæ deſcendere non debebat, nec ad incendia gehennæ, aut purgatorios ignes, aut lymbum paruulorum tenebram: ergo vitæ æternæ gaudia mox conſecuturus erat, cum nulla alia animarum à corpore ſolutarum maneant receptacula. Concluſum quoque ex prædictis patet: aliquod fuiſſe tempus, in quo circumciſio omnem abſtergebat maculam, & tollebat pœnam, & circumciſi mox decedentes ad vitam ęternam conuolabant, ſicut nunc in baptiſmo fit. Hoc autem fuit totum tempus ab ea hora, qua Chriſtus animam emiſit in Cruce vſque ad per- [Determinatio p̃miſſæ q̃nis 152. cap.]
B fectam publicationem Euangelij, cum omnia cęrimonialia veteris teſtamenti vires ſuas perdere inceperunt. Et ſic patet quod intentum erat ſcilicet quòd quanquã regenerationis lauacrum excellentius ſit circumciſione, non erat tamen maioris dignitatis in hoc, quòd per baptiſmum omnium peccatorum, & pœnarum plena fiebat remiſſio, & vitæ æternæ ianua pandebatur, quod non erat in Circumciſione: nam hoc non proueniebat ex conditione virtutis amplioris vnius Sacramenti quàm alterius, ſed ex conditione temporis vtriuſque.

Quarta ratio comprobans inſtitutionem Baptiſmi. Cap. CLX.

C INſtitutionis Baptiſmalis regenerationis in nouo teſtamento ratio quarta eſt remiſſio, quæ fit in peccatis actualibus. Nam etſi baptiſmus delendi originalis reatus cauſa præcipuè inſtitutus ſit, delendis tamen actualibus proficit. Quia ſi quis ducenta millia infandorum ſcelerum patrauiſſet, & conuerſus ad Euangelicam veritatem baptiſmate tingeretur, mox omnium horum peccatorum culpæ, & maculæ, atque reatus abſterſi erant: pęnarum quoque plenaria fiebat relaxatio, ita vt ſi hic baptizatus confeſtim decederet liber in æthereos tranſiret incolatus, nullo pœnali prius loco detentus. In hoc autem nimis baptiſmatis lauacrum excellebat modum expiationis originalis maculæ, qui apud veteres ab exordio orbis conditi vſque ad datam circumciſionem per duas ætates ſeculi manſit. De eis enim qui-
D bus in parua ætate fide parentum originalis macula delebatur, collatio nulla eſt, cum hi nihil ante patrauerint. Similiter quoque de his, quibus ad ætatem capacem rationis peruenientibus antequam quidquam iniquitatis agerent bonum inchoauerunt, quibus originalis macula deleta eſt: hi enim nihil præter originalem maculam habebant quod deleri deberet. Sed ſi quis in ætate per ſuā parentum fide, quoniam nulla erat, nequaquam expiatus primordia vitæ rationis capacis iniquitatibus implicans tandem commiſſorum doleret, originalis macula cum ipſis actualibus delebatur, quanquam originale indirectè, actualia verò directè tollebantur, vt in prædictis expoſitum eſt: pęnarum tamen pro actualibus debitarum nihil tollebatur. Ideo ſi mox deceſſiſſet, cui ſic culpæ deletæ ſunt: non iret in ſinum A-
E brahæ, ſed in purgatorium locum pro patratis ſatisfacturus: hoc autem expleto in ſinum Abrahę tranſeundum erat. In hoc autem identidem excellentia baptiſmi ſuper circumciſionem patet: nam qui circumcidebãtur, quoniam erant dierum octo, nihil impiè egerant, ſolam ergo originalem maculam habebant eluendam. Si tamen, qui circumcidebatur ætatis adultæ foret, & aliqua mortalia patrauiſſet, ſicut Gentiles cũ ad ritum Iudaicum conuertebantur circũcidebantur, & per circũciſionem eis originalis macula tollebatur, & ipſa actualia ſi dolerẽt de patratis, atq; efficiebantur de populo Dei, ad pęnarum tñ pro mortalibus debitarum relaxationẽ, nihil hoc agebat: ſed adhuc pro eis ſatisfaciendum manebat, vt aſſerunt, cum ſolum dicant ad originalem maculam circumciſionem proficiſſe. Ex prædictis illa-

tum patet, ꝙ quanquam in nouo teſtō non erat neceſſarium inſtitui baptiſmale lauacrum, quia alius modus eluendæ originalis maculæ eſſe poterat: tamen cōgruū valde fuit propter quatuor aſſignatas rationes.

An, ſi virgo ante Chriſti paſſionem deceſſiſſet libera cælum petyſſet, an vero lymbum SS. Patrum.
Cap. CLXI.

EX prædictis autem dubium ſubappatet: dictum eſt enim ante Chriſti paſſionem ianuam regni cęleſtis clauſam manſiſſe, nec vlli aditum patuiſſe, etiamſi in vtero matris ſanctificatus foret, ita vt prius eſſet ſanctus, quam natus, ſed ad ſinum Abrahæ hi deſcendebāt, velut Ieremias, & Ioannes Baptiſta, quorum vterque in vtero ſanctificatus eſt. Ex his ergo occaſio dubitādi inſurget cuiquam de Beata Virgine, ſi ante Chriſti paſſionem deceſſiſſet, an libera vitam æternam peteret, vel ad lymbum ſanctorum ei deſcendendum eſſet? Ad hoc autem dicendum eſt, de Domina noſtra nunc nullum ambiguum relictum eſſe, an e corpore ſoluta cæleſtem aſcenderit inchoatum, vel ſanctorum petierit lymbum, quoniam poſt paſſionem Saluatoris aliquantis temporibus defuncta eſt, cum ianua vitæ æternæ diſpoſitis cūctis patebat. Nullum igitur dubiū eſt de anima glorioſæ Virginis, quin corpore ſoluta mox cælum petierit. Multæ quippe ad hoc rationes ſunt, quas abundantiſſimè notas arbitror. Nec ſolum animam Virginis in Cęlum aſcendiſſe confeſtim ex corpore ſolutam profitemur, ſed & Doctores Catholici velut Hieronymus in lectura, quam fecit pro feſtiuitate aſſumptionis Virginis, piè tenent, atque tenendum ſuadent corpus eius in Cęlum poſtea fuiſſe ſublatum. Quia non videbatur rationabile, vt beatum illud corpus, intra cuius viſcera Saluator noſter nouem menſibus clauſus extitit, & de cuius ſubſtantia veritatem corporis humani ſuſcepit, lege communi aliorum corporum in terræ pulueres verteretur. Si tamen Domina benedicta per aliquot dies ante mortem Saluatoris defuncta fuiſſet, ſicut Beatus Ioannes Baptiſta, ambiguum videretur, an ei ad lymbum ſanctorum deſcendendum foret, vel ad æternitatis manſiones confeſtim euolaret. In hoc autem pro forma reſpondendi diſtingui poſſet, an aliquando mortale aliquod patrauiſſet, vel non: etſi peccauiſſet, an de commiſſis doluiſſet, vel non: ſed in his diſtinguere ſuperuacuū prorſus eſt, cum luce clarius conſtet Dominam noſtram Glorioſam, nihil vnquam mortale, aut veniale patrauiſſe, ſicut Eccleſiæ Orthodoxorum auctoritas, & omniū Sanctorum Doctorum confirmat ſententia. Hoc autem ſuppoſito, quod ſupponendum erat, dicendum eſt, Dominam noſtram Virginem nullam habuiſſe actualem culpam, pro qua aliquam correſpondentem pęnam tolerare deberet in gehenna damnatorum, aut apud purgatorios ignes. Sed in originali macula differt, quibuſdam aſſentientibus, quod nequaquam contraxerit, aliis verò diſſentientibus. Et quanquam de conceptione Virginis inter hos diffeiat, de natiuitate tamen omnibus communis ſententia eſt, quod in originali nata non fuerit. Nam licèt quidam eam in originali macula cōceptā aſtruāt, mox tamen Spiritu Sancto purgatam dicūt, hoc modo cùm nata eſt, nihil in ea originalis maculæ relictum erat. In præſenti autem nihil ſpeculari, aut diſceptare curandum, quæ harum poſitionum, aut verior, aut ſaltem rationabilior ſit, ſicut in præcedentibus dictum nobis eſt. Sed reſpondendum eſt ſecundum vtramque poſitionem, idest, quid cogantur dicere in hac quæſtione ſuſtinentes has poſitiones. Illi autem, qui Dominam noſtrā in originali conceptam dicunt, ſed non natam, cū prius eam purgatam aſſerant, fateri compelluntur eam per aliquod modicum manſiſſe in originali macula, ſiue illud paucum, ſiue maius ſit. Ex hoc autem ſi ante Chriſti paſſionem moreretur quantumcumque purgata, aut ſanctificata foret obligabatur manere vſque ad mortem Saluatoris in lymbo ſanctorum. Nam ex hac macula, quā aliquando in Virgine fuiſſe aſſerunt, ſi ſic

QS virginis corpus i Cęlū fuerit ſublatū.

Reſponſio ad q̄ſitam per viam Thomiſtarum.

F manſiſſet, erat obligata ad lymbum puerorum ad æternam tenebram: ſi autem poſtea eam Spiritus Sanctus purificauit, non potuit tantum purificari, quin maneret obligata ad lymbum Abrahæ. Nam vt in præcedentibus latè expoſitum eſt, ſola Chriſti paſſio erat, per quam culparum, atque pœnarum plena fiebat ſolutio: ante eam verò quanquam Sacramentorum eſſet quæcunque multiplicitas, aut ſanctificatio in vtero, plena remiſſio fieri nequibat pęnalitatum quarumcunque actualium culparum, atque originalis. Cum ergo pęna directè pro peccato originali, aut indirectè conſequens per ſanctificationem ſuam plenè remiſſa non foret, quia nondum erat Paſſio Chriſti neceſſe erat, vt ſi eam, antequā mortem ſubiret, ex hac luce tranſire contingeret, ad lymbum Sanctorum deſcenderetur cum ceteris vetus ſanctis, qui G præceſſerant. Amplius autem ſi Beata Virgo originalem culpam incurrerat, & aliquando purgata extiterat, vt prædictum eſt, nihil inter eam, & Ieremiam, atque Beatum Ioannem Baptiſtam, atque ceteros, qui in vtero purgati ſunt, differret. Quod patet: quia hi in originali macula concepti ſunt: quam Deus ab eis in matrum aluo abſtulit. Hic autem modus ſanctificationis ſecundum horum poſitionem eſt ſcilicet vt primò maculam originalem incurrerit, deinde expurgata in matris aluo extiterit. Sed qui in vtero ſanctificati ſunt, & poſtea deceſſerunt ante Chriſti paſſionem, ad lymbum ſanctorum deſcenderunt, velut Ieremias, & Ioannes Baptiſta, vt in prioribus probatum eſt. Apparet ergo neceſſarium fore, vt Domina Virgo ad lymbum ſanctorum deſcenderet, ſi ante mortem Saluatoris deceſſiſſet H iuxta conſequentiam poſitionis horum ſcilicet, quòd primò in originali concepta poſtea emundata fuerit. Si verò Beatam Dominam noſtram Virginem ſine originali conceptam, & natam aſſeramus, & conſequenter, nec purgatam in vtero, cum purgari nequeat, qui nullam maculam incurrit, iuxta poſitionem communem fratrum minorum, quæ pietatem magis tangit, atque rationabilius eſt eam teneri, quouſque quidpiam in hac maiorum diffiniret auctoritas adhuc maius dubium eminet. Nam cum Eccleſia concedat Beatam Virginem nihil vnquam iniquè, aut diſtortè egiſſe, quod venialis, aut mortalis peruerſitas dici poſſet, non correſpondebit ei vllus locus pęnalis, in quo de actualibus inanimabus corpore ſolutis exerceatur vindicta. Ita cum in ea nulla fuerit originalis macula, nullus ei I debuit correſpondere locus, in quo pro originalibus vlla pęna ſentiatur. Sed in lymbo ſanctorum manere eſt punitū in priuatione diuinæ viſionis: ergo Beata Virgo, cum nihil peccauerit contrahendo, aut agendo, quanquam ante Paſſionem Chriſti moreretue illuc deſcendere non debuit. Item omnes, qui ad lymbum ſanctorum deſcendebant, ideo ibi tenebantur, quia nondum plene remiſſæ erant pœnæ iniquitatum ſuarum actualium cum originali, aut ſolius originalis, cum nondum tranſiſſet paſſio mediatoris, per quam hoc effici debebat. Sed Dominæ noſtræ nulla reliqua erat non plenè remiſſarum pœnarum, cum nulla ei pœna reſponderet, quia non incurrerat vllam culpam actualem, aut originalem, propter quam ei pœna deberetur. Non ergo videtur rationabile ipſam deſcendere ad ſinum Abrahæ, K vetbi pateretur diuinæ viſionis priuationem, tanquam pęnam pro peccato originali, aut in aliquo alio pęnali animarū receptaculo, quamquam ante Saluatoris paſſionem illam decedere contigiſſet, ſed vt mox defuncta in æthereas euolaret manſiones.

Solutio ex ſentē. tia Scotiſtarum.

Reſponſio ad dubium præcedentis capituli.
Cap. CLXII.

HIs reſpondendum, quòd ſi Domina noſtra Virgo ante Chriſti paſſionem deceſſiſſet, etiamſi originalem in conceptu non incurriſſet maculam, in ſinum Abrahæ deſcendiſſet. Et ſic generaliter diffiniendum eſt, quod quomodocunque Virgo Domina noſtra ante mor

tem

tem Redemptoris noſtri deceſſiſſet, ſiue in originali ma- A cula concepta foret, ſiue nequaquam, ad lymbum ſanctorum neceſſariò deſcenſura erat, ibique cum ceteris manſiſſet vſque ad mortem Saluatoris cum reliquis ſanctorum animabus educenda. Hoc autem patet: ſi enim Domina noſtra in originali macula concepta fuiſſet, & poſtea in vtero ſanctificata, liquidum erat ipſam ad lymbum ſanctorum deſcenſuram fuiſſe, ſi ante Chriſtum paſſum moreretur, vt ex prædictis patet. Si autem originalem nullam in conceptu maculam incurriſſet, & ante Saluatoris moreretur paſſionem, idē idem neceſſe erat, vt ad ſanctorum lymbum deſcēderet. Quod patet, quia cum quis in originali macula concipiebatur, licèt eum Deus in matris vtero purificaret ſanctificans, aut poſtea natum per aliquam cæremoniam, vel actum ſuum mundum. Tamen non tollebat ei pœnam, quam in ſinu B Abrahæ in priuatione diuinæ viſionis ſublaturus erat, ſi ante Saluatoris moreretur paſſionem. Sic autem quanquam Beata Dei Genitrix originalem maculam nequaquam incurriſſet, tamen ad lymbum ſanctorum deſcendere obligabatur, cum peccatum originale incurrere tenebatur, licet non incurrerit. Quilibet enim deriuatus ex Adam per ſeminus deriuationem, ſcilicet ex coniunctione maris, & fœminæ immediate originalem maculam incurrebat, ſicut eſt totius Eccleſiæ diffinitio. Et idem Auguſtin. docet in libro de fide ad Petrum. Si autem Domina Virgo non incurrit, hoc fuit ex ſpeciali priuilegio ei collato faciente præſeruando, ne caderet. Nam cum oportuiſſet eſſet Beatæ Virgini, ſicut cuilibet ceterorum maculam originalem in conceptu incurrere, niſi Deus ex ſpecialiſſimo priuilegio ne incurreret præſerua- C ret, æquum erat, ne caderet, præſeruare, & cum cecidiſſet eleuare, quod erat ab originali emundando ſanctificare: hoc autem, quia ineuitabile, ſed prorſus neceſſarium, vt originalem incurreret maculam, niſi Deus ſpecialiter præſeruaret. Si tamen Deo nequaquam præſeruante maculam incurriſſet originalem, ad ſinum Abrahæ moriens deſcendere obligabatur, ſi ante Chriſtum paſſum mori contingeret. Si Deus ergo illam ſpecialiſſime præſeruauit, ne caderet, quæ alioquin neceſſariò caſura eſſet: ita ad lymbum ſanctorum deſcendere obligabatur, ac ſi cecidiſſet, ſi ante paſſionem moreretur mediatoris. Amplius autem hoc apparet ex lege populorum. Si enim in aliquo populo decretum foret, vt qui alium de luto cadentem eleuaret, ab eo certam reciperet pecuniæ quantitatem. Si quis taliter diſpoſitus immediata diſpo- D ſitione eſſet, vt caſurus neceſſariò videretur: imò & iam labi inciperet prorſus, ſi quis eum prius quam terræ incumberet, nè caderet, ſubſtineret, aut labentem non prorſus lapſum in gradum priorem reſtitueret, ita quod ne prorſus caderet ſuſtentatus eſt, aut cum iam laberetur ab altero erectus fuit, ad taxatam pecuniarum ſummam obligabitur, ac ſi eum iam dudum terræ incubantem erigeret: imò magis rationabiliter tenebatur. Hoc autem, quia & prorſus non cecidit, neceſſariò tamen caſurus erat. Sic ergo in originali macula, cum quis ante paſſionem Saluatoris in originali macula concipiebatur, quāquam Deus eum in vtero ſanctificaret, obligatum tamen relinquebat ad pœnam carentiæ viſionis diuinæ, quam in ſinu Abrahæ ſuſtinere debebat vſque ad mortem mediatoris. Si ergo Deus aliquem ab originali macula, nè E eam incurreret, præſeruauit, quam neceſſariò incurſurus erat, niſi ipſe præſeruaret, & hoc fuit ante Saluatorem paſſum, ita iſte ad lymbum ſanctorum obligabitur, quia ſic liberatus eſt velut ſi illud incurrens poſtea a Deo liberaretur. Sic autem de Beata Virgine fuit, quòd peccatū originale neceſſariò incurſura erat, niſi eam Deus præſeruaret, quia ex coniunctione maris & feminæ generabatur. Deus tamen ne peccatum originale incurreret, eam præſeruare voluit: ita ergo obligata erit, ac ſi in originale incidiſſet. Si tamen Deus eam in matris aluo iam in peccato originali conceptam expurgaſſet ſanctificans, atque peccati originalis pœnam remittens, ad lymbum ſanctorum neceſſariò deſcenſura erat, ſi ante mortem Saluatoris deceſſiſſet. Quanquam ergo ſiue originali concepta

A foret, quia Deus eam, nè incurreret liberabat, obligabatur ad ſinum Abrahæ deſcendere, cum moreretur ante mortem Redemptoris. Illatum ergo patet, quocunque modo Domina Virgo concepta fuiſſet, ſi ante Saluatorem paſſum moreretur, ad lymbum ſanctorum neceſſariò deſcenſuram. Amplius autem adhuc manifeſtatur, quia ante mortem Saluatoris vitæ æternæ ianua clauſa erat, ſcilicet, quòd nemo illuc ire poterat accipiendo propoſitionem hanc in eo ſenſu, quem Sacra Scriptura per eam facit. Si ergo Domina Virgo ante mortem Saluatoris vita defungeretur, cum vitæ æternæ ianua clauſa erat, quomodo illuc introiret, nequaquam poſſibile videbatur. Neceſſe eſt ergo, vt Beata Virgo ſic moriens ad ſinum Abrahæ deſcenderet, quia ante Chriſtum paſſum decedebat.

B

Obiectio contra ea, quæ determinata ſunt.
Cap. CLXIII.

HVic autem quiſpiam inſiliet, dicens, concluſionem hanc nequaquam ſtare, quoniam ratio eius ſolida ex omni parte non eſt, ſcilicet, cum dicitur, quòd ſi Beata Virgo originale incurriſſet, & in vtero ſanctificata foret, & liberata ab originali, ſi ante mortem Saluatoris vitam clauderet, ad ſinum Abrahæ neceſſariò deſcenſura erat: quia Deus præſeruauit eam, ne caderet, quæ aliàs neceſſariò caſura erat, oportet ergo, vt ad deſcēdendum in ſinum Abrahæ obligata dicatur, ſi vita careret ante paſſum mediatorem. Dicent enim hanc rationem non eſſe efficacem. Nam ſi hæc concluſio neceſſariò ef- C ficax eſſet, conformiter & alia ſimilis valeret, ſcilicet nullus homo bonum facere poteſt, niſi Deus ad faciendum gratiam contulerit, primò quidem ad volendum illud per gratiam mouens, deinde ad efficiendum, atque finiendum cooperans, ſicut patet Ioan. 15. cap. ſcilicet. Sine me nihil poteſtis facere, ideſt ſi ego nō dedero gratiam mouentem, & cooperantem, nullum bonum facere poteritis. Si igitur aliquando à malo recedere, aut mala facere euitamus, niſi per gratiam Dei eſſe non poteſt, Tunc ergo argueremus, homines non euitant mala, niſi Deo diſtrahente illos a malis: ſed ſi mala actualia commiſiſſent, in inferno puniri neceſſe erat, ſi impœnitentes decederent, aut in purgatorio, ſi inexpleta pœnitentia foret: ergo cum non poſſint euitare mala, niſi per Deum, obligabuntur ad pœnam iſtorum malorum, quæ D acturi eſſent, ſi Deus eos non eriperet, ſicut ſi ea perpetraſſent, & ſic tenebuntur deſcendere ad gehennalia incendia, cum mala quæ non fecerant, Deo adiuuante, & diſtrahente ab illis æternam incendij gehennalis mererentur pœnam. Hoc autem immenſum inconueniens eſt. Nam quilibet hominum decem millia ſcelerum, aut communium peccatorum patrare poſſet, niſi Deus eum abſtraheret, ne peccaret. Sicut ergo pro illis ſi feciſſet tenebatur ad gehennam, aut purgatorios ignes: ita tenebuntur omnes ad æterna gehennæ incendia: quia omnes, nè facerent mala, a Deo conſeruati ſunt. Et ſic nemo iret ad vitam æternam, quod repugnat omni catholicæ poſitioni, & fundamentis, atque intentioni Chriſti nos redimentis, cum neceſſe ſit nos æternaliter damnari. Non poteſt igitur vllatenus manere iſta ra- E tio, & conſequenter nec illa, quæ inducebatur ad probandum Virginem benedictam obligatam ad ſinum Abrahæ fuiſſe, ſi ante Chriſtum paſſum moreretur, etiamſi nullam originalem maculam in eo conceptu incurriſſet. Huic reſpondendum eſt, datam ſupra concluſionem de Beata Virgine veram eſſe per omnia, ſcilicet, quòd quamquam nullam originalem maculam in conceptu incurriſſet, tenebatur ad ſinum Abrahæ deſcendere, ſi ante Chriſtum paſſum deceſſiſſet. Quod verò obijciebatur non concludit, nec quidquam habet perfectæ ſimilitudinis. Non.n. eſt ſimile de originali, & de actualibus: nam in originale nolentes, & prorſus inuiti incidimus, & cum nobis hoc neceſſarium ſit, voluntati noſtræ libertas nulla eſt, cum concipimur an in peccato originali concipiamur, aut nequaquam: cum verò

aliquid neceſſe eſt contingere, ita vt nullatenus euitabile ſit, niſi Deo ſpecialiter ex potentia ſua operante, quãtum ad vtilitatem, aut damnum, quæ inde operans, aut patiens conſecuturus erat, tantum eſt, ac ſi iam factum fuiſſet, etiamſi non fieret. Et quia prorſus neceſſarium eſt, vt cum concipimur, in originali macula generemur, tantum eſt, neceſſe eſſe abſolute cadere in originalem maculam, ſicut eam incurrere quantum ad pœnam, aut damnum, quæ inde conſequũtur. Sic igitur ſi Beata Dei Genitrix, aut quiſquam de reliquis in originali macula conceptus foret, Deusq; in vtero eum ſanctificaret, ad lymbum ſanctorum deſcendendi ei manebat obligatio, vt ibi carentia diuinæ viſionis vſque ad mortem mediatoris plecteretur. Si ergo Deus Beatã Virginem, aut quemcũque ab originali eripuiſſet, ſcilicet nè in illud conceptus incurreret, ita erat obligatus ad ſinum Abra- G hæ, velut ſi verè hanc maculam incurriſſet, & poſtea ſanctificaretur. De actualibus verò peccatis ſimile non eſt, quoniam non neceſſitamur in actualem mortalem, aut venialem culpam, ſicut maculam originalem cogimur incurrere. Nolentes enim, & prorſus inuiti originalem contrahimus: ſed non incurrimus actualia mortalia, aut venialia, niſi id libere egerimus, cum ad omnes actiones noſtras liberum arbitrium nobis inſit. Magna igitur differentia actualibus, & originali ineſt: nam licèt in culpam originalem Dei ſolius ſpeciali beneficio non incidamus: quia tamen ſimpliciter neceſſarium erat nos incidere in hanc maculam, niſi Deus præſeruaret, rationale ſatis videtur nos incidere debere in pœnã, quam tolerant, qui originale incurrerunt, ſed Deo poſtea agente ſanctificati ſunt. In actualibus autem non eſt huiuſmodi, ſed liberum nobis eſt, peccare vel non peccare. Non igitur eſt rationabile, vt in culpis actualibus quiſquam patiatur pœnam gehẽnę, aut purgatorij ignis, quam pro mortalibus habiturus erat, quæ incurrere potuit ſi incurriſſet. Cum verò arguitur ex textu Euangelij Beati Io. 15. cap. ſ. ſine me nihil poteſtis facere, dicendũ non eſſe idem in faciendo bonum, & faciendo malũ, aut omittendo facere malum. Nam ad hoc, quòd actus bonus ſit, & meritorius, exigitur caritas, quæ eſt habitus à Deo infuſus, nec acquiritur operibus noſtris, ſicut morales virtutes acquiruntur. Et quia iſtum habitum nos nõ gignimus, ſed Deus illum nobis infundit: quandocumque illum habuerimus, & non poſſumus ſine caritate bonum aliquod agere: ergo ſine Deo a quo ſolo caritas eſt, nihil facere poſſumus, ſcilicet nullum bonum meritorium, per quod Deo accepti ſimus, & mereamur vitã æternam. Nã in hoc hæreſis Pelagiana eſt ſcilicet quod homo ſaluari poterat, & bonum agere ex puris naturalibus, ſcilicet quod quanquam Deus gratiam non infunderet, ad bene operandum in animam viri, poterat homo ex actibus intellectus ſui, & voluntatis dirigendo, & eligendo promereri, talia faciẽs, per quæ ſaluaretur. Hanc enim inſanam Pelagianorum hæreſim damnauit Eccleſia: quoniam ſententiæ Chriſti repugnabat, ſcilicet ſine me nihil poteſtis facere. De hac hæreſi ponit Iſidorus Etymologiarum lib. 8. cap. 5. Alio modo intelligi poteſt prædicta auctoritas Saluatoris ſcilicet quòd nemo opus aliquod bonum efficere poteſt, quod ſit bonum ſecundum omnes circumſtantias ſuas morales, niſi Deus eum moueritr per gratiam pulſatiuam, vt aliquid bonũ mouere poſſit, & illud complere. Hæc autem eſt gratia præueniens, quæ a ſanctis Doctoribus accipitur, q̃ homo a Deo recipere debet, vt velit bonum facere. Quolibet autem horum modorum veritate fulcitur auctoritas Saluatoris. ſ. q̃ nihil bonum velle, aut efficere ſine Deo poſſumus: Ad id verò, quod eſt malũ facere non eſt ſimile: quia q̃q̃ bonum efficere non poſſimus, niſi nos Deus ad hoc ſpecialiter moueriit: non tñ eſt neceſſe, vt mortaliter peccemus, etiamſi Deus nos deſerat. ſ. q̃ quamquã gratia Dei præueniens, & cooperans nos penitus deſerat ad bonum volendum, & efficiendum nihil mouens, & in faciendo nihil adiuuans, non erat neceſſariũ ex hoc, vt mox peccata mortalia incideremus. Nãm hoc dato neceſſe erat nos libero carere arbitrio: quia tẽpus eſſet,

Venialia, aut actualia peccata non incurrimus, niſi id libere agamus.

Vt actus meritorius ſit, & bonus, neceſſaria eſt caritas.

Bonum operari non poſſumus niſi Deus adiuuet, malũ verò non cogimur agere, etiã ſi Deus abſit.

F in quo etiam nolentes, & totaliter inuiti mortaliter peccaremus: ſed hoc penitus falſum eſt. Dicẽdum ergo eſt, impoſſibile eſſe hominib. quidquam boni facere, niſi Deus ad faciendum mouendo, & cooperando adiuuerit: non tamen eſſe neceſſarium, vt mortaliter peccent, etiamſi Deus eos nullatenus adiuuerit. Ex prædictis ergo cõcluſum patet, q̃ ſi Beata Virgo ante paſſionẽ Chriſti deceſſiſſet, ſiue in originali cõcepta fo. et, ſiue nequaquam, neceſſe erat ad ſanctorũ lymbum deſcendere, vbi permanſiſſet cum ceteris vſque ad mortem Saluatoris.

De Paradiſo, præcipuo animarum receptaculo.
Cap. CLXIV.

IN præcedentib. aũt, de quatuor gehẽnæ diſtinctis locis, atq; animarũ receptaculis egimus, introducentes G ea pp vnum eorum, ſ. Purgatorium locum, qui inter eos ſecundus eſt, atque inter tria principalia receptacula: de quibus à principio ceptum fuerat, eandem tenet habitudinem. Nunc verò de tertio principali animarũ receptaculo, quod Paradiſum vocant, agendũ reſtat. In quo primò aduertendum eſt, quod Sacri Doctores ex auctoritate ſcripturæ, duplicẽ Paradiſũ diſtinguũt: primus eſt terreſtris Paradiſus, de quo loquitur Sacra Scriptura Gen. 2. cap. in hoc enim fuit poſitus Adam nouiter de terra formatus. Iſte eſt quidam locus in terra in altiſſimis collibus vniuerſi in parte Orientali, vltra Indiam longè ab omni humana habitatione. Colles autem, in quibus terreſtris eſt paradiſus, lati valdè ſunt continentes ſatis magnum terræ ſpatium in longitudine, & latitudine. Sunt enim in hoc Paradiſo arbores facientes fru H ctum iuxta omne genus arborum, & plures quam in tota hominum habitatione fuit. Fructus quoq; earũ dulcior atque ſalubrior eſt omnibus fructibus arborũ, quæ ſunt per totam terræ latitudinem. Ex hoc autem more Sacræ Scripturæ, locus iſte hortus voluptatis appellatus, vt apparet Gen. 2. cap. Eſt autem locus iſte temperatior in quantitatibus elementalibus, quam ſit in toto vniuerſo: ideoque animalium vitæ ſalubrior. Vnde vita humana diuturnior valdè eſſet, quàm hic, ſi ibi hominibus habitandi daretur locus: nec vlla ægritudinum premerentur moleſtia. In hoc autem Paradiſo, ſiue horto voluptatis arbor quædam eſt, quam Sacra Scriptura arborem vitæ cognominat, de qua ſi quis aſſueſceret cibum ſumere, viueret in æternum, vt patet Gen. 2. capit. I In medio autem loci huius Paradiſi fons quidam magnus erumpit, qui alter fluuius appellatur, & diuiditur in quatuor capita: nomen vni Phiſon alteri Gehon, tertio Tigris, quarto Euphrates. Hi per diuerſas terras labuntur, tandem maribus abſumuntur. Per terras enim incognitas de terreſtri Paradiſo procedunt intrantia per frontem orientis terræ Indiæ, interdum autem terrę voraginibus abſorpta alijs innaſcuntur locis: ita vt de capitibus eorum varia atq; nimis diſcors ſententia ſit. Primus horum fluuiorum, ſcilicet Phiſon eſt, qui circuit omnem terram Heuilath, & inuenitur in eo aurum, & aurum terrę illius optimum eſt. Nomen fluuij ſecundi eſt Gehon, & ipſe circuit terram Aethiopiæ. Nomẽ fluuij tertij eſt Tigris, & ipſe vadit cõtra Aſſyrios. Nomen quarti eſt Euphrates, qui trãſit per mediam Babylonẽ, et tangit terminos terræ promiſſionis à latere ſeptẽtriona- K li. De his fluminibus habetur Gen. 2. cap. Fuit aũt conſtitutus locus iſte terreſtris Paradiſi ad humanam habitationem. Nam, vt ſanctorum Doctorum communis diffinitio eſt, voluerat Deus hominibus habitandum tradere Paradiſum, niſi peccauiſſent, & ibi genuiſſent, nulla incommoda famis, frigoris, aut æſtus, ceterorumq; malorum vnquam ſenſuri. Hæc quippe ex merito peccati prothoplaſti in poſteros hæreditarie deriuata ſunt. Cũ verò iſti hoies per generationẽ ad aliquantulum numerum peruenuiſſent, tranſtuliſſet illos Deus per ſucceſſiones in Paradiſum cæleſtem, nec mortem vnquam guſtaſſent. Duraſſet autem modus iſte gignẽdi in terreſtri Paradiſo, & transferendi in æthereas ſedes, quouſque completus fuiſſet numerus electorũ, ſcilicet hominũ, quos Deus ab æterno ad ſuam participandam prælegerat

Duplex Paradiſus.

Deſcriptio loci deliciarum.

gerat felicitatem. Finitis autem generationibus electorum, in cælum quoque omnibus tranſductis, nulla amplius generatio, aut ſucceſſio hominum fuiſſet in orbe: prothoplaſti tamen peccato, omnia hęc præordinata bona generi humano, impedita ſunt. Hæc autem prolixè ſatis patent Gen.2. cap. nam in ſexto die, quo Deus formauerat hominem, poſuit eum in terreſtri loco voluptatis, vt habitaret ibi atque coleret terram, ne prorſus ocio vacaret. In hoc autem die ſexto Euam de latere viri dormientis formauit diuina poteſtas, quam Adæ præſentans in ſociam vitæ, & generationis adiutorium, quoniam nō erat bonum hominem eſſe ſolum. In hac eadem die Eua, tentata a dæmone, ſcelus operata eſt, viro quoque ſuaſit, & vicit, & ipſe à peccato immunis non extitit. Ambo quoque in eadem die de loco voluptatis, inducti pellicijs tunicis eiecti ſunt: vt probauimus ſuper Gen.cap.2. Poſuit autem Deus quendam Cherubim ad cuſtodiam Paradiſi, & gladium flammeum atque verſatilem, vt ibidē dicitur ad cuſtodiam ligni vitæ. Cherubim quidem ad arcendos dæmones poſitus eſt, gladius autem flammeus, & verſatilis eſt murus quidam igneus, circūdans totam latitudinem paradiſi, vt viæ, & locus hominibus inacceſſibiles ſint, vt habetur Gene.2.capitulo, ibi enim latiſſime de his, & cauſis horum plurimiſque alijs diſſeruimus.

Duo viri iuſti, qui nunc habitant Paradiſum terreſtrem.
Cap. CLXV.

IN hoc autem terreſtri Paradiſo nunc duo habitant viri. primus eſt Henoch vir quidem iuſtus, qui in prima ætate Deo placuit, & tranſlatus eſt in Paradiſum, vt patet Geneſ.5. manifeſtius autem hoc habetur Eccleſiaſtici cap.44. ſcilicet: Henoch placuit Deo, & translatus eſt in Paradiſum, vt det hominibus prudentiam. De hoc etiam ad Hebræos 11.cap. Secundus autem vir eſt Elias Theſbites propheta Domini, quē Deus rapuit in curru igneo aſtantem ſibi Eliſæo, ſicut habetur.4. Regum cap.2. Hi autem nondum mortem guſtauerunt, nec guſtabunt, quouſque in tempore Antichriſti prædicent coram gentibus, ſicut de Henoch dicitur, vbi ſupra quòd translatus ſit, vt daret gentibus ſapientiam. De Elia verò habetur Malachiæ cap. vltimo, cum dicitur: Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis, & conuertet cor patrum ad filios, & corda filiorum ad patres, ne forte veniam, & percutiam terram anathemate. Hos Antichriſtus filius iniquitatis occidet, & iacebunt cadauera eorum in ciuitate Ieruſalem in platea, de quibus multa Doctores noſtri ſuper 11.cap. Apocalyp. Iſti autem nullam induūt vetuſtatem, quantum ad corporum diſpoſitionem, ſed ita florentes corpore ſunt, atque bene diſpoſiti, vt prima die, qua in locum illum voluptatis ducti ſunt, & amplius, quoniam de arbore vitæ manducant, quæ eos inconſumptos ſeruat, & deficere ex ſe ipſis non potentes. Eſt autem Henoch habens annorum ſex millia, & amplius, ſupputatis eis quibus vixerat antequam ingrederetur Paradiſum, vt patet ex diſcurſu generationum primæ ætatis: quæ habentur Geneſ.cap.5. Computatis quoque omnibus annis ab exordio orbis conditi, ſubtractis eis qui effluxerant ante eius natiuitatem. Elias autem eſt annorum pluſquam trium millium ducentorum, & vltra. Computando ab eo tempore, quo fuit, ſcilicet ſub Rege Achab, Rege Iſrael, & ſub Rege Ioſaphat, Rege Iudæ. Horum enim tempore floruit, & tempore Regis Ioram raptus eſt in Paradiſum. De hoc in quarto Regum 2.cap. Cum autem hi de Paradiſo terreſtri ad prædicandum venturi egreſſi fuerint, nulli illuc ingredientur in æternum. Hic autem locus de quo ſermo eſt, proprie non dicitur Paradiſus, ſed magis locus delitiarum, aut hortus voluptatis: ſicut apparet Geneſ.2.capit. maxime in litera Hebraica. Cum etiam ſacra ſcriptura, aut catholici Doctores de Paradiſo loquontur, non eſt eis ſermo de hoc Paradiſo, niſi cum expreſsè protulerint. Nos quoq; cum Paradiſum tertium, animarum corpore ſolutarum receptaculum aſſignamus, de terreſtri non agimus, ſed de cęleſtibus manſionibus.

Tēpus & ætas Henoch & Eliæ habitationis in loco deliciarum.

In qua parte ſit Paradiſus animarum.
Cap. CLXVI.

ADuertendum autem nobis amplius circa hoc eſt, Paradiſum, quem animarum receptaculum dicimus, non eſſe locum aliquem in terra, aut in aliqua elementali regione, ſed in cęleſti ſubſtantia. Ad cuius ampliorem notitiam ſciendum, cælos eſſe decem, ſcilicet cæleſtes orbes, vel circulos, quorum primum eſt cælum lunæ, quod immediatè ſuper igneam regionem eſt. Secundum verò Mercurij cælum. Tertium cęlum Veneris. Quartum cælum Solis. Quintum cælum Martis. Sextum cœlum Iouis. Septimum cælum Saturni. Iſti autem vocantur ſeptem orbes, vel cæli planetarum ſeptem. In quolibet vero horum cælorum vnica ſtella eſt, quam planetam, id eſt ſtellam erraticam vel declinantem appellamus, ita, quod in primo cęlo ſit ſola luna, in ſecundo autem ſolus Mercurius: in tertio vero ſola Venus, & ſic vſque ad ſeptimum, quo Saturnus. Sunt autem orbes iſti in eo ordine, quo enarrauimus: ita vt cælum lunæ ſit magis propinquum nobis, & cælum Saturni diſtantius à regione elementali ſit, cæteri autem intermedij. Super cælos ſeptem planetarum octauus orbis collocatur, qui dicitur ſtellarum cælum: quoniam in eo ſtellarum innumerabilis nobis copia eſt: has autem ſtellas fixas appellamus: quia non ſunt declinantes vel errantes ſicut planetę. Nonus autem orbis ſuper hūc eſt, qui a ſanctis Doctoribus chryſtallinus appellatur: quia ad modum chryſtalli vel gelidarum aquarum ſit. Sacra autem ſcript. iſtud cælum vocat aquas cæleſtes, vel ſuper cælom, vt patet Geneſ. capitulo primo. Secundum modum Aſtrologorum primum mobile dicitur, quia iſtud eſt primum corpus, quod in tota natura moueri reperitur. Iſte autem cæleſtis orbis rapit ceteros orbes, & impetu ſuo per contactum mouet eos contra motum naturalem eorum. Motus quippe naturalis ſeptem planeticorum orbium, & octaui orbis ſtellati eſt ab occidente in orientem. Primū autem mobile mouet iſta corpora orbium violenter rapiendo ab oriente in occidentem. Hi autem nouem orbes duntaxat motum habent, & per diſtinctos motus eorum aſtrologi cognouerunt eſſe nouem diſtinctos orbes motos. Hos nouem orbes intelligentiæ mouent, quas nos Angelos appellamus, quæ ipſis corporibus vnitæ ſunt, quamquam non formaliter, ſed vt motor mobili iuxta ſententiam Ariſto. in 12. Metaphiſicæ, cui ſacræ ſcripturæ auctoritas conſentanea eſt, vt patet Iob cap.9. cum dicitur: Deus, cui reſiſtere nemo poteſt, & ſub quo curuantur, qui portant orbem. Portare autem orbem, eſt ipſa cæleſtia corpora mouere: per motum autem horum corporum cauſantur omnes generationes, & corruptiones in terra iuxta ſententiam Ariſt.2. de Generatione, & corruptione. Super hos autem decimus, & vltimus orbis eſt, qui empyreus dicitur, nullum aſtrum continens, nec motum, ſed contra omnium aliorum cælorum conditionem ſtabilis in æternum manens. Ob hunc autem philoſophis atque aſtrologis hoc cælum incognitum extitit ab antiquo, & vſque hodie incognitum manet: quia nullam habet naturalem operationem, qua inueſtigari poſſit, an ſit.

De cælo empyreo. Cap. CLXVII.

DE hoc cęlo dicendum eſt, ꝙ nullam habeat influentiam ſuper res naturales generādo, & corrūpendo; ſicut in ceteris corporib. cęleſtibus eſt. Cauſæ aūt huius explanatæ ſunt ſuper 23.c. Exodi. In hoc autem elucet infinitæ ſapientiæ diuinę conueniens diſpoſitio, quia ſicut ſtatuxit nouem cæleſtes orbes, vt motibus ſuis varijs influerent ad generationem, & corruptionem rerum naturalium: ad vſus, & famulatum humanū. Ita vnum cęleſtē orbem ſupremū ſegregauit, qui nec influeret, nec quidquā hominibus dum viuūt proficeret, ſed ad eorū quie-

tem poſt mortem diſtinctus foret. In hoc autem ſunt animæ beatorum, & Angelici ſpiritus. Et ſicut ibi nunc bonorum virorum animæ corpore ſolutæ vſque ad extremi iudicij diem manent: poſt illud vniuerſale examen, animæ bonorum reſumptis corporibus ibi erunt: ita vt totus homo ibi maneat. Et tunc erit proprie tempus gloriæ, & conſummatæ lætitiæ, vnitis anima & corpore, congregatiſque in vnum omnibus illis, qui vitæ æternæ participes futuri ſunt in glorioſa ciuitate Dei. Locus autem iſte empyrei cęli, Paradiſus propriè dicitur: quia animæ virorum bonorum, & Angelici ſpiritus ibi gaudia plena recipiunt. Potiſſima autem ratio, cur paradiſum appellamus, eſt Dei viſio: ibi quippe cũctis in eodem loco manentibus, clare cernitur tam humanis quam Angelicis ſpiritibus. In quo amplius animaduertendum eſt, Deum vbique eſſe, nec alicubi abundantius quàm alibi, cum eſſe ſuum plenum vbique ſit: ſed alicubi ſe cognoſcibilem animabus noſtris atque ſpiritibus Angelicis reddit, alibi autem nequaquam, vbi autem Deus ſe cognitum reddit, conſummata lætitia eſt. Quia Deus totum bonum eſt, & bonitatis fons atque excellentios, quod cognoſci poteſt: cum ergo intellectus noſter illum cognouerit, erit in excellẽtiſſima cognitione: ideo neceſſe eſt, vt ibi intellectus maximè gaudeat quãtũ gaudere poſſit. Intellectus naturaliter ad ſolum intelligere eſt, tanquam ad actum ſibi determinatum, vnde in hoc duntaxat neceſſe eſt illum delectari. Voluntas autem in bonum naturaliter fertur, velut in obiectum ſuum, ſ. ſicut viſiua potentia in lucem, & colorem, auditiua in ſonum, odoratiua in odorem, & de ceteris in hunc modũ. Et quia Deus quoque maximum bonum eſt, cum intellectus illud tãquam altiſſimum, & veriſſimum ens intellexerit: & volontas illud tanquam optimum comprehenderit, & præſentem habuerit, ita vt fieri poſſit, neceſſe eſt intellectum de obiecto ſuo maximè delectari, & voluntatem quoque de ſuo, quod vtrumque idem eſt. Ecce igitur in Deo maximum gaudium intellectus quam ſit poſſibile, & imaginabile, & voluntatis identidem lætitia maxima, vtrique maximum ſimul ineſt. Hæ autem ſunt proprie humanæ potentiæ, & actus earum propriè humani iuxta ſententiam Ariſtotel. Ethicor. lib. 6. Cum ergo actus iſtarum perfectiſſimi fuerint, & gaudioſi, totus homo, qui in his potiſſime conſiſtit, perfectus & gaudioſus eſt, atque per hoc felix. Hoc enim maximum bonum eſt, quod hominibus aduenire poteſt: & tãtum bonum eſt, vt nemini cognitũ ſit priuſquam illud experiatur, niſi Deo: quoniam nec auditum vnquam nec viſum eſt, ſic patet Iſ. 64. cap. cum dicitur: A ſæcolo non audierunt, & nec auribus perceperunt: oculus non vidit Deus abſque te, quæ præparaſti expectantibus te. Sic ait Apoſtolus 1. ad Corinth. 2. ſcilicet. Ocolos non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus his, qui diligunt illum. Hæc autem inexcogitabilis, atque vere admiranda delectatio, quam intellectus noſter, & voluntas in præſentia Dei clarè cogniti percipient, gloria vocatur. Et quoniam Deus clare ſeipſum cognitum reddit animabus noſtris, & Angelicis ſpiritibus ſe reuelans in cęlo empyreo, & non alibi, regulariter locus ille empyreus paradiſus appellatur.

In quo eſt ſolo Deus ſit, & beatorũ aiæ.

De Paradiſo. Cap. CLXVIII.

NEMO autem arbitrari vellet, locum illum Paradiſum appellari ex aliqua conditione, quæ ipſius ſit, ſicut ſunt proprietates corporum: ſed quoniam ibi ſe Deus notum reddit, & non alibi. Quam ob rem ſi Deus dignaretur animabus noſtris ſe reuelare in cęlo Lunæ aut Mercurij, vel Saturni, & non in empyreo, vel ſi Deus ſe animabus noſtris fruendum, & cognoſcendum in regione terreſtri præberet, & non in cęleſti, eſſet Paradiſus terra, & nequaquam cęlum: aut ſi tam in cęlo, quam in terra æquè ſe cognoſcendum offerret, æque vtrobiq; Paradiſus diceretur. Aut ſi inferno hac Deus faceret manifeſtationẽ, neceſſe eſſet infernas ſedes Paradiſũ dici.

Paradiſus appellatur quia ſolo Deus ſit, & vbi Deus, ibi & Paradiſus nuncupatur.

F Sic etiam quondam fuit, cũm Chriſtus deſcẽdit ad lymbum, ſtetit que ibidem cum animabus bonorum virorũ vſq; ad horam reſurrectionis, ſcilicet per horas quadraginta. In hoc autem tempore, benedicta anima Saluatoris corpore ſegregata, deſcendit ad inferos vnita diuino verbo, quod eſt ſecunda in Trinitate perſona: ibiq; inter ſãctorum virorum animas ſtans eis ſe reuelauit. Tũc enim cœperũt illæ beatæ animæ felicitatis eſſe participes, diuinam eſſentiam contẽplantes. Quod autem locus lymbi paradiſus fuerit, ſecundum iſtam aſſignatam viſionẽ, apparet ex verbis Chriſti Matthæi 27. cap. qui vocauit hunc locum paradiſum, tẽpore quo ibi anima ſua vnita verbo diuino manſit, cum dixit latro in cruce pendens: Memento mei Domine dum veneris in regnum tuum; ad quem Chriſtus ait: Amen dico tibi, quoniam hodie G mecum eris in paradiſo. Neceſſe eſt autem, vt de lymbo intelligatur, qui eſt quædam pars Gehennæ. Nam Chriſtus in die veneris paraſceues iſta locutus eſt, ſed ea die non aſcendit in cælum empyreum, ſed poſt quadraginta dies a reſurrectione ſua. Neceſſe eſt igitur de lymbo ſanctorum intelligi, quód ſit paradiſus. Eſt enim locus ille vnus de quatuor animarum receptaculis, quæ ponuntur apud inferos: ibi autem anima boni latronis, nec in alio loco paradiſi erat, cum anima Saluatoris noſtri, cum Saluatoris noſtri ſpiritus tunc maneret in lymbo ſanctorum. Vocabatur autem locus ille paradiſus, quia ibi tunc ſe diuina eſſentia beatis animabus reuelabat ad fruendum, ſicut nunc in cælo empyreo patefit. Amplius autem neceſſe eſt intelligi auctoritatem beati Matthæi de hoc paradiſo, qui in lymbo ſanctorum erat, ita Chri- H ſtus latroni dixit: hodie mecum eris in paradiſo, ſed de paradiſo cæleſti intelligi nequit: nam in eadem die latronis anima in cęlo empyreo nequaquam fuit. Nulla quippe anima in cælum aſcendit empyreum, quouſque Saluator noſter quadraginta diebus poſt reſurrectionem ſuam illuc iuit, fecitque aliis aſcendendi viam. Sic enim ſcriptura ait: Aſcendit iter pandens ante eos, ſcilicet, quod Saluator noſter aſcendens in cęlum ceteris viam fecit, quæ nunquam cognita fuerat, nemine ante hoc aſcẽdẽte: neceſſe eſt igitur, vt eadẽ die, qua Chriſtus mortuus eſt, latro in lymbo fuerit, & ibi paradiſus dicat.

An Paradiſi gloria ab initio rerum fuerit, vel poſtmodum cœperit. Cap. CLXIX.

I NVNC veró iuxta ea, quæ de paradiſo dicuntur, ſpeculandum occurrit: an paradiſi gloria ab exordio rerum fuerit, vel poſtea cœperit, & ſi in æternũ duratura eſt, vel quando finitura, ſcilicet ſi ſit æterna ſicut infernus, & lymbus puerorum, vel temporalis, ſicut purgatoria ſedes, & lymbus ſanctorum. Huic autem reſpõdendum eſt, gloriam eſſe delectationem quandam in apprehenſione Dei, vt ſupra expoſitum eſt, in cuius perceptione ipſi, qui ſuſcipiunt felices ſunt. Ideo neceſſe eſt ibi exiſtentes rationales eſſe creaturas. Nam iuxta Ariſt. 1. Ethic. bouem aut equum nemo felicitabit, in quo omnes irrationales creaturas a felicitate ſecludit. Hæ autem rationales creaturæ felicitatis æternæ capaces, angeli, & homines ſunt. Quantum vero ad gloriam Angelorum, dicendum eſt paradiſum cœpiſſe a rerum exordio. Nam K in primo die, imo ante omnem diem in principio omnium, omnes Angelici ſpiritus cum ipſo empyreo cælo creati ſunt: in quo eſt paradiſus: immediate enim de Angelis, qui Deo adhęrere voluerunt, in bono confirmati ſunt, ne peccare poſſent, aut perdere ſuam felicitatem: qui veró prçſumptione quadam elati in ſuis naturalibus confiterentur, atque in ſe ipſis ſuam eſſe arbitrantes felicitatem, a Deo reprobati ſunt, & in malo obdurati, & mox in inferna ſede locati. Qui autem Deo adhęſerunt, confeſtim felicitatem ſuam inceperunt: gloria ergo paradiſi, quantum ad ſortem Angelorum, cœpit cum eis in prima die creationis, aut ſi dicere velimus ante omnem diem, hęc autem in ęternum manet. Quantum vero ad ſortem bonorum hominum non cœpit gloria iſta ab exordio creationis rerum.

rum. Nam in principio orbis conditi, nulli homines deceſſerunt, qui vitæ æternæ gaudia conſequi poſſent: ſicut Angeli, ex eo quod creati ſunt, in Paradiſo permanſerunt. Et dato, quòd aliqui homines ab origine orbis conditi deceſſiſſent, æthereas ſedes confeſtim aſſequi non dabatur: quia nemo ad vitam æternam aſcendere potuit, vſq; poſt reſurrectionem Saluatoris. Ante hanc enim nondum prorſus omnes peccatorum pœnalitates ablatæ erant, ſicut in ſuperioribus probatum eſt. Dicendum ergo eſt, gloriam hominum in Paradiſo cœleſti vſque ad diem Aſcenſionis Domini noſtri non cœpiſſe: hæc enim illis fuit prima dies gloriæ in cęlis, quamquam non eſſet ſimpliciter primus dies Paradiſi. Nam dies Paſſionis Domini Ieſu, fuit prima dies ſimpliciter, qua animæ glorificari in Deo cœperunt reuelata eis diuina eſſentia: ita vt eadem eſſet dies conſummatæ redemptionis, & inceptæ glorificationis, quòd ad excellentiſſimum ordinem pertinet, ſcilicet, vt Paſſio Saluatoris immediatè ſuam haberet efficaciam. Sic enim Saluator noſter moriens dixerat ſecum pendenti latroni: hodie mecum eris in Paradiſo: in cęlo tamen empyreo vſque ad diem Aſcenſionis Redemptoris glorificatæ non ſunt: ex tunc enim incepta gloria ſanctorum vſque hodie manet, atque hoc modo vſque ad diem manebit iudicij. Poſt illum verò diem magnum domini, Beati, qui participes ciuitatis Dei futuri ſunt, in corpore & anima vniti, in illa manebunt inenarrabili requie vſque in æternum nunquam deſitura, ſicut de gehennalibus incendijs dictum eſt.

Prima dies qua animæ glorificari in Deo cœperunt.

An æqualis, ſit gloriæ felicitas omnibus, qui in cælo ſunt. Cap. CLXX.

Circa hanc ſanctorum felicitatem in vita æterna, amplius ſpeculandum occurrit, quòd non omnibus, qui in felicitate Paradiſi manebunt, æqua erit gloriæ participatio. Sed quidam amplius Deum cognoſcent, & intenſius gaudebunt: alij vero minus, & intelligent, & lætabuntur ſecundum menſuram æqualium aut inæqualium meritorum, quibus illam felicitatem adepti ſunt. Nam cum merces vitæ æternæ in cognitione conſiſtat: iuxta id, quod habetur Ioannis 17. cap. ſcilicet. Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te. cum hanc felicitatem propter merita conferat diuina dignatio, neceſſe eſt vt ei abundantius hæc gloriæ perceptio communicetur, qui viuens potiora merita habuit. Et cum ſubſtantia gloriæ in viſione atque cognitione diuinæ eſſentiæ conſtet: neceſſe eſt, vt clarius Deum cognoſcat, abundantiuſque in eo cognito delectetur, qui dum vixit excellentiora merita habuit. Aliquis autem inſiliet fortaſſis in ea, quæ dicta ſunt, dicens, impoſſibile eſſe, vt in vitæ æternæ felicitate quis alio felicior ſit, intelligendo plura capiés aut delectatione percipiens. Nam in vita æterna Paradiſi, hominibus conſummata, & plena requies eſt, & finis appetitus: quoniam conſequuntur omne quod volunt: nec ſunt in deſiderio alicuius boni, quod non habeant, & perfectè fruantur. nã ſi quid deſiderarent, quod eis nondum adeſſet, ex omni parte felices non eſſent. Sicut hominibus nunquam hæc contingit felicitas, quia nunquã omnium appetituum eis præuenit quietatio, quia aliqua eis abſunt, quæ ineſſe vellent, & alia inſunt quæ abeſſe cuperent. Ex his ergo patet, neminem in vita æterna felicem futurum, quouſq; intellectus ſuus omnia percipiat, quæ deſiderat, & omnia ad quę eſt in potentia ad intelligendum. Si enim dicamus, humanos intellectus ad magnam intelligendi excellentiam eleuari: nec tamen contingere eis, vt omnia deſiderata, & ad quæ in potentia ſunt intelligant, non eſſent vſquequaque felices. Sic enim nunc ad inuicem hominibus conſtat: nam licet quidam ſupra alios excellenter valde intelligant, nullus tamen aut quæ vult prorſus, aut totaliter, ad quæ in potentia eſt ad intelligendum intelligit: ideo dum viuimus, ſemper intellectui noſtro deſiderium ampliora intelligendi ineſt: nec in vlla intellectione ſufficiens ſibi in intelligendo videtur. Si tamen vllatenus homini contingeret, vt tantum intelligere valeret, ad quanta intellectus

A ſuus in potentia ad intelligendum eſt, ſatisfactum ſibi in intelligẽdo videretur, nec vlterius operam daret ampliora intelligendi. Si igitur in Paradiſo gloria eſt, quæ eſt perfectum bonum, neceſſe eſt, vt intellectus noſter intelligat omnia, quæ deſiderat intelligere, & ad quę eſt in potentia vt intelligat, alioquin ei ſolida nequaquam conſtaret felicitas. Intellectibus tamen humanis talis habitudo conſtat, quòd etſi non omnes æqualiter intelligant, quia non æquales nec æqualis acuminis ingenij ſunt: nemo tamen eſt, qui non ſit in potentia ad æqualiter intelligendum cęteris etiam excellentiſſimis. Ideo non putabit ſibi in intelligendo ſatisfactum, nec erit quouſque æquè cum quolibet, & acutiſſimi viri ingenio intelligat, & ſicut altiſſima ingenia non ſatiantur, quouſque omnia, ad quæ in potentia ſunt, intellexerint: nec
B quodlibet quantuncunque rude ingenium ſufficiens ſibi erit, quouſque illa eadem intelligat. Cum ergo humani intellectus ad intelligendum æqua in potentia ſint, cum omnes ſint eiuſdem naturæ: alioquin ſecundum ſpeciem vnus altero perfectior eſſet, cum perfectibilior, id eſt in potentia capiendæ maioris perfectionis ſit, ſequitur, quòd nulli eorum perfecta conſtabunt lætitia, quouſque minimo eorum ſecundum præſentem intellectionem tanta intelligere contingat, quanta intelligit altiſſimus, & ſic omnes intellectus in cognoſcendo erunt æquales. Quo fit, vt non videatur clarius, atque amplius diuinam eſſentiam cognoſcere beata Dei genitrix, quam anima minoris meriti, quæ ſit in tota felicitate Paradiſi. Quia ad tanta eſt in potentia intelligendi anima minoris meriti, quæ ſit in felicitate Paradiſi, ad quanta eſt anima ge-
C nitricis glorioſæ Dei: cum eiuſdem natura vtraque ſit.

In Paradiſo, tantum & tot quilibet intelligit, ad quot prius erat in potentia. Cap. CLXXI.

AD hæc autem reſponderi oportet, omnibus animabus in Paradiſo manentibus perfectam conſtare lætitiam, & tantum quælibet continet quantum continere poteſt: cuilibetque contingit totum, ad quod naturaliter erat in potentia; quamobrem plena ei contingit lætitia, & appetituum quietatio. Hoc tamen dato, adhuc ſemper inæqualitas cognitionis conſtat animabus manentibus in felicitate Paradiſi. Ad cuius quandam euidentiam, inſpiciendum eſt, intellectus noſtros eſſe imperfectiores ſubſtantias inter omnes ſubſtantias ſpi-
D rituales: maioris quippe perfectionis naturalis angelici ſpiritus ſunt, maioriſque perfectionis diuina ſubſtantia. Et ſecundum quòd, differentia in perfectione ſubſtantiæ ſpiritibus ineſt, ita in eorum intellectionibus maior excellentia eſt. Et quoniam intellectus noſtri in omnibus ſubſtantijs ſpiritualibus, imperfectionis gradum extremum tenent, neceſſe eſt, vt pauciora, omnibus alijs intelligentibus ſubiectis, ſpeculari queant. Et quia intellectus noſter non eſt intelligentia ſeparata, ſicut angelici ſpiritus, quibus ad corpora commercium nullum eſt, ſed naturaliter corpori vnitus eſt, tanquam pars ſpeciei humanæ, atque ex conditione ſpeciei determinatur ad manendum in corpore. Amplius autem intellectus noſter naturaliter nullius intelligibilis ſpeciem in ſe habet, ſed omnes per ſenſitiua ſuffragia men-
E dicat, acquirendo per quinque potentias ſenſitiuas quinque generum obiectorum. Et quia ſpecies iſtæ intelligibiles, per ſenſitiuas potentias mendicatæ à rebus corporalibus aſſumuntur, ſecum quoque quaſdam conditiones corporũ trahũt, quib. intellectus noſter naturaliter ad intelligendũ in potẽtia eſſe non potuit, niſi ad res corporales, & corporearum conditiones, & hæ ſunt omnes res naturales. Vnde ſi alicui hominum daretur, omnes res corporeas vniuerſi intueri, atque perfectè cognoſcere tam elementa & elementata, quam cœleſtia corpora cum omnibus conditionibus eorum, & cauſis, hic intelligeret cuncta, ad quæ intellectus ſuus erat in potentia intelligendi, in quibus quieſceret nihil vltra inueſtigans, niſi fortaſſis vlteriora eſſe quædam ſpeculanda ex fide, aut aliàs audiret, vel à Deo ad hæc ſpe-

Intellectus quomodo cognoſcat.

ſpeculanda moueretur. Hoc autem nulli hominũ quoad vixit collatum eſt: niſi homini Chriſto, qui Deus pariter, & homo erat. Deus autem eſt ſubſtantia purè ſpiritualis ſuper omnem corporeitatem atque corporum conditionem: ideo intellectus noſter non eſt in potentia naturali ad claram Dei cognitionẽ; Deo quippe nulla corporalis correſpondet ſpecies, qua cognoſci valeat ab intellectu noſtro modo humano, & connaturali intellectui noſtro. Quamobrem, quamuis intellectus noſter Deum clare cognitum non haberet, ſi omnia naturalia, ſcilicet corpora, & conditiones, & cauſas eorum cognoſceret, nihil amplius cognoſcere deſideraret, nec eſſet naturaliter in potentia ampliora inueſtigandi, aut intelligendi.

De cognitione animæ in Paradiſo. *Cap. CLXXII.*

NVnc autem iuxta prædicta conſiderandum adhuc eſt quod, cum aliqua felicitabilis anima ad regionem peruenit æthercam, Deus ei infundit clariſſimam cognitionem omnium corporalium, tam elementalium quam cęleſtium, & conditionum ſuarum atque cauſarum, & ſic non manet amplius ille intellectus in potentia naturali ad vlteriora intelligendum. Et quãuis nihil ei vltra intelligendum daretur, nõ maneret ei vllũ intelligẽdi deſideriũ, ſed quies; cum tñ haberet quãtum naturaliter capere poterat, nulla in eo vlteriori manente capacitate aut potẽtia. Nã cum ſua capacitas in ſolis corporalibus entibus, & cõditionib. atq; cauſis eorum cõſiſtat: hoc ſuſcepto manere vlteriorem capacitatẽ impoſſibile eſt. Amplius aũt ſciendum, hanc de corporalibus rebus, & conditionib. atq; cauſis à Deo datam cognitionem, animab. vitæ æternę gaudia acquirentibus, æqualem eſſe in omnibus, nec in hoc excedit intellectus Dei genitricis animam alicuius exiſtentis in Paradiſo, quãtuncũq; parui meriti ſit. Tanta enim, & æquè lucide de elementis, & elementatis, de corporibus cęleſtib. & motibus eorum cęteriſque proprietatibus, de plantis atque animalibus, eorumque differentia, anima minoris meriti, quæ ſit in tota Paradiſi vniuerſitate nota habet, quanta anima virginis benedictæ, & quantum ad æque eis bona ſunt. Nam ſecũdum naturã intellectus benedictæ virginis, & cuiuſlibet hominis ſunt vnius ſpeciei: neceſſe eſt igitur perfectionem ſubſtantialem eorum eſſe ęqualem. Vnde, quamquam cum Domina bñdicta viueret ſine alicuius gratiæ ſpecialis infuſione, ſola diſpoſitione naturalis luminis intellectus ſui, & diſpoſitione cõueniente organica pluribus viris altiora conſpiceret: neceſſe tamen erat, rudiſſimi virorum intellectum ad tanta intelligenda eſſe in potentia & tam acute, ad quãta intellectus virginis erat in potentia. Et quia in vita æterna in felicitate Paradiſi perfectum bonum eſt, oẽs euacuantur defectus, & cunctæ complentur inopiæ, & vacuitates, quas homines dum viuerent patiebantur: neceſſe eſt, vt quicunq; ibi fuerit omnia intelligat, ad q̃ eſt in potentia intelligẽdi ſecundum naturam. Et vt probatum eſt, oẽs humani intellectus ſunt æquè in potẽtia ad intelligendum res naturales, conditiones, & cauſas earum: cum ergo hi intellectus fuerint in felicitate Paradiſi, neceſſe eſt, vt omnia corporalia, & cõditiones ſuas æquè intelligant. Nam ſi daremus aliquem intellectum humanum in felicitate ætheręæ ſedis abundantiora de naturalibus atque acutius intelligere alijs intellectib. cum omnes intellectus æqualiter in potentia ſint ad intelligendum res naturales, & conditiones ſuas, inferretur eas animas, quæ tanta, & tam acute ſicut alię de naturalibus non intelligunt, non habere complementum pro omnibus imperfectionibus ſuis, quas in vita corporali tenuerunt, quia non tanta intelligunt, ad quanta ſunt in potentia vt intelligant. Quo dato non eſſent perfectè felices. Supradicto autem modo dicendum eſt, ꝙ oẽs intellectus, qui in vita æterna ſunt, in omnibus defectibus, quos tenuerũt, & capacitatibus iam completi ſunt, nec ſunt in potentia vt intelligant ampliora, & excellentiora q̃ intelligunt, cum eorum capacitas repleta ſit.

Tantũdẽ quælibet aĩa intelligit, quãtum alia & nobiliſſima.

F *De quodam modo intelligendi.* *Cap. CLXXIII.*

AMplius autem aduertendum eſt, quod ſuper hanc intellectionem de omnibus rebus naturalibus, & conditionibus earum eſt alius modus intelligendi, & intellectio ſcilicet cognoſcere Deum clarè, & in hoc eſt felicitas Paradiſi, & quantum ad hoc non eſt in potentia naturali intellectus noſter, quia non habet capacitatem pro illo, nec aliquid ſecũdum quod ad talem perueniat intellectionem. Vnde ſi anima a corpore ſoluta in cęlo empyreo poneretur, vbi aliæ animæ beatæ ſunt, & Deus nihil ei ſupernaturalis capacitatis apponeret, non videret Deum clarè, nec ampliora ibi de Deo intelligeret, quam nunc cum in corpore degit. Sed dicẽdum eſt, quod cum anima beatificanda empyream petit ſedẽ
G viſione diuina felicitanda, quia Deus eſt ens purè, ſuper naturæ conditionem non habet anima noſtra aliquam virtutem, per quam clarè illum cognoſcere poſſit, nec capacitas ei, aut potentia naturalis ad hoc recipiendum eſt, Deus dat cuilibet intellectui capacitatem, vt illum clarè intelligere valeat: Hæc autem capacitas non eſt ęqua in omnibus animabus, quoniã quibuſdã amplius, alijs verò minus concedit, & tunc quanta eſt capacitas intellectui collata ad Deum intelligendum, tanta eſt in potentia ad eum intelligendum. Si autem magnam contulerit capacitatem, in potentia ad multa intelligenda erit, ſi vero paucam erit in potentia ad pauca intelligenda de Deo. Hanc autem capacitatem Deus complet, quia quantam alicui capacitatem intelligẽdi de ſeipſo contulerit, tãta eum mox intelligere facit. Si enim Deus
H alicui intellectui magnam de ſeipſo daret capacitatem, tamen modica faceret intelligere, eſſet ille intellectus in potentia ad intelligendum plura de Deo, & ſic nondum eſſet felix, quouſque illa eſſet expleta capacitas. Et quia omnes, qui in vita æterna ſunt, felices ſunt: neceſſe eſt, vt quantam quis de Deo capacitatem ad intelligendum habuerit, tanta intelligat; & quod Deus de ſe ipſo tanta alicui intelligenda tribuat, ad quanta intelligenda ei tribuit capacitatem. Hoc modo aliquis in nullo intellectu defectus manebit, aut potentialitas. Hæc autem capacitas, quam Deus ſupernaturaliter tribuit de ſe ipſo intellectibus felicitandis, nõ eſt æqua omnibus, ſed gradualem habet differentiam iuxta differentiam meritorum: nam qui ampliora habet merita, maiorem capacitatem recipit, & euidentius atque plura de Deo
I intelligit: Alij autem, quibus minora viuentibus merita extiterunt, minorem de Deo recipiunt capacitatem, & conſequenter pauciora intelligunt, vnde minus felices ſunt, cum per illud intelligere felicitas ſit. Hoc modo diuerſitas concordanda eſt ſubapparens, ſcilicet, ꝙ omnes, qui in vita æterna ſunt, æquales in felicitate ſũt: nulli tamen aliquis defectus aut capacitas inexpleta manet, velut in menſuris inæqualibus eſt. Duorum enim vaſorum inæqualiter capacium, cum vtrunque plenum fuerit, neutrum ad aliquid amplius potentialitatẽ, aut capacitatem habet. Inæqualiter enim iſta recipiunt, tñ nulli ad maiora capacitas manet. In beatis vero modus iſte eſt: Deus enim illis inæquales de ſe ipſo capacitates dedit, iuxtas inæqualitates meritorum: ideo cum hę ca-
K pacitates plenæ fuerint, neceſſe eſt, vt magis intelligant quidam beati quàm alij: tamen nullus in potẽtia ad ampliora intelligenda erit, cum capacitates eorum plenæ ſunt. Ad argumentationem autem, quam quidam faciebant, qua probare nituntur, omnes qui in vita æterna ſunt, æqualiter Deum intelligere, & conſequenter omnibus æquam conſtare felicitatem, reſpondendum eſt. Cum enim dicunt, omnibus, qui in Paradiſi felicitate ſunt, cõpletas eſſe potentialitates cunctas, deſideria, & capacitates, ſ. quod tanta intelligunt, ad quanta intelligenda in potentia ſunt. Sed omnibus hominibus hoc commune eſt, ꝙ ſint æqualiter in potentia ad intelligenda, quia quamquam non inſit omnibus æqualiter intelligere, eſt tñ potentialitas æqualis. Ad intelligendũ ergo, oẽs æqualiter intelligent. Reſpõdendum eſt oẽs potẽtialitates, atque capacitates intellectuũ ad intelligere

æqualeſ

æquales eſſe quantum ad ea, ad quæ intellectus ſunt naturaliter in potentia. Hæc aūt eſt q̄tum ad omnia entia naturalia. Sunt.n.oēs humani intellectus in potentia ad intelligendum omnia corporalia, & eorum conditiones ac cauſas, & quantum ad hoc dicendum eſt, ꝙ ſicut potentialitas in omnibus intellectibus æqualis eſt, ita omnes in vita æterna æqualiter intelligunt. Omnes enim beatorum intellectus cuncta naturalia intelligunt, nec intelligit plura de naturalibus aut acutius excellentior beatus in tota Paradiſi vniuerſitate, quam minimus, qui viuens minimorum extitit meritorum. Hoc modo verum eſt in omnibus beatis æquam cōſtare capacitatem, atque intelligere, ſicut in ſuperioribus declaratum eſt. Præter hanc capacitatem naturalem, eſt quædam alia ſupernaturaliter collata, quam Deus in præmium beatis concedit, vt eum intelligere clarè queant: in hoc autem, ſicut merita, propter quæ dantur, fuerunt inæqualia, ita & capacitates inæquales ſunt, & conſequenter magis quidam, alij vero minus intelliguntur; alij tamen ad maiora, quam intelligat capacitas, aut potentialitas, mutetur, nec vllus defectus ineſt.

Oēs beatorū intellectus cūcta naturalia intelligūt.

Quomodo animæ ad receptacula tendant.
Cap. CLXXIIII.

CVm autem in prælibatis de tribus præcipuis animarum corporibus ſolutarum receptaculis egerimus, qualiter ad hęc tendant, ſuperueniendum eſt: propter hoc enim longa nobis ex ſuperioribus de his locis extitit ſpeculatio. In quo ſupponendum eſt, quod in ſuperioribus dicebatur .ſ. animas bonorum virorum corporibus ſolutas ſine aliquo onere inexpletæ ſatisfactionis, mox in æthereas ferri ſedes, qui vero in caritate decedentes à corporibus alicuius explendæ ſatisfactionis onere premuntur, purgatorias ſedes petunt tamdiu ibi permanſuræ, quouſque inexpletam ſatisfactionem exegerint. Hac autem completa in empyreas euolant regiones. Animæ autem malorum vere mortalibus preſſæ, atque impęnitentes de corporibus decedentes, confeſtim æternis incendijs inuoluuntur Auerni. Modus autem eūdi animas ad iſta receptacula vnicus eſt, quamquam termini ſint diuerſi. In hoc autem ſciendum eſt, cum anima corpore ſoluta horum receptaculorū quodcunque petitura eſt, non ſit opus, vt quis eam illuc ferat quaſi ad eundum opem ferens, ipſa illuc ire impotente. Nam ſiue ſurſum, ſiue deorſum intendendum ſit, difficultas nulla eſt: quoniam nulla grauitas dominatur, ſicut quibuſdam elementorum, ita vt difficile ſit ſuperiora petere loca: ſed leuitas ei magna ineſt, cum quolibet elemento improportionabiliter excellentior in leuitate ſit. Potiſſime quoniam humanus ſpiritus non eſt virtus fatigabilis, ita vt alicui labori cedat, ſicut in expoſitione quarti Paradoxi inductum eſt. Anima igitur nullo corporeo inſtrumento, quo feratur, eget. Sic enim ait Gregorius quarto Dialogorum: Anima vehiculo non indiget. Hoc tamen contra virgilianam poſitionem militat in 6. Aeneidos, & contra Senecæ poſitionem Tragędia prima, qua dicitur, Hercules furens, carmine 6. diſt. tunc enim omnes animas ad inferorum tranſituras ſedem, primò ſtygiam tranſmeare paludem, aut fluuium, vt quidam vocant, vbi portitor ſedet dictus Charon animarum millia puppe vectans. In quibus verum eſt Virgilium, & magnos Poetarum alia ſecreta intellexiſſe, quæ ſapiētibus viris patent: hoc tamen vulgaribus ſuadebant, quoniam & ipſi perſuaſum ſic habebant; Poetæ autem eis applaudere cupientes, hoc Poetico ſtylo recitantes, quaſdam alias interdum veritates abſcondebāt. Propter hoc autem Iuuenalis Poeta Satyricus increpat Poetas recitantes iſta figmenta, quæ incredibilia eſſe dicit in Satyra ſecunda, quæ incipit. Vltra ſauromatas libet ire, & glacialem, cum ait.

Eſſe aliquos manes, & ſubterranea regna,
Et contum, & ſtygio ranas in gurgite nigras,
Atque vna tranſire vadum tot millia cymba.
Nec pueri credunt, niſi qui nondum ære lauantur.

A In quibus Iuuenalis animas ſub terra apud inferos non eſſe dicit, nec portitorem earum, nec puppem, & ſtygios amnes. Ex prædictis autem illatum patet, animabus corpore ſolutis nullum ad tendendum in debitas ſedes adminiculum eſſe neceſſarium.

Nunquid anima corpore ſoluta, cum receptacula petituræ ſunt, illuc pauliſper eant. Cap. CLXXV.

AMplius autem in his ſpeculandum occurrit, an cū animæ corpore ſolutæ aliqua receptacula petituræ ſunt, illuc pauliſper eant. ſ. prius per quādam ſpacij partem motæ, deinde per alteram, aut ſimul illuc tendant, tranſeundo omnes partes locorum intermedias loco, in quo corpus anima ſolutum, & loco, in quo manſuræ ſūt: B an mox, vt corpora reliquerint, nullo interiecto, aut temporis, aut magnitudinis pertrāſito ve ſpacio, in receptaculo ſuo ſint, ſcilicet, in purgatorio loco, vel æthereis ſedibus, aut æternis gehennæ incendijs. Dicendum autem eſt, animas de corpore egreſſas aliqua receptacula petituras, non tranſire aliquas particulas ſucceſſiuè mediorum ſpaciorum. ſ. ꝙ dum anima corpore ſoluta empyreas ſedes petitura eſt, non pertranſit aeream regionem, aut ſphęrę igneæ globum, nec per magnitudinem profunditatis orbis lunaris, & cōſequenter per magnitudinem circuli Mercurij, nec per alios intermedios orbes vſque ad empyream regionem: ſed mox, vt de corpore egreſſa fuerit, in empyreo incolatu eſt. Sic quoque cum anima ad ſtygias tendit ſedes: non tranſit per totam terræ magnitudinem, & groſſiciem vſque ad abyſſum in C ipſas tartareas regiones, ſed nullo horum pertranſito, mox vt a corpore egreditur in gehenna eſt. Hoc autē nō, quia anima ſit tantę agilitatis, vt in inſtanti quaſi omnia hæc ſpacia pertranſire queat. Sed quia nullum horum locorū tranſit, quin potius mox, vt a corpore egreſſa fuerit, nullo pertranſito in ſuo receptaculo, quo manſura tendit, eſt, ſcilicet, in inferno, aut purgatorio loco, vel æthereis ſedibus: velut ſi empyrea ſedes, purgatorium, & gehenna immediata eſſent corpori, de quo anima humana egreditur. Anima enim, cum ſua petit receptacula, non tranſit loca media, non tanquam compendio vti velit, ſed quia, etiamſi cuncta tranſire voluerit, impoſſibile eſt. Nam ſi media loca ſibi pertranſeundum eſſet, neceſſe eſſet, vt moueri poſſet: animam tamen corpore D ſolutam moueri impoſſibile eſt. Ratio huius eſt, quoniā ſi anima p omnia media loca interiecta corpori, de quo egreditur, & receptaculo, in quod tendit moueretur, neceſſe eſſet, vt motus iſte continuus, vel diſcontinuus foret, ſcilicet, quia aut per omnes partes medij nulla intermiſſa moueretur, aut nequaquam. Si autem dicamus non moueri per omnes partes medij, ſed cum nunc ſtaret in vna, confeſtim ſtaret in alia diſtantia, inde medijs non pertranſitis non erat iſte motus, quoniam in motu ponitur medium, per quod fit motus, & termini, & in terminis nullus motus fit: ſed tota ſubſtantia motus in medio eſt: hic tamen termini ſunt, medium autem nullum eſt. Si autem dicamus motum animæ per ſpacium continuum fore ſcilicet, vt tranſeat ſingulas partes medij, ſequeretur, quod anima, quantun- E cunque velociter moueretur, non poſſet pertranſire in decem millibus annorum quantitatem vnius digiti in latitudine. Hoc autem patet, quia mobile corpus pertrāſit ſingulas partes medij, & replet ſua magnitudine ſingulas partes mediorum locorum, cum motus localis ſit ſecundum acquiſitionem continuam locorum, & deperditionem locorum, anima autem indiuiſibilis eſt, neceſſe eſt igitur, vt omnia indiuiſibilia media pertranſiret. Non.n. poteſt anima pertrāſire per diuiſibilia locorum, cum indiuiſibilis ſit, & nō occupet magnitudinem. Neceſſe eſt igitur, vt cum continuè tranſierit, traſeat per omnia indiuiſibilia medij. Et quia nulla pars ſpacij eſt quātumcunque parua, quæ in infinitum diuiſibilis non ſit, iuxta Ariſt. ſententiam in 2. & 6 Phyſi. neceſſe eſt, vt anima ſemper mota nunquā cōpleret vnam particula ſpacij tranſeundo quantumcunq; parua foret. Nam ad tranſeun-

Cur anima moueri non poſſit.

ſecundum illam, neceſſarium erat infinitum tempus, cũ F in qualibet parte magnitudinis īfinita indiuiſibilia ſint. Infinitum etiam impertranſitum eſt. i. impertranſibile iuxta Ariſt. Patet ergo animam nullatenus moueri poſſe per aliquod ſpacium diuiſibile, ſiue continuus motus ille ſit, ſiue diſcontinuum ponere maluerimus: motus ergo per ſe in anima localiter impoſſibilis eſt.

Rationes aſſerentes animam nullatenus moueri. Cap. CLXXVI.

HIs autem adijcitur animam nullatenus moueri: nã omne, quod mouetur, ſecundum doctrinam omnium de natura loquẽtium, partim eſt in termino à quo, & partim in termino ad quem: animam tamen partim eſſe in termino à quo, & ad quem impoſſibile eſt: animã G igitur moueri patet impoſſibile. Quod patet, nam cum anima alicubi fuerit, neceſſe eſt eam eſſe in indiuiſibili, cum non poſſit maiorem occupare quantitatem, quam ipſa ſit, ſi ipſa indiuiſibilis ſit: ergo repugnat ei eſſe ſimul in parte termini, a quo & ad quem: quoniam ſic eſſet in diuiſibili, cui pars & pars diuiſionem dicant: impoſſibile ergo eſt animam moueri. Amplius autem cum aliquid mouetur, tranſit per omnes partes ſpacij illius, per quod mouetur: animam autem tranſire per aliquam partem ſpacii, ꝑ quod moueri dẽt, impoſſibile eſt: ergo moueri eam nullatenus continget. Quód autem non poſſit anima tranſire aliquam partem medii, per quod tranſitura eſt, patet: nam aut mouetur continuè, aut diſcontinuè. Non quidem diſcontinuè, quia iſte non erat H motus, cum non tranſeatur per aliquam partem medij, ſed cum mobile fuerit in aliquo termino, confeſtim erit in altero, quod magis vocaretur mutatum eſſe. Si autem dicamus motum iſtum continuum eſſe, neceſſe eſt, vt anima tranſiret omnia indiuiſibilia media, vt ſupra inducebatur: ſed hoc impoſſibile eſt, quia iſta indiuiſibilia ſunt infinita, infinitum autem impertranſibile eſt, vt patet in 6. Phyſic. Sed adhuc relicto hoc inconueniẽti, quod ſupra inductum eſt, aliud apparet: nam dato ꝙ aĩa poſſet tranſire per omnia indiuiſibilia, quæ ſunt in medio, tamen non tranſiret per medium. Nam tunc anima iſta non tranſiret ſuper aliquas partes diuiſibiles magnitudinis pertranſibilis, ſed ſuper indiuiſibilia eius, quæ ſunt puncta. Indiuiſibilia autem, non ſunt partes continui, & diuiſibilis: nam totum in partes ſuas reſoluitur, & ex eis conſtat per compoſitionem, nullum I tamen continuum componi poteſt ex indiuiſibilibus, nec reſolui in indiuiſibilia, vt inducit Ariſt. 6. Ethic. cap. 1. Si quis igitur ſolum tranſeat ſuper omnia indiuiſibilia alicuius magnitudinis, non tranſit ſuper aliquam partem illius magnitudinis. Nam omnia indiuiſibilia ſimul ſumpta alicuius magnitudinis, non ſunt partes illius magnitudinis, aut vna pars ſaltem: non poterit ergo anima moueri ſuper aliquod ſpacium, cum nullas illius ſpacij partes pertranſire queat. Amplius verò animam continuè moueri per aliquod ſpacium impoſsibile eſt: nam dato quod tranſiret per omnia indiuiſibilia, quæ ſunt in medio, non tranſibat continuè per medium. Nam in magnitudine, quæ diuiſibilis eſt, inter duo indiuiſibilia ſemper ponitur aliquid diuiſibile, ſicut linea inter K duo puncta, ſiue copulantia, ſiue terminantia, quæ indiuiſibilia ſunt, ſemper cadit linea media, quæ diuiſibilis eſt. Nequaquam enim copulantur ſibi inuicem duo puncta: non enim eſt poſsibile, nec imaginationi ſubiectum cognito quid ſit punctus. In ſuperficiebus quoque inter duas lineas in tranſuerſo ſemper ponimus mediam ſuperficiem. Nequeunt enim duæ lineæ ſecundum latera ſibi copulari, cum eis latitudo nulla inſit. In corporibus quoque inter duas ſuperficies in tranſuerſo ſemper corpus collocamus. Si ergo anima moueretur per omnia indiuiſibilia alicuius ſpacii, quia inter indiuiſibilia duo, ſemper eſt aliquod diuiſibile medium, ſuper diuiſibilia autem non tranſit anima, ſequitur neceſſario motum animæ non eſſe continuum. Quo infertur motum nequaquam eſſe, quia motus continuus eſt, diſcontinuus

Impoſsibil. eſt animã per ſpacium moueri.

autem nunquam erit, ſicut tempus, & magnitudo continua ſunt, & ſe inuicem conſequuntur, ſcilicet, motus magnitudinem, & tempus motus, iuxta Ariſt. ſententiam in 3. 5. & 6. Phyſicor. Eadem etiam aliorum de natura loquentium ſententia eſt. Ex his ergo patet impoſsibile eſſe, animam per aliquod ſpacium moueri. Quo infertur, quod ſupra dicebatur. ſ. ꝙ cum anima de corpore egreditur, non tranſit per loca interiecta inter corpus, a quo egreſſa eſt, & receptaculum quod petit. ſ. empyreũ locum, purgatorios ignes, aut ſtygium carcerem.

Quomodo anima moueatur. Cap. CLXXVII.

EA autem, quæ prælibata ſunt, in animabus ſolutis à corpore locum tenent, quoniam per ſe moueri nequeunt media ſpacia tranſeundo, quæ tamen in corporibus ſunt, per ſpacia mouentur, omnes partes medij trãſeundo, non quidem quaſi ipſæ per ſe per totum mediũ tranſire poſſent, ſed quia in corporibus ſunt. Corpora autem propriè mouentur, & quia neceſſe eſt animam eſſe vbicumque corpus fuerit, dum ei vnita eſt, neceſſe eſt animam localiter moueri corpore mutante loca. Hic autem motus in anima non eſt per ſe, ſed per accidens: quia iuxta Ariſt. ſententiam, motis nobis mouentur omnia, quæ ſunt in nobis. Et ſicut animam in corpore formaliter vnitam manentem, moto corpore moueri dicimus, ita ſi alicui alteri corpori ad mouendum vniatur, moto illo ipſa quoque mouebitur. Velut ſi aliqua anima humana corpore egreſſa, lapidem aliquem, vel lignum per aerem, vel ſuper terram moueret, quia corpus illud motum continuè, & propriè mouebatur, neceſſe erat animam ei ad mouendũ vnitam continuè moueri, ſed corpus illud per ſe, anima verò per accidens. Hic idem modus motus in angelis eſt: nam angelus in ſubſtantiæ ſuæ ſimplicitate manens, niſi aliquod corpus aſſumpſerit, aut alicui ad mouendum ſe vnierit, moueri non poterit per medium, ſed nunc ſtabit in vno puncto medii, & immediatè nullo pertranſito medio, erit in quocumque alio loco quantumcunque diſtet. Et ſi vellet angelus, manens in ſimplicitate ſuæ naturę, moueri per totum medium tranſeundo ſingulas partes, eſſet ſibi impoſsibile: repugnat enim ſimplicitati, & indiuiſibilitati naturæ ſuæ. Omnes enim inconuenientiæ, quæ de anima inferebantur ad hoc, quod nõ poſsit tranſire per medium, de angelo quoque inferentur, quoniã ambo ſimplicis, & ſpiritualis naturæ ſunt. Sed mouetur angelus, vt de anima dictum eſt, ſcilicet, quod nunc ſit in vno puncto, vel loco, & nullo medio interiecto, nec pertranſitis aliquibus ſpaciis ſtabit ſi voluerit ad ducenta millia leucarum. Nec magis angelus morabitur, tranſeundo ducenta millia leucarum, quam tranſeundo vnum digitum in tranſuerſum. Cauſa huius eſt, quia non tranſit per totum ſpacium medium. Nam ſi angelus per omnes partes mediorum tranſiret, quamquam velociſsimè moueretur: neceſſe tamen eſſet eum amplius morari pertranſeundo magnum ſpacium, quam paruum: quia tamen angelus non tranſit per aliquas partes mediorum ſpaciorum, nihil magis moratur tranſeundo decem millia leucarum, quam ſi trãſeat digitum in tranſuerſum. Si tamen angeli corpora aerea ſibi ſumpſerint, pauliſper mouebuntur, tranſeundo omnes partes medij, quemadmodum tranſeunt ipſa corpora, quæ aſſumpſerunt. Sic apparet de tribus angelis, qui in effigie virorum ad Abraham venerunt, ſedentem in conualle mambre ſub illice. Hi enim tres ibant contra Sodomam, & Abraham recto itinere procedebat cum eis, vt patet Geneſ. 18. cap. horum autem duo angeli introierunt in ciuitatem Sodomorum eadem die ad veſperum, procedentes itinere tanquam viri, vt patet Geneſ. 19. Sic quoque patet de Raphaele angelo, qui duxit Tobiam iuniorem in ciuitatem Rages per multa terrarum ſpacia, & reduxit, ambulans cum eo in forma viri, vt patet Tobiæ 5. & 6. cap. Nec dumtaxat Angeli ſuſcipientes humanas effigies, in quibus aliis hominibus ſimiles videantur, moueri queunt: ſed etiam cum nullo

Angelus niſi corpus aſſũpſerit moueri non poteſt.

Angelus ita velociter per trãſit magnũ ſpacium ſicut & paruum.

corpore

corpore ſumpto applicant ſe alicui corpori, quod extra ipſos eſt, & illud mouent. Velut ſi quis Angelorum lapidem vnum, aut hominem moueret, neceſſe tunc eſſet, vt Angelus continuè moueretur, ſicut mouetur homo vel lignum: quia Angelus illi corpori moto applicitus erat tanquam motor mobili: Hoc modo Angelus quidã mouit Abacuc a Iudæa vſque in Babylonem, pendẽtem in capillo vno verticis ſe, & poſuit eum ſuper lacum leonum in Babylone cum alueolo ſuo, in quo cibos meſſoribus deportabat: quos Danieli in lacu poſito protulit. De quo Danielis 14. c. Hoc modo Angelus quidam mouebat columnam nubis præcedentem Iudæos exeuntes de Aegypto per deſertum, & ſicut nubes illa pauliſper mouebatur, ita & Angelus ille tranſiens omnia loca, quę nubes illa pertranſiret: de quo Exo. 14. In quo apparet illos nimis errare, qui dicunt animas de corpore egreſſas, aliquantum ſpacij manere, quouſq; ad receptaculum, quod petunt, accedant, ſcilicet ætheream regionem, vel Gehennam, aut purgatorios ignes, & quod omnia intermedia loca inter corpora à quibus egrediuntur, & receptacula, ad quæ tendunt, pertranſeant.

Nunquid, quando animæ corporibus ſolutæ petunt receptacula, aliqua eis ianua reſeretur. Cap. CLXXVIII.

IN prædictis alia ſubapparet ambiguitas, ſcilicet, an quando animæ corporibus ſolutæ æthercam ſedem petunt, aut Gehennæ loca, vel purgatorios ignes, aliqua eis ianua reſeretur, qua illuc introeant. Cui reſpondendum eſt, nullam huius portam, nec eſſe, nec aperiri. Primò autem circa inferni loca ſpeculandum occurrit, idẽ circa purgatorium locum, & puerorum lymbum, hæc enim tibi loca contermina ſunt in corde terræ, quod infra nos eſt, vt in prioribus probatum eſt. Iter autem ad iſta pęnalia loca eſt per viſcera terræ, ſcilicet ſi quis illuc tendere deberet viator, neceſſe eſſet terram ſcindi, aut aliquem magnum patere hiatum vſque ad locum, in quo pœnalia iſta receptacula ſunt. Cum tamen animabus damnatorum ad ſtygias ſedes deſcendendum eſt, nulla terræ vorago aut feneſtra magna, vel parua aperitur, qua iter animabus pateat vſq; in pęnalitatum loca, nec ab antiquo aliquid tale conditum eſt. Hoc autem dupliciter patet: primò quidem ex his, quæ ſupra inducta ſunt, ſcilicet, quòd cum animæ de corporibus egreſſæ receptacula ſua, Paradiſi, aut Auerni, vel purgatoriæ clementiæ petituræ ſunt, non tranſeunt ſpacia media, ſed mox vt a corporibus egreſſæ fuerint, in inferno ſunt, aut in purgatorio igne aut in æthereã ſede. Hoc ergo conſiſtente nullius feneſtræ vſus neceſſarius eſt, vt infernus aut aliud animarum pateat receptaculum. Porta quippe in Gehenna neceſſaria eſſet, vt illi, qui foris manerent intra reciperentur: ſed vt inductum eſt, anima infernam petitura manſionem mox vt corpore ſoluta fuerit, intra ipſa Gehennæ incendia conuoluta eſt. Porta ergo in inferno nulla expedit aut aliqua vorago, vel hiatus. Secunda ad idem ratio eſt, quoniam porta fit, vt aliquid introeat, quòd non exiſtente porta, vel hiatu ingredi non valebat: animæ tamen, & cuilibet ſpiritui æque facile eſt per lapidem aut parietem, vel lignum introire, ſicut per patentem ianuam: non oportebat igitur nec qualitercunque expediebat, vt ianua quæcunque in inferno pateret, qua ingreſſuris animabus iter panderetur. Quod autem animabus æque facile ſit lapidem, aut parietem penetrare, ſicut per portam tranſire, patet, quia cauſa, quare homini peruium non ſit lapidem aut parietem penetrare, ſicut per portam aditus patet, eſt reſiſtentia vnius corporis ad alterum. Quodlibet namque eorum diuiſibile eſt dimenſiones habens: ſed nequit fieri penetratio dimenſionum, iuxta Ariſtot. doctrinam quinto Phyſicorum. In animabus autem e contrario accidit: quoniam anima dimenſiones nullas quantitatis habet, quamobrem nullum corpus occupare poteſt, nec eſt in hoc penetratio dimenſionum: nam anima indiuiſibilis eſt: ideo ſibi in-

A diuiſibile competit in tranſitu: nam nec ipſa corpora penetrabit, nec ei corpora vllum præſtabunt impedimentum. Quamquam igitur anima Gehennalem petitura ſedem, totum medium pertranſit, non erat neceſſe aliquas eſſe feneſtras factas, aut hiatus terræ, quibus animabus ad viſcera terræ, & tartarea regna pateret acceſſus.

Obiectio contra prædicta. Cap. CLXXIX.

COntra hæc autem aliquis molietur inducere nitẽs viam eſſe, qua eatur in tartareas ſedes, & portas, quibus illuc introitus ſit. Sic enim ponit Virg. in 6. Aeneidos, vbi latiſſimè deſcenſum deſcribit. Auerni, & loca, quibus illuc eatur atque locorum conditiones. Loquitur autem primo de hoc Sibylla Cumœa, vel Ery-

B threa vt alij appellare volunt. Hæc enim Aeneam ad inferos deſcendentem dirigebat, dicens.

Tros Anchiſiade, facile deſcenſus auerni.
Noctes atque dies patet atri ianua Ditis,
Sed reuocare gradum, ſuperaſque euadere ad auras;
Hoc opus hic labor: pauci quos æquus amauit
Iuppiter,
Aut ardens euexit ad æthera virtus
Dijs geniti potuere. tenent media omnia ſyluæ
Cocytuſque labens ſinu circumuenit atro.

In quibus Sibylla ad Aeneam loquitur dicens. Tros, ideſt Troiane Anchiſiade ideſt fili Anchiſe, facile eſt deſcendere ad Auernum. Ianua quippe Ditis principis inferorum diebus, & noctibus patens eſt, ſed redire ab inferis ad videndum cælum, & ſpirandas illas auras la-

C bor eſt, & rariſſimi poſſunt niſi filij deorum, & hi, qui propter magnarum virtutum excellentiam in ſydera tranſlati ſunt, quos ſemideos appellauit gentilitas, & in circuitu huius Auerni quidam fluuius niger eſt, quẽ cocytum illum appellauit antiquitas. De portis quoq;, & deſcenſu ad inferos euidentius idem Virg. ait in eodem ſexto Aeneidos dicens.

Hinc via tartarei, quæ fert Acherontis ad vndas
Turbidus hic cœno, vaſtaque voragine gurges
Aeſtuat, atque omnem Cocyto eructat arenam.
Portitor has horrendus aquas, & flumina ſeruat
Terribili ſqualore Charon.

Ecce enim deſcenſum, & flumina poſuit circumdantia regionem inferorum, & ipſum animarum portitorẽ,

D qui Charon dicitur. Hanc eandem ſententiam de via, & deſcenſu ad inferos ponit Seneca in tragedia prima, quæ dicitur, Hercules furens, in carmine ſexto, vbi introducitur rex Amphitrion quærens a Theſeo conſorte Herculis de deſcenſu ad inferos, & portis.

Idem quoque Ouid. Metamorph. lib. 4. cum de inferorum ſitu agit, ſcilicet.

Eſt via decliuis funeſta nubila ſaxo.
Ducit ad infernas per muta ſilentia ſedes.
Styx nebulas exhalat iners, vmbræque recentes
Deſcendunt illac ſimulachraque functa ſepulchris,
Pallor, hyemſque tenet latè loca ſenta, nouique
Qua ſit iter manes ſtygiam qui ducat ad vrbem
Ignorant, vbi ſint nigra fera regia Ditis

E *Mille capax aditus, & apertas vndique portas*
vrbs habet.

Quorũ ſñia eſt: via, qua itur ad inferos, eſt decliuis, i. deſcendens, & nebuloſa operta fagis trilibus, atq; loca itineris muta ſunt, qm̃, etſi ibi multi ſint, nemo tñ loquitur quidquam: ibi enim fluuius vel lacus, vt alijs placet ſtyx dicta eſt, quæ nebulas exhalat. illuc. n. deſcendunt animæ recenter egreſſæ de corporibus, & figuræ corporum, quæ manent in ſepulchris. Hæc loca itineris ſpinis plena atque pallida ſunt, faciem prætendentia hyemis, animæque nouiter ſolutæ corporibus, quò ad vrbẽ infernam pergatur iter ignorantes per ſyluas vagantur errantes. Habet tñ ciuitas illa mille introitus, & ampliſſima receptacula: oẽs autem qui poeticè loquuntur, hunc ſequuntur modum, ponentes iter ad inferos, & portas, quibus illuc introeatur animabus: ergo introeuntibus loca inferorum portam aſſignare neceſſe eſt.

Re-

Reſponſio obiectionis mota præcedenti capitulo. F
Cap. CLXXX.

HIs reſpondendum eſt, non eſſe hanc poetarum intẽtionem, quæ in cortice literæ deſignatur, cum officium poetæ ſit, veritatem quibuſdam exquiſitis modis loquendi palliare: ſed quædam alia intelligebat ſecreta, de quibus per ſingula dici non expedit: ampliorem enim illa operis facerent diffuſionem, ſed iſta propter vulgares ſic enarrabant, quæ vulgaribus credita erant, & ipſi poetæ ideo proferebant exornantes, vt ſic quoque veritas putaretur. Et quamquam quædam horum a poetis, ſic vt dicebantur, credita eſſe fateamur, fortaſſis inconueniens nullum erit, quoniam ampliores interdũ inſanias ex intentione protulerunt, nec quidem ipſi dũtaxat, ſed etiam Phyloſophi, qui veritatem, quoad eis facultas fuit, inquirere moliti ſunt, in pleriſque defecerunt, vt ab Ariſtot. multoties eorum antiquæ improbantur poſitiones. G Quomodocumque igitur poetæ iſta protulerint, ſiue ex intentione, ſiue vulgaribus ſuadentibus, recipiendi non ſunt, quoniam rationes in eos neceſſe militant, vt inductum eſt. Adhuc autem quiſpiam obijciet, non ſolum poeticis fultum eſſe dogmatibus, inferorum locum portas habere, & viam qua illuc tendatur, ſed & hoc experientia teſte cognoſcitur. Nam in inſula Siculorum mons Aethna famoſus eſt, in quo ruptura quædam grandis eſt, quam os eſſe inferni vulgaris ſententia prodit. Eſt quoque Vulcanus mons terræ eiuſdem, in quo ruptura ſimilis eſt: huic fidem accommodant: quoniam per has terræ rupturas ignium eructuationes magnæ fiunt. Addunt quoque in his gemen- H tium animarum audiri lamenta. His reſpondendum eſt, rupturam Aethnei montis, & Vulcani ſimiliumque non eſſe inferni voragines, aut patentes portas, nec ignis, qui per eas erumpit, de infernis ſedibus prodit, ſed ſunt aperturæ, quas ignis in ipſis terræ viſceribus conceptus facit, exurens atque conſumens qui in ſulphurea natura ortum habuit. Hoc latius ſupra inductum eſt, cum de inferni locis ageretur. Cum verò dicunt gementium animarum eiulatus reſonare, dicendum eſt eſſe falſum: nam etſi ibi infernus eſſet, voces tamen audiri aut formari non poterant. Quod patet, quoniam voces in organis vocalibus dumtaxat fiũt, cum ille, qui vocat debeat organa vocalia habere, vt ait Ariſtot. in ſecundo de Anima. animabus tamen a corporibus ſeiunctis, quæ in inferno manent, vocalia organa nulla inſunt, quibus vo- I ces formare queant: voces ergo nullas formant. Si quis vero dicere velit, facultatem vocandi in animabus manere apud inferos: nam, etſi corpora connata ſibi tunc vnita non habeant: poſſunt tamen formare corpora de aere, in quibus formabunt voces. Ad hæc autem dicendum patet, animabus in inferno nullam eſſe poteſtatem vocatiuam, nec corpora aerea coniuncta habent, in quibus vocare poſſint. Corpora namque aerea, ad aliquam ſpecialem operationem aſſumuntur: ſed in inferno nulla videtur neceſſaria operatio, propter quam corpora recipere debeant, immo nullam habent operationem præter recipere pœnas, corpora igitur non aſſument. Amplius autem, etſi animæ, quæ apud inferas ſedes manent, aerea corpora fabricantes ſibi ſuſciperent, Deus quoque eas, quantum agere K poſſent, agere fineret, non poſſent tamen in aſſumptis corporibus manere apud inferos. Corpora quidem aerea ad aliquam ſoliditatem condenſata humida atque tenera ſunt: in igne ergo gehennæ manere non poſſent, ſed mox conſumenda eſſent: eſt enim ignis Gehennæ vorax valde: omniaque huiuſmodi corpora velociter deuaſtaret. Non videtur ergo vllatenus, quod animæ in inferno vocare queant. Cum verò quidam in voragine Aethnæ montis, & Vulcani aliorumque ſimilium gementium animarum audiri lamenta afferunt, reſpondendum eſt hanc fictionem eſſe dicentium: nihil quippe tale eſt.

Aiæ ĩ inf. vocare nequeant.

F *Obiectio contra prædicta, & quædam alia.*
Cap. CLXXXI.

ADhuc autem quiſpiam ad prædicta inſiſtet, dicẽdo non ſolum ex poeticis atque vulgaribus fulcimentis patere, inferorum vrbem portis, & voraginibus patere atque clauſuris interdum: ſed hoc etiam elici ex ſacræ ſcripturæ teſtimoniis. Sic enim Dauid Pſalm. 23. ſcribit Pſal. 23. dicens: Attollite portas principes veſtras, & eleuamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ. Hoc autem Eccleſia intelligit atque recitat de portis inferorum, & dæmonibus claudentibus illas, & Chriſto deſcendente atque confringente vectes eius, dæmones autem harum portarum principes appellantur, quia ipſis locus ille inhabitandi, & animas miſerabiles loco illi mancipatas puniendi poteſtas data eſt, Amplius quoque appareret, infernorum loca portas habere, & vias illuc dedu- G centes: ſic enim in agenda pro mortuis in quodam reſponſorio cantat Eccleſia, ſcilicet: Libera me Domine de vijs inferni, qui portas æreas confregiſti, & viſitaſti infernum. ecce enim inferni portæ æreæ prædicantur, & vias illuc perducentes habere. Idem autem Iſa. 5. capit. dicitur. Propter hoc dilatauit infernus animam ſuam, & aperuit os ſuum ſine termino. Ecce enim os inferni dilatatum patet. Chriſtus quoque inferni portas commemorat. Sic patet Matt. 16. ſcilicet: Tu es Petrus, & ſuper hãc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferni Matt. 16. non præualebunt aduerſus eam. Infernus ergo portas habet, & illuc perducentes vias. Huic autem reſpondendum, quod, etſi ex verbis ſacræ ſcripturæ inferri vi- H deatur infernum vias habere, & portas, non eſt tamen iſte ſenſus, qui in literę cortice ſonat: ſed ad ſenſum allegoricum iſta verba referenda ſunt: multa nempe in ſacra ſcriptura ſunt, quæ ſecundum literæ corticem intelligi nullatenus valent, ſed ad allegoriam pertrahenda ſunt. Sic enim vt in plurimum in prophetis eſt, qui in ſenſu parabolico loquuntur, ſed ad quendam alium ſenſum reducuntur. Sic autem in his intelligendũ eſt nullas eſſe inferni portas, nec voragines patentes, aut itinera: ſed ſcriptura vocat inferni portas vel feras, conformans ſe modo vulgaris locutionis, innuens infernorum ſedes obſeratas validis portis, & vectibus fore, vt ſignificetur difficultas exeundi. Et quoniam, qui gehennalibus incendiis ſemel mancipatur, nunquam inde exit, vocantur portæ inferni æternales, ideſt in æternum clauſæ I manentes, atque continentes, ne quis exeat. Sic enim patet Pſalm. 23. Eleuamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ, Et quoniam duriſſimum erat cuique ſemel manenti apud inferos egredi inde: poſitum eſt has portas duriſſimas eſſe. Et quia duriſſimorum calibs eſſe vidètur, de ære poſitæ ſunt. Sic enim vocat Eccleſia portas æreas in reſponſorio pro mortuis dicens: Libera me Domine de viis inferni, qui portas æreas confregiſti. Quod autem hæc teſtimonia ſacræ ſcripturæ, in quibus infernus portas habere dicitur, ſecundum allegoriam accipiendæ ſint, ex eiſdem patet: nam in auctoritate Iſaiæ dicebatur. Propter hoc dilatauit infernus animam ſuam, & aperuit os ſuum ſine vllo termino. Hic dicitur animam inferni eſſe, quod manifeſte falſum eſt: anima namque in ſolis animalibus eſt, infernum autem nemo K animal appellabit, qui quicquam ſapiat: ſed vocatur anima deſiderium deuorandi animas defunctorum. Os autem dicitur apertum ſine termino, vt ſignificetur ampla receptio animarum, ſ. quod multæ reciperentur, quam ob rem apertum os ſicut in animalibus eſſe debet. Idem autem ex auctoritate Saluatoris Matth. 16. patet: dicitur enim. Et portæ inferni non præualebunt aduerſus eam. Ex quo patet euidenter portas inferni nequaquam pro portis aſſumi: quoniam iſtæ portæ non præualebunt, in quo innuitur aliquas vires animatæ rei ad inuadendum, & pugandum habere: ſed porta animarum nihil eſt, cui præualere aut ſuccumbere inſit, inanimatis enim rebus nulla talis ineſt actio. Ex verbis tamen Saluatoris aliquas vires ineſſe patet portis inferni ad præualendum. Nam etſi non præualeant contra

Quõ ſacra ſcriptura dicat Inferni portas cũ nullæ ſint.

Eccle-

Eccleſiam, quia Chriſtus eam fundauit, aliquomodo tamen præualere poterant, & vires eis ad pugnandum inerant. Si autem portæ iſtæ eſſent materiales, de quibus verum eſſet, quod præualere non poſſent, verba Saluatoris ſuperflue dicta viderentur. Nam manifeſtum videbatur, quod portæ quæ materiales ſunt, nullatenus præualere poſſunt. Velut ſi quis diceret puluerem terræ non præualiturum cõtra Eccleſiam, prorſus eum ſuperflue dictum videretur. Chriſtus tamen ſuperfluè nihil diceret: nefas enim hoc eſt dicere: neceſſe eſt igitur, vt portæ illæ, de quibus Chriſtus loquebatur aliquatenus contra Eccleſiam præualere poſſent, niſi ipſe faceret: portis autem materialibus hoc impoſſibile eſt conuenire, cum nulla eis correſpondeat actio, quia nihil animatum ſunt. Neceſſe eſt igitur hanc Chriſti auctoritatem non intelligi de portis inferni naturaliter ſumptis: ſed neceſſe eſt vt allegoria, ita vt portæ inferi aliquid ſpirituale ſint, ſcilicet tentationes dæmonum quæ ad hoc nituntur, vt totam a fundamentis ſubuertant Eccleſiam. Vocantur quoque portæ inferorum, perſecutiones terrenorum principum in Chriſtianos ad deletionem nominis Chriſti debachantium, compellentiumque Chriſticolas ad infanda ſacrificia idolorum ſub capitali ſententia. Vocatur quoque portæ inferi verſutiæ hæreticorum contra catholicos ad veritatem catholicam ſubuertendam: hæc.n.oĩa inferorum portæ ſunt: quia ipſa ſunt principium perditionis æternalis in Gehennam. Hæ autem ſimul portæ inferi, aut quæuis earum non præualuerunt contra Eccleſiam Chriſti. Vniuerſæ enim, quoniam dæmonum molimeta erant, corruerunt. Ex prædictis illatum patet, hæc ſacræ ſcripturæ teſtimonia ſi conuenienter exponantur, non inducere Gehennalibus ſedibus portas vllas aut ora eſſe. Inconcuſſa ergo manent quæ dicta ſunt, ſcilicet nulla itinera ad infernas ſedes perducentia eſſe nullaſque portas, aut ſeras, vel patentes voragines, quæ ora appellamus. Nulla enim via animæ in æterna incendia tendunt, nullaſque ad ingrediendum portas habent, nulliſque indigent. Quod ſi ſtygiæ vrbi aliqua perductiua illuc via eſſet, aut porta, vel patẽns vorago, non eſſet neceſſe, vt illac animæ illigijs incendijs mancipandæ pergerent, nec per patentes introirent portas, ęque enim eis liberum erat atque perfacilè per totam terræ groſſiciem nulla data via, aut patentibus ingredi portis, ſicut ſi via latiſſima exiſteret: atque ampliſſimæ, & ſemper patentes portæ, ex rationibus ſupra tactis. Primò quidem quoniam per medium non tranſeunt: adeo via eis nulla neceſſaria, imo nec poſſibile eſt, cum via medium inter terminos dicat. Secundo quidem quoniam, etſi daretur vllatenus animas tranſire per medium, tamẽ nihil eis mediantia corpora præſtabant impedimentum, cum anima indiuiſibilis ſit, & diuiſibilis ſpatio tranſitura non egeat.

Quomodo anima à corpore egrediatur cum ſoluta fuerit corpore. Cap. CLXXXII.

DE anima autẽ in prælibatis dictum fuit, quòd quælibet loca tranſire poſſit nullo penitus impedimento obſiſtente: an clauſa, vel aperta ſint. Et ſicut de anima dicuntur relata ad alterum, ſcilicet ad altera corpora, ita ſi eam ad corpus, in quo eſt conferamus, ſcilicet, ꝙ cum anima per mortem a corpore ſoluitur, poteſt egredi per partes apertas ſicut per os, & nares aut per partes clauſas, vt per dorſum, & latera, manus, & caput. & pe- E des. Multumque errare probantur, qui morientibus animas ſolutas ore ſemper exhalare dicunt, vel vt ſi ille locus tranſitus earum ſit, non enim magis egreditur ore quàm per ceteras corporis partes. Imo ſi ſtrictius propriuſq; loqui velimus, anima, nec per os, nec per quaſcunque corporis partes a moriente emittitur, quamquam eam egredi ambiguum non eſt. Emitti quippe animam per os, aut ceteras corporis partes, eſt tranſire per medium, ſcilicet per os aut per groſſiciem ceterarum particularum corporis, ſed cum harmonia corporis humani, ſecundum quam anima in corpore conſtat,

A perit, moritur homo, qui per hanc duarum partium vnionem conſiſtit, & mox nullo facto anima in Gehennali ſupplicio, aut æthereа ſede, vel purgatoria clementia collocata eſt, nec tranſit per corporis particulas, ſicut nec tranſit per locorum mediorum ſpacia. In hoc etiam nimis delirantes arguuntur, qui fatentur, & aſtruunt infandiſſimi Iudæ animam per os emitti non debuiſſe cum perijt: quia oſculatus fuerat Saluatorem noſtrum, quando eum tradidit militibus miſſis à principibus ſacerdotum, vt tenerent eum. Ipſe enim eis ſignum dederat, dicens: Quemcumque oſculatus fuero, ipſe eſt, tenete eum. Ieſus quoque ait: Iuda oſculo tradis filium hominis? De his Matth. 26. & Marc. 14. & Luc. 22. Sed cum moriturus fuit, anima indigna egredi per infandum illud os, quo noſtrum prodiderat redemptorem, non potuit, ſed per ruptionem viſcerum emiſſa eſt: vnde crepuit medius, & effuſa ſunt viſcera eius. Sicut patet Actuum. 1. cap. Ideo hi aſſerunt Iudam medium crepuiſſe, & effuſa eſſe viſcera eius, vt anima, quæ per os B egredi non poterat, per ventris egrederetur rupturam. Iſti enim in multis delirant, primò quidem in fundamento horum: ſupponunt enim, quod anima a corpore in omnibus morientibus ſoluenda per os emittatur, qđ falſum eſt. Nam vt prælibatum eſt, nihil magis per os anima egreditur morientium, quam per ceteras corporis partes, quin potius, ſi rectius dicere maluerimus, per nullam totius corporis rupturam, aut partem anima egreditur. Errant & vlterius dicentes, animam Iudæ coactam fuiſſe per viſcera effuſa prodire: quia per os aditus ei non patuit: quod abſurditatis magnæ conuincitur: nam, etſi anima per viſcera egreſſura foret, non tamen erat neceſſe vllam fieri rupturam, aut viſcerum effuſionem. Anima quippe indiuiſibilis eſt, nullam obtinens C quantitatem, tam ampli igitur patentique hiatu ad eius emiſſionem opus non erat: quin potius nullius aperturæ. Nam per quamlibet partem, etiamſi minima eſſet, concesſo minimo dato egredi poſſet, cum ipſa ſit minus quolibet minimo in quantitate dato, vel qualitercunque aſſignabili. Vnde impoſſibile prorſus eſt, ideo fuiſſe effuſionem viſcerum factam, quoniam ipſi aliter aditus non pateret. Amplius autem conceſſo, quod anima per aliquam partem corporis patentem exitura foret, qua non aperta neceſſe eſſet alicubi fieri rupturam, non infertur, ideo neceſſariam fuiſſe viſcerũ effuſionem, quia per os aditus non patebat. Multa quippe patentia præter os in corpore humano ſunt; poterat nempe ei per aures auditus eſſe, identidem quoque per nares, per oculos etiam, cum lachrymæ, quæ corpora ſunt, per oculo- D rum funduntur quaſdam aperturas. Poterat quoque per quemlibet inferiorum hiatum libere emitti. Amplius quoque, etſi cuncta memorata deficerent, poſſent & per poroſas corporis partes egredi: per has enim humores, qui corpora ſunt, egrediuntur. Patet igitur Iudam non crepuiſſe medium, nec ideo effuſa eſſe viſcera eius, quia anima, quæ per os emittenda erat, per viſcerum effuſionem exiuit, ſicut iſti ad pauca aduertentes confingunt. Sed ruptura, & effuſio hæc viſcerum in pœnam Iudæ data eſt, atque in æternam ignominiam, vt ſicut infandus ille, atque virorum peſſimus contra fas, noſtrum prodiderat redemptorem, eiuſque præter hoc ſingularem dominium: ita ignominioſæ mortis perpetua macula notaretur.

Quomodo animabus felicitandis ad empyreum ſedem perduci conueniat. Cap. CLXXXIII.

NVnc autem, cum in prælibatis expoſitum ſit, nullã eſſe determinatam animabus viam, qua ad inferorum ſedes properandum ſit, nullaſque miſerabilis huius, & dolentis vrbis portas, aut aditus, de æthereis ſedibus, dicendum erit, qualiter animabus illuc perduci conueniat felicitandis. De purgatorio autem loco, & puerorum lymbo atque ſinu Abraham inquiri ſpecialiter non oportet: idem quippe animabus modus perueniendi illuc conſtat, ſicut de ſtygia ſede dictum eſt, cum

illi

Quid per portas inferi voluerit Christus in Euangelio.

Arguitur quorūdā opinio de aīa Iudę.

iſti quatuor gehennales receſſus coniuncti ſint, vt preposi-
tum eſt. De ſede igitur empyrea dicendum eſt, nullam
eſſe in cælo portam, qua animabus ad felicitatem Para-
diſi introitus ſit: nullam quoque eſſe illuc perducentẽ
viam, quæ per aeream regionem extentam a terræ circu-
lo, ſphæram quoque igneam tendatur per globum cæ-
leſtium corporum. ſ. orbis lunaris, Mercurialis, atq; Ve-
neris, cæterorumque planetarum, ipſiuſque ſtellati or-
bis atque chryſtallini, quouſque ad empyream ſedem
peruentum ſit. Non eſt enim vlla ruptio aut hiatus, vel
porta in his cæleſtibus corporibus facta, qua animabus
in cælum diffinitis tranſitus ſit, ſicut animalibus vias &
introitus aſſignamus. Huius autem duæ inductiuæ ra-
tiones ſunt, quæ in ſuperioribus ponebantur. Primò
quoniam anima vbicunque erit, media ſpacia locorum
non tranſit, ſed mox vt à corpore exierit, in gehennali
ſede, aut empyreis manſionibus eſt, aut ſi nihil inter cor-
pora, à quibus animæ ægrediuntur, & loca ipſa, ad quæ
pergendum eſt, diſtet. Non igitur feneſtræ vllæ aut hia-
tus in medijs corporibus facti ſunt, aut qualitercunque
fieri expediret, cum animæ hæc loca non ſubintrent:
cum per locum non tranſeant: portæ tamen ad ingrediẽ-
dum, viæ autem ad gradiendum neceſſariæ eſſent: ni-
hil ergo horum eſt. Secunda autem ad hæc inductiua
ratio eſt: anima nempe indiuiſibilis eſt nullam obtinẽs
quantitatem, loco ergo corporeo non indiget ad tran-
ſeundum, vel ſubintrandum, ſed ſi tranſitus ei vllus fo-
ret, per indiuiſibilia futurus erat; porta igitur nulla fa-
cta eſt. Aliquis tamen nitetur in prædicta dicens aliquã
eſſe animabus ad Paradiſi ſedes portam factam, & con-
ſimiliter viam, qua eatur. Nam ſæpe in ſacra ſcrip. vel
locutionibus ſanctorum Doctorum de Paradiſi porta re-
colitur: velut cùm dicitur antè Chriſti paſſionem fuiſ-
ſe Paradiſi clauſam portam. Huic reſpondendum eſt,
hoc dici ſecundum allegoriam, in ſenſu autem literali
nequaquam poſſe accipi: nam cum dicimus antè redem-
ptoris paſſionem vitæ æternæ portam eſſe clauſam, eſt
ſenſus, quod antè mortem prædictam nemini ad ſedes
empyreas patebat acceſſus: ſicut in domibus eſt, quan-
do ſeris concluſæ ſunt. Sic quoque beata Dei genitrix
porta cæli aut Paradiſi dicitur: ſicut in quodam hymno
ſuo habetur, quia ipſa nobis illuc eundi origo quædam
fuit, cum peperit Saluatorem.

*Quis modus eſt euntium hominum in vitam æternam
aut in gehennæ incendia, cum conſummata
vniuerſali reſurrectione hæc petierint
loca. Cap. CLXXXIIII.*

QVæ autem in prioribus de tranſitu animarum locã-
darum apud æthereas ſedes aut in gehennalibus re-
ceſſibus mancipandarum dicta ſunt, animabus, quæ cor-
pore ſolutæ illuc tendunt, congruenter adaptari poſ-
ſunt. Sed inquiret quiſpiam: quis modus eſt euntium ho-
minum in vitam æternam, aut in gehennæ incendia, cũ
conſummata vniuerſali reſurrectione hæc petierint lo-
ca? In quo ſatis conſtat non eſſe penitus eandem reſpon-
dendi ſententiam, quæ in animabus corpore ſolutis. Nã
de animabus, quia ſimplices ſpiritus ſunt dici nequit,
paulisper à terra in empyream ſedem vel ad vrbem ſty-
giam peruenturas moueri. Nam medium locorum ſpa-
cium non pertranſeunt, ſed mox vt in terra fuerint in æ-
thereis manſionibus, aut in ſtygio carcere ſunt. De cor-
poribus autem in reſurrectione nemo poteſt idem dice-
re: nam etſi animabus ſeparatis prorſus nullus motus cõ-
ueniat, corporibus tamen propriè dictus motus ineſt.
Animabus etiam per medium tráſitus impoſſibilis eſt,
corporibus autem ſatis congruit. Nihil ergo prohibet,
vt facta reſurrectione generali ſanctorum, corpora pau-
latim in cælum conſcenderent, tranſeuntes aeream pau-
latim regionem, igneamque, atque cæleſtium corporum
globos, quouſq; ad empyream ſedem peruenerint. In
his tamen dicendum, ꝙ etſi prædicta fieri ſatis poſſint,
aliter tamen res conſtabit, ſ. vt cum corpora in generali
reſurrectione in aerea fuerint regione, nulla eius parte

Diuerſa motus ratio in animabus, & corporibus beatis.

F paulatim pertranſita aut ignea euolata regione, nullãq;
totius cæleſtis magnitudinis tranſeundo amplitudinẽ
in empyreis erunt manſionibus, ſicut de animabus di-
ctum atque inductum conſtat. Iſte quoque fuit aſcenſio-
nis modus Saluatoris in cælum, vt in prælibatis expoſi-
tum eſt. Vterque autem prędictorum duorum modorũ,
cum corporibus noſtris in cælum poſt reſurrectionem
aſcenſuris, poſſibilis eſſet. Secundus tamen qui dictus
eſt, tenebitur, cuius ratio eſt, quia corpora noſtra in cælũ
aſcendere quomodocunque eis illuc iter pateat, ſine mi-
raculo fieri nequit. Tunc ergo Deo faciente aſcenſum no-
ſtrum, cũ ſit ſuperfluum per totum medium paulatim
fieri progreſſum, & Deo æque facilè ſit corpora noſtra
illuc ſimul perducere, vel per ſucceſſionem, dicendum
quòd ea nullis interpoſitis medijs perducat.

G

*Reſponſio dubitationis præcedenti capitulo factæ.
Cap. CLXXXV.*

REſponderi ergo ad prædicta debet, nullas portas in
cæleſtibus orbibus, quibus ingreſſus pateat homi-
bus ad æthereas manſiones eſſe, nec eis vllas feneſtras
patere, quibus poſt reſurrectionem illuc peruenire de-
beant, ſicut nec animabus corpore ſolutis illuc peruen-
turis iſta aſſignabantur. Nam velut animæ ad iſta per-
gentes receptacula, media locorum ſpacia non pertran-
ſeunt, ſed vt corporibus ſolutæ ſunt, in ſuis mox recepta-
culis ſunt: ita & corporibus noſtris illuc aſcenſuris eue-
niet, vt loca media non pertranſeant, ſed cum in terra
fuerint, nullo pertranſito confeſtim ſint in ætherea re-
H gione. Nullis ergo portis aut vijs illuc perducentibus
in reſurrectione opus erit. Etſi iam ab antiquo exiſterẽt,
prorſus eſſent inutiles, cum itineribus non procederẽt,
nec portis factis ſubintrarent, cũ per mediũ tranſitũ nul-
lum agant. Amplius autem, & in æthera regione portæ
hmõi eſſe nequibant: quoniam cælum diuiſionem nul-
lam, aut ruptionem, vel patentem habet hiatum. Vacui-
tatem quippe confiteri neceſſe erat, ſi portam quandam
per totam cæli magnitudinem à principio lunaris orbis
in contactu ſphæræ igneæ vſque ad empyreas mãſiones
ponamus, per omnium intermediorum orbium ampli-
tudinem. Nec poterit quis reſpondere hanc conſequen-
tem ex prædictis vacuitatem aerea repleri ſubſtantia.
Hoc quippe in regione terræ, & aquæ confitemur, ne
I quid vacuitatis & diſcontinuitatis in orbe cõſequatur,
in cæleſti tamen ſubſtantia hoc fieri nequit: quoniam ni-
hil alienæ naturæ ſibi patitur commiſceri, cum non ſit
natura elementali corruptibili atque generabili. Am-
plius autem, ſi aliquam à principio inferioris ſuperfi-
ciei orbis lunæ, per totam mediam cælorum magnitu-
dinem, vſque ad empyrea loca feneſtram patentem
conceſſerimus, nihil prodeſſet ad id, quod intendeba-
tur. Nam hæc loca feneſtrarum in diuerſis orbibus, non
ſemper ſimul eſſent quaſdam ad quaſdam partes mun-
di, alias verò ad alteram eſſe contingeret, quòd ideo fie-
ret, quia corpora cæleſtia non æquali velocitate mouen-
tur, ſed quædam tardius, alia autem velocius. Ideo etiã
ſi aliquando ſimul ſint, neceſſe eſt poſt paucum ſeiungi:
velut ſi nunc omnes planetæ, in coniunctione eſſent, non
K permaneret eis iſta coniunctio, ſed poſt paulum ſeiun-
cti forent quibuſdam velocius alijs verò tardius motis,
nec ad alteram quodam redibunt coniunctionem vſque
ad ſatis magni temporis lapſum. De feneſtris autem,
quæ per partes diuerſorum cælorum factæ eſſent, idem
ſequi neceſſe erat, vt cum ſemel eorum coniunctio tol-
leretur, vſque ad ſatis magna tempora, alia eis non eſ-
ſet coniunctio, & coniunctis modica maneret ſimultas,
non ergo prodeſſent huiuſmodi feneſtræ in cælo factæ
hominibus poſt reſurrectionem ingreſſuris, cum ſi-
mul rariſſimæ eſſent. Et cum ſimultas fieret, non tantũ
maneret, vt quis ab inferiori vſque ad ſuperiorem par-
tem ſufficeret tranſmeare. Nam, etſi corpora ingreſ-
ſura duorum aut trium celeſtium corporum patentes
feneſtras ſimul reperirent, alias autem inde per motum
ſeiunctas, cum per illas cælorũ magnitudines conſcen-

diſſent

diſſent, vlterius aſcendere non poterant: ſed neceſſe erat in parte illa ad ſubingrediēdum cæleſtium orbium fieri ſciſſionem. Nullatenus ergo poſitio iſta de feneſtris cælorum ſtare poteſt: multæ namque inconuenientię ex eis ſequuntur. Potiſſime quoniam nemo nos compellit ad has feneſtras in cælo ponendas: quoniam corpora ſanctorum in reſurrectione ad cælum aſcenſura non tranſibunt locorum media ſpacia, ſed mox vt in aerea fuerint regione, expleto vniuerſali iudicio in ętherеis erunt manſionibus, nullo pertranſito locorum interuallo. Diuiſiones ergo, aut feneſtras nullas patere neceſſe eſt, nec expedit, cum hæc fiant, vt per eas tranſeatur. Amplius autem dato quod corpora ſanctorum poſt reſurrectionem ad empyreos aſcenſura incolatus paulisper in ſucceſſionem mouenda eſſent, ita vt per omnes partes medij mouerentur, ſcilicet aeream atque igneam regionem, & totum globum cæleſtis magnitudinis vſque ad Paradiſi glorioſam ciuitatem, adhuc neceſſe non erat has patentes in cælo eſſe portas. Corpora namque humana per ipſam ſubſtantiam, & magnitudinem cæleſtium corporum tranſire, nulla data diuiſione aut vacuitate, ſed miraculoſus eſſet iſte trāſitus facta penetratione dimenſionum in corporibus, ſicut Chriſto reſurgente factum eſt, cū ianuis clauſis introiuit ad diſcipulos, vt patet Ioan. 20. & Luc. 24 cap. Modus autem tranſitus iſtius fuit, vt corpus Chriſti non cohiberet quantitatem ſuam ad indiuiſibile, vt per indiuiſibile pateret introitus, ſed in tanta latitudine, & longitudine, in qua tamaneret, ſi per portas clauſas ſubintraret. Et cum tranſijt non diſiunxit partes ianuarum, quaſdam implens ad locum vnum, alias verò ad alterum, vt ſic ei pateret introitus per mediam diuiſionem: ſed ibi erant partes corporis ſui, vbi erant partes portarum. Nec tamen partes corporis Saluatoris: impediebāt partes portarum, eaſdem quodammodo cohibentes, nec partes ianuarum excludebant partes corporis. Iſte idem modus extitit, cum de monumento redemptor noſter exiuit lapide ſuppoſito. Idem quoque, cum natus eſt, de benedictæ virginis vtero editus in lucem, nulla integritatis facta ruptura: ſicut in 1. Paradoxo amplius poſitū eſt. Ita quoque in aſcenſu ad empyrea loca, conceſſo tranſitu per medium corpora noſtra tranſirent per ſubſtantiam corporum cæleſtiū, nihil diuidendo aut condenſando: ſicut in aere medio ad motum cauſandum facimus; ſed quanta ſunt corpora noſtra in latitudine, & longitudine, tantum de cæleſti magnitudine occuparent, qua eis tranſitus eſſet: nec tamen in parte illa ſciſſionem vllam fieri neceſſe erat, ſed vbi magnitudo quinque aut ſex cubitorum de corpore humano eſſet, magnitudo totidem cubitorum cæleſtis ſubſtantiæ, ita vt vnum corpus non excluderet aut impediret alterum, velut ſi ibi eſſet ſolum corpus humanum, aut ſolum corpus cæleſte, & duo corpora in eodē loco adæquato conſiſterent. Hæc autem naturæ virib. effici nequeunt, ſed miraculo opus eſt. Ex prædictis ergo patet, quis ſit modus aſcenſionis corporū humanorum ad empyreos incolatus, poſt vniuerſalem reſurrectionē, nulla ad hoc data via, aut feneſtris in cælo patentibus.

Feneſtræ non ſunt in corporibus cæleſtibus.

Obiectio quod in cælo ſint feneſtræ patentes. Cap. CLXXXVI.

ALiquis autem fortaſſis obijciet in cælo viam, aut feneſtras eſſe patentes, quibus ad felicem Dei peruēniatur ciuitatem. Sic enim ait Ouidius Metamorphoſæos li. 1. ponens galaxiam, id eſt circulum lacteum eſſe viam perueniendi in domum Dei, cum ait.

Eſt via ſublimis cælo manifeſta ſereno
Lactea nomen habet, candore nobilis ipſo.
Hac iter eſt ſuperis ad ſummi tecta tonantis.

Huic reſpondendum eſt hanc albam viam ab Ouidio poſitam non eſſe viam, qua ad aliquem pergatur locum ſicut in terra itinera ponimus. Sed vocatur hæc via quidam circulus albus, ſiue lacteus in octauo cælo ſtellato, quem aſtrologi Græco vtentes vocabulo galaxiam appellauerunt, qui in latinum albus, vel lacteus dicitur. Vulgares hunc circulum viam ſancti Iacobi vocant. Hūc enim circulum Ouidius viam appellauit, quoniam pars quædam cæli longa, & anguſta, candore a ceteris coniunctis diſiuncta eſt ad modum viarum quæ ſunt in terra. Cum autem Ouidius dicit:

A

Hac iter eſt ſuperis ad ſummi tecta tonantis

Poetica fictio eſt. Hoc tamen poſuit, quia introducere volebat, quomodo omnes dij in vnum collecti ſunt inituri conſilium cum Ioue, quomodo mundus a ſe delendus eſſet propter peccatū Licaonis, & alia, quæ tunc temporis inoleuiſſe aſſeuerat. Ad hoc fecit viam quandam, qua Deos ad atria magni Iouis aduentaſſe dicit, hæc aūt galaxia eſt. i. circulus ille albus. Similis autem modus quantum ad cæleſtes manſiones, & vias ponitur à Marciano Felice Capella primo libro de nuptiis Mercuri, & phiſiologiæ proſa penult.

B

Amplius quiſquam ſacræ ſcripturæ teſtimonio inducere conabitur in cælo eſſe feneſtras, quæ interdum aperiantur, interdum verò clauſæ ſint. Sic patet Geneſ. 7. cum de diluuio agitur, ſcilicet: Rupti ſunt omnes fontes abyſſi magni, & cataractae cæli apertæ ſunt: aliquam ergo in cælo aperturam eſſe neceſſe eſt, & per eā poterunt fieri introitus. Huic reſpondendum eſt, ex hoc nihil conuinci: quoniam cælum non accipitur ibi pro cæleſtibus corporibus, ſed pro aerea regione. Iuxta illud Pſalm. 8. Volucres cæli, & piſces maris. Vbi cælum aerem appellauit: de eo quippe pluuiæ fluunt, non autem de cęleſtibus orbibus, quoniam ibi nullæ ſunt: de quo magis ſuper eundem locum Geneſis latè diximus,

C

Quomodo damnatorum corpora poſt diem iudicij inferas ad ſedes petent. Cap. CLXXXVII.

CVm de modo, quo corpora poſt reſurrectionem in æthereas regiones aſcendant dictum ſit, conſequēs inquirere erit, quomodo miſeris reſurgentibus ad ſtygiam vrbem properandum ſit: an itinere quodam pergant: & ſi eis ingreſſuris portæ quædam patebunt. De modo autem, quo nunc ad inferas pergitur ſedes nemini ambiguum fuerit: quoniam animæ ſolutæ corporibus illuc tendunt, quibus iter aut porta non competunt, vt ex prioribus inductum patet, poſt reſurrectionem autē reunitis corpore, & anima homo corporeus manens naturaliter itinere quo pergat, vt porta qua ei in loca clauſa aditus pateat, indigeat.

D

Ad hoc autem quiſquam reſpondebit: nec viam nec portam ituris ad ſtygias ſedes poſt reſurrectionem opus eſſe. nam velut corporibus ſanctorum in aſcenſu ad empyrea loca iter nullum atque porta nequaquam patebit: ita cum corpora damnatorum in Gehennæ incendia deſcenſura fuerint, Deus miraculosè ea per ſolidas partes terræ clauſæ tranſire faciet: aut faciet, vt mox, quando in loco iudicij conſtiterint, expleto examine illo horrendo, damnatorum corpora intra gehennalia incendia, nullo medio pertranſito ſint, quo pacto nec porta inferorum, nec illuc perductiua via proficiet.

E

Ad hoc autem obiciendum cuiquam videbitur ſtare non poſſe: nam licet Deus pro bonis miracula faciat, eos ſupernaturaliter in cælum eleuando, pro iniquis tamen nequaquam facit; quoniam id non merentur, nec Deus hoc malis gaudium largietur, vt pro eis ſuæ magnitudinis demonſtret potentiam. Dicendum ad hoc conueniens, & rationi ſatis conſentaneum eſſe, quod Deus malorum corpora, terræ ſoliditatem, nulla facta ruptione, aut patenti voragine tranſire faciat, aut ea nullo medio pertranſito ſubito peracto iudicio eſſe faciat in gehenna. Cum verò dicitur Deum nulla propter iniquos miracula facere: reſpondendum eſt, verum eſſe, ſi miraculum ad gaudium aut exaltationem vel quoduis bonum proficiat damnatorum. Si tamen miracula in ampliorem iniquorum punitionem aut miſeriam tendant,

incon-

Inconueniens nullum eſt propter iniquos quædam fieri miracula. Nec enim inficiari poſſumus miracula fieri pro damnatis: duo enim ſaltem pro ipſis fieri confiteri compellimur. Primum quippe eſt, quoniam naturaliter ignis aut aqua, & ceterarum pęnalitatum corporalium genera, quæ in inferno ſunt, in animas damnatorum agere nequeunt, cum ſpiritus ſint, corporibus autem ſuper corpora ſolum facilitas eſt, ibi tamen grauiſſima pęnalitas in his infligitur. Secundum miraculum ſuper damnatos eſt: quia naturaliter nullum corpus animalis diu in igne inconſumptum manere poteſt: Deus tamen efficit, vt corpora damnatorum in æternum Gehennæ ignibus mancipata ſint, nec tamen vllatenus conſumantur: ignis tamen Gehennæ viuacior atque voracior quàm ignis iſte noſter eſt: ideo neceſſe eſt confiteri quædam pro damnatis miracula fieri, hæc tamen non cedunt in gaudium, aut exaltationem, vel bonum vllum damnatorum, ſed ad eorum vberiorem miſeriam. Tertium miraculum adiungi poteſt, quòd eos reſurgere faciet cum iuſtis, reſurrectio tamen miraculoſum opus eſt. Quod ergo pro damnatis hoc efficiat, vt ſimul in inferna ſede ponantur nullo pertranſito medio, aut quòd per omnia terræ media tranſeuntes, nec perducente via egeant, nec patenti voragine, inconueniens nullum eſt, ſed hæc miracula in eorum malum cedunt. Ex dictis patet, quis modus ſit animabus ſolutis à corpore tendendi in æthereas manſiones aut in ſtygiam vrbem, & quis corporibus, animabus reſumptis, poſt generalem reſurrectionem tendendi in eadem habitacula.

Quis modus ſit animabus conſiſtendi in cælo, ac tartareis locis. Cap. CLXXXVIII.

PRioribus autem Hydræ reſciſſis capitibus, nunc alterum amputandum manet, ſcilicet quis modus ſit animabus conſiſtendi in cæleſti empyreo receptaculo, aut apud tartarea loca.

Huic reſponſuri, præmittamus apud inferos quatuor eſſe receptacula, ſcilicet damnatorum ſedes, & puerorum lymbum, purgatorios receſſus, atque ſinum Abrahæ, vt in prælibatis diſtincta ſunt. Duo autem horum locorum ſunt animarum ſolutarum à corporibus receptacula, alia vero animarum corporibus vnitarum loca contentiua ſunt, etſi ſemper non contineant: purgatoria enim ſedes, & lymbus ſanctorum, quem ſinum Abrahæ appellamus, animabus ſolutis à corporibus deſtinata ſunt: numquam enim in eiſdem corpora vlla extitere. Sinus quippe Abrahæ quondam animas ſanctorum continuit, ſ. vſq; ad Chriſtum paſſū, poſtea vero nulla ibi fuit, nec in æternum erit, omnes enim ſecum Chriſtus tulit. In purgatorio quoque igne animarum ſolutarum corporibus locus eſt, ſed vſque ad diem iudicij hic manebit incolatus, poſtea verò nulli ibi manendum erit: quoniam tunc omnium expletis pęnalitatibus in ſedes æthereas cum Chriſto, & ceteris ſanctis aſcendentibus euolabunt: ab animabus tamen corporibus ſemel ſolutis, vſque ad reſurrectionem generalem corpora non reſumuntur: apparet ergo in his duobus receptaculis nulla corpora animabus vnita eſſe, cum poſt diem iudicij in eis permanendum nequaquam ſit. In alijs autē duobus animarum receptaculis, corpora quoque erunt, ſcilicet apud tartareas damnatorum ſedes, & in lymbo puerorum. Nam omnes animæ, quæ ſemel hæc ſubintrauerint loca, poſt diem iudicij, & in æternum ibi manebunt. De ſedibus autem purgatorijs, & ſinu Abrahæ dicendum eſt, quòd quantum ad conditionem animarum in eiſdem locis receptarum, non erat neceſſe habere magnitudinem, aut extenſam capacitatem animæ, quippe cum quantitatem nullam habeant omnes quotquot ſunt, etiamſi infinitæ forent, in puncto, qui indiuiſibile eſt, capi poſſent. Dicēdū tñ purgatoriū locū, & ſinum Abrahæ, aliquam magnitudinem obtinere capacitatis, quamquam animæ ibi manentes horum nihil exigebant: quod duabus rationibus cōuincitur: Prima quidem,

F quoniam ſancti Doctores totam inferorum capacitatem, in quatuor receptacula vel ſinus diſtinxerunt: infernus tamen qui diuiditur eſt locus: has igitur quatuor partes diuiſionis neceſſe eſt obtinere magnitudinem. Corporale enim in corporalia diuidi nequit: indiuiſibile enim non diuiditur in indiuiſilia: ſed in ſemper vlterius diuiſibilia, cum ex indiuiſibilibus non componatur diuiſibile. Sic eſt Ariſto. ſentent. 6. Phyſicorum in principio. Secunda ad hoc ratio eſt, quoniam vt ſanctis Doctoribus communis ſententia eſt, in purgatorio eſt ignis. Apoſtolus idem ponit. 1. Cor. 3. cap. cum dicitur: Opus vniuſcuiuſque quale fuerit, ignis probabit, ignis autem corpus eſt, cum ſit elementum, quantitatem ergo occupabit, conſequenter autem loco indigebit. De his autē locis ſciri nequit, quis horum maior ſit, aut quantū qui-

1. Cor. 3.

G libet teneat magnitudinis: nulla enim ratio in his dari poteſt, vt ad inducendum aut concludendum ſufficiens ſit: nunc ergo incognita manent.

De puerorum lymbo ac damnatorum receptaculo. Cap. CLXXXIX.

DE reliquis duobus gehennalibus receptaculis, ſ. de lymbo puerorum, & ſtygia vrbe, aut receptaculo damnatorum dicēdum eſt, ꝙ loca ſint animas cum corporibus continentia, non quidē ante iudicium ſed poſt. De his ergo manifeſtius eſt, ꝙ corporea ſint extenſionē quandam continentia, cum ibi multa corpora recipi debeant. In lymbo quippe paruulorū multa corpora erūt:

H nam de Gentilibus, Iudæis quoq; atq; Chriſtianis plurimi paruuli deceſſerunt originali infecti macula: oībus tñ, qui in originali duntaxat macula deceſſerunt, ad paruulorum lymbū eundū eſt: nullū.n. eis alterum receptaculū diſtinctū eſt oēs quoq; hi in die iudicij reſurgent, cum ceteris corporibus reunitis in lymbo in æternum permāſuri. In gehennalibus autem incendijs damnatorum, numeroſa populorum multiplicium erit turba, & quidem tanti numeri, vt numerum vincere iure crederetur, atque prorſus infinita eſſe: infinita enim ad modū gens eſt, quæ tartareis ignibus mergitur. Omnes quippe qui Chriſti fidem non confitentur, æternis ſupplicijs mancipantur. De eis etiam, qui Chriſticolæ ſunt, omnes qui extra caritatem deceſſerint, æternaliter damnari neceſſe eſt. Iuxta ꝙ ſpeculandum occurrit, cum hi tā ma-

I gnæ multitudinis ſint, an infernus tantæ capacitatis locus ſit, vt cuicūq; locus aſſignari ſufficiat, in quo diſtinctè à ceteris locari, & ſuſcipere pęnas valeat, aut quo ſūt. Aliquis aūt dicet non eſſe apud inferos tantam locorū capacitatem, vt cuique aſſignari locus valeat à ceteris diſtinctus, quia cum turba illa quaſi numerum excedat, requirebatur admiranda capacitas atque locorum extēſio, quàm forte difficillimum foret aſſignari in corde terræ. Sed dicet infernam ſedem magnam quidem capacitate fore, nec tamen tantam, vt ad diſtinguendum cuilibet locum ſufficeret diſtinctum à ceteris, ſed quod hi ſint in ſolidis locis terræ per dimenſionum penetrationem, ſcilicet, quòd ſint intra ipſam terræ ſubſtantiam

Nūquid infernus tantæ capacitatis ſit vt cuicūq; locus aſſignari ſufficiat.

K nulla diuiſione partium cauſata in terræ partibus, ſed ſicut dicebatur Deum miraculosè efficere, vt damnatorum corpora per terræ viſcera clauſa tranſirent, nulla prorſus ruptione, aut voragine facta: ita efficere conformiter poterat, vt damnatorum corpora intra terræ ſoliditatem manerent nulla facta terræ ſciſſione, nec partium elongatione, aut condenſatione. Sic quoque clauſi omnia pęnalitatum genera recipere poterant, quæ alias recepturi eſſent.

Aliquis autem fortaſſis nitetur inducere, tantam eſſe ſtygiæ ſedis latitudinem, vt omnes illuc euntes diſtinctis atq; aliqualiter diſtantibus locis manere queāt, ſua quiſque ſupplicia recepturus. Nec ſolum qui recipiendi interius ſunt, ſed etſi omnis hominū multitudo ibi manſura foret. Sic notat Ouidius Metamorphoſeos lib. 4. deſcribens diſpoſitionem domus inferni cum ait.

Mille capax aditus, & apertas vndique portas,
Vrbs habet. Ideſt.

Quód vrbs infernalis eſt valdé magnæ capacitatis, habens multos receſſus, & introitus, & portas ad recipiendum ſemper patentes. Huic reſpondendum, quod nullum inferendo præiudicium veritati, ſi quam continet, dictum iſtud Ouidianum nullam facit probationem. Ouid. nempe poetice loquitur, vt vulgaribus gentilibus ſententia erat, & ſicut poetæ eis ſuadebant, ad hoc nullum aut rationis, aut authentici dicti inducit fulcimentum.

Locus inferni qualis ſit.

Quamquam tamen poetarum in hac parte minimus auctoritatis locus eſt, cum ſola vulgi dicta, & credita recitant. Videtur tamen Ouidianum dictum aliquantam continere veritatem, ſcilicet quód locus infernæ ſedis magnam contineat latitudinem, in qua manere poſſint omnes quotquot illuc deſcenderint. Eſt autem locus iſte quædam vacuitas in corde terræ, in qua ignis eſt, omniaque cruciatuum genera, quæ apud tartara memorantur. Hoc autem dicendum rationabiliter valde videtur: quoniam vel omnes, qui apud tartareas ſedes manent in corde terræ, ſunt in aliqua vacuitate: vel nemo eorum hoc habet, ſed omnes intra terræ ſpiſſitudinem ſecundum dimenſionum penetrationes ſunt, ita vt nulla ſciſſio aut vacuitatis ſpacium in corde terræ ſit: quia ibi damnati manent, ac ſi eorum ibi nemo maneret, ſed totum clauſum aut ſolidum ſit, velut paries aut lapis. Hoc patet, quia non apparet, nec dari poteſt vlla ratio, quare quibuſdam conſiſtentibus intra terræ ſpiſſitudinem alij in vacuitate maneant. Quidam tamen ſunt intra concauitatem terræ, in qua ignis, & alia genera pœnalitatum ſunt. Omnes igitur intra quandam ampliſſimam erunt concauitatem in corde terræ, in qua valde multi capi poſſent. Quod autem quidam in concauitate quadã in corde terræ in ipſa inferna ſede maneant, apparet: quoniam ſancti Doctores infernum locum quendam eſſe ponunt. Si tamen in inferno nulla talis concauitas foret, in qua damnatorum corpora manerent, ſed eſſent in viſceribus terræ ſolidæ nullam habentis ſciſſionem ſecundum ea, quæ prædicta ſunt, infernus locus non eſſet: nam locus eſt ſuperficies corporis continentis, & ſic concaua eſt ad aliquid continendum: ibi tamen non eſſet aliqua ſuperficies continua, cum vacuitas non ſit, in qua quidquam contineri poſſet, ſed ipſum corpus ſolidum, & indiuiſum eſt. Dicendum igitur eſt, infernum eſſe concauitatem magnam in corde terræ, in qua recipi queant corpora omnium damnandorum diſtincte atque diuerſimodè cruciandi iuxta exigentiam meritorum. Hoc autem nullius videtur inductiuum inconuenientis: nam cum ſphæra terræ, magnæ ſit quantitatis, quamquam intra ipſam magna ſtygiæ ſedis vacuitas ſit, nullum inconueniens eſt: nec ex hoc deficiet, collabentibus ſuperioribus partibus intra magnas illas concauitates ſtygiæ ſedis, & aliorum locorum pœnalium. Tanta quippe eſt terræ firmitas, vt collabi nequeat. Potiſſime quia Deus, qui eſt agens ab intentione, ad aliquem deſtinatum finem voluit hæc ſic manere: vt nequam malorum ſuorum pœnas luant. Nec ex hoc ſequitur aliquod vacuum in vniuerſo: nam illa magna concauitas inferorum receptaculorum igne, aut aere plena eſt, vel partim ex vtraque: non erit igitur vacuitas.

Quomodo beati in cælo empyreo maneant.
Cap. C X C.

ENucleatis autem quibuſdã ſententijs de modo manendi damnatorum apud inferã vrbem, ad eos, qui in empyrea ſede manebunt, calamus vertendus eſt, qualiter ſcilicet ipſi in ſuo empyreo maneant receptaculo. In quo ſupponendum eſt, Paradiſum eſſe quoddam receptaculũ, in quo animæ à corpore ſolutæ antè reſurrectionem ipſam beatorum manent, cum veró reſurrexerint reſumptis corporibus, ibi totus homo manebit beatus effectus. Hunc autem locum in nullo nouem orbium motorum ponimus, ſed in decimo orbe, qui extremus eſt atque æterna quiete manens, quem empyreum appellamus. Nemo autem arbitretur paradiſum locum eſſe magnum vacuitatis, & capacitatis cuiuſdam, in quo fœlicibus manendum ſit. Nulla quippe in orbe vacuitas dari poteſt. Nec quidem opinari fas eſt, eſſe aliquod ſpeciale receptaculum animarum, & corporum beatorum omni corpore ſolido carens: aere tamen repletum, ne qua concedatur vacuitas ſicut in noſtris habitaculis ſit. Ibi quippe nullum corpus ſolidum replens eſt, ſed aer duntaxat, qui cum corpus raræ ſubſtantiæ ſit, nullum intrare, aut manere volentibus præbet impedimẽtum, ac ſi nullum ibi ens foret: nam hoc magnæ abſurditatis, & conceſſu indignum erat, vt inter corpora cæleſtia alienæ naturæ corpus quodcunque maneret. Potiſſimum quia cum empyreus locus ab elementali regione diſtantiſſimus ſit, in qua actio, & paſſio corruptio, & generatio, & contrarietas eſt, ſecundum quam cauſatur elementalis natura, & permanet. Non maneret autem in ſua perfectione aer detentus in empyrea ſede, atque ibidem violenter teneretur, aut contra naturalem inclinationem: violentum tamen nullum perpetuum eſt, iuxta omnium naturalium poſitionem. Nec quis etiam diffinire valebit, paradiſi locum ſupra dorſum empyrei cæli eſſe, ſcilicet ſuper conuexam ſuperficiem empyrei orbis. Nam ſuper empyreum nihil eſt, nec plenum nec vacuum, quoniam ipſum eſt vltimum corporum, & rerum totius vniuerſitatis. Quanquam quidam deficientes ſcrutinio, cum ad aliquid magnum eleuari velint, exiſtimant ſuper empyreum cælum quaſdam eſſe magnas vacuitates, ſed hoc nihil eſt. Hi tamen hoc phantaſiantur, vel quia vt credo capitis vertiginẽ patiuntur, vel quia magnas in capite vacuitates habent, & de vacuis ſpeculari inducuntur: nec hi comprehendere valent, quomodo corpus empyreum rerum terminus ſit, & vltra eum nullum eſt. Dicendum igitur paradiſum locum eſſe largè dictum intra ſpiſſitudinem empyrei orbis, nec eſt aliquis locus prorſus vacuus, nec etiam aere plenus; ſed ipſum cæleſte corpus, intra cuius ſpiſſitudinem animæ beatorum ſunt, quas nos in paradiſo eſſe dicimus.

Reſponſio ad dubium motum precedenti capitulo.
Cap. C X C I.

IVXTA ea, quæ de paradiſo cœpta ſunt, dicendum eſt, antè diem iudicij in ſedibus paradiſi animas duntaxat beatorum, & angelicos ſpiritus eſſe, corpora autem aut homines in vnitis animabus ſubſtantiæ corporali nequaquam ſunt. Et quia animæ quantitatem nullam magnitudinis habent, non oportet, vt eis locus aſſignetur, in quo eſſe debeant: omnes quippe in indiuiſibilitate puncti capientur. Ideo ſiue poſuerimus in corporibus ſupra cæleſtibus, ſcilicet in empyreo vacuitatem quandam eſſe, in qua manſio animarum eſſe poſſit, ſiue omnia ſolida, nulla data vacuitate, aſſeramus, nihil differet quantum ad animas. nam vtroque dato æque bene ſe habent. De ſtatu tamen poſt reſurrectionem, cuiquam inſurget ambiguitas, cum beatis coniunctis animabus, & corporibus in illa felicitate permanendum ſit: corpora autem locum ad manendum exigunt, in empyreo tamen locus nullus eſſe videtur. Huic reſpondendum eſt, quòd poſt generalem corporum reſurrectionem, beati in corporibus reſumptis manebunt in empyrea ſede, nec erunt in aliquo loco vacuo cęleſti ſubſtantia, ideſt in quo non ſit pars cæleſtis corporis, ſed intra magnitudinem atque ſubſtantiam cęleſtis orbis manebunt, velut ſi quis hominum intra vnum lapidem, aut parietem eſſet nulla præexiſtente aut nouiter facta ruptura vel concauitate, in lapide illo aut pariete. Hoc autem erit ex dotibus, vel priuilegijs corporum glorioſorũ, quibus facilis erit tranſitus per lapides, ligna, aut parietes, & qualibet res ſolidas nulla facta diuiſione aut fractione in ipſis ſolidis corporibus, ſed ex penetratione dimenſionum. Sicut corpus Saluatoris noſtri tranſiuit ad diſcipulos poſt reſurrectionem ſuam ianuis clauſis, ſic patet Io. 20. c. & Luc. 24. Ita aũt erit, corporibus beatorũ manentibus fœli-

citate Paradiſi, conſiſtere intra ſpiſſitudinem corporis empyrei: velut ſi in aliquo manerent habitaculo, in quo nulla alia repletio eſt, niſi aeris, quæ non eſt impeditiua corporum ſolidorum. Illa autem pars magnitudinis empyrei orbis, qua à ſe inuicem beatorum corpora diſtinguentur, cum prorſus cõiuncta non ſunt, nihil obſtabit, quin vnus beatorum ad quemlibet aliorum valeat accedere ſedibus gradiens: velut ſi ſuper terræ ſoliditatẽ moueretur, aer vndique claudit, ſed ambulanti, quominus ad deſideratum perueniat terminum, nihil obſtat: quamquam iſte corporalis ibi progreſſus neceſſarius aut expediens non erit vllatenus. Amplius autem ſubſtantia illa cæleſtis orbis, duobus beatis interiecta, alterutris mutuam viſionem non excludet, nec impediet: ſicut aer medius non impedit, quin vnus homo alterum videat: ſed potius iuuat. Et ſicut ſpecies viſibiles, quibus fit viſio, tranſeunt atque multiplicantur per aerem medium, quouſque ad oculos intuentium peruenerint, ita per illam corpoream cæleſtem ſubſtantiam multiplicabuntur, atque deferentur. Nam corpus illud, & cetera cæleſtia diaphana ſunt ſicut corpus aereum. Et adhuc conuenientius diſpoſitum eſt ad ſpecierum multiplicationem, & progreſſionem per medium empyreum corpus, quam aerem: quia lucidius eſt atque tam raræ ſubſtantiæ ſicut aerea materia, ſi raritatem in cæleſtibus appellare fas eſt: nullam quoque tenebroſitatem habet, nec vllatenus viſum impedit. Hoc autem ſatis exemplariter manifeſtatur: quoniam nos videmus aſtra fixa, quæ in octauo cælo ſunt. Inter hæc autem & nos interiecta ſunt corpora ſeptem cæleſtium orbium planetarum, qui quantitatem nobis quaſi inæſtimabilem continent, per totam tamen ipſam ſpecies viſibiles tranſeunt vſque ad nos peruenientes, alioquin ſtellas nobis videre impoſſibile eſſet, cum nulla viſio ſine viſibilibus fiat ſpeciebus, nec tamen ſpecies iſtæ interiectis medijs corporibus, quin ad nos deferri valeant, impediuntur. Generaliter autẽ, quidquid hic homines facere in aere poſſunt, in corporibus cæleſtibus facere poterunt, nullo eorum impediente felicitatem. Hoc autem eis in æternum manebit in poſſeſſione gaudiorum, quæ nemo nouit, niſi qui deguſtat: vnde nemo viuentium ea vidit, aut audiuit, ſicut habetur Iſa. cap. 64. ſcilicet. A ſeculo non audierunt, & auribus non perceperunt, oculus non vidit Deus abſque te, quæ præparaſti diligentibus te: idem ponit Apoſtolus prima ad Cor. cap. 2. Hæc autem de purgatorijs locis, atque tartareis ſedibus, & Paradiſi receptaculo, in quibus tã lõgus nobis tractus eſt ſermo, dicta ſũt, vt monſtretur ſtatus animarum poſt mortẽ in locis illis, ad quę tranſituræ ſunt, & aſcenſum, vel volatum earum ad eadem receptacula, ſicut Dominus Ieſus à mortuis volauit in æthera, in quo manſio eius in æternum eſt.

Iſa. 64.

Numquid filij Dei deſcenſus ad carnem ſumendam volatus dici poſſit. Cap. CXCII.

EX ſuperioribus autem expoſitum patet, Aquilam iſtam, de qua ſermo agebatur, Chriſtum fuiſſe, qui ad cælum volauit poſt reſurrectionem ſuam. Vocatur autem aſcenſus iſte volatus: quia contra conditionem naturalis ponderis corporum humanorum, aſcendebat in æthera: hoc autem diuina agente virtute, vel ex conditione dotis corporis iam glorificati. Nunc vero iuxta eadem quis inquiret: cum Chriſtus filius Dei, verbum æternum, de cælis incarnandus in virginis aluo deſcendit, & poſt reſurrectionem ſuam aſcendit in aſtra, qui aſcenſus volatus dictus eſt; an deſcenſus ad carnem ſumendam volatus dici queat. Cui aliquis reſpondebit dicens, hunc deſcenſum volatum eſſe: nam volatus in Saluatore aſſumitur, ſecundum ſimilitudinem ad actum auium, quibus propriè conuenit volatus: alites tamẽ nõ ſolum volare dicuntur, cum per æthera aſcendunt: ſed etiam cum deſcenderint: Chriſtus tamen dicitur volauiſſe, cum per aerem conſcendit in æthera poſt reſurrectionem, vt ibi maneret: conſequenter ergo volaſſe quoque dicemus, cũ de cælo in terram, carnẽ aſſumpturus, F deſcenderit. Huic reſponderi debet, aſcenſum Chriſti reſurgentis ad cælum, conuenienter ſecundum metaphoram potuiſſe dici volatum: deſcenſus tamen ad carnem aſſumendam nequaquam volatus appellabitur. Nam cùm alites uolant, mouentur per partes aereæ regionis tranſeuntes, cùm volatus ſit ſpecies motus, ſicut ſaltatio, & progreſſio iuxta Ariſt. 10. Ethicorum. Cum tamen verbum diuinum in virginis aluo carnem aſſumpſit, nihil localiter motus eſt. Nam Deus antè incarnationem verbi in toto orbe erat, & in qualibet re vniuerſi, & etiam in virginis aluo: cùm ſit aliquod ens de vniuerſitate rerum. Tunc quoque quando carnem ſumpſit, in omnibus rebus ſimul erat: poſt incarnationem autem identidem in omnibus eſt. Cùm igitur verbum diuinum verè Deus ſit, neceſſe eſt, vt ſemper vbique G fuerit, & ſit: alioquin Deus infinitus non eſſet, nec ex omni parte perfectus. Quapropter dicendum eſt filium Dei ante factam incarnationem extitiſſe in virginis aluo, ſicut in ceteris rebus erat, & cùm carnem ſumpſit, nõ venit ab extra aliquid aſſũpturus, ſed intra erat: etſi non eo modo, quo poſtea fuit. Nam ante ſuſceptam carnem erat in beata virgine: ſicut in lapide vno, aut ligno conſeruans eſſe, quod tribuit: poſtea autem erat in ventre illo benedicto non ſolum vt conſeruans, ſed etiã vt inde humanam carnem aſſumens. Nullam ergo ſecundum locum filius Dei mutationem ſuſcepit, cũ carnem aſſumpſit in virginis vtero: ideo deſcenſus ille largiſſimè dictus nequaquam volatus dictus eſt. Aſcenſio tamen in cælos Domini Ieſu quadraginta diebus poſt reſurrectionem ſuam volatus dicitur. Ibi quippe verus, H & propriè dictus localis motus fuit: nam ante hanc aſcenſionem corpus Saluatoris noſtri erat in terris, & nequaquam in cęlo. Poſt aſcenſionem verò in cælo fuit, & non in terra. Nam licet corpus Saluatoris noſtri miraculosè ſimul in multis locis eſſe poterat, ſcilicet in cælo, & terra, ſicut nunc, cum eſt ibi hoſtia conſecrata, eſt in cælo empyreo, & in terra, atque in plurimis terræ partibus eſt: tamen antè aſcenſionem ſuam Chriſtus duntaxat in terra erat, in cælo autem nequaquam. Poſtquam verò aſcendit, cœpit eſſe in cælo empyreo, & non erat in terra. Fuit igitur verus motus, atque volatus aſcenſus Chriſti ad æthera: deſcenſus autem nequaquam: quia non fuit motus verus ad incarnandum. Cum verò ſacra ſcriptura in ſymbolo fidei dicit Chriſtum deſcendiſſe ad aſſumendum carnem: reſpondendum eſt, in ſcriptu- I ris ſacris frequentes eſſe parabolicas locutiones, atque metaphoras: quoniam tenet modum loquendi, qui vulgaribus intelligibilis ſit: quamobrem neceſſariæ ſunt interdum figuratæ locutiones, atque tranſumptiones actuum vel paſſionum humanarum ad Deum. Et quoniam vulgaribus non eſt iudicio comprehenſibile, qualiter Deus vbique ſit, cùm ipſi hoc nequaquam cernere queant: quia Deus occupatiuus locorum non eſt, exiſtimant eſſe Deum velut quendam potentiſſimum regem: cuius thronus in cælo eſt: cum verò aliquid in terris diſpoſiturus eſt, dicunt eum ad terras deſcendere. Et hunc modum locutionum tenet ſacra ſcriptura, vt condeſcendat modo loquendi vulgarium, quamquam non ſit iſte modus diuini eſſe atque permanſionis. Hoc autem, quia ſi ſacra ſcriptura res, quæ enunciandæ ſunt K de Deo, proferre vellet, ſicut in ſe ipſis ſunt, aut eas nequaquam dicere poſſet nullis exiſtentibus ad hoc exprimentibus vocibus: aut ſi quas ſignificatiuas reperiret voces, iam difficilem haberet intellectum, vt nullus ad earum ſufficeret comprehenſionem. Amplius autem, etſi diceretur filium Dei in cælis duntaxat fuiſſe, cùm carnem aſſumpturus erat, & non in terris, ſicut angeli, qui determinant ſibi certa loca, cum eſſentiæ finitæ ſint, & in alijs locis nequaquam ſunt. Sic quoque animæ noſtræ, quæ ſpiritus ſunt, Et cum carnem aſſumpturus ad terram deſcenderet, non poterat uocari deſcenſus iſte volatus, quia ſpiritus eo quod indiuiſibiles ſunt, moueri nequeunt. Filius autem Dei ſpiritus eſt, cum ſit Deus, & Deum ſpiritum dicimus, iuxta illud Io. c. 4. Deus ſpiritus eſt, & eos, qui eum adorant, oportet

Quo ſacra ſcriptura dicat Deum ad aſſumẽdũ carnem deſcẽdiſſe.

in ſpiritu adorare. Non poterat ergo moueri, & conſequenter non erat in eo volatus. Concluſum ergo ex ſupra poſitis patet, hanc ſecundam particulam quinti metaphorici Paradoxi, ſcilicet. Qui volabat, intelligi de aquila, quæ eſt Chriſtus: quia aſcēdit ad Aethereas manſiones quadraginta diebus poſt reſurrectionem, nec cuiquam alteri adaptare valemus.

De tertia parte quintæ metaphoræ, ſcilicet Aquila, quæ non volauit. Cap. CXCIII.

IN hac quinta metaphora iam dudum cœpta tertia particula eſt, quæ non volauit, quod ad Aquilam refertur, quæ in principio huius figurati Paradoxi ponitur. Ipſa quippe omnium eorum, quæ hic memorantur ſubiectum eſt. Et velut de Chriſto aquila nominato enunciabamus, quod volauiſſet, ita de eodem enunciare neceſſe eſt, quod non volauerit: quod dupliciter intelligi poteſt. Primo quippe, quod Chriſtus in eo actu, quo volauiſſe dicitur, non volauerit referendo volatum ad aliquod alterum. Secundo vt volauiſſe, & non volauiſſe de eo diuerſis temporibus prædicentur. Iuxta ſecundam acceptionem, ſcilicet, quod volauiſſe, & non volauiſſe in Chriſto ad diuerſa tempora referantur. Dicendum eſt, quod Chriſtus volauit cum de terris in cælos aſcendit, vt ſuperius expoſitum eſt. Chriſtus etiam non volauit quando deſcendit carnem ſumere. Hoc autem ex præpoſitis fundamentis patet: verbum quippe diuinum, quod carnem deſcendit aſſumere, erat ſpiritus: ideo quamquam non eſſet vbique, non poterat moueri, cum ſpiritus non ſit mobilis per ſe exiſtēs. Amplius autem quia verbum diuinum filius Dei exiſtens vbique erat, ideo volare, moueri, aut deſcendere nequibat carnem aſſumpturus in virgine, cum iam ibi eſſet antè carnis ſumptionem. Præter hoc autē intelligi poteſt, quod Chriſtus non volat, cum incipit eſſe in hoſtia conſecrata, & ante hoc eſſet in cælo empyreo. Quantum ad ſecundam perſonam deitatis, ſcilicet verbum diuinum, quin vbique ſit dubium nullum eſt, nec magis hic, quā alibi, & iſta ſecunda perſona vniuit ſibi illud corpus Saluatoris. De ipſo tamen corpore redemptoris manifeſtum eſt, quod non ſit vbique, ſed eſt in empyreis

[Chriſtus non eſt vbiq. ſed Deus.]

ſedibus. Cum verò ſacerdotes conſecrant proferentes verba, quæ Chriſtus protulit conſecrando per virtutem verborum, quia Deus vult, eſt confeſtim verum corpus Chriſti cum ſanguine & anima in hoſtia, & calice, ſicut in expoſitione ſecundi metaphorici Paradoxi dictum eſt. Et ſic quibuſdam videbitur, quod corpus Chriſti venit de cælo empyreo, vt ſit in hoſtia. Sed in hoc dicendum eſt, quod in conſecratione non venit corpus Chri-

[Quō Chriſti corp' veniat in hoſtiam]

ſti de cælo empyreo, tranſiens per medium, nec empyreum locum dimittit: ſed manet in empyreo cælo, vt antè ſteterat, & illum non dimittens incipit eſſe in hoſtia, in qua ante nequaquam ſteterat. Quod patet, nam ſicut cum ſimul mille hoſtiæ aut plures conſecrantur in qualibet earum, & in calice eſt verum, & integrum corpus Chriſti, nec corpus eſt, ab vna in alteram tranſeat ad hoc, quod in omnibus illis hoſtiis, & in cælo empyreo ſit: nec opus erit, vt è cælo deſcendat empyreo ad hoc vt in omnibus illis ſit. Nam ſi neceſſe eſſet eum de empyreo loco in conſecratione deſcendere, vt in hoſtia ſit, non maneret in felicitate empyrei incolatus, quod incōuenienti non caret. Ex hoc quoque ſequeretur, quod exiſtente conſecratà vna hoſtia, ſi alia conſecranda foret, neceſſe eſſet, vt ab illa in alteram tranſiret: quod falſiſſimum eſt, quia tunc impoſſibile eſſet in eodem tempore eſſe, niſi vnicam hoſtiam conſecratam, quia in pluribus ſimul Chriſtus eſſe non poſſet: hoc tamen contra totam catholicam poſitionem eſt. Etiam diuiſa eadem hoſtia in plures partes, non poſſet eſſe in qualibet earum totus Chriſtus, ſed in altera illarum, quod contra catholicam aſſertionem identidem eſt. Et quod deterius eſt, in nulla eſſet, quia cum in vnica partium eſſe deberet, & omnes æquales interdum ſint, & nõ ſit maior ratio quare in vna quam in altera ſit, aut in omnibus, aut

A in nulla eſſet, ſed ipſi non concedunt eſſe in omnibus: ergo in nulla eſt. Quo pacto in hoſtia conſecrata per diuiſionem, ceſſaret eſſe Chriſtus in hoſtia. Ex quo ſequitur quod nullus ſacerdos celebrans ſumit Euchariſtia, quia ſacerdotes celebrantes priuſquam ſumant in tres partes diuidunt hoſtiam, ergo in nulla illarum trium erit corpus Chriſti. Et conſequenter vulgares etiam nō ſumēt Euchariſtiam, quia eis hoſtia aſſumenda diuiditur, cum integra ſumi nequeat. Amplius autem dato, quod ſacerdos celebrans accipiens hoſtiam non diuideret, Euchariſtiam ſumere non poſſet: quoniam conſecrat ſub duplici ſpecie, ſcilicet in vino, & pane, & dicunt in vtroque eſſe verum corpus Chriſti ac ſanguinem: ſed ex ſuperiori poſitione quorundam ſequebatur, quod in vno ſolum eſſe poſſet: ergo vel erit in hoſtia ſolum, vel in ſolo calice: ſed non eſt maior ratio, quare ſit in vno quàm in altero: ergo in ambobus eſt, vel in neutro: ſed
B non in vtroque, ergo in neutro.

Quædam attinentia ad ſuperiora, & obiectio. Cap. CXCIIII.

HAec enim abſurdiſſima ſunt, & contra dicta, & facta Chriſti, quoniam ipſe conſecrauit panem, & poſtea fregit, & dedit de eo cuilibet diſcipulorum, in quo innuitur, quòd in qualibet illarum partium erat corpus ſuū, alioquin nullus communicaſſet de Apoſtolis, quod eſt falſiſſimum. Non.n. eſt intelligendum, quod Chriſtus pro quolibet ſpecialiter panem conſecrauerit: nam tunc oportuiſſet ipſum duodecies conſecrauiſſe, quod nullo
C modo ex litera habetur Matth. 26. cap. & prima ad Cor. 11. vbi de hoc: ſed magis quod ſemel tantum iſta prolata ſint, ſimiliter patet Luc. 22. Et ſi aliquis obiiciat huic ſententiæ, quod prius fuit facta diuiſio panis quam conſecratio, cum prius verba prolata fuerint, & fractio præceſſerit: vt patet Matth. 26. & Luc. 22. cap. ergo ſingulas particulas conſecrauit, & non totum panem, & ſic toties conſecrauit, quoties buccellam alicui dabat, ſ. duodecies propter duodecim buccellas datas duodecim Apoſtolis. Reſpondendum eſt, quod non debet ſumi in Euāgeliſtis, & alia ſacra ſcriptura ſemper argumētum ex ordine dictorum, ſed ſolum ex dictis: nam tunc nulla anticipatio nec recapitulatio nec interpoſitio eſſet in ſacra ſcriptura: ſed hoc falſiſſimum eſt: loca enim iſta plurima ſunt, vt probatione non egeat. Sed adhuc ex iſto eo-
D dem loco, ex quo arguitur, deſtruetur argumētum illud. Nam Marc. ca. 14. vbi de hac conſecratione agitur, prius ponitur Chriſtum dediſſe Apoſtolis panem, & poſtea conſecraſſe; tamen hoc nemo concedit: quia quando porrexit Chriſtus, iā conſecratio facta erat. Non.n. poſtea fieri conuenienter conſecratio diceretur, nec fieret. Non.n. deberet dicere, hoc eſt corpus meū, quia ipſe non teneret manibus, ſed Apoſtoli. Patet cum dr̄: Accepit Ieſus panem, & benedicens fregit, & dedit eis, & ait ſumite, hoc eſt corpus meum: ſed hoc ab hominibus negatur: ergo conformiter non eſt arguendum in aliis ex ordine, ſcilicet quia dicitur quod fregit, & poſtea dixit hoc eſt corpus meum. Quamquam adhuc ſi ex eiſdem verbis Apoſtolorum tam Matthæi quam Marci & Lucæ arguere velimus, adhuc reperietur priorē fuiſſe conſecratio-
E nem, quam fractionē: quia dr̄: Accipiens Ieſus panem, benedixit, & fregit. Sed manifeſtū eſt hanc benedictionem nihil fuiſſe niſi conſecrationem: ergo prius conſecrauit panem, q̄ fregit, & ſic per vnicam conſecrationē fuerunt omnes illæ buccellæ. 12. poſtea diuiſæ conſecratæ, & ſic eſſet ſi diuiſum fuiſſet in decem millia. Sed adhuc ſi quis duræ ceruicis his aſſenſum pertinaciter accommodare nollet, habemus contra eum irrefragabile teſtimonium de conſecratione in calice, quia illa ſemel facta eſt, & ex illo calice omnes biberunt: ergo pars, quā quilibet bibebat continebat perfectè corpus Chriſti, vel nulla, ergo per vnicam conſecrationem erat Chriſtus in 12. partibus vini, & in qualibet integre. Quod autem de calice ſemel conſecrato omnes biberint, patet Matthæi 26. cum dicitur. Et accipiens calicem gratias egit,

& dedit illis, dicens: bibite ex hoc omnes. Ergo ex eodem ſemel conſecrato omnes biberunt, & ſic per vnicam conſecrationem partes ab omnibus bibitæ conſecratæ ſunt. Quod autem diſcipuli biberint ex eo calice, quem Chriſtus ſemel conſecrauit, patet Marci 14. cum dicitur: Et accepto calice, gratias agens dedit eis, & biberunt ex eo omnes.

Improbatio contra prædicta, & quædam alia. Cap. CXCV.

AMPLIVS autem, & ſi quis nulli rationi obedire volens diceret, quód quando quilibet bibebat Chriſtus conſecrabat illud, quod manebat, vel reſumebat calicem, & iterum conſecrabat, ſtare nequit: quia ſemel conſecrauit, & mandauit, quod illud conſecratum diuiderent Apoſtoli inter ſe. Si tamen pro quolibet calicem reſumeret, & conſecraret iterum, non diceret eis, quód diuiderent inter ſe, ſed cuilibet ſolum dediſſet per ſe. Quod autem omnes illud ſemel conſecratum diuiſerint, patet Luc. 22. cum dicitur: Et accepto calice gratias egit, & ait accipite, & diuidite inter uos. Apparet ergo vnicam conſecrationē profeciſſe pro duodecim partibus vini conſecrandis. Amplius autem ex neceſſitate rationis arguitur, quia aut diſcipuli in cęna Domini ſumpſerunt ſanguinem Domini in ſpecie vini, aut nequaquam. Si autem dicatur, quód nequaquam: hæreticum eſt, & facimus Chriſtum mendacem, qui dixit ſe tradidiſſe corpus ſuum, & ſanguinem diſcipulis. Si autem confiteamur quód ſuſceperint, quæritur H quando Chriſtus conſecrauit vinum calicis, & tradidit primo diſcipulo, an totum calicem biberit, vel non. Non poteſt adstrui quód totum biberit: quia Marci cap. 14. dicitur; biberunt ex eo omnes. & Luc. 24. euidentius ponitur, quod diuiſerint inter ſe, cum dicitur: Accipite, & diuidite inter uos. Cùm ergo primus biberit, & an aliquid ceteris bibendum relictum ſit, quæritur an qui poſtea biberunt, ibi ſanguinem, & corpus Chriſti aſſumpſerint, vel non. Si enim quilibet inde bibens corpus, & ſanguinem Domini ſumpſit, cum hoc vnica conſecratione factum ſit: ergo diuiſo illo uino conſecrato per vnicam conſecrationem, in qualibet parte diuiſionis manebat corpus, & ſanguis Saluatoris, quod intendebatur. Si autem dicas, quód primus bibens corpus I Chriſti, & ſanguinem ſolum ſumpſit: ergo Chriſtus deluſit ceteros, quibus dixit ſe dediſſe corpus, & ſanguinem ſuum, & nihil contulit. Et præter hoc ſtare nequit, quia cum Chriſtus proferens verba ſuper calicem conſecrauit, aut totum uinum conſecrauit, aut nihil, cum partes non eſſent ibi diſtinctæ: ergo vel totum conſecrauit vel nihil: ſed aliquid conſecrauit, vt Euangeliſtæ confirmant: ergo totum conſecrauit: ſed primus non totum bibit, ergo ibi manſit corpus Chriſti. Sed non poterat manere pars corporis, & ſanguinis, ſed totum, quia alioquin Chriſtus dilaceraretur in ſumptione, quod eſt abſurdum, & hæreticum: ergo primus bibens integrum Chriſtum ſumpſit, & integer pro ſecundo bibente manſit, & ſic de ceteris vſque ad duodecim. K Non igitur oportet, vt quando conſecratur vna hoſtia, ſi alia eſt conſecrata, quod Chriſtus inde tranſeat ad eam, quæ conſecratur priore deſerta, & conſequenter cum fit conſecratio, & Chriſtus nouiter incipit eſſe in hoſtia, quód deſcendat de cęlo empyreo, vt ſit in hoſtia: Ideo cum conſecratio fit, Chriſtus ex virtute inſtitutionis ſuæ per verba conſecrationis incipit ëſſe in hoſtia, & nunc eſt in cęlo empyreo, & hoſtia, cum antè duntaxat eſſet in cælo empyreo, & cum incipit eſſe in hoſtia non volat deſcendens ad hoſtiam, quamquam pauca aduertentibus uideatur, quod Chriſtus deſcendat de empyrea ſede ex neceſſitate conſecrationis.

Quomodo Chriſtus volauit. Cap. CXCVI.

DVOBVS antè expoſitis modis dici poteſt Chriſtum non volauiſſe, & quamquam hæc veritate F fulciantur, intentio metaphoræ non eſt ad aliquem horum modorum, ſed ad idem tempus vtraque contradictionis extremitas referenda eſt, ſcilicet quod in eo actu, quo Chriſtus volare dicebatur aſcendens ad cælos, dicatur quoque non volare. In quo vt ſæpe id dictum eſt ſupponatur in Chriſto duas fuiſſe naturas, diuinam atque humanam: humana autem natura ſcilicet corporea propriè habet, quód volauerit aſcendens ad æthera: ibi nempe verus fuit motus, cum anima, & corpus Saluatoris antè tempus aſcenſionis in empyreo nunquā fuiſſent. Quantum ad diuinam naturam nullus fuit volatus: quia volatus eſt verus motus: in diuina tamē ſubſtantia immobilitas ſemper fuit. Quod patet, quoniam id, quod volat, volatu ad eum tendit locū, in quo prius non fuerat: Chriſtus tamen, vt Deus erat, ſemper in emG pyreo fuerat, ſicut & in omnibus entibus. Hoc autem noſtro conceſſu patet, cum dicamus Deum patrem, filium, & Spiritum Sanctum ſemper in empyreo fuiſſe, gloriam angelicis ſpiritibus exhibendo. Nam cum Deū vbique confiteamur, patrem quoque, & filium atque ſpiritum ſanctum vbique confitebimur: quoniam omnes tres vna indiuidua ſubſtantia atq; natura ſunt. Neceſſe eſt igitur, vbi vnus fuerit alterum quoque eſſe: imò quód amplius eſt, neceſſe eſt alterum in altero eſſe. Iuxta illud Io. 14. cum Chriſtus reprehendit Philippum dicentem: Domine oſtende nobis patrem, & ſufficit nobis. Dicit ei Ieſus. Tanto tempore vobiſcum ſum, non me cognouiſtis? Philippe qui videt me, videt & patrem meum: quomodo tu dicis oſtende nobis patrem? H Non credis, quód ego in patre, & pater in me eſt? Amplius autem aſcenſus in cælum non fuit volatus, quantum ad diuinam naturam in Chriſto: nā cum quis volat ab eo loco diſcedit, a quo volat, Deus tn̄ à terra non diſceſſit aſcendente Chriſto in cælum, ſed ibi in æternū manet, ſicut antè fuerat, quia Deus vbique eſt. Quod amplius manifeſtatur Matthæi vltimo, vbi Chriſtus confeſtim poſt hæc in cælum aſcenſurus diſcipulis ſuis loquitur, dicens: Ego enim vobiſcum ſum vſque ad cōſummationē ſeculi. Ex prædictis ergo expoſitum patet, qualiter Chriſtus in cælum aſcendens non volauerit.

Pars quarta metaphoræ quintæ, ſcilicet Aquila, quæ venit in locum, a quo nunquam receſſit. Cap. CXCVII.

I CONſequenti ordine cœpti vltimi Paradoxi particula quarta adeſt, ſcilicet. Quæ venit in locum, a quo nunquam receſſit: de qua dicendum eſt ſicut de ceteris huius Paradoxi, & præcedentium trium particulis de Chriſto exponi neceſſe eſſe. In quo quoniam duplex natura eſt, cum ſit gigas geminæ ſubſtantiæ iuxta teſtimonium ſacræ ſcripturæ, inquirendum eſt quomodo cuique applicentur, & cui earum potiſſimè congruant. Harum prima ſubſtantiarum diuina eſt, cui hæc verba dupliciter applicari queunt, ſcilicet propriè aut ſecundum metaphoram. Quod ſi hæc de Chriſto enunciare velimus, quantum ad diuinam naturam, ſecundum K propriam ſignificationem horum terminorum, ire, venire, aut recedere non congruet harum vlla particula. Diuina quippe ſubſtantia nec aliquorſum tendit, nec ab aliquo vnquam diſcedit loco; hoc quippe impoſſibile atque inopinabile intelligentibus eſt: nam cum ipſa infinita ſit, neceſſe eſt, vt vbique ſit. Si autem aliquorſum ire, aut ab aliquo diſcedere loco daret', abſurditatibus omnia replerentur. Sumptis ergo propriè his terminis, de Chriſto inquantum Deus eſt, dici nequit, quód aliquem acceperit aut reliquerit locum. Non ergo hoc modo exponetur, quæ venit in locum à quo nunquam diſceſſit, deitas nempe nec ad aliquem locum venit nec inde vnquam receſſit. Si autem ſecundum metaphoram ſumptis terminis hanc particulam de Chriſto iuxta diuinā naturā applicare voluerimus, aliter dicendum erit. Multa ſiquidem ſacra ſcriptura de Deo fatetur in metaphora, quæ in ſenſu hiſtorico execratur. Fatemur ergo hoc modo de Deo, quod ad aliquem

quem locum veniens, indè aliquando diſcedat: eũ quippe ad aliquem locum venire dicimus, cum ibi aliquid noui agit, quod antè non efficiebat. Velut antè confuſionem labiorũ in Babylonicæ turris ædificatione, Deus ibi eſſe non dicebatur: quoniam nouum nihil efficiebat, & quia poſt hoc ædificantium confuſo labio idiomata diuiſit in gentes, dicitur in Babylonem veniſſe Deus. Sic

Gen. 11. patet Geneſ. 11. cap. ſcilicet. Deſcendit autem Dominus, vt videret ciuitatem, & turrim, quam ædificauerunt filij Adam. Et iterum in eodem capit. dicitur: Venite, & deſcendamus, & confundamus linguam eorum ibi. Hoc tropicæ locutionis genere vtentes dicemus filium Dei veniſſe ad aliquem locum, ſcilicet in virginis aluum, & quamquam iſte aduentus propriè aduentus non fuerit: quia tamẽ aliquid noui factum eſt, quod antè non efficiebatur, ſcilicet, quòd carnem ſumpſit, quam ab æterno nunquam aſſumpſerat, dici poteſt verbum diuinum veniſſe in virginis vterum. Alia autem particula, ſcilicet, a quo nunquam diſceſſit: non poteſt applicari Chriſto in hoc ſenſu metaphorico ſecundum naturam diuinam: nam velut tropicæ locutionis genere vtentes vere dicimus, quod Chriſtus in virginis vterum aduentauerit, ita & cum inde aliquando receſſiſſe verum eſt. Nam nouem duntaxat menſibus verbum diuinum carnem aſſumendo, & ſub aſſumpta manendo ſtetit in virginis aluo. Expleto autem tempore in lucem editus eſt, nec ibidem vltra manſit in aſſumpta carne. Chriſtus ergo in quantum Deus erat, a virginis vtero recedebat prædictæ locutionis tropicæ modo: nam velut aliquando carnem aſſumere cœpit, quam ante nunquam aſſumpſerat, ita aliquando aſſumere deſijt, & ſub aſſumpta manere in vtero. Chriſtus ergo Deus a loco, in quo aliquãdo fuerat diſceſſit: non poteſt igitur in hoc ſenſu prædicta applicari particula.

Expoſitio quartæ partis quintæ metaphoræ, prout Chriſtus erat homo. Cap. CXCVIII.

ALia autem in Chriſto natura eſt, ſcilicet humana, ſecundum quam ẽt prædicta verba applicari queunt. Vnde ſecundum propriam vocum ſignificationem aut ſecundum metaphoram applicatio fieri poteſt. Si autem propria vocum vtamur ſignificatione, manifeſtum eſt, quoniam congruunt: Chriſtus ſiquidem vt homo erat ad aliqua loca venit imò ad plurima, quoniam tota vita ſua in motu erat, vt expleret opus, ad quod miſſus erat, ſcilicet ſeminando doctrinæ verbum. Secunda tamen particula in hoc ſenſu non conuenit, ſcilicet a quo nunquam diſceſſit, nam quamquam Chriſtus ad multa veniſſet loca, nullius tamen fuit, a quo non diſcederet, niſi de empyrea ſede intelligere voluerimus, quoniam poſtquam Saluator noſter in cælos aſcendit, ab empyreo nunquam diſceſſit, & licet in quotidiana cõſecratione in hoſtia, & calice ſit, a cælo tamen empyreo nunquam diſcedit, vt in prioribus expoſitum eſt. Hoc autẽ quamquam veritate nixum ſit: non tamen accedit ad ſenſum huius metaphoricæ locutionis, quod ex eiuſdem verbis manifeſtum fit. Non enim dicitur, quod Aquila iſta iuit ad aliquem locum, a quo nũquam diſceſſit, ſed quod venit in locum, a quo nunquam diſceſſit. Quod ergo Chriſtus in empyream ſedem aſcenderit, non eſt venire ſed ire, quoniam venire verſus nos eſt. Chriſtus igitur inquantum homo erat, non venit in cælum empyreum, ſed iuit. Non poteſt ergo iſta propoſitio de aſcenſu Chriſti in cælum intelligi, quamquam inde nunquã diſceſſerit. Si verò de Chriſto, vt homo eſt, hanc propoſitionem intelligi voluerimus, ſecundum ſenſum metaphoricum ſtare nequibit: nam ſi Chriſtum ad aliquem locum ſecundum metaphoram veniſſe fateamur, nullus tamen erit locus, de quo Chriſtus ſecundum metaphoram non receſſerit, quod patet. Nam Chriſtus ſecundum quod homo nunquam in aliquem locum venit, ſecundum veritatem motus, a quo vere non receſſerit: Differentius ergo facilius concedetur in ſenſu metaphorarum nunquam eum in aliquem veniſſe lo-

A cum, à quo nunquam diſceſſerit. Facilius quippe eſt propoſitionem in ſenſu allegorico, vel quocunque myſtico veram efficere quàm in literali, quod patet: nam de Deo multa ſecundum tropicum loquendi genus concedimus, quæ ſecundum literæ veritatem magnæ forent abſurditates pertinentes ad hæreticam prauitatem. De Chriſto quoque vt homo eſt, multa metaphora vtentes fatebimur, quæ in veritate literæ negaremus: ipſe quippe in hoſtia conſecrata eſt non ſolum vt Deus, ſed vt homo: quia ibi verum corpus ſuum, & ſanguis manent. Et adhuc proprius in hoſtia eſt in quantum eſt homo, quàm inquantum eſt Deus ex viribus verborum conſecrationis, quæ de corpore, & ſanguine proferuntur nihil attingentia deitatem, ſicut latius explanatum exſtitit in ſecundo Paradoxo figurato ſuper particu-

B lam: Qui videbatur. Hic autem Chriſtus homo quamquam in millibus hoſtiarum in conſecratione eſſe debeat, à cælo empyreo non diſcedit. Si tamen receſſum ſecundum metaphoram aſſumi placuerit, concedetur Chriſtum de cælo diſcedere, aut in terram venire, vt homo eſt: quoniam quotidie eſſe ſumit in qualibet hoſtia conſecrata: prius verò quàm conſecratio fieret, nullos erat motus in hoſtia, nec ibi Chriſtus erat: Hoc autem vulgares ad aliquem locum venire dicunt, cum quis ibi eſſe incipit, vbi prius non ſteterat. Nequeunt ergo prædicta de Chriſto, vt homo eſt, ſub metaphora dici.

Dubitatio penes prædicta. Cap. CXCIX.

C CVm autem ex prædictis conſtet has duas ſimul particulas de Chriſto ſm̃ q̃ Deus eſt ſecundum literalem ſenſum non prædicari: nec ambæ ſecundum literam enunciantur, ſm̃ metaphorã quoq; de eo vere vtraque non prædicatur, inquirendum reſtat an accipi poſſint, ita vt altera pars de Chriſto, vt Deus eſt enuncietur; altera verò Chriſto, vt homo eſt, congruat. Tunc quoq; erit duplex modus, ſcilicet vt vtraque ſecundum allegoriã accipiatur, aut vtraque ſecundum literam aſſumẽda ſit. Si autem vtraque ſecundum literæ primariam ſignificationem aſſumatur, erit iſta applicatio, ſ. q̃ Chriſtus, ſecundum quòd Deus in aliquem veniret locum verè, à quo ſecundum quod homo in ſenſu metaphorico nunquam receſſerit. Et tunc vtraque pars falſitate manifeſta notatur. Nam Chriſtus vt Deus erat, in nullũ locum ve-

D rè veniſſe potuit: quoniam vbique totus, & ſemper eſt, atque in hunc modum ſemper fuit, vt in præcedentibus inductum eſt. Secunda quoque pars falſitate non caret: nam Chriſtus vt homo, nunquam in quemquam locorum venit, à quo non receſſerit. Si forte de cælo empyreo arguere velis, quòd Chriſtus, poſtquam ibi ſtetit, nunquam inde receſſit. Reſpondendum eſt, quòd Chriſtus, ſecundum quod homo non venit in cælum empyreum, ſed iuit in illud, vt prius declaratum eſt. Poſſumus autem econtrario hæc intelligere, ſcilicet quòd Chriſtus ſecundum quòd homo, in aliquem locum venerit, à quo ſecundum quòd Deus nunquam receſſit: hoc autem fulciri veritate manifeſtum patet. Nã Chriſtus vt homo erat, ad multa venit loca, ab eis tamen, vt Deus erat, nunquam diſceſſit, nec a quouis alio locorũ:

E nec tamen eſt iſte ſenſus, quem intendit illud figuratum Paradoxum, vt in prioribus expoſitum eſt. Aliter autem hoc dictum applicari poteſt Chriſto, ita vt vna particula de eo, vt Deus eſt, alia vero de eo, vt homo eſt, intelligatur: vtraque tamen ſecundum metaphoram, ſcilicet, Quod Chriſtus venit ad aliquem locum, a quo nunquam receſſit, ſcilicet, quòd Chriſtus ſecundum quod Deus venit in aliquem locum, à quo ſecundum q̃ homo nunquam receſſit intelligi põt. Hoc tñ ſtare nequit, quoniam altera pars iſtarum vera eſt, ſcilicet, quod Chriſtus ſecundum quod Deus, venit in aliquem locum, aſſumpto venire ſecundum tropum: hoc nempe tota ſacra ſcriptura concedit. Secunda particula falſitatem cõtinet, ſcilicet q̃ Chriſtus ſteterit in aliquo loco, aut venerit ad eum, a quo ſecundum metaphoram non

receſſerit, vt homo erat. Nam etiamſi nunquam ſecundum ſenſum literalem a cælo empyreo Chriſtus recedat, ab illo tamen recedit quotidie ſecundum metaphoram, vt prius expoſitum eſt. Aliter autem propoſitio iſta è contrario intelligi poteſt, ſcilicet, quòd Chriſtus ſecùdum quod homo in aliquem locum venit, aſſumpto venire ſecundum metaphoram, à quo ipſe, vt Deus erat, nunquam diſceſſit, aſſumpto receſſu ſecundum eundem modum tropicæ locutionis. Hic autem ſenſus ſtare nequit: nam licet prima pars, ſcilicet, quod Chriſtus, vt homo venit in aliquem locum, metaphoricè ſumpto venire, veritatem contineat: nullus tamen locus eſt à quo Deus ſecundum metaphoram non recedat. Quotidie enim in conſecratione, Chriſtus vt homo eſt, de cælo venit, aſſumpto venire ſecundum metaphoram: ab eadem tamen hoſtia Chriſtus vt Deus eſt, recedit, ſi receſſum metaphoricè aſſumamus, quia eſſe incipit alias. Sic enim dicimus Deum ab animabus recedere, Iſa. 59. cum malæ fieri inceperint. Sic patet Iſa. cap. 59 Iniquitates veſtræ diuiſerũt inter vos & Deum veſtrum. Prius tamen cum eis Deus fuerat: hic enim recedere ſub metaphora aſſumitur. Non poteſt igitur iſte ſenſus manere. Nunc autem dicendum eſt prædictas particulas de Chriſto, vt Deus eſt, accipi debere dumtaxat. Et non eſt accipienda vtraquè ſecundum ſenſum metaphoricum, nec vtraque ſecundum ſenſum literalem: ſed altera in metaphora, alia verò ſub veritate ſenſus literalis, ſcilicet, quod Chriſtus, ſecundum quod Deus, venit carnem aſſumpturus in virginis vtero, ab eodem tamen nunquam receſſit, vtraque autem veritate fulcitur. Prima in ſenſu tropico continet veritatem, ſcilicet, quod Chriſtus, vt Deus venit carnem aſſumpturus in virginis aluum, aſſumpto venire ſub metaphora, ſecundum veritatem literæ non poteſt exponi, quia non venit in virginis vterum filius Dei, ſed ibi ſemper extiterat, ex quo beata virgo eſſe cœpit, ſicut in ceteris fuit, & erat. Sed venit in virginis aluum aſſumpto venire in myſtico ſenſu, ſcilicet, quod nouum effectum filius Dei fecit in virginis vtero, quem ante hoc nunquam fecerat: quoniam aliquando ab ipſa, & in ea carnem ſuſcepit, quam antè hoc nunquam aſſumpſerat. Poſt hoc etiam nunquam carnem in eadem ſuſcepit. Hoc igitur in modo accipiendum eſt, quod Chriſtus in aliquem locum venerit, ſcilicet in virginis vterum. Secunda in hoc particula eſt, ſcilicet, quod Chriſtus, vt Deus, nunquam diſceſſit ab vtero virginis, Deus enim vbique eſt, nec ad aliquem locum ire poteſt, quia in eo iam eſt, nec ab aliquo diſcedere poteſt, quia nihil eſt quo tendat. Velut ſi aliquod corpus ſecundum quantitatem infinitum foret, ad nullum locum ire poterat, quoniam iam in eo erat: nec ab aliquo loco diſcedere valet, quia nõ eſt quo vadat. Hoc autem modo neceſſe eſt hanc particulam exponi de Chriſto, ſcilicet, quod venit in locum, a quo nunquam diſceſſit.

Pars quinta metaphoræ quinta. ſcilicet, Aquila, quæ quieuit. Cap. CC.

HVius quinti figurati Paradoxi particula quinta eſt: Quæ quieuit. Hæc autem particula ad Chriſtum, qui Aquila dicitur, ſicut ceteræ præpoſitæ particulæ, referri debet. In quo aduertendum, quod iſtud verbum quieſcere æquiuocè dicitur. ſignat enim ceſſare a motu, maximè a locali, & importat delectari, ſiue ſecundum rationem, ſiue ſecundum ſenſitiuam virtutem, vt in animalibus eſt, cum aliquod obiectum delectabile applicitum eis eſt, in quo gaudeant, & delectentur. Cum verò quiſquam hominum aliquid tale habet, eum quieſcere dicimus. Hæc autem duo importantur per vnicam vocem in idiomate hiſpanico: iſta tamen latina dictio quieſcere non æqualiter vtrunque importat, ſed nos trahimus ad illa. Propria autem eius ſignificatio eſt à motu ceſſare. Hac autem tantummodo ſignificatione viri peritiſſimi, quibus in proprietate vocum diſtinguen- F di cura eſt, hac dictione vtuntur. Nunc verò quoniam in hoc termino æquiuocatio eſt, cuiquam in ambiguo erit in qua ſignificatione aſſumendũ eſt: an in vtraque æqualiter aſſumi queat. Cui reſpondendum eſt: quieſcere hic pro ceſſatione a motu neceſſariò ſumendum eſſe, & nequaquam pro gaudio, vel lætitia quauis. Nam ſi hic quieſcere ipſum lætari diceremus, aut tam pro lætari quam pro motus lætalis ceſſatione aſſumatur, ſuperfluæ eſſent duæ particulæ, quæ infra habentur. ſ. quę gaudebat, & non gaudebat. Neceſſario igitur dicendum eſt ſolum accipi pro ceſſatione a motu locali. Et quoniã quies motum præſupponit, non poteſt dici quieſcere, quod nec per ſe, nec per accidens moueri poteſt. Quò fit vt impoſſibile ſit hanc particulam de Deo intelligi: tunc enim nec moueretur, nec quieſceret. Sed de Chri- G ſto, vt homo erat, intelligitur. Hoc enim modo in eo proprius motus eſt. Quamobrem propriè quieſcere poterat. Chriſtus quippe vt homo erat ad naturam pertinebat corporalẽ, quæ eſt ſubiectum omnium motuum. Et quia terminus motus quies eſt, vt apparet ex toto proceſſu librorum Phyſicorum Ariſtotelis, ſicut in Chriſto varij modi motus erant, ita quoque erant variæ quietes. Erat in Chriſto motus alterationis, qua res de vna qualitate mouetur in alteram. Hanc enim in Chriſto poni neceſſe eſt, quoniam aliquando frigidus, interdum verò calidus erat: Sic quoque de ceteris qualitatibus, quæ ſunt conditiones corporum, ad quas eſt motus, ſecundum quas ipſe patiebatur a cauſis agentibus naturalibus, de quibus late dictum eſt in paradoxo tertio ſuper partem. Qui patiebatur, & non patiebatur. H Quantum ad hunc motum alterationis in Chriſto, aſſignaretur in eo quies. ſ. conſummatio in acquiſitione alicuius formæ qualitatiuæ, & quod non ſit vlterior actio ad generationem formæ illius. Erat autẽ in Chriſto homine alius motus, qui dicitur augmentatio. Hũc enim ad maiorem quantitatem dicimus iuxta Ariſtotelem quinto Phyſicor. Hunc autem in ſe Chriſtus motum ſuſcepit: quoniam in quantitate augmentum ſuſcipiebat ad maiorem ſtaturam, ſicut in aliis hominibus mediocris ſtaturæ motus ad maiorem quantitatem fit. Sic ait Luc. 2. Lucas in fine ſecundi capituli, ſcilicet, Ieſus autem proficiebat ſcientia & ætate, & gratia apud Deum & homines. Proficere ſecundum ætatem eum dixit, ideſt, ſecundum magnitudinem corporis congruentem ætati: nam non poteſt eſſe ſenſus, quod cum creuiſſet ætate dicat. i. I ꝙ ſemper plures annos, & menſes haberet. Sacra quippe ſcriptura, quidquid dicat ad declarationem aliquarum veritatum, dicit, quæ ſub ambiguo tenerentur, aut nullatenus cognitæ eſſent, niſi ſcriberentur. Cum vero aliqua veritas eſt per ſe nota, ita vt nemini in dubium venire queat, ſuperfluum eſt illam declaratione annotari. Sic aũt de hac veritate eſſet, ſi intelligendum foret, quod Chriſtus ætate proficeret. i. quod ſemper plures menſes, & annos haberet, hoc quippe neceſſarium erat, ꝙ dum Chriſtus viueret plures ſemper annos, & menſes haberet: nam hoc cunctis entibus generale eſt. Ambiguitas tamen videbatur, an Chriſtus in quantitate corpulentię ſecundum conuenientium ætatis ſuæ creſceret. Quidam namq; hominum ſunt, quibus iuxta ætatem concors ſtatura eſt; alijs verò nequaquam; vt ergo hoc ambiguum K tolleretur, dictum eſt, ꝙ creſcebat ætate. ſ. in corpulẽtia debita ſecundum ætatem. Quies autem in Chriſto ſecundum motum augmentationis fuit adepto ipſo maiorem quantitatem, in qua corpus Chriſti fuit, quando augmẽtari deſiit, his duobus enarratis motibus correſpondent quietes, quæ ſunt termini ipſorum motuũ. Vulgares tamen nullam quietem ponunt, terminantem hos motus. Vulgares namque quietem non vocant ceſſationem motus duntaxat, ſed ceſſationem a laborioſo motu. In alteratione autem, & augmento laborem nullum eſſe ſciunt, in eo qui augmentatur, & alteratur. Nullam ergo quietem his motibus contrariam ponunt. Alius autem motus ſecundum locum eſt, quem Ariſtot. 5. Phyſicorum lationem vocat: pertinet enim ad pedes, manus, & organa interpretatiua, ſcilicet, organa vocis formatiua. In pro-

gremio-

greſſione enim, aut in opere manuali, aut vocum formatione motus localis tolli nequit. In his autem quies eſt, quæ eſt ceſſatio ab his motibus. His vero motibus vulgares quietem tanquam terminum conſtituunt, quia nõ ſolum eſt ceſſatio a motu, ſed etiá à labore, cũ tales motus ſemper laborioſi ſint. Hos aũt motus, & labores cõiunctos Chriſtus ſuſcepit: ideo cum vere ceſſaret ab eis, habebat quietes oppoſitas eis, & ſunt terminũ. Quod autem fatigatio, quæ motum localem conſequitur in Chriſto fuerit, patet Ioan. 4. cap. Cum dicitur: Erat autem ibi fons Iacob, Ieſus autem fatigatus ex itinere ſedebat ſuper fontem. Illud auté ſedere ei quietis allatiuum erat. In operatione quoque manuali Chriſtus fatigabatur, quoniam delicatæ erat complexionis, atque nimis ſentientis labores, ceſſare autem ab his motibus ei quies erat. In vocum quoque formatione labor erat, velut in eis, qui longo clamore vociferãt, patet. Hi enim nimis fatigantur: ſicut prædicantibus, legentibus, atque diſputantibus accidit. Chriſtus autem ſæpiſſimé Iudæis prædicationis diſſerebat verbum, cum eis quoque frequenter conferebat, in quo ei laſſitudinem quandam euenire neceſſe erat, ab his igitur ceſſare motibus ei quies erat. Alij quoque afflictionum & laborum, ac tædiorum modi ſunt, qui Chriſto ex conditione aſſumptæ paſſibilitatis eueniebant, à quibus ceſſans quieſcere dicebatur. Ex prædictis ergo illatum patet, quomodo aquila iſta, quam Chriſtum eſſe prædicamus, quieuerit, ab omnibus motibus ceſſans. Adhuc autem iſtud quieſcere ad ſupradicta referri poteſt, ſcilicet, quod aquila iſta voluerit. Et quoniam volare motus eſt, atque fatigatio, quia aliquando ab illo volatu ceſſauit, quieuiſſe prædicabitur. Hoc autem verum eſt in Chriſto ſecundum quod homo, ſcilicet, quod in cælo aſcendens volauerit, vt in præcedentibus expoſitum eſt. Dum autem volabat, quieſcere non dicebatur, ſed ceſſauit à volatu, cum in cælo empyreo fuit. Hoc autem, etſi verum ſit, non tamen intenditur in hac figurata metaphora, ſed quod ſupra tactum eſt.

Pars ſexta metaphora quinta, ſcilicet Aquila, quæ non quieuit. Cap. CCI.

CONtinuati extremi paradoxi pars ſexta occurrit. ſ. quæ non quieuit; quæ conformiter de Chriſto, qui aquila eſt, vt ceteræ particulæ exponenda eſt. Et quoniam contradictionis vtraque pars de eodem, & ſecundum eandem conditionem, aut fundamentum dici nequit, iuxta Ariſto. primo Poſteriorum, & ſecundo Elenchorũ: ſed de Chriſto ſecundum quod homo erat diximus, ꝙ quieuerit aliquid: de eo ergo, ſecundum quod homo, dici nequit, ꝙ non quieuerit, ſed vt Deus. In hoc autem aduertendum eſt, quietem dupliciter accipi. ſ. ſecundum vſum vulgaris ſignificationis, & ſecundũ phyſicam acceptionem. Vulgarem autem inſequentes modum dicimus id quieſcere, cum non mouetur, ſiue ei motus poſſibilis ſit, ſiue nequaquam. Et iuxta hoc loquẽdi genus Deus quieſcere dicitur, quia non mouetur. De angelis quoque idem confitebimur, & hoc modo præcedentem particulã de Deo fateremur, ſcilicet, ꝙ quieuerit. Aliter aũt quieſcere accipitur iuxta Ariſt. documẽtum, ſ. quieſcere res dicitur, quæ non mouetur, ſed moueri poteſt, vt patet quarto Phyſicorũ, quo infertur indiuiſibile non poſſe quieſcere. Indiuiſibile namque moueri nequit: quod autem non mouetur nõ quieſcit. Quo ſequitur, vt puncta non moueantur, ne quieſcant, quoniam indiuiſibilia ſunt: angeli quoque & animæ, atque Deus, quia indiuiſibilia ſunt, motum aut quietem non recipiunt. Quanquam ergo Chriſtus, vt homo erat, quieſceret ceſſans a motibus, & laboribus: vt tamen Deus erat, non quieſcebat, quoniam vt Deus erat nullus illi motus accidebat, a quo ceſſans quieſcere diceretur: nec erat in potentia ad huiuſmodi recipiendum. Hoc enim infinitæ perfectioni Dei repugnabat. Ex prædictis ergo illatum patet, qualiter Chriſtus, qui aquila erat, quieuerit, & non quieuerit.

A *Pars ſeptima metaphora quinta. ſcilicet Aquila, quæ renouabatur. Cap. CCII.*

ORDINE conſequenti quinti huius paradoxi particula ſeptima eſt, Quæ renouabatur: quod vt cetera ad Chriſtum aquilam referendum eſt, & ponitur hic aquilarum conditio, ſcilicet renouari.

In quo conſideratione dignum eſt, de aquilarum renouatione inquirere. Dupliciter autem renouationem accipere contingit: primo quidem renouationem dicimus, cùm aliquid ſecundum corporis habitudinem, & vires atque operationem, & ceteras diſpoſitiones vetuſtas in perfectam, & priſtinam conuenientis ſtaturæ habitudinem, & in vires atque operationem robuſtam re-B dit. Aliter autem renouatio accipi poteſt, ſcilicet, quod aliquid quondam fuerit, deinde eſſe perditio nouiter ad eſſe, quod prius non tenuerat, redeat. Primus renouationis modus aquilarum conditio eſt. Aquilis namque veteraſcentibus magna oculorum caligo accidit, ita vt clare intueri nequeant animalia, quæ venatu apprehendere debent: magnam quoque alarum grauitatem incurrunt plurimiſque nimium vetuſtis volatus eis difficilis eſt: roſtrum etiam, quo feriunt animalia valde aduncum redditur, & vngues recuruitæ vt non faciliter animalia venatu apprehendere queant. Cum autem iſtæ aquilæ ſibi ineſſe ſenſerint, clariſſimum fontem aquarum frigidarum inquirentes, primò altiſſimo volatu nubes in æthera petunt, quouſque concitæ motu valido, & labore calefiant, atque calore reſoluantur pori. Tunc autẽ ad C modum tormenti, volatu præcipites gelidarum aquarum fonti ſe immergunt, vbi aquis per poroſam intrantibus apertionem, magna fit immutatio in eis. Quo fit, vt veteribus plumis cadentibus, aliæ nouiter renaſcantur: vnde depoſito pondere priorum pennarum, & vetuſtate, ad volandum aptiores fiunt. Roſtro quoque lapides feriunt, vt ſic eius quædam pars conteratur. In vnguibus autem idem agunt, quo pacto omnia nouiter renaſcuntur: ſic habetur, De proprietatibus rerum lib. 12. cap. de Aquila. Hanc autem aquilarum artificioſam renouationem Pſalmiſta innuit Pſal. 102. cum dicit: Renouabitur, vt aquilæ iuuentus tua. Secundus renouationis modus eſt, cum aliquid eſſe deſinens nouiter eſſe incipit. Hanc autem in phœnice aue Arabica eſſe patet. D Phœnix enim vnicus eſt in toto orbe, ſcilicet, in Arabicis ſolitudinibus: viuens quadringentis, aut quingentis annis. Cum verò ad tantam ſenectutis grauedinem venerit, vt vetuſtatis incommodis obſitus delectabiliter viuere nequeat, nidum de aromaticis, & valde ſiccis lignis conſtituit, ita vt candenti æſtu eiuſq; cauda, & leui alarum afflatu ignẽ concipere queant, vbi media ſedens velut in tumulo ſuo exuritur. Quo in cinerem verſa poſt triduum ex cinere illo paruus vermis animatur manente virtute prioris phœnicis, qui paulatiuis prouectus incrementis alas ſumit, veruſque phœnix efficitur, viuens iterum per quadringentos, aut quingentos annos. Hoc pacto phœnicum ſucceſſio fit: ita tamen ꝙ vnica phœnix ſẽper ſit. De hoc patet in libro duodecimo. De proprietatibus rerum, capitulo de phœnice. Hæc autẽ re-E nouatio, quæ phœnicibus accidit, omnibus hominibus aliquando congruet: nam licet nunc omnes eſſe deſinant, in die tamen extremi iudicij omnes ad eſſe redibunt. Ex eadem nempe materia, ex qua conſtiterunt viuentes, & in quam decedẽtes reſoluti ſunt, iterum reficientur corpora eorum: Deus quoque animam corpori renouato coniunget, vt verus atque perfectus homo ſit. Nimis tamen renouatio hominum in generali reſurrectione à renouatione phœnicum differt: phœnicum quippè renouatio pure naturaliter fit, ſcilicet, agentibus ſolis cauſis naturalibus, & mediantibus diſpoſitiuis qualitatibus elementalibus manentibus in materia phœnicis reſoluti. Hæc enim inſtrumenta agendi naturalium cauſarum ſunt. Ad hominum autem in extremo iudicio renouationem, non ſunt aliquæ naturales cauſæ agẽtes, quoniam ad hoc ſua actio non attingit: nec ſunt ibi ali-

Aquilæ, vt iuuentutem renouent.

Phœnix quo animam exhalat.

quæ qualitates diſpoſitiuæ, quoniam forma, quæ eſt ani F ma rationalis non vnitur corpori per virtutem alicuius agentis purè naturalis. Amplius autem cum phœnix reſoluitur, non fit renouatio, ita vt phœnix idem numero, qui præextiterat, redeat, ſed alius ex eadem materia gignitur. Hoc autem facultatem cauſarum purè naturalium nequaquam ſupergreditur, velut ſi phœnix, præextiterat, idem numero redeat. In reſuurectione autem idem, qui præceſſerat homo redit, & non alius, cum in principia ſubſtantialia compoſitionis maneant eadem. Hæc autem renouatio ad Chriſtum referenda eſt: ſed inquirendum eſt, an de Chriſto, ſecundum quod homo eſt, aut ſecundum quod Deus, hoc intelligi debeat.

Dicẽdum, hoc intelligi non poſſe de Chriſto, vt Deus eſt: quoniam in ipſo renouatio nulla eſt, quia motus nullus accidere ei poteſt. Sed dicendum hanc renouationẽ neceſſariò intelligi de Chriſto, vt homo eſt. Chriſtus ſi- G quidem, vt homo eſt, ſubiectus erat cunctis pœnalitatibus & tranſmutationibus, quibus ceteri hominum ſubiiciebantur, ex conditione ſpeciei: renouari autem eſt mutari ſecundum habitudinem corporis, aut vires, vel conditionem operationum, aut incipere eſſe, quod ante eſſe deſiderat. Hoc autem Chriſto congruebat, vt homo erat, eum igitur renouari concedendum eſt.

Nunquid Chriſtus vt Aquila, vel Phœnix renouabatur. Cap. CCIII.

ALiquis autem in hoc inquiret, cum Chriſtus, ſecundum quod homo renouaretur, nunquid renouare- H tur vt Aquila, vel vt Phœnix. Cui faciliter reſpondendum eſt, Chriſtum in hoc figurato paradoxo aquilam nuncupari: neceſſe eſt igitur, vt aliqua ſimilitudo ſit inter aquilarum renuuationem, & Chriſti: quod verum eſt in vniuerſali, ſcilicet, quod aquila renouatur: Chriſtus quoque vt homo renouabatur: in ſpeciali tamen nulla mutationis aquilarũ, & Chriſti concors diſpoſitio eſt, ſed conformitas renouationis in Chriſto, & phœnice eſt: quod patet, quod aquilarum renouatio, dumtaxat qualitatum alteratio eſt, eſſe autem non permutatur, ita vt eſſe deperditum recuperetur ſimpliciter, Phœnix autem ſecundum eſſe mutatur, quoniam eſſe quoddam perit, & alterum incipit. Chriſto autem hæc accidebant: nam dum inter mortales vixit, nulla ei, aut aquilarum, aut phœnicum renouatio accidit: ſed renouatio I fuit, quoniam ipſe per mortem eſſe humanum perdidit, & illud poſtea in reſurrectione recuperauit. Vnde caro eius, quæ in ſepulchro omni vitali motu vegetatione & opere, atque compage deſtituta erat: reunita ei anima, renouata fuit in reſurrectione: De hoc Pſalmus vigeſimus ſeptimus, ſcilicet. Et refloruit caro mea, & ex voluntate mea confitebor illi. Nec ſolum caro Chriſto refloruit, & renouata eſt aſſumens eſſe, quod ante perdiderat, ſcilicet, eſſe humanum: quoniam Chriſtus in triduo mortis ſuæ non fuit homo, & poſt reſurrectionem ſuam cœpit eſſe homo, in quo eſt renouatio ſicut in phœnice: ſed etiam caro Chriſti nouam virtutem, & qualitates accepit. Antè paſſionem quippe ſuam Saluator noſter mortalis erat, ideo mortuus eſt, poſt paſſionem autem ſuam iam immortalis, atque K impaſſibilis manet. Chriſtus quoque antè paſſionem ſuam multarum afflictionum ſuſceptiuus fuit, ſicut ceteris hominibus accidebat: poſt paſſionem autem nullius afflictionis, aut amaritudinis ſuſceptiuus fuit. Sic enim ait Apoſtolus ad Romanos ſexto capitulo. Chriſtus reſurgens à mortuis, iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur. Corpus quoque Saluatoris noſtri ante paſſionem ſuam obſcurum, & ponderoſum fuit, ſicut cetera corpora humana: poſt paſſionem ſuam corpus illud leue, & agile valde fuit: ita vt per aereas regiones tranſcurrere potuerit, atq; in empyreum conuolare. Fuit quoque lucidum ſicut ſol, quod ei ante paſſionem nequaquam contigerat. Poterat quoque ianuis clauſis ſubintrare: ita vt ei nulla murorum, aut ſtructorum ædificiorum, quidquam præſtaret impedimenti, vt cum ad diſcipulos ianuis clauſis intrauit, vt patet Ioann. vigeſimo, & vigeſimoquarto, quod ante paſſionem ſuam accidiſſe nequaquam legimus. Chriſtus quoque nondum paſſus, fatigabile corpus habuit, vt patet Ioann. quarto. vbi dicit eum ex itinere fatigatum ſediſſe ſuper fontem. Poſt mortem autem nequaquam fatigabile fuit. De ceteris autem dotibus corporum glorioſorum, idem dicendum eſt: habuit quippe eas Chriſtus poſt reſurrectionem, ſed ante mortem nullam habuerat. In quibus aliqualiter renouatio aquilarum, renouationi corporis Saluatoris noſtri ſimilitudinem quandam habet. Aquilis quippe renouatis alarum maior agilitas, oculorum intenſior perſpicacitas, viriumque maior firmitas accidit, roſtri quoque, & vnguium conuenientior diſpoſitio, & habilitas in ceteris qualitatibus. Sic enim in Saluatore noſtro multæ qualitates dotium glorioſarum poſt reſurrectionem fuerant, quarum nulla ei viuenti infuerat. Idem autem ceteris beatificandis hominibus accidit: nam dum ſub hac mortalis corporis conditione manerent, nullas beatorum dotes habent: cum verò reſurrexerint corpora incorruptibilia erunt, ceteræ quoque gloriæ dotes erunt, quas de Chriſto enarrauimus: alias quoque ampliores: qua in re magna in eis renouatio facta erit. In his tamen Chriſto, & ceteris differendum patet: nam poſt reſurrectionem omnibus bonis dotes gloriæ indifferenter inerunt: viuentibus tamen nullis inſunt, etiãſi perfecti viri valdè ſint. Chriſtus tamen ante paſſionem ſuam dotibus gloriæ, dum voluit vſus eſt. Sic enim in transfiguratione ſua, quoniam facies eius, & omnes partes corporis, quæ patebant, reſplenduerunt ſicut ſol, & veſtes eius ſicut nix refulſere. Sic patet Matth. decimoſeptimo, hæc tamen claritas glorioſorum corporum dos eſt. Chriſtus quoque aliquando ante paſsionem ſuã, alia dote vſus eſt, quæ agilitas dicitur, ſcilicet, quod ſuper aquas maris, nudis pedibus incedens, non mergeretur. Sic patet Matth. 14. Nam cum diſcipuli eſſent in quadam nauicula, & Chriſtus non eſſet cum eis, venit ad illos quarta vigilia noctis ambulans ſuper aquas, at illi exiſtimauerunt phantaſma eſſe, & clamauerunt: Chriſtus autem eis ſe poſtea præbuit cognoſcendum. Alia quoq; corporis glorificati dote Chriſtus ante mortem vſus eſt, ſcilicet, inuiſibilitate. Hoc autem ter factum legitur, primò cum illum Nazareni præcipitare voluerunt, ducentes eum ad montem excelſum: ipſe verò per medium eorum de monte deſcendere incepit, illis non videntibus. Sic enim dicitur: Ieſus autem tranſiens per medium illorum ibat, vt patet Luc. quarto capit. Verum cum Iudæos Chriſtus valde increparet, & ſe diceret antiquiorem Abraham, tulerunt lapides, vt iacerent in eum: ipſe verò abſcondit ſe & exiuit de templo, id eſt, fecit ſe inuiſibilem, de hoc Ioan. octauo capit. in fine. Iterum autem Chriſtus Iudæis durè reſpondens cum eum lapidare vellent, euaſit manus eorum, vt patet Ioan. 10. cap. Chriſtus igitur, quia Deus erat, habebat has dotes corporum glorioſorum in poteſtate ſua ideo cum vellet vtebatur illis, quia condecebat. Viris autem bonis a lege mortalitatis nondum abſolutis hæc non ſuberant: ideo eis ante mortem non vtebantur. Ex prædictis ergo expoſitum eſt, qualiter aquila, quæ erat Chriſtus renouabatur.

Pars octaua metaphoræ quintæ, ſcilicet Aquila, quæ non renouabatur. Cap. CC IIII.

HVius iam finiendi quinti paradoxi, particula octaua eſt: Quæ non renouabatur. Hanc autem particulam, ſicut ceteras in hac metaphora ad Chriſtum referri neceſſe eſt. Sed quia Chriſtum duas ſæpe naturas continere dictum eſt, diuinam ſcilicet, & humanam, inquirendum eſt, in qua harum intelligendum ſit, vel an in vtraque congruat quod dicitur. Cui reſpondendum, vtrique poſſe hanc applicari

particulam, ſed ei potius in quantum Deus eſt: Chriſtum enim vt hominem renouari ſupra conceſſum, de eo non renouari enunciari nequibit, niſi ad alterum referatur tempus, ſcilicet Chriſtum renouatum, aut reflorentem in reſurrectione conceſſimus, quoniam caro eius refloruit. Temporum particulis, cum adhuc ſub mortalitatis conditione degebat, non renouabatur, quia in eo nulla talis fiebat mutatio, qualis poſtea in reſurrectione facta eſt. In hoc autem ſenſu, quanquam aliqualiter particula iſta aſſumi valeat: conuenientius tamen ad alterum trahitur. Nam etſi in Chriſto, vt homo erat, ante paſſionem ſuam non fiebat illa admiranda renouatio, quæ poſtea facta eſt: tamen quamdiu antè paſſionem mortalis vixit, aliquam continuè ſuſcipiebat mutationem, quæ renouatio dici poteſt. Ad alterum ergo ſenſum trahenda eſt iſta particula, ſcilicet, vt de Chriſto exponatur, & ſecundum quòd eſt Deus: de quo manifeſtum eſt, quod renouari nequeat: quoniam renouatio vetuſtorum conditio quædam eſt, ſcilicet, quod nihil renouatur niſi primò veteraſcat: Deus autem vetus non efficitur, ergo renouari nequit. Amplius autem renouatio motus quidam eſt, cum ſit alteratio priorum qualitatum

Malac.3. innouans: in Deo autem motus nullus eſt, iuxta illud Malachiæ. 3. cap. Ego dominus, & non mutor: renouatio ergo nulla eſt. De motu autem tam in generali, quam in ſpeciali, quòd in Deo eſſe nequeat declaratum fuit ſuper quartum paradoxon ſuper partem; Qui non mouebatur. Præter hæc autem renouatio dupliciter fit, ſcilicet, aut ſecundum diſpoſitionem, & qualitates, aut ſecundum eſſe: in Deo tamen neutrum accidere poſſibile eſt, ergo nec renouabitur. Quod autem Deo renouatio ſecundum qualitatiuas diſpoſitiones aduenire nequeat, apparet: quoniam in Deo qualitates nullæ ſunt, propter ipſam diuinā eſſentiam, ſed totum quidquid eſt, ſimplex, & vnum eſt, Si igitur in eo renouatio fieret, neceſſe eſſet, vt ſecundum eſſentiam renouatio fieret: ſed ea, quæ ſecundum qualitatem fit differt à renouatione, quæ eſt ſecundum eſſentiam, vt renouatio, quæ eſt aquilarum à renouatione phœnicum, vt prius declaratum eſt. ergo non ineſt Deo renouatio ſecundum qualitates. Item quod renouatur perfectius efficitur, quàm antè fuiſſet maioribus reſumptis viribus, & melioratis omnibus corporalibus diſpoſitionibus: Deo autem perfectio nulla maior aduenit: quia tunc antè hoc perfectus non fuiſſet, quod de Deo fateri nefas eſt. Amplius autē quidquid Deo ineſt, ſemper ineſt, cum ſit æternum, & in æternis non differt eſſe a poſſe eſſe, iuxta Ariſto. Si igitur aliquid Deo aduenire poteſt, iam illud ſibi ineſt: renouationem autem huius eſſe impoſſibile patet: quoniam renouatio eſt in ea re, quæ aliquid nouiter recipit, quod antè non habuiſſet. Ob hoc enim nouum dicitur: quoniam vetera præceſſere: potiſsimè renouatio dicitur, ſcilicet, poſt vetuſtatem inducta nouitas.

Item renouatio phœnicum in Deo eſſe nequit, quoniā illud eſt ſecundum eſſentiam renouari, ſcilicet, quod eſſe ſubſtantiale deperditum iterum reſumatur: Deo autem accidere hoc impoſſibile eſt, quoniam hoc pacto deitas eſſe ceſſaret, quo nihil abſurdius. Nam Deus eſt vnum neceſſe eſſe: ergo deficere impoſſibile eſt. Non enim poteſt imaginari, quomodo deitas deficere queat, quoniam ab altero corrumpi non poteſt: quia nihil ea potentius eſt: nihil etiam contrarietatis habet à quo labefactari vſquam poſſit. Præter hoc etiam non eſt ens ex nihilo, vt deſiſtente aliqua cauſa à conſeruando eam, tendat in nihilum ſecundum conditionem entitatis productæ ex nihilo. Ipſa quidem ſeipſa ſubſiſtens à nullo eſſe traxit, ideo deficere nequit. Ideo etſi dari poſſet Deū velle deficere, quod pariter impoſſibile eſt, deficere tamen non poſſet, quoniam maxima in entitatibus perfectio eſt, & inuitus etiam eſſet: ſed quidem caſus hic non admittitur. Amplius verò ſi Deum renouari fateamur, neceſſe eſt, vt eum aliquando defeciſſe conceſſerimus: cum tamen Deum deficere poſitum fuerit, eum ad eſſe redire impoſſibile eſt. Nam quorum ſubſtantia totaliter ſemel perit, in idem numero redire impoſſibile eſt, iux-

A ta Ariſt. 2. de Generatione & corruptione. Si tamen Deus ſemel periret, cum ſubſtantia eius ſimpliciſſima ſit, non poſſet redire ad eſſe: quia totum peribat, quidquid erat. In ſimplicibus enim, aut totum perit, aut nihil, cum in ſimplicibus partes non aſſignentur, ſed ſint indiuiſibilia. In hominibus autem mortuis, cum reſurgent, non tota ſubſtantia perit. Nam ſubſtantia hominis corpus, & anima ſunt: horum autem nihil perit, quia anima incorrupta manet. Corpus autem, etſi diſſoluatur vſque ad elementa, vt ſi in auras diffugiat, vel in aquaticos reſoluatur humores, aut ignis leuitatem induerit, vel terræ pondus accipiat, ſemper tamen manet tota illa materia, ex qua corpus fuit: ſola igitur horum duorum vnio deeſt ad complendum hominem: ſi tamen tota ſubſtantia deperiſſet, ita vt nihil de corpore maneret, anima quo- B que defeciſſet, impoſſibile eſſe per vllam potentiam huiuſmodi hominem reſurgere. In Deo autem, ſi deficeret nihil maneret: renouari ergo includebat contradictionem. Amplius autem, etſi deitas ſemel deleta, aut in nihilum deficiens renouari poſſet: nihil tamen erat, quod eam poſſet renouare: nam in ceteris, quæ ſiue naturaliter, ſiue per actionem diuinam renouantur, cauſas agentes conſtituimus, aut ipſas naturales, aut Deum: Si tamen defecerit deitas, nihil eſt, quo reſtaurari queat, cum ſupra ſe agentem nullam cauſam habeat: Deum ergo renouari impoſſibile eſt. Ex prædictis ergo expoſitum patet, quid accipiendum ſit cum dicitur, quæ non renouabatur.

Ari. 2. de generatione.

C

Pars nona metaphora quinta. ſcilicet aquila, quæ gaudebat. Cap. CCV.

IN hoc ordine quinti huius Paradoxi, particula nona eſt: Quæ gaudebat: quod ad aquilam Chriſtum referendum eſt, ſcilicet, quod ipſe gaudebat. Et cum hic ponantur particulæ duæ, quæ ſunt vtræque pars contradictionis, poterat vtraque ad Chriſtum hominem referri, ſecundum diuerſa tempora: nam aliquando lætabatur, & aliquando triſtitia plenus erat. Hanc autem particulam de Chriſto, vt Deus erat exponi non conuenit, vt inferius magis exponetur, ſed ad ipſum, vt homo eſt referri debet. In quo aduertendum eſt gaudium duplex fuiſſe in homine Chriſto: primum enim fuit quædam lætitia concepta in eo ſecundum partem rationalem, ſcilicet, in intellectu, & voluntate, & iſta erat quam ani- D ma eius ſuſcipiebat ex contemplatione diuinæ eſſentiæ. Hoc enim ſpeciale Chriſtus inter ceteros mortales habūit, quòd ceteri etiamſi boni ſint, viatores tamen ſemper ſunt, ſcilicet, tendentes in illam æternam felicitatem, quam ſummopere affectant: eam tamen quamdiu viuunt nunquam tenent: ſed illis poſt defunctum morte corpus continget, vndè comprehenſores nondum ſunt. Chriſtus autem homo, dum viueret, plenus comprehenſor erat, ſcilicet, quòd anima eius diuinam videbat eſſentiam, dum in hoc mortali corpore degeret, atque in ea vita fruebatur omnibus gaudijs ſuperfluens, ſicut poſt reſurrectionem ſuam fruitur. Vnde quantum E ad intellectum, & voluntatem Chriſti nulla maior poſt reſurrectionem, aut aſcenſionem in æthera gloria adhæſit, quàm à conceptionis inſtanti inhæſiſſet: ſed corpori eius glorioſæ acceſſerunt dotes, quæ antè non præfuerant. Quantum verò ad hoc gaudium Saluatoris, vniuerſaliter diffiniendum eſt, quod ei nunquam interciderit: nulla vnquam inſurgens tribulatio, aut abſtulerit aut diminuerit, vel interpolauerit, ſed die noctuque manebat. Nam etiamſi interdum Saluator noſter ad capiendam quietem, a corporalibus motibus, & fatigationibus ſomnum nocturnum caperet ſiue diurnum: ſicut patet Matth. 8. ſcilicet. Ecce ventus magnus factus eſt in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus, ipſe vero dormiebat, & acceſſerunt & ſuſcitauerunt eum, dicētes: Domine ſalua nos, perimus: Idem Marci 4. & Luc. 8. Tamen intellectus, & voluntas ſua, à contemplatione diuinæ eſſentiæ non ceſſabant: ita vt ſemper fruerentur, ſicut nunc fruuntur in felicitate paradiſi: nec magis Chriſtus per diem,

Duplex gaudiū ī hoīe Chriſto fuit.

quam

F quam per noctem fruebatur. Aequum enim illi vtrunque tempus erat. Aliquis tamen obijciet Chriſtum non poſſe per noctem frui, dum ſomnum caperet, ſiue per diem, dum alijs intentus eſſet occupationibus, quoniam huius conditionis intellectus noſter eſt, vt cum ſomnū capimus, nec ipſe, nec ceteræ potentiæ rationales, nec animales actum vllum habere poſſint, & cum alijs occupationibus intendimus, intellectus non poteſt vacare intellectioni. Chriſtus autem verus homo erat: iſta ergo proprietas conſequens ceteros homines, quæ eſt conditio ſpeciei, in eo eſſet. Reſpondendum eſt, intellectum, & ceteras virtutes, tam rationales, quam animales, vel naturales, eandem habere conditionem in Chriſto, quam in alijs hominibus: & ſicut in alijs hominibus non poteſt cauſari ſpeculatio dum in ſomno ſunt, nec cum ad alia diuertunt, ita & in Chriſto accidere. G Sed iſta conditio quidem, ideo in hominibus eſt, quoniam intellectus, quanquam ſecundum ſe, non ſit virtus organica, nec alligata organo, tamen præſupponit ſpecies in phantaſmate, vt intelligat, ſuper quas vertatur, iuxta Ariſt. tertio de Anima ſcilicet oportet intelligentem circa phantaſmata ſpeculari, quia naturaliter in ſe non habet ſpecies, per quas intelligat. Vnde cum non fuerit facta conuerſio ad phantaſmata, nihil intelligemus. In Chriſto autem hoc idem accidebat, quantum ad ea quæ per ſpecies mendicatas a rebus corporalibus intelliguntur, quæ conſeruantur in phantaſia: ſed ſi aliquid ſit quod per purum intellectum apprehendatur, nulla facta conuerſione ad phantaſmata, nihil impeditur homo intelligere in ſomnijs. Sic autem erat de viſione diuinæ eſſentiæ, & fruitione in anima Chriſti, H quoniam hæc non fiunt per ſpeciem aliquam de Deo conceptam: ſed per eſſentiam, quæ clare cognita eſt & præſens. In hoc quippe differt viſio Dei, quæ eſt in vita æterna, & cognitio, quam nunc de eo habemus, quoniā nunc videmus per ſpeciem, tunc autem facie ad faciem, vt ait Apoſtolus 1. Cor. 13. Non ergo indiget intellectus noſter aliqua conuerſione ſuper phantaſticas ſpecies, quia nulla eſt ſpecies abſtractiua, per quam ſit viſio beatifica, ſed per ipſam clare viſam, & præſentem eſſentiam: nihil ergo magis impedimenti ad fruendum anima Chriſti in ſomno, quam in vigilia haberet. Amplius autem, quoniam etſi fieret fruitio, & viſio beatifica per aliquam ſpeciem, illa non eſſet de acceptis a rebus corporalibus, nec eſſet aliquid fabricatum per ſimilitudinem, aut tranſumptionem ad il- I lam, ſed eſſet ſpecies a Deo ſolo cauſata in intellectu noſtro de ſeipſo. Et tunc etiam ad intelligendum, per hanc non haberet intellectus aliquam conuerſionem ad phantaſiam, ſed ſeipſo intelligeret, vnde & in ſomno intelligere poſſet, vel occupata phantaſia circa alia. Quo fit, vt ſiue per ſpeciem, ſiue per eſſentiam viſio Chriſti beatifica fieret, nihil magis contemplaretur intellectus eius diuinam eſſentiam in ſomno, quam in vigilia, & nihil magis cum occupatus erat, quam cum omni vacans occupatione. Amplius autem etſi Chriſtus aliquando affligeretur nimis, tamen iſta ei delectatio non decidebat, nec minuebatur: vnde in paſſione ſua, cum ei inſurgeret grandis tribulatio, tamen anima ſua ita fruebatur diuina eſſentia, ſicut & nunc fruitur. Nec K incidebat in intellectum & voluntatem eius quidquam ſolicitudinis, aut amaritudinis, ſed ita gaudium plenum erat, ac ſi nihil anguſtiæ, aut pœnalitatis ineſſet: perfecta tamen amaritudo, & atrociſſimus dolor in parte ſenſitiua erat, ita vt ſecundum partem ſenſitiuam plenam ſine vllius iucunditatis admiſtione haberet amaritudinem, & ſecundum partem intellectiuam plenis gaudijs frueretur, ac ſi iſtæ duæ particulæ nihil ſibi inuicem attinerent. De quo late dictum eſt ſuper quartum paradoxon, ſuper particulam: Qui ſentiebat. De hoc autem gaudio animę Saluatoris noſtri, quod in anima rationali erat, hic non agitur: ſed de quodam alio, quod triſtitijs ſecundum ſenſum aduerſatur: & de quo verum eſt, quod aliquando in Saluatore noſtro fuerit, & aliquando non.

De gaudio, quod paſſionem vocamus. *Cap. CCVI.*

ALIVD autem gaudium eſt, quod eſt affectio quædam, quam nos paſſionem vocamus, & eſt in parte ſenſitiua, ſicut dolor & ſpes & timor. Proueniunt animæ affectiones iſtæ ex conditione animalis, non conſiderando ſpecialiter naturam humanam: vnde ceteris etiam præter hominem animalibus, iſta uidemus accidere. In Chriſto igitur, quia homo erat, hæc poni neceſſe eſt. Nam ipſe ſuſcepit ea, quæ conſequebantur veritatem naturæ humanæ, ſicut ſunt iſtæ paſſiones. Maxime autem patet de gaudio, quod in Chriſto fuerit: nam cum in eo triſtitia eſſet, in eo quoque gaudium eſſe poterat, & aliquando erat. Nam oppoſitorum conditio hæc eſt, vt circa idem fiant, niſi cum ſubiectum determinat ſibi alterum eorum a natura. Sed circa Chriſtum triſtitia erat, in ipſo ergo erat gaudiū aduenire potens, cum naturaliter Chriſtus non determinet ſibi triſtitiam. Quod autem in Chriſto triſtitia fuerit, apparet ex pluribus Sacræ ſcripturæ locis. Sic enim patet Math. 26. & Marc. 14. ſcilicet, & ſumpto Petro & duobus filijs Zebedæi cœpit triſtari, & mœſtus eſſe, tunc ait illis: triſtis eſt anima mea vſque ad mortem. Item qui flet mœſtus eſt, niſi mendaces atque femineas lachrymas fuderit, quod Saluatori non conuenit. Accepimus tamen Saluatorem noſtrum interdum ploraſſe, vt patet Luc. 19. Quoniam videns Ieſus ciuitatem, cognoſcens ſibi in breui affuturas calamitates, ex compaſſione plorauit. Nam ipſe affectus habebat humanos, & quoniam in terra illa enutritus fuerat, humano modo chariorem ſibi illam quàm ceteras faciebat. Terra cognita igitur, ac tunc recenter affectioni ſuæ humanæ præſentata, calamitatum mole Ieroſolymitanam oppreſſura vrbem teneras effudit lachrymas, dicens: Quoniam ſi cognouiſſes & tu, & quidem in hac die, quæ ad pacem tibi, nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis. Diligebat quoque Dominus Ieſus teneriſſimè Lazarum fratrem Mariæ Magdalenæ, & Marthæ, vt patet Ioann. vndecimo. Perhibentibus teſtimonium ſororibus eius, ſcilicet. Domine, quem amas, infirmatur: ideo cum eum ſuſcitaturus acceſſit, monumento eius aſtans fleuit, atque infremuit ſpiritu, vt habetur eodem capitulo: nam cum quæreret à ſororibus illius, vbi poſuiſſent eum, lachrymas fudit. Nec hoc, vt quidam dicunt ideo factum eſt, quia Ieſus ad mortalitatis miſeriam eum reſuſcitās reuocaturus erat, ſed quia humana affectionis teneritudine concito condoluit, & plorantibus complorauit Iudæis. Vt patet cum dicitur: Ieſus ergo, vt vidit eam plorantem, & Iudæos, qui venerant cum ea plorantes, infremuit ſpiritu, & turbauit ſemetipſum, & dixit: vbi poſuiſtis eum? Dicunt ei, Domine veni, & vide, & lachrymatus eſt Ieſus. Dixerunt ergo Iudæi, ecce quomodo amabat eum. Et poſt hoc ſequitur: Ieſus ergo rurſus fremens in ſeipſo venit ad monumentum. Apparet ergo ex præcedentibus Chriſtum triſtatum: neceſſe eſt igitur lætitiam ſibi ineſſe poſſe ex natura contrariorum, cum Chriſtus non determinet ſibi triſtitiam ſecundum naturam. Et non ſolum apparet Chriſtum potuiſſe gaudere, ſed etiam aliquando gauiſum fuiſſe: nam cum gaudium, & triſtitia immediata contraria ſint ex lege eorū, neceſſe eſt, vt ſuſceptibili alterum eorum inſit. Chriſtus autem ſuſceptibilis horum erat, vt ex præcedentibus declaratum eſt, neceſſe eſt ergo, vt alterum eorum ſemper ſibi ineſſet, ergo vel triſtitia ſemper ſibi inerat, vel aliquando gaudebat: ſed Chriſtum fuiſſe ſemper in triſtitia falſum eſt, ergo aliquando gaudebat. Quod autem Chriſtus non ſemper triſtaretur, ſatis patet, quoniam tunc omnibus videretur mœrens, quod falſum eſt: Varias enim in ſe Chriſtus monſtrabat affectiones: interdum quippe oſtendebat effigiem valde gaudentis: vt cum paruulos amplexaretur, atque benediceret: iſti enim triſtium hominum actus non ſunt. Sicut patet Marci. 10. Amen dico vobis, quiſquis non receperit regnum

Chriſtus non ſemper triſtis erat.

gnum

gnum Dei, velut paruulus, non intrabit in illud, & complexans eos, atque imponens manus ſuper eos benedicebat eos. Aliquando autem vultum indignantis, ſicut cum eiecit ementes, & vendentes de templo, facto ex funiculis flagello, vt patet Matth. vigeſimoprimo, & Ioan. 3. cap. Sic etiam quando increpabat diſcipulos dicens, generatio incredula, & peruerſa quouſque ero vobiſcum? vſquequo vos patiar? vt patet Matth. decimo ſeptimo. Non ergo ſemper triſtati effigiem exhibebat. Amplius autem, ſi ſemper Chriſtus triſtitiam vultu monſtraret ac gereret, non diceretur de eo ſpecialiter in ſacra ſcriptura, aliquando quòd triſtaretur, ſed interdum exprimitur, quòd triſtis fuerit, vt in præallegatis locis, ergo non ſemper triſtis erat. Præter hæc autem, qui aliquando triſtari incipit, non ſemper triſtis fuit, ſed Chriſtus aliquando triſtari cœpit: ergo aliquando triſtis non erat. Sic apparet Matth. 26. ſcilicet. Et aſſumpto ſecum Petro & duobus filijs Zebedæi cœpit triſtari, & mæſtus eſſe: apparet ergo aliquando Chriſtum fuiſſe gauiſum.

De affectibus, qui in Chriſto erant. Cap. CCVII.

IN his tamen humanis affectibus, quos in Chriſto fuiſſe aſſerimus, aduertendum eſt, quòd non prorſus ita fuerunt, vt in ceteris hominibus ſunt: ideo eos ſacri Doctores diſtinguunt, quia has affectiones in nobis paſſiones vocant: in Chriſto autem propaſſiones quaſi procul à paſſionibus, id eſt quòd non ſint de conditione paſſionum noſtrarum, de quibus in tertio Sententiarum diſtin. 15. Paſſiones enim iſtos motus vocamus, ſecundum quos aliquid patimur. Etenim in nobis hæ inſurgentes paſſiones rationem noſtram aut ſubijciunt, aut impediunt, aut conturbant, vel ab agendo faciliter tollunt. Vnde nobis contra omnes paſſiones pugna eſt, ideo circa paſſiones regulandas conſiſtunt omnes virtutes morales, vt patet ex ſententia Ariſt. ſecundo Ethicorum. Et iſtæ paſſiones nobis volentibus, & non aduertentibus inſurgunt, nec ceſſant quotieſcunque volumus: ſed cum rogauerimus & ſuaſerimus, vt patet primo, & quinto Ethic. eo quòd non dominatur homo paſſionibus ſuis principatu deſpotico ſicut partibus organicis: ſed principatu politico tanquam liberis, vt patet primo Politicorum: in vincendo tamen eas difficillimus nobis labor eſt. In Chriſto autem nihil tale erat: non enim fuit in eo vnquam aliquis paſſionalis motus, qui inſurgens partem conturbaret rationalem eam ſibi ſubijciens, aut ab operando impediens: vel in operando perturbans. Nec vllam vnquam habuit difficultatem alicui reſiſtendo paſſioni, velut in nobis vſus quotidianus efficit. Nec etiam eo nolente quiſquam appetitiuæ partis animalis inſurgebat motus: ſed cũ ipſe iubebat, inſurgebant propaſſiones, vt ſi vellet timere, iubebat timorem inſurgere. Si autem gaudere elegiſſet, motum gaudij inſurgere faciebat. Sic quoque de triſtitia. De dolore autem aliter eſt, quia incuſſo nociuo, dolor naturaliter ſequebatur: ſed poſtquam eius iſtæ inſurgebant propaſſiones, idem quod in alijs hominibus naturaliter efficiebant: vt ſi triſtitia inſurgeret, vehementer ſicut ceteri triſtabatur, eratque in poteſtate ſua quantum vellet paſſionalem excitare. Patet autem de triſtitia valida, quam ingruenti tempore paſſionis ſuæ ſuſcepit: nam & tantum in hac motus atque concuſſus eſt, vt deſtillarent guttæ ſanguineæ, in ſudoris modum defluentis in terram, facto ipſo in horrifera agonia, atque prolixius orante, vt patet Luc. 22. capit. Habebat tamē Saluator noſter hoc iuris in propaſſionibus ſuis, quòd quamquam grauiſſimæ eſſent, vt de triſtitia nunc dictum eſt, tamen cum iuberet eas cedere, confeſtim cedebant, erat ei quidem ſuper paſſiones pluſquam deſpoticus principatus: & ſicut eo ſolum iubente inſurgebant, ita cum ei colibitum foret, penitus decedere neceſſe erat. Quod autem Saluator noſter in ſe propaſſiones concitaret, & non inſurgerent ipſæ in eo, patet Ioan. 11. cap. cum dicit: Ieſus ergo vt vidit eam plorantem & Iudæos, qui cum ea erant plorantes, fre-

A muit ſpiritu & turbauit ſe ipſum. Ecce enim non dixit, quòd turbatus eſt, ſed quòd turbauit ſe ipſum, quaſi iuris ſui eſſet quid in his efficere voluiſſet, & nulli paſſioni ſuper eum quicquam licebat: ſed ipſe eas concitabat, cum congruum foret. Ex prædictis euidenter inductum patet, Chriſtum aliquando gauiſum, & aliquando triſtatum fuiſſe, & qualiter intelligenda ſit particula iſta, de aquila, quæ gaudebat.

Pars decima metaphoræ quintæ, ſcilicet aquila, quæ non gaudebat. Cap. CCVIII.

HIs autem conſequenti ordine huius extremi figurati paradoxi particula decima adeſt exponenda, ſcilicet, quæ non gaudebat. Hæc autem vt prælibatum B eſt ad Chriſtum relata, neceſſariò poterat ad hominem, aut ad Deum trahi. Et cum de Chriſto, vt homo erat, dictum fuerit, quòd gaudebat, referri non poterit, quod non gaudebat niſi ad diuerſum tempus, ſcilicet vt altero tempore gaudens eſſet, alio verò mæſtus. Sed hoc nihil eſt, quoniam hoc modo de quoquam veram efficere vtramque contradictionis particulam perfacile eſt. Non eſt igitur iſte ſenſus metaphoræ: referenda eſt ergo iſta particula ad Deum, ſcilicet quòd Chriſtus, vt Deus erat, non gaudebat. In hoc autem aduertendum eſt, gaudium duplex eſſe, vno modo gaudium dicit ſimplicem delectationem de aliquo concepto bono & inuariabilem: alio modo gaudium importat motum paſſionalem factum in parte ſenſitiua ex apprehenſione obiecti delectabilis in præſenti. Primam autem delectatio- C nem vel gaudium in Deo ſtatuimus, quoniam ipſe ex apprehenſione ſui ipſius in infinitum delectatur. Eſt quippe gaudium de præſenti bono: in Deo autem hoc aptius quàm in nobis euenit. Nam Deus maximum bonum & immenſum bonum eſt, ipſe quoque intelligens eſt, & ſibi ipſi maximè præſens: neceſſe eſt igitur quòd ſe ipſum cognoſcendo in immenſum gaudeat: & quia ſe ipſum ſemper cognoſcit, ſemper iſtud ei gaudium inerit. Vnde Ariſt. 11. Metaphi. cum de Deo, quem primam intelligentiam vocat, octo concluderet paſſiones, eum ſecundum alteram earum maxime gaudioſum eſſe vocauit. Et neceſſe quidem eſt gaudium magnum Deo ineſſe: nam ſine gaudio bonum nullum plenum eſt. Deus tamen feliciſſimus eſt, gaudioſus ergo maximè erit. Amplius autem quoniam Deus beatitu- D do noſtra eſt, erit igitur aliquid valdè lætum. Nam in triſtabili nemo perficitur: vnde ſi poſſibile foret Deum ſummum bonum exiſtentem gaudioſum non eſſe, felicem nequaquam vocaremus, & ſi felicitas triſtis eſſet, nemo eam toleraret. Sic enim ait Ariſto. Ethic. libro 8. ſcilicet. Nullus autem per diem poteſt commorari cum triſti, nec cum non delectabili. Maxime enim natura videtur triſte quidem fugere, appetere autem delectabile. Et poſt hoc in eodem: Beati autem vtilibus quidem nihil indigent, delectabilibus autem. conuiuere enim volunt aliquibus. triſte autem paucum tempus ferunt. Cõtinuè autem nullus vtique ſuſtineret, nec ipſum bonum ſi triſte ipſi eſſet. Eſt igitur Deus maximum bonum, & in ſe ipſo maxime gaudioſus, & quoniam natura ſua ſimplex atque eadem ſemper eſt, non variebitur in Deo E delectatio, ſed ſemper in eodem gaudebit. Sic ait Ariſt. Ethi. lib. 7. in fine, ſcilicet, quia ſi homini natura ſimplex ſit, ſemper eadem actio delectabiliſſima erit, propter quod Deus ſemper vna, & ſimplici gaudet delectatione: Deo igitur gaudium ſibi conſubſtantiale, ſcilicet, quod à natura ſua alienum aut diſtinctum non eſt, ſeparandum nunquam eſt. Sed de hoc quidem nihil agitur hic, ſed potius de gaudio, cui aliqua opponitur aduerſitas, & interdum calamitatibus, vel anguſtijs interpollantur. Gaudium autem, quod ab ipſa diuina natura diſtinctum non eſt, æque æternum, & indefectibile eſt, vt ipſa ſempiterna deitas.

De

De alia gaudij acceptione. Cap. CCIX.

ALiter autem gaudium ſumitur pro quadam paſſionali affectione inſurgente in parte ſenſitiua ex apprehenſione præſentis boni. Hoc autem gaudium animalibus ſingulis ineſt, de quo prælibatū extitit, quod in Chriſto homine fuerit. De hoc dicendum eſt, quod in Deo nequaquam ſit: quoniam iſtud gaudium partis ſenſitiuæ affectio quędam eſt: in Deo autem nec affectiones, nec partem ſenſitiuam collocamus, gaudium ergo nequaquam erit. Amplius autem gaudium quod paſſionale eſt, ſincerum bonum non eſt, ſed eſt cum quodam corporis motu, imò & maxima paſſionalia gaudia maiores motus corporis exigunt, & ſunt de conditione materialiori. Deus ergo nihil tale habet qui ſimpliciſſi- G mus eſt. Item gaudium eſt paſſio de conceptis, & apprehenſis bonis, quæ ab extra apprehenduntur: vt patet in omnibus huiuſmodi apprehenſionibus: Deus autem ab extra bonum nullum accipit, cum in ſeipſo ſummum bonum ſit: gaudium ergo paſſionale Deo nequaquam ineſt. Sed ad hoc quis obijciet, quoniam ſæpe in Sacra Scriptura dicitur de Deo, quod gaudeat: nec eſt gaudium illud de ſeipſo, quod ſibi conſubſtantiale vocamus: ſed de gaudio, quod eſt per apprehenſionē boni alicuius exterioris in aliquo accidenti. Sic patet Deut. 28. cap. ſcilicet. Et ſicut lætatus eſt dominus ſuper vos, bene vobis faciens voſque multiplicans, ſic lætabitur diſperdens vos, atque ſubuertēs. Et ſicut Deo gaudium iſtud ſcriptura ineſſe probat, ita quoque eum tædium aut triſtitiam ſuſcipere oppoſitum innuit, quę in gaudio H conſubſtantiali non habetur. Sic patet Geneſis 6. cap. Et tactus dolore cordis intrinſecus; delebo, inquit, hominē quem creaui, à facie terræ, ab homine vſque ad animantia, à reptili vſque ad volucres cæli: pœnitet enim me feciſſe eos. His reſpondendum eſt deitati gaudium nullum, aut triſtitiam accidere: magnam enim in Deo imperfectionem iſta dicerent, vt ex præcedentibus patet. Cum verò dicitur Deum lætari cum Iudæis, bene faceret, & ruſus cum eis male faceret; dicendum non intui ex hoc Deo ineſſe aliquem motum nouiter, qualem nos gaudium appellamus, aut triſtitiam: quoniam Deo nihil nouum accedit, ſiue bonum ſiue malum, quia bonū ſuum ſempiternum, & æquale ſemper eſt: nam ſi ex tempore eueniret, Deus non ſemper bonum ſummum fuit, cum ei quidquam boni acciderit. Item ſi bonum Deo I accideret, neceſſe eſſet, vt ab altero proueniret: ſed id quod alteri bonum confert eo maius eſt, cui confert, aliquid ergo Deo maius foret. Quo infert alterū eſſe Deū, & nō eum, qui ab alio perficeretur, cum communis omnium conceptio Deum eſſe dicat id, quo nihil melius excogitari poteſt: Deo ergo aliquod bonum accidere impoſſibile eſt. Præter hoc autem, etſi Deo aliquid accidere fateri deberemus, malum tamen ei nequaquam accidere deberet, cum purum bonum ſit, triſtitia tamen malum quoddam eſt, Deo igitur non accidit. Nam, & ſi triſtem Deum interdum fateamur, neceſſe etiam eſt, vt eum non felicem exiſtimemus, aut ex omni parte felicē, cum nihil ſit, quod ita felicitati aduerſetur, vt triſtitia: nullus nempe triſtitiam diu ſuſtinere valet, & ſi ipſum bonum triſte eſſet, nemo illud eligeret, vt ait Ariſt. Ethi. K libro octauo. Dicendum igitur Deo nullam aduenire triſtitiam, nec lætitiam, ſed iſta dici ſecundum metaphoram, & tranſumptionem ad actus humanos. Cum enim quis agit id, quod ei placet atque bonum videtur, lætari dicitur: ſed Deus rectè agit, cum Iudæos pro bonis actibus ſuis quibuſdam temporalibus proſperitatibus efferat: identidem cum eos pro ſceleribus ſuis punit, rectè agit, & hoc agendum decernit: lætari ergo dicitur. Nullus tamen ei lętitiæ aut triſtitiæ motus in hoc euenit: quia non fuit iſta talia quę Deum ad lætitiam aut triſtitiam permutare poſſint, cum in ſe bonum ſuum totum habeat. Cum autem obijciebatur, quòd Deus doluerit, & pœnituerit eum, quia creauerit hominem & cetera animalia, cum terra iniquitatibus repleta foret,

F Reſpondendum eſt in Deo nullam tunc nec vnquam acccidiſſe triſtitiam, etiamſi omnia ad malum verterentur: etiamſi Deo ab intentione repugnarent. Nam triſtitia de aliquo apprehenſo malo eſt, Deo autem malum nullum accidere poteſt, & actus noſtri ei mali non ſunt: ſed ſi mali ſunt, nobis auctoribus mali ſunt: ipſi autem Deo boni: quia ſola diuina vis eſt, cui ipſa etiam mala bona ſunt, cum eis competenter vtendo alicuius boni elicit effectum. Nam per immenſam Dei ſapientiā omnia ordinata eſſe neceſſe eſt, & ſi quid ab aſſignata ſibi ordinis ratione deceſſerit, in alium ordinem tamen relabi compelletur, ſicut ait Boetius de conſolatione l. 4. proſa. 6. Nihil ergo magis Deum pœnituit, quando omnia ad malum conuerſa ſunt ante deletionem catachyſmi, quàm cum ea creauit. Nec magis Deus lætatur de ali- G quo homine, cum ex benignitate ſua eum in vita æterna beatificat, quam cum aliquis in eum mortaliter peccat: ex his enim, quæ extra ſunt, nullum ipſi bonum, aut malum eſt. Sed iſta ſecundum metaphoram de Deo Sacra Scriptura enunciat, vt ſæpè eum iratum dicit: ſæpe quoque manus, & pedes habere, & cetera humana corporis membra, quæ nemo tamen quidquam intelligēs de Deo verè dicta exiſtimat. Sic enim hominibus accidit, vt cum aliquid effecerint, quod poſtea bonum plenè vt ipſi volunt non fuerit, illud delent. Deus autem iſta omnia fecerat, & quia ad iniquitatem vertebantur, ea deleuit. Videbatur ergo iratus ea deſtruere: nos enim opera noſtra nunquam deſtruimus, niſi cum eis irati ſimus. Sic igitur Deum delentem quæ creauit, efficere exiſtimamus, à Deo tamen omnis talis motus paſſionalis alienus eſt. Quòd hæc ſecundum metaphoram dicantur, apparet ex eadem litera: dicitur enim, & tactus dolore cordis intrinſecus, delebo inquit hominem, quē creaui: vbi Deum dolorem cordis habuiſſe dicitur, ſed Deum cor habere nullatenus dici poteſt, quoniam particula iſta corporis animalis eſt, Deus autem non eſt animal. Sicut igitur ea, quę de corde Dei dicuntur ſub metaphora neceſſariò accipienda ſunt, ita, & quæ de dolore, & quæ de pœnitentia. Ex prædictis ergo cōcluſum patet, qualiter accipiendum ſit, quod Aquila iſta, quam Chriſtum dicimus, non gaudeat.

Pars duodecima metaphora quinta, ſcilicet Aquila, quæ honorabatur. Cap. CX.

I SVbſequenti ordine particula duodecima extremi huius figurati Paradoxi exponenda adeſt, Quæ honorabatur, in quo neceſſe eſt Chriſtum Aquilam honorari, & non honorari fateri: de eo quippe hæc omnia prædicantur. Et vt in harum metaphorarum expoſitione peruulgatiſſimum eſt, in Chriſto geminam eſſe ſubſtantiā, ita aliqua de vtraque harum particularum quamlibet exponendam dicunt. Dicunt enim Chriſtum, vt Deus erat, honoratum fuiſſe à Iudæis, quoniam Iudæi cultores Dei cęli erant: colentes ergo Deum neceſſariò Chriſtum colebant, cum ipſe Deus foret. De eo ſecundam exponunt particulam, ſcilicet quòd non honorabatur. Nam Chriſtus vt Deus incognitus erat pleriſque, ideo eum honorare nequibant. Vtranque quoque particulam de Chriſto, vt homo eſt, exponunt: ipſe quippe interdū K honorabatur, interdum vero reputabatur inglorius. Sed iſtæ expoſitiones ex omni parte non conueniunt. Referendæ ſunt igitur hæ duæ particulæ ad Chriſtum ſecundum geminam eius ſubſtantiam. Prima autem de eo ſecundum hominem dicitur, ſcilicet, quod honoraretur: nam multi ei reuerentiæ impendebant munus: ſic patet in pluribus Euangeliorum locis: eum quippe hominem cognoſcebant, & ſecundum id, quod cognoſcebant, poterant honorificare: incognita autem naturaliter nemo honorare poteſt. Primus honor Chriſto exhibitus fuit honor quaſi Dei, ſcilicet cum eo nato Angeli cecinerunt, Gloria in excelſis Deo, in honorem huius pueri nati, vt patet Luc. 2. cap. ſcilicet, & facta eſt ſubito cum angelo multitudo militiæ cæleſtis laudantium Deum, & dicentium; Gloria in excelſis Deo: & in terra pax hominibus:

minibus: hic tamen de honore exhibito ab hominibus magis agitur. Fuit quoque Dominus Ieſus honoratus à paſtoribus, mox vt natus eſt: angelus namque euangelizauerat eis gaudium magnum dicens, quod natus eſſet Saluator mundi, & ipſi tranſierũt vſque in Bethlehem, vt viderent quæ dicta erant per angelum. Et dicitur quòd inuenerunt Mariam & Ioſeph, & infantem poſitum in præſepio. Videntes autem cognouerunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc. Luc. 2. cap. Et quanquam nihil dicatur, vtrum paſtores puerum adorauerint, ſatis tamen intelligi datur, quoniam ipſi viri boni erant, quibus dignabatur Deus tantum ſeculo bonum aduenienś præmonſtrare. Potiſſimè quoniam dictum erat, quòd natus erat Saluator mundi, & ipſi illuc feſtinantes iuerunt. Non erat igitur veriſimile, vt Saluatorem cognitum non adorarent. Amplius autem honoratus fuit, & maximo quidem honore, cum tres reges Magi de Orientalibus partibus venientes procciderunt coram eo adorantes, & obtulerunt tria munera, ſcilicet, aurum, thus, & mirrham, vt patet Matthæi. 2. cap. Nam honor exhibitio eſt reuerentiæ in teſtimonium virtutis, iuxta doctrinam Ariſtot. Cum igitur honor ſit in honorante, & non in honorato, vt habetur primo Ethicorum, neceſſe eſt, vt maior ſit honor, qui à maioribus & dignioribus confertur, ſicut in principatu maior & dignior eſt principatus, cui nobiliores & excellentiores viri ſubiecti ſunt, vt habetur primo Politicorum cap. 3. Propter hoc autem quilibet à dignioribus magis honorari cupit à ſapientibus, atque potentibus, iuxta Ariſt. Ethicorum libro nono. Nulli autem maiores regibus ſunt: ergo honor à regibus exhibitus cęteris maior fuit. Potiſſimè cum tres reges fuerint, & quia cum procidentes adorauerunt. Et ad hoc non quaſi ex impetu paſſionali moti ſunt, ſed cum magna deliberatione atque labore, & impenſis de regionibus ſuis in terram venerunt alienam: quæ cum recte apprehendantur, profecto maxima ſunt. Amplius autem Saluator noſter honoratus eſt cum duodecim annorum, adhuc puer altiſſimè inter Doctores legis, & intrepidè diſputauit, atque conuicit, ita vt omnes admirarentur ex verbis eius. Sic patet Luc. 2. capit. ſcilicet. Et factum eſt, poſt triduum inuenerunt illum in medio Doctorum, audientem & interrogantem illos. Stupebant autem omnes, qui audiebant eum ſuper prudentia, & reſponſis eius. Fuit quoque à Ioanne honoratus, cum ad ſe venientem baptizare nolebat, dicens: Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? Chriſtus autem reſpondens, ait: ſine modo, ſic enim decet nos implere omnem iuſtitiam, vt patet Matth. 3. capit. Iterum autem Ioannes Chriſtum honorauit, teſtimonium perhibens de eo, quòd eſſet agnus Dei ſublaturus peccata mundi, & quod ſuper eum viderit Spiritum ſanctum in colũbæ ſpecie deſcendentem. Sic patet Ioan. 1. cap. Honorabatur Dominus Ieſus à turbis, & omnibus, qui ei aderãt, quando miracula faciebat: quia vel eum Deum quidam exiſtimabant, vel virtutem Dei operantem per illum. De hoc ex diſcurſu totius ſeriei euangeliorum vulgatiſſimum eſt. Item & à turbis honorabatur, & multa eo audito faciebant, vt patet Ioan. 8. Et propter hoc Pharisæi increpabant turbam detrahentes ei, quia in Chriſtum credentes eum ſequebantur, vt patet Ioan. 7. cap. ſcilicet. Nunquid aliquis de Principibus credit in eum, aut de Phariſæis? ſed turba hæc, quæ non nouit legem, maledicti ſunt. De principibus tamen multi poſt frequentem miraculorum operationem in eum crediderunt, vt patet Ioannis 12. capit. Alium quoque non paruum honorem ei impendebant, & conſpicuiſſent Iudæi, niſi ipſe repugnaſſet. Nam cum de quinque panibus & duobus piſcibus quinque millia virorum, exceptis mulieribus & paruulis ſaturaſſet, voluerunt eum facere regem, ſed ipſe hoc cauens, fugit ab eis. Sic patet Ioan. 6. capit. ſcilicet: Illi ergo cum vidiſſent, quod fecerat ſignum, dixerunt: quia hic eſt propheta, qui venturus eſt in mundum. Ieſus ergo cum cognouiſſet, quia venturi eſſent, vt raperent eum, & facerent eum regem, fugit iterum in montibus ſolus. Amplius autem honori-

Primus honor exhibitus Christo.

A ficatus nimis fuit quinque diebus antè paſſionem ſuam Dominus Ieſus in ciuitate Ieruſalem, cum ſedens ſuper aſinam & pullum intrauit in vrbem, plurima autem turbæ ſtrauerunt veſtimenta ſua in via, alij vero præcidebant ramos de arboribus, & ſternebant in via: turbæ autem, quæ præcedebant, & quæ ſequebantur, clamabant dicentes. Oſanna filio Dauid, benedictus, qui venit in nomine domini, oſanna in altiſſimis. Et cum intrauiſſet Ieroſolymas, commota eſt vniuerſa ciuitas dicens, quis eſt hic? Populus autem dicebat, Hic eſt Ieſus propheta à Nazereth Galileæ. Sic patet Matth. 21. Extremus autem homini Chriſto honor datus fuit in apparitione ſepulchri: nam cum ſero factum eſſet die paraſceues, qua ipſe in cruce pendens ſpirauerat, venit Ioſeph ab Arimathia nobilis decurio, qui & ipſe erat expectãs regnũ B Dei: & audacter introiuit ad Pilatum, & petijt corpus Ieſu: Pilatus autem mirabatur ſi iam obijſſet, & accerſito Centurione interrogauit eum, ſi iam mortuus eſſet, & cum cognouiſſet à Centurione, donauit corpus Ioſeph. Ioſeph autem mercatus ſyndonem, & deponens eum inuoluit ſyndone, & poſuit eum in monumento, quod erat exciſum de petra, & aduoluit lapidem ad oſtium monumenti: vt patet Marci 15. Magnus enim honor in hoc, corpori Chriſti exhibitus eſt, vt Ioſeph, qui alibi vocatur nobilis decurio, ſepeliret eum in monumento ſuo, fecerat enim ſibi monumentum exciſum in petra, quod benedicto Ieſu corpori tribuit: vt patet Matthę. 37. Erat enim hoc monumentum nouum, in quo nundum quiſquam poſitus fuerat. Sic patet Luc. 23. Hunc autem extremum honorem exhibẽdo corpori Saluatoris noſtri C præuiderat Iſaias capitulo vndecimo, cum ait: In die illa erit radix Ieſſe, qui ſtat in ſignum populorum, ipſum gentes deprecabuntur, & erit ſepulchrum eius glorioſum. Ecce enim Chriſtum, quem in cruce pendentem populorum ſignum fecerat, ſepulchro glorioſo conditum refert. Alij autem honores Saluatori noſtro reſurgenti exhibiti ſunt, vt cum Maria Magdalene, & altera Maria venirent de monumẽto, apparuit eis Ieſus in via, & tenuerunt pedes eius, atque oſculati ſunt adorantes: vt patet Matthæi 28. Et quomodocunque alicui apparuiſſet magna ei reuerentia exhibebatur. Sed honores poſt reſurrectionem exhibiti Saluatori noſtro magis ad eum, vt Deum, quam vt hominem, pertinebant.

De frequenti dedecore illato Christo. Cap. CCXII.

D Sicut autem Saluatori noſtro, vt homini aut in carne mortali apparente multiplex, nec vulgaris honor impenſus eſt, ita & frequenter dedecus illatum quoque fuit: vnde ipſe conquerebatur de Phariſæis, dicens: ego honorifico patrem meum, & vos inhonoraſtis me: vt patet Ioan. 8. capitulo: frequenter enim ab eis inhonoratus eſt. Dicebant namque illum vini potatorem, & ebrioſum nimis, atque voracem. Sic patet Luc. 7. & Matth. vndecimo, ſcilicet: Hic eſt vorax & potator vini, & publicanorum ſocius, quod profecto honeſto viro dedecus magnum eſt. Aliud quoque ei ignominiæ inferebant genus dicentes, eum ex fornicatione natum fuiſſe. ſic patet Ioann. octauo, cum dicerent: Nos ex fornicatione E nati non ſumus: quaſi dicat, tu ex fornicatione natus es. Hoc autem dicebant, quoniam vir Mariæ Ioſeph grandæuus erat, & quidam exiſtimabant eum gignere non potuiſſe: ſed Mariam ab aliquo adultetino viro fuiſſe grauidatam. Addebant quoque alterum magnæ offenſionis, & irritationis maledictum dicentes, omnia ſigna ab eo facta ex virtute dæmonum procedere. Sic patet Matth. 12. ſcilicet. Hic non eijcit dæmones, niſi in Beelzebub principe dæmoniorum. Erat etiam dedecus, atque magna iniuria, cum eum tanquam blaſphemum lapidibus obruere voluerunt, vt patet Ioann. 8. Dixerat enim, quod antè Abraham ipſe erat. Identidem autem dedecoris grauitas erat, cum eum de altiſſima rupe præcipitare conati ſunt, ſed ipſe tranſibat per medium eorum, & nemo illum poterat tenere. Sic patet Luc. quarto.

to. Harum autem offenſionum, & vilipenſionum multa ei genera, dum adhuc viueret, inflicta ſunt. Sed in ipſa paſſione omnia pœnalitatum genera irrogata ſunt. Dedecus quoque magnum, cum nudatus atque flagellatus eſt: fuſtigari enim ſeruorum pœna erat, aut eorum, qui propter atrocia facta omnem nobilitatis & libertatis immunitatem amiſerant. Potiſſimè autem, quoniam nimis erubeſcebat honeſtiſſimus ille, atque verecundus Dominus Ieſus, coram toto populo nudus eſſe, & ſic plagis fœdatus apparere. Amplius autem quoniam ignominioſa mors erat in cruce appenſorum, & inter omnia ſuppliciorum genera magis infamis dicente Domino. Deuteron. vigeſimoprimo capitulo. Maledictus homo, qui pendet in ligno. Commendat autem Apoſtolus in nobis Chriſti caritatem, quòd pro nobis maledictus effici voluerit. Sic patet ad Galatas tertio capitulo, cum dicitur: Chriſtus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictus: quoniam ſcriptum eſt, maledictus omnis, qui pendet in ligno. Extremum autem ei viuenti dedecus intulerunt, cum eum patibulo affixuri eſſent, inter duos infames viros appenderunt in teſtimonium maioris, aut comparis ſaltem iniquitatis. Nec ſolum, vt vnum de iniquis, ſed vt iniquorum principem in medium hominum nefariorum appenderunt. Hunc autem loquendi modum ſecuti ſunt Euangeliſtæ. Sic patet Luc. 22. cum dicitur: Ducebantur autem & alij duo nequam cum eo: quare vocat eum fuiſſe nequam: ſed Euangeliſta Iudæorum intentionem & non ſuam expreſſit. Nondum ſaturatis Iudæis infligendo infames pœnalitates Saluatori noſtro viuenti, eum iam mortuum perſequentes, reſurrectioniſque eius gloriam obnubilare cupientes, magnam pecuniam cuſtodibus dederũt, vt eum nocte ſublatum, eis dormientibus, à diſcipulis mentirentur. Sic patet Matthæi. 28. Cum dicitur, & congregati, ſcilicet, principes ſacerdotum cum ſenioribus conſilio accepto pecuniam copioſam dederunt militibus, dicentes. Dicite, quia diſcipuli eius nocte venerunt, & furati ſunt eum vobis dormientibus, & ſi hoc auditum fuerit à præſide nos ſuadebimus ei, & ſecuros vos faciemus: at illi accepta pecunia fecerunt, ſicut erant edocti. Vtraque ergo Saluator noſter in ſe ſuſcepit, honorem ſcilicet, & dedecus. Dedecus autem prædixerat Iſaias 53. Dicens: Non eſt ei ſpecies nec decor, & vidimus eum, & non erat aſpectus & deſiderauimus eum deſpectum, & nouiſſimum virorum, virum dolorum, & ſcientem infirmitatem, & quaſi abſconditus vultus eius & deſpectus: vnde nec reputauimus eum. Ex prædictis ergo manifeſte patet, qualiter accipienda ſit illa particula. Quæ honorabatur.

Pars tertiadecima metaphoræ quintæ. ſcilicet: Aquila. quæ non honorabatur.
Cap. CCXII.

Figurati huius quinti Paradoxi iam finiendi, extremã tenentibus metaphoram tertiadecima occurrit particula, ſcilicet. Quæ non honorabatur. Quam de Chriſto, vt homo, erat, quibuſdam fortaſſis exponi debere videbitur: ipſe namque graue dedecus a Iudæis ſæpiſſimè pertulit, vt in priorib. declaratum eſt. Sed nõ conuenit: nam cum de Chriſto vere quod honoratus ſit probauerimus, vt homo erat, non poteſt aſtrui eum fuiſſe non honoratum, niſi ad diuerſa tempora referatur. Vtramque autem contradictionis extremitatem de eodem ſtatu ad diuerſum referendo tempus perfacilè eſt. Non intenditur ergo hoc in hoc metaphorico paradoxo, quod ideo paradoxon vocatur: quoniam admirabile eſt, & difficile creditu, vt in prœmio expoſitionis earum prælibatum eſt: Potiſſime quoniam cum hæ propoſitiones ponantur, vt habentes legem extremitatum contradictionis, neceſſe eſt alterãm intelligi vniuerſaliter, quanquam vtraque videatur indiffinita, vel particularis. Cũ ergo dicimus, quod honorabatur, intelligitur, vt indiffinita vel particularis, oportet vt altera extremitas, ſcilicet, non honorabatur, intelligatur vniuerſaliter, ſci-

F licet quòd nunquam honorabatur. Et tunc de Chriſto vt homo eſt, cõuenire nequit. Nam cum de Chriſto verum ſit, quòd aliquando honoraretur, dici nequit, quod nunquam honoraretur. Ad Chriſtum ergo, vt Deus erat referenda particula iſta eſt. Nam deitas in Chriſto a nemine honorata eſt, quia nemo eam cognoſcebat, aut rariſſimi: quod autem incognitum eſt, honorari nequit. Quòd autem incognitus Chriſtus Iudæis extiterit, an Deus eſſet, prodit Apoſtolus prima ad Corinth. cap. 2. Quem nemo principum huius ſeculi cognouit. Si enim cognouiſſent, nũquam Dominum gloriæ crucifixiſſent. In paſſione autem quidam cognoſcere inceperunt, vt centurio, qui aſtabat cruci videns, quòd clamans expiraſſet, dixit, verè filius Dei erat iſte. Cum autem obijcitur, quòd Chriſtus, vt Deus honoratus ſit a Iudæis: G quia Iudæi colebant verum Deum, & Chriſtus erat verus Deus: ergo colebant eum, cum non eſſet Deus alius præter Chriſtum. Reſpondendum, quòd iſtud argumẽtum peccat per fallaciam accidentis: quoniam, quanquam Chriſtus eſſet verus Deus, & Iudæi vnicum verum Deum colerent, Chriſtum tamen neſciebant eſſe Deum, ideo Chriſtum non colebant, vt Deum, nec vt hominem, nec honorabant. Quod ſi obijciatur de diſcipulis Saluatoris, quòd eum colerent, vt Deum: nam primo crediderunt in eum, vt patet Ioan. 2. cap. ſcilicet. Facto ſigno de conuerſione aquæ in vinum, crediderunt in eum diſcipuli eius, ſed in neminem credimus, niſi in Deum: ergo iſti eum honorabant vt Deum. Ad hoc reſpondendum, quòd Apoſtoli crediderunt in eum, ſcilicet, crediderunt eum eſſe miſſum à Deo, & magnũ pro- H phetam: non tamen crediderunt eſſe Deum. Hæc reſpõſio multa habet apparentia fulcimenta ex Sacra Scriptura: ſed his non eſt inſiſtendum: nam dicere cogimur diſcipulos ante mortẽ Saluatoris credidiſſe eũ fuiſſe Deũ. Sic patet Matth. 16. capit. Cum interrogante Saluatore diſcipulos ſuos, quid homines de eo dicerent, & ipſi variè ſecundum varias ſingulorum poſitiones reſpondiſſent, dixit eis: vos autem quem me eſſe dicitis? Et tunc Petrus quaſi nomine omnium ait: Tu es filius Dei viui: Et poſtea ſequitur, quomodo Chriſtus hoc idem aſſeruit: ſed iuſſit ſub ſilentio teneri, cum dicitur, tunc præcepit diſcipulis ſuis, vt nemini dicerent, quia ipſe eſſet Ieſus Chriſtus. Sed dicendum, quod quanquam Chriſtus hoc diſcipulis ſuis reuelaſſet, ipſi tamen non plenè crediderunt, nec cognouerunt eum, ipſe quippe I teſtimonium perhibuit inſtante paſſione ſua, quod nõdum cognouiſſent eum. Sic patet Ioan. 14. Cum Philippus dixit, Domine oſtende nobis patrem, & ſufficit nobis. Ieſus autem increpans eum, dixit: Tanto tempore vobiſcum ſum, & non me cognouiſtis? Philippe, qui videt me, videt & patrem meum. Et ante hoc etiam teſtimonium perhibuit, quòd eum nondum cognoſcerent, dicens: Si cognouiſſetis me, & patrem meum vtique cognouiſſetis. Hoc autem amplius manifeſtatur, quoniam ſi cognouiſſetis eum Deum, non deſperaſſent de reſurrectione fidem ſtabilem habentes eorum, quę à Domino Ieſu dicta fuerant. Sed omnia perdiderunt, vt K patet ex proceſſu Euangeliſtarum. Nam etiam poſt reſurrectionem apparente eis Ieſu, nondum plenè credebant reſurrectionem. Sic patet Luc. 24. & Ioan. 20. Non ergo firmiter ante paſſionem diſcipuli Domini Ieſu eũ Deum crediderunt, & conſequenter, nec vt Deum coluerunt: & ſic non honorabatur deitas in Chriſto. Ex prædictis ergo patet inductum qualiter iſta aquila, quæ Chriſtus erat, non honorabatur.

Peroratio totius operis.

Explicui Saluatoris noſtri ope ſubuectus longis licet anfractibus (quoniam in quibuſdam ſic rei, de qua ſermo erat, neceſſitas exigebat) de quinque metaphoricis paradoxis. De qualitate autem explicitorum, eo quo decebat ordine & ſenſu an ſecus actum ſit, arbitrij noſtri non eſt determinare: aliorum enim hoc diffinitioni ſubiectum ſit. Hoc lectorem volo eſſe admonitũ,

ne ſtyli deſpiciat nuditatem: ſolet enim quibuſdam incultus diſplicere ſermo: mihi tamen curæ non fuit rhetoricis floſculis eloquium picturare, quò venuſtior efficeretur contextus: ſed Sacræ Scripturæ inſudaui veritati applicandæ. Legat ergo illud regia celſitudo, quoniam etſi non altiſſimum, prorſus tamen eruditione vacuum non eſt. Et ſi cuiquam metaphoræ quinque totius huius proceſſus fundamentum contemnendæ videantur, quoniam in canone Sacræ Scripturæ non habeantur: nō tamen deſpiciat penitus, quæ inducta ſunt: quoniam ad ſolida pertinent Sacrę Scripturæ veritatem. Nec etiam quis æquo iudicio has metaphoricas locutiones deſpicere poterit, niſi pariter ei omnium Sanctorum Doctorum loquendi modi deſpicabiles iudicentur. Sic enim Aug. ſic quoque Ambroſius loquitur. Ait enim Ambroſius in libro de Spiritu ſancto, generalius

A eſt iſta fides: quia Chriſtus eſt filius Dei & natus de virgine, quem gigantem propheta deſcribit: eoque biformis geminæque naturæ, ſic conſors diuinitatis & corporis. Idem ergo patiebatur, & non patiebatur, moriebatur & non moriebatur, ſepeliebatur & non ſepeliebatur, reſurgebat & non reſurgebat. Hoc idem recitat Magiſter Sententiarum in tertia diſtinctione 21. Et idem Magiſter ait: Sanè igitur dici poteſt, quòd mortuus eſt Deus, & non mortuus: paſſus eſt Dei filius, & non paſſus, crucifixum eſt verbum, & non crucifixum:

B ſecundum alteram naturam paſſus eſt, & ſecundum alteram eſt impaſſibilis. Ceſſet ergo omnis æmulorum mordax edacitas: charitati emēdandi fas fuerit, liuori autem omnem aditum præcluſum eſſe volo, præſtante Deo noſtro, cui eſt laus & honor in ſeculorum, interminata ſecula.

F I N I S.

Regiſtrum.

A B C D E F G H I K L M N O P.

Omnes ſunt Quaterniones.

VENETIIS,

Ex Typographia Deuchina. 1614.

ALPHONSI TOSTATI EPISCOPI ABVLENSIS

In Defenſorium Trium Concluſionum.

P R Æ F A T I O.

Ad Gutterum à Toleto Archiepiſcopum Toletanum.

QVONDAM ſtyli breuiloquio functus ſuper breuiſſimo Iſaiæ dicto ſcilicet Ecce, virgo concipiet. breuiorem commentarium Reuerendæ nimium Paternitati veſtræ trāſmiſeram: nunc verò placituras vobis, quibuſdam verò ampliſſimè diſplicituras, contra æmulorum inuidentiā defenſiones meas, immo vaniloquij ſui confutationes tranſmittere decuit. Ecce enim quæ aliquando ſperabantur acceptabilia tempora, cum eos, quos importunos ſenſiſtis minutiſſimos canes latrare quidem à foris, ſed mordere non valentes, obmuteſcere neceſſe eſt. Quoſdam vero grauiſſimos canes per obſcura tenebrarum rauco gutture delatrantes ſua rabie iam confuſos interire oportebit, retuſis dētibus eorum ad petram. quoniam cum in tenebris ambulent, neſciunt quo vadant: ſed ipſa eos deſiderij cæca fluctuatio tranſuerſos agit. Quorundam quippe non ſatis peritorum tarditas, aliorum autem æmulatiſſimorum grauiſſimus liuor, veritates Catholicas confundere molientes: varios errores induxerunt. Nec enim hoc argumentorum viribus quas ſemper ſibi obuias æſtimauerunt, ſed quibuſdam tendiculis & vanis, atque patentibus inſidijs conabantur. Tandem diſpenſatione omnipotentis, ipſi iniquitati, ſed per ſolam potentiam temporalem renitentibus tamen, & ſibi, & obuijs omnib. viris eruditiſſimis præualere permiſſum eſt, vt in æternum coram toto orbe clariſſimè confundantur. Ne autem poſteros latere queat paucularum literarum compendio futurorum memoriæ commendaui. Ecce, quanta iniquitas: en quanta diuini ac humani iuris confuſio: en ipſius naturæ iura violata, vt conſtituto iuſtitiæ tribunali, ipſi reo defenſionum copia denegetur, quam tamen ſæpe clamoſis & oportunis atque importunis vocibus teſte, vt ita dicam, tota Eccleſia, expopoſcerat. In quo etſi iniuſtiſſimè, aſtutè tamen ipſa iniquitas procedebat. Præteritorum namque ſibi conſcia ipſa æmulorum prauitas ſperabat, indubiè omnes ſuas tendiculas deſtruendas, omniaq; non ſibi benè compacta molimina leui concuſſione diruι. Nec ad deſtinatam conceptionem eſſe poſſibile peruenire, ſi defenſionum copia publice præſtaretur. Licet ergo apertiſſima iniquitas denegans, quòd ipſa æquiſſima iura naturæ etiam damnatiſſimis omnium hominum, etiam in notorio crimine benignè concedunt, incircumfuſè multitudinis conſpectu erubuit, tamen nihilominus denegauit. vnique enim ſe ipſi malignorum liuori anguſtia circumfuderat. Erat quippe ineluctabile malum, quia neceſſe erat, aut ad horam erubeſcere, aut multorum dierum à toto populo expectatas machinas, ex quibus ſperabatur magni aliquid prouenturum, coram tota Eccleſia breuiſſimè in nihilum, & in fauillam ire. Licet igitur graui ſorte, elegit tamen iniquitas potius publicè erubeſcere quam deleri.

A

DEFENSORII PARS PRIMA.

CAPITVLVM I.

De motiuo iniquitatis contra auctorem in vna concluſione.

DE viginti & vna concluſionibus quæ publicè
per biduum aſtante prælatorum & eruditiſ-
ſimorum virorum frequētia, in ipſa ſede vr-
B bis Senen. diſputatæ ſunt, iniquitas vnam ſi-
bi calumniandam elegit, non totam quidē, ſed eius quā
dam particulam, cuius concluſionis tenor eſt. Licet nul
lum peccatum cuiuſcūq; conditionis, & pro quocunq;
ſtatu irremiſſibile ſit, a pœna tn̄ aut à culpa Deus nō ab-
ſoluit, nec aliquis abſoluere pt. Cuius primā particulā,
licet nullum peccatū cuiuſcunq; conditionis, & ꝓ quo-
cūq; ſtatu irremiſſibile ſit, intactā relinquentes, licet ali-
qn̄ eam mordere deſtinaſſent. Secundam tn̄. ſ. A pœna
tn̄, aut à culpa Deus non abſoluit, nec aliquis ſacerdos
abſoluere pōt, de facto per iniuriā tanq̄ erroneā, & hęre-
ticā dānauerunt. Motiua aūt huius apertiſſimæ iniqui-
tatis duo extiterūt. ſ. liuor & error. Fuit aūt liuor grauiſ-
C ſimus, qui nec ſtylo exæquari queat: inuidebant. n. ſine
cauſa, & gratis oderāt auctorē horū quidā, quos adeo ini
quitas ipſa poſſederat, vt nihil poſſent pacifice ei loqui,
ētſi vultus effingere & diſſimulare conarentur. Huius
aūt immaniſſimi liuoris cauſas & altiſſimas radices, etſi
quibuſdā notiſſimas, ſtylo tn̄ proſequi, aut ſaltem attin-
gere, nefas putaui, ne potius maledictus arbitrator quā
defenſionum mearū inductor arguar. Hic ergo peſſimus
liuor ſui iuris eos eſſe nō patiens, nō ſinebat eos trāquil-
litati animi locū dare, ſed dieb. & noctib. inſidiabātur
ori meo, vt ſi quid forſitan elaberetur inconſideratum,
D quod carpere & calūniari poſſent. Et ſi hoc accommo-
dum eis, vt videbatur, non inueniſſent, neceſſe erat, vt
quoduis aliud, in quo errarem, exquirerent. Nec ad ver-
ba eis ſatis reſpicere erat, ſed & ipſam retroactam ac p̄-
ſentem perſcrutabantur vitam: ſi quid in ea criminari
locus eſſet. Secundum motiuum, error eorum grauiſſi-
ſimus fuit, quem non ſatis admirari ſufficio. Nam etſi
liuor eorum deteſtabilis fuit, admirabilior tamen, imò
ſupra admirationē error fuit, vt ſcilicet eruditi, & ſcho-
laſtici viri, qui totos ſatis longos annorum ſuorum dies
literis impenderant, circa talia errarent, in quibus nec
E imperitiſſimos quoſque vulgi errare veriſimile fuerit.
Nec tamen huic errori cauſa defuit.

CAPITVLVM II.

Modus errandi æmulorum, & exclamatio contra eos, & an auctor negarit remiſſionem peccatorum, prout ipſi inſipienter affirmabant.

MOdus autem errandi hic fuit. Cum enim iuxta morem diſputandæ concluſiones per decem dies, aut amplius valuis affixæ forent, anteq̄ mihi rādendi de eis

 dies

dies eſſet, æmuli inter ceteras hanc inſpexerunt, arbitrati me remiſſionem peccatorum, aut abſolutionem à peccatis prorſus excludere, claues quoque Eccleſiæ, & vniuerſam Papæ poteſtatem interimere. In quo optatiſſimum ſibi inueniſſe locum gaudebant, quo potius oratorio more quam iudiciali ad odium & inuidiam mei vniuerſos, & ipſum mundi caput, & Chriſti vicarium irritarent, eius me & vniuerſæ Eccleſiæ hoſtem aſſerentes, cuius altiſſimam poteſtatem crederet meis aſſertionib. impugnare. O error, ò ſup. omnẽ errorẽ error. Quis talia vnq̃ crediderit? vt Chriſtianus, & Chriſtianorum filius, in fide Chriſti ab vberib. eruditus, & in ea totis dieb. & noctib. inſtructus, & conuerſatus, peccatorum remiſſionem excluderet? O demens conceptio, quis ſuſpicari queat, licet indignum Theologicum tamen profeſſorem tam nequiſsima credere? Quis. n. illius facultatis ſe profeſſorẽ glorietur, quã omnino falſam & inanem eſſe proclamet? Si tñ peccatorum remiſſio non eſt, totam Theologicam conſideratione mendaciſſimã quis dubitet? O inſania, ò furor, quis talia cõcipiat, vt remiſſionem peccatorum negare potuerim. Nam ſi peccatorũ remiſſio non eſt, quid eſt niſi Chriſtum dicere fuiſſe mendaciſſimum, qui venit annunciare nobis remiſſionẽ peccatorum, totamque orthodoxorum legem nihil niſi commenta mendacij & vanitatis continere, ipſoſq; oẽs Chriſtianos vltra Mahometiſtas inſanire, & ſacroſanctam Eccleſiam nihil aliud q̃ ſtultam quãdam, & inanẽ eſſe congregationem? Nam ſecundum Apoſtolũ. 1. Cor. 15. ſi Chriſtus non ſurrexit, nec mortui reſurgunt, vana eſt fides noſtra. Si ergo non data reſurrectione, vana eſt fides, à fortiori vana erit non data remiſſione peccatorũ. Nam etiam non exiſtente reſurrectione, dum tñ peccatorum remiſſio ſit, ſatis nobis gaudendum erat, quia in perpetua æternitate animæ noſtræ luteis ſolutæ carcerib. manſuræ eſſent. ſi tñ data reſurrectione negetur remiſſio peccatorum, quid nobis reſurrectio niſi ad malorum incrementa proficiet? vt manentib. reatib. delictorum noſtrorum, in æternum pro eis in vtroque hoie gehennali incendio concrememur? Amplius autem ſi peccatorum remiſſio non eſt, nulla gens æqualiter nobis inſanit. Nam ceteris gentib. delectabile aliquod ſubeſt, q̃ proſequuntur, & propter quod omnia faciunt, et quo hic fruuntur, hoc autem Mahometiſtis accidit, nã etſi æternorum bonorum participes nõ ſunt futuri, hic tñ fruuntur omni delectabili ad votum, nec eſt lex vlla prohibens eos. Nobis autem in pñti viuendi lex dura eſt, quia teſte ipſo Dño Ieſu, arcta eſt via, quæ ducit ad vitã. Matth. 7. in futuro aũt nihil, niſi æternus cruciatus, ſperandum nobis manet, ſi peccatorum remiſſio nõ eſt. nihil ergo Chriſtianis talia credentib. miſerabilius. Idẽ docet Apoſt. 1. Corin. 15. ſ. ſi in hac vita tantum ſperantes ſumus in Chriſto, miſerabiliores ſumus omnib. hominibus. Amplius quid nobis eſt quotidianos pro Chriſto ſubire labores, ſi nõ eſt remiſſio peccatorũ. Potius. n. delectabilib. fruendũ erat ſecundum hoiem, nec ſic oẽ tps in miſerijs agendũ foret. Idem Apoſt. vbi ſup. ſ. ſi in omnino mortui reſurgunt, vt quid nos periclitamur oĩ hora? quotidie morior pro gloria vña fratres, q̃ habeo in Chriſto Ieſu Dño noſtro. Si ſecundum hoiem pugnaui ad beſtias Epheſi, quid mihi prodeſt, ſi mortui nõ reſurgunt? manducemus, & bibamus, cras. n. moriemur. qđ ſi non ſperatur reſurrectio mortuorũ, fruſtra eſt laborare pro Chriſto, ſed conuenientius eſſet mãducare & bibere & frui omnibus delectabilib. ſecundum carnẽ. & tñ magis neceſſaria atq; vtilis nobis eſt remiſſio peccatorũ, q̃ reſurrectio mortuorũ, ergo ſi remiſſio peccatorum nõ eſt, fruſtra laboramus pro Chriſto. His quoq; adijcitur. Si peccatorũ remiſſio non eſt, Chriſtus nobis nihil ꝓdeſt, quo nihil iniquius. Si. n. Chriſtus nobis prodeſt, aut viuentib. aut defunctis proderit. Viuentibus tñ parum prodeſt, ſi pñs ſtatus ſolum conſideretur, cum dura nobis imponat, & à delectationibus cohibeat. Vnde hic omnib. gentibus miſerabiliores ſumus iuxta Apoſt. vbi ſup. ſ. Si in hac vita tantũ ſperãtes ſumus in Chriſto, omnibus hominib. miſerabiliores ſumus. In futuro autem

E prodeſſe nobis nihil poteſt, ſi non remittuntur peccata, cum impoſſibile ſit nobis peruenire ad gaudia æternitatis, quamdiu Deus peccata in eum commiſſa non dimittit. Ceterum ſi peccatorum remiſſio non eſt, fruſtra oratur pro mortuis, & cetera Eccleſiæ ſuffragia in vanum expenduntur, vt oſtẽditur. 2. Mach. 12. ſcilicet, niſi enim eos, qui ceciderant, reſurrecturos ſperaret, ſuperfluum videretur, & vanum orare pro mortuis. Et ſequitur, ſancta ergo & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis ſoluantur, ergo ſuper ſolutione & remiſſione peccatorum Eccleſia fruſtrat ſuffragia ſua. Amplius autem ſi peccatorũ non eſt remiſſio, Chriſtus inutiliter, & ſine cauſa mortuus eſt, nã non fuit ad aliud mors ſua, niſi vt nos per mortem ſuã à mortis debito ſolueremur, & in virtute eius omnia nobis crimina tollerentur. Quid autem abſurdius? quid inſanius dici poterat, quã quod Chriſtus inutiliter moreretur? Nam ſi vir ſapiens, nihil G etiam in minimis rebus, ſine cauſa agit, quanto magis ſpontaneam mortem ſi ſubeat, non ſine grauiſſima, & arduiſſima cauſa ſubijt, cum mors omnium terribilium maximum, & vltimum ſit? Quanto aũt differentius de Chriſto iſtud dici poterit, qui ſapientiſſimus eſt: immo ipſe eſt ſapientia patris æterni. Item ſi peccatorum remiſſio non eſt, ſtultè & inutiliter vniuerſa Eccleſia Sacramenta à Chriſto inſtituta ſunt, & a nobis inaniter frequentãtur, cum iſta ponantur, vt inſtrumenta recuperandæ gratiæ amiſſæ, per quam peccata tolluntur. Præterea negare remiſſionẽ peccatorum nonne erat hæreſis ſupra omnem hæreſim? Nam hæreſes ſingulæ in Eccleſia fuerunt ortum habentes ex erroribus, varijs diſſonantes à veritate fidei, quarum tñ contrarium non reperiebatur H expreſſe in ſacra ſcriptura ſaltem plane, ita vt dubitari non poſſet. Sicut patet cuilibet intuenti ſingulas hęreſes, vt Arianorum, Manichęorum, & Sabellianorum, & cetetorum. Si tñ quis dicat Chriſtum non fuiſſe flagellatum, nec mortuũ, nec traditũ à Iuda, nec prædicaſſe in Ieruſalem, nec ſanaſſe cęcos, non erit hęreticus ſed omnib. hęreticis ſimul ſumptis deterior, ſcilicet, infidelis. Patet quia, hæretici ſolum peccant per errorem, putantes Sacram Scripturam ſic intelligi, vt illi exponunt, qui tamen negaret Chriſtum ſanaſſe cęcos, vel prædicaſſe Iudæis, nõ erraret circa intellectum Sacræ Scripturæ, ſed negaret eam expreſſe per ſuperbiam, ideo eſſet aperta rebellio, & contumacia. Sic autem eſſet circa remiſſionem peccatorum. Nam vnus de articulis in forma eſt remiſſio peccatorum, cum ponatur in ſymbolo Apoſtolorum, remiſ-I ſio peccatorum, tota etiam ſacra ſcriptura hoc aſſerit, cum Chriſtus dicat Matth. 26. Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effunderur in remiſſionem peccatorum. Quis ergo circa talia Chriſtianum hominem potuiſſe errare crediderit? Amplius facilius eſt negare expreſſe Chriſtum eſſe Deum et hominem, vel pro nobis paſſum, aut iudicaturum omnes homines, vel quaſcunque partes ſacræ ſcripturæ, quam negare remiſſionem peccatorum, propter duo. Primo quia remiſſio peccatorum ſine ceteris aliquid valet, cetera autem ſine remiſſione peccatorum prorſus ſunt inutilia. Nam dato quòd Chriſtus non ſumpſiſſet carnem, nec accidiſſet aliquid eorum, quæ Euangeliſtæ teſtantur, poterat tamen nobis a Deo eſſe ſalus per quemcunque alium modum, quem ipſe elegiſſet, licet iſte ſit conuenientior. Et data K remiſſione peccatorum per modum illum quicunque eſſet ille, conſequi poſſumus æterna gaudia. Quod ſatis nobis erat. Si tamen non ſit remiſſio peccatorum, etiamſi Chriſtus pro nobis mortuus fuerit, & cetera acciderint, quæ Euangeliſtæ teſtantur, & tota Eccleſia confitetur, nihil nobis iſta conferrent. Secundo & grauius, quia ſi quis neget quaſcũque particulas Sacræ Scripturæ, vel articulos fidei in forma, ſolum ſibi aduerſus Chriſtianos pugnãdum eſt. Si quis vero neget remiſſionem peccatorum, contra omnes homines bellum fouet. Nam Chriſtiani confitentur remiſſionem peccatorum, vt tota ſeries ſcripturæ clamat. Aduerſus etiam Iudæos bellum eſt, ipſi namque confitentur remiſſionem peccatorum, ideo quædã ſacrificia fiebant, quæ vocatur

pro

pro peccatis, quibus ſacris Deus propitius erat Leu.4.& 5.& 6.& Num.5.& 15.& in multis locis. & ob hoc erat conſtitutus dies quidam, ſcilicet, dies decimus menſis ſeptimi, qui vocatur dies expiationis, vel propitiationis, ſcilicet, dies expiationis, quia peccata Iſraelitarũ expiãtur, ideſt mundantur, vel tolluntur. Et vocatur dies propitiationis, quia Deus tunc propitiabatur peccatis Iudęorum, cum ſummus ſacerdos confitebatur peccata illorũ, & imprecabatur ea ſuper caput hirci emiſſarij Leu.17.

Contra Mahometiſtas bellum eſt, nam & ipſi licet extra omne bonum ſint, remiſſionem peccatorum ſibi fieri credunt per quaſdam cæremonias, quibus ſe exercent. Omnes quoque in lege naturæ, qui de Deo aliquid rectè ſenſerunt, licet ceteros articulos explicitè non tenerent, hunc tenuerunt. Quis namq; Deũ ſequeretur, ſi de B peccatorum remiſſione dubitaret? cum enim ex fragilitate humana difficile ſit hominem ſemper manere ſine culpa, cum ſemel peccaſſet, ſi non crederet remiſſionem peccatorum, nunquam amplius Deum ſequeretur, credens quòd ſuperuacuum eſſet, cum iam remiſſionis locus nullus eſſet. Hoc ergo eſt vnum, quod præſupponitur accedentibus ad inquirendum Deum. Et tangit Apoſto. ad Hebr. 11. ſcilicet. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, quòd inquirentibus ſe, remunerator ſit, remiſſio autem peccatorum eſt quædam pars remunerationis, quia fit ex pura gratia & liberalitate. Amplius autem ſi peccatorum remiſſio non eſſet, vt quid diſtinguerentur quinque receptacula animarum corporibus ſolutarum, ſcilicet, infernus, Sinus Abrahę, lymbus paruulorum, & Purgatorius ignis, & Paradiſus cęleſtis? C Sed ſufficient infernus, & lymbus paruulorum. Quod patet, nam Paradiſum nemo ingreditur, niſi omnino mundatus tam a macula originali quam actuali, & tamen ſi peccatorum remiſſio non eſt, neceſſe eſt omnes homines mori in peccato originali, cũ omnes illud contrahant. Ideo etiamſi actuale non commiſerint, decedẽt in peccato, & non conſequentur vitam ęternam. Ad purgatorium etiam ignem nemo vadit, niſi cum remiſſione facta peccati, & decedente homine cum charitate, manente tamen inexpleta parte quadam ſatisfactionis, quæ explenda eſt extra hoc ſeculum in igne Purgatorio. Non conceſſa autem remiſſione peccatorum, manet ſemper reatus peccati mortalis ad mortem æternam, ideo talib. non ad purgatorium ignem, ſed in gehennam eundum eſt. Sinus etiam Abrahæ ſuperuacuè poneretur, quia ad D illum locum dicimus deſcendiſſe animas Sanctorũ Patrum, qui ab omni reatu tam originalis quam actualis peccati liberati erant, ſed manebant ibi, quouſque Saluator noſter per paſſionem ſuam aperiret ianuam vitæ æternæ. ſi tamen negetur remiſſio peccatorum, impoſſibile erat aliquos liberos eſſe ab omni reatu, ideo impoſſibile erat aliquas animas in ſinum Abrahæ contineri. Manebant ergo duo loca, quæ ſufficiebant, ſcilicet, infernus, & lymbus puerorum. Quod patet, quia non data remiſſione peccatorum, neceſſe erat omnes homines mori in peccato, ſaltem in originali, cum omnes homines illud contrahant. Nec hic quicquam de virgine loquimur, quid de ea fuerit. Qui ergo moriebantur, aut decedebant in ſolo originali, vt paruuli, aut in actualibus, & originali. Si in ſolo originali, ibant ad lymbum puerorum. Si vero in E actualibus cum originali, ibant in infernum. Item quæ vnquam maior dementia eſſe poterat, quam aſtruere, ꝙ Deus non abſoluat à peccatis, ideſt ꝙ non poteſt abſoluere? Nam cum Deum omnipotentẽ dicamus, quomodo ei poteſtatem remittendi peccata ſubtrahemus? Item quid naturalius eſſe poteſt, quam ꝙ Deus poſſit remittere peccata, cum per peccata ipſe offendatur? Nec dicit aliquam màgnam poteſtatem in Deo poſſe remittere peccata, quia ſimile in nobis eſt. Nam quandocunque offenditur quis ab alio, poteſt ei remittere iniuriam vel offenſam, aut debitum, & ad hoc nulla poteſtas requiritur, ſed ſola voluntas remittendi. Ita de Deo eſt, quia omne peccatum cuiuſcunque generis aut modi ſit, contra Deum eſt, et in ipſo ipſe offenditur, ideo ad remiſſionem eius nulla alia poteſtas requiritur, niſi ꝙ velit remittere.

A Item qui peccatorum remiſſionem negat, neceſſe eſt, vt confeſſionem peccatorum, & abſolutionem ſacerdotalem, & conceſſiones indulgentiarum inutiles eſſe dicat, cum iſta non ſint niſi ad peccatorum remiſſionem. Amplius, quę erit inſania negare remiſſionem peccatorum? cum nihil frequentius, & expresſius in ſacra ſcriptura aſſeratur? Nam Chriſtus dixit ſanguinem ſuum fundendum in remisſionem peccatorum. Matth 26. Et Chriſtus quando ſanauit Paralyticum, dixit ei. Fili dimittuntur tibi peccata tua. Marci 2. & de Magdalena dixit. Propter quòd dico tibi, remittũtur ei peccata multa. Et iterum dicitur: dixit ad illam remittũtur tibi peccata tua. Luc.7. & Beatus Petrus dixit Iudęis. baptizetur vnuſquiſque in nomine Ieſu, in remisſionem peccatorũ veſtrorum. Actuum 2. & iterum pęnitemini, & conuertimini, vt deleantur peccata veſtra. Actuum 3 idem Act. 5, & 13. & non ſolum in nouo teſtõ, ſed ẽt in toto ueteri idem aſſeritur. Omnes namq; prophetæ dicunt remiſſionem peccatorum per Chriſtum debere fieri, ut patet Act.10. ſ. huic oẽs prophetæ teſtimoniũ perhibent, remiſſionẽ peccatorum accipere per ipſum. Amplius quæ vlla maior poterat eſſe dementia, quam negare ſacerdotalem poteſtatem circa abſolutionem a peccatis? nã Chriſtum negat eũq; mendacem aſtruit, qui ſacerdotali poteſtati nõ aſſentitur. Quid n. clarius eo, ꝙ Chriſtus dixit Mat.16. cum Eccleſiæ, quæ vnica eſt, & mater noſtra, nomine Petri ad eius vnitatem deſignandam claues traditæ ſunt, ſ. & tibi dabo claues regni cęlorum, & quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cęlis, & quodcunque ſolueris ſuper terram erit ſolutum & in C cęlis? Quid ẽt manifeſtius quam illud, quod Mat.18. habetur? vbi Chriſtus Eccleſiæ pro membris ſuis poteſtatem iſtam tradens pluraliter locutus eſt, innuens, ꝙ licet Eccleſiæ quæ vnica erat conferretur poteſtas, per ſingula membra ſua adhuc ordinata poterat poteſtas iſta exerceri, cum ait, ꝙ ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi quaſi Ethnicus, & Publicanus. Et ſequitur, Amen dico vobis, quęcunque alligaueritis ſuper terram erunt ligata & in cælo, & quæcunque ſolueritis ſuper terram erunt ſoluta & in cęlo. Apertiſſimum eſt ẽt illud Io.20. ſ. Sicut miſit me pater, & ego mitto vos, i. in eadẽ poteſtate, in qua me miſit, quantum ad procurationem ſalutis humanæ, in eadem mitto vos, & ſequitur, hæc cum dixiſſet, inſufflauit in eos, & dixit, accipite Spiritum ſanctum, quorũ remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinue D ritis, retenta ſunt: Quis ergo niſi qui omnino inſaniat cõtra ſacerdotum poteſtatem loqui aut cogitare conabitur? nec ſolum hæreſis eſt talia ſuſpicari, ſed ſupra omnem hæreſim, immo omnem admirationem excedit. Poſtremo cogitet, qui talia cogitare poteſt, me omnium hominum peſſimum ſuper oẽs hæreticos deprauatisſimum, talia contra ſacratisſimam & immaculatisſimam fidem Orthodoxam ſentire potuiſſe: quæ nullus infidelisſimorum aut ſanæ mentis homo ſenſiſſe poterit, nunquid & illa publice aſtruere confidenter auderem in capite mundi? in curia ſanctisſimi & ſummi Pontificis ad quã de vniuerſis Eccleſiæ Latinæ angulis peritisſimi viri confluxerant: vbi non ſolum infidelitas, & aperta rebellio, & graues hęredes, ſed etiam minimus in fide er- E ror impunitus non ſinitur? Nunquid non grauisſimam indubitatam tamen nec immerito mortem expectarem talia aſtruendo? Quomodo, ſi talia aſtruxiſſem, me publicè de omnibus ſatisfacturum & omni homini reſponſurum, teſte ipſa Curia, immo ut ita dixerim, tota Eccleclęſia ſæpius proclamaui? nunquid non talia aſſerẽtem, non ſolum viri peritisſimi, quorum copia grandis erat de more in curia reſidens, & aliunde diligenter quęſita, ſed etiam inſipientes paruuli leuisſimo argumento in me dicere potuiſſent? vnde ergo illud extitit, quod ſæpe oratam, & iudicialiter àc publicè proclamatam audientiæ copiam publice denegauit iniquitas? cum me promptum & ad cauſam paratum & ſingulis rñſurum ſæpisſime obtuliſſem. Quis ergo vnquam talia de Chriſtiano viro, & Chriſtianis parentibus ab immemoriali ortu trahens originẽ cogitare potuerit? Cogitauerũt ta-

men hæc æmulatiſſimi hoſtes mei: immo non cogitauerunt, quoniam contexerunt eos iniquitatis & liuoris grauiſſimæ tenebræ, vt nihil cogitantes in immenſum errarent: publicatis enim concluſionibus, nedum tamen diſputatis me erraſſe conceperant. Expoſitis autem eis ſecundum illam clariſſimam veritatem, quam in terminis ſuis proprijs, & non aliunde quæſitis continebāt, patuit erraſſe eos, qui me prius errare crediderāt. Sed, quoniam me nondum audito, per plures dies ipſa non ſatis compos ſui iniquitas, me grauiſſime erraſſe aſſeruerat, erubuit vera fateri: ne ſe aut rudem ſatis aut maleuolam ſateretur. Nemo autem crediderit me maledicendi ſtudio iſta dictaſſe, ſed cum beato Hier. obtrectatoribus meis, immo ipſi iniquitati ſolum reſpondeo. Teſtis quippe mihi eſt ipſa ſumma & irreſtagabilis veritas: me in hac proemiali locutione multa omittere, quæ in immenſum cauſam meam extollerent, & iniquitatem ipſam ſuo mucrone confoderent, A quibus ſatius abſtinere putaui, ne criminandi deſiderio calamum ſumpſiſſe quiſquam crediderit. Ad rem tamen aliquando veniendum eſt.

CAPITVLVM III.

De iniquitate æmulorum, quomodo copiſtas, & officiales bullarum Romanæ Curiæ contra auctorem incitabant. Et an detur abſolutio à culpa, & pœna. Et de latiſſima poteſtate Papæ in concedendo indulgentias claue non errante.

QVoniam vero imperiti, aut maligni, vel vtrumque verius quantum in eis fuit, hanc concluſionis particulam damnare conati ſunt, vt eorum error poſteros latere nō poſſit, defenſiones apponendas putaui. Erat enim particula illa cōcluſionis, quod a pœna aut a culpa Deus non abſoluit, nec aliquis ſacerdos abſoluere poſſit. Circa quam quidam errauerunt, putantes hic negari poteſtatem pleniſſimā, aut maximam Papę, quam vulgariter quidam vocant abſolutionem a culpa, & à pœna: ita vt ipſi crederent, quod ego non negarem ptātem abſoluendi a culpa, vt ipſi dicunt, quam Deo tribuunt, & aliquomodo ſacerdoti, & cuilibet. Sed illam, quæ eſt altitudo ptātis, ſcilicet, abſoluere à culpa, & a pœna. Et hoc credidit aut crediſiſſe ſe finxit ipſa hoſtilis æmulatio, mittens ſatellites ſuos, qui ſcriptoribus. Curiæ, copiſtis cęteriſq; huiuſmodi bullarum officialibus, tumultuādum ſuaderent, cum inquiunt. Iam omnis vobis ſpes lucri adempta eſt. Iam officij veſtri maxie ſuie te nomen erit. Quid ceſſatis? quid quieſcitis? cum Hiſpanus iſte aſtante tota Curia confidenter clamet, Papam non poſſe a pęna & a culpa abſoluere. Nullę ergo de cetero huiuſmodi conceſſiones indulgentiarum erunt, in quo quantum veſtræ rei depereat, noſtis. Nec ſolum hanc rudem, & ad tumultum facilem plebeculam concitabant, ſed & ipſos laniſtas, caupones, ſtabularios, ceteraque laicorum hominum varia genera, vario dicendi colore deturbare nitebantur. In quo eorum duplex error erat. Primus quia concluſio mea hæc in ſententia directe aut etiam ex terminis non ſignabat cum ibi dicatur, a pœna, aut à culpa Deus nō abſoluit, nec aliquis ſacerdos abſoluere poteſt. Et ponitur ibi pœna, & culpa diſiunctiuè, aut diſiunctim. Et vt ſignificarent, quod ipſi intendebant, oportebat poni: pœnam, & culpam nullus ſacerdos abſoluit. Et tūc debebat eſſe ſenſus, quód ego concederem primum modum loquendi improprium, quód Deus abſoluit hominem a culpa, & quilibet ſacerdos abſoluit aliquo modo à culpa. Et tamen iſtam plenitudinem poteſtatis, quæ eſt in Papa, quam ipſi vulgariter loquentes, & improprie dicunt abſolutionem a culpa, & a pœna ego negarem. Et ſic non negarem tantū poteſtatem cōem ſacerdotalem, ſed culmen poteſtatis ſummi Pontificis, ſed hoc imperitè aſſumpſerunt aut confinxerunt ſibi, cum nec hoc ſenſerim, nec verborum ſeries hoc inducat, quæ ſi in aliquo militat, potius militaret contra poteſtatem communem tam Papæ quam ſacerdotum, ac contra illud culmen ſoli Papæ reſeruatum.

F Secundo modo errabant, quia etiamſi quis dicat ſic, Papa non abſoluit, vel non poteſt abſoluere à culpa, & pœna, nullum falſum dicit. Et cum dicitur, Papa vel aliquis homo abſoluit a culpa, & à pœna, non debet concedi propriè propoſitio iſta in terminis iſtis, licet ſignificatum quod intendunt aliqui exprimentes eā debeat concedi. Ratio eſt, quia iſte modus loquendi, non ſolum nō conuenit theologis, qui ſubtilius, & magis propriè terminis vtuntur, & proprius de ſingulis rebus diſputant. Sed etiam non conuenit modo loquendi iuris in clementina vnica de priuilegijs. Et in clemen. abuſionibus de pœniten. & remiſſion. Nam in prima dicitur, vel à ſententijs per ſtatuta prouincialia, aut ſynodalia promulgatis, ſeu, vt verbis eorum vtamur, à pœna, & a culpa abſoluere quempiam præſumpſerint, excommunicationis ſen- G tentiam incurrant ipſo facto. Ex quo innuitur, quód improprie dicitur abſoluere à culpa, & pœna, quia alias Papa non diceret, ſeu, vt eorum verbis vtamur, a pœna, & a culpa abſoluere quempiam præſumpſerint, ſed diceret abſolutè: ſeu a pœna, & à culpa quempiam abſoluere præſumpſerint, ergo videtur, quód non putauit propriè dici abſolui quemquam à culpa, & pœna. Sed improprietatem iſtam modo loquendi eorum imperito adſcripſit. Idem patet in clem. abuſionibus, cum dicitur, & aliqui ex ipſis eos à pœna, & culpa, vt eorum verbis vtamur, abſoluant vbi ſemper innuit impropriè dici abſolui quoſquam à culpa, & pœna. Sed obijcietur, quód Papa dicit, vt eorum verbis vtamur, non quidem quaſi impropriè dictum ſit abſolui quemquam à culpa, & pœna, ſed quia negat verum eſſe, quod illi faciunt. Quia H ſi diceret, & aliqui ex ipſis eos a pœna, & culpa abſoluunt, videretur concedere, quod illi vere abſoluebant eos, licet abſoluendo facerent contra ius, aut in contemptum clauium: cum autem dicit, vt eorum verbis vtamur, apparet, quod non concedit eos quicquam facere, ſed ſolum loquitur ſicut illi loquuntur dicentes ſe abſoluere à culpa, & pœna. Dicendum, quód hoc non ſtat, quia in allegata clemen. vnica de priuilegijs dicitur. ſeu, vt eorum verbis vtamur, à pœna, & a culpa abſoluere quempiam præſumpſerint. Sufficiebat enim poni ibi, præſumpſerint, ad denotandum eorum actum viribus carere, vel nullum eſſe, cum ſit præſumptus, & non factus, & non poneretur, eorum verbis vtamur: ibi tamen ponitur præſumpſerint, & vt eorum verbis vtamur. Ergo ponitur, vt eorum verbis vtamur ad ſigni- I ficandam improprietatem locutionis. Ideo dicendum, quód in actu iſtorum erant duo inconuenientia, ſcilicet, falſitas in opere, & improprietas in ſermone. Falſitas quidem, quia aſſerebant ſe abſoluere, cum tamen non poſſent abſoluere ab eo, quod dicebant, immo nec ab aliquo. Improprietas autem ſermonis cum dicebant à pœna, & culpa abſoluere, quia dato, quód totaliter, & verè abſoluerent ab eo, quod intendebant ſignari per pęnam, & culpam, ideo Papa poſuit duo contra eos, ſcilicet, præſumpſerint, & vt eorum verbis vtamur. Per primum ſignificatur eorum falſitas operis, per ſecundum improprietas ſermonis.

K Secundo patet apertius adhuc, quia cum in allegata clemen. abuſionibus, cum Papa loquitur de hac maxima poteſtate in abſoluendo à culpa, & pœna, ſed remiſſionem ſiue abſolutionem plenariam, dicens, benefactoribus locorum, quorum quæſtores exiſtunt, remiſſionem peccatorum plenariam indulgeant. Et patet quod iſta ſit propria locutio, quia ibi Papa non addidit, vt eorum verbis vtamur, ſicut cum dixit de abſolutione a culpa, & pœna, innuens illum eſſe proprium modum loquendi, & illum improprijſſimum, & ſic impropriè dicitur abſoluere a culpa, & pœna, ſed abſoluere plenariè. Idem patet per gloſam eiuſdem clemen. ſuper parte a pœna, & culpa, dicit ibi Ioann. An iſta eſt pleniſſima peccatorum remiſſio. Et ſic nihil aliud eſt abſoluere a culpa, & pęna, quam plenariè abſoluere, niſi q vnum eſt propriè dictū, & aliud impropriè valde. Ad cognoſcendū amplius, quæ dicta ſunt, & vt nullus putare poterit me de ampliſſima Papæ poteſtate, quantum ad abſolutiones,

tiones, & indulgẽtias dubitare potuiſſe, declarabo quędam, quæ tunc prius in Curia dicere ſolebam, & in ſcriptis teſte tota Curia præſentaui, contra quæ nihil ipſa iniquitas mutire auſa eſt, vt etiam poſteri id ipſum videant. Sciendum, quòd Papa habet facultatem ad concedendas indulgentias in quacunque aſſignatione vel taxatione vſque ad plenariam remiſſionem peccatorum incluſiuè, & hoc ſatis ex modo loquendi iuris, & totius Eccleſiæ conſtat, cum Papa concedat pleniſſimam remiſſionem omnium peccatorum cruce ſignatis, pro ſubſidio terræ ſanctæ, vt declarãt Hoſt. & Io. An. de Iudæis, & Saracenis. c. ad liberandam. Et refert hoc Io. And. in gloſa clementina, abuſionibus, conceditur etiam iſta indulgentia in anno centenario, vt patet in extrauaganti Bonifacij ſcilicet, habet antiquorum. Et dicit in eadem gloſa Io. And. quòd iſtam pleniſſimam indulgentiam ſolus Papa concedit.

Vltra hæc dico, quòd Papa in concedendo indulgentias, habet maiorem poteſtatem, quam vſque ad plenariam indulgentiam, vel plenariam omnium peccatorum remiſſionem, ſed non exercet eam aliquando, nec poteſt exercere, non quidem ex defectu poteſtatis, cum dicam eum habere iſtam poteſtatem, nec ex defectu diſpoſitionis alicuius cauſaliter, vel alias deficientis ex parte ipſius, ſed ex defectu materiæ, quæ non poteſt ſuſcipere tantum quantum Papa agere poſſit. Patet hoc, quia Papa habet liberam clauem totius theſauri Eccleſiæ, dum tamen non erret clauis ſcientiæ, in quo theſauro Eccleſiæ ſunt infinita merita tam Paſſionis Chriſti, quã ſupererogationes bonorum omnium ſanctorum, & totius Eccleſiæ, quantum ad membra definita: materia tamen, ſuper quam eſt exercitium huius clauis, ſunt omnes fideles viuentes, inquantum commiſerunt aliqua peccata, à quibus debeant abſolui. Accipiendo ergo peccata omnium hominum, non ſolum qui ſimul ſunt in aliqua ætate, ſed etiam omnium, qui aliquando fuerunt, & qui nunc ſunt, & erunt, & etiam peccata dæmonum, cum eis non ſit aliquid verè infinitum, theſaurus tamen Eccleſiæ eſt infinitus, vt dictum eſt ſcilicet propter merita Paſſionis Chriſti, quæ ſunt verè infinita, cũ ipſe ſit verus Deus, qui in infinitum valet, ergo de theſauro Eccleſiæ poſſent diſpenſari realiter infinita, remiſſio tamen plenaria facta cuicunque noſtrum, vel etiam omnibus ſimul ſumptis, non eſt aliquid infinitum, quia non eſt ad pœnam infinitam, ſed ad pęnam finitam, & limitatam, quam in purgatorio toleraturi eramus, vel temporaliter, ratio maior eſt poteſtas Papæ ad abſoluendum, & remittendum, quàm ſit capacitas omnium hominum ſimul ſumptorũ ad indulgentiã, vel remiſſionẽ recipiendam. Ideo quando aliquis vult loqui de plenitudine poteſtatis Papæ in abſolutionibus, & indulgentijs propriè, non debet dicere, quòd Papa abſoluit à culpa, & a pœna, ſed quòd concedit plenariam indulgentiam, vel remiſſionem omnium peccatorum, quia dicere, abſoluere a culpa, & a pœna eſt dictum impropriũ, & large poſitum per terminos alienos: & hoc ſatis patet in literis datis in forma Eccleſiæ: in quibus non dicitur, quod Papa abſoluit à culpa, & pœna: vel quod concedit indulgentiam à culpa, & pœna, ſed quod concedit plenariam indulgentiam, vel remiſſionem omnium peccatorum.

Interdum tamen aliqui Doctores, licet rariſſimè loquuntur largè, & impropriè ad formam vulgarium, vt ab eis percipiantur, & dicunt indulgentiam à culpa, & à pœna. Sicut Franciſcus de Maronis 4. Sent. diſtin. 19. quærit, an Papa poſſit abſoluere a culpa, & a pœna, & reſpondet quod ſic, & tamen hoc non facit propriam locutionem: cum iura ſupra allegata probent hoc impropriè dictum.

Hæc de plenitudine poteſtatis Papæ dicta ſint, & de abſolutione, quam vulgares vocant a culpa, & a pœna, licet concluſio de hoc non intenderet, ſed propter quoſdam imperitos, qui de hoc non intelligebant, & calumniabantur, dictum ſit.

A *Capitulum quartum. In quo declarantur octo, quæ ſunt in quolibet peccato ſcilicet, actus, culpa, offenſa, macula, tenebra, reatus pœna, pronitas ad malum.*

ACcedendo nunc magis ad propoſitum concluſionis, vt videatur planè, an Deus, vel ſacerdos abſoluat à culpa aut abſoluat à pœna: aut à nullo eorum ſacerdos abſoluat, nec Deus, conſiderandum, quòd in peccato, vel de peccato nihil debet manere ad hoc, quod aliquis ſit plenè purgatus, & dignus ingredi vitam æternam, ſed eorum, quæ in peccato ſunt, quædam per ſe eſſe deſinunt ſine aliqua actione peccantis, & ſine actione Dei, & ſine actione ſacerdotis: quædam tolluntur per Deum: & alia per miniſtros Eccleſiæ: alia per actum pœnitentis.

Pro quo ſciendum quòd in peccato poſſunt conſiderari
B ſeptem, vel octo. ſcilicet actus peccati, culpa, offenſa, macula, reatus, tenebra, pœna, pronitas ad malum. Et iſta dantur neceſſario in quolibet peccato ſaltem in peccato commiſſionis. De primo patet ſicut in occidere. & fornicari, in quibus eſt actus poſitiuus, ſcilicet, vulnerare hominem & tangere feminam carnaliter: qui actus abſolutè & in ſe non ſunt boni nec mali: ſed efficiuntur boni, vel mali per circumſtantias additas. Quod patet, alias non poſſet quis in aliquo caſu tangere feminam carnaliter, vel occidere hominem ſine peccato, quòd falſum eſt, cum interdum iſti actus ſunt meritorij. De occiſione patet de Phinees, qui occidit Zambri coeuntem cum ſcorto Madianitide, quem Deus ex hoc laudauit,
C & promiſit ſibi propter hoc ſacerdotium ſempiternũ. Nu. 25. & 1. Macha. 2. De coitu patet, vt quando fit cum vxore ad reddendum debitum. Nam tunc eſt meritorius, quia eſt actus iuſtitiæ: cum Apoſtolus dicat obligatos coniuges ad hoc. 1. ad Corinth. 7.

Secundum quod eſt in peccato, eſt culpa, & eſt culpa quædam priuatio debitæ rectitudinis in actu. ſcilicet, quod ad hoc, quod aliquis actus eſſet bonus, moraliter deberet habere quaſdam circumſtantias bonas regulantes eum, quibus ſi careat eſt malus. Et ſic illa carentia, vel priuatio eſt culpa in actu, ſicut in caſu dato: ad hoc quòd tangere feminam carnaliter ſit bonus actus, requiritur, quod tangat quis eam, quam debet, vel de iure poteſt, ſcilicet, vxorem ſuam, & quando debet, & vbi debet. ſcilicet non in loco nec tempore prohibitis, & pro-
D pter quem finem debet. ſcilicet ad prolem gignendam, vel ad reddendum debitũ, vel ad mitigãdum fomitem. Nam propter hoc melius eſt nubere quam vri. 1. Corin. 7. et ſic de alijs circumſtantijs requiſitis, de quib. Ariſt. 3. Ethi. ſi omnes ibi conueniant actus boni tangendi feminam: ſi autem omnes deficiant, vel aliqua earum, actus malus erit: non propter aliquid poſitiuum, ſed propter defectum circumſtantiæ, quæ deberet ineſſe. Et illum defectum, carẽtiam, vel priuationem vocamus culpam, vel maliciam in actu, quia malicia nihil aliud eſt, niſi ille defectus, cum non ſit aliquid poſitiuum, nec actus de genere ſuo malus ſit. Sic etiam patet per ſanctum Thom. 2. ſent. diſt. 35. artic. 1. ſcilicet, malum, per ſe loquendo, priuatio quædam eſt alicuius boni: bonum autem in perfectione, & in actu conſiſtit. Et ea quæ dicta
E ſunt ponit ſanctus Tho. eodem art. in reſponſione ad tertium arg. ſcilicet, malus actus conſiſtit in defectu actus ſecundum quod deficit a debito fine, vel a debitis circumſtantijs.

Tertium in peccato eſt offenſa. Nam quando quis peccat, recedit à Deo contemnendo eum, & legem ſuam, & adhærendo cuidam bono creato, quòd homo præponit Deo. Et in hac auerſione Deus offenditur ſcilicet quod propter aliquam rem minorem ſe, contemnatur ipſe, & recedatur ab eo. De hoc patet etiam per ſanctum Tho. 3. parte ſummæ. quæſt. 86. artic. 2. in corpore quæſtionis: ſcilicet, peccatum mortale eſt offenſa Dei: & quod offenſa in peccato opponitur gratiæ. Et poſtea dicit, quod offenſa in peccato mortali procedit ex hoc, quod voluntas hominis eſt auerſa à Deo, & cõuerſa ad bonũ

creatum. ideo ad remiſſionem offenſionum requiritur, quod voluntas hominis mutetur, & conuertatur ad Deũ cum deteſtatione prædictæ conuerſionis ad bonum creatum: & hoc modo loquũtur Prophetæ & ſacra ſcriptura vocando peccata offenſiones Dei, ſicut dicitur Pſal. 94. quadraginta annis offenſus fui generationi huic, ideſt, ab hac generatione peſſima Iudæorum. Et ſic oẽs Doctores communiter loquuntur.

Quartum, quod in peccato conſideratur, eſt macula: & de iſta dicit Magiſter 4. Sent. diſt. 18. cap. 1. quod ante pœnitudinem cordis peccator habet maculam, & fœtorem peccati. Et iſta macula eſt quædam deformitas in anima noſtra, vel immundicia largè dicta. Et eſt in anima, ſecundum quod in anima eſt imago Dei, & iſta macula, vel deformitas eſt priuatio pulchritudinis prius habitæ, & nunc debitæ ineſſe: ſicut enim in corpore humano, quod adornatur veſtibus circumdantibus illud, quibus ſi homo careat eſt deformis & malè apparens, & non eſt illa deformitas, niſi carentia veſtium, vel ornatus neceſſarij: ita eſt in anima noſtra, Nam in ipſa eſt imago Dei naturaliter, & pulchritudo ſua extrinſeca eſt gratia, vel charitas, quam cum habet homo, pulcher videtur, ſicut homo veſtitus. Si autem caruerit illa, erit deformis ſicut homo nudus, & hoc eſt in quolibet peccato mortali; quia per quodlibet tollitur tota charitas, & gratia Dei. Vel poteſt macula accipi pro quadam immundicia figuratè ſumpta. Nam ſicut cum quis tangit aliquam rem immundam polluitur actualiter, & poſtquam ceſſauerit actualiter tangere, ceſſat actualiter pollui, manet tamen ſemper pollutus vſquequo lauetur: ita quando quis auertens voluntatem ſuam a Deo, applicat ſe alicui rei creatæ, qua vult frui, dicitur pollui actualiter voluntas per actualem conuerſionem, & adhęſionem ad illam rem, & ceſſante illo actu ceſſat iſta voluntas actualiter pollui: manet tamen pollutus quouſque per pœnitentiam abſtergatur illa immundicia relicta. Iſta immundicia vel macula cauſata eſt ex eo ꝙ voluntas ſemel malũ voluit. Nam dato quod ceſſet malum, vel actualiter manet hoc, quod eſt malum voluiſſe, & eſt infectio, vel ſordes ſiue macula. Hoc modo accipit Magiſter 4. Sen. diſt. 18. capit. vltimo, cum ait: Sed quid eſt macula peccati, à qua lauatur anima? ſcilicet, ecce enim quis voluit facere homicidium & patrauit: quo patrato deſijt tam velle quam facere: nondum tamen vere & humiliter pęnitet, nec confiteri proponit. Quæ igitur remanſit in anima illius macula? reſpondet, ſcilicet, mala voluntas quidem macula fuit illius animę, ſed illa tranſit. Macula eſt etiã, ſi pęnitere contempſit. Sed hoc eſt peccatum aliud a pręcedenti. Quæ igitur macula manſit, à qua in pœnitentia purgatur? polluta quidem eſt anima quouſque pœnitet, ſicut erat dum in ea erat praua voluntas, ſicut enim qui tangit mortuum, vel aliquid immundum, pollutus eſt poſt actum, & ita manet, ſicut fuit dum tangeret quouſque lauetur; ita poſt actum peccati polluta remanet anima, ſicut fuit in ipſo peccati actu, quia ita lõgè eſt a Deo per diſſimilitudinem, qui eſt vita, & munditia mentis, ſicut fuit dum peccatum ageret. Ipſa igitur diſſimilitudo, quæ ineſt animæ ex peccato, eſt a Deo elongatio, quæ animæ macula intelligitur, à qua purgatur in pęnitentia.

Conſiderandum tamen, quod macula quomodocunque accipiatur, non dicit in anima aliquod poſitiuum, ſed priuatiuum, & tamen adhuc magis propriè dicit priuationem pulchritudinis, quam aliquid aliud, ſicut in principio diximus: & iſtud tenet ſanctus Tho. 4. Sen. diſt. 14. q. 2. art. 2. in corpore: cum ait, ſcilicet, dicendum quòd ex hoc aliquid maculatum dicitur, quia debitæ pulchritudinis patitur detrimentum. Vnde macula ſecundum quod huiuſmodi non habet quòd aliquid ponat: ſed per comparationem ad illud, quod quandoque pulchritudinis detrimentum cauſat aliquid ponere dicitur: ſic aliquid in facie poſitum, quod candorem faciei priuat, aut tegit. Pulchritudo autem animæ conſiſtit in ſimilitudine ipſius ad Deum, ad quam formari debet per claritatem gratiæ ab eo ſuſceptam: ſicut autem perceptio claritatis corporalis a ſole prohibetur a nobis per

F aliquod obſtaculum interpoſitum: ita & claritas gratiæ prohibetur ab anima per peccatum commiſſum, quod diuidit inter nos, & Deum. Iſa. 59. ſcilicet, Iniquitates veſtræ diuiſerũt inter vos, & Deum veſtrum. Vnde ipſa macula, quantum in ſe eſt, non ponit de eſſentia ſua, niſi priuationes gratiæ: ſed ponit vt cauſam obſtaculum peccati, ꝙ obſtat ad gratiæ receptionem. Et ob hoc etiam macula, tenebra dicitur ratione prædictæ ſimilitudinis. hoc Thom. Aliquando autem magiſter vocat iſtam maculam fętorem peccati. 4. Sent. 18. Iſa 59.

Quintum in peccato eſt tenebra, & ob hoc aſſignat Magiſter ſpecialiter quarto, Sent. diſtin. decimaoctaua, capitulo primo, & de hoc quærit diſt. eadem, capitulo vltimo ſcilicet. Hic quæritur, quæ ſit illa macula, quæ ſint illæ tenebrę interiores, a quibus Deus animam pur-

G gat, & reſpondet dicens, de tenebris, & interiori caligine ſatis facilè eſt reſpondere: cum enim quis mortaliter delinquit, & gratia virtutis priuatur, ſecundum quam præceſſit, & naturalium bonorum patitur læſionem, vnde intellectus obtunditur, & totus interior homo obtenebratur, & ita quædam caligine mens obuoluitur, quæ caligo peccati pœna eſt. Iſtam ponit diſtinctius ſpecialiter Magiſter, a macula eodem capit. Sed Sanctus Tho. dicit maculã, et tenebras in peccato dicit idẽ eſſe: ſed macula vocatur inquantum eſt priuatio gratiæ, vel decoris, tenebra autem inquantum eſt obſtaculum quoddam, vel poſitio inter ipſum peccatum ad non recipiendum gratiam, & Dei claritatem.

Sextum eſt reatus, & idem eſt quod obligatio, quia

H reatus à reo dicitur, & iſta eſt in quolibet peccato, ſiue in originali, ſiue in mortali, ſiue in actuali, ſiue in veniali, & inſurgit ex lege Dei, nam ſicut in legibus humanis cauetur, quod occidens hominem, aut vulnerans tali pœna plectatur, ſi quis autem contra illam legem fecerit, illico eſt obligatus ad tolerandam illam pœnam legis, & iſta obligatio non inſurgit niſi ex lege, cui dedit vires legiſlator: ita in diuinis eſt, quod ſi quis peccauerit mortaliter, puniatur in inferno: ſtatim ergo vt ſi quis peccauerit inſurgit ei iſta obligatio, ſcilicet vt puniatur in æternum, ſimilis modus loquendi eſt Gene. tertio, ſcilicet quacunque hora comederis morte morieris, ideſt obligaberis ad moriendum. De iſto reatu dicit Sanctus Thom. quod ſit obligatio ad pęnam, & dicit, quod ſicut in peccato mortali ſunt duo, ſcilicet auerſio, & conuer-

I ſio. Ita eſt duplex reatus. Nam ex parte auerſionis conſequitur reatus pœnæ æternæ, ex parte conuerſionis ad creaturam manet reatus ad pęnam temporalem. De hoc ſanctus Thom. 4. Senten. diſt. 18. q. tertia, articulo ſecundo, & tertia parte ſummæ. q. 86. art. 4. & prima ſecundæ. quęſt. 87. per totum.

Septimum eſt in peccato pœna, quæ pro peccato debetur, & ad hanc eſt reatus ſiue obligatio, vt diximus, quædam eſt obligatio ad pœnam directè æternam, & alia eſt temporalis, ideſt ad pœnam temporalem, ſiue quæ debetur pro commiſſione, ſiue, quæ manet abolito reatu mortis æternæ per contritionem, & gratiam.

Octauum eſt in peccato pronitas ad malum. Et iſta

K inſurgit naturaliter ex peccato, nam teſte Ariſt. 2. Ethic. generationes & corruptiones habituum fiunt ex eiſdem ideſt ex ſimilibus, ſcilicet, ex hoc, quòd eſt iuſtum facere, efficitur quis iuſtus: ideo omnis actus naturaliter eſt generatiuus alicuius habitus talis, qualis ipſe eſt, & quia non poſſunt interdum ex quolibet actu gigni habitus, cum ſit habitus qualitas quædam radicata in ſubiecto, & difficile mobilis, gignitur ſaltem diſpoſitio ad habitum ex actu, ideo diſtinguit Ariſtot. in prima ſpecie qualitatis habitum & diſpoſitionem. Cum ergo quodlibet peccatum actuale ſit actus malus, ſequitur naturaliter ex eo pronitas ad malum, quæ eſt habitus, vel diſpoſitio. De hoc ſanctus Thom. 3. ſent. diſtin. 34. articulo primo, in corpore quæſtionis, & in multis locis.

CAPITVLVM V.

In quo declaratur de octo, quæ ſunt in peccato, & an abſoluantur ab omnibus, & quibus non.

PRæſuppoſitis his conſiderandum eſt, quod iſtorum octo, quæ poſita ſunt eſſe in peccato, quædam abſoluuntur, vel vt melius dicamus a quibuſdam ipſorum abſoluuntur. Et alia ſunt, quæ dimittuntur, vel tolluntur, alia ſunt, à quibus nec abſoluimur, nec tolluntur nobis nec dimittuntur, ſed per ſe ceſſant, & abſolutione, aut remiſſione non indigent, immo nec illam ſuſcipere poſſunt.

De primo, quod erat in peccato, ſcilicet actu poſitiuo eſt dicendum, quod non abſoluimur ab illo, nec tollitur nobis ille actus, nec dimittitur, ſed per ſe eſſe ceſſat, & non indiget abſolutione, nec remiſſione, eſſet namque ridiculum, quod quis abſolueretur ab actu poſitiuo fornicandi, vel quod ille nobis tolleretur, quia ille non manet, & nihil omnino eſt eo tempore, quo Deus per contritionem dicitur nos abſoluere, vel ſacerdos abſoluit nos in ſacramento, & de eo quod nihil omnino eſt, nullus poteſt abſolui: Iſtud tenet Sanctus Tho. quarto, Sent. diſtin. decimaquarta, quæſt. 1. articulo ſexto, in ſolutione ad tertium argumentum. vbi cum diceret, quòd non poſſet quis dolere de peccato, quod iam tranſiuit, reſpondet quòd tranſiuit peccatum quantum ad actum, & tamen manet quantum ad reatum, qui eſt præſens, & de illo dolemus. Et in hoc nemo facit difficultatem in re, nec in modo loquendi, quia nemo vnquam ſic locutus eſt, quòd diceret alteri, abſoluo te à reatu peccati.

Secundum in peccato eſt culpa, de qua ſecũdum veritatem, propriè aſſumendo, vt ſupra accepimus, dicendum, quòd nemo ab illa abſoluitur, nec poteſt abſolui, nec etiam culpa tollitur aut dimittitur, ſed ipſa per ſe ceſſat eſſe, quia, vt ſupra diximus, culpa eſt quædam priuatio debitæ circumſtantiæ in actu, & accidens priuatiuum actus. Sic eſt cæcitas, quæ eſt accidens priuatiuũ oculi, & tamen actus poſitiuus tranſiuit, quia non durauit niſi per momentum. ideo includit contradictionem, quòd accidens ſuum priuatiuum maneat. Et ſicut actus poſitiuus peccati non durat, niſi per momentũ, vel paruo tempore, ita culpa non manet niſi paruo tempore, & ſic impoſſibile eſt, quòd culpa tollatur, vel quòd dimittatur per Deum, non quidem quaſi Deus non poſſet tollere, vel nollet tollere, ſed quia antequam homo conuertatur ad Deum per contritionem, & Deus infundat ei gratiam, culpa deſiuit eſſe.

Amplius tertium in peccato erat offenſa, & iſta poteſt dupliciter accipi, vno modo offenſa pro eo, quòd formaliter dicitur aliquis offendere alterum, & tunc actus malus dicitur offenſa, inquantum in eo eſt quędam prauitas, vel inæqualitas oppoſita iuri, & debito, ſecundum quam iuſtè offenditur ille, contra quem talis actus committitur.

Alio modo accipitur offenſa pro effectu offenſæ, id eſt pro quadam indignatione iuſta conſecuta ex parte eius, contra quem committitur ille actus. Accipiendo primo modo non manet offenſa Dei tranſeunte actu peccati, quia fundatur in actu poſitiuo ſicut de culpa. Et hoc modo non poteſt quis abſolui ab offenſa Dei, nec etiam Deus tollit illam, nec remittit ſicut diximus de culpa, ſcilicet, quia quando homo dolet de peccato, & Deus infundit gratiam, iam nõ inuenit offenſam illam, quam dimittere poſſit.

Accipiendo ſecundo modo offenſam pro effectu offenſæ, ſcilicet pro indignatione conſecuta. Dicendum quòd iſta manet poſt actum peccati, & quamdiu manet iſta indignatio dicitur manere peccatum, quia tũc Deus imputat illud nobis ad pœnam. Et huic offenſæ opponitur gratia Dei ſcilicet quia ex oppoſito diſtinguitur eſſe in gratia Dei & in indignatione eius, ſic accipitur Pſal. 29. ſcilicet quoniam ira in indignatione eius, & vita in voluntate eius, id eſt ex indignatione Dei ſequi-

A tur nobis ira, id eſt pœna. Sic dicitur Pſal. 77. Miſit in eos iram indignationis ſuæ, id eſt pœnam procedentem à ſua indignatione. Et vita eſt in voluntate eius id eſt in eo, quòd nobis placatus eſt: ſcilicet quia quando nobis placatus eſt, dat nobis vitam, & hoc eſt eſſe in gratia eius. Sic etiam accipit Beatus Tho. de Aquino 3. parte ſummæ. quæſt. 86. art. 2. ſcilicet cum enim peccatum ſit Dei offenſa, tunc Deus peccatum remittit, quando remittit offenſam in ſe commiſſam, offenſa autem opponitur gratiæ. Ex hoc autem aliquis dicitur alteri offenſus, quia repellit eum à gratia.

De iſta autem offenſa dicendum, quòd homo non abſoluitur ab ea, nec Deus dicitur hominem abſoluere ab offenſa, ſed dicitur ei remittere eam, vel tollere illam. De remittere patet per Sanctum Tho. 3. parte ſummæ.
B quæſt. 86. art. 2. vbi ſup. ſcilicet cum peccatum ſit Dei offenſa, tunc Deus peccatum remittit, quando remittit offenſam. Et iterum ibi dicit. Poteſt contingere, quòd homo remittat alicui offenſam, qua offenſus eſt abſque mutatione voluntatis eius. Non poteſt autem contingere, quòd Deus remittat alicui offenſam abſque mutatione voluntatis eius.

Quartum in peccato eſt macula, & iſta manet in voluntate poſt actum peccati, quouſque homo conuertatur ad Deum, & tunc ceſſat macula, quæ cum nihil ſit, niſi priuatio pulchritudinis in anima, quæ pulchritudo ſit per gratiam, & claritatem diuini luminis, ideo impoſſibile eſt, ꝙ adueniente gratia maneat macula, ſicut impoſſibile eſt, quod aduenientibus veſtibus maneat nuditas.

Sciendum tamen, quòd licet macula tollatur per gra-
C tiam, ſicut offenſa vel indignatio, tamen offenſa tollitur directè, eo quòd offenſa opponitur gratię, macula autem non opponitur directè, ſed ſolum eſt priuatio eius, & tamen adueniente gratia, neceſſe eſt maculam tolli, vel ceſſare. Sicut adueniente virtute viſiua poſtquam perierat, vel nunquam fuerat, neceſſe eſt tolli, vel ceſſare cęcitatem.

Eſt autem conſiderandum, quòd licet macula ſit priuatio gratiæ, & priuationes eiuſdem ſpeciei non multiplicentur in ſubiecto numeraliter, tamen ad quodlibet peccatum conſequitur vna ſpecialis macula. Ratio eſt, quia macula non ſolum dicit priuationem gratiæ, ſed etiam dicit habitudinem ad cauſam, vel obſtaculum per quod priuatur, & quia obſtacula ſunt tot, quot ſunt
D peccata, tot ſunt maculæ, quot peccata. Hoc tenet B. Th. de Aquino. prima ſecundæ. quæſt. 86. artic. 1. in corpore & ſolutione ad primum argumentum. Et ob hoc dicit, quòd eſt de macula ſicut de vmbra, quæ eſt priuatio lucis cauſata ex obiecto corporis, & ſecundum diuerſitatem corporum obiectorum diuerſificantur vmbræ. Ab iſta macula non dicitur aliquis abſolui, ſed dicitur macula ceſſare, ſcilicet adueniente gratia, vel dicitur tolli, aut abſtergi, vel purgari, vel remitti. Iſta ſunt verba, quibus communiter vtuntur Doctores circa maculam. De primo patet per Beatum Tho. prima ſecundæ. q. 86. art. 2. in corpore. ſ. ſed poſtquam redit ad lumen diuinũ, & lumen rationis, quod fit per gratiam, tunc macula ceſſat. De abſtergi patet per Magiſtrum 4. Sent. diſt. 18. c. 2. ſ. Sed quæritur vtrum ſacerdos culpæ maculam abſtergat. de tolli patet per Sanctum Tho. prima ſecundæ.
E q. 86. art. 2. in ſolutione tertij arg. ſcilicet Actus peccati facit diſtantiam à Deo, per quam quidem diſtantiam ſequitur defectus nitoris, hoc modo, ſicut motus localis facit diſtantiam localem. Vnde ſicut ceſſante motu locali non ceſſat diſtantia loci, ita nec ceſſante actu peccati, tollitur macula. De remiſſione maculæ, ſiue peccati, quantum ad maculam, patet per Sanctum Tho. 4. Sent. diſt. 14. q. 2. art. 2. De purgatione maculæ patet per Magiſtrum 4. Sent. diſt. 18. c. vltimo. vbi dicit, quæ igitur macula manſit, a qua impurum purgatur. Et hoc ſæpè repetit. eod. c. Vbi etiã dicitur macula lauari per metaphoram ad maculam corporalem.

Quintum in peccato, ſecundum modum loquendi Magiſtri, eſt tenebra, quam Sanctus Thom. non diſtinguit a macula, ſed dicit vocari maculam, & tenebras

diuerſa ratione, ſcilicet, quia cum anima à Deo auertitur, perdit pulchritudinem ſpiritualem, & priuatio illa eſt macula. Et cum illa pulchritudo conſiſteret per diuinum lumen, & tenebra eſt priuatio luminis, vocatur etiã tenebra iſta macula, de quo Sanctus Tho. 4. Sent. diſtin. decimaoctaua, quæſt. 2. artic. 1. Quia tamen ſecundum Magiſtrum diſtinximus maculam à tenebra, dicendum quod tenebra manet in homine recedente à gratia. Vnde licet tranſeunte actu peccati & etiam culpa, maneat tenebra cum macula quouſque homo de peccato doleat, tamen cum dolere incipit & gratia confertur, neceſſe eſt tenebram deſinere. Quia cum tenebra ſit quædam priuatio diuini luminis, & iſtud lumen eſt in nobis per gratiam, per quam anima irradiatur, & adornatur, ſicut per quendam nitorem facies ornatur, neceſſe eſt ꝙ redeunte gratia, ſiue lumine diuinę gratiæ, quod non differt a gratia, niſi ſecundum rationem, tenebra, quæ erat priuatio, ceſſet, ſicut aduenıente virtute viſiua ceſſat cęcitas.

Dicendum autem, quòd ab iſtis tenebris non dicitur aliquis abſolui, nec reperiuntur Doctores ſic locuti, ſed dicitur tenebra auferri, vel ab ea quis liberatur, vel curatur, aut pellitur, vel mundatur. De auferri patet per Sanctum Tho. 4. Sen. diſt. 18. quæſt. 2. artic. 2. in corpore, cum ait: Dicendum, quod macula obſcuritatis, ex interpoſitione cauſata, non poteſt auferri, niſi obſtaculum interpoſitum amoueatur. Et vocatur macula obſcuritatis tenebra peccati, & illa aufertur. De liberatione patet per Magiſtrum 4. Sent. diſt. 18. cap. 2. cum ait. Patitur enim per peccatum quaſdam tenebras interiores, & maculas, a quibus niſi liberetur, proijcietur in tenebras exteriores. Cum autem liberatur ab his, ſcilicet, tenebris, ſuſcitatur à morte peccati. Vnde Apoſtolus. Surge, qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus. Quod autem tenebra pellatur, patet per Magiſtrum eodem cap. cum ait. Solus enim Chriſtus, & non ſacerdos animam reſuſcitat, ac pulſis tenebris interioribus, & maculis eam illuminat. Quod tenebræ curentur, patet per Magiſtrum eodem cap. cum dicit. Cum peccator dupliciter ligatus teneatur, ſcilicet mentis contagione, & cęcitate, & debito pœnæ æternæ, alterum curari per Deum, alterum ſolui per ſacerdotem. Et refertur curari ad cęcitatem, ſiue tenebram, & ſolui ad debitum pęnæ æternæ. De mundatione tenebræ patet per Magiſtrum eodem, c. ſcilicet, & pulſis tenebris interioribus, & maculis eam illuminat, & mundat. Et iterum ibidem dicit. Quia vt aiunt ipſe interius animam à caligine maculaq; peccati emundat, & caligo eſt iſta tenebra, de qua loquimur.

Sextum in peccato eſt reatus, id eſt obligatio, quod Magiſter Sen. diſt. 18. ſolet vocare debitum æternæ mortis. Et idem eſt, quia debitum, & obligatio ad idem pertinent. Iſte reatus manet poſt peccatum, & de hoc communiter dicitur, quòd peccatum tranſit actu, remanet tamen reatu, id eſt tranſit quantum ad actum, & remanet quantum ad reatum, quia reatus, id eſt obligatio pro actu culpabili manet. Et iſte reatus vocatur aliquando reatus culpæ, aliquando reatus pœnæ. Vocatur reatus pœnæ, id eſt obligatio, qua formaliter ſumus obligati ad pęnã. Vocatur reatus culpæ, id eſt effectus culpæ, quia ex culpa directè ſequitur obligatio iſta ad pęnam, inquantum culpa eſt quædam priuatio ordinis vituperabilis, cui pœna correſpondet. Vocatur interdum reatus maculæ, vel macula reatus, inquantum aliquo modo reatus cauſatur propter maculam. Sic accipit Magiſter 4. Sen. diſt. 18. c. 1. dicens: Ideo quæro cum ante pœnitudinẽ quippe cordis anima reatus maculam habeat, & fętorem peccati, atque ęternę vitiosis vinculo ligata exiſtat &c. & hoc etiam dicit ſanctus Thomas. 2. ſen. diſt. 42. art. 1. in corpore, cum ait. Pęna recompenſat defectum in ſtatu vniuerſi, vel etiam reipublicæ propter ordinem iuſtitiæ, qui in pœna apparet, non autem defectus quilibet ad pœnam obligatur, ſicut ſunt defectus quidam inuoluntarij magis miſericordiam, quam iram prouocantes, ſed illi ſolũ defectus, qui ex actibus voluntarijs relinquuntur pœnam merentur in eo, quod voluntarie defectum inducunt, vnde cum tranſeunte actu defectus remaneat, oportet

F tet etiam, quòd maneat reatus poſt actum. Idem patet ibidem in ſolutione 1. & 2. Argu. cum dicit. Ad primum dicendum, quòd cauſa proxima reatus, eſt defectus ipſe per actum peccati inductus, actus vero eſt cauſa remota. Vnde non oportet, quòd tranſeunte actu reatus tranſeat, & non poteſt intelligi ibi defectus pro defectu circumſtantiarum, quem ſemper culpam vocamus, quia illa non poteſt manere. Nam cum circomſtantia non fundetur, niſi in actu, non poterit eſſe circumſtantia, nec priuatio circumſtantiarum, niſi in actu, & quando actus eſt, ſicut cum potentia viſiua in oculo ſit, non poterit eſſe potentia viſiua, nec cęcitas, quæ eſt priuatio illius, niſi quando oculus eſt, quia alias eſſet accidens ſine proprio ſubiecto. Quod non eſt poſſibile, cum talia accidentia per ſolum ſubiectum accipiant eſſe, & etiam rationem
G ſpecificam largè loquendo, ideò non ſolum non poteſt cæcitas eſſe ſine oculo per aliquam potentiam, ſed etiam includit contradictionem. Intelligitur ergo de defectu, qui eſt carentia gratiæ, quam vocamus maculam, & non de defectu, qui eſt culpa. Nam defectus, qui eſt macula, manet vſque ad contritionem de peccato. Defectus, qui eſt culpa tranſit cum ipſo actu, cum ſit accidens eiuſ, hoc idem patet ex verbis prædictis Sancti Thom. Nam ait in ſolutione 1. Arg. ibidem, quòd cauſa proxima reatus eſt ipſe defectus per actum peccati inductus. Defectus autem circumſtantiarum, qui eſt culpa, non eſt inductus per actum peccati, quia quod inducitur per actũ peccati, eſt poſterius actu peccati, & eſt effectus eius. Defectus autem circumſtantiarum eſt in ipſo actu, ſicut cæcitas in oculo, quia circũſtantiæ ſunt accidentia actus,
H ita priuationes circumſtantiarum ſunt accidentia priuatiua actus, & ſunt in eo, & non poſt eum. Ideo neceſſe eſt intelligi de defectu, qui eſt priuatio gratiæ, quia priuatio gratię, eſt quidam effectus defectiuus, vel priuatiuus inductus per actum peccati. Iſte reatus, vt dictum eſt manet ſimul cum illo defectu gratię, id eſt macula, & de hoc dicit Magiſter 2. Sen. diſt. 42. quòd peccatum interdum trãſit actu, & manet reatu. Iſte reatus propriè nihil eſt, niſi obligatio ad pœnam, ſiue temporalem, ſiue æternam, ſic ait Sanctus Tho. 2. Sen. diſt. 42. artic. 1. in corpore cum ait, dicendum quòd reatus dicitur, ſecundum quòd aliquis eſt reus pœnæ, & ideò propriè reatus nihil aliud eſt, niſi obligatio ad pœnam. Accipitur autem reatus tripliciter, vno modo pro obligatione ad pęnam, vt dictum eſt, alio modo pro culpa, & aliquando pro
I pœna, vt patet per Magiſtrum. 2. Sent. diſtin. 42. cum ait: Reatus autem multipliciter aſſumitur in ſcriptura, ſ. pro culpa, & pro pœna, & pro obligatione pęnæ temporalis, vel æternæ. Sic etiam tenet Sanctus Tho. ead. diſt. art. 1. reatus nihil aliud eſt, quam obligatio ad pęnam. Et quia hic obligatio quodammodo eſt media inter culpam, & pęnam, ex eo, ꝙ propter culpam aliquis ad pœnam obligatur, ideo nomen medij tranſumitur ad extrema, vt interdum ipſa culpa, vel etiam pœna reatus dicatur, vt in litera dicitur. Conſiderandum vlterius, quòd ſecundum beatum Tho. interdum dicitur, ꝙ culpa eſt cauſa reatus. De defectu, vel macula, quod idem eſt ſecundum Sanctum Tho. quod cauſa reatus. Patet 2. Sent. diſt. 42. art. 2. in reſponſione ad primũ arg. ſcilicet. Dicendum, ꝙ cauſa
K proxima reatus eſt ipſe defectus per actum peccati inductus. Idem patet in ſolutione ad 2. arg. ſ. dicendum, ꝙ nõ ſolum, quia verum eſt dicere aliquem actum peccati quandoque egiſſe, ad pœnam obligatur, quia ſi ſic eſſet, quandocunque eſſet verum dicere eum hoc feciſſe, eſſet pœnæ obnoxius, ſed quia defectus manet in ipſo adhuc propter actum, quem prius egit, ideo tenet in arg. 4. eiuſdem art. quem ipſe tenet poſtea pro veritate, cum ait: Si dicas, ꝙ non manet reatus poſt actũ propter effectũ prædictum, ſed maculam. contra, quia macula illa, ſi non ſit diſpoſitio, vel habitus, non põt eſſe aliud, ꝗ̃ gratiæ priuatio, ſed priuatio gratię eſt cõis omnibus mortalibus, ergo ex omnibus mortalibus manet vna macula, & ita vnus reatus, quod eſt falſum. Et iſtud tenet ipſe, & rñdet ad hoc inconueniens in ſolutione 4. arg. ibi tenens, ꝙ macula ſit cauſa reatus, & tamen, ꝙ ſingulorum peccatorum

mortalium

mortalium ſint ſingulæ maculæ, & ſinguli reatus, idem patet in corpore eiuſdem art. cum ait Cum autem pœna ſit medicina quædam, vt ait Philoſophus 2. Ethic. medicina vero non eſt, niſi contra defectum aliquem, oportet, quod ad pœnam pro defectu aliquo obligetur, & tamẽ obligatio ad pœnam vocatur reatus. Quod autem culpa ſit cauſa reatus, tenet Sanctus Thom. eod. art. in corpore, cum ait. Reatus nihil aliud eſt, niſi obligatio ad pęnam, & hæc obligatio quodammodo eſt media inter culpam & pœnam, ex eo, ꝙ propter culpam aliquis ad pęnam obligatur, ergo culpa eſt cauſa reatus. Idem patet per eũ prima ſecundæ. q. 87. art. 6. in corpore cum ait: Actus enim peccati facit hominem reum pœnæ, inquantũ trãſgreditur ordinem diuinæ iuſtitiæ, & tamen iſta tranſgreſſio, vel priuatio ordinis, ſiue debitarum circumſtantiarum eſt ipſa culpa, vt ſæpè dictum eſt. Ideo ipſe vult, quod culpa faciat hominem reum. Idem patet prima ſecundæ, q. 87. art. 7. vbi quærit an omnis pœna ſit propter aliquam culpam. Et reſpondet, quòd ſic, inducẽdo multa. Idem tenet 3. parte ſummæ, q. 86. art. 4. 1. arg. cum ait. Remota cauſa remouetur effectus, ſed culpa eſt cauſa reatus pœnæ, &c. Etiam ibidem in corpore quæſtionis dicit, quod in peccato mortali ſunt duo. ſ. auerſio a bono incommutabili, & conuerſio ad bonum commutabile. Ex parte autem auerſionis a bono incommutabili cõſequitur peccatum mortale reatus pœnæ æternæ, ex conuerſione autem ad bonum commutabile, inquantum eſt inordinata, conſequitur peccatum mortale reatus alicuius pœnæ, ſ. tẽporalis, & tamen iſta auerſio, & conuerſio ſunt ipſa culpa quia vtrumque eſt priuatio debitarum circumſtantiarum. Et hoc tenet Sanctus Tho. in eod. ar. in ſolutione 1. arg. cum ait: Culpa mortalis habet vtrunque, ſ. auerſionem a Deo, & conuerſionem ab bonum cõmutabile. Et ibi reperitur ad reatũ pœnæ æternæ, & temporalis, propter culpam ex parte auerſionis.

Iſta apparens diſcordia in verbis beati Thom. quæ non eſt in rebus, tollitur per diſtinctionẽ de cauſa, quia cum dicitur, quod culpa eſt cauſa reatus, & quod defectus, vel macula ſit cauſa reatus, vtrunque verum eſt, ſed non accipitur cauſa eodem modo vtrobique. Et ſciendum, quod reatus habet duplicẽ cauſam, vna eſt, vt fiat, vel producatur in eſſe, alia eſt, vt conſeruetur, & non facit totum eadem cauſa, ſed duæ, ſicut omnes res artificiatæ, vt domus, & ſimilia, & omnia naturalia producta, vt homo, & lapis habent aliam cauſam ad eſſendũ, & aliam in eſſendo, vel conſeruando. Nam cauſa ad eſſendum eſt artifex in omnibus artificiatis, & in naturalibus eſt gignens, vel producens, quod vocamus efficiens. Cauſa in eſſendo, vel conſeruando in artificiatis eſt ſola materia, quia forma artis non dat ſpeciem, ſed manet artificiatũ in ſpecie materiæ ſuæ, ſcilicet lapidis, ferri, vel ligni, & per illam conſeruatur. In naturalibus autem cauſa in eſſendo eſt materia, & forma ſimul, quia ambæ complent eſſentiam compoſiti naturalis, licet forma det eſſe materiæ, ita in reatu. Habet enim vnam cauſam, vt ſit, & iſta eſt culpa, quia directe ex culpa ſequitur reatus, cauſa autem reatus in eſſendo, & permanendo ſiue conſeruando non eſt culpa, ſed macula, ſiue defectus, vt loquitur Sanctus Thom. Et patet hoc, quia ſi culpa eſſet cauſa in conſeruando ipſum reatum, neceſſe eſſet, quod aut reatus ſolum maneret, quaſi per inſtans, aut in æternum, & vtrumque eſt falſum. Patet hoc, quia aut reatus manebit, q̃a culpa actualiter manet, aut quia ſemel per illam eſſe cœpit, etiamſi illa eſſe deſinat, ſi primo modo, cum culpa, vt dictum eſt ſit priuatio circumſtantiarum fundata in acto, non manebit, niſi quãdiu maneat actus, & ſic reatus ſolum eſſet quamdiu duraret actus peccati in fieri, ſi ſecundo modo duraret reatus in æternum, quoniam poſtquam aliquis culpam cõmiſit, erit verum in æternum, quod culpam commiſerit, & nunquam poterit tolli, quin fuerit culpa commiſſa, ergo ſemper manebit reatus. Iſtam rationem facit Sanctus Thom. 2. Sent. 42. art. 2. in primo, & ſecundo argu. cum ait. Videtur, quod poſt actum peccati reatus non maneat, ceſſante enim cauſa ceſſat effectus, ſed aliquis non eſt reus pœnæ, niſi propter actum, ergo poſt actum non remanet reatus. Si dicas, quod aliquis eſt reus pœnæ, non ſolum quod facit, ſed indifferenter, quia hoc facit, vel quia hoc fecit; contra manente cauſa manet effectus, ſed ex quo aliquis actum peccati fecit, non poteſt illud non feciſſe, quia vt quod præteritum eſt non fuerit, etiam nec Deus facere poteſt, vt in primo libro dictum eſt diſtinctio. 13. ergo nunquam aliquis a reatu culpæ poteſt abſolui. Et iſta duo argumen. tenet pro vero S. Thom. vt patet ex ſolutionibus eorum. Oportet ergo dici, quod in efficiendo, vel creando reatum culpa ſit cauſa, & tamen in conuerſando reatum ſola macula eſt cauſa. Et ita non durat reatus ſolum per inſtans, vel in æternum, quia durat quamdiu durat macula, & iſta manet quouſque per gratiam tollatur, ſcilicet quando homo conuertitur per contritionem ad Deũ, qui eſt bonum incommutabile, a quo per culpam fuerat auerſus, & tunc tollitur reatus pœnæ æternæ. Sic tenet Sanctus Thom. 3. parte ſum. quæſtio. 86. artic. quarto, in corpore quæſtionis. Sic etiam prima ſecundæ, q. 87. art. 6. in corpore.

Et iſta diſtinctio, quam nunc dedimus de cauſa duplici ipſius reatus, innuitur per Sanctum Thom. 2. Sent. diſt. 42. art. 2. in ſolutione 2. arg. cum ait: Dicẽdum, quod non ſolum, quia verum eſt dicere aliquem actum peccati aliquãdo egiſſe, ad pęnam obligatur, ergo verum eſt, quod quia peccatum egit, ſcilicet propter culpam obligatur ad pęnam, & tamen non eſt iſta tota cauſa, ſed adhuc aliqua alia, ſcilicet macula. Et patet hoc ex verbis eius ſequentibus, ſcilicet; quia ſic quodcunque verum eſſet dicere eũ hoc feciſſe eſſet pęnæ obnoxius, ſed quia defectus manet in ipſo adhuc propter actum peccati, quem prius fecit. Et ſic culpam, & defectum ponit cauſas reatus, ſed non poſſunt eſſe cauſæ in eodem genere, erunt ergo, ſicut ſupra dictum eſt. Patet etiam ibidem ex reſponſione ſecundi argumen. eius cum ait: Dicendum, quòd cauſa proxima reatus eſt ipſe defectus per actũ peccati inductus, actus vero, eſt cauſa remota, actus tamen non eſt cauſa reatus ſecundum ſe, ſed ſecundum, quod in eo eſt quædam tranſgreſſio ordinis diuinæ iuſtitiæ, vt patet prima ſecundæ, quæſtio. 87, artic. 6. in corpore, & illa tranſgreſſio eſt culpa, vt dictum eſt, & ſic culpa ſecundum Sanctum Thomam eſt cauſa remota reatus, ſcilicet in efficiendo, & defectus ſiue macula, eſt cauſa proxima, quia conſeruat: vocat tamen ipſe culpã cauſam remotam, ideſt priorem, vel antecedentem, quia non ſolum eſt cauſa reatus, ſed etiã maculæ, ipſa vero macula, vel defectus eſt cauſa proxima, quia ita eſt cauſa reatus. Quod tamen ſit cauſata a culpa, ſicut reſpectu hominis geniti homo gignens, & corpora cœleſtia, & intelligentiæ ſunt cauſæ, ſolus tamen homo gignẽs eſt cauſa proxima, quia ſolum eſt cauſa cauſati, & non alterius cauſæ.

Iſte reatus, ſiue pœna æterna, ſiue temporalis eſt, a quo homo propriè abſoluitur, vel a quo, dicitur non abſolui; & non culpa, vel ab aliquo alio. De quo infrà dicetur magis, quia iſtud eſt principium, quod intendimus, ſcilicet quòd a culpa non fiat abſolutio propriè loquendo, ſed à reatu.

Septimum in peccato erat pęna correſpondens, & iſta non propriè dicitur eſſe in peccato, ſed pro peccato, quia eſt aliquid ſeparatum, & diſtans a peccante. Et peruenit a principio extrinſeco inquantum eſt inuoluntaria & iſta eſt minus pertinens ad peccatum, quam cętera prædicta, quia cum aliquis peccat, neceſſe eſt, quod ſint in eo omnia ſex ſupradicta, & octauum, de quo infra dicetur, & per ſeipſa ſequuntur nullo imponente: illa pęna autem non eſt ſic, quia non erit niſi quis illã inſligat, & interdum peccata committuntur, & pęna nulla conſequitur, ſicut in hoc ſeculo, licet omnia puniantur in futuro, quæ hic impunita euaſerint.

De pœna autem ſiue ſit æterna, ſiue temporalis, quæ pro peccato debeatur. Dicendum eſt, quod proprie loquendo non tollitur, nec dimittitur, nec aufertur, nec ab ea quis abſoluitur per Deum aut per ſacerdotẽ, qui a

non

nõ poteſt tolli, nec dimitti niſi quod eſt, nec poteſt quis
abſolui niſi ab eo, quod eſt, & tamen quando homo ad
Deum conuertitur, aut quando per ſacerdotem in foro
pœnitentiali abſoluitur, pœna nulla pro peccato inflicta
eſt, æterna aut temporalis, ideo impoſſibile eſt, illam
tunc remitti, vel hominem ab ea abſolui. Aliud ergo
eſt, à quo homo abſoluitur per Deum, & per ſacerdotẽ,
& non à pœna, de quo infra dicetur. Et hoc verum, niſi
loquaris de pœna, quæ eſt remorſus conſcientiæ. Nam,
vt ait Sanctus Tho. prima ſecundæ, quæſt. 87. artic. 1. in
corpore, per peccatum fit homo reus triplicis pęnæ, ſe-
cundum, quod homo præuaricatur tres ordines, quibus
ſubijcitur. Eſt vnus ordo rationis; alius ordo œconomi-
cus vel politicus, qui eſt, humanæ communicationis,
alius eſt ordo vniuerſalis diuini regiminis, pro primo
eſt, quædam peccati pęna, quæ à ſeipſo ſcilicet, conſcē-
tiæ remorſus, de qua dicit Auguſt. in lib. cõfeſſion. Iuſ-
ſiſti Domine, & ſic eſt, quod pęna ſit ſibi omnis inordi-
natus animus. Iſta pęna ſequitur immediate poſt pec-
catum, in quibuſdam hominibus, in alijs autem nun-
quam eſt, ſicut in illis, qui venerunt in profundum ma-
lorum, qui cum male fecerint, gloriantur. Habebunt au-
tem in inferno iſtum remorſum pro pœna. Sap. 5. & Iſa.
vlt. ſcilicet. Vermis eorum non morietur & cet. Et lo-
quitur de verme conſcientiæ, quem remorſum appel-
lamus. Et tamen in hominibus illis, in quibus iſta pę-
na remorſus ſequitur immediate poſt peccatum, non
operatur aliquid Deus circa iſtam nec ſacerdos, ſed pę-
na æterna eſt, circa quam Deus ſolus operatur directè
remittendo obligationem ad illam; pœna temporalis
eſt, à cuius obligatione in toto, vel in parte abſoluit ſa-
cerdos per claues. Pęna autem remorſus in præſenti
ſeculo, ſicut per rationem cauſatur, ita per rationem eſ-
ſe deſinit modo naturali, & ad hoc claues Eccleſiæ ni-
hil operantur, nec operari eſt conueniens. Sicut etiam
poſtquam homo abſolutus eſt de peccato, dolet homo,
quia peccauit, & tamen iſta triſtitia non tollitur per
Deum, nec per claues Eccleſiæ.

Octauum, & vltimum in peccato eſt, habitus vel di-
ſpoſitio, quæ ex peccato cauſantur, quando eſt peccatũ
actuale. Et vocatur pronitas ad malum. De quo Sanctus
Thom. 3. Sen. diſtin. 34. artic. 1. in corpore. idem 2. Sen.
diſtinct. 42. artic. 1. in 4. arg. idem prima ſecundæ. quæſt.
86. artic. 1. in 3. argum. in contrarium. Iſta pronitas ad
malum, ſiue ſit habitus, ſiue diſpoſitio non tollitur per
virtutem ſacramentorum, nec per actus miniſtrorum,
& etiam Deus non tollit eam inquantum operatur in
ſacramentis modo communi. Et patet hoc, quia ſacra-
mentum baptiſmi perfectius operatur quam ſacramen
tum pęnitentiæ, quia per baptiſmum non ſolum macu-
læ peccatorum tolluntur, & infunditur gratia, ſed etiam
omnis tollitur obligatio ad pęnam, & baptizatus ma-
net omnino liber. In ſacramento pęnitentiæ non tolli-
tur tota pęna debita id eſt tota obligatio pęnæ ex viri-
bus ſacramenti communiter aut regulariter, niſi aliquã-
do per accidens fiat propter abundantem contritio-
nem, aut alias cauſas, & tamen in baptiſmo non tollitur
fomes peccati, nec pronitas ad peccandum in baptiza-
tis, qui antè baptiſmum circa praua conuerſabantur. Si-
cut patet in nouiter conuerſis ad Chriſtum: à fortiori er-
go erit in ſacramento pęnitentiæ. Et apparet manifeſtè,
quia aliqui confitentur de peccatis, ad quæ poſt confeſ
ſionem illico redeunt propter inclinationem manen-
tem ex priſtina conuerſatione: iſta autem per ſacramen-
tum non tollitur, nec miniſter eccleſiaſticus poteſt quic
quam ſuper illam ex virtute clauium. Deus autem po-
teſt tollere illam delendo omnino, cum nihil ſit ei im-
poſſibile, & tamen regulariter non tollit illam, licet
gratiam conferat, quando remittit peccata. Si autem
aliquando tollat illam, hoc fit ex ſpeciali gratia, non
vt concurrit cum ſacramento, & miniſtris eccleſiaſti-
cis, nec etiam vt per ſe dimittit peccata, ſed tanquam
ex ſuperabundanti, & quaſi ex priuilegio iſtud bonum
nobis præſtans. Sicut, cum Deus facit aliquem impec-
cabilem confirmando eum in bono, quod pure ex priui
F legio eſt. Ratio autem quare Deus dimittendo iſta pe-
cata, non tollit iſtam pronitatem communiter eſt du-
plex; prima, & præcipua eſt, quia Deus iuſtificans ho-
minem tollit per gratiam id, quod ſecutum eſt ex actu,
inquantum eſt inordinatus, & eſt peccatum. Et ſic ſunt
macula, & offenſa, & reatus, & tenebræ interiores, quæ
omnia tolluntur cum homo ad Deum conuertitur, &
ipſe ei gratiam infundit. Pronitas autem ad peccandum
non cauſatur ex actu peccati, inquantum peccatum eſt,
ſcilicet, vt eſt deordinatus ſiue contra aliquam legem,
ſed cauſatur naturaliter inquãtum naturale eſt, ex quo-
libet actu gigni diſpoſitionem ad actus alios eiuſdem
ſpeciei 2. Ethi. & nihil eſt magis in ſpeciebus virtutum
quam vitiorum. Ipſum autem, quod naturaliter cauſa-
tur, naturaliter poteſt deſtrui, & non oportet deſtrui per
G actum Dei. De macula, & reatu, & offenſa ſecus eſt, quia
per actum hominis non cauſantur naturaliter, ideo per
nullum actum hominis contrarium tolli poſſunt, & ob
hoc neceſſe eſt, quod per actum Dei infundentis gratiã,
tollatur. Iſta autem pronitas ad peccandum, ſiue ſit ha-
bitus, ſiue diſpoſitio, cauſatur naturaliter per aſſuetudi-
nẽ, ideo poteſt tolli naturaliter p aſſuetudinem ad con-
trarium, Deus ergo non tollet hæc, ſed relinquit nobis,
vt nos ipſi nitamur in contrarium, & per nos ipſos natu
raliter tollamus illam pronitatem.

Secunda cauſa eſt, quia Deus id, quod agit iuſtifican-
do impium, eſt infundere gratiam, & per illam pecca-
tum remittitur, & impius fit iuſtus, ideo neceſſe eſt, ꝙ
omnia, quæ repugnant formaliter gratiæ gratificanti, &
ſecuta ſunt ex peccato, tollantur tunc, qui alias eſſet po-
H nere duas formas contrarias ſimul in eodem, vel priua-
tione oppoſitas, quod eſt impoſſibile, & naturaliter cõ-
traria ſe expellunt. Si autem aliquid ſecutum eſt ex pec-
cato, etiam inquantum peccatum eſt, & illud non dire-
ctè repugnat gratiæ gratificanti, illud manet ſæpè cum
gratia, & non tollitur per iuſtificationem impij.

De primo patet, quantum ad maculam, quia cum ſit
priuatio gratiæ impoſſibile eſt, illam manere collata
gratia, tolluntur ergo omnes maculæ peccatorũ per gra-
tiam. Idem eſt de offenſa, quæ tollitur per gratiam ad-
huc magis directè, quam macula, quia offenſa formali-
ter opponitur gratiæ. Quia per hoc aliquis dicitur alte-
ri offenſus, quod repellit eum a gratia ſua, vt ait San-
ctus Thom. tertia parte ſummæ, quæſtio. 86. artic. ſecun
do, in corpore, ideo tollitur per gratiam. Idem eſt de rea
I tu pęnæ: ipſa namque pęna ſecundum ſe non repugnat
gratiæ, quia conſtat hominem eſſe in gratia, & ſuſtine-
re multas pęnalitates, ſicut erat de ſanctis, & quotidie
accidit: ſed repugnat gratiæ pęna æterna. Non quidem
formaliter, vel naturaliter: ſed ex lege Dei, qui illam pę
nam pro nullo ſtatuit niſi pro inimico: quia qui eſt in
gratia non eſt inimicus: nõ põt ergo eſſe reatus, vel obli-
gatio pęnæ æternæ cum gratia: ideo gratia a Deo colla-
ta ad iuſtificationem impij etiam ipſum reatum pęnæ
æternæ aufert. De ſecundo patet, quantum ad rea-
tum pęnæ temporalis. Nam pęna abſolute, & etiam pę-
na temporalis non opponitur gratiæ gratificanti. Ideo
poſtquam Deus dimittit homini peccata conferendo
gratiam, adhuc relinquit eum obligatum ad pęnam tem
poralem, vt ait Sanctus Thom. tertia parte ſummæ, quę-
K ſtio. 86. artic. quarto, per totum, & prima ſecundæ, quęſt.
87. artic. 6. per totum. Ita iam eſt de pronitate ad peccan-
dum, ſiue ſit habitus ſiue diſpoſitio, quia non repugnat
gratiæ, & poteſt homo ſtare in magna charitate manen-
tibus his. ideo non tolluntur à Deo hæc cum gratiam in-
fundit. Et patet hoc, quia laus, & vituperium in nobis
eſt propter actus, & non propter habitus, & mereri, &
demereri in actu eſt, & non in habitu, nec diſpoſitione.
Sic enim eſt etiam in moralibus, quia propter actus eſt
honor, & præmium, & non propter habitus: primo Ethi
corum, ſcilicet, In olympiadibus non fortiſſimi quique,
ſed pugnantes coronantur. Et ſic poterit aliquis habere
malum habitum, & facere bonum actum, & merebitur;
& è contrario aliquis habebit bonum habitum, & faciet
malum actum, & demerebitur. Patet hoc in homine, qui
ſemper

ſemper fuit malus,& nunc conuertitur ad Deum. Nam per primum actum conuerſionis eſt in charitate, & Deo acceptus meretur,& tñ iſte hēt oēs illos habitus malos, quos prius habuit. Nam cum ſint habitus,& gignantur per plures actus, non poterunt deleri ſimiliter, niſi per multos actus contrarios. Sic & aliquis male operans eſt iuſtus, & luxuriatur, & tñ eſt temperatus. Patet de illo, qui ſemper fuit bonus,& poſtea peccat. Nam in primis peccatis manet adhuc in bonis habitibus, qui non poſſunt per vnicum actum deleri, & ſic non eſt neceſſe, qđ per infuſionem gratiæ à Deo tollatur pronitas ad peccādum, quia non opponitur gratiæ: vnde aliquando tollitur non collata gratia, & aliquando collata gratia non deletur. De primo patet, vt ſi quis peccat mortaliter circa auaritiam, & poſtea non redeundo ad Deum, peccat circa prodigalitatem, quæ ſunt vitia oppoſita, tollitur pronitas, quæ prius erat circa auaritiā, & inducitur pronitas ad contrarium,& tamen in his non interuenit gratia,ſed tranſitur de malo in malum. Et ſic non oportet φ, pronitas ad peccandum tollatur per gratiam,cum à qualiter poſſit tolli per aliud vitium. De hoc Sanctus Tho. 1.2.q.86.art.1.in 3.arg.

Ratio autem,quare per claues ſacerdotales non tollatur pronitas cōſecuta ex peccato,eſt prima ſupra aſſignata,ſ.quia pronitas iſta cauſatur naturaliter; claues autem ſunt contra illud,φ cauſatur directè ex peccato inquantum eſt peccatum: ideo per claues, nec tollitur iſta pronitas,nec minuitur. Alia ratio ſecunda, ſ.φ iſta pronitas non repugnet gratiæ,non facit ad propoſitum,quia per claues non tollitur ſolum quod gratiæ repugnat, ſed et quod non repugnat illi. Nam pęna temporalis debita pro peccato poſt contritionem,non repugnat aliquo modo gratiæ,& tamen tollitur,vel minuitur per actum clauium ſacerdotalium. Solum ergo non tollitur, quia naturaliter cauſatur,& non directè ex peccato,inquantum eſt peccatum, & propter hoc non ſolum non tollitur illa pronitas per gratiam iuſtificantem,ſed et eſt magna difficultas poſt confeſſionem,& abſolutionem,vitæ contra illam pronitatem. Hoc eſt autem,quia illa pronitas quaſi naturalis eſt inclinatio,cum cauſetur ex conſuetudine, & conſuetudo eſt altera natura,7. Ethic. ideo ſicut reſiſtere naturali inclinationi eſt magna difficultas, ita reſiſtere tali pronitati. Sic dicitur Ier.13. Si poteſt Aethiops mutare pellem ſuam,& pardus varietates ſuas, & vos poteritis bene facere,cum didiceritis malum,q.d. ſicut eſt impoſſibile Aethiopi mutare pellem ſuam,& pardo varietatem, quia iſta naturalia eis ſunt,ita, & vobis eſt difficile bonum facere,cum malum ſit in vobis quaſi cōnaturale,quia illud didiciſtis per aſſuetudinem.

CAPITVLVM VI.

In quo oſtenditur de modo loquendi circa peccatum, & quare nemo abſoluatur à culpa, & quare non à pœna,& in quo ſenſu poſſet concedi,quod abſoluatur quis à culpa,& à pœna.

NVnc conſiderandum eſt de principali,ſcilicet, quo modo à culpa neceſſario abſoluitur, nec etiam à pęna: ſed aliud eſt à quo homo propriè abſoluitur, quando ei peccata dimittuntur. Pro quo ſciendum, quod Scriptura ſacra nunquam vtitur iſto modo loquendi, ſcilicet,quòd quis abſoluatur à culpa: vtitur autem iſtis verbis circa peccatum, ſcilicet, dimittere, auferre, remittere,tollere, delere, relaxare,& donare.

De primo. patet Marci primo, Cum Chriſtus dixit, Fili dimittuntur tibi peccata tua. Et Iudæi dixerunt, Quis poteſt peccata dimittere, niſi ſolus Deus? Et Chriſtus iterum dixit,Quid eſt facilius dicere paralytico: dimittuntur tibi peccata tua, an dicere,ſurge, & cet. idem Math.9.& Lucæ 5.

De ſecundo patet,quia dicitur Exod.34. ſcilicet,Qui cuſtodis miſericordiam in millia, quia aufers iniquitatem, & ſcelera atque peccata. Et iterum ibi: Si inueni gratiam in oculis tuis, obſecro te, vt gradiaris nobiſ-

A cum: populus enim duræ ceruicis eſt,& auferas iniquitates noſtras atque peccata,noſque poſſideas. Et Num. 14.dicitur: Dominus patiens, & multæ miſericordiæ, auferens iniquitatem,& ſcelera.

De tertio patet Matth.9 ſcilicet, Confide fili,remittuntur tibi peccata tua. Idem Luc.5.& Ioan.20.dicitur: Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis. Et Matth. 12.dicitur, Omne peccatum blaſphemiæ remittetur hominibus: ſpiritus autem blaſphemiæ non remittetur: & quicunque dixerit verbum contra filium hominis remittetur ei: qui autem contra Spiritum ſanctum, non remittetur ei nec in hoc ſeculo,nec in futuro. Et ex hoc venit remiſſio peccatorum, quā dicimus fieri per Chriſtum benedictiſſimū. Act.10. ſcilicet, Huic omnes prophetæ teſtimonium perhibent, remiſſionem peccato-

B rum accipere per nomen eius. Et ad Heb.9.ſ. Omnia pene in ſanguine mundantur ſecundum legem,& ſine ſāguine non fit remiſſio peccatorū. Et Mar.1.dicitur,Fuit Ioannes in deſerto baptizans,& prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum.

De quarto patet Ioan.1.ſcilicet,Ecce agnus Dei: ecce qui tollit peccata mundi. Et Iſa.53. Et ipſe peccatū multorum tulit,& pro tranſgreſſoribus rogauit. Licet hic poſſet accipi tulit, ſ. tolerauit pœnam pro peccatis noſtris, & illud non eſt tollere nobis peccata, ſed ſoluere precium pro peccatis noſtris, per quod poſſunt peccata tolli. Et auferri peccata, & tollere idem ſunt, & ſecundum eandem rationem importatur res iſta ſub vtroque verbo.

C De quinto,ſcilicet delere patet, Iſai. 43. ſcilicet, Ego ſum,qui deleo iniquitates tuas propter me. Et Actuum 3.dicitur; Pœnitemini igitur,& conuertimini, vt deleantur veſtra peccata. Et ad Coloſſ.2.dicitur: Delens quod aduerſum nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis. Et iſtud eſt delere peccata, quia chirographum illud erat obligatio ad mortem æternam pro peccato.

De ſexto patet,quia dicitur,Relaxa facinora plebis tuę Iſrael,i.remitte peccata populi. De ſeptimo,ſ. donare, patet,quia ad Col.2.dicitur: Donans nobis omnia delicta,& delens, quod aduerſum nos chirographum decreti,i.remittens delicta. Iſta propriè dicuntur de peccatis ſine metaphora aliqua. Interdum tamen quis dicitur lauari de peccato, & peccata fieri candida, ſicut dicitur Pſal.50. Aſperge me hyſſopo, & mundabor lauabis me,

D & ſuper niuem dealbabor,& Iſaiæ 1. dicitur. Si fuerint peccata tua,vt coccinum, quaſi nix dealbabuntur. Sed iſta eſt metaphora,quaſi peccata eſſent quædam ſordes corporum, vel quædam corpora immunda, ſoluere autem non reperitur in ſcriptura prædicari de peccatis. Et ſi obijciatur,quod Matthæi 16.dicitur: Quodcunque ſolueris ſuper terram erit ſolutum & in cælis, ſeu in cælo. Dicendum,quod non prædicatur ſoluere de peccato, vt aliquod peccatum dicatur ſolui, ſed prædicatur de homine, ita vt homo dicatur ſolui de peccato,& de vinculo. Maximè,quia illud,quod ſoluitur,eſt quod ligatur,vel ligari poteſt, & ſi tamen peccatum non ligatur,ſed homo ligatur in peccato,vel per peccatum,ideo non eſt peccatum, quod ſoluitur, ſed homo de peccato

Abſolutio ſe extendit ad id ſolum, quod ligatur. peccatū non ligat, ſed ligat hominē peccantem.

E ſoluitur. Abſoluere autem, quantum ad peccata nunquam repetitur in ſacra Scriptura, ita quod nec peccata abſoluuntur, nec aliquis ab eis. Iſta autem dixi, vt videatur, quòd ſi quis dicat, quòd homo non abſoluitur à culpa, quòd non ideo putetur, quod faciat contra aliquem modum loquendi ſacræ Scripturæ, cum ſcriptura nunquam hoc modo loquatur de peccatis,licet multis alijs modis loquatur. Et non ſolum non eſſet contra aliquem modum loquendi repertum in ſacra Scriptura, ſi dicatur, quod nemo à culpa abſoluitur, ſed etiam dicendo,quod nemo abſoluitur à peccatis,cum in tota ſacra Scriptura nunquam reperiatur iſte modus loquendi, & tamen concedendum eſt, quòd homo abſoluitur à peccatis,quia propoſitio eſt vera, & propria ſecūdum rationem terminorum, iſta autem non eſt propria locutio,ſ.abſoluatur à culpa,vt infra dicetur. Conſiderādum vlterius,

vlterius, quòd de peccatis nõ eſt ſemper vnus modus loquendi, quantũ ad eorũ remiſſionem, quia à principio in peccato nihil diſtinguebatur, ideo cum dimittebatur peccatum, non dicebatur dimitti culpa, vel offenſa, vel reatus, vel aliquid aliud, ſed dicebatur ſic in cõfuſo, ꝙ dimittebatur peccatum, vel tollebatur, vel auferebatur. Quod patet in omnibus locutionibus ſupra poſitis de exemplis Sacræ Scripturæ, in quibus dicitur dimitti peccatum, vel iniquitas, aut facinus, nihil diſtinguendo in peccato, niſi rarò. Et tunc omnes illæ locutiones ſunt veræ, & propriæ, ꝙ peccatum dimittatur, vel remittatur, aut tollatur, vel deleatur, vel eſſe ceſſet, vel ab eo homo abſoluatur, quia cum in peccato multa ſunt, vna locutio competet propter vnum, & alia propter alterum, & omnes erunt propriæ. Secus autem ſi vellemus inter ſe diſtinguere ea, quæ in peccato ſunt, & de quolibet dicere omnes illas locutiones, quia tunc quædam eſſent falſæ proprie loquendo. Poſtea vero procedente tempore, Doctores diſtinxerunt aliqua in peccato, non, quod illa prius non eſſent, ſed quia a priori ſeculo non conſiderabantur. Sicut eſt de ſcientijs, & de earum complementis, quæ quotidie inueniuntur, quia tempus, bonus cooperator eſt harum, primo Ethi. Et ſacra Scriptura non vtebatur his diſtinctionibus in peccato, quia loquitur ſecundum conſuetudinem temporum, & gentium, in quibus, & quibus datur, vt facilius intelligatur. Iſti autem diſtinxerunt in peccato culpam, & pęnã, & nihil aliud, & ratio eſt, quia peccatum malũ quoddam eſt, & tñ malũ rationalis creaturæ ſufficienter diſtinguitur per pęnam, & culpã, vt probat Sanctus Tho. 2. Sen. diſt. 35. artic. 1. in corpore. Et dicitur in peccato totum, quod eſt voluntarium, ſiue inquantum eſt voluntarium, aut ſequitur directe ex voluntario, pęna aũt dicitur, quod eſt inuoluntarium, vel inquantum inuoluntarium. Et ſic dicit Auguſt. & allegatur ibidem per Sanctum Tho. ſ. omne malũ noſtrum eſt, vel quod agimus, vel quod patimur. Sed malum, quod agimus culpa eſt, malum quod patimur pęna eſt. Iſto modo culpa generaliter ſumpta dicit omnia ſeptem a nobis ſupra poſita, ſ. actum peccati, & culpam, offenſam, maculam, tenebras, reatum, & pronitas ad peccandum, quia omnia iſta ſunt, quæ nos agimus, vel directe ſequuntur ad id, quod agimus. Pęna autem ſola eſt extra hæc, quæ inuoluntaria eſt, ꝗ non agimus, ſed patimur. Nec etiã directe ex noſtris actibus ſequitur, ſed ſolum propter ordinationem Dei volentis ordinare culpam per pęnam. Iſto modo accipiendo culpam concedo, ꝙ Deus abſoluit a culpa, & ſacerdos ẽt abſoluit a culpa, & neceſſario concedendũ eſt, quia eſt vera, & propria locutio. Nam cum culpa ſic ſumpta contineat ſeptem prædicta, continet inter illa reatum, a quo proprie quis abſoluitur. Immo a nullo alio, niſi a reatu quis abſoluitur, iõ a culpa verè ſic homo abſoluitur, quia culpa eſt ipſe reatus. Et dico, ꝙ Deus abſoluit hominem a culpa, quia qñ infundit gratiam iuſtificando impium abſoluit a reatu mortis æternę, qui reatus iſto modo culpa dicitur, ideo a culpa abſoluitur. Sacerdos quoq; quilibet auctoritate clauium hoc mõ abſoluit à culpa, ſ. a reatu pęnæ temporalis. Nam per auctoritatem clauium, quædam pars pęnæ debitæ tollitur, quæ tẽporaliter tollerãda manebat. Poſt hæc vero ꝓcedente magis tempore, Doctores inuenerũt plures diſtinctiones in peccato, & ponunt octo, quæ nos ſupra enarrauimus. Et iſta octo non ſunt a nobis nouiter excogitata, vel adinuenta, ſicut quidam maligni, & imperiti calumniabantur, ſed omnia per ipſos veteres, & modernos, & potiſſimè per ſanctum Tho. in diuerſis locis diſperſe poſita ſunt, vt patuit ſupra allegando de ſingulis eorum. Hoc modo accipiendo ſtricte culpam diſtinctam contra cetera ſeptem, non eſt verum, quod homo abſoluitur a culpa, immo non eſt poſſibile, ſed includit contradictionem. Et ſic eſt verum, quòd Deus non abſoluit a culpa, nec aliquis ſacerdos abſoluere poteſt. In hoc autem nemo turbetur de his, qui ad pauca aduertunt, vel modis loquẽdi groſſis dediti ſũt. Et pro hoc ſciat, ꝙ ego non pono aliquid manere in pec-

Culpa in cludit ea quæ ſunt in peccato preter pęnam.

Abſolutio nõ tãgit culpã ſi capiatur diſtincta contra cetera ſeptem, quia includit cõtradictionem.

F cato, vel de peccato, quod non tollatur per Deum, vel ſacerdotem, vel pęnitentem, aut per ſe eſſe ceſſet, quia alias quocunque de omnibus octo ſupra nominatis manente, non poſſet homo conſequi vitam æternam, & tamen multos firmiſſimè credimus aſſecutos fuiſſe vitam æternam, & plures quotidie aſſequi, in qua ſpe, & nos viuimus, & tamen non eſt neceſſe, quòd ſi nihil de peccato manere debet, quod ab omnibus, quæ in peccato ſunt, homo abſolui debeat, quia quædam ſunt quorum conditioni repugnat, quòd homo ab eis abſoluatur, licet tolli poſſunt, vel ceſſare per ſe. Et cũ dicimus, quod Deus non abſoluit a culpa iſto modo, non eſt putãdum, quòd Deus non poſſit abſoluere, quaſi ad hoc deficiat ei poteſtas, cum tamen infinita poſſit, potiſſimè, quia ſi culpa aliquid eſſet, a quo homo abſolui poſſet, aut debe-
G ret, nihil facilius eſſet, quam quòd Deus ab illa abſolueret, vel illam tolleret. Cum enim quilibet poſſit dimittere omnia, quæ cõtra eum facta ſunt, poterit Deus à fortiori culpam, & omnia, quæ contra ipſum facta eſſent, tollere. Nec etiam eſt putãdum, quòd Deus a culpa abſoluere poſſit, & nolit, quia tunc maneret culpa ligans hominem, & ſic non poſſemus habere vnquam vitam æternam. Sed dicitur, quod Deus non abſoluit a culpa, ſcilicet quia ipſa culpa nõ eſt aliquid, de quo homo abſolui poſſit, vel debeat, ſicut eſt verum, quod Deus non poteſt abſoluere lapides de peccato, non quidem quaſi Deus non habeat poteſtatem ad abſoluẽdum quidquid abſolui poteſt: ſed quia lapis non poteſt abſolui: nec habet aliquid, de quo abſoluatur.

Cauſam autem, quare a culpa nemo poteſt abſolui, eſt
H duplex: prima eſt, quia non poteſt quis abſolui, niſi ab eo, quod eſt, nam ridiculum eſſet dici, quòd abſolueretur homo ab eo, quod nihil omnino eſt: quia tunc nihil magis eſſet abſoluere quam non abſoluere, culpa tamen non manet eo tempore, quo abſolutio fit, ergo ab ea nemo poteſt abſolui. Patet hoc, quia abſolutio fit per Deũ, & fit per ſacerdotem, & tamen culpa prius deſijt eſſe quã aliqua iſtarum abſolutionum fiat. Patet, quia Deus dicitur abſoluere hominem a peccato, quando conuertitur per contritionem, & Deus infundit ei gratiam iuſtificantem, tunc enim nõ manet culpa, ſed iam deſijt eſſe: cum culpa non ſit, niſi priuatio circumſtantiarum debitarum ineſſe in actu: ſiue deordinatio quædam, vt ſupra dictum eſt. Et iſta priuatio fundatur in actu poſitiuo tanquam in ſubiecto proprio: ſicut cæcitas in oculo, ideo
I impoſſibile eſt, quod maneat iſta priuatio, quando non manet actus peccati. Vnde culpa ſolum manet actualiter quamdiu manet actus, illo autem ceſſante, culpa iam nihil eſt. ſ. nec ens priuatiuum, nec poſitiuum, & tamen quando Deus abſoluit per contritionem, iam non eſt actus peccati, ſed tranſiuit, & poſtea homo dolet de illo. Et ſic quando Deus abſoluit hominem a peccato, iam non manet culpa, ergo non poteſt homo abſolui de culpa. Patet aſſumptum, quia culpa proprie ſumpta nõ eſt, niſi illa priuatio circumſtantiarum, vt ſupra diximus. Et hoc tenet Sanctus Thom. 2. Sent. diſt. 35. artic. 1. in ſolutione tertij argum. cum ait, malum culpæ conſiſtit in defectu actus, ſecundum quòd deficit a debito fine. vel debitis circumſtantiis. Idem patet per Sanctum Thom. 3. parte ſummæ, quæſt. 86. artic. 4. in ſolutione primi ar-
K gum. cum ait, dicendum quòd culpa mortalis habet auerſionem a Deo, & conuerſionem ad bonum commutabile, & tamen auerſio, & conuerſio ſunt ipſa priuatio debitarum circumſtantiarum. ſ. inquantum homo auertitur ab eo, a quo non debet auerti. ſ. a Deo, & conuertitur ad id, ad quod non debet conuerti. ſ. ad bonum commutabile. Quod autem culpa non maneat tempore, quo Deus hominem abſoluit, patet quia Deus abſoluit hominem, quando infundit gratiam iuſtificantem, per quã tollitur macula, vt ait Sanctus Thom. prima ſecundę. q. 86. art. 2. in corpore. Et ſic antequam Deus maculam tollat, nihil facit de remiſſione peccatorum, vel abſolutione, cum Deus ibi nihil faciat, niſi per gratiam, & tamen quando macula tollitur culpa iam non eſt, ſed eſſe ceſſauit, ergo circa culpam Deus nihil agit. Patet hoc

per

per ſanctum Tho. prima ſecund. q. 87. art. 6. in corpore, cum ait, dicendum, quód in peccato duo cõſiderari poſſunt. ſ. actus culpæ, & macula ſequens. Et ſic poſt culpã eſt macula, & non manent ambo ſimul. Idem patet clarius in corpore eiuſdem articuli, cum ait. Vnde macula peccati ab homine tolli non poteſt, niſi voluntas hominis ordinem diuinæ iuſtitiæ acceptet, vt ſcilicet, vel ipſe pęnam ſibi ſpontaneus aſſumat in recompenſatione culpæ præteritæ. etc. Et ſic patet, quód culpa iam præterita eſt, qñ macula tollitur per grãm, & antè gratia nihil Deus operatur in homine pęnitente, cũ per gratiã ei peccatum remittatur, & antè gratiam nihil ſit remiſſum. Ergo ad culpam tollendam Deus nihil operatur, ſed antè operationem eius ipſa eſſe ceſſit, ergo Deus non abſoluit a culpa.

De ſacerdotibus autem, quód non abſoluant à culpa eſt magis clarũ, quia abſolutio ſacerdotalis eſt poſt abſolutionem Dei, ſcilicet poſtquam homo doluit de peccato, & confeſſus eſt illud, & tamen Deus non abſoluit a culpa, vt dictum eſt, quia illa eſſe deſinit antequam Deus abſoluat hominem a peccato, ergo a fortiori ſacerdotes ab illa abſoluere non poterant. Hoc quidem non ex defectu ptãtis clauium, ſed quia culpa iam eſſe deſinit, & claues non poſſunt habere actum ſuum ſuper nõ ens ſimpliciter, ſed ſuper ens aliquo modo. Iſtam quoque ſententiam tenet Sanctus Tho. 4. ſen. diſt. 14. q. 1. ar. 6. nam cum arguit, quod pęnitentia non poſſit eſſe de peccatis, quia præterita ſunt, reſpondet in ſolutione tertij arg. quód ſit pęnitentia de eo quod præſens eſt, quia quamuis peccatum ſit præteritum quantum ad actum, tamen quantum ad effectum, vel reatus, vel maculę, vel offenſæ diuinæ manet.

Si ergo homo non pęnitet de præterito, ſed de præſenti, etiam & à fortiori non abſoluetur de præterito, ſed de eo quod manet. Etiam ex ipſa litera Sancti Tho. apparet, quód quando facimus, vel facere poſſumus pęnitentiam de peccato, nõ manet culpa, quia ipſe enarrat ibi ea, quæ de peccato manent; & inter illa non poſuit culpam, ſed ſolum maculam, offenſam, & reatum. Et dicit quód poſt actum peccati iſta manebant, in quo innuit, quód culpa non manet poſt actum peccati, ſed cum actu eſſe deſinit, quia fundatur in eo ſicut accidens priuatiuum in eo, cuius eſt.

Et hoc modo non ſolum abſoluitur quis à culpa, nec deletur, nec tollitur, nec dimittitur, nec auferiur, quia iſtud fieret per Deum, vel per ſacerdotem, quia nullus alius ibi operatur, & tamen culpa deſinit eſſe, antequã Deus aliquid operetur circa peccatorem, qui conuertitur, & antequam ſacerdos operetur, vt ſupra probatum eſt, ergo nec tollitur nec dimittitur, nec aufertur per Deum aut ſacerdotem, ſed ipſa eſſe ceſſat antè operationem iſtorum. Quomodo autem Sanctus Tho. dicat ſepè culpam remitti a Deo, dicetur infra.

Secunda rõ quare a culpa nemo abſolui poteſt, quia ſoluere vel abſoluere dicit ſecundum propriã rõnẽ tollere vinculũ, ſed ipſa culpa nõ dicit rõnem vinculi, ſed potius priuationẽ quãdam, ergo à culpa nemo abſoluitur. Ideo etſi culpa maneret poſt actũ peccati, qñ Deus infundit nemini grãm, nõ abſolueret homo a culpa, ſed remitteretur, vel tolleretur, ſicut dicimus de offenſa, & macula, q̃ manẽt. Prima pars patet, quia ſoluere, vel abſoluere, & ligare opponũtur Mat. 18. quodcũq; ſolueritis ſuper terrã, erit ſolutũ, & qđcunq; ligaueritis, erit ligatũ. Idem Math. 16. & tñ ligare eſt ponere vinculum, ergo ſoluere, vel abſoluere eſt tollere vinculum. Idem patet Tobiæ 3. ſ. peto Domine, vt de vinculo improperij huius abſoluas me. Et ſic dicitur homo abſolui de peccatis, inquantũ peccata ſunt quædã vincula, vel in eis ſunt aliqua vincula, ſic patet Prouerb. 5. ſ. iniquitates ſuæ capiunt impium, & funiculo peccatorum ſuorum quiſque conſtringitur. Eadem eſt ſententia Magiſtr. 4. Sen. diſt. 18. c. 2. ſ. Video quo vinculo eum ligat. ſ. temporalis pœnæ, ſed non video à quo eum abſoluat. ſ. vinculo, & ideo quæro, ante pœnitudinem quippe cordis anima reatus maculam habet, & fœtorem peccati, atque æ-

A ternæ vltionis vinculo ligata exiſtit. Idem tenet S. Tho. 3. parte ſummæ. q. 84. artic. 3. in corpore, cum ait, Sacramentum pœnitentiæ non conſiſtit in conſecratione alicuius materiæ, nec in vſu alicuius &c. ſed magis in remotione alicuius materiæ. ſ. peccati, prout peccata dicũtur eſſe materia pęnitentiæ, talis autem remotio peccatorũ ſignatur à ſacerdote, cum dicitur, ego te abſoluo. Nam peccata ſunt quædã vincula ſecundum illud Prouerb. 5. iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum quiſque conſtringitur. Prou. 5.

Secunda pars. ſ. quód culpa non dicat aliquod vinculum, patet, quia culpa dicit priuationem circumſtantiarum debitarum ineſſe, vt ſupra dictum eſt, dicit ergo rationem priuationis, & non rationem vinculi, maximè, quia priuatio non eſt ens poſitiuum, ſed priuatiuũ, vin-
B culum autem eſt ens poſitiuum, ſiue ſit ens reale, ſiue ſit ens rationis, ideo a culpa non poſſet quis abſolui, etiamſi illa maneret tempore, quo homo abſoluitur a Deo de peccato, vt dictum eſt. De pœna etiam dicendum, quód non poteſt quis abſolui à pęna propter duas rationes ſupra poſitas de culpa, quæ quaſi pęnæ conueniunt. De prima patet, nam dicebamus de culpa, quód nemo ab ea abſolui poteſt, quia illa iam non eſt, quando Deus, aut ſacerdos hominem abſoluit, ſed præteriit, è contrario de pęna dicetur, ſ. ꝙ homo non poſſit abſolui ab illa, quia quando a Deo, aut a ſacerdote abſoluitur, pęna nõdum eſt, nec æterna, nec temporalis, abſolutio tamen nõ fit de eo, quod nihil omnino eſt. De ſecunda ratione patet, quia ſicut non poteſt quis abſolui à culpa, quia illa non dicit rationem vinculi, ita nec poterit abſolui a pę-
C na, quia pęna non dicit rationem vinculi, nec pęna eſt vinculum, ſed ad pęnam eſt vinculum, ſ. obligatio quædam ad tolerandum eam. Solus autem reatus in peccato eſt, à quo abſoluitur, quia iſti competunt duæ conditiones neceſſariæ de abſolutione, ſ. quod maneat eo tempore, quo Deus, vel ſacerdos abſoluit, & quod dicat rationem vinculi. Primum patet quia reatus manet, quando homo pęnitet de peccato, vt ait Sanctus Thom. 4. Sentent. diſt. 14. q. 1. artic. 6. in ſolutione tertii argum. Nunc ſic manet, quando Deus hominem abſoluit, & ab ipſo reatu, ſ. mortis æternæ Deus abſoluit proprie. Manet etiam reatus tempore, quo ſacerdos abſoluit, quia manet reatus pęnæ temporalis. Vt a parte illius abſoluit ſacerdos. vt ait Sanctus Thom. 2. Sentent. diſt. 42. art. 2. &
D prima ſecundæ, q. 87. art. 6. & tertia parte ſummæ, q. 86. art. 4. & 5. per totum. Secundum patet. quia reatus proprie dicit rationem vinculi, cum nihil aliud ſit reatus, niſi obligatio ad pęnam, vt Sanctus Thom. 2. Sentent. diſtinc. 24. art. 2. in corpore, & in ſecundo art. in cõtrarium, obligatio autem eſt vinculum, quia obligatio eſt magna, vel talis ligatio, & a ligando dicitur. Item, quia vt ait Sanctus Thom. 3. parte ſummæ. q. 84. artic. 3. in corpore a peccatis dicitur homo abſolui, inquantum peccata ſunt quædam vincula, & tamen in omnibus, quæ ſunt in peccato, ſ. octo ſupra enarratis nihil eſt, quod habeat, vel dicat rationem vinculi, niſi reatus, ideo ab eo ſolo homo abſoluitur, ſiue a Deo, ſiue a ſacerdote. Iſtum modum loquendi ſeruat ſemper Magiſter Sent. diſtinc. 18. Nam cum loquatur de diuerſis, quæ ſunt in pecca-
E to, nunquam de aliquo eorum dicit, quod homo ab illo abſoluatur, niſi de debito mortis æternæ. Nam de hoc dicit ligare, & ſoluere, & tamen debitum mortis æternæ nihil aliud eſt, quam reatus, vel vinculum, ſic etiam ipſe dicit vocans eum vinculum æternæ mortis. Patet cum dicitur, antè pęnitudinẽ quippe cordis anima reatus maculam habet, & fętorem peccati, atque æternæ vltionis vinculo ligata exiſtit. Et iterum, eadem diſtin. ſecunda, dicitur, vt maculam abſtergat, vel debitum æternæ mortis ſoluere valeat. Et iterum ibidem, ſcilicet cũ peccator ligatus teneatur mentis contagione, & debito æternæ pęnæ, alterum curari per Deum, alterum ſolui per ſacerdotem, ſcilicet debitum ſolui, vel abſolui aliquem ab eo. Et iterum ibi, ſcilicet debitum vero pęnæ æternæ ſoluere conceſſit ſacerdotibus. Et hoc ſępe dicit. De aliis autem, quæ ſunt in peccato, ſcilicet, macula,

Abſolutio eſt ſolius reatus.

offenſa,

offenſa tenebris, nõ dicit ſoluere, vel abſoluere, ſed purgare, emundare, tollere, & remittere, & ſic abſolutio de ſolo reatu dicitur.

Sed objicietur, quòd ſæpe dicunt Doctores aliqui, vel ſaltem vulgares, quòd abſoluat Deus hominem à culpa vel ſacerdos,

Dicendum, quòd ſi propriè conſideretur ſignificatio horum terminorum, ſcilicet abſoluere à culpa, non debet vllo modo concedi, quòd à culpa quis abſoluebatur, ſed illi, qui largè accipiunt iſtos terminos concedunt, ideo Sanctus Tho. quaſi nunquam dicit, quòd abſoluatur hõ à culpa, vel ꝙ Deus abſoluat hominem à culpa, ſed quòd culpa remittatur per Deum, vt patet per B. Thò. 3. parte ſummæ q. 86. art. 4. & 5. & 6. per totum, & in aliis locis.

Malũ duplex pęnæ, & culpæ ſimul.

Dicendum, tamen quòd aliqui concedunt, quòd homo abſoluitur à culpa, ſecundum quòd culpa æquiuocè ſumitur. Nam vno modo accipitur culpa pro toto, quod eſt in peccato præter pœnam, eo modo, quo malũ humanum diſtinguitur ſufficienter per pœnam, & culpam, vt ait Sanctus Tho. 2. Sen. diſtin. 35. art. 1. in corpore. Et ſic culpa includit ſeptem, quæ ſunt in peccato, ſcilicet actum, culpam, offenſam, maculam, tenebras, reatum, & pronitatem ad malum. Et tunc ſimpliciter concedendum eſt, quòd homo abſoluitur a culpa per Deum, & per ſacerdotem, quia in culpa ſic ſumpta aliquid includitur, a quo homo propriè abſoluitur, ſ. reatus. Et hoc modo etiam dicimus, quòd homo abſoluitur a peccato, quia licet non abſoluatur ab omnibus, quæ ſunt in peccato, abſoluitur tamen ab aliquo, quod eſt in peccato. Et eſt iſtud imperfectio abſolutionis, quia perfecta abſolutio eſt, quando homo abſoluitur ab omnibus, quibus tenebatur ligatus, & tamen in peccato, licet multa ſint, non tenetur homo ligatus omnibus, ſed ſolũ eſt formaliter ligatus per reatum, quia ipſe eſt obligatio quædam, vt ſæpe dictum eſt, ideo abſolui ab illo eſt perfecta abſolutio. Alio modo poteſt dici, quòd dicitur homo abſolui a culpa, ita quòd culpa accipiatur non pro culpa propriè dicta, ſed pro macula, & pro reatu. Et ſatis propriè dicitur, quia ſaltem ipſi reatui conueniat, quòd ab eo homo abſoluatur. Sic exponit Magiſter iſtã propoſitionem, vel dictum. ſ. abſolui a culpa 4. Sentent. diſtin. 18. cap. 2. cum dicit, ſed quæritur vtrum à peccato abſoluere valeat ſacerdos. i. a culpa, vt culpæ maculam abſtergat vel debitum æternæ mortis ſoluere valeat. Et iſto modo ego quoque concedo abſolui hominem à culpa, ſed non eſt culpa propriè dicta ipſa, à qua abſoluitur hic.

Aliter poteſt dici, quòd abſoluatur quis a culpa, accipiendo culpam pro ſolo reatu à quo propriè homo abſoluitur, & quia conſueuerunt doctores accipere culpã pro reatu, & è contrario, concedunt hominem abſolui à culpa. i. a reatu, patet hoc per Magiſtrum 2. Senten. diſtinct. 42. cum dicit. Reatus autem multipliciter in ſcriptura accipitur, ſ. pro culpa, pro pœna, & pro obligatione pęnæ temporalis, vel æternæ. Idem Sanctus Thom. ead. diſtinct. artic. 2. in corpore, cum ait. Reatus nihil aliud eſt, quam obligatio ad pœnam, & quia hæc obligatio quodammodo eſt media inter pęnam, & culpam, ex eo quòd propter culpam aliquis obligatur ad pœnam, culpa vel pęna reatus dicitur, ſic ergo dicetur quis abſolui a culpa, ideſt, reatu cauſato per culpam, quia reatus uocatur culpa, & hoc modo ego quoque concedo hominem abſolui a culpa per Deum, vel per ſacerdotem, ideſt, à reatu. Accipiendo autem culpam propriè, vt diſtinguitur contra alia, quæ ſunt in peccato, nõ debet cõcedi, ꝙ hõ abſoluatur a culpa, quia non ſolũ eſt falſum, ſed eſt impoſſibile, vt ſupra declaratum eſt per duas rationes. Et ſic ſtat concluſio iſta in veritate. ſ. a pęna Deus nõ abſoluit, & ẽt non abſoluit a culpa, nec

Abſolutio ſolius reatus eſt

aliquis ſacerdos põt abſoluere ab aliquo horũ, ſed illud a quo ſacerdos abſoluit, & Deus eſt ſolus reatus, de nullo autẽ alio, quod in peccato ſit abſolutio. Sed objicietur, ꝙ non poſſit intelligi abſolui a culpa, i. a reatu cum poſſit aliquis abſolui a culpa, qui nõ abſoluatur a reatu

F Sic patet per Sanctum Thom. 3. parte ſummæ, quæſtio 86. artic. quarto, vbi quærit an remiſſa culpa per pœnitentiam maneat reatus pœnæ, & determinat quod ſic, ibi, & ſequen. artic. ergo abſolutio a culpa, vel remiſſio eius diſtinguitur ab abſolutione, & reatu. Dicendum, quòd à culpa propriè ſumpta non poteſt fieri abſolutio, nec fit remiſſio eius, ſed per ſe ceſſat, antequam Deus, vel ſacerdos aliquid operetur circa pœnitentem, vt ſupra declaratum eſt. Et cum Sanctus Thom. diſtinguit culpam, & reatum: Dicendum, quòd non accipitur ibi culpa ſtrictè, & propriè, ſed ſolum pro reatu pœnæ æternæ. Et quando ille remittitur, dicitur remitti culpa, quia ille eſt directus effectus culpæ, vt ait ipſe Sanctus Thom. 2. Sentent. diſtinc. 42. art. 2. & quando ponit, reatum, intelligit de reatu pęnæ temporalis. Et tunc verum

G eſt, quod remiſſo reatu pęnæ æternæ, non eſt remiſſus reatus pęnæ temporalis, vt declaratur in allegato artic. 4. & 5. ſequenti. Aliter poteſt dici, & magis conformiter ad intentionem Sancti Thom. ſcilicet, quòd non accipit ibi culpam pro culpa, ſed pro macula, quæ etiam ſequitur ex culpa, & vocatur macula culpæ, vt ait Magiſter 4. Senten. diſtinc. 18. cap. ſecundo. Et reatus accipitur pro obligatione ad pęnam temporalem, & iſta non remittuntur vnica remiſſione, ſed Deus remittit vel tollit maculam, per gratiam, & adhuc remittit reatum pœnæ temporalis, quod autem ſic intelligat Sanctus Thom. patet, quia idem dubium, quaſi ab eo diſcutitur 3. parte ſummæ, quæſt. 86. artic. 4. diſcutitur 4. Senten. diſtinc. 18. quæſt. 2. artic. 3. & ponuntur, quaſi eadem, immo penitus eadẽ in ſententia vtrobique, & titulus quæ-

H ſtionis eſt ſecundum alia verba, ſcilicet, remittatur peccatum quantum ad maculam, an quantum ad omnem pęnam. Et ſic apparet, quòd idem eſt dici hoc, ac ſi dicatur, an remiſſa macula remittatur reatus, ſicut quærebat in tertia parte ſummæ, quæſtio. 86. articu. quarto. Et ſic patet, quod a culpa propriè dicta non vult Sanctus Thom. aliquem abſolui. Nam etiam remitti non poteſt. Si autem obiiciatur, quod licet Sanctus Thom. non dicat hominem abſolui à culpa, dicit tamen ſæpè remitti culpã, vt patet tertia parte ſummæ, quæſt. 86. articu. 4. 5. & 6. & in aliis locis. Dicẽdum, quod culpa propriè ſumpta etiam non remittitur, ſed eſſe ceſſat, ſed Sanctus Thom. accipit culpam pro macula ibi, vt probatum eſt ſupra, & interdum pro reatu, & iſta remittuntur propriè.

I Cum autem aliqui licet ſatis groſsè, vt ſupra probatum eſt, dicant hominem abſolui a culpa, & pęna, cum dicere deberent propriè loquendo abſolui plenariè, licet impropriè, loquantur, tamen id, quod ſignificare intendunt verum eſt, & nos illud concedimus. Nam intendunt ſignificare, quòd quando quis abſoluitur a culpa & pęna tollitur ei omnis obligatio ad pęnam, tam ad æternam, quam ad temporalem, ita vt nihil tolerare debeat pęnalitatis in inferno, nec in purgatorio, nec in hoc ſeculo pro illis peccatis de quibus abſoluitur, ſactis illis, quæ imponuntur per concedentem talem indulgentiam. Et talis abſolutio propriè loquendo vocatur plenaria, ſcilicet, quia nihil manet, de quo poſſit iam abſolui confeſſus. Et hoc non fit in abſolutione ſacerdo-

K tum minorum, quia licet abſoluant hominem non plenariè abſoluunt, cum maneat homo obligatus ad quãdam partem pęnæ temporalis, ſiue purgatoriæ. Ad hoc tamen, quod iſta propoſitio ſit vera, debet ſic intelligi, quod abſoluitur quis a culpa, & pęna, ideſt reatu pęnæ æternæ, & a reatu pęnæ temporalis. Et in iſto ſenſu ponit iſtam quæſtionem Frãc. de Mairon. 4. Sent. diſt. 19. ſ. An Papa poſſit abſoluere a culpa, & a pęna, & an poſſit dare indulgentias plenarias. Et verum eſt, quod poteſt pluſquam plenarias, vt ſupra probatum eſt.

Non ergo habeat quidquam difficultatis concluſio iſta, etiam in apparentia viſa declaratione, niſi eam maleuoli liuenti oculo conſpexiſſent. Falſa ergo illis videbatur, quia verè falſam eam eſſe voluiſſent, aut videri ſimulabant, vt liberius, & honeſtius, quod conceperant poſſent efficere.

CA-

CAPITVLVM VII.

In quo ponitur totus tenor illius cedulæ, quæ præſentata fuit ab auctore in iudicio de defenſione huius concluſionis.

CONſiderādum autem, quòd dum de hac & de alijs duobus concluſionibus impium iudicium ageretur, cum hæc alijs grauior, & durior videretur, cedulam quandam, expoſitiones breues, & confirmationes eius, & confutationes aduerſariorum continentem ipſis porrexi iudicibus, quam nec approbare quidem voluerunt, ne ſibi ipſis obuiarent, nec tamen damnare ſaltem leui verbo auſi ſunt, quia nihil in eam obijci eis facile videbatur, quod eam veriſimiliter confutaret. Vt autem nec iſtud poſteros effugiat literis tradendum cenſui, vt hinc colligi poſſit, an ſatis prædicta concluſio ab hæreſi, & errore, quam æmuli affingere moliebantur, defenderetur. Huius autem de verbo ad verbum forma erat, quæ ſequitur, ſcilicet. In concluſione illa, qua dicebatur a pœna, aut a culpa Deus non abſoluit nec aliquis ſacerdos abſoluere poteſt, declarantur aliqua, primo, ſcilicet, quòd iſta propoſitio, ſcilicet aliquis homo abſoluit a culpa, & pęna, non debet concedi. Ratio eſt, quià iſte modus loquendi, non ſolum non conuenit theologiæ, quæ ſubtilius, & per terminos magis proprios de ſingulis rebus diſputat, ſed etiam non conuenit modo loquendi iuris, quia in cle. vnica de priuile. & in cle. abuſionibus de pœ. & remi. reprobatur iſte modus loquendi. cum Papa loquitur ibi contra quæſtores, & cōtra quoſdam alios dicens, vt eorum verbis vtamur, qui dicunt ſe abſoluere animas a culpa, & a pęna, ergo bene dictum non eſt. Secundo dico, quòd Papa habet poteſtatem ad concedendas indulgentias in quacunque facultate vſque ad plenariam remiſſionem peccatorum incluſiue. Habet etiam Papa maiorem poteſtatem in concedendo indulgentias, quam vſque ad plenariam remiſſionem peccatorum, ſed non exercet eam, nec poteſt exercere, non quidem ex defectu poteſtatis, ſed ex defectu materiæ. Quod patet, quia Papa habet liberam clauem totius theſauri Eccleſiæ, in quo ſunt infinita merita tam paſſionis Chriſti, quam ſupererogationis bonorum operum totius Eccleſiæ, remiſſio tamen peccatorum plenaria cuiuſcunque noſtrum, & etiam omnium ſimul non eſt aliquid infinitum, ſed ad pœnam finitā, & determinatam, quam in purgatorio toleraturi eramus. Ideo quando aliquis vult propriè loqui de plenitudine poteſtatis Papæ in abſolutionibus & indulgentijs, non debet dicere, quòd Papa abſoluit a culpa, & pęna, quia iſtud eſt dictum improprium, & largè poſitum per terminos alienos, ſed debet dicere, quòd Papa abſoluit plenariè, vel confert indulgentiā plenariam, & hoc ſatis patet in literis datis in forma Eccleſiæ, in quibus non dicitur, ꝙ abſoluit a culpa, & a pęna, ſed quòd concedit plenariā indulgentiam, vel remiſſionem omnium peccatorum. Tertio accedendo ad declarationem concluſionis, dico quod in peccato nihil debet manere ad hoc, quòd aliquis ſit plenè purgatus dignus ingredi vitam æternam, ſed eorum, quæ ſunt in peccato quædā per ſe deſinunt eſſe, alia tolluntur per Deum, alia per miniſtros Eccleſiæ, alia per actum pęnitentis. Pro quo ſciendum, quòd in peccato poſſunt conſiderari ſex, vel ſeptem, ſcilicet actus peccati, culpa, offenſa, macula, reatus, pœna, pronitas ad malum. Et iſta damnātur neceſſario in quolibet peccato, ſaltem in peccato commiſſionis. De primo patet, ſicut in occidere, & fornicari, in quibus eſt actus poſitiuus, ſcilicet vulnerare hominem, & tāgere feminā carnaliter, quia actus abſolutè, & in ſe nō ſunt boni, nec mali, ſed efficiūtur boni, vel mali ꝑ circūſtātias additas, qđ patet, quia alias nō poſſet aliquis ī aliquo caſu tāgere feminā carnaliter, vel occidere hominē, ſine peccato, quod falſum eſt. Secundū eſt culpa, & iſta vocatur quædam priuatio debitæ rectitudinis in

A actu, ſcilicet, quia ad hoc quod actus eſſet bonus, moraliter deberet habere quaſdam circumſtantias bonas regulantes eum, quibus ſi careat eſt malus, & ſic illa carentia vel priuatio eſt malicia vel priuatio in actu, ſicut in caſu dato hoc, quod tangere feminam carnaliter ſit bonus actus, requiritur quod tangat quis eam, quam debet, ſcilicet vxorem ſuam, & quomodo debet vel licet, & vbi debet vel licet, ſed in loco nec tempore prohibitis, & propter quem finem debet, ſcilicet ad prolem gignendam, vel ad reddendum debitum, vel ad mitigandum fomitem, nam propter hoc melius eſt nubere, quam vri. primo, Corinth. ſeptimo, & ſic de alijs circumſtantiis requiſitis, de quibus Ariſtot. 3. Ethicorum. Si autem ibi omnes conueniant, actus tangendi feminam erit bonus, ſi autem omnes deficiant, vel aliqua
B earum, actus eſt malus, non propter aliquid poſitum, ſed propter defectum circumſtantiæ, quæ deberet ineſſe, & illum defectum, vel carentiam ſiue priuationem vocamus culpam.

Tertium eſt offenſa Dei, nam quando quis peccat, recedit a Deo contemnendo eum, & legem ſuam, & adhęrendo cuidam bono creato, quod homo præponit Deo, & in hoc Deus offenditur. ſ. quòd propter aliquam rem minorem ſe, contemnatur ipſe.

Quartum eſt macula, & iſta eſt, quædam deformitas in anima noſtra, ſecundum quòd eſt imago Dei, & iſta macula, vel deformitas eſt priuatio pulchritudinis debitæ ineſſe. Sicut enim in corpore humano, quod adornatur veſtibus circumdantibus illud, quibus ſi homo careat eſt deformis, & malè apparens, & non eſt illa de-
C formitas niſi carentia veſtium, vel ornatus neceſſarii, ita eſt in anima noſtra. Nam in ipſa eſt imago Dei naturaliter, & pulchritudo ſua extrinſeca eſt gratia Dei, vel caritas, quam cum habet anima, pulchra videtur, ſicut homo veſtitus. Si autem caruerit illa, erit deformis, ſicut homo nudus. Et hoc eſt in quolibet, quia per quodlibet peccatum tollitur gratia Dei, & tota caritas.

Quintum eſt reatus, & idem eſt, quod obligatio, nam reatus a reo dicitur, & iſta obligatio eſt in quolibet, & inſurgit ex lege Dei. Nam ſicut in legibus politicis cauetur, ꝙ ſi quis occiderit, vel vulnerauerit hominem, tali pęna plectatur, ſi quis fecerit contra illam legem, eſt obligatus ad tolerandam pęnam illius legis, & iſta obligatio non inſurgit niſi ex lege, cui dedit vires legiſlator. Ita in diuinis ſtatutum eſt, quod ſi quis peccauerit
D mortaliter, puniatur in inferno. Statim ergo vt quis peccauerit, inſurgit ei iſta obligatio, vt puniatur ī æternū, ſimilis modus loquendi eſt Gen. 3. ſ. quacunq; hora comederis, morte morieris ideſt obligaberis ad moriendum. Iſte eſt intellectus omnium Doctorum, & non poteſt aliter intelligi, quia aliter eſſet litera falſa.

Sextum eſt pęna correſpondens peccato, ſiue in inferno, ſiue in purgatorio, ſiue ſit temporalis in vita.

Septimum eſt pronitas ad malum, & iſta inſurgit naturaliter ex peccato. nam teſte. Ariſt. 2. Ethico. generationes, & corruptiones habituum fiunt ex eiſdem, i. ex ſimilibus, ſcilicet ex hoc quòd eſt iuſtum facere, efficitur quis iuſtus, & ex eo quod eſt expendere decenter efficitur quis liberalis, & ſic de ſingulis. ideo oīs actus generaliter, eſt aggeneratiuus alicuius habitus talis qualis ip-
E ſe eſt, & quia interdum non poteſt ex quolibet actu gigni habitus cum ſit qualitas radicata, gignitur ſaltē diſpoſitio eius ad habitum, ideo diſtinguit Ariſtot. in prima ſpecie qualitatis habitum & diſpoſitionem. cum ergo quodlibet peccatum ſit actus malus, ſequitur naturaliter ex illo pronitas ad malum.

Nunc dicendum eſt, ꝙ omnia iſta, quæ poſita ſunt eſſe in quolibet peccato, non pertinent ad aliquam nouam doctrinam, ſicut quidam calumniantur, ſed reperiūtur in ſacris Doctoribus, & etiam in canone Sacræ Scripturæ, de tribus illorum. ſ. de actu poſitiuo & culpa, & de pęna non oportet probare, quia tota ſcriptura, & omnis modus loquendi plenus eſt ex his.

De reatu ſatis apparet, quia Exod. 33. dicitur ꝙ Deus

per-

percuſſit Hebræos pro reatu vituli. Doctores etiam vtuntur iſto vocabulo, & faciunt diſtinctionem inter culpã & reatũ, vt patet apud Sanctũ Tho. 3. parte ſummę. quæſt. 86. artic. 4. cum quęrit vtrũ remiſſa culpa p pęnitentiam, maneat reatus pœnæ. De offenſa Dei patet ſatis manifeſtè: quia Deus ſæpè per Prophetas vocat peccata offenſiones ſuas, ſicut patet Pſal. 94. ſcilicet quadraginta annis offenſus fui generationi huic ideſt offenſus fui ab iſta Iudæorum generatione. Doctores dicunt, quòd in quolibet peccato mortali, inquantum eſt ibi auerſio a bono incommutabili, eſt ibi offenſa Dei, & ita ſæpè dicit Sanctus Thomas, & omnes alij Doctores vbicunque loquuntur de materia pœnitentiæ.

De macula autem ſatis apparet per Magiſtrum. 4. Sent. diſt. 18. in principio, & 2. Sent. diſt. 42. vbi non ſolum ponit de macula, ſed etiam de culpa, & de pœna, de reatu, & ferè de omnibus, quæ aſſignata ſunt à nobis. His viſis dicendum eſt, quòd quædam iſtorum, quæ ſunt in peccato non abſoluuntur, nec tolluntur, ſed per ſe eſſe ceſſant. Primum enim ſcilicet actus poſitiuus nõ dimittitur, nec ab illo quis abſoluitur, quia irriſorium eſt dici, quòd quis abſolueretur ab actu poſitiuo fornicandi, vel ab actu occidendi, quia ille non manet, & nihil omnino eſt tempore eo quo Deus per contritionem dimittit peccata, vel debet nos abſoluere, vel ſacerdos abſoluit in Sacramento.

Secundum etiam ſcilicet culpa non dimittitur, nec aliquis abſoluitur ab illa, quia vt ſupra dictum eſt culpa non eſt niſi priuatio debitæ circumſtantiæ in actu, & eſt accidens priuatiuum actus, ſicut cæcitas eſt accidẽs priuatiuum oculi, & tamen actus poſitiuus tranſiuit, quia non durauit niſi per momentum, vel paruo tempore ita culpa non manet niſi per momentum. Et ſic impoſſibile eſt, quòd culpa tollatur, vel dimittatur, vel abſoluatur per Deum, non quidem quaſi Deus non poſſit tollere, vel nolit tollere, ſed quia antequam conuertatur homo ad Deum per contritionem, & Deus infundat ei gratiam, culpa deſinit eſſe.

Quædam ſunt in peccato, quæ tolluntur, & alia à quibus abſoluit. Nam offenſa, & macula tolluntur per Deum cum infundit gratiam peccatori. Offenſa quidem tollitur, quia offenſa eſt, ſecundum quam homo eſt inimicus Deo, & iſta manet ſemper quamdiu homo eſt in peccato, & cum Deus infundit gratiam tollitur offenſa, quia per gratiam fit homo gratus Deo, & reconciliatur ſibi, & ſic tollitur inimicitia, quia impoſſibile eſt hominem eſſe ſimul gratum Deo, & inimicum ſibi, quia includit contradictionem. Macula etiam tollitur per Deum quando infundit gratiam, eo quòd macula, vt dictum eſt nihil aliud eſt quam priuatio pulchritudinis in anima, quæ pulchritudo eſt per gratiam, ideo impoſſibile eſt, quòd adueniente gratia maneat macula, ſicut impoſſibile eſt, quòd aduenientibus veſtibus, maneat nuditas. Aliquid eſt, a quo Deus abſoluit ſcilicet reatus, quia abſoluere propriè, ſecundum naturam termini dicit tollere vinculum. Reatus autem eſt obligatio, vel vinculum, ideo propriè a reatu mortis æternæ abſoluitur homo a Deo per contritionem. De miniſtris autem eſt dicendum, quod quædam tollunt, & a quodam abſoluunt. Nam poſtquam aliquis abſoluitur a Deo a reatu mortis æternæ, manet reatus ad quandam pœnam temporalem, & miniſter Eccleſiæ quicunque virtute clauium tollit reatum cuiuſdam partis pœnæ iſtius, quæ pœna quanta ſit, quæ tollitur per claues Eccleſiæ in Sacramento pęnitentiæ nullus nouit niſi Deus. Si autem ſit Papa ille qui abſoluit, poteſt abſoluere a toto reatu pęnæ purgatoriæ, vel temporalis, ita quòd nihil maneat tolerandum peccatori, & in iſto caſu propriſſimè dicitur Papa dare abſolutionem plenariam, vel indulgentiam plenariam, ſcilicet tollendo totam pęnam purgatoriam, ſcilicet abſoluendo a reatu totius pęnæ purgatoriæ. Et non eſt dicere, quòd Papa abſoluat a culpa, & a pęna, quia iſtud eſt impropriè, & largè, dictum, ſed quod ple-

F natiè abſoluat. De pęna autem dicendum, quod miniſtri Eccleſiæ non abſoluunt ab ea, ſed dimittunt illam, vel tollunt, ſcilicet, tollunt obligationem ad pœnam. Et in hac non eſt differentia, niſi velle loqui propriè, vel largè. Nam quomodocunque accipiatur, pęna non debet manere. & tamen dici, quòd pęna tollatur eſt propriè dictum. Dici autem, quod a pęna quis abſoluatur a Deo, vel a ſacerdote, eſt impropriè, vel largè dictum, quia abſoluere dicit propriè rationem vinculi: ab eo autem, quod non eſt vinculum, non poteſt quis propriè abſolui: pęna tamen non eſt vinculum, ſed id, ad quod eſt vinculum. Nam obligatur homo ad pęnam: neceſſe eſt tamen differre obligationem & id, ad quod eſt obligatio, quia obligatio pertinet ad relationem: id autem, ad quod eſt obligatio, pertinet ad alterum genus prædicamenti, vt ſi ſit pęna, vel pecunia, vel aliquis actus. Ex prædictis patet, quod concluſio iſta eſt
G vera in terminis ſuis, & ſunt termini propriiſſimè poſiti. ſcilicet, quod Deus non abſoluit a pęna, nec a culpa, ſed ſolum a reatu propter cauſam ſupradictam: tollit tamen offenſam, & maculam, ſicut ſupra dictum eſt: ſacerdos autem non abſoluit a pęna, nec à culpa, ſed ſolum à quadam parte reatus pęnæ, vel à toto reatu ſi eſt Papa, pęnam autem dimittit, vel tollit conſecutiuè, quia ablato reatu, vel obligatione ad pęnam, impoſſibile eſt manere pęnam in re vel ſpe. Nunc autem reſpondendũ eſt ad id, quod communiter dicitur, ſcilicet, quòd Deus abſoluit a culpa, & interdum à pęna, & quod ſacerdotes abſoluunt a pęna, & eſt dicendum, quod iſtud eſt largè dictum. Nam cum Doctores aliqui dicunt, quod Deus
H abſoluit a culpa, accipiunt culpam pro offenſa Dei, & pro macula, & interdum pro reatu, & ſatis conuenienter dictum eſt, ſcilicet, quod iſta tria, macula, offenſa, reatus ſunt effectus culpæ, & fit denominatio per cauſam, ita quod effectus accipiat nomen cauſæ, ſicut frequenter iura faciunt, & modus loquendi vulgaris. Cum autem dicitur, quod ſacerdos abſoluit a pęna, intelligitur, ideſt a reatu pęnæ, quia abſoluendo a reatu dimittit pęnam. Et iſte modus loquendi eſt ſatis conueniens, quia cum reatus non ſit niſi ad pęnam, accipitur vnum pro altero, quia etiam ſecundum Ariſtotel. vbi vnum propter alterum, vtrobique tantum vnum. Eſt etiam alia ratio quare Eccleſia accipit pęnam pro reatu pœnæ, ſcilicet, quia vult loqui clariori modo, quo poteſt: & tamen clarius eſt dicere pęnam, quam reatum, quia
I omnes homines cognoſcunt quid ſit pęna. Quid autem ſit reatus non cognoſcunt, quia reatus pertinet ad relationem, & relatio inter omnia prædicamenta habet minimam entitatem. Sed aliqui obiiciunt, quod non liceat mihi facere tales expoſitiones, ſed quòd verba Eccleſiæ, quæ communiter dicuntur, teneantur propriè. Sed dicendum, quod hoc non ſtat, quia interdum cogimur exponere Scripturam in alio ſenſu, quam verba ſonant in cortice, ſicut illud Prouerbior. decimoquinto. In omni loco oculi Domini contemplantur bonos, & malos. Et illud Pſalm. trigeſimotertio. Oculi Domini ſuper iuſtos, & aures eius in preces eorum: vultus autem Domini ſuper facientes mala. Et tñ conſtat, Pſal. 33. quod Deus nec habet vultum, nec oculos, nec aures, ſed aliter intelligendum eſt. Sic etiam ſæpè in nouo
K teſtamento iuxta illud Matth. tertio, & Lucæ tertio, ſcilicet: Ipſe baptizat vos in Spiritu ſancto, & igne. & tamen baptiſmus Chriſti non eſt in igne, & ſic etiam de infinitis aliis, Sed reſpondent aduerſarii dicentes, quod iſtud verum eſt in dictis Sacræ ſcripturæ, quæ neceſſe eſt interdum exponi aliter quam ſonant, vt vera ſint: dicta tamen Doctorum, & dicta communia Eccleſiæ non debent exponi aliter, quam ſonare videantur, ſed quod maneant in terminis ſuis. Quod tamen Deus abſoluat, & ſacerdos a culpa, eſt dictum commune Doctorum, & dictum Eccleſiæ: ideo quod debeat ſic materialiter accipi, vt iacet. Sed dicendum, quod non ſtat, quia falſum præſupponitur: nam interdum dicta communia Doctorum, & Eccleſiæ neceſſe

eſt

eſt exponi in alio ſenſu, quam ſonant. Sicut patet, quia Doctores confitentur iſtam propoſitionem, ſcilicet Deus fuit heri, & Deus eſt hodie, & Deus erit cras, nec aliquis negat: & tamen iſtæ propoſitiones ſecundum proprietatem terminorum ſunt falſæ, & hæreticæ, ſed exponuntur: Deus fuit heri, & toto tempore præterito, id eſt non incepit, vel, incipit nunc eſſe de nouo, & etiam Deus erit cras, id eſt Deus non deſinit eſſe hodie, ita quod iam non ſit cras. Et ita ſimiles propoſitiones exponuntur, quia aliàs non eſſent veræ. Et exponit eas Hieronym. ſic, & recitat illud Magiſter 1. Sententiar. diſtin. 8. ita igitur quandocumque dicta Doctorum in cortice literæ non ſunt vera, vel non ſunt propriè dicta, vel poſita, debemus ea exponere eo modo, quo vera ſint & propriè dicta, quia ſic illa ipſi intelligi voluerunt, licet aliis verbis communioribus, & vſitatioribus hoc expreſſerint: Non quidem quaſi ipſi neſcirent propria vocabula, quia interdum voluerunt loqui planiori modo, quo potuerunt. Poſtremo obiiciebatur, quòd licet prædicta eſſent vera, & benè dicta, tamen non debebat concluſio poni in talibus terminis, quia erat ſcandaloſa. Dicendum, quod iſtud ſcandalum, aut erat literatorum, aut ignorantium. Si literatorum non ſtat, quia concluſio eſt vera, & in terminis propriiſſimis: ideo nullus vir literatus debet ſcandalizari, ſed potius naturaliter gaudere de veritate poſita in terminis propriis. Si autem ignorantes ſcandalizantur: ergo non præſtiti cauſam: quia ego non iui ad prædicandum populo rudi in lingua Italica, vel Hiſpanica, ſed iui ad diſputandum cum viris doctiſſimis, qui de talibus non ſcandalizarentur. Si autem viri rudes velint legere concluſiones meas, vel audire dicta in diſputatione, & ex hoc propter ignorantiam ſuam ſcandalizarentur, ex hoc ipſi ſunt in culpa, quia ſe miſcent illi rei, quæ ad eos non pertinet. Ita etiam ſcandalizarentur ſi legerent ea, quæ ponit beatus Paulus ad Rom. 9. de prædeſtinatione, & præſentia, & quæ habentur in aliis locis ſcripturæ. Similiter ſi audirent myſteria, quæ loquuntur Doctores de Trinitate & Incarnatione, & Euchariſtia, & in aliis materiis altiſſimis turbabuntur: & tamen propter hoc non debent Doctores ceſſare à doctrina, & à ſcriptura, ſed potius ſimplices arcendi ſunt, ne iſta audiant, quia non oportet eos ſapere pluſquam oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem ſecundum conditionem ſuam, ad Rom. decimoſecundo. Hæc autem dicta ſunt ſub omnibus illis proteſtationibus, quæ per me præſentatæ ſunt ſupra. Iſte eſt tenor cedulæ Iudicibus præſentatæ, quam nec approbauerunt, nec reprobare auſi ſunt: in ſuis tamen ſcriptis eam ſeruauerunt.

De cetero ergo mihi ſatisfactum credo, quoniam harum rerum ordo, & veritas per hæc poſteros non latebit, vt hæc concluſio, quæ ad tempus tres Iudices, licet non concordi animo aduerſarios habuit, de reliquo ab omni ætate & toto ſeculo iudicetur.

Quod attinet ad cedulam, de qua auctor in initio ſuperioris cap. aliam ferunt in quodam exemplari extare ſub huiuſmodi verbis: Ad Papam Eugenium.

Beatiſſime pater: pridie exercitandi ingenij cauſa, ſicut ceteris ſcholaſticis viris ſolitum eſt in hac ſacra Curia, Sanctitati veſtræ quaſdam concluſiones ſcholaſticè & diſputatiuè tenui, nihil ex me ipſo determinare, aut reprobare intendens, niſi quod ſacroſancta Romana Eccleſia, & ſanctitas veſtra determinant, & reprobant. Hoc enim ſemper mihi propoſitum fuit, & eſt: & ego nunquam intendo recedere a veritate doctrinæ Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, & Sanctitatis veſtræ, & omnia mea dicta ſemper illi, & Sanctitati veſtræ ſubmiſi, & ſemper ſubmiſſa eſſe volo, qualitercumque contingat

A me loqui. Quędam tamen concluſionum mearum viſæ ſunt aliquibus non ſatis conſonare doctrinæ communi Doctorum. Prima erat, quod peccatum pro nullo ſtatu irremiſſibile eſt. In qua ego non volui ſentire, quod peccatum in inferno, vel poſt hanc vitam dimitteretur aliquibus, ſed ſentio, quod nullum peccatum mortale poteſt dimitti homini, niſi in vita, ſicut tota tenet Eccleſia. Sed accèpi illum terminum irremiſſibile ſtrictè, ſcilicet, quod licet peccatum animæ exutis extra vitam nunquam dimittatur: tamen non repugnat ex conditione peccati ſecundum ſe poſſe remitti, licet repugnet ex habitudine animæ, quæ iam eſt obſtinata: etiam repugnet ex ordinatione Dei, qui diſpoſuit non concurrere ad cauſandum actum contritionis cum animabus poſitis extra corpus. Si tamen poſſet eſſe, quod animæ exiſtē-
B tes in inferno verè dolerent de peccato ſuo, ſcilicet inquantum offenderunt Deum, per illud remitteretur eis peccatum. Et ſic non eſt adhuc peccatum illud ſecundū ſe irremiſſibile, licet certum eſt, quod nunquam remittetur. Et tales modi loquendi recipiuntur apud omnes viros ſcholaſticos, qualis ego fui diſputando iſta.

Alia particula concluſionis huius erat, ſcilicet à pœna, aut à culpa Deus non abſoluit, nec aliquis ſacerdos abſoluere poteſt. In qua non intendi, nec nunc intendo negare poteſtatem Dei, nec ſacerdotum in abſoluendo, quia aliàs me oporteret concedere, quod omnes homines, qui ſemel peccaſſent, nullam poſſent habere remiſſionem peccatorum, & quod perirent æternaliter, quod tamen ego negabam, & nego ſemper. Sed ego concedo, & conceſſi ſemper, quòd Deus poteſt
C abſoluere ab omnibus peccatis: Papa etiam poteſt abſoluere ab omnibus peccatis, & poteſt dare plenariam indulgentiam liberando hominem à tota pœna purgatorii, ſcilicet faciendo, quod non veniat in illam: etiamſi multa peccata commiſerit. Et hoc eſt, quod Papa habet clauem liberam ſuper totum theſaurum Eccleſiæ. Conceſſi enim, & concedo, quod ſacerdotes minores poſſint abſoluere à peccatis, & poſſint tollere virtute clauium quandam partem pœnæ purgatorii, ad quam peccator poſt contritionem, & confeſſionem manebat obligatus. Dixi tamen, quod Deus non abſoluebat à pęna, aut à culpa, nec aliquis ſacerdos, quia accepi iſtum terminum, Abſoluere, ſtrictiſſimè, & iſtum terminum Pœnam, & Culpam, ſtrictiſſime, diſtinguendo pœ-
D nam, & culpam à reatu, id eſt obligatione, & iſto modo dicebam, quòd Deus, vel ſacerdos ſtrictè ſumendo abſoluit à reatu pęnæ, & non à pęna. Sed quantum ad realitatem idem eſt vtrunque.

Nec ego concedo, nec credo minorem eſſe poteſtatē Dei, nec auctoritatem Dei, & Eccleſiæ in abſoluendo, quam crediderit vſque huc aliquis Doctor de catholicis cuius doctrina communiter teneatur.

Etiam bene concedo iſtas propoſitiones quas ipſi dicunt, ſcilicet Deus abſoluit à culpa: Deus abſoluit a pœna: etiā ſacerdos abſoluit a pęna, & omnes ſimiles propoſitiones in ſenſu, in quo ipſi accipiunt, non diſtinguēdo pęnam, & culpam a reatu omnibus modis, quibus ego diſtinxi. Si tamen accipiatur ſtrictiſſime, ſicut ego accepi, debet concedi, quod abſoluitur quis a reatu ſo-
E lo, & non a pęna, nec a culpa, ſed pęna tollitur ablato reatu ſiue auferendo reatum. Et iſte modus loquendi conuenit viris ſcholaſticis, ad quos conuenit ſtricte loqui de terminis.

Alia erat concluſio de die mortis Chriſti, ſcilicet, quod non mortuus eſt die vigeſimaquinta Martii, ſcilicet die Annunciationis Virginis, ſed die tertia Aprilis anno trigeſimotertio ętatis ſuæ incboato. Et ad hoc inductus ſum ex duobus principiis euangelicis. Vnum eſt, quod Chriſtus mortuus eſt die veneris, quia mortuus eſt luna quintadecima menſis primi Iudæorum die prima Azymorum: & tamen in anno trigeſimotertio Chriſti nō fuit dies Annunciationis die veneris, ſed die Mercurij. Et non fuit luna quintadecima, ſed luna quarta, vel quinta. Sicut apparet neceſſariò per viam aſtrologicam,

logicam,& per viam computiſtarum. Et tamen concurrerant iſta duo, ſcilicet die veneris, & luna quintadecima in die tertio Aprilis: ideo dixi illa die Chriſtum fuiſſe mortuum anno trigeſimotertio ętatis ſuæ inchoato. Et quia quidam tenent Chriſtum mortuum fuiſſe anno trigeſimoquarto ætatis ſuæ inchoato, dicebam, quòd illo anno non potuit mori die Annunciationis, quia tūc dies Annunciationis fuit neceſſario die Iouis: Chriſtus tamen mortuus eſt die veneris, & tunc non erat luna quintadecima, ſed decimaſeptima. Et propter quoſdam alios defectus, qui incidebant vt demonſtrari poteſt manifeſtè via aſtrologica. Sed non curaui coram Sancti-

F tate veſtra prolongare ſermonem. Hæc ſunt Pater Beatiſſime, quæ in prædictis ſenſi, & ſentio: nec tamen intendo deuiare in aliquo a doctrina Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, & Sanctitatis veſtræ, quæ ſi illud tenet, illud ego teneo, ſi hoc tenet, iſtud ego profiteor; ſed in omnibus determinationi, & correptioni Sanctitatis veſtræ, & San-

G ctæ Romanæ Eccleſiæ tam in ſententia, quam in verbis me ſubmiſi, & ſubmitto, à qua nunquam intēdo deuiare, ſicut nec hucuſque aliquando ſponte deuiaui: nec etiam intendi præiudicare veritati, aut doctrinæ, vel auctoritati quorumcunque melius ſentientium, ſed omnia ſalua pace fidei, & veritatis dicta ſint.

Finis Partis Primæ.

ALPHONSI TOSTATI EPISCOPI ABVLENSIS DEFENSORII

Pars Secunda.

PROOEMIVM.

IN præfata concluſione quoniam aggrauare cupientibus grauior videbatur, erat quam ea aptior. vt eius occaſione rudem plebeculam æmulorum meorum iniquitas concitaret, ſicut & re ipſa compertum eſt. breuem cedulam ſupra ſcriptam velut eius quendam commentarium Iudicibus porrexeram, quorundã indignationẽ placaturus, aut vt verius dicam meam innocentiam oſtenſurus, ipſamque quorundam apertam mendacẽ iniquitatẽ ad verecundiam deducturus qui non erubuerant alia pro alijs in mei grauiſſimum odium ſæpè proferre. De alijs autem duabus concluſionibus minor, aut nulla ſolicitudo mihi erat: ſed mihi potius materiam gaudij ſæpiſſimè contulerunt. cum aduerterẽ aduerſarios in has quotidie, quã in præcedentem maiora moliri: Quia tamen mentiebatur iniquitas, eis omnibus ſuis deſtituebantur conatibus, ita vt illi ſeipſos confunderent, & reuera viam habitaculi, & ciuitatis ignorabant.

Cum ergo multorum dierum ſuper eis laborioſas operas perdidiſſent, quod ſatis ſibi ipſis ad ignominiam cedere arbitrabantur, nihil omnino feciſſe putarentur, eas præſumptuoſas, vel ſuperbas vocauerunt: falſas tamen dicere eas nequaquam auſi ſunt: cum tamen per multos dies antè plurimi æmulorum ipſorum eas erroneas, & hæreticas apertiſſimè teſtarẽtur. Super eis autem ad quorundã potius informationem, quam ad mei defenſionem, quæ ſuper hoc oportuna non erat: cum illi eas de falſitate notare non auderent. Et vt huius rei veritas paruulis, & indoctis pateat: precibus, immo verius imperio cuiuſdam Reuerendiſſimi patris, aliquibus placituras declarationes, & aduerſariorum confutationes ſcripſi, dirigens eas præfato Reuerendiſſimo Patri, vt ex proœmiali prælocutione ſequenti aperitur.

CAPITVLVM PRIMVM.

In quo ponitur intentio auctoris, & dirigitur opus Cardinali ſancti Angeli. Qui poſtea cum eſſet ſedis Apoſtolicæ in Vngaria Legatus ibi in bello contra Turcas fortiter pugnans obijt martyrio coronatus.

TAntam Reuerendiſſimæ paternitatis veſtræ excellentiam veneratus, nec iuſſa potui, nec debui præterire. Inerat enim altiſſima iubentis auctoritas, vnde me manebat neceſſitas obſequendi. Parui igitur præceptis veſtris Reuerendiſſime pater: ſed vtinam tã efficaciter, quam deuotè. Eſt mihi tamen in hac parte quod doleã, quoniã paupercula mihi efficiendi diſtributa poteſtas, votorum magnitudinem non valuit exæquare. Non tamen nimis dolẽdum credidi: nam velut qui ab ipſa rerũ parente natura vlla patitur nocumenta, contra quam potentia nulla efficax eſt, ex hoc non nimis gemendum cenſet, ſicut ſi ob eius aduerſos mores, aut iniquorum mordacem nimiſque efficacem inuidentiã vlla quæuis eueniſſet calamitas: non ſecus ego. Nam quod latiſſimo obſequendi deſiderio affectus æqualance non rependerim, nulla diſtorti animi ad obediendum repugnantia, aut ignauus quidam negligenſque torpor induxit, ſed ipſa cunctorum menſuratrix natura, & rerum imparitas, atque improportionalis exceſſus effecit, nihil à me poſſe obſequij prodire dignum tam Reuerendiſſimæ

A paternitati, & tamen glorioſiſſimæ excellentiæ.

Iniunxerat.n. reuerendiſſima veſtra paternitas homũcioni mihi, & inutili ſeruo ſuo ſuper duas concluſiones de anno, & de die mortis Chriſti per me diſputatas, declarationes aliquas ſcriptis tradere. Et quoniam concluſio de anticipatione cęnæ Domini, & de confectione eius prima facta coram Diſcipulis, conſequẽs eſt ad has duas concluſiones propter temporis identitatem & rerum geſtarum attinentiam, de tribus ſimul aliqualiter attingendum eſt. & primo de illa, in qua agitur de anticipatione, vel non anticipatione cęnæ Domini.

CAPITVLVM II.

B *Quod Chriſtus tota vita ſua ſeruauit legem Moyſis aſcendendo in Ieruſalem ter in anno in tribus feſtiuitatibus.*

ERat aũt concluſionis huius tenor. In vltima celebritate paſchali de cęremonialib. Chriſtus nihil mutauit: ſed comedit ea die, qua Iudęi, nec anticipauit. In prima particula concluſionis dr̃: In vltima celebritate paſchali, quod ponitur ad dr̃iam aliarum celebritatum paſchalium, quas Chriſtus egit. Nã de nulla illarũ dubiũ eſt, an obſeruauerit oẽs cæremonias feſtiuitatis: ſed ſolum de iſta celebritate vltima paſchali, qñ Chriſtus mortuus eſt, dubiũ eſt, an omnes cæremonias obſeruauerit.

Patet hoc, nã Chriſtus quolibet anno celebrabat feſtiuitatem paſchalem aſcendendo in Ieruſalẽ cum parentib. ſuis, vel cũ alijs, & ibi comedebat de agno paſchali
C iuxta omnes cæremonias eius. Hoc patet tripliciter.

Primo quia Chriſtus obſeruauit legem Moyſis toto tpe vitæ ſuæ, ſicut ipſe dixerat, non veni ſoluere legẽ, ſed implere Matth. 5. & tñ lex Moyſis iubebat, vt oẽs maſculi de ſtirpe Iudæorum aſcenderent ter in anno ad templum Dñi, ſ. in feſto Azymorum, & in feſto Hebdomadarum ſiue Pentecoſtes, & in feſto Tabernaculorum, ſiue Scenophegiæ: Exod. 23. & 24. & melius Deuter. 16. Chriſtus ergo aſcendebat quolibet anno ter in Ieruſalem in prædictis feſtiuitatibus.

Secundo patet, quia Luc. 7. dicitur: Et ibant parentes
D eius per omnes annos in Ieruſalem in die ſolẽni Paſchę, & ibi dicitur quomodo Chriſtus ibat cum eis.

Tertio patet, quia eodem capit. dicitur: & cum factus eſſet Ieſus annorum duodecim, aſcendentibus illis in Ieroſolymam ſecundum conſuetudinem diei feſti, aſcendit cum eis: ex quo apparet, quod non ſolum Chriſtus anno 12. ætatis ſuæ aſcendit in Ieruſalem cum parentibus ſuis, ſed etiam quolibet anno aſcendebat, cum dicatur, ꝙ aſcendit ſecundũ conſuetudinem diei feſti: conſuetudo tamen frequentationem, & continuationẽ importat. Ponitur tamen ibi ſolum de anno 12. eo quod in
E illo accidit ſpeciale miraculũ de diſputatione Chriſti pueri cum legis peritis.

De his oĩbus celebritatibus paſchalibus, quæ fuerũt per oẽs annos vſque ad annum mortis Chriſti nulla ratio dubitandi eſt, an in eis Chriſtus obſeruauerit oĩa cęremonialia paſchæ, ſed ſolum de vltima celebritate paſchali, qñ mortuus eſt, quia tunc quidam putant, ꝙ ꝓp mortem ſuam, quæ fuit in feſto paſchæ nõ potuerit obſeruare oĩa cæremonialia illius feſti: ideo dixit cõcluſio, ꝙ ẽt in iſta vltima celebritate paſchali Chriſtus nihil mutauit de cæremonialib. ſicut nec in alijs mutauit.

CAPITVLVM III.

Quod feſtum Phaſe, & Azymorum differunt in quatuor, & quæ ſunt cauſa & cæremonia vtriuſque.

PRo quo ſciendum, quòd in iſto ſeſto paſchali erant duo feſta, ſcilicet feſtum Phaſe, & feſtum Azymorum. Quidam autem de noſtris putant nullam omnino eſſe differentiam inter hæc, ſed errant tanquam ignari veteris teſtamenti, in quo iſta differre ponuntur. In quo conſiderandum eſt, quòd iſta duo feſta differunt quadrupliciter, ſcilicet in ordine temporis, & in diuturnitate, & in cauſa, & in cæremonijs.

De primo patet, quia feſtum Phaſe erat quartadecima die menſis primi, & feſtum Azymorum erat die quintadecima menſis eiuſdem Leuit. vigeſimotertio, ſcilicet: Menſe primo quartadecima die menſis ad veſperum Phaſe Domini eſt, & quintadecima die menſis huius ſolemnitas Azymorum. Idem patet Exod. 12.

Secundò differunt in diuturnitate, quia feſtum Phaſe non durabat niſi per diem vnum: immo non per vnum diem integrum, ſed ſolum per tres, vel per quatuor horas diei quartidecimi cum nocte ſequenti: ideo quando dicitur de tempore diei Phaſe, nō dicitur, quòd erat Phaſe ſimpliciter die quartadecima menſis, ſed ſubiungitur, quod erat die menſis ad veſperum: Leuit. vigeſimoprimo, & Exodi decimoſecundo, quaſi dicat, quod non incipiebat iſtud feſtum in principio diei, ſed circa finem eius ad veſperum, ſcilicet ad ſolis occaſum. Iudæi tamen volentes magis ampliare iſtam feſtiuitatem inchoant eam immediatè poſt meridiem, cum Sol incipit declinare à meridiano, eo quod totam illam partem diei vocant veſperum. In reliqua autem parte diei faciunt quæcunq; opera ſeruilia, ſicut in quibuſcūque diebus profeſtis. Nox autem ſequens pertinet ad illam feſtiuitatem, quia in tota nocte illa poſtquam Iudæi comederint agnum paſchalem, debent vacare laudibus diuinis referendo ſibi beneficia collata. Et ſic faciunt vſq; hodie Iudæi. Sic colligitur Exod. 12. ſcilicet nox iſta obſeruabilis Dñi eſt, i. debet obſeruari ad laudē Dei. Feſtū aūt Azymorum durat per ſeptem dies integros, ſ. a fine diei quartidecimi vſq; ad finē diei viceſimiprimi: Exod. 12. & Leuit. 23. & Deut. 16. Tertio differunt iſta feſta in cauſis, quia diuerſæ cauſæ fuerūt inſtitutionis earū. Feſtū n. Phaſe fuit inſtitutum in memoriam liberationis primogenitorū Iudæorum ab angelo percutiente, & non in memoriam exitus de Aegypto, vt aliqui falſe putāt. Nā cum educturus eſſet Deus Iſraelitas de Aegypto, nec permitteret Pharao, immiſit Dñs angelū percutiētem, qui percuſſit oīa primogenita Aegyptiorum in hominibus & in pecoribus, ita vt non eſſet aliqua domus in tota Aegypto, in qua non eſſet aliquis mortuus. Exod. 12. & quia domus Hebræorū erant mixtæ domibus Aegyptiorum, vt angelus percutiens in domibus Aegyptiorum non percuteret in domibus Hebræorū, poſitus fuit ſanguis agni paſchalis in ſuperliminaribus domorū Hebræorum, & ſuper vtrumque poſtem, vt angelus videns ſanguinē, tranſiret, & non percuteret: Exod. 12. Et propter hoc iſtud feſtum vocatur Phaſe, & in Hebræo peza, id eſt tranſitus, ſ. quia trāſibat, & non percutiebat. Vel ſm̄ quoſdā peritiſſimos Iudæorum dr̄ peza, i. picea, quod interpretatur claudus. Quia ſicut claudus figit vnum pedem, & alterum non: ita angelus percutiens percutiebat in vna domo, & in altera non. De iſta cauſa feſti Phaſe ſatis patet Exod. 12. 13. & Deut. 16. Cauſa aūt feſti Azymorum fuit exitus Iſraelitarum de Aegypto, vt veniret eis ſemper in mentem, ꝙ exierunt de Aegypto, cum magno tremore & celeritate: nam Moyſes denunciauerat Iudæis, ꝙ exituri erant de Aegypto die quintadecima menſis primi, & ob hoc in nocte præcedenti voluerunt coquere panes pro itinere, & fecerunt maſſas: cum autem media nocte angelus percutiens occideret Aegyptios, putauerunt ipſi, ꝙ omnes occidendi erant, & quod ſi manerent Iſraelitę to-
F ta illa nocte in Aegypto, nemo ſuperuiueret de Aegy-
ptiis, ideo venit Pharao ad Moyſen compellens eos ſi-
lico exire, & ſic coacti ſunt Iudæi recedere nondum fer
mentatis maſſis, ſed ligauerunt eas in palliis, & tule-
runt non fermentatas in humero, & comederunt panes
Azymos quamdiu durauerunt illæ maſſæ. Et quia iſtud
factum eſt ex celeritate exeundi, iuſſit Dominus, vt co-
mederent ſeptem diebus panes Azymos in memoriam
illius pauoroſi exitus. Deuter. 16. ſ. Septem diebus come
des abſque fermento afflictionis panem, quoniam in pa
uore egreſſus es de Aegypto, vt memineris diei egreſ-
ſionis tuæ de Aegypto omnibus diebus vitæ tuæ. Quar-
tò differunt iſta feſta in cæremoniis, quoniam nullo mo
do coincidunt cæremoniæ eorum. Prima cæremonia fe-
ſti Azymorum eſt, quia inter ſeptem dies, quibus durat
iſta feſtiuitas duo ſoli ſunt venerabiles, ſcilicet, primus,
& ſeptimus, in quibus ceſſatur ab omni opere ſeruili: E-
G xod. 12. & Leuit. 23. & tamen in feſto phaſe non vacatur
a laboribus. Secūda cæremonia eſt, quod in illis ſeptem
diebus comedunt Iudæi Azymos panes, & tamen quan
tum ad carnes, & quoſcumque alios cibos nulla deter-
minatio eſt, ſed comedunt Iudæi quidquid volunt, in fe-
ſto autem phaſe non eſt ſic, quia obligantur comedere
agnum anniculum cum certis cæremoniis: Exod. 12. &
Num. 9. Tertia cæremonia feſti Azymorum erat oblatio
manipuli ſpicarum. Nam cum venirent hordea ad ma
turitatem, colligebatur manipulus ſpicarum, & offere-
batur in altari, & inde fiebat ſacrificium torrendo gra-
na, & cremando coram Domino: Leuit. 23. & 3. capit. &
hoc fiebat die ſecunda Azymorum, & ante iſtum diem
H non licebat cuiquam mittere falcem in meſſem nec co-
medere grana: Leuitic. vigeſimotertio, ſcilicet panem,
& polentam, & pultes non comedetis ex ſegete, vſque
ad diem, qua offeretis ex ea Deo veſtro: in feſto autem
phaſe nulla oblatio ſpicarum erat. Quarta cæremonia
erat diuerſitas ſacrificiorum ſolemnium, quæ fiebant
in ſeptem diebus Azymorum cum libamentis ſuis, quæ
ponuntur per ſingula: Numer. vigeſimooctauo. In feſto
autem phaſe non fiebant aliqua ſacrificia niſi ſacrifi-
cium iuge, quod nulla die dimittebatur Leuitic. ſex-
to, & Numer. vigeſimooctauo. In feſto autem iſtę fie-
bant cæremoniæ agni paſchalis, ſcilicet, accipiebatur
agnus anniculus, & de ſanguine eius liniebantur ſuper-
liminaria domorum, & vterque poſtis, & comedeba-
tur ad veſperum cum Azymis, & lactucis agreſtibus,
I nihilque relinquebatur in ſequentem diem. Quod ſi
aliquid reſiduum foret in ſequentem diem, non lice-
bat cuiquam hominum comedere de illo, ſed cremaba-
tur igne.

Comedebantur autem carnes, & non oſſa, Non licebat frangere aliquod os quantumcumque paruum, ſed omnia relinquebantur integra. Erant autem comedentes ſtantes pedibus, & non ſedebant, habebant calceos in pedibus, & in manibus baculos, & comedebant feſtinanter, lumboſque tunc accinctos habebant: Exod. duodecimo, & numer. nono. De cauſis autem literalibus aut figuralibus harum cæremoniarum per ſingula nunc dicendum non eſt, ne ſermo fiat longior, quam voluerimus.

Apparet ergo magnam eſſe differentiam inter iſtas
K duas feſtiuitates. Interdum tamen Euangeliſtæ ponunt
eas tanquam vnam feſtiuitatem propter continuitatem
temporis, ſcilicet, quia inter vnum, & aliud feſtum
nullus dies intercidit. Vnde interdum vtrumque feſtum vocatur feſtum Azymorum, & interdum vtrumque vocatur paſcha, de quo magis infra dicetur. De feſto autem Azymorum nunc omnino dimittendum eſt, quia non pertinet ad præſentem conſiderationem, eo quod Chriſtus noſter, propter quem iſta introducuntur, non vidit feſtum Azymorum, ſed prima die illius mortuus eſt, celebrauit autem feſtum phaſe die præcedenti antè mortem ſuam: ideo de iſto feſto nunc conſideratio non eſt.

CA-

CAPITVLVM IIII.

Quod Chriſtus obſeruauit in vltima cœna omnes cæremonias agni paſchalis, & quod inter Græcos, & Latinos ſolum eſt controuerſia de duabus earum.

NVnc autem redeundum eſt ad id, quod ſupra dicebamus de cæremonijs paſchalibus, quas Chriſtus obſeruauit in hac cœna vltima. Et dicendum eſt, quòd Chriſtus obſeruauit omnes illas cæremonias agni paſchalis, quæ ſupra enarratæ ſunt, & quæ obſeruabantur ab omnibus Iudæis, ſ. comedit agnum cum azymis, & lactucis agreſtibus, & ceteris cæremonijs, nec omiſit aliquam. Et patet hoc, quia Chriſtus tota vita ſua obſeruauit legem Moyſis, vt poſt mortem ſuam inchoaret lex noua: & tamen quælibet iſtarum cæremoniarum paſchalium erat de neceſſitate, cum lex determinaſſet omnes illas, ideo credendum eſt, quòd Chriſtus omnes illas ſeruauerit, quia aliàs non diceretur obſeruator legis, quia ſicut nihil obſeruando de lege eſt præuaricatio legis, ita ſi quis omiſerit vnum de his, quæ traduntur in lege præuaricator eſt.

Secundò patet, quia ꝙ Chriſtus obſeruaret quaſdam cæremonias legales, & alias non, erat quodammodo inordinatum, & irrationale, & ſubire laborem ſuperuacuum & inutiliter. Nam obſeruare quaſdam labor erat, cum quælibet cæremonia legalis ſit laborioſa & oneroſa: vnde lex Moyſis quantum ad cæremonias vocatur onus. Sic enim dixit beatus Petrus Actuum 15. nunc ergo quid tentatis imponere iugum ſuper ceruices diſcipulorum, quia nec patres noſtri, nec nos portare potuimus? omittere autem quaſdam cæremonias erat offendere legem: ideo obſeruare quaſdam, & non omnes erat labor ſuperuacuus, & irrationabilis, quod Chriſto non competit, qui in omnibus fuit ordinatiſſimus: immo ipſe ordo omnium operationum noſtrarum: ſed manifeſtum eſt, quòd Chriſtus in vltima celebritate paſchali obſeruauit aliquas de cæremonijs huius feſti: ideo dicendum eſt, quòd omnes obſeruauit. Hoc tenet Eccleſia in illo hymno corporis Chriſti, quod fecit beatus Thomas.

In ſupremæ nocte cœnæ
Recumbens cum fratribus
Obſeruata lege plenè
Cibis in legalibus.

Ecce qualiter dicit legem fuiſſe obſeruatam plenè in cibis legalibus: ergo omnes cæremoniæ agni paſchalis à Chriſto in illa cœna obſeruatæ ſunt. Nunc autem dicendum, quòd in hoc non eſt aliqua difficultas, quòd omnes Chriſtiani tam Græci, quam Latini concordant in hoc, quòd Chriſtus obſeruauit omnes cæremonias agni paſchalis in vltima cœna. De duabus autem illarum ſolum dubitant, ſcilicet de tempore & de Azymis. Nam vna cæremonia de neceſſarijs huius feſtiuitatis erat, quòd celebraretur die quartodecimo menſis primi: Exod. 12. & Leu. 23. & Num. 9. quidam tamen putant, quòd Chriſtus non obſeruauit iſtam diem, ſed celebrauit paſcha die tertiodecimo menſis primi, ſicut Græci credunt. Alia cæremonia eſt quantum ad Azyma. Nam debebat comedi agnus paſchalis cum Azymis: immo quod plus eſt, illo tempore, quo comedebatur agnus paſchalis, nõ debebat eſſe aliquod fermentatum in tota terra Iſrael Deut. 16. Quidam autẽ putant Chriſtum non comediſſe agnum paſchalem cum Azymis, ſcilicet illi, qui credunt Chriſtum celebraſſe paſcha die tertiadecima menſis, quando nondum erat panis Azymus in terra, ſed omnes panes erant fermentati. De his ergo duobus nunc agendum eſt ad certificandum, an Chriſtus obſeruauerit eas, vel omiſerit in iſta vltima cœna paſchali.

A

CAPITVLVM V.

In quo inducit auctor ſex rationes ſatis euidentes, quæ poſſent fieri pro parte Græcorum, licèt ipſi non faciant eas.

ACcedendo ad primam dubitatur; an Chriſtus manducauerit paſcha vltimum vitæ ſuæ die quartadecima menſis primi, quando omnes Iudæi celebrant paſcha, vel anticipauerit, & celebrauerit die tertiodecimo eiuſdem menſis. Dicendum, quod in hoc diuerſitas fuit: quidam enim ſenſerunt, quod Chriſtus manducauerit die tertiadecima, & iſta fuit opinio Græcorum, quam etiam Doctores ſancti tenere videntur: in qua conamur nos allegare ex Sacra Scriptura ea, quæ iſtam partem B ipſorum defendere poſſunt, licet ipſi non allegauerint, vt vir peritus videat an potuerint eſſe rationabilia motiua ad iſtam partem. Et primo probatur, quia Ioan. decimooctauo, dicitur, ꝙ quando Iudæi duxerunt Chriſtũ ad Pilatum, non introierunt in prætorium, ne contaminarentur, ſed manducarent paſcha: ergo Iudæi non manducauerant paſcha, ſed ipſa die, vel ſequenti manducaturi erant: Chriſtus tamen manducauerat præcedenti die antequam moreretur, ergo non manducauit paſcha die, qua Iudæi manducauerunt, ſed anticipauit. Secundo patet hoc, quia Ioan. decimotertio, dicitur: Ante diem feſtum paſchæ ſciens Ieſus, &c. & ſequitur: Et cœna facta, cum diabolus iam miſiſſet in cor, vt traderet eum Iudas, ſurgit à cœna, & ponit veſtimenta ſua: ergo antè diem paſchæ comedit Chriſtus agnum paſ- C chalem, & tamen Iudæi comedebant in die paſchæ: ergo anticipauit. Tertiò patet, quia Ioan. decimonono, dicitur. Iudæi ergo quoniam paraſceue erat, vt non remanerent in cruce corpora ſabbatho: erat enim ille magnus dies ſabbathi, &c. Et ſic apparet, quod mortuo Chriſto noluerunt Iudæi, quod corpus eius, & duorum latronum manerent in cruce die ſequenti propter feſtiuitatem, & ob hoc vt citò morerentur, petierunt a Pilato, vt iuberet crura eorum frangi, & morerentur illico, atque deponerentur de cruce, & non manerent in cruce ſequẽti die propter feſtiuitatem, & ſic apparet, quod non trãſierat feſtiuitas maxima: ſed erat ſequenti die poſt mortem Chriſti. Neceſſe autem eſt, quod iſta feſtiuitas maxima eſſet dies paſchæ, vel prima dies Azymorum, vel ſeptima: & tamen quocumque dato ſequitur, quod D Chriſtus non comederit paſcha eo die, quo Iudæi. Patet hoc, quia tempore huius celebritatis paſchalis, nõ erant niſi duæ feſtiuitates, ſcilicet, phaſe, & feſtum Azymorum vt ſupra probatum eſt. Et phaſe erat die quartodecimo menſis primi. Feſtum autem Azymorum habebat ſeptem dies, quorum primus, & ſeptimus erant valdè celebres. Exod. 12. & Leuit. vigeſimotertio, Num. 28. alii autem quinque intermedij erant quaſi dies profeſti, quia licebat in eis fieri omnia opera ſeruilia, vt patet ibidem. Neceſſe eſt autem, quod ille dies ſequens poſt mortem Chriſti eſſet aliquis dies de iſtis tribus, cum dicatur Ioan. 19. quod erat magnus dies ille ſabbathi: ſi tamen eſſet illud ſabbathum in aliquo aliorum dierum profeſtorum, non vocaretur magnus dies ſab- E bathi, quia non haberet aliquam ſpecialem magnitudinem, ſed ſolum vocaretur dies ſabbathi. Si autem detur quod aliquis iſtorum trium dierum fuerit, neceſſe eſt, quod Chriſtus non manducauit paſcha eo die, quo Iudæi. Nam ſi dicatur, quod iſtud ſabbathum fuerit dies paſchæ, cum Chriſtus mortuus fuerit die præcedenti: neceſſe eſt eum fuiſſe mortuum die tertiadecima menſis primi, & manducaſſe paſcha die præcedenti antè mortem ſuam, ſcilicet duodecima die menſis; & tamen paſcha celebrandum erat die quartodecimo: Leu. vigeſimotertio, ergo anticiparet per duos dies. Si autem dicatur, quod illud ſabbathum erat dies primus Azymorum, cũ ille eſſet dies quintuſdecimus menſis Exod. 12. & Leuit. 23. neceſſe erat Chriſtum fuiſſe mortuum die quartadecima menſis, & manducaſſe die tertiadecima. Et ſic anticiparet per vnum diem, cum paſcha

celebraretur die quartadecima menſis. Si aũt dicatur, ꝙ F illud ſabbathum eſſet dies ſeptimus Azymorum, eſſet dies viceſimuſprimus mẽſis primi: Exod. 12. & Leu. 23. Num. 28. Et ſic mortuus fuiſſet Chriſtus die præced. ſ. viceſimo menſis eiuſdem, & celebraſſet paſcha die decimonono eiuſdẽ menſis, & tunc mutaret tẽpus, cũ paſcha celebrãdum eſſet die quartodecimo menſis. Quocunque ergo detur: vř ſequi neceſſario, ꝙ Chriſtus non manducauerit paſcha ea die, qua Iudæi. Quartò patet Mat. 26. vbi Chriſtus dixit: tẽpus meũ prope eſt, apud te facio paſcha cũ Diſcipulis meis: in quo innuitur anticipatio quædam, ſ. tempus meũ prope eſt, i. quia tempus meum, ſ. mortis meæ propè eſt, i. ſequenti die, & ob hoc non potero manducare paſcha die ſtatuto: volo hodie apud te manducare illud: ſi aũt non ſignificaretur hic aliqua anticipatio, fruſtra viderentur poſita iſta ver G ba, ſ. tempus meum propè eſt, quia iſta ponuntur tanquam cauſa huius celebritatis paſchalis: ſed ſolum diceretur. Apud te facio paſcha cũ diſcipulis meis: Chriſtus tamen nihil loquebatur ſuperflue: ergo ſignificauit in hoc anticipationem celebritatis paſchalis.

Quintò patet, quia durius valde eſt, & magis repugnans celebritati alicuius feſti, quòd die ipſo aliqui ordine iudiciario occidantur, quam quòd, poſtquam occiſi fuerint in diebus profeſtis, maneant corpora eorum in patibulis in die feſto, vnde in nouo teſtamento non permittitur in die dominico aliquem ordine iudiciario verberari, vel occidi: immo nec cauſam agi, aut ſententiam dari, vt patet extra de ferijs cap. omnes dies dominicos, & tamen ſi fuerint aliqui ſuſpenſi in diebus profeſtis, permittuntur corpora eorũ manere in patibulis H in diebus dominicis. Sed Iudæi non permittebãt, quòd illo magno ſabbatho permanerent corpora in cruce, & & tamen illud non erat paſcha, vt volunt aduerſarij: ſed ſimplex ſabbathum: ergo a fortiori non permitterẽt occidi aliquos in die paſchæ, cum dies primus paſchæ ſit ceteris celebrior: Leui. 23. & Num. 28. ergo non occiſus eſt Chriſtus in feſtiuitate paſchæ. Si tamen detur, quòd Chriſtus non anticipauit cænam agni paſchalis, neceſſe eſt, quod occiſus fuerit prima die paſchæ: ergo anticipauit cænam. Patet hoc, quia ſi Chriſtus non occiſus eſt in die feſto paſchę, ſcilicet magna feſtiuitate, fuit occiſus antè vel poſt: ſi ante fuit occiſus, neceſſe eſt, ꝙ anticipauit cænam, quia iſta feſtiuitas erat die quintodecimo menſis, & ipſe moreretur die præcedenti, ſcilicet quartodecimo, & comederet agnum die præcedenti I añ mortem ſuam, ſcilicet die tertiodecimo: & tamen agnus paſchalis comedendus erat die quartodecimo: ergo anticipabat. Si autem mortuus fuerit poſt diem feſtum paſchæ, cum iſtud feſtum eſſet die quintodecimo menſis, vt dictum eſt, moreretur ſaltem die ſextodecimo. Et quia comedit paſcha die præcedenti ad mortem ſuam, vt teſtantur omnes Euangeliſtæ, ſcilicet, quia illico vt ſurrexit de cęna, iuit in hortum, & captus eſt ibi à miniſtris Iudæorum, & ſequenti die occiſus eſt: ergo comederet agnum die quintodecimo, & tunc poſterioraret tempus per vnum diem: & tamen in feſto magno paſchæ non permitteretur Chriſtus occidi, nec aliquis alius, vt ſupra dictum eſt: ergo anticipauit cænam, vel poſteriorauit: nemo tamen dicit, quod poſteriorauit: ergo dicendum eſt, quòd anticipauit. K

Sexto patet, quia Matt. 26. & Mar. 14. dicitur, ꝙ dixerunt põtifices: Nõ in die feſto, ne forte tumultus fieret ĩ populo, dies feſtus vocatur hic dies primus Azymorũ, in quo cõueniebant oẽs viri de terra Iſrael in locum Sanctuarij ad comedendum de agno paſchali die præcedẽti, quia Deus iuſſerat, ꝙ ter in anno conuenirent omnes viri Iſraelitæ in locum Sanctuarij. Et primum feſtũ iſtorum erat dies prima Azymorum: Exo. 23. & 34. & Deu. 16. & quia populus habebat Chriſtũ, vt ꝓphetã: timuerunt pontifices, ꝙ ſi illa die congregato toto populo conarentur occidere eũ, fieret tumultus magnus in populo: ergo non occiderunt eum in die feſto: ſi ñ non occiſus eſt in die feſto oportet eſſe anticipationem, vel poſteriorationem cænæ. Quod patet, quia vel occiſus eſt antè diem feſtum, vel poſt; ſi antè, neceſſe eſt, quò ſaltem die quartodecimo occideretur, & ſic cænaret die tertiodecimo; & tamen agnus paſchalis comedendus erat die quartodecimo. Si autem poſteriorauit, occiſus eſt ſaltem die decimoſexto, & comederet agnum die quintodecimo, qui tamen comedendus erat die quartodecimo: ergo poſteriorauit, & ſic non poteſt dari, quod comederit eo die, quo Iudæi.

CAPITVLVM VI.

In quo declaratur, quomodo opinio Græcorum conſonet omnibus auctoritatibus Sacræ Scripturæ, & quod nullum ſequatur inconueniens illa poſita, & de differentia diuiſionis immunditiarum legalium.

G SEntentia iſta etiam rationabilis videbatur, & inducit ex neceſſariis fundamentis. Et hãc ſequuntur omnes Græci. Huius poſitionis caput eſſe videtur Ioan. Chryſoſtomus Doctor famoſiſſimus inter Græcos dicens, ꝙ Chriſtus per vnam diem antè Iudæos paſcha celebrauit reſeruans ſuam occiſionem feriæ ſextæ: ſed licet non teneat hoc Chryſoſtomus, ſatis eſt, quod eſt communis Gręcorum opinio. Et hoc modo deberet dici, quod dies feſtus Iudæorum, ſcilicet dies primus Azymorum erat dies ſabbathi, quod vocatur magnum ſabbathum, & die veneris præcedentis ad veſperum comedendus erat agnus paſchalis ordinario ſecundum legem. Chriſtus autem, quia diſpoſuerat mori die ſequenti, die quo immolabatur agnus legalis, cum ipſe eſſet agnus immolãdus H realiter impoſiturus terminum vmbratili agno: voluit occidi eadem die veneris, antequam occideretur agnus legalis, qui eadem die ad veſperum immolandus erat. Hoc modo neceſſe erat, quod Chriſtus anticiparet cænam agni, vel nullo modo celebraret eam, cum ipſe illo die occidendus erat, quo immolabatur agnus: & tamen Chriſtus noluit omittere cænam agni paſchalis, quia iſta videbatur multum neceſſaria ad ſignificãdum, quòd in ea imponebatur terminus omnibus veteribus cæremoniis, ſicut dicitur: Luc. 23. Deſiderio deſideraui hoc paſcha manducare vobiſcum, antequam patiar. Si tamen non importaret aliquod myſterium iſta celebratio vltima paſchalis: Chriſtus non diceret, ſe eam deſiderare, quia Chriſtus non deſiderabat ſuperflua, ſed neceſſaria, vel nimis vtilia, & ordinatiſſima: ergo non debuit omit- I tere iſtam celebritatem paſchalem vltimam. Et quia nõ potuit eadem die, quo Iudæi impediente morte, neceſſe erat, ꝙ præcedenti die celebraret paſcha, ſ. die Iouis, quæ erat dies tertiuſdecimus menſis. Et ſic anticipabat per vnum diem, quia quartòdecimo paſcha celebrandũ erat. Hoc modo non ſequitur aliquod inconueniens de ſupra inductis, quæ videntur ſequi, ſi ponatur Chriſtum manducaſſe paſcha ea die, qua Iudæi. Sic etiã conſonant huic poſitioni omnes auctoritates ſupra allegatæ.

De prima patet, ſ. non introierunt in prætorium, &c. Nam ſic dicendo Chriſtus mortuus eſt die veneris, quæ erat dies quartadecima menſis primi, & ad veſperum illius immolandus erat paſcha, & ſi introiuiſſent Iudæi in prætorium, contaminarentur, & non poſſent manducare de agno paſchali, qui immolabatur eadẽ die ante ſo- K lis occaſum, & ſi incurriſſent iſtam immunditiam non poſſent mundari, antequam tranſiret ſolis occaſus: & tamen ante ſolis occaſum incipiebat paſcha: ergo nõ poſſent celebrare paſcha propter immunditiam. Pro quo ſciendum, quod in immunditiis, & contaminationibus legalibus erat differentia in duratione, quia quædã durabant longo tpe, ſiue per totam vitam hois, ſicut patet de lepra, quia erat quis immundus quamdiu pateretur illam, & inſuper octo diebus: Leu. 13. & 14. Vir etiam, qui patiebatur fluxum ſeminis, erat immundus toto hoc tempore, quo durabat iſta ægritudo, & inſuper octo diebus: Leu. 15. & interdum durabat vſque ad mortẽ. Mulier quoque fluens ſanguine extra tempora menſtruorũ erat immunda toto tẽpore, quo patiebatur, & interdum durabat hoc longo tempore, ſicut patet de muliere, Cæremoniæ de immũditiis

quam

quam Chriſtus ſanauit. Luc. 8. quæ paſſa fuerat, 12. annis. Interdum durabat immunditia octoginta diebus, ſicut in muliere, quæ pepererat fœminam: Leui. 12. interdum autem quadraginta diebus ſicut in fœmina, quæ pepererat maſculum eo. c. Aliquando autem ſeptẽ diebus, ſicut in muliere, quæ patitur menſtruum. Leui. 15. & in viro, qui tangit carnaliter mulierem menſtruatã, eod. c. & in eis, qui polluuntur tangendo mortuum, vel morticinia animalium, vel oſſa reperta in agro Num. 19. aliæ autem immunditiæ, vt communiter durabant per vnam diem ſcilicet vſque ad ſolis occaſum: Leu. 11. & 13. & 15. & 17. & 22. non tamen reperitur aliqua cõtaminatio in veteri teſtamento, quæ minus duraret quã vſque ad ſolis occaſum ſequentem, poſtquam contrahebatur, vt patet in omnibus allegatis, & etiam diſcurrendo per totum vetus teſtamentum. Et hoc verum eſt niſi in contaminatione ſummi ſacerdotis in die propitiationis in capro emiſſario, quia ponendo manus ſuper caput eius, polluebatur, & illico tollebatur illa immunditia loto corpore in aquis viuentibus: Leui. 16. Iſtæ autem immunditiæ, qualeſcunque eſſent, arcebant hominem à ſanctuario, nec poſſet tangere res ſacras ſub pœna mortis: Leui. 15. & quia carnes ſacrificiorum, & carnes agni paſchalis erant ſacræ, non licebat immundis comedere de eis. Et ſic ante paſcha expiabant ſe Iudæi de omnibus immunditijs: Sic patet Ioan. 11. cum dicitur, proximum autem erat Paſcha Iudæorum, & aſcenderunt multi Hieroſolymam de regione ante paſcha, vt ſanctificarent ſeipſos, ideſt, vt purificarentur de immunditijs, & ſic iſti Iudæi noluerunt contaminari, vt poſſent manducare paſcha ideſt, agnum paſchalem; C & tamen ſi die veneris in aurora introiuiſſent Iudæi in prætorium Pilati, non potuiſſent comedere paſcha tadem die.

Item conſonat ſecunda auctoritas Io. 13. ſcilicet Ante diem feſtum, &c. ſcilicet, quod Chriſtus fecit cœnam die iouis ad veſperum, & paſcha Iudæorum erat ſequẽti die veneris ad veſperum, quando ipſe mortuus eſt; ideo antè diem feſtum paſchale cœnauit agnum paſchalem. Item conſonat tertia auctoritas Ioan. 19. ſcilicet Iudæi autem quia paraſceue erat &cet. Non enim permiſſa fuerunt corpora in cruce die ſequenti poſt mortem Chriſti, quia mortuus eſt Chriſtus die veneris, die quartadecima menſis, quo die ad veſperum immolandus erat agnus, & illo die licebat occidi quoſcunque D ordine iudiciario, & fieri quæcunque opera ſeruilia. Dies autem ſequens poſt mortem Chriſti vocabatur magnus dies Sabbathi, eo quod dies Sabbathi ſecundum ſe eſt magnæ obſeruationis, & ſuperaddebatur ei alia feſtiuitas, quæ coincidebat cum eo, ſcilicet, quia erat tunc dies prima Azymorum, quæ erat dies celeberrima: Leui. 23. Et ſic efficiebatur magnus dies ille Sabbathi: ideo ablata ſunt corpora de cruce, ne manerẽt ſequẽti die, tam propter ſabbathum quam propter ſolemnitatem Azymorum. Item conſonat quarta auctoritas. ſ. Tẽpus meum prope eſt &cet. ſ. quia ſequẽti die moriturus erat, in qua Iudæi celebrabant paſcha, ideo anticipauit per vnum diem, quia non poterat eadem die celebrare, qua Iudæi. Item non obſtat quinta ratio de feſtiuitate, quia licet in feſto paſchali, ſcilicet prima die Azymo- E rum eſſet contra feſtiuitatem feſti occidi Chriſtum, & latrones, tamen die veneris præcedenti, quando immolabatur agnus paſchalis non erat aliquod inhoneſtum contra feſtiuitatem occidi Chriſtum, quia paſcha, quod erat eodem die, non incipiebat in aurora, vel nocte præcedenti, ſed eadem die ad veſperum ſcilicet ad horam nonam, vel circa occaſum ſolis, Deute. 16. & in reliqua parte diei licebat fieri, quidquid in diebus profeſtis fit. Conſonat etiam auctoritas. Non in die feſto, quia ponendo anticipationẽ cœnæ Chriſti non fuit ipſe occiſus die feſto. ſ. prima die Azymorum, ſed die præcedenti, & tunc nondum conuenerat populus qui conueniebat eadem die ad veſperum, quando erat tempus immolandi Phaſe. Et ſic non fuit tumultus in populo propter mortem Chriſti, ſicut deſiderabant Pontifices.

CAPITVLVM VII.

In quo ponuntur rationes quinque neceſſario probantes, quod Chriſtus non anticipauit celebrationem Phaſe, ſed celebrauit tunc, quando Iudæi celebrauerunt.

TAngit iſtam q̃onem Nicolaus de Lyra. Io. 13. ſuper illud, Ante diẽ feſtum paſchę, ſed breuiſſime tranſit: ex quadam parte q̃onem inſolutam relinquens. Tangit etiam eam S. Tho. & melius libro de erroribus Græcorum, & in ſumma contra Gentiles lib. 4. cap. 69. tertia parte ſummæ. q. 46. art. 9. in reſponſione ad primum argumentum. Et ambo tenent, ꝙ Chriſtus non anticipauit cœnam, ſed comederit ea die, qua Iudæi. Hoc ẽt tenent B antiquiſſimi Doctores Latinorum. Nam Hieronymus dixit Chriſtum luna quartadecima feciſſe cœnam, & luna quintadecima eum fuiſſe mortuum.

Dicendum igitur eſt, quod poſitio Græcorum cuius fundamenta ſupra poſuimus, licet in cortice multum rationabilis videatur, tamen falſa eſt. Chriſtus. n. cõmedit agnum ea die, qua Iudæi. ſ. die Iouis ad veſperum, quia tunc erat luna quartadecima, in qua ſcd'm legem immolabatur agnus, & occiſus fuit prima die Azymorũ. Vel ſecundum alium modum loquendi in ſecunda die Azymorum, & iſta dies mortis Chriſti erat magnæ feſtiuitatis, & ſic Chriſtus nihil anticipauit. Hoc patet multipliciter, primo, quia dicitur Matth. 26. Prima die Azymorum acceſſerunt ad Chriſtum diſcipuli eius dicẽtes, vbi vis paremus tibi comedere paſcha? ergo non manducauerat paſcha ante diem Azymorum, quia in ipſa prima die Azymorum adhuc diſcipuli ſui non parauerant ei paſcha. Et hoc concluditur quomodocunque accipiamus diem primum azymorum.

Pro quo ſciẽdum, ꝙ aliter accipitur dies Azymorum in veteri teſtamento, & aliter interdũ ab Euangeliſtis. Nam in veteri teſtamento diſtinguuntur iſta duo feſta. ſ. phaſe, & Azymorum, quia phaſe erat die quartodecimo, & feſtum Azymorum erat die quintodecimo Leui. 23. Euangeliſtæ aũt interdum accipiunt feſtum Azymorum pro feſto phaſe, & pro Azymis ſimul, & interdum accipiunt phaſe ſiue paſcha pro feſto Azymorum. Sic patet Marc. 14. ſ. Erat autem paſcha, & Azyma poſt biduum. Et ſic eadem feſtiuitas vocatur paſcha, & Azy- D ma, quia alias nõ diceretur, ꝙ poſt biduum erat paſcha, & Azyma, ſed ſi paſcha eſſet poſt biduum, eſſet feſtum Azymorum poſt triduum. Et ſicut etiam dicitur Luc. 22. ſ. appropinquabat dies feſtus Azymorum, quod dicitur paſcha. ergo pro eodem accipitur. Si accipiamus iſto modo diem Azymorum, vocabitur primus dies Azymorum dies paſchæ. ſ. quartuſdecimus dies menſis, quia in illo comedebatur Azyma cum agno paſchali. Exod. 12. & Num. 9. & ſic non anticiparet Chriſtus cœnã, ſed in ipſo die quartodecimo cœnaret, quãdo Iudæi cœnabant. Vel dr̃ die prima Azymorum ſecundam S. Thomam, & ſm̃ alios Doctores Latinorum. tertia parte ſummæ. q. 46. articu 9. ipſe dies quartuſdecimus, inquantum phaſe celebrabat ſub veſperũ, & veſpera ſiue nox diei præcedentis pertinet ad ſequentem, ideo cum die quin- E todecimo, qui erat primus dies Azymorum computatur nox diei quartidecimi, in quo immolabatur phaſe, & ſic dicebatur prima die Azymorum immolari. Sed vr̃ dicendum hoc, ꝙ hoc non poſſit ſtare, quia ſi ageretur hic de nocte illa, in qua comederetur agnus paſchalis poſt ſolis occaſum, adhuc poſſet dici, ꝙ comedebatur die primo Azymorum, ſ. die quintodecimo: & tñ agitur hic de ipſo die quartodecimo antè ſolis occaſum immo antè meridiem, quia dr̃ ꝙ acceſſerunt Diſcipuli ad Chriſtum petentes ab eo, vbi vellet ſibi parari paſcha. Et tñ ad hoc, ꝙ pararetur locus, & oĩa neceſſaria ad paſcha ante ſolis occaſum, neceſſe erat, vt inciperent hora matutina, ſ. antè meridiem, & tñ iſta pars diei quartidecimi non poteſt computari cum die quintodecimo: ſed ſolum nox ſequens computaretur cum die quintodecimo. Non poteſt ergo hic accipi dies primus Azymo-

rum, ſecundum iſtum modum pro die quintodecimo, qui vocatur propriè dies primus Azymorũ: ſed pro die quartodecimo, qui erat dies Phaſe. Si autem accipiatur dies primus Azymorum ſecundũ Iudæos pro die quintodecimo menſis primi, ſequeretur ꝙ Chriſtus cœnauerit die quintodecimo ad veſperum, & ſic poſteriorauit per vnum diem, cũ Iudæi celebrarent Paſcha die quartodecimo: ideo nullo modo anticipauit. Sed dicendum eſt, quòd hoc non eſt cõcedendum, quia nulla cauſa videtur, quare Chriſtus poſterioraret diem celebrationis paſchalis, cum hoc eſſet contra legem, & nõ appareret aliqua cauſa ad faciendum hoc, ſicut poterat eſſe aliqua cauſa ad hoc, quòd anticiparet per vnum diem, ſcilicet propter mortem ſuam inſtantem, vt tenuerunt Græci: ideo neceſſe eſt dici, quòd accipiatur dies primus Azymorum prout coincidit cũ Paſchate. Secũdò patet, quia Marc. 14. dicitur. Prima die Azymorum, qñ Paſcha immolabant, dicunt ei Diſcipuli: quo vis eamus, & paremus tibi, vt manduces Paſcha? Et poſtea ſequitur ibi, ꝙ eodem die parauerunt: ergo videtur, quòd non comederat Chriſtus Paſcha antè iſtum diem Azymorum, ſed in primo die, in quo Iudæi immolabant Paſcha, ipſe quoque immolauit. Tertiò patet, quia Luc. 22. dicitur: Venit autem dies Azymorum, in qua neceſſe erat occidi Paſcha, & miſit Petrum, & Ioannem dicens, euntes parate nobis Paſcha, vt manducemus. Ergo videtur, quòd Chriſtus nondum manducauerat Paſcha ante diem Azymorũ, ſed in ipſo die, in quo neceſſe erat occidi Paſcha, ideſt agnum paſchalẽ ſecundum legem à Iudæis: ipſe etiam immolauit, & comedit. Quartò patet, quia Chriſtus obſeruauit omnes cęremonias legis Moyſis ad vnguem toto tempore vitæ ſuę, ſicut ipſe dixerat Matth. 5. ſ. Non veni ſoluere legem, ſed implere, ideſt complere, vel finire obſeruando ſemper quamdiu vixero, cæremoniæ autem agni paſchalis erant pars legis: ideo Chriſtus obſeruauit illas: ſi tñ Chriſtus anticipaſſet immolationẽ agni, egiſſet contra legẽ: ergo non anticipauit. Patet hoc, quia ſicut erat de neceſſitate legis quolibet anno immolare ſemel Phaſe, ita erat de neceſſitate legis immolare illud tpe determinato, ſ. die 14. menſis primi ad veſperũ. Sicut patet Num. 9. ſ. faciant filij Iſrael Phaſe 14. die menſis huius ad veſperum iuxta oẽs cæremonias, & iuſtificationes ſuas. Et ſicut, ſi quis nullatenus vellet in aliqua parte anni celebrare Phaſe, occidendus erat, ita ſi nõ immolaret tpe debito, ſ. die 14. occidi debebat Num. 9. ſ. & non fecerit Phaſe exterminabitur anima illa de populo ſuo, quia ſacrificium nõ obtulit Dño tempore ſuo. Sed aliquis dicet, ꝙ verum eſt hoc de tempore celebrationis Phaſe, quòd tunc deberet fieri: & tamen poterat anticipari, vel poſteriorari celebratio Phaſe, & ſic dicunt, quòd fecit Chriſtus propter cauſam vrgentem. Sed dicendum, quod iſta reſponſio non ſtat propter tria. Primo quia lex permittebat, quòd poſterioraretur tempus celebrationis paſchalis ex quibuſdam cauſis: non tamen quòd anticiparetur aliquando, vt patet Num. 9. vbi ponuntur caſus poſteriorationis, ſed nulli caſus reperiuntur anticipationis.

Secundo non ſtat, quia licet eſſet aliqua cauſa immutandi tempus paſchale, iſta erat duplex ſolum, ſcilicet immunditia, vel peregrinatio lõginqua extra terrã Chanaam, ſecundum quam non poſſet redire ad locum Sanctuarij tempore paſchali, vt patet Numero. 9. ſcilicet. Si quis immundus eſt, & in itinere non fuit, & tamen non fecerit Phaſe, exterminabitur anima illa de populo ſuo. In Chriſto autem non erat aliqua iſtarum excuſationũ. Nam non erat immundus, eo quod immunditiæ dicebant imperfectionem, cum ſecũdum eas arceretur quis a ſanctuario, & a rebus ſacris Leui. 11. & 15. Chriſtus tamen non aſſumpſit, nec contraxit imperfectiones, niſi illæ eſſent neceſſariæ ad redemptionem noſtram, pro qua ipſe aſſumpſerat naturam paſſibilem, ſed iſtæ immunditiæ legales non erant huiuſmodi, quia potius ſecundum eas erat homo abiectior, & non pertinebat ad aliquã vtilitatẽ, ideo Chriſtus nunquam contraheret aliquam immunditiã legalẽ. Potiſſime in tali tempore in

F quo arceretur a celebratiõne paſchali, quæ erat neceſſaria omnibus Iudæis. Non erat etiam Chriſtus in peregrinatione tempore paſchali, cum eſſet in Ieruſalẽ, vbi erat locus ſanctuarij, ideo non habebat cauſam mutandi tempus celebrationis paſchalis.

Tertio non ſtat, quia licet permitteretur mutatio paſchalis celebritatis, non permitteretur ſolum mutari per vnum diem, vel duos, ſicut iſti dicunt Chriſtum mutaſſe, ſed fiebat mutatio per vnam integram lunationem, ſ. quia regulariter ſecundum legem fiebat celebratio Phaſe menſe primo die quartodecimo ad veſperum. Impediri autẽ vna de duab. cauſis ſupradictis, celebrant Phaſe die quartadecima menſis ſecundi ad veſperum. Et hoc fiebat, vt retineretur ſignificatio feſtiuitatis iſtius, ſ. quia quartadecima luna menſis primi fuerunt liberata
G primogenita Iudæorum ab Angelo percutiente in Aegypto Exod. 12. & Num. 32. & cum celebraretur Paſcha per impeditos quartadecima luna menſis ſecundi, retinebatur ſignificatio, ſcilicet quantum ad lunam, licet non quantum ad menſem. De hoc Numer. 9. ſcilicet homo, qui fuerit immundus, vel in via procul in gente veſtra, faciat Phaſe Domino menſe ſecundo quartodecimo die menſis ad veſperum.

Si autem anticipauit Chriſtus, vt Græci volunt, oportet, quòd comederit Paſcha die tertiadecima menſis primi, & talis mutatio erat penitus contra legem, ideo non anticiparet Chriſtus ſic, cum ſeruaret legem vſque ad vnguem.

Sed aliquis dicet, quòd quamquam hoc verum teneret in alijs hominibus, qui obligati erant legi, tamen nõ
H tenebat in Chriſto, qui erat liber ab illa, ideo quãdocunque vellet, poterat immolare Phaſe.

Dicendum, quod non ſtat, quia quamquam Chriſtus eſſet liber quantum ad hoc, quod non teneretur celebrare Phaſe, vel obſeruare aliquam aliam legalẽ cæremoniam, tamen cum ipſe vellet obſeruare illas, oportebat, ꝙ obſeruaret eo modo, quo lex iubet, alioquin ſolueret legem, cuius contrarium ipſe profitebatur. Matthæi 5. Item videretur agere aliquid valdè irrationabile, ſ. obſeruare quaſdã cæremonias agni paſchalis, & alias non, quia ita offendebatur lex omittendo vnam, ſicut omittendo omnes, & ſic erat iſte labor, vel obſeruatio inutilis. Quod autem eſſet iſta mutatio temporis valdè contra intentionem legis, patet, quia ſi quis immundus erat die Paſchæ, non dicebat lex, quod ſequenti die celebra-
I ret Phaſe, aut poſt duos, vel tres, licet ſequenti die eſſet mundus, ſed differebat vſque ad quartumdecimum diẽ menſis ſecundi. Et hoc, quaſi non ſeruaretur intentio legiſlatoris conſtituentis Phaſe, ſi illud alio die, quam in nulla quartadecima celebraretur. ergo nõ mutaret Chriſtus celebrationem paſchalem ad diem tertium decimum menſis primi; etiam propter cauſam quamcumque vrgentem, ſed potius omitteret illam celebrationem, ſicut illi, qui immundi erant, vel peregrinantes menſe primo, & ſecundo non celebrabant toto anno illo phaſe, quamquam poſtea haberent locum celebrandi, eo quod legiſlator potius voluit omitti celebrationem, quam agi contra intentionem inſtitutionis ſuæ. Quintò patet, quia cæremoniæ veteris teſtamenti erant figuræ eorum, quæ euentura erant in Chriſto, & in no-
K uo teſtamento 1. Corinth. 10. ſcilicet, omnia in figura cõtingebant illis: & cæremoniæ agni paſchalis ſpecialiter erant mortis Chriſti figura. Ioan. 19. ſcilicet, vt compleretur ſcriptura, quæ dicit: Os non comminuetis ex eo, & iſta ſcriptura dicta fuerat de agno paſchali: Exod. 12. Ex quo apparet, quod etiam literaliter intelligebatur de morte Chriſti, quia alias non diceretur ſcriptura compleri per hoc, quod non frangerentur oſſa Chriſti. Figura autem debet præcedere figuratum: ideo prius debebat celebrari legalis agni immolatio, quã veri, vt verus imponeret finẽ vmbratili. Si tamen Chriſtus anticipauit phaſe, oportet, quod ipſe mortuus fuerit ante celebrationem phaſe Iudæorum, ſ. ꝙ eadem die, qua ipſe occiſus eſt Iudæi ad veſperum immolarent agnũ, quod non erat conueniens: ergo non anticipauit Chriſtus phaſe,

ſe,

ſe, & conſequenter fuit Phaſe Iudæorum die Iouis ad veſperum, quando Chriſtus manducauit agnum cum Diſcipulis ſuis, & ſic obſeruauit cæremoniam de tempore immolationis immolando die quartadecima ſicut ceteri Iudæi.

CAPITVLVM VIII.

In quo reſpondetur ad ſex rationes inductas pro parte Græcorum, & ibi multa notanda.

INeuitabilibus, & neceſſarijs rationibus in ſuperioribus inductum eſt, quòd Chriſtus non anticipauerit Phaſe comedendo die tertiodecimo, ſicut Græci arbitrati ſunt, ſed ea die comedit, qua ceteri Iudæi, vt per hoc etiam oſtéderet, quòd vſque ad vltimum diem vitæ ſuę non recedebat à plena obſeruatione cæremoniarum veteris teſtamenti, manet igitur reſpondendum ad eas rationes, quæ inductæ fuerunt pro fundamento poſitionis Græcorum.

Prima erat, quòd Iudæi nõ introierunt prætoriũ, &c. dixit Chryſoſt. vt vult ſanctus Thomas, & quidam Latini, quòd Chriſtus celebrauit Phaſe die quartadecima menſis, quando ſecundum legem celebrandum erat: Iudæi tamen nõ celebrauerunt illa die, ſed die ſeq. ſ. quintadecima menſis, quando Chriſtus mortuus eſt. Et dicunt, quòd hoc fuit, quia Iudæi occupati circa procurationem mortis Chriſti non potuerũt celebrare Phaſe tpe ſuo, ſ. die 14. ſed diſtulerunt vſq; ad diem ſequentẽ, quo Chriſtus mortuus eſt, & ſic noluerunt intrare die mortis Chriſti prætoriũ, ne contaminarentur, ſed manducarent Paſcha illa die ad veſperũ. Sed dicendum, ꝙ hoc non ſtat, quia non videtur quomodo Iudæi tranſgrederentur legem in hoc mutando tempus celebrationis Paſchalis, quia de neceſſitate impoſitus erat terminus & nõ licebat alicui mutare illum niſi ex duab. cauſis ſupra inductis, ſ. propter immunditiam, & propter peregrinationem. Et dato, quòd mutaretur, non poterat mutari ad diem ſequentem, ſed debebat mutari per totam vnam lunationem integram, vt celebraretur die quartadecima menſis ſecundi: Num. 9. non ergo mutarent Iudæi iſtam obſeruationem ad diem quintamdecimam.

Item patet, quia non rationabiliter dictum. Nam datò, ꝙ Iudæi occuparentur in procurando mortem Chriſti, non erat talis occupatio, quæ impediret eos à celebratione Paſchali, cum cæremoniæ Paſchales ſolũ conſiſterent in vna cena. Et ſicut aliàs cænaturi erant, ſi non celebrarent Paſcha, ita nunc cęnarent Paſchalẽ agnum, & procurarent mortem Chriſti.

Item patet, quia Iudæi non poterant aliquo modo impediri propter tractatum mortis Chriſti, quia aut iſte tractatus erat in conſilio, aut in effectu tenendo Chriſtũ: primus tractatus factus fuerat iam à Iudæis per aliquot dies antè mortem Chriſti ex illa die, qua Chriſtus ſuſcitauit Lazarum: Ioan. 11. & iſte non impediebat Paſcha. Secundus tractatus magis factus eſt per Gentiles, quam per Iudęos, quia miniſtri Summorum Pontificum tenuerunt Chriſtum orantem in horto: Matth. 26. & Io. 18. Et dato, quòd eſſent ibi aliqui Iudæi, adhuc iſti non impedirentur à celebratione Paſchali, quia Agnus Paſchalis comedebatur die quartadecima ad ſolis occaſum: & tamen Chriſtus tentus eſt à Iudæis cum iam tranſiſſet magna pars noctis, poſtquam iam cænauerat, & longum ſermonem Diſcipulis fecerat, & in horto diu dormientibus Apoſtolis orauerat Io. 18. non ergo oportebat transferri celebrationem Paſchalem propter occupationem circa traditionem Chriſti.

Item patet, quia dato, ꝙ adhuc neceſſaria eſſet mutatio celebrationis Paſchalis pro occupatione circa mortẽ Chriſti: tamen hoc non eſſet, niſi in paucis, qui occuparentur circa ipſam traditionem, reliquus autem populus celebraret Paſcha tempore ſtatuto, & Io. 18. dicitur gñaliter: Iudæi aũt nõ introierũt in prætoriũ, &c. quaſi iſtud pertineret ad omnes: ergo nõ intelligitur per illud, quòd mutatum fuerit Paſcha ad diem ſequentem.

A Item patet manifeſtè, quia ſi illi principes Iudæorũ, qui pcipuè tractabant de morte Chriſti mutarent diem Phaſe, vt tractarent mortem eius, cũ hoc eſſet contra legem, appareret manifeſtiſſimè malitia illorũ, ſ. quia adhuc nõ verebantur publicè facere cõtra legem, vt Chriſtum occiderent: in quo ſignificaretur magnitudo inuidiæ, & ex hoc ſequeretur magnũ ſcandalũ in plebe, qđ valde intendebant euitare Principes ſacerdotum, cum dixerunt: Non in die feſto, ne fortè tumultus fieret in populo Matth. 28. Item patet magis, ꝙ nullo modo Iudæi mutauerunt Phaſe, quia Marc. 14. dicitur: Primo die Azymorum, qñ Paſcha immolabant dicũt ei Diſcipuli. Quò vis eamus, vt paremus tibi, vt manduces Paſcha? ergo illo die, quo Iudæi manducabant Paſcha, Chriſtus manducauit. Sed dicendum eſt, ꝙ licet Iudæi comediſ-
B ſent Agnum Paſchalem in nocte præced. tñ adhuc nolebant cõtaminari, quia Paſcha durabat per ſeptẽ dies, & in his volebant eſſe mundi. Dicit ergo Sáctus Thomas, ꝙ nõ accipitur hic Paſcha p agno paſchali, ſed Paſcha pro cibis paſchalibus, ſ. pro Azymis panibus, qui comedendi erant per ſeptem dies. Hoc patet 3. par. ſum. q. 46. art. 1. Et iſta poſitio vr̃ ſatis conueniens, eo ꝙ Euangeliſtę interdum non faciunt dr̃iam de Paſcha, & Azymis, ſicut in veteri teſtõ. Leu. 23. ſed accipitur pro eod. Marc. 14. ſ. Erat Paſcha & Azyma poſt biduum, & Luc. 22. dr̃: Appropinquabat aũt dies feſtus Azymorum, quod dr̃ Paſcha. Et iſtam poſitionem multi tenent. Sed vr̃ dicendũ aliter, ꝙ non accipiatur Paſcha pro Azymis panibus, ſed pro carnib. ſacrificiorum, quas comedebant in ſeptem diebus paſchalibus ſiue ſeptem diebus Azymorum. Pa-
C tet hoc multipliciter. Primò quia ad comedendũ iſtud Paſcha Iudæi obligabantur eſſe mundi, cum dicatur ꝙ noluerunt contaminari, vt manducarent Paſcha. Et tamen ad comedendum de Azymis non requirebatur, ꝙ quis eſſet mundus. Quod patet, quia Exo. 12. vbi ponitur ritus agni paſchalis & Azymorum, dicitur quòd comedentes de agno paſchali deberent eſſe mundi. Et tamen de comedentibus Azymos panes per ſeptem dies non dicitur, quòd deberent eſſe mundi, nec reperitur in toto veteri teſtamento, quòd requiratur munditia in comedendo Azymos panes, & ſæpè reperitur, quòd requiratur munditia in comedendo agnum paſchalem. Valet tamen iſta conſequentia inter Hebræos circa obſeruationem cęremonialium, ſ. aliquid non reperitur ſcriptum in lege: ergo non obligantur Iudæi obſeruare il-
D lud, immo quod plus eſt, non licebat Iudæis obſeruare aliquam cæremoniam circa cultum Dei, niſi illa ſcripta eſſet in lege, vt patet Deuter. 12. ſ. Quod præcipio tibi, hoc tãtum facito Dño Deo tuo, nec addas quidquã, nec minuas. Nõ ergo requirebatur munditia circa comeſtionem Ayzmorum, cum non ſit ſcripta: ideo non accipietur hic Paſcha pro Azymis. Accipiendo tamẽ Paſcha p ſacrificijs paſchalibus conuenienter dictum eſt, quòd ad hoc quòd aliquis comederet de carnibus ſacrificiorum, ſiue eſſent ſacrificia pacifica, ſiue pro peccato, requirebatur, quòd eſſet mundus, vt colligitur Leu. 6. & 7. & 10. & Deuter. 12. Et ſic vt comederent Iudęi de iſtis ſacrificijs paſchalibus, vellent eſſe mundi.

Item patet, quòd non intelligatur de Azymis, nec requiratur aliqua munditia ad comedendum Azymos pa-
E nes, quia tunc ſequeretur inconueniens, ſcilicet quia tũc aliquis propter malitiam ſuam abſolueretur à lege pœnali, & reportaret commodum de malitia, quod non eſt conuenienter dictum. Patet hoc, quia ſi requireretur munditia pro comeſtione Azymorum, ſi quis voluntariè incurreret immunditiam, liberaretur à comeſtione Azymorum, & comederet de fermentatis: & tamen in hoc releuaretur à pœna, cum comedere de Azymis ſit lex pœnalis: Deut. 16. ſcilicet Septem comedes diebus abſque fermento afflictionis panem, quoniam in pauore egreſſus es de Aegypto. Et ſic panis Azymus vocatur panis afflictionis, quia eſt mali ſaporis, & affliguntur homines comedendo de illo, potiſſimè ſenes. Non ergo liberaretur quis ab iſta lege pœnali propter immunditiam, ſed ſemper eſſet aſtrictus ad co-

medendum

medendum Azyma, etiamſi incurreret immunditiam ſponte vel caſu. Secus autem eſt de immunditijs quantum ad alios caſus, quia per immūditiam arcebatur quis à Sanctuario & tactu rerum ſacrarum, accedere autem ad iſta erat honor quidam ſine pęna, arceri autem ab his erat dedecus & quædam pœnalitas: ideo in his benè conueniebat, ꝙ propter immūditiam arceretur quis à ſacris, quæ inducta erant per honorem. Secus autem de comeſtione Azymorum, qui non erant inducti propter honorem, ſed in penalitatem: ideo ſiue homo incideret in immunditiam, ſiue non, tenebatur ſemper per illos ſeptem dies comedere de Azymis, & non licebat vllatenus comedere de fermentatis. Item patet, ꝙ hoc non ſtet, quia ſi ad comedendum Azyma requireretur munditia, quando quis incurreret ſpontè, vel caſu immunditiam in aliquo iſtorum ſeptem dierum, liceret ei iam comedere de fermentatis: & tamen non poterat eſſe, quia nullus panis fermentatus erat in toto Iſrael in toto feſto Azymorum. Deut. 16. ſcilicet, non erit fermentatum in omnibus terminis tuis ſeptem diebus: ergo oportebat, vt omnes ſiue mundi, ſiue immundi comederent Azyma. Item patet clarius, quia non reperitur quòd panis Azymus vocetur Paſcha, vel Phaſe: & tamen reperitur quòd ſacrificia, quæ fiebant in ſeptem diebus Azymorum vocentur Phaſe. Nam licet Luc. 22. dicatur: Appropinquabat dies feſtus Azymorum, qui dicitur Paſcha: Non conſtat tamen, ꝙ panes Azymi vocentur Paſcha, ſed ſolum intelligitur de ipſo die feſto Azymorum, qui dicitur: Appropinquabat dies feſtus Azymorum, qui dicitur Paſcha, ideſt ipſum feſtū Azymorū vocatur Paſcha. Etiā quādo dicitur Mar. 14. erat Paſcha, & Azyma poſt biduum, vocantur Azyma feſtum Azymorum, ſcilicet Paſcha & Azyma, ideſt feſtum paſchale, & feſtum Azymorum erat poſt biduum. De ſacrificijs autem paſchalibus, quæ fiebant in ſeptem diebus Azymorum reperitur, ꝙ vocetur Paſcha, quia Deut. 16. dicitur: Immolabis Domino Deo tuo Phaſe de bobus & ouibus in loco, quem elegerit: nō tamen poteſt intelligi Phaſe pro agno paſchali, qui immolabatur die quartodecimo menſis primi ad veſperū, quia illud ſacrificium non erat niſi de agnis anniculis, vel de hędulis anniculis: Exod. 12. & tamen hic dicitur: Immolabis Phaſe de bobus & ouibus: ergo neceſſe eſt intelligi Phaſe pro ſacrificijs paſchalibus, quæ immolabantur in ſeptem diebus feſti Azymorum. Et ſic exponunt omnes Doctores tam Latini, quam Hebræi. Item patet, quia iſte ſenſus conuenit literæ, ſcilicet, quia Iudęi venientes in Ieruſalem in feſto paſchali offerebāt multa ſacrificia pacifica coram Domino, & comedebant de carnibus eorum in templo ipſi & vxores, & filij, & filiæ, & omnes alij, quos inuitarent, vt colligitur Deut. 12. Et hoc faciebant Iudæi, quia Deus præceperat eis, ꝙ non apparerent vacui coram eo: Exod. 23. & ſic quando veniebant in iſtis tribus vicibus per annum in templum, portabat quilibet aliqua animalia ad immolandum, vel aliqua munera, & de illis comedebant, quia de ſacrificijs pacificis licitum erat comedere quibuſcunque laicis: dum tamen eſſent mundi, Leu. 7. & Deut. 12. Et cum requireretur munditia pro iſtis ſacrificijs, eo ꝙ erant carnes ſacræ, & generaliter omnes Iudæi comeſturi erant de carnibus ſacrificiorum pacificorum, quæ offerrent in iſtis ſeptem diebus, volebant ſe cuſtodire mundos ad manducandum Paſcha, ideſt paſchalia ſacrificia, licet iam manducaſſent Paſcha, ideſt agnum paſchalem. Secunda ratio erat, quia dicitur Ioan. 13. antè diem feſtum Paſchæ, &c. Quidam reſpōdent ꝙ Paſcha accipitur pro tota ſolemnitate paſchali, ſcilicet, pro omnibus ſeptem diebus Azymorum. Et ita reſpondet Chryſoſt. Et quia incipiebat iſta feſtiuitas die quintodecimo, & finiebatur die viceſimoprimo, & Chriſtus cęnauit die quartodecimo menſis, quando Iudæi comedebant agnum paſchalem, dicitur feciſſe antè diem feſtum Paſchæ. Iſtud conueniēter dicitur, ſed melius diceretur, ꝙ non accipiatur hic Paſcha pro tota feſtiuitate paſchali, ſed ſolum pro prima die feſtiuitatis, quia nō dicitur: Antè feſtum Paſchæ, ſed antè diem feſtum Paſchæ. Nicolaus de Lyra dicit, ꝙ

F accipiatur hic dies feſtus Paſchæ pro die quintodecimo menſis, & ſic Chriſtus cęnauit die quartodecimo, ſicut ſupra dictum eſt. Sed dicēdum, quòd licet iſta vera ſint: non tamen tangūt radicem verborum beati Ioannis, qui voluit facere diſtinctionem inter diem feſtum Paſchæ, & inter feſtum Paſchæ. Nam differunt iſta, quia ſicut ſupra declaratum eſt in iſto feſto continuo erant duæ feſtiuitates, ſcilicet, feſtum Phaſe, & feſtum Azymorum, quia differunt in tempore, cauſa, & cęremonia, de quo ſupra. Nunc autem ſciendum eſt, quòd dies quartuſdecimus menſis, quamquam eſſet Paſcha, tamen non erat dies feſtus, quia non vacabatur à laboribus, ſed fiebant illa die opera ſeruilia ſicut ceteris diebus, & nihil aliud erat, quod ſpecialiter pertineret ad iſtum diem, niſi ꝙ immolabatur agnus antè ſolis occaſum, & comedebatur: Feſtū

Differentia inter Paſcha, & diē feſtū Paſchæ.

G autem Azymorum, quod incipiebat die ſequenti, & durabat ſeptem diebus, habebat duos dies ſolemnes, in quibus ceſſabatur ab omni opere ſeruili: Exodi 12. ideo dies quartuſdecimus poterat vocari Paſcha propter agnum paſchalem, ſed non poterat propriè vocari feſtum. Dies autem quintuſdecimus poterat vocari dies Azymorum, & etiam dies feſtus propter celebritatem eius: ideo ſi Beatus Ioannes dixiſſet, quòd antè Paſcha cęnauit Chriſtus cum Diſcipulis, intelligeretur ſaltem, ꝙ cęnaſſet die tertiodecimo, cum Paſcha eſſet die quartodecimo. Dixit tamen: Antè diem feſtum Paſchæ, accipiendo Paſcha pro illo feſto continuo à die 14. vſque ad viceſimumprimum. Et in iſto tempore primus dies feſtus erat dies quintuſdecimus, & deinde dies viceſimuſprimus: cæteri

H autem dies nō erant ſolemnes: ideo quod factum eſt die quartodecimo menſis, poterat dici factum antè diem feſtum Paſchæ, licet non eſſet factum antè Paſcha. Et hoc fuit ipſa cęna Domini, quæ fuit die quartodecimo, & dies feſtus Paſchæ erat dies quintuſdecimus. Tertia ratio erat de magno die ſabbathi. Pro quo dicendum, ꝙ ſicut ſupra tactum eſt in feſto Azymorum erant ſeptem dies, quorum duo, ſcilicet, primus, & ſeptimus erant valdè celebres, & non licebat in eis fieri aliquod opus, niſi quantum ad ea, quæ pertinebant ad cibos: Exod. 12. & Leu. 23. Dies autem quinque inter medij erant profeſti: & tamen fiebant in eis oblationes, & ſacrificia multa, de quibus Leu. 23. & Num. 28. ideo ſi aliqua dies ſabbathi accideret in his quinque diebus quaſi profeſtis, erat celebrius illud ſabbathum, quam aliàs foret, non quidem

I quantum ad vacationem à laboribus, quia nulla maior vacatio eſſe poterat, quam illa, quæ fiebat in ſabbatho, & erat maior quam illa, quæ fiebat in alijs omnibus ſolemnitatibus paſchalibus, quia in duobus diebus celeberrimis Azymorum licebat parari cibos: Exod. 12. in ſabbatho autem non licebat parari cibos: immo nec ſuccendere ignem: Exod. 35. ſed quantum ad multiplicationem ſacrificiorum. De ſacrificijs patet: nam eſt regula, quæ colligitur Numer. 28. & 29. ꝙ quandocunque duo feſta eodem die acciderent, vel tria, vel plura: ſacrificia vnius non impediebantur propter ſacrificia alterius, licet coinciderent: ſed multiplicabantur. Et ſic quando duo feſta veniebant in eodem die, erat ille dies celebrior, quam aliàs futurus eſſet. Pro quo ſciendum, quòd inter Iudæos erant ſolum ſeptem feſtiuitates, ſcilicet, ſabbathum, dies

K Calendarum, Phaſe, ſiue Azyma, Pentecoſtes, dies Clangoris, dies Propitiationis, & dies Tabernaculorum, vt patet Leu. 23. ſcilicet. Hæ ſunt feriæ Domini, quas obſeruare debetis. Et numerantur ibi omnes hæ. In omnibus autem iſtis fiebant propria ſacrificia: in quibuſdam ſolemniora, in alijs autem minus ſolemnia, & præter hæc offerebatur quotidie ſacrificium, quod vocatur iuge, ſcilicet, vnus agnus anniculus manè, & alius veſpere: Leu. 6. Num. 28. quæ autem ſacrificia offerrentur in ſingulis prædictorum feſtorum, ponitur Nume. 28. & 29. Nunc autem dicendum, ꝙ ſæpè ſacrificia vnius feſti ſunt ſimilia in toto, vel in parte ſacrificij alterius feſti, vt patet ibidem: & tamen ſi coinciderēt aliqua alia feſta iſtorum in eadem die, licet ſacrificia eorum coinciderent inter ſe quantum ad aliquid, non tollebantur quædam propter altera, ſed omnia offerebantur: poterant autem tria feſta

Feſtiuitates Iudæorum.

coin-

coincidere, ſcilicet, Sabbatum, feſtũ Clangoris, & feſtũ Calendarum. Nam feſtum Clangoris erat prima die Septembris, ſecundum Iudæos. Dies Calendarum eſt prima dies cuiuslibet menſis, & iſta duo ſaltem coincidunt in prima die Septembris. Et ſi accidat, ꝙ illa dies ſit ſabbathum, erunt tria feſta eodem die, quorum quodlibet habet propria ſacrificia: Num. 28. & 29. & licet quædam ſacrificia vnius coincidant cum quibuſdam ſacrificijs alterius, vt patet ibidem, non impediuntur quædam propter alia, ſed multiplicantur, ſcilicet, offeruntur omnia, vt patet ibidem, & inſuper offertur ſacrificiũ iuge, quod competit cuilibet diei profeſto. Et ſicut dies feſtus quilibet eſt celebrior quantum ad ſacrificia die profeſto, quia in illo fiunt ſacrificia propria, & ſacrificia diei profeſti. Ita dies illa, in qua coincidebant duo feſta, erat celebrior quantum ad ſacrificia illo die, in quo eueniret alterum tantum iſtorum feſtorum, eo quòd illa die offerebantur ſacrificia amborum feſtorum. Quando autem euenirent tria feſta eo die, quod poterat eſſe ad plus ſabbathum, dies Calendarum, & dies Clangoris, erat feſtum celebrius, quia ſacrificia omnium trium feſtorum fiebãt illa die. Cum ergo ſabbathum, quod erat poſt Chriſti mortem eueniret in die tertio Azymorum, ſecundum, modum computandi Euangeliſtarum, & die ſecundo Azymorum ſecundum computationem Hebreorum, acquirebat ſibi illud ſabbathum quandam celebritatem, & vocatur magnus dies ſabbathi, ſcilicet, quia erat maior & celebrior in ſacrificijs, quã ſi eueniſſet iſtud ſabbathum extra dies Azymorum. Et cum arguitur, quòd ſi non fuiſſet iſtud ſabbathum dies primus, vel ſeptimus Azymorum ſecundum computationem Iudaicam, non vocaretur dies magnus ſabbathi, quia iſte primus dies erat celeberrimus. Dicendum, quòd ſi verum eſt, quod iſtud ſabbathum fuiſſet prima dies Azymorum eſſet celebrius, quam in ſecunda die: tamen adhuc in ſecũda die erat magnus dies ſabbathi, quia ipſe dies de ſe erat magnus, quia ſabbathum erat, & præter hoc, quia cadebat intra feſtiuitatem paſchalem, licet non in die principali, & ex hoc erat celebrior in ſacrificijs, & honore. Vnde inhoneſtius erat corpora occiſorum manere hoc ſabbatho in cruce, quam ſi fuiſſet extra tempus Azymorũ, & hoc intendit beatus Ioannes.

Ad quartum dicendum, ꝙ cum Chriſtus dixit: Tempus meum propè eſt, non ſignificauit anticipationem celebrationis paſchalis, ſcilicet, quòd propter imminentem paſſionem præueniret diem, ſed aſſignauit deſiderium manducandi illud Paſcha, & erat deſideriũ illud, quia non manducaturus erat iam aliud Paſcha cum Diſcipulis ſuis. Et ſic ipſe dixit Luc. 22. ſcilicet, deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum, antequam patiar, ſcilicet, quia iſtud eſt vltimum Paſcha, quod vobiſcum manducaturus ſum: magis deſidero illud manducare, quam quodlibet aliud. Ad ſignificandum etiam hoc deſiderium propter inſtantem mortem dicitur Matthæ. 26. Non bibam vobiſcum a modo de hoc genimine vitis, quoad uſq; bibam illud vobiſcum nouum in regno patris mei. Et eſt ſenſus huius poſitionis, ſ. tempus meum prope eſt, &c. id eſt ego cũ magno deſiderio volo facere Paſcha iſtud cum Diſcipulis meis apud te, quia non ſum vnquam aliud manducaturus. Et hoc eſt, ſ. quia tempus meum prope eſt, id eſt, quia inſtat tempus paſſionis meę. Cum autem dicitur, ꝙ iſta verba eſſent ſuperflua, ſ. tempus meum prope eſt, niſi per illa ſignificaretur anticipatio, dicendum, ꝙ falſum eſt, quia licet non ponantur ad ſignificandum anticipationem, ponuntur ad ſignificandum aliquid aliud, ſ. deſiderium manducãdi Paſcha, vt dictum eſt. Ad quintam rationem cum dicitur, ꝙ durius eſt, & magis repugnans alicui celebritati, &c. dicẽdum, facilius toleraretur, ꝙ in illo ſabbatho, quod fuit poſt mortem Chriſti manerẽt corpora in cruce, quam in ipſa die occiderentur: & tñ poſtea non bene arguitur, quia deberet concludi de ſabbatho, ſ. ꝙ in illo non liceret occidi Chriſtum, & latrones: & tñ concluditur de Paſcha. Et verum eſt, ꝙ in illo ſabbatho, quod fuit poſt mortem Chriſti, non permiſiſſent Iudæi occidi Chriſtum, nec la-

A trones: permiſerũt tñ ipſos occidi prima die Azymorũ. Ratio differentiæ eſt, quia licet dies quintuſdecimus menſis primi, qui erat primus dies Azymorum eſſet celebrior, quam ceteri dies paſchalis ſolemnitatis: tñ quicunque dies ſabbathi etiam extra tempus paſchale, erat celebrior illo die quintodecimo, & omnibus alijs dieb. Azymorũ. Quod patet, quia licet dies quintuſdecimus, & viceſimuſprimus menſis primi, ſ. primus, & ſi primus dies Azymorum erant celeberrimi, & dicatur, ꝙ in eis nullum opus fieret: Leu. 23. tñ permittitur, ꝙ fierent illa, quæ pertinebãt ad cibos Exod. 12. quę in ſabbatho nullo modo conceduntur: immo nec permittebatur Iſraelitis ſuccendere ignem in ſabbatho Exod. 35. ſic ergo multa alia fieri poterant in die primo, & ſeptimo Azymorum, quæ non fiebant in ſabbatho, vt publica punitio iudicia B lis, & cauſarum diſcuſſio, quia non erat feſtum tantæ reuerentiæ ſicut ſabbathum. Item patet hoc Matth. 26. ſ. ꝙ cum Pontifices, & Phariſæi tractarent quõ Ieſum dolo tenerent, & occiderent, dixerunt: Non in die feſto, id eſt nõ occidatur in die celeberrimo, ſ. prima die Azymorũ ꝑ ſcandalum: ſi tñ nullo modo licuiſſet illa die aliquẽ occidi, non dixiſſent, non in die feſto, quia tunc ſuperfluum eſſet conſiliari ſuper eo, quod lex nullo modo permittebat, ad hoc eſſet impoſſibile legis. Nam illud poſſe dicimur, quod de iure poſſumus: ſuper impoſſibile aũt conſilium non eſt, vt patet 3. Ethi. Conſiliabantur tñ Pontifices, & Phariſæi, an Chriſtum in die feſto occiderent, vel non: ergò licitũ erat illa die quoſcunque publicè occidi, & Iudæi etiam voluiſſent Chriſtũ occidere illa die niſi timuiſſent ſcandalum: & tñ in die ſabbathi nullo modo C deliberarent occidere Chriſtum, eo ꝙ erat manifeſte contra legem, etiamſi non timuiſſent aliquod ſcandalũ. Quidam dicũt aliter, ꝙ dies primus Azymorũ, in quo Chrs mortuus eſt, erat dies celeberrimus, & nõ licebat quemquam occidi in illo, nec Iudæi occidiſſent Chriſtum illa die ſi ſecundum legem ſuam acturi eſſent: Pilatus tñ iudicauit Chriſtum ad mortem, & ille vir erat gẽtilis, qui nõ ſequebatur legem Iudæorum: ideo occidit Chriſtum etiam in die illo celeberrimo. Sed dicendum, ꝙ non ſtat quia ſi non liceret occidi Chriſtum die primo Azymorũ ſecundum legem Iudæorum: non liceret etiam accuſari eum ad mortẽ illa die, & cauſam illam agitari, quia ſñia pars eſt iudicii. Et ſi aliqñ propter celebritatem diei illicita eſt aliqua pars iudicii, illicitæ ſunt omnes: licuit D tñ Iudæis ſecundum legem ſuam accuſare Chriſtum ad mortem, & agitare cauſam coram Pilato die primo celeberrimo Azymorum: ergo licuit Pilato ſecundum legem Iudæorum occidere Chriſtum prima die Azymorum, non obſtante celebritate illius diei. Secundò patet, quia falſum eſt hoc, ſcilicet, Pilatus cum eſſet Gentilis, non curaret de ferijs Iudæorum in iudicando. Nam ſi corpora occiſorum fecit Pilatus deponi de patibulis propter magnum diem ſabbathi, ſcilicet, quia erat magnæ ſolemnitatis, Ioan. 19. à fortiori ceſſaret a ſententiando capitaliter in die celeberrimo. Tertiò patet, quia licet Pilatus eſſet Gentilis, erat tamen datus ad regendam Rempublicam Iudaicam in legibus ſuis, quia iſto modo manebant Iudæi ſub Romanis. Nam non tenebant Iudæi cæremonias Romanorum, ſed potius iudices Romani dati Iudæis ſequebantur cęremonias Iudæorum in iudi- E cando, quia, ſi vellent infringere legem Iudæorum, non paterentur Iudæi ſubditi eſſe Romanis. Sicut quando Herodes Rex introduxit ſtatuas in Ieruſalem non ad colẽdum, ſed ad ludos. Nam inſurrexit contra eum bellum Iudæorũ, & multi mortui ſunt, vt ait Ioſephus in lib. 17 Antiq. & in libro de Bello Iudaico. Sic etiam quando Caius Caligula Imperator Romanorum poſuit aquilam, quæ erat inſigne Romanorum ſuper templum, & Iudæi facta ſeditione depoſuerunt eam inde: ita ergo nunc Pilatus obſeruaret cęremonias Iudæorum nõ præiudicando eis in iudiciis, quia aliàs inſurgerent contra eum Iudæi, & tamen ipſe adiudicauit Chriſtum morti die primo Azymorum: ergo licitum erat ſecũdum legem Iudæorum illa die occidi aliquem iudicialiter. Ad ſextũ cùm dr, quòd dixerunt Pontifices, & Phariſęi. non in die

feſto,&c. dicendum, quòd Pontifices, & Phariſæi diſpoſuerant non occidere Chriſtum in die feſto, ſcilicet primo die Azymorum, dum congregatus eſſet totus populus Iſrael in Ieruſalem, quia timebant tumultum populi, ex quo populus tenebat Chriſtum, vt prophetam: poſtea tamen mutauerunt conſilium, & occiderunt eũ primo die Azymorum. Et hoc propter duo: primum fuit ex parte Dei: ſecundum fuit ex parte Iudæorum. Primũ eſt, quia Deus mutauit voluntatem eorum, vt ipſe compleret intentionem ſuam. Volebat enim Chriſtus mori publiciſſimè, eo quòd moriebatur ad ſalutem totius populi. Ad moriendum autem publiciſſimè requirebantur duo, ſcilicet quòd eſſet mors in loco valde publico, & quòd eſſet actualiter congregatus multus populus. Propter primum non debuit Chriſtus mori in aliquo loco terræ Iudæorum niſi in Ieruſalem, quia ille erat locus communior, quia erat ibi templũ Domini, ad quod cõcurrebant omnes viri Iſrael. Et hoc ſignificauit. Luc. 14. ſcilicet. Non capit perire prophetam extra Ieruſalẽ, (Luc. 14.) id eſt non eſt poſſibile, vel nõ eſt conueniens, quòd propheta, ſcilicet Meſſias, qui vocatur per excellentiam propheta, moriatur extra Ieruſalem. Propter ſecundum Chriſtus non debuit mori, niſi in aliquo de tribus feſtis, ſcilicet in feſto Azymorum, vel in feſto Pẽtecoſtes, ſiue Hebdomadarum, quod erat menſe tertio, ſiue in feſto Scenophegiæ, ſiue Tabernaculorum, quod erat menſe ſeptimo. Nam in iſtis tribus feſtiuitatibus ſolis conueniebant omnes viri Iſraelitæ in Sanctuarium Domini, vt patet Exod. 23. & 34. & Deut. 16. & tamen in nulla iſtarum trium feſtiuitatum conuenientius fuit Chriſtũ mori, quàm in feſto Azymorum, eo quòd in ipſa ſola neceſſitate conueniebant omnes Iſraelitæ: in alijs autem duabus, tenent quidam de Doctoribus, quod poterat fieri diſpenſatio, ne venirent in templum: ideo in feſto Azymorum Chriſtus mori debuit, quia in illo conueniebant omnes Iſraelitæ. Ex hoc ẽt ſequitur, ꝙ non debuit mori niſi prima die Azymorum. Nam ante non debuit mori, cum non eſſet aliquod feſtum prius, niſi dies quartuſdecimus, qui erat paſcha, & erat quaſi dies profeſtus, cum liceret fieri in eo omnia opera prophana, quæ fiebant in diebus profeſtis, vt ſup. declaratum eſt. Nec etiam debebat Chriſtus occidi poſt diem primam Azymorũ, quia cum ſequentes dies eſſent profeſti, recedebãt interdum multi Iudæorũ de loco Sanctuarij, & ſic non eſſet mors Chriſti coram toto Iſrael. Cum autem fieret die prima Azymorum, eſſet præſens totus Iſrael, quia erat ille dies celeberrimus immediatè poſt immolationem agni paſchalis, & manebant adhuc in Sanctuarij loco omnes Iſraelitæ. Et ſic omnes viderent Chriſtum morientem, & ſcirent de tractatu mortis eius. Fuit etiam alia cauſa, quare Chriſtus moreretur hoc tempore, ſcilicet vt non ſolum mors ſua nota fieret omnibus Iſraelitis, ſed & reſurrectio ſua audiretur ab omnibus. Nam Chriſtus mortuus eſt in die prima Azymorum, ſ. 15. die menſis primi, & reſurrexit die tertio Azymorum, qui erat dies decimusſeptimus menſis, & publicata fuit reſurrectio eius ipſa die per cuſtodes monumenti: Matth. 28. & per mulieres, & Apoſtolos: Luc. 14. & 20. & 21. & tamen manebant plurimi Iudæorum adhuc in Ieruſalem vſque ad diem ſeptimum Azymorum, ſicut innuitur Deut. 16. ſ. ſeptem diebus comedes abſque fermento afflictionis panem in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus. Et hoc dicitur toti Iſrael, quia erat lex generalis: ideo omnes Iſraelitæ manere debebant ſeptem diebus Azymorum in loco Sanctuarij, vel plurimi illorum. Et ſic perueniret fama Reſurrectionis Chriſti ad omnes, vel ad plurimos Iſraelitarum, ſicut peruenerat notitia mortis eius ad omnes. Secundũ motiuũ fuit ex parte Phariſeorũ: nã Phariſęi putabant, ꝙ nunꝙ poſſent tenere Chriſtũ niſi per aliquos modos exquiſitos, & cum magna diligẽtia. Nam dicitur Matth. 26. ꝙ fecerunt conſilium, vt Ieſum dolo tenerent & occiderent, & quia putabãt, quod poſt primum diem Azymorum Chriſtus recederet de Ieruſalem, quia credebant eum venire illuc ex neceſſitate legis, ſicut reliquus populus veniebat, & poſtea

F non poſſent eum comprehendere, putauerunt melius eſſe, vt in Paſchate eum comprehenderent, & ſic factum eſt. Sed tunc dicetur, quare Iudæi comprehendentes Chriſtũ in Paſchate non reſeruauerunt eum ad occidendum ipſum poſt Paſcha. Nam iſtud videbatur conuenire conſilio, & intentioni ipſorum: nam debuerunt eum comprehendere in Paſchate, quia forte putabant, quod non poſſent eum alio tempore tenere, eo quòd recederet de Ieruſalem, & neſcirent, quo iret, ſicut ante Paſcha factum eſt. Nam ambulabat Chriſtus occultè, quia non audebat ambulare in palam, & Iudæi quærebant eum, & neſcientes, vbi eſſet, dederunt mandatum, vt ſi qui ſciret, vbi eſſet, notificaret illum, vt teneretur, vt patet Io. 11. debuerunt ergo tenere eum in Paſchate ſecundum conuenientiam ſui conſilij, ne ſemel recederet de Ieru-

G ſalem, & poſtea non poſſent eum inuenire. Et debebant eum tenere vinctum in Paſchate quouſque tranſiret feſtum, & tunc occidere eum, vt non fieret tumultus in populo, ſicut ſi occideretur in die feſto, eo ꝙ iam receſſiſſent omnes Iſraelitæ de Ieruſalem: & tamen occiderunt eum in die feſto, in quo poterat eſſe maximus tumultus. Dici poteſt vno modo, ꝙ Iudæi intendebant euitare tumultum populi contra ſe quantum poſſent: & ideo nolebant occidere Chriſtum in die feſto, ſed poſt Paſcha: & tamen Deus mutauit conſilium eorum propter gloriã ſuam, volens, vt Chriſtus occideretur potius in die feſto, quàm in alio die, quia in eis, quæ fiebant circa mortem Chriſti, non mouebantur omnino Iudæi à ſeipſis, ſed in multis mouebantur à Deo, eo quòd mors Chriſti (Iudæi à Deo moti, & mortem Chriſto procurarent.)

H erat maximum myſterium, quod Deus intendebat procurare in mundo. Et patet hoc, quia quando tractabatur de morte Chriſti, conuenientibus in vnum principibus ſacerdotum, & Phariſæis, Caiphas, qui erat princeps ſacerdotum, dixit: Expedit, vt vnus moriatur homo pro populo, ne tota gens pereat, Io. 11. & dicitur, ꝙ hæc non locutus eſt à ſeipſo, ſed cùm eſſet Pontifex anni illius, prophetauit. Sic ergo in executione mortis Chriſti, & determinatione temporis, cũ iſta tamen eſſent magis propinqua myſterio redemptionis, Iudæi non mouebantur à ſeipſis, ſed mouebantur à Deo ſaltem in determinatione conſilij. Vnde cum primo apud eos fuiſſet conſilium humanum, quòd Chriſtus non occideretur in die feſto, ne fieret tumultus in populo, incidit poſtea eis conſiliũ diuinum, quod mutauit conſilium eorum, & occiderũt

I Chriſtum in die feſto, quia ſic expediebat propter rationes ſupra aſſignatas. Alio modo poteſt dici, ꝙ fecerunt hoc conſilio humano, ſ. ꝙ licet primo diffiniuiſſent non occidere Chriſtum in die feſto propter ſcandalum, tamen rurſus propter vitandum maius ſcandalum occiderunt eum in die feſto. Nam ſi principes ſacerdotum, & Phariſęi comprehendiſſent Chriſtum ante primũ diem Azymorum, & voluiſſent tenere eum vinctũ, vſquequo trãſiret feſtum, & poſtea eum occidere, videbatur ſequi maius ſcandalum, ſ. ꝙ totus populus ſciret, quod Chriſtus teneretur. Et quia ſciebant, ꝙ propter inuidiam tradebatur, conarentur in illis ſeptem diebus eripere eum de manibus Phariſæorum, & ſi nollent eum dare, fieret

K tumultus magnus in populo, quia negocium ageretur ex conſulto, & deliberato. Voluerunt ergo occidere eũ illico, vt tenuerunt, vt ſic populus non haberet locum eripiendi eum de manibus ſuis: Et ſic oportuit eum in die feſto occidi. Et ſatis apparet hoc, quia illico, vt Chriſtus captus eſt in horto, ductus eſt ante Iudices per noctem, vt illico cauſa eius diffiniretur, & occideretur populo non aduertente ad hoc, ſi fieri poſſet, & ſine dubio illico, vt Chriſtus adductus eſt ad Annam, vel Caiphã per noctem iuſſiſſent eum occidi neſciente populo, & timuerunt Romanos, quia ipſi non habebant poteſtatẽ iudicandi aliquem ad mortem. Sic patet Matth. 27. cũ dixit Pilatus: Accipite eum vos, & ſecundum legem veſtram iudicate eum: Iudæi autem dixerunt non licet nobis occidere quemquam, & propter hoc duxerunt Chriſtum ad Pilatum, & neceſſe fuit, quòd differretur aliqualiter iudicium de morte Chriſti, & veniret in cognitionem populi. Aliqui reſpondent aliter ad iſtam rationem,

nem, cum dixerunt iudæi: Non in die feſto, & dicunt, ꝙ verum eſt, ꝙ ſicut iudæi non volebant occidere Chriſtũ in die feſto, ita fecerunt. Nam non occiderunt eum in die feſto, ſed die ſeq. Erat enim feſtum ipſum Paſcha, quod erat die 14. ad veſperum, quando comedebatur agnus paſchalis, & ipſa die Chriſtus non occiſus eſt, ſed die ſeq. 15. quæ erat dies prima Azymorum. Sed dicendum, quod hoc non ſtat, quia non poteſt hic vocari dies feſtus, niſi primus dies Azymorum, quia, ſicut ſupra declaratum eſt, duæ feſtiuitates erant hic continuæ, ſcilicet paſcha, & dies Azymorum, Paſcha autem non erat propriè feſtum, quia nõ vacabatur illa die a laboribus, ſed licebat fieri omnia opera prophana, quæ fiebant in diebus profeſtis. Nec erat differentia aliqua inter iſtum diem, & alios prophanos, niſi ꝙ in iſto comedebatur agnus paſchalis ad veſperum & in alijs nõ. Primus dies autem Azymorum erat celeberrimus, tam quantum ad ſacrificia, quam ad vacationem operum ſeruilium. Nã prima, & ſeptima die Azymorum nullum opus fieri licebat, niſi ea, quæ ad cibum pertinent: Exod. 12. & Leu. 23. & die Phaſe, ſ. 14. die menſis primi licebat fieri quęcunque opera prophana, ſicut in diebus profeſtis, quia in nullo loco legis veteris reperitur, ꝙ illo die vacari deberet à laboribus. Differebat etiam in ſacrificijs, quia primo, & ſeptimo die Azymorum fiebant magna ſacrificia ſolemnia, quæ determinantur Num. 28. Et tamẽ in die Phaſe nullum ſacrificium legitur in toto veteri teſtamento, quod fieret: ideo intelligendum eſt, quod nullũ ſacrificium fieret in eo niſi ſacrificium iuge, quod erat ſacrificium dierum profeſtorum. Non ergo poterat vocari dies Phaſe dies feſtus, ſed dies primus Azymorũ, qui erat celeberrimus. Et cum iudæi determinaſſent, ꝙ non occiderent Chriſtum illa die ad vitandum ſcandalum, poſtea mutauerunt conſilium, & occiderunt eum eadem die ex cauſis ſupra aſſignatis.

CAPITVLVM IX.

De ſecunda cæremonia ſcilicet Azymorum panum, & quod Chriſtus manducauerit Azyma die cænæ vltimæ.

SEcunda cęremonia, de qua dubitabatur, an Chriſtus illam obſeruaſſet in vltima cęna, erat quantum ad azyma, ſcilicet an comediſſet panes Azymos, vel fermẽtatos. Quidam tenent, quod Chriſtus manducauerit fermentatum, & iſta fuit opinio Græcorum, ex quo inferunt, ꝙ Chriſtus confecit in fermentato, quia ipſe confecit poſt cęnam, & confecit in illis panibus, quos habebat, ſed habebat panes fermentatos: ideo confecit in fermentato. Ex hoc etiam inferunt, ꝙ nos debeamus conficere in fermentato, quia debemus imitari Chriſtum in modo conficiendi, & in omnibus, quæ pertinebant ad confectionem, ſed ipſe confecit in fermentato: ergo nos conficere debemus in fermentato. Hoc autem Eccleſia Græcorum ſeruat vſque ad hodiernum diem. Nam in fermentato conficiunt ſecundum cęremonias ſuas antiquas. Dicendum tamen eſt, ꝙ Chriſtus in cęna vltima comedit azyma, & non panem fermentatum. Quod patet primo ex deſtructione fundamenti poſitionis Gręcorum. Nam tenent Græci, ꝙ Chriſtus anticipauerit, & comederit paſcha die tertiodecimo menſis, vt ſupra declaratum eſt. Et tamen iudæi non comedebant tunc paſcha, ſed die ſeq. ſ. quartodecimo. Et ſic non eſſent panes azymi in terra Iſrael die tertiodecimo, de quib. comederet Chriſtus, ideo comederet panes fermentatos. Conſtat tamen inductum neceſſario ex præcedentibus, ꝙ Chriſtus manducauerit Phaſe die quartodecimo mẽſis, quando iudæi manducabant: & tunc omnes iudæi manducabant Azymos: ergo etiam Chriſtus manducaret, & in illis conficeret. Secundo patet, quia non ſolum rationabiliter infertur Chriſtum comediſſe azyma die cęnæ, ſed videtur etiam hoc neceſſarium. Nam dato, ꝙ Chriſtus, & Diſcipuli vellent comedere panem fermentatum illo die, non haberent, quia nullus panis fermen-A tatus erat tunc in tota terra Iſrael. Nam antequam inciperet feſtum, ſcilicet, ante meridiem diei quartidecimi eijciebant omne fermentatum de domibus ſuis dando illud beſtijs ad comedendum, ita vt nulla particula panis fermentati maneret in tota terra Iſrael poſtquam incipiebat feſtiuitas, vt patet Deut. 16. ſcilicet, nõn erit fermentatum in omnibus terminis tuis ſeptem diebus. Et hoc etiam obſeruant Iudæi vſque hodie. Non ergo poſſent Diſcipuli Chriſti, qui parauerant ei cibos paſchales, habere aliquos panes fermentatos, quos darent Chriſto in illa cęna. Neceſſe eſt ergo, quod comederit Azyma. Tertio patet, quia Chriſtus voluit obſeruare tota vita ſua legem veterem: & tamen de neceſſitate legis erat comedi Azyma cum agno paſchali, quia ſæpè hoc mandatum eſt, vt patet Exod. 12. & Numer. 9. ergo B Chriſtus comederat Azyma in illo feſto. Et ſi dicatur, quod non poſſet habere Azyma, dicendum, quod Chriſtus potius omitteret totam celebrationem paſchalem, quam quod obſeruaret quaſdam cęremonias eius, & alias non, quia iſte erat labor inutilis, & irrationabilis cum laboraretur in obſeruatione quarundam cæremoniarum: & tamen per hoc nondum ſatisfaceret legi, ſed eſſet præuaricatio eius, cum non obſeruarentur omnes cæremoniæ, ſicut declaratum fuit ſupra, quando probabatur quòd Chriſtus celebrauit Paſcha die 14. cum alijs Iudæis. Quartò quia dato, quòd Chriſtus anticipaſſet Paſcha per vnum diem ſicut Gręci dixerunt, quòd tamen falſum eſt, adhuc comediſſet Azyma, quia licet die 13. alii Iudæi nondum comedebant Azyma, ſed fermentatum: tamen Chriſtus feciſſet fieri Azyma pro cęC na ſua, quod ei facile erat: Nam ſi Chriſtus ex aliqua cauſa mutaret tempus celebrationis paſchalis, quod erat aliquid difficile: faceret etiam quod haberet panes Azymos pro illa die, licet alii Iudæi non haberent, quod erat ſatis facile, & non erat contra legem. Nam licebat cuilibet comedere panes Azymos quotidie ſi vellet etiam extra tempus Azymorum, cum lex de comedendo Azymo ſeptem diebus eſſet pœnalis, & non obligaret niſi ad illos ſeptem dies: ſi tamen quis ſponte vellet comedere panes Azymos quotidie, cum eſſent panes afflictionis, licebat ei: ſi tamen panes Azymi fuiſſent introducti in priuilegium, vel fauorem, non licuiſſet cuiquam veſci illis, niſi quamdiu lex permitteret, ſicut eſt de omnibus aliis, quæ dantur ex gratia, vel ex priuilegio. Dato ergo, quòd quando Chriſtus D celebrauit Phaſe, non eſſent Azyma apud Iudæos, ipſe faceret parari illa, vt obſeruaret omnes cæremonias paſchales, potiſſimè quia valdè facilè erat facere panes Azymos, quia nihil eſt facilius, quam facere panes ſubcinericios, qui fiunt repentinè non exiſtentibus aliis panibus, qui non poſſunt ita cito parari. ſicut paret Geneſ. 18. cum veniſſent tres Angeli ad Abraham in ſpecie virorum, & vellet eis in promptu dari cibos nec haberet aliquos panes, dixit Saræ vxori ſuæ, accelera tria ſata farinæ, commiſce, & fac ſubcinericios panes. Nihil ergo impediebat quin Chriſtus comederet panes Azymos die tertiodecimo, ſi anticipaſſet Paſcha, etiamſi non fuiſſet Azyma apud Iudæos. Quinto patet, quia dato, quòd Chriſtus anticipaſſet Paſcha, & eſſet prohibitũ apud Iudæos comedere panes Azymos extra ſeptẽ dies E Azymorum, adhuc Chriſtus deberet comedere Azyma illo tempore. Quod patet, quia vetitum erat celebrare Paſcha niſi quartodecimo menſis primi: & vt tamen iſti volunt, Chriſtus anticipauit per vnum diem faciendo contra legem ſubeunte cauſa: ita ergo ex eadem cauſa comederet Azyma tempore illo, quo lex non concedebat, vt compleret celebritatem paſchalem. Ex dictis apparet, quòd Chriſtus comedit Azyma in cęna vltima, & non fermentatum, ſiue anticiparet, ſiue non, potiſſime cum probatum ſit, quod Chriſtus non anticipauit, ſed comedit ea die, qua Iudæi.

CAPITVLVM X.

Quod Chriſtus confecerit in Azymis, & quòd licet poſſit confici in Azymis, & in fermentatis, quid ſit conuenientius.

EX prædictis ſequitur, quòd Chriſtus confecit ſacramentum corporis ſui in Azymis. Nam Chriſtus comedit in illa cęna panes Azymos, vt ſupra probatum eſt, ſed ipſe non confecit niſi in panibus, quos habebat in menſa: ergo in Azymis cõfecit. Item patet, quia Chriſtus cęnauit die 14. quando celebrabãt Paſcha omnes Iudæi, ſed eo tempore non erat aliquid fermentatũ in tota terra Iſrael: Deut. 16. ergo etiamſi Chriſtus veller conficere in fermentato, non occurreret ſibi habere illud, niſi ex miraculo faceret panem fermentatum, vel faceret parari illo tempore panem fermentatum, vel retinuiſſet illud ex tempore præcedenti, quando licebat veſci fermentatis, quod totum erat contra legem, Deut. 16. ſcilicet, ꝙ non eſſet aliquod fermentatum in toto Iſrael ſeptem diebus. Non eſt ergo vllo modo dicendum, quòd in fermentato confecerit, quia ad hoc oportebat poni aliquam exorbitantiam à lege, & à communi modo, quæ non ſunt dãda ſine neceſſitate: ponendo autem, quòd Chriſtus confecerit in Azymis, non ſequitur aliquid contra legem, nec contra communem modum: ideo iſtud tenendum eſt. Ex his apparet ſolutio illius dubitationis, quę communiter vertitur, ſ. an in Azymis, vel in fermẽtatis conficiẽdum ſit, & dicendum eſt, ꝙ in Azymis ſicut Chriſtus cõfecit. Et iſtam veritatem ſequitur Eccleſia Latinorum. Gręci autem crediderunt, ꝙ Chriſtus anticipauit Phaſe comedendo die tertiodecimo: ergo apud Iudæos non erant Azyma, & ſic ꝙ comederit fermentatum, & in illo confecerit: ipſi ergo credentes ſe Chriſtum imitari, in fermentato conficiunt vſque in hodiernum diem. Sed conſiderandum eſt circa hoc, quòd in confectione huius ſacramenti duo conſiderari poſſunt, ſcilicet quid de neceſſitate fieri debeat, & quid fieri conueniat. Quantum ad neceſſitatem dicendum, quòd illa ſunt de neceſſitate huius ſacramenti, quæ ſunt ei ſubſtantialia. Nam ſicut in compoſitis naturalibus materia, & forma ſunt ſubſtantialia rei, ita largè in ſacramentis dicimus materiam, & formam eſſé partes ſubſtantiales. Eſt enim forma ſacramenti huius in verbis illis, per quæ fit conſecratio, quæ licet non habeantur ita formaliter in Euangelio: Eccleſia tamen ſuſcipit illa ab Apoſtolis, qui ſuſceperunt ea à Chriſto, vt patet extra de celeb. miſ. in c. cum Marthæ. materia ſacramenti eſt panis triticeus, & vinum de vitibus, ſi quis autem mutaret aliquod iſtorũ duorum ſubſtantialium, ſ. materiæ & formæ non conficeret, vtporè ſi non vteretur verbis ab Eccleſia conſuetis, vel conficeret in pane hordei, aut in vino nõ de vitibus, quidquid autem aliud eueniat non impediet effectum ſacramenti, ſicut in naturalibus ſi corpus, & anima rationalis ſimul ſint, homo eſt, ſi alterum eorum deficiat impoſſibile eſt hominem eſſe. ſi tamen ambo ſimul ſint, quæcunq; aliæ varietates fiant, exterius nihilominus homo eſt, vtporè ſi ſit magnus vel paruus, niger vel albus, & ſic de ceteris quia accidentia non variant ſpeciem rei. Ita in ſacramentis: ſi quis enim adhibeat panem triticeum & vinum de vite, & proferat verba conſueta ab Eccleſia proferri, cum intentione conſecrandi, conficiet ſine dubio ſi ſacerdos eſt, quidquid aliud mutetur exterius, & ſiue panis ſit durus, ſiue mollis, ſiue calidus, ſiue frigidus: niger vel albus, groſſus vel tenuis, quadratus vel rotundus. Idem etiam de vino, ſiue ſit album ſiue rubeum, nouum vel antiquum, boni ſaporis vel mali. De verbis etiam pertinentibus ad formam, ſiue proferantur cantando, ſiue recitando: diſtinctè, vel confuſe, in bono, vel malo accẽtu, & ſic de omnibus aliis accidentibus, tam materiæ quam formæ, quia propter variationem illorum non variatur effectus ſacramenti. Ita etiam eſt in aliis Sacramentis, vt patet in baptiſmo cuius materia eſt aqua elementalis, quæ tamen ſiue ſit frigida, vel calida nihil differt, immo

Sacr̄m Eucharistiæ ĩ Azymis conficiendum eſt, quia ita Chriſtus confecit.

F etiamſi ſit dulcis, vel ſalſa, quod magis nihil differt. Nã in aqua maris baptizari quis poteſt. Ita eſt in pane, qui eſt materia Sacramenti. Nam eſſe triticeum eſt eſſe ſpecificum: & quia triticeum, & hordeaceum differunt in ſpecie, nõ poterit in hordeaceo pane, nec in aliquo alio, niſi in triticeo confici: eſſe tamen fermentatum, vel azymum ſunt accidentia panis, & non variant ſpeciem eius, ideo ſiue ſit panis triticeus fermentatus, ſiue azymus, poteſt illo confici. Et ſic patet, ꝙ Græci non errant conficiendo in fermentato, ſcilicet, quia ita eſt verum corpus Chriſti ibi, ſicut in confectione Azymorum, quam tenet Eccleſia latinorum. Secundum eſt, quid ſit, quod conuenit fieri in hoc Sacramento, ſcilicet, an in Azymis, vel in fermentatis conuenientius ſit confici. Et dicendum ꝙ conuenientius eſt confici in azymis, & ponit ad hoc S. Tho- G mas 3. parte Summæ quæſt. 75. artic 4. tres rationes. Prima eſt propter imitationem Chriſti: nã ipſe in Azymis confecit, ſicut ſupra probatum eſt. Secunda, quia panis eſt proprie figura, vel Sacramentum corporis Chriſti, quod ſine corruptione conceptum eſt: fermentum tamẽ corruptionem inducit in pane, ſicut dixit beatus Paulus; modicum fermentum totam maſſam corrumpit. Tertia, quia hoc magis competit ſinceritati fidelium: nam Azymum ſignificat ſinceritatem, quia in ſe ſincerum & immixtum eſt, & iſta ſinceritas requiritur in vſu huius Sacramenti, iuxta illud 1. Cor. 15. Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus, itaque epulemur non in fermento veteri malitiæ, & nequitiæ, ſed in Azymis ſinceritatis, & veritatis. Gręci autem, qui in fermentato conficiunt, non om- H nino ſine ratione fecerunt. Eſt vna ratio ad ſignificandũ vnionem naturæ humanæ ad verbum diuinum, ſicut fermentum pane miſcetur. Secunda eſt in deteſtationem hæreſis Nazaræorum. Nazaræi quippè dicebant obſeruanda eſſe cęrimonialia legis veteris ſimul cum Euangelio, & quia Chriſtus confecit in Azymis, vt ſeruaret cærimonias Paſchales, volunt etiam ipſi conficere in Azymis, vt obſeruent illam cærimoniam legis veteris, non licet tamen iam obſeruare cærimonias veteres, quia beatus Apoſtolus deteſtatur eas, vt patet ad Gala. 5. ideo, vt non viderentur Græci obſeruare cærimonias veteris legis, voluerunt potius in fermentato, quam in Azymis conficere. Iſtas rationes tangit Gregorius in Regiſtro. Dicendum tamen, ꝙ licet conuenientius ſit in Azymis, quam in fermento conficere, tamen ſeruandæ ſunt ſuper I hoc conſuetudines Eccleſiarum. Nam cum Eccleſia Latinorum conſecrat in Azymis, peccaret presbyter Latinus, qui manens inter Latinos conficeret in fermentato, & puniretur ſecũdũ iura, ſicut patet in Extrauag. de celebrat. miſ. c. per literas, vbi punitur Sacerdos, qui in pane fermentato, & vaſe ligneo miſſarum ſolemnia præſumpſerit celebrare, ſic etiam peccaret presbyter Græcus ſi in Eccleſiâ Græcorum exiſtens cõficeret in Azymis. Hoc tenet Sanctus Thom. vbi ſupra, & videntur eſſe de intentione beati Gregorii in Regiſtro, & per hoc facile eſt ſoluere quæcunque obiecta.

Opinio græcorũ de conficiendo in fermentato.

CAPITVLVM XI.

K *Et concluſio de anno mortis Chriſti prima die probandi per hiſtorias gentium, & quòd non ſit neceſſaria.*

PRæcedentibus ſic ſe habentibus, accedendum ad ſecundam dubitationem de morte Chriſti, circa quam erant duæ concluſiones, ſcilicet, vna de anno mortis Chriſti & alia de die, & licet vna dependeat quodammodo ex probatione alterius, tamen vt diſtinctius videatur, de qualibet earum per ſe agetur. Primo negociãdum eſt circa primam de anno mortis, cuius tenor eſt: In nullo anno ætatis Chriſti eum mortuum fuiſſe dicere poſſumus, niſi quando incepit eſſe temporis ſui annus trigeſimus tertius. Dubitatio enim conſueuit eſſe ſolum de tribus annis, ſcilicet, de anno 32. inchoato, vel de 33. vel de 34. & plures dubitant de 33. & de 34. in quo eorum Chriſtus mortuus ſit quam de 32. de aliis autem annis,

nemo vſque nunc dubitauit, quia non eſt ita veriſimile Chriſtum mortuum fuiſſe in aliquo alio, ſicut in vno de iſtis. Et dicendum, ꝙ licet in Sacra Scriptura non appareat determinatũ expreſſe, quo anno ætatis ſuę Chriſtus mortuus ſit: dicendum tamen eſt, ꝙ mortuus eſt anno 33. ſuo inchoato, de quo ſolum tranſierant tres menſes, & aliqui dies. Hoc poteſt probari tripliciter. ſ. hiſtorice, legaliter, aſtrologice. Prima probatio, quę eſt potius perſuaſio, eſt hiſtorica. ſ. quòd Chriſtus natus eſt anno quadrageſimoſecundo Octauiani, & mortuus eſt anno 18. Tiberij; ergo 33. anno ætatis ſuæ mortuus eſt. Antecedens patet ex hiſtorijs, quæ vtrumque ponunt; & tangit hoc Iſidorus in lib. Etymolog. Conſequentia patet, quia Octauianus vixit in regno annis 57. vt teſtantur hiſtorię communes Romanorum, & aliarum Gentium; quando ergo mortuus eſt, erat Chriſtus annorum quindecim; ſi ergo mortuus eſt anno 18. Tiberij, mortuus eſt anno trigeſimotertio ætatis ſuæ: quia Tiberius ſucceſſit immediatè Octauiano; & anno quintodecimo Tiberij incepit B prædicare beatus Ioannes, Luc. 3. & tunc etiam cepit p̃dicare Chriſtus. Manebant ergo quindecim anni de vita Octauiani. ſ. a quadrageſimoſecundo vſque ad quinquageſimumſeptimum, qui fuerunt communes Chriſto, & Octauiano; & ſic mortuus eſt Octauianus anno quintodecimo Chriſti, quibus ſucceſſerunt decem, & octo anni de vita Tiberij Imperatoris, qui faciunt triginta tres annos. Iſta probatio eſt ſatis rationabilis, & tamẽ non eſt neceſſaria, ſed potius perſuaſoria propter duo.

Primo propter fundamentum, quod habet ex hiſtorijs, quæ non continent fidem pleniſſimam. Nã licet eis aſſentiamus: non tñ eſt earũ tanta auctoritas, ꝙ neceſſe ſit in omni caſu eis ſtare, etiamſi iſtæ ſint hiſtoriæ ſcriptæ à viris ſanctis, ſicut patet de Chronicis Gothorum, C quæ ſcripſit Iſidorus, & de alijs Chronicis ſanctorum virorum: quia iſta non habuerunt viri ſancti ex probatione Sacræ Scripturæ, nec ex aliqua ratione naturali ineuitabili, nec a Spiritu Sancto mouente corda eorum, ſicut in Prophetis: iſti enim ſunt modi neceſſarij, qui faciunt probationes pleniſſimas, ſed habuerunt hæc ex libris antiquorum, vel ex relatu quorundam, qui dicunt ſe interfuiſſe rebus geſtis, dum gererentur, ſed in iſtis duobus modis ſæpè falſitas ſubeſt, ideo non eſt fides alicuius hiſtoriæ omnino neceſſaria, niſi fides Sacræ Scripturæ, quæ tradita eſt in Canone Bibliæ.

Secundo iſta probatio non eſt ſufficiens, quia dato ꝙ adhibeatur pleniſſima fides prædictis hiſtorijs, tamen non omnino certificant, eo quòd non apparet ex hoc, an D iſti anni eſſent completi, vel aliqui illorum ſolum eſſent inchoati. Nam interdum ſolent anni inchoati computari, tanquam ſint completi, ſ. poſtquam aliquis incipit annum trigeſimum dicitur iam habere triginta annos. Et ſic interdum naſcuntur multa dubia in Sacra Scriptura, quando computantur anni Regum, & videtur ſæpè ſibi contradicere, quia ſæpe computat annos perfectos pro inchoatis, ſæpe inchoatos pro completis, vt patet 3. Regum 15. & 16. & ſæpe in toto 3. & 4. Regum. Et in tantum oriuntur dubia ex hoc, quod Magiſter Hiſtoriæ Scholaſticæ coactus fuit facere vnum tractatum per ſe de concordia annorum Regum, ad tollendum contrarietatem, & impoſſibilitatem in Scriptura.

Iſto modo poterat eſſe, hic ꝙ Octauianus vixerit annis quinquagintaſeptem in regno, & vltimus eorũ non E fuerit completus, ſed ſolum inchoatus, & ſic non viueret Chriſtus tempore Octauiani quindecim annis, ſed quatuordecim, & quadam particula anni 15.

Sic etiam cum dicitur, ꝙ Chriſtus mortuus eſt anno decimo octauo Tiberij, poſſet intelligi, ꝙ non completus fuit ille annus, ſed ꝙ in principio decimi octaui anni Tiberij, Chriſtus mortuus fuerit, & tunc Chriſtus vixiſſet ſolum decem & ſeptem annis tempore Tiberij, & quatuordecim annis tempore Octauiani, qui faciũt annos triginta, & vnum, & aliquot dies, vel menſes inſuper loco annorum incompletorum. Et ſic non apparet, ꝙ Chriſtus vixiſſet triginta tribus annis, ſed ſolum triginta & vno, vel triginta duobus. Poterat igitur intelligi A per contrarium, ſ. ꝙ ſolum computarẽtur hic anni completi, & nulla mentio fieret de inchoatis, licet quædam partes illorum tranſierint, vt intelligatur, ſic ꝙ Chriſtus natus eſſet in anno 42. Octauiani circa principium & cũ vixerit vſque ad quinquageſimumſeptimũ annũ Octauiani incluſiuè, erunt decem & ſex Chriſti tempore Octauiani, cum quibus ſi accipiantur decem, & octo anni de tempore Tiberij, erunt trigintaquatuor anni completi. Et ſic moreretur Chriſtus in principio anni ſui trigeſimi quinti, ideo iſta probatio non eſt ſufficiens. Potiſſimè cum ſit hic dubitatio de annis immediatis, ſ. an anno trigeſimo tertio, vel 34. Chriſtus mortuus ſit. Si autẽ eſſet dubitatio de annis non immediatis, ſicut de anno trigeſimo, & quadrageſimo, vel quadrageſimoquinto iſta probatio ſufficeret, quia per differentiam annorum completorum, & incompletorum non poſſet coincidere B annus trigeſimus cum quadrageſimo, vel quadrageſimus cum quadrageſimoquinto, ideo ad alias probationes recurrendum eſt.

CAPITVLVM XII.

In quo ponitur via ſecunda probandi ex hiſtoria Euangelica, & quòd Chriſtus non poteſt dici mortuus ante trigeſimum tertium annum ætatis ſuæ inchoatum, & quod in ipſo mortuus eſt.

SEcunda probatio eſt Euangelica, nam ex hiſtoria Euãgelica colligitur aliqualiter iſta veritas. Pro quo ſciendum, quòd licet oẽs Euangeliſtæ enarrent geſta Saluatoris: nullus tñ eſt, qui ita ordinate deſcripſerit hiſtoriã C Chriſti, quantum ad connotationes temporum, ſicut beatus Ioannes, qui ferè in omnibus geſtis principalibus Chriſti appoſuit tempora, in quibus fiebant, ſicut nunc aliqualiter deducetur, & in probatione iſta duo inferentur.

Primum eſt, quod Chriſtus non poteſt dici mortuus ante trigeſimum tertium annum ætatis ſuæ inchoatum.

Secundum eſt, quod Chriſtus mortuus fuerit in ipſo trigeſimotertio anno ætatis ſuæ.

Pro iſta probatione debent præſupponi duo fundamenta: primum eſt, quòd Chriſtus non poteſt dici mortuus in aliqua parte anni, niſi menſe primo Iudæorum, quia in Paſchate mortuus eſt, vt patet Ioan. 19. Alterum fundamentum eſt, quod Chriſtus non potuit mortuus D dici ante annum trigeſimum, nam tunc nondum erat baptizatus, nec inceperat prædicare, vt patet Lucæ 3. ſ. erat autem Ieſus incipiens annorum triginta, & poſtea prædicauit, & fecit omnia, quæ Euangeliſtæ tradunt. Hoc præſuppoſito arguitur ſic; Chriſtus poſt Baptiſmum vidit quater Paſcha, & in vltimo eorum mortuus eſt, ergo mortuus eſt incipiente anno trigeſimo tertio. Patet conſequentia, quia primum Paſcha erat anni trigeſimi, nã in illo baptizatus eſt, & incepit prædicare, ſecundum eſt Paſcha anni trigeſimi primi, tertium eſt Paſcha anni trigeſimiſecundi: quartum eſt Paſcha anni trigeſimitertij; ſic ergo in quarto Paſchate mortuus eſt: neceſſe eſt ergo eum fuiſſe mortuũ anno trigeſimo tertio inchoato.

Chriſtus poſt Baptiſmum vidit quater Paſcha.

Pro antecedentis probatione deducenda eſt hiſtoria beati Ioannis, & ſciendum, quod licet beatus Lucas ali E quid dixerit, & etiã beatus Matthæus de his, quæ Chriſtus egit vel paſſus eſt, aut circa eum geſta ſunt ante annum trigeſimum, tamen beatus Ioannes nihil dicit, de his, quæ geſſit, vel paſſus eſt poſt inchoatum annum trigeſimum, in quo Chriſtus eſt baptizatus. Vnde beatus Ioannes, poſtquam declarauit deitatem Chriſti, & oſtẽdit emanationem eius æternam a patre, incepit loqui de Baptiſmo eius Io. 1. Erat autem tunc Chriſtus Ieſus incipiens annum trigeſimum, Luc. 3 quia compleuerat 29. annos & dies tredecim de anno trigeſimo. Nam tota Eccleſia tenet, & cantat, quòd Chriſtus baptizatus ſit in die Epiphaniæ reuoluto anno, ſcilicet annis vigintinouem finitis poſtquam Magi adorauerunt Chriſtum, die eodem baptizatus a Iohanne in Iordane. Et hoc ſatis

conſonat Luc.3. ſcilicet, erat Ieſus incipiens annorum triginta. Nam non dixit, & erat annorum triginta, ſed ꝙ erat incipiens annorum triginta, ideſt, incipiens annum trigeſimum, quia de illo ſolum egerat tredecim dies, qui ſunt inter Natalem Domini, & Epiphaniam. Poſtquam autem Chriſtus baptizatus eſt, immediatè aſcēdit in deſertum, & incepit ieiunare, vt patet Luc.3. & Math.3. & magis clarè Mar.1. cum dicitur: Et baptizatus eſt à Ioanne in Iordane, & ſtatim aſcendens de aqua vidit cęlos apertos. Et ſequitur: Et ſtatim ſpiritus expulit eum in deſertum, & erat in deſerto quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. Et ſic apparet, quòd iſti quadraginta dies incipiunt computari ab ipſo die Epiphaniæ vel à die ſequenti, et durabunt vſque ad diem quintumdecimum Februarij, & ibi finitum fuit ieiuniū Chriſti.

Manebant autem ex die, quo finiuit ieiunium iſtud, vſque ad Paſcha Iudæorum dies quaſi quadraginta; quia illo anno fuit Paſcha Iudæorum circa finem Martij, eo quòd ibi erat luna quartadecima menſis primi eorum. Nam communiter Paſcha Iudæorum eſt circa finem Martij, vel principium Aprilis. In iſto tempore medio, ſcilicet, quadraginta dierū, vel quaſi, Chriſtus fecit ea, quæ habentur Ioan.1. à medio capituli vſq; ad medium ſecundi capit. nam Ioan.1. dicitur, quomodo Chriſtus poſt ieiunium ambulans per Galileam vocauit quoſdam diſcipulos, ſcilicet Petrum, & Andreā, & Philippum, & locutus eſt ad Nathanael: & in principio ſecundi capituli dicitur, quòd die tertia poſt vocationem illam, & locutionem ad Nathanael, factæ ſunt nuptiæ in Cana Galilææ, & iuit illuc Ieſus cum matre, & cum alijs paucis diſcipulis, quos habebat, & cōpletis nuptijs deſcenderunt in Capharnaum, & manſerunt ibi diebus paucis. & tunc ſequitur: Et propè erat Paſcha Iudęorum, & aſcendit Ieſus Ieroſolymam. Iſtud enim fuit Paſcha anni trigeſimi, & tunc eiecit de templo ementes, & vendentes eodem.c. deinde venit Nicodemus ad Chriſtum, vt informaretur ab eo ſuper baptiſmo: Ioan.3. & erat tūc Chriſtus in Iudæa, habebatque officium baptizandi, & audita doctrina eius veniebant multi ad ipſum, & baptizabantur. Et iam plures baptizabantur ab eo quam à Ioanne. Et hoc totum continetur Ioan.3. deinde Chriſtus audiuit, ꝙ inter Phariſæos murmur erat, & dicebant, ꝙ Chriſtus plures diſcipulos faceret quam Ioannes, quo audito Chriſtus receſſit de Iudæa, vt non daret locum murmurationi, & inuidiæ, & venit in Galilæam. Hoc habetur Ioan.4. in princ. Debuit autem tunc tranſire per quandam ciuitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar, & ibi locutus eſt cum muliere Samaritana Ioann.4. deinde veniens in Galilæam ſanauit filium Reguli incipientem mori. eodem ca. & in hoc conſummati ſunt omnes actus Chriſti anni ſui trigeſimi, vſque ad principium trigeſimi primi. Et tunc Ioan.5. in principio dicitur, ꝙ poſt erat dies feſtus Iudæorum, & aſcendit Ieſus Ieroſolymam. Iſte dies feſtus erat Paſcha, qui vocatur dies feſtus per excellentiam non expreſſo nomine, eo ꝙ iſtud feſtum erat ſolemnius omnibus, cum in iſto venirent omnes Iudæi in Ieruſalem. Et iſtud fuit Paſcha anni trigeſimiprimi, quia continuata hiſtoria inter ſecundum & quintum cap. Ioannis, non ponitur aliquod Paſcha intermediū. In iſto primo anno, ſcilicet, à Paſchate anni trigeſimi vſque ad Paſcha trigeſimiprimi, Iudæi non fuerunt perſecuti Chriſtum, nec legūtur intuliſſe ei aliquam iniuriam, ſiue moleſtiam re aut verbo, niſi ꝙ murmurationem quandam fecerint dicentes, ꝙ plures diſcipulos ipſe faceret quam Ioannes, vt patet Ioann.3. ipſe autem volens cedere huic murmurationi & inuidiæ receſſit de Iudæa in Galilæam. Ioan.4. poſt Paſcha autem anni trigeſimiprimi fecit Chriſtus ea, quæ habentur Ioan.5. vſq; ad medium ſexti capit. Nam ſanauit Paralyticum, qui iacebat in porticu probaticæ piſcinæ, & fuerat ibi triginta octo annis Ioan.5. Deinde expleto feſto receſſit Chriſtus de Ieruſalem, & venit trans mare Galilęę, quod vocatur Tyberiadis, & ſequebatur eum multitudo magna Ioan.6. Continuabat autem Chriſtus doctrinam ſuam in Galilæa, & ſequebatur eum ſemper multitudo, & diſcur-
F rebat per loca Galilęæ circa mare Tyberiadis, manſitque ibi vſque ad finem iſtius anni trigeſimiprimi, & tunc fecit ibi miraculum de quinque panibus, & duobus piſcibus ſatiando quinque millia hominum, & iſtud erat iuxta mare Ioan.6. & dicitur ibi, erat autem proximum Paſcha dies feſtus Iudæorum, iſtud erat Paſcha anni trigeſimiſecundi. Et poſtea prædicauit Chriſtus de corpore & ſanguine ſuo. eodem cap. & tunc quidam etiam de diſcipulis ſuis receſſerunt ab eo dicentes, durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire?

In iſto anno trigeſimoſecundo inceperunt aduerſitates Chriſti, quia iam Iudæi perſequebātur eum propter ſigna, quæ faciebat, & propter veritatem, quam prædicabat eis, in tantum quòd Chriſtus non audebat publicè ambulare in Iudæa. Vnde poſtquam Beatus Ioannes
G dixit de Paſcha anni trigeſimiſecundi, & de prædicatione Chriſti circa corpus, & ſanguinem ſuum, quæ durat vſque ad finem ſexti capituli, immediatè in principio ſeptimi capituli dixit: Poſt hæc ambulabat Ieſus in Galilæa: non enim volebat in ſta Iudæam ambulare, quia quærebant eum Iudæi interficere. Hoc durauit à Paſcha Iudęorum vſque ad feſtum tabernaculorum, ſiue Scenophegiæ, quod eſt tempus ſex menſium, cum Paſcha ſit die quartodecimo mēſis primi, & Scenophegia incipiat die quartodecimo menſis ſeptimi, Leui.23. & hoc patet, quia poſtquam Ioan.7. dictum erat, ꝙ nolebat Ieſus ambulare in Iudæa, quia quærebant eum Iudæi interficere, ſequitur: Erat autem in proximo dies feſtus Iudæorum Scenophegia. In iſto feſto aſcendit Ieſus in Ieruſalem, &
H prædicauit omnia, quę habentur Ioan.7. & 8. & tunc voluerunt eum Iudæi lapidare, quia dixit antequam Abraham fieret, ego ſum: ipſe autem abſcondit ſe, et exiuit de templo. Tunc etiam Chriſtus exiſtens in Ieruſalem ſanauit in eodem feſto hominem cęcum à natiuitate, ponendo lutum in oculis eius, de quo Ioan.9. vndè immediatè vt Ioan.8. in fine dicitur, quòd Ieſus abſcondit ſe, & exiuit de templo, ſequitur in principio noni capituli, & præteriens vidit hominem cęcum à natiuitate: quaſi innuat, quòd illa vice, qua abſcondens ſe exiuit de templo, tranſiens per callem vidit illum cęcum à natiuitate, & ſanauit eū, & propter hoc inſurrexit magna inuidia, & deteſtatio Iudæorum contra Chriſtum, nam dicitur eod.cap. iā enim cōſpirauerant Iudæi, vt ſi quis Ieſum confiteretur Chriſtum, extra Synagogam fieret. Et poſt
I hoc cęcus ille, qui ſanatus fuerat obuiauit ſemel Chriſto, & adorauit eum: & Phariſæi quidam, qui erant cū cęco dixerunt ad Chriſtum: Nunquid & nos cæci ſumus? & Chriſtus incepit eis reſpondere, & continuatur ſermo ſuus à fine noni cap. vſque ad medium decimi: hæc omnia facta ſunt in feſto Scenophegiæ anni trigeſimiſecundi. Poſt hæc non fit mentio de aliquibus geſtis Chriſti vſque ad feſtum purificationis, ſiue Enceniorum, quod eſt die vigeſimaquinta mēſis Gaſleu, vt patet 2.Machab.1. eſt autem menſis Gaſleu menſis nonus, ſcilicet, Nouember. Et ſunt quaſi duo menſes inter Scenophegiam, & feſtum Purificationis. In iſto feſto iterum ſtetit Chriſtus in Ieruſalem, & Iudæi loquebantur cum illo, &
K voluerunt eum lapidare. Sic patet Ioan.10. nam poſtquam poſita fuit reſponſio, quam fecit Chriſtus in feſto Scenophegiæ ſuper cæco nato, ſequitur: facta ſunt Encenia, ideſt purificationes in Ieroſolymis, & hyems erat. Et habitis ſermonibus tunc cum Iudæis dicitur, quærebant ergo eum apprehendere, et exiuit de manibus eorum, & abijt iterum trans Iordanem, & manſit illic. Factum eſt hoc in fine menſis noni, anni trigeſimiſecundi, manſitq; ibi Chriſtus aliquanto tempore docens, & multi veniebant ad eum, & credebant in ipſum, ibique ſtetit vſque ad principium anni trigeſimitertii.

Tunc accidit, quòd ægrotaret Lazarus, & moreretur, & ſorores eius miſerunt ad Chriſtum, dicentes: Domine ecce quem amas, infirmatur. Et tunc Chriſtus venit, vt ſuſcitaret Lazarum. In hoc tamen turbabantur diſcipuli eius, quia Chriſtus erat nunc in loco ſecuro, & vt ſuſcitaret Lazarum veniebat circa Ieruſalem, vbi erat in magno periculo, Ioan.11. Et patet continuatio huius hi-

ſtoriæ, quia poſtquam Ioan. 10. in fine dicitur, quomodo Iudæi voluerunt Chriſtum lapidare, & recedens manſit trans Iordanem docens. ſequitur in principio vndecimi capit. ſcilicet erat quidam languens Lazarus à Bethania, iſta ſuſcitato Lazari fuit menſe primo anni trigeſimitertij, ſcilicet Martio, & tūc Iudæi commoti fuit zelo magno videntes ſignum hoc, & euntes dixerunt illud Phariſæis. Et tunc dicitur eodem cap. quod collegerunt Pontifices, & Phariſæi conſilium, & dicebant: quid faciemus, quia hic homo multa ſigna facit? Et tunc cogitauerunt Chriſtum occidere, & dicitur: Ieſus ergo non in palam ambulabat apud Iudæos, ſed abijt in regionem iuxta deſertum, in ciuitatem, quæ dicitur Ephrem, & ibi morabatur cum diſcipulis ſuis. Et ſequitur: proximum erat autem Paſcha Iudæorum. Iſtud erat Paſcha anni trigeſimitertij, in quo Chriſtus mortuus eſt. Nam poſt hoc dicitur: quærebant ergo Ieſum & colloquebantur, dicentes: quid putatis, quia non venit ad diem feſtum? & ſequitur: Dederunt autem Pontifices, & Phariſæi mandatum, vt ſi quis cognouerit vbi ſit indicet, vt apprehendant eum, & tunc in principio duodecimi capi. ſequitur de feſto in ramis palmarum, quod erat per ſex dies antè diem mortis Chriſti. Et poſt hæc in principio tertijdecimi. cap. ponitur cęna Chriſti cum diſcipulis ſuis, quæ fuit præcedenti die ante mortem ſuam. Ex prædictis apparet, quod Chriſtus poſt principium anni ſui trigeſimi vidit quadruplex Paſcha. Primum ponitur Ioan. 2. Secundum ponitur Ioan. 5. Tertium ponitur. Ioan. 6. Quartum ponitur Ioan. 11. Et in iſto quarto mortuus eſt. Primum fuit Paſcha anni trigeſimi. Secundum fuit Paſcha anni trigeſimiprimi. Tertium fuit Paſcha anni trigeſimiſecundi. Quartum fuit Paſcha anni trigeſimitertij. Iſta habentur ex deductione hiſtoriæ Beati Ioannis, quæ nihil aliud continet à principio primi cap. vbi agitur de baptiſmo Chriſti vſque ad principium tertijdecimi, vbi agitur de cęna ſua cum diſcipulis ante mortem. Et eſt hiſtoria trium annorum completorum, & vnius inchoati. Nec poteſt quis majora tempora Chriſto dare poſt baptiſmum ſuum quàm iſta quæ deſcripta ſunt. Niſi forte diceret, quod hiſtoria beati Ioannis non eſt continuata, quod non videtur conuenienter dictum. Apparēt ex prædictis illa duo, quæ ſupra tetigeramus. Primum eſt, quod Chriſtus non poteſt dici mortuus fuiſſe vſque ad annum trigeſimumtertium ætatis ſuæ inchoatum. Nam poſt baptiſmum ſuum ponit beatus Ioannes Chriſtum vidiſſe quadruplex Paſcha: ergo poſt baptiſmum vixit ſaltem quatuor annis, ſcilicet, tribus completis, & vno inchato. Completi fuerūt trigeſimus, & trigeſimuſprimus, & trigeſimuſſecundus: incompletus trigeſimuſtertius, de quo Chriſtus non vixit, niſi illis diebus qui ſunt inter natale ſuum, & Paſcha Iudæorum, qui ſunt tres menſes, vel parum plus. Et ad hoc non poteſt eſſe aliqua cauillatio, niſi negaremus literam beati Ioannis, quia quadruplex Paſcha non poteſt eſſe, niſi in quatuor annis. Ex hoc patet, quòd nullo modo eſt recipienda illa poſitio, quæ dicit Chriſtum mortuum fuiſſe anno 32. vitæ ſuæ nondum completo, quia tunc non poſſet poni poſt baptiſmum Chriſti, niſi triplex Paſcha, cum baptiſmus fuerit in principio anni trigeſimi, Luc. 3. ſcilicet. Erat Ieſus incipiēs annorum 30. ideo neceſſe eſt dici eum fuiſſe mortuum in anno 33. vel in aliquo alio poſt, ſed prius nequaquam poteſt dici mortuus. Secundum erat, quòd Chriſtus mortuus ſit anno 33. quod ſatis patet, quia poſt principium anni trigeſimi, cum Chriſtus baptizatus eſt, ponit beatus Ioannes quadruplex Paſcha, & in vltimo eorum Chriſtus mortuus eſt, ideo anno trigeſimotertio mortuus eſt. Iſta probatio procedit neceſſario, niſi dicatur; quod inter iſtud quadruplex Paſcha omiſit Beatus Ioannes aliquod Paſcha. nam de primo eorum manifeſtum eſt, quod fuit in anno trigeſimo, quia alias daretur quaſi vnus annus integer poſtquam Chriſtus incepiſſet vocare diſcipulos, in quo nihil faceret. Iſtud patet in deductione, quam fecimus ſupra de primo cap. Ioannis vſque ad medium ſecundi. De quarto etiam Paſcha ſatis apparet, quod fuerit illud in quo

A Chriſtus mortuus eſt, cum ponatur ibi ſimul feſtum in ramis palmarum, & dies cęnæ Domini, quæ fuerunt in anno mortis Chriſti. Nec poteſt ſatis conuenienter ſtare, ꝙ Beatus Ioannes omiſerit aliquos annos de tempore illo, quo Chriſtus prædicauit. Primo, quia hiſtoria B. Ioannis de ſeipſa apparet ſatis continuata, ſicut ſupra diximus. Secundo quia in ſcripturis ſemper tenendum eſt, ꝙ ſit ordo continuatus ſine omiſſione aliqua, niſi probetur omiſſio, & ꝙ ſit ordo rectus naturalis ſine anticipatione & recapitulatione, niſi probetur anticipatio vel recapitulatio, quia ſemper præſumendum eſt pro eo, quod commune eſt, niſi probetur eſſe factum per aliquem ſpecialem modum: ſcribere tñ aliquid cum omiſſione quorundam, vel cum anticipatione, & recapitulatione ſunt ſpeciales modi, ideo nunquam eſt præſumendum, ꝙ iſti ſunt in ſcriptura, niſi qñ clarè probatum fuerit, ꝙ aliquis eorum eſt. Fundamentum huius eſt, quia alias tolleretur B tota certitudo ſcripturæ: ſi putaremus, ꝙ ſcriptura loqueretur per omiſſiones, anticipationes, & recapitulationes, niſi in caſu, in quo manifeſtè apparet. In præſenti tamen non conſtat, ꝙ beatus Ioannes omiſerit aliquos annos, vel Paſcha de ætate Chriſti poſt baptiſmū vſq; ad mortem, & ponit quadruplex Paſcha. Ideo credendum eſt, ꝙ non fuerit, niſi iſtud quadruplex Paſcha. Et ſic Chriſtus moreretur in principio anni trigeſimitertij ætatis ſuæ.

CAPITVLVM XIII.

In quo incipit tertia via probandi, ſ. aſtrologica, & ponuntur quatuor ſuppoſita ad probandum hanc, & tria illorum probantur hic.

C TErtia probatio erat aſtrologica, non quidem ꝙ tota ſit aſtrologica, quia aſtrologica de talibus non conſiderat tanquam de ſubiecto, vel de partibus ſubiecti artis, ſed præſuppoſitis quibuſdam fundamētis legis Dei, ad quam proprie pertinet de morte Chriſti agere. Aſtrologia eſt via probatiua ad id quod intendimus. Et iſta probatio eſt omnino neceſſaria, ita quod non habeat locum aliqua cauillatio de omiſſione, anticipatione, vel recapitulatione, ſicut haberet locum contra præcedentem probationem, quæ erat purè Euangelica. Ad inueniendum hoc oportet quędam pręſupponi: primum eſt, quòd Chriſtus mortuus eſt die Veneris, ſic patet Ioann. 19. ſcilicet. Iudæi ergo quoniam paraſceue erat, vt non remanerent in Cruce corpora die Sabbatho, rogauerunt D Pilatum, vt frangerentur crura eorum; & ſic dies qua Chriſtus pendebat in Cruce erat paraſceue, ideſt dies Veneris, & ſequens dies erat Sabbatum. Et ne manerēt corpora illo die in Cruce, ſed morerentur citò, fracta ſunt crura latronum, crura autem Chriſti nō fracta ſunt, quia iam erat mortuus. Idem patet Marc. 15. ſcilicet. Et cum iam ſero eſſet factum, quia erat paraſceue, quod eſt antè Sabbathum. Et etiam Lucæ 23. dicitur: Et dies erat paraſceue, & Sabbathum illucebat, ideſt ſequens dies erat Sabbathum.

Mors Chriſti fuit die Veneris.

Secundum præſuppoſitum eſt, quòd Chriſtus mortuus eſt die quintadecima menſis primi Iudæorum, ſcilicet luna quintadecima. Nam Iudæi computant menſes per lunationes, & quota eſt luna, tot ſunt menſis dies, ideo apud Iudæos eſt feſtum Calendarum, ſciE licet prima dies menſis: Numeri 28. & 29. Et illa dies vocatur Neomenia: Iſaiæ primo. & Pſalmo octuageſimo. Et ſicut Calendæ vocantur apud nos prima dies menſis cuiuslibet, ita vocatum fuit illud feſtum Neomeniæ apud Iudæos Calendæ, ad ſignificandum, quod dies Neomeniæ eſt prima dies menſis, & in omni menſe celebratur, & tamen Neomenia ſignificat primam diem lunæ, ſcilicet, quando luna eſt in coniunctione cum Sole, & non apparet. Et interpretatur Neomenia nouus defectus, vel nouiter deficiens. Patet hoc, quia Chriſtus mortuus eſt ſequenti die poſt cęnam, & tamen ipſe cęnauit die quartadecima menſis ad veſperum quando Iudæi comedebant Paſcha, vt ſupra probatum eſt. Et illud feſtum eſt die quarta-

Mors Chriſti fuit die 15. mēſis primi Iudæorum.

decima menſis primi: Leuit. 23. & ſequenti die poſt cœnam mortuus eſt, quia ſurgens de cœna introiuit in hortum, & ibi captus eſt à miniſtris Iudæorum, & ſequenti die mortuus eſt, vt colligitur Matth. 26. & 27. Mat. 14. 15. Lucæ 22. 23. Ioan. 18. 19. erat ergò dies quintuſdecimus Lunæ, quando Chriſtus mortuus eſt.

Tertium præſuppoſitum eſt, quòd Chriſtus mortuus eſt inter annum trigeſimum, & quinquageſimum ætatis ſuæ: nullus enim debet dubitare, an Chriſtus mortuus fuerit antè annum trigeſimum. Nam antè illud tempus nondum inceperat prædicare, nec facere aliquid eorũ, quæ communiter traduntur ab Euangeliſtis. Patet quia Lucæ 3. dicitur: Erat Ieſus incipiens annorum triginta, id eſt incipiebat annum trigeſimum, quando baptizatus eſt, vt ibi ſubiungitur. Item non peruenit Chriſtus ad annum quinquageſimum. Nam illo anno, quo mortuus eſt dixerunt Iudæi ad Chriſtum. Quinquaginta annos nõdum habes, & Abraham vidiſti? Ioan. 4. hoc tamen dicebant Iudæi tanquam notiſſimum, quaſi dicant, Chriſtus gloriabatur ſe eſſe antequam Abraham fieret, & tamen ad plus, etiamſi Chriſtus vellet dicere ſe habere multos annos non poterat dicere, quod erat quinquaginta annorum. Sicut ſi de aliquo homine trigintaquinque annorum volẽdo arguere ipſum de manifeſtiſſimis, dicemus tamen, non habes ſexaginta annos. Nam licet poſſet mentiri dicendo ſe habere quinque, vel ſex annos ſupra veritatem, vel infra, quod tamen dicat ſe habere quindecim, vel viginti ſupra veritatem vel infra, nullo modo eſt veriſimile, ideo in talibus reſpondens, etiamſi vellet ſubticere verum, vel falſum exprimere, nullo modo audebit, quia manifeſtiſſime apparebit eum mentitum. Ita nunc Iudæi volebant conuincere Chriſtum de mendacio, cum ipſe diceret ſe eſſe antiquiorem quam Abraham, & ſi illi expreſſiſſent ſolum ſummam annorum eius, vel paucos plus, poterat ipſe dicere, quòd erat plurium annorum, & non poterant eum manifeſte conuincere, ideo dixerunt multos annos ſupra ætatem Chriſti, vt ipſe erubeſceret dicere ſe eſſe plurium annorum quam illi expreſſerant. Cum ergo dicerent, quòd nondum erat quinquaginta annorum: videtur dicendum, quòd nondum eſſet quadragintaquinque annorum, vt tantæ ætatis appareret, nec forte 40. annorum. Chriſtus tamen mortuus eſt in anno, in quo iſta dicta ſunt ei in feſto Scenophegiæ, quod eſt menſe ſexto, & ipſe mortuus eſt menſe primo ſequentis anni, vt ex ſupra dictis inductum eſt: & ſatis manifeſtat beatus Ioannes. Non ergo inquirendum eſt de multis annis ætatis Chriſti, in quo illum mori potuerit, ſed ſolum inquiretur de annis intermediis inter trigeſimum, & 50. & licet communiter non dubitetur, niſi de tribus annis, ſcilicet 32. 33. & 34. & ſatis eſſet inquirere per viam aſtrologicã, in quo iſtorum trium annorum mortuus fuerit, vt tamen tollamus dubium ſecundum fundamenta Euangelii, ex quibus apparet eum fuiſſe mortuum inter annum trigeſimum, & quinquageſimum. De omnibus iſtis intermediis, ſcilicet de quolibet iſtorum 20. annor. quæretur in quo eorum mori potuerit.

Declaratio textus illius 50. ann. non dũ hẽs

CAPITVLVM XIV.

De quarto præſuppoſito, & ibi multa de diuerſitate annorum ſolarium & lunarium, & de annis diuerſarum gentium, & multa de mutatione anni Iudæorum, & de cauſa, & de modo inueniendi primum menſem Iudæorum quolibet anno.

QVartum præſuppoſitum eſt quantum ad computationem iſtam, quia Chriſtus mortuus eſt menſe primo Iudæorum. videndum eſt, quis eſſet iſte menſis primus, vt ſciamus cum quo menſe noſtro concidit, quia alias neſciemus dicere, quis menſis de noſtris ſit, quando Chriſtus mortuus eſt ſcilicet an Aprilis, vel Martius, vel aliquis alius. In quo ſciẽdum, quod cum primus menſis ſit principium anni, & principia annorum apud diuerſas gentes diuerſa ſunt, erunt etiam

F primi menſes diuerſi, ſed etiam in hoc conſiderandum eſt, quòd quædam gentes habent principium anni mutabile, & aliæ non, ſcilicet quædam gentes ſunt, quę vbi ſemel habent principium anni, ibi ſemper habẽt illud, ſicut ſunt Latini, Græci, Aegyptij, Syrij, Perſæ, & multæ gentes: aliæ autem ſunt, quæ habent principium anni mobile, ſicut Saraceni. Iſta diuerſitas venit ex eo, quòd quædam gentes faciunt annos lunares, aliæ annos ſolares. Illæ gentes, quæ faciunt annos ſolares, habent principium annorum ſuorum fixum, ſicut Latini, quorum annus ſemper incipit in Ianuario in hyeme, vt pote ſi ſemel incipiat annus Latinorum die illo, quo ſol eſt in vigeſimo gradu Capricorni, ſemper incipiet eodem die, nec apparet aliqua diuerſitas, niſi in multis annis, ſcilicet in centum annis vno die, vel quaſi propter motum G augium, de quo non eſt ad præſens. Vulgus tamen non percipit iſtam differentiam. Quædam etiam gẽtes ſunt, quæ incipiunt annum ſuum in autumno, & ſemper ſic incipiunt. ſ. Græci, qui computant per annos Alexãdri, & incipiunt in Octobri. Gentes autem, quæ computant annos ſuos per lunam: neceſſe eſt, quod faciant mutationem in principijs annorum ſuorum, quia tempus variatur propter varietatem ſolis, & nõ propter varietatẽ lunæ. Nã quatuor diuerſitates tẽporum. ſ. ver, æſtas, autũnus, hyems, non fiunt propter lunam, ſed propter Solẽ, quia alias quolibet menſe eſſent iſtæ quatuor diuerſitates, cum Luna quolibet menſe compleat curſum ſuum.

Qui autem computant menſes per Lunam, faciunt 12. menſes, ſicut qui computant annos ſolares. Menſes H tamen lunares non ſunt æquales menſibus ſolaribus, quia vna lunatio continet vigintinouem dies, & 12. horas, vel quaſi, & duæ lunationes ſimul continent dies quinquaginta nouem; ideo illi, qui volunt diſtinguere menſes lunares dando cuilibet dies integros, faciunt vnum menſem ex triginta diebus, & alium ex vigintinouem. Et ſic procedunt. Et ſic 12. menſes lunares ſimul faciunt dies trecentos quinquaginta quatuor, annus tamen ſolaris continet dies trecentos ſexagintaquinque præter quartam biſſextilem, & ſic annus ſolaris abundat in 11. diebus ad annum lunarem.

Ex quo ſequitur, quod neceſſe eſt. quòd ſi quis computet tempora ſua per annos lunares, quod aliquando incipiat annum in hyeme, aliquando in æſtate, & ſic de alijs partibus temporis. Patet hoc, quia ſi nunc compu- I tare inciperet annos ſolares, & lunares eodem die, ſcilicet prima die Ianuarii, non finientur ſimul, quia annus lunaris erit minor. 11. diebus, & finietur die vigeſimo Decembris, & alio anno decurtando alios 11. dies finietur die nona Decembris, & alio anno decurtando ſic finietur die vigeſima octaua Nouembris, & ſic continuè decurtabit vſque in triginta tribus annis minuatur, & deficiat vnus annus lunaris totaliter, & redeat ad principium anni ſolaris. Et ſic trigintatres anni ſolares faciunt trigintaquatuor annos lunares vel quaſi. Iſta enim eſt computatio groſſa & abſoluta ſolum ad oſtenſionem differentiæ menſium ſolarium & lunarium. Iſtum modum tenent Saraceni, qui computant per annos lunares, & aliquando incipiunt annum ſuum in Martio, aliquãdo in Aprili, aliquando in Octobre, & ſic de alijs par- K tibus anni. His viſis conſiderandum eſt de annis Hebræorum, & dicendum quòd annus Hebræorum à principio non habebat tale initium, quale nunc habet. Incipiebat namque annus Hebræorum in Octobre, eo quod a principio ipſi computauerunt annos ſecundum computationẽ gentium. Et quia Aegyptij, inter quos Iſraelitæ creuerunt, & incepertũt eſſe populus, incipiebãt tunc annos ſuos in Octobre, Iudæi quoque ſic computabant. Periti tñ inter Iudæos dicũt, ꝙ hoc erat, quia ipſi cõputabant annos ſuos a principio ſeculi, & quia mundus creatus eſt in Septembre, incipit annus in Octobre. Nam dñt, ꝙ die vigeſimaquinta Septembris creatus eſt mundus, et dies ſexta, in qua creatus fuit Adam, fuit dies vltima Septẽbris, & ſequenti die, in quo Deus ceſſauit ab oĩ opere ſcilicet dies Sabbati, fuit prima dies Octobris, & illa fuit prima dies anni, & ſex dies ꝓcedẽtes, in qui-

Annus Saracenorũ eſt per lunationes.

bus

bus ſuit creatio, pertinent ad alium annum. & illos ſex ponunt Iudæi tanquam vnum annum. ꝙ autem Iudæi computarent iſto modo annos, patet Exo. 23. ſcilicet. Solemnitatem quoque in exitu anni, quando cōgregaueris omnes fruges tuas de agro. Iſta ſolemnitas eſt Scenophegiæ, vel Tabernaculorum, quæ eſt die 15. mēſis Septimi, ſcilicet, Septembris, quo tēpore omnia collecta ſunt de agris. ſ. fruges, & vinū in terra calidiſſima, ſicut eſt terra Aegypti reſpectu noſtræ. Et dicitur tunc exituus anni, i. finis, ſ. quia antiquitus ſolebat eſſe finis anni in Septembre, & principium in Octobre. Patet hoc clarius Exod. 34. cum dicitur. Solemnitatem quoque, quando redeunte anni tempore, cuncta condūtur, & agitur de ſolemnitate Tabernaculorum, quando conduntur, ideſt reconduntur omnia, ſ. fruges in horreis, & vinum in apothecis, & hoc eſt redeūte anni tempore. Dicitur enim redire annus, qñ finitur vnus annus, & incipit alius. Et ſic vi ꝙ annus incipiebat olim in fine Septembris, qñ eſt ſolemnitas Tabernaculorum. Iſto modo computauerunt Iudæi annos quamdiu fuerunt in Aegypto. Tempore autem illo, quo Deus educere debuit illos, voluit vt mutaretur principium anni, & ꝙ ille menſis, in quo exibant de Aegypto eſſet principium omnium menſium, & ibi inchoaretur annus. Sic patet Exod. 12. ſ. menſis iſte vobis principium menſium erit primus in menſibus anni. Hoc fecit Deus, ſicut faciunt principes terreni, qui qñ faciunt aliqua geſta magnifica faciunt computari principia annorum ab illo tempore. Sicut fuit de omnibus ponētibus æras, ſ. de Nabuchodonoſor, de Philippo patre Alexandri, de Alexandro, de Diocletiano, de Octauiano, de Gerdauch, de Mahometo. Et quia Deus faciebat opus magnificū, educēdo Iſraelitas de Aegypto, voluit vt in memoriā illius beneficij mutaretur principium anni, & computaretur annus ab illo tempore, quo de Aegypto educti ſunt. Alia fuit cauſa, quia Deus educens Iſraelitas de Aegypto, aſſumpſit eos in populū ſpecialem ſibi ſeparando de omnibus gētibus: Exod. 19. ſ. Vos ipſi vidiſtis quæ fecerim Aegyptijs, quō portauerim vos ſuper alas aquilarum, & aſſumpſerim mihi, ſi ergo audieritis vocem meam, & audieritis pactum meum, eritis mihi in peculiū de cunctis gētibus: mea eſt enim omnis terra, & vos eritis mihi in regnum ſacerdotale. Quia ergo computatio annorum quam prius tenebant Iudæi, erat a creatione mundi, per quam Iudęi pertinebant ad Deum generaliter, vt omnes homines, liberatio autem de Aegypto fuit, per quam ſpecialiter pertinuerunt ad Deum, vt populus peculiaris, ideo debuerunt potius computare annos ſuos a tempore, quo exierunt de Aegypto, quam à creatione mundi. Inſuper iuſſit eis, vt quolibet anno die quartodecimo menſis primi, Iudæi celebrarent Phaſe, occidentes agnū eo modo, quo fecerant in Aegypto: Nume. 9. & Leu. 23. Iuſſit etiam vt iſtud ſemper eſſet in tempore nouarum frugum, ſcilicet, in principio veris, quia illo tempore exierant de Aegypto: Deuteronom. 16.

Annus mutatus ab Hebræis.

Tunc autem erat difficultas, quomodo Iudæi hoc facerent, quia vt ſupra declaratum eſt, anni lunares ſunt inæquales annis ſolaribus, & ſi vno tempore incipiant ſimul, poſtea variantur propter minoritatem lunarium, ſicut ſupra declaratum eſt de annis Arabum, ſiue Saracenorum. Si ergo Iudæi non adhiberent in hoc aliquam ſolicitudinem, inciperet aliquando annus eorum in Martio, aliquando in Auguſto, aliquando in Decembre, et ſic non retineretur ſignificatio in feſtiuitatibus, nec identitas temporis, ſcilicet, quia non fieret ſemper Paſcha Iudæorum in principio veris eo tempore, quo exierunt de Aegypto, quia cum menſis primus eorum aliquando deberet coincidere cum Auguſto noſtro, & aliquando cum noſtro Septembre, & aliquando cum Decembre, celebraretur tunc Phaſe die quartodecimo menſis, & ſic non conuenienter ſignificaretur in illa feſtiuitate exitus Iſraelitarum de Aegypto, quia non fiebat illo tempore. Debuerunt ergo conari Iudæi, vt menſis ſuus primus ſemper inciperet circa medium noſtri Martij paulo ante, vel paulo poſt: eo ꝙ tunc eſt principium veris, & illo tempore exierunt de Aegypto.

A Ita autem faciunt, quia apud Iudæos regula eſt, ꝙ illa lunatio, cuius principium eſt magis propinquum æquinoctio vernali, ſiue præcedat, ſiue ſequatur, eſt primus mēſis Iudæorum, & die quartodecimo huius lunationis eſt Paſcha eorū, ideo ſemper videmus, ꝙ Paſcha Iudæorum eſt circa medium Martij, vel ad finem, aut in principio Aprilis. Hoc autem non poterat facere componendo annos ex duodecim lunationibus, quia tunc variarētur principia annorum ſuorum, ſicut variantur principia annorum Arabum, ſicut ſupra declaratum eſt, eo ꝙ 12. lunationes non complent vnum annum ſolarem, ſed deficiunt dies 11. ſi conſtituant annos ex 13. lunationibus variabuntur magis principia annorum lunariū, quia 13. lunationes cōtinent 384 & ſuperabundant in diebus 19. ad annum ſolarem, & tunc eſt maior variatio quā prius.

Primus mēſis anni Hebræorum.

B ſi conſtituerentur ex duodecim lunationibus. Fecerunt ergo alium modum, ſ. quoſdam fecerunt ex duodecim lunationibus, & alios ex tredecim, & fuit iſte modus, ꝙ fecerunt quendam circulum 19. annorum ſolarium, in quo luna rediret ad principium, in quo prius fuit cum ſole. Nam ſi nunc Sol, & Luna coniungantur in vno loco, ſiue in aliquo loco, iterum completis decem nouem annis coniunguntur in eodem loco, & in decem & nouē annis ſolaribus ſunt decem, & nouem anni lunares, & inſuper ſeptem menſes, quos ſuperaddunt ſeptem annis lunaribus, quorum quilibet habet 13. menſes. Et iſti anni vocantur ſuperexcreſcentes, vel emboliſmales ſecundum quoſdam, & ſic de illis 19. annis 12. ſunt ſimplices, ideſt habet quilibet 12. lunationes, & ſeptem ſunt ſuperexcreſcentes, vel emboliſmales. Et computantur ſic, ſci-

C licet, quòd de iſtis decem & nouem annis tertius, & ſextus, & octauus, & vndecimus, & decimuſquartus, & decimuſſeptimus, & decimusnonus ſunt emboliſmales, reliqui autem habent duodecim lunationes ſolum. & ſecundum illum modum fit, ꝙ principium anni Iudæorum eſt ſemper apud æquinoctium vernale, parum antè vel parum poſt. Et iſtum modum ſeruauerunt ab exitu de Aegypto, & etiam ſeruant Iudæi hodierni. Erat tamen æquinoctium vernale tempore Chriſti die vigeſimatertia, vel vigeſimaquarta die Martij, nunc autem eſt vndecima, vel duodecima die Martij. Iudæi tamen ſemper ſeruant coniunctionem propinquam æquinoctio. Iſta dicta ſunt potius vulgariter quam aſtrologicè, quia non negociamur principaliter de his, ſed ponimus vt quędam inſtructiones ad ſciendum quędam præſup-

D poſita, quibus vti debemus in probatione de tempore mortis Chriſti.

Ex prędictis apparent quatuor præſuppoſita. Primum ꝙ Chriſtus mortuus eſt die Veneris. Secundum ꝙ mortuus eſt luna quintadecima menſis primi. Tertium quod mortuus eſt inter annum trigeſimum & quinquageſimū. Quartum ꝙ iſte primus mēſis in quo Chriſtus mortuus eſt, erat lunatio illa cuius principium maxime propinquum erat æquinoctio vernali, ſcilicet, caput arietis. Ad hoc ergo ꝙ concludatur mortem Chriſti fuiſſe in aliquo anno, vel in alio neceſſe eſt, ꝙ omnia iſta quatuor concurrant, alias non erit ibi mors Chriſti.

CAPITVLVM XV.

E *In quo inducitur, quòd inter annum trigeſimum ætatis Chriſti, & annum 50. die quibus poterat eſſe dubium ꝙ in nullo fuerit mortuus, niſi anno 33. ſuo inchoato tertia die Aprilis.*

PRæſuppoſitis præcedentibus nunc videndum eſt, in quo anno Chriſtus mortuus fuerit. Et quia diximus ꝙ mortuus eſt inter annum triceſimum, & 50. ſolum de annis iſtis videndum eſt. Dicendum ꝙ anno trigeſimoprimo Chriſtus non potuit mori, quia tunc luna quintadecima menſis primi erat die vigeſimaſeptima Martij, & erat dies ille dies Martis, Chriſtus tamen mortuus eſt die Veneris, vt patet ex præſuppoſito.

Modus autem probandi, ꝙ dies vigeſimusſeptimus Martij illius anni erat dies Martis poteſt haberi mul-

tipliciter. Primo per regulam de notis feriarũ, per quas F incipiunt anni, vel menſes, quæ regula ponitur in canonibus tabularum Regis Alphõſi, ponitur etiam communiter in canonibus omnium tabularum, quæ procedunt per diuerſas ad ſciendum, in quo die incipiat quilibet annus. Alio modo poteſt haberi per artem literæ Dominicalis, per quam poteſt ſciri vſque ad mille annos, vel plures, quæ erit litera Dominicalis illius anni, ita poſſumus ſcire de annis iam præteritis, quæ fuit litera Dominicalis in quolibet illorum, & per illam patet de omnibus ferijs. Et ſic poteſt ſciri, quæ litera Dominicalis fuerit in anno Chriſti trigeſimoprimo præſuppoſito, quód ſciamus, quot anni fuerint inter illum, & inter iſtũ, qui modo eſt. Alio modo poſſet ſciri ſine aliqua arte modo vulgari diſcurrẽdo per annos, ſcilicet, ſi ſciamus, in quo die incepit iſte annus, ſciemus in qua die incepit pręcedens, G & ſic de omnibus præteritis retrocedendo continuatè vſque ad annum Chriſti trigeſimumprimum, de quo volumus. Quod autem ſciatur, ꝙ die vigeſimoſeptimo Martij in illo anno fuerit luna quintadecima, patet computando mediam coniunctionem, & oppoſitionem Solis & Lunæ per tabulas regis Alphonſi, accipiendo radices iſtorum motuum ex æra Chriſti, vel ex quacunque alia æra, quia in hoc nihil differt, cum omnes æræ (licet diuerſæ ſint:) concordent in veritate motuum. Modus autem calculationis iſtius non poteſt deſcribi, ſed qui voluerit, inquirat per ipſas tabulas, vel per alias oppoſitiones Solis & Lunæ, & inueniet, quod in illo anno trigeſimoprimo Chriſti die vigeſimaſeptima Martij erat luna quintadecima, & illa lunatio erat primus menſis Iudęorum. H Iſtud etiam nunc introductum eſt, vt ſciatur quales modi probationis ſunt, quibus vtimur in pręſenti. Anno 32. Chriſti inchoato non potuit ipſe mori, quia tunc fuit luna quintadecima menſis primi Iudæorum die quintadecima Aprilis, & erat illa dies Martis, Chriſtus tamen mortuus eſt die Veneris, probationes autem procedunt eo modo, quo ſupra diximus. De anno trigeſimotertio poſtea dicemus.

Mors Chriſti non potuit eſſe ann. 34.

Anno 34. non potuit Chriſtus dici mortuus, quia luna quintadecima menſis primi Iudæorum fuit vigeſimatertia, vel vigeſimaquarta die Martij, & dies vigeſimatertia dies Martis, & ſequens erat dies Mercurij. Anno 35. ætatis Chriſti inchoato non potuit mori, quia luna quintadecima menſis primi Iudæorum fuit vndecima Aprilis, & erat dies Lunę, Chriſtus tamen mortuus eſt in die Veneris. Anno 36. I ætatis Chriſti inchoato, non potuit Chriſtus mori, quia luna quintadecima menſis primi Iudæorum fuit die trigeſimaprima Martij, & erat tunc dies Sabbati, Chriſtus tamen mortuus eſt die Veneris. Iſto modo poterat ſtare aliqualiter, quod dicunt Græci, ſcilicet quod Chriſtus anticipauerit per vnam diem, quia tunc eſſet dies quintadecima dies azymorum prima, & illa eſſet dies Sabbati, Chriſtus autem moriebatur die præcedenti, ſ. die Veneris, quæ erat dies quartadecima menſis, in qua Iudæi celebrabant Paſcha ad veſperum, Chriſtus autem non potuit comedere in ipſa die, cum mortuus fuerit hora nona, ideo comedit die præcedenti, ſ. die Iouis, qui erat dies tertiuſdecimus menſis, & tunc concordant om- K nia. ſ. ꝙ Chriſtus mortuus eſt die Veneris, & celebrauit Paſcha die Iouis. Conſonat etiam, quod dicitur Ioan. 18. ꝙ Iudæi non introierunt in prætorium, ne contaminarẽtur, ſed manducarent Paſcha. ſ. ꝙ illa die, qua Chriſtus mortuus eſt, erat celebrandũ Paſcha ad veſperum, & vt Iudæi manerent mundi pro illo tempore, noluerunt intrare in prætorium. Conſonat etiam quod dicitur Io. 19. ſcilicet Iudæi autẽ, quoniã paraſceue erat, ne remanerẽt corpora in cruce Sabbato (erat. n. magnus ille dies Sabbati) ſcilicet dies Sabbati poſt mortem Chriſti erat magnus. i. magnæ ſolennitatis, ſ. quia erat dies ſabbati, &

Erroris Græcorũ confutatio.

quia erat prima dies azymorum, quæ erat feſtiuitas celeberrima: Exo. 12. & Leuit. 23. Sed iſta non ſtant, primo quia præſupponitur in his, quod Chriſtus anticipauerit Paſcha per vnũ diem, & tamen ſupra probatũ eſt, ꝙ nõ anticipauit, ſed comedit ea die, qua Iudæi. Secũdo, quia nõ põt eſſe ſecundũ hoc mors Chriſti antè annum trigeſimumſextum ſuum inchoatũ, & tñ nullus ponit, Chriſtum tanto tempore vixiſſe, ſed oẽs limitãtes mortem ſuã dubitant de anno trigeſimoſecundo, trigeſimotertio, & trigeſimoquarto: de alijs aũt nemo dubitat, potiſſimè, quia ipſi Græci non putant Chriſtũ fuiſſe mortuũ vltra annũ trigeſimũtertiũ, vel trigeſimũquartũ, 'iõ etiãſi ponant anticipationẽ, nõ conuenit eis, ꝙ Chriſtus iſto anno mortuus fuerit. De anno trigeſimotertio, & trigeſimooctauo ætatis Chriſti poſtea dicetur. Anno trigeſimonono ætatis Chriſti, Chriſtus non potuit mori, quia Luna quintadecima menſis primi Iudæorum illo anno fuit vigeſimanona Martii, & erat dies Dominica. Anno quadrageſimo ætatis Chriſti inchoato non potuit Chriſtus mori, quia Luna quintadecima menſis primi Iudęorum fuit die vigeſima Martij, & erat dies Dominica. Alij autem dicunt, & melius, ſequentem lunationẽ fuiſſe primum menſem Iudæorum, & luna quintadecima illius menſis fuit die decimanona Aprilis, ſcilicet die Martis. Anno quadrageſimoprimo ætatis Chriſti inchoato non potuit Chriſtus mori, quia luna quintadecima menſis primi Iudæorum fuit illo anno quartadecima Aprilis, & erat dies Martis.

Anno quadrageſimoſecundo ætatis Chriſti inchoato non potuit ipſe mori, quia luna quintadecima menſis primi Iudæorum fuit die vigeſimaquinta Martij, & erat dies Dominica.

Anno quadrageſimo tertio Chriſti inchoato non potuit Chriſtus mori, quia luna quintadecima menſis primi Iudæorum illo anno fuit die tertiadecima Aprilis, et erat dies Sabbati.

Anno quadrageſimoquarto Chriſti inchoato non potuit Chriſtus mori, quia luna quintadecima menſis primi Iudæorum fuit ſecũda die Aprilis, & erat die Iouis.

Anno quadrageſimoquinto ætatis Chriſti inchoato Chriſtus non potuit mori, quia luna quintadecima menſis primi Iudæorum fuit tunc die vigeſimaſecunda Martij, & erat dies Martis. Alij putant, quód ſequens lunatio erat primus menſis illius anni Iudæorum, cuius luna quintadecima erat die vigeſimaprima Aprilis, & erat dies Mercurij.

Anno quadrageſimoſexto Chriſti inchoato non potuit mori Chriſtus, quia luna quintadecima menſis primi Iudæorum illo anno fuit decima Aprilis, & erat dies Lunæ. De anno quadrageſimoſeptimo ætatis Chriſti poſtea dicetur. Anno quadrageſimo octauo ætatis Chriſti non potuit ipſe mori, quia luna quintadecima menſis primi Iudæorum in illo anno fuit quintadecima die Aprilis, & erat dies Lunæ. Anno quadrageſimonono ætatis Chriſti non potuit ipſe mori, quia luna quintadecima menſis primi Iudæorum in illo anno fuit die vigeſimaprima Martij, & erat dies Sabbati. Alij putant, quód lunatio ſequens fuit menſis primus Iudæorum illius anni, cuius luna quintadecima fuit vigeſima die Aprilis, & erat dies Lunæ.

De alijs annis qui ſunt poſt quinquageſimum non oportet inquirere in quo illorum Chriſtus mori potuerit, quia ſupra declaratum eſt, quod Chriſtus non peruenit ad tot annos. Manent autem nunc quatuor anni de quibus ſupra non diximus inter trigeſimum & quinquageſimũ, & ſunt iſti, ſ. annus trigeſimuſtertius, trigeſimuſſeptimus, trigeſimuſoctauus, & quadrageſimuſſeptimus. In quolibet autem iſtorum Chriſtus mori potuit. Nam anno quadrageſimoſeptimo luna quintadecima menſis primi Iudæorum fuit die trigeſimaprima Martij, & erat dies Veneris, ideo conſonat luna cum die & menſe, & concurrunt hic omnia quatuor præſuppoſita, quæ ſupra diximus. Anno trigeſimooctauo Chriſti fuit luna quintadecima menſis primi Iudæorum die quarta Aprilis, et erat tunc dies Veneris, ideo hoc anno poterat Chriſtus mori, quód concurrebant omnia præſuppoſita.

Anno trigeſimoſeptimo Chriſti fuit luna quintadecima menſis primi Iudæorum die decimanona Aprilis, et erat dies Veneris, ideo illo anno Chriſtus mori potuit, quia concurrebant omnia quatuor præſuppoſita. Dicendum tamen, ꝙ in nullo iſtorum trium annorum Chri-

ſtus

ſtus mortuus eſt, licet non repugnet eum tunc mortuum A fuiſſe, ſicut ſupra probatum eſt,& hoc propter duo.

Primo, quia nullus credit Chriſtum attigiſſe annum quadrageſimum, quanto magis quadrageſimumſeptimum, & quadrageſimumoctauum. De anno autem triceſimoſeptimo Chriſti etiam dicendum eſt, quod tunc non fuit mortuus, quia nemo dubitat de hoc anno, quia vt communiter creditur, ꝙ Chriſtus non excesſerit annũ trigeſimumquartum, ideo ſolum dubitatur communiter de anno trigeſimoſecundo, trigeſimotertio,& trigeſimoquarto, in quo eorum mortuus fuerit. Dicendum ergo ꝙ anno 32. ætatis Chriſti finito, & diebus centum, & vno die, anno 33. die tertia Aprilis Chriſtus mortuꝰ eſt, & erat eadẽ die luna quintadecima,& fuit oppoſitio veriſſima Solis, & Lunæ decem horis, & dimidia ante meridiem eiuſdem diei, ſecũdum meridianum vrbis Romæ octo horis,& aliqua particula parua,& ſecundum meridianum Ieruſalem ſeptem horis, & dimidia ante meri- B diẽ, eratque tunc ſol in gradu vndecimo Arietis, et Luna in Libra gradu vndecimo, & fere eodẽ minuto, quo ſol, quæ probaui certiſſime ex radicibus tabularum Regis Alphonſi. Ex quo patet, ꝙ Chriſtus non anticipauit feſtum Paſchale, ſicut Græci dixerunt, ſed comedit Luna quartadecima cum ceteris Iudæis, quia cum Chriſtus mortuus fuerit die Veneris luna quintadecima,& comederit Paſcha die Iouis præcedenti neceſſe eſt, ꝙ comederit die quartadecima menſis primi Iudæorum, & ſic nõ anticipauit. Dato autem ꝙ eſſet dubiũ, an Chriſtus mortuus fuiſſet iſto anno trigeſimotertio, vel trigeſimoſeptimo, vel quadrageſimoſeptimo, aut quadrageſimo octauo: præſupponendo, ꝙ non dubitaremus eum potuiſſe tanto tempore viuere, adhuc nõ deberemus dicere eum C fuiſſe mortuum in aliquo anno iſtorum, niſi in trigeſimotertio. Quod patet primo, quia nullus iſtorum annorum concordat cum Euangelio, niſi annus trigeſimustertius. Nam ab anno trigeſimo Chriſti, in quo baptizatus eſt,& incepit habere diſcipulos, Luc. 3. Ioan. 1. computando tempora, reperimus hiſtoriam quadruplicis Paſchæ, quod Chriſtus viderit,& quid in illis quatuor annis Chriſtus fecerit, & quomodo in Paſcha vltimo illorum mortuus fuerit. Sed non reperimus aliquod Paſcha poſtea, nec hiſtoriam alicuius anni in quo Chriſtus vixerit: ideo magis dicendum Chriſtum mortuum anno 33. vt concordat hiſtoria Euangelica, & computatio aſtrologica, & non in aliquo de annis ſequentibus, quia licet illi poſſet conuenire computatio aſtrologica, non tamen conſonat hiſtoria Euangelica.

Secũdo quia anno trigeſimotertio ætatis Chriſti magis conſonat computatio aſtrologica quam alijs annis. Nam in iſto anno eſt propriè luna quintadecima die illa, qua Chriſtus mortuus eſt: eo ꝙ oppoſitio veriſſima fuit ante ortum ſolis illius diei, & ſic totus ille dies incidebat in lunam quintãdecimam, nec poterat æquiuocari ad lunam decimamſextam. In alijs autem annis licet die Veneris ſit luna quintadecima, tamen non eſt illa præciſe, quin aliquo modo poſſet æquiuocari ad lunam decimãſextam: & in quibuſdam ad quartamdecimam. Eſt ergo annus mortis Chriſti annus trigeſimustertius ætatis ſuæ inchoatus. vnde vixit Chriſtus triginta duobus annis completis,& centum & vno diebus, cum mortuus fuerit die tertia Aprilis.

Mortuus eſt Chriſtus ann. 32. die 101. ætatis ſuæ, die tertia Aprilis.

CAPITVLVM XVI.

In quo ponitur tertia concluſio. ſcilicet. quòd Chriſtus non fuit mortuus die Annunciationis, ſcilicet. 25. Martij, & quod non erat poſſibile Chriſtum mortuum fuiſſe illo die, niſi viueret centum ſeptuaginta quinque annis.

Mors Chriſti non fuit 25. Martij, ſed die 3. Aprilis.

DIſcuſſa præcedenti concluſione de anno mortis Chriſti, inducẽda eſt concluſio de die mortis eius, cuius tenor eſt. Die annunciationis virginis. ſ. 25. Martij, vt communiter aſſeritur, Chriſtum paſſum fuiſſe, dici non poteſt, ſed die tertio Aprilis eum mortuum fuiſſe dici neceſſe eſt.

A Prima particula eſt, ꝙ non fuerit Chriſtus mortuus die 25. Martij, ſicut eſt opinio plurimorum. Nam illa eſt dies Annunciationis Virginis,& in illa Chriſtus conceptus eſt, & dicunt Doctores antiqui, ꝙ eadem die Chriſtus conceptus, & mortuus eſt. ſ. 25. Martij, ſiue octauo Calendas Aprilis.

Sed dicendum, ꝙ hoc nullo modo poteſt conuenire computationi aſtrologicæ quæ neceſſaria eſt, potiſſimè cum illa præſupponat hic fundamenta Euangelica. Sunt autem præſupponenda hic ea, quæ ſupra præſupponebamus, cum agebatur de anno paſſionis Chriſti, ſcilicet, ꝙ Chriſtus mortuus eſt die Veneris luna decimaquinta, ſi autem iſta duo aliquo anno conueniant die Annunciationis Virginis, poſſet dici Chriſtum potuiſſe mori in illo anno: in illis autem annis, in quibus iſta diſcordant a die Annunciationis, vel ſaltem vnum illorum, impoſſibile erit Chriſtum fuiſſe mortuum in die annunciatio- B nis Virginis illius anni. Incipiendum eſt autem hic ab anno trigeſimoprimo, ſicut quando agebamus de anno paſſionis Chriſti, nam ante annum triceſimum,& etiam in ipſo trigeſimo conſtat Chriſtum nõ fuiſſe mortuum, quia in illo baptizatus eſt, Lucæ 3. Et non remanebant poſt baptiſmum Chriſti vſque ad Paſcha Iudæorum, niſi dies quadraginta, vel quaſi, vt probatum fuit ſupra. Si tamen Chriſtus mori debuiſſet in anno trigeſimo, nõ poterat mori, niſi in Paſchate, vt ſupra probatum eſt, & ſic oporteret, quòd tota prædicatio Chriſti,& omnia quę ſcribuntur in Euangelijs facta à Chriſto, fuiſſent facta in 40. diebus, quod eſt abſurdiſſimum, ideo non potuit dici mortuus anno trigeſimo.

In anno trigeſimoprimo, & trigeſimoſecundo etiam C non poterat dici Chriſtum mortuum fuiſſe die annunciationis, nec etiam in aliquo alio die illorum annorum, cum probatum fuerit ſupra ex proceſſu Euangelico, ꝙ Chriſtus non potuerit antè annum trigeſimumtertium dici mortuus. Quia tamen probatio iſta iam debet procedere via aſtrologica, dicendum ꝙ non potuit Chriſtus mortuus dici anno trigeſimoprimo ætatis Chriſti incipiente, quia tunc dies Annunciationis erat luna tertiadecima, & erat dies Dominicus. Chriſtus tamen mortuus eſt luna quintadecima,& die Veneris.

Die Annunciationis anni triceſimiſecundi non poteſt dici Chriſtũ mortuum fuiſſe, quia illa die luna erat vigeſimaquarta, vel vigeſimatertia menſis duodecimi Iudæorum. Nam illo anno menſis primus Iudæorũ incepit prima die Aprilis Chriſtus tñ mortuus eſt menſe primo D Iudæorum, cũ fuerit mortuus in die primo Azymorum, qui erat dies quintuſdecimus menſis primi Exo. 12. Leu. 23. Itẽ quia illo anno erat dies Annũciationis die Martis, Chriſtus tñ mortuus eſt die Veneris. probationes autem horum, ſ. ꝙ eſſet talis, vel talis dies, & ꝙ eſſet luna tali, vel tali die, procedunt eo modo, quo ſupra diximus, qñ agebàmus de anno mortis Chriſti. Die Annunciationis anni trigeſimitertij ætatis Chriſti, non potuit dici Chriſtus mortuus, quia anno illo erat dies Annunciationis dies Mercurij, & erat luna quinta. Die annunciationis anni trigeſimiquarti ætatis Chriſti non poteſt Chriſtus dici mortuus, quia fuit tunc dies Annunciationis dies Iouis,& erat luna decimaſexta, vel decimaſeptima. Die Annũciationis anni trigeſimiquinti nõ poterat Chriſtus dici mortuus, quia licet fuit dies illa Veneris, fuit luna E vigeſimaſeptima menſis duodecimi Iudæorum, Chriſtus tamen mortuus eſt menſe primo Iudæorum,& luna quintadecima illius. Die Annunciationis anni triceſimiſexti ætatis Chriſti nõ potuit Chriſtus dici mortuus, quia fuit dies illa Dominica,& fuit luna decima, Chriſtus tamen luna quintadecima mortuus eſt. Die Annunciationis anni trigeſimiſeptimi non poteſt Chriſtus dici mortuus, quia fuit tunc dies annunciationis dies Lunę, & fuit luna decimanona, vel viceſima menſis duodecimi Iudæorum, cum luna quintadecima menſis primi illius anni fuerit decimanona die menſis Aprilis. Die Annunciationis anni trigeſimioctaui Chriſti non poteſt Chriſtus dici mortuus, quia fuit dies illa dies Martis, fuit etiã luna quarta, dies tñ mortis Chriſti fuit Veneris,

Luna tamen quintadecima. Anno trigeſimonono die Annunciationis non potuit Chriſtus dici mortuus, quia fuit illa dies Mercurii, & fuit Luna vndecima. Anno 40. ætatis Chriſti die Annunciationis non poteſt Chriſtus dici mortuus, quia illo anno fuit Luna vigeſima menſis duodecimi die illo, Chriſtus tamen menſe primo Iudęorum mortuus eſt. Vel ſecundum aliam computationem fuit illa die Luna vigeſimaprima menſis Iudæorum. Et non eſt differentia in Luna, quia quomodocunque capiatur, neceſſe eſt, ꝙ in illo anno fuerit die illa Luna vigeſima, ſed differentia in menſe, quia aliqui faciunt illũ annum emboliſmalem, ideſt ſuperexcreſcentem, cui dantur menſes tredecim. Et tunc dies Annunciationis erat Luna vigeſima menſis tertiidecimi, ideſt menſis vltimi illius anni. Si autem non ſit annus ille emboliſmalis, neceſſe eſt diem Annunciationis eſſe Luna vigeſima menſis primi Iudæorum. Sed quomodocunque accipiatur non ſtat, quia Chriſtus mortuus eſt Luna quintadecima, concordat tamen dies illius anni, quia fuit illo anno dies Annunciationis die Veneris, ſed obſtabat Luna ad hoc, quòd Chriſtus non poſſet mori illa die. Anno 41. Chriſti non poteſt ipſe dici mortuus die Annunciationis, quia fuit dies Annunciationis illo anno dies Sabbati, & fuit Luna quarta. Anno 42. die Annunciationis non potuit Chriſtus dici mortuus, quia fuit dies Annũciationis illo anno dies Dominica, conſonat tamen Luna, quia illo anno fuit die Annunciationiis Luna quintadecima, & potuiſſet Chriſtus dici mortuus illo anno die Annunciationis, ſi eſſet dies Veneris, cum Luna cõſonaret, quia erat quintadecima. Anno 43. non potuit Chriſtus dici mortuus die Anũnciationis, quia illa erat dies Lunæ, & Luna erat vndecima. Anno 44. die Annũciationis non poteſt Chriſtus dici mortuus, quia illo anno fuit dies Annunciationis dies Mercurii, & erat Luna ſexta. Anno 45. die Annunciationis non poteſt Chriſtum dici mortuum fuiſſe, quia illo anno fuit dies Annunciationis die Iouis, & fuit Luna decimaoctaua. Anno 46. Chriſti die Annunciationis non poteſt dici ipſum eſſe mortuum, quia illo anno fuit die Annunciationis Luna 24. vel 29. menſis vltimi Iudæorum, Chriſtus tamen mortuus eſt menſe primo, conſonat tamen dies, quia illo anno fuit dies Annunciationis dies Veneris. Anno 47. Chriſti die Annunciationis non potuit Chriſtũ dici mortuum, quia fuit illa dies ſabbati, etiam quia fuit Luna octaua menſis primi. Anno 48. Chriſti die Annunciationis non potuit Chriſtũ dici eſſe mortuũ, quia fuit illa dies Lunæ, & etiam fuit Luna vigeſimaquarta menſis vltimi Iudæorũ, qui erat annus emboliſmalis, Chriſtus tamen mẽſe primo anni mortuus eſt. Anno 49. Chriſti die Annunciationis non potuit Chriſtus dici mortuus, quia erat dies illa Martis, & erat Luna quarta mẽſis primi. Anno 50. die Annunciationis nõ põt Chriſtus dici mortuus, quia fuit illa dies Mercurii, & erat Luna decimanona menſis primi Iudæorũ, ſi non ponatur annus ille emboliſmalis, ſi aũt ponatur annus emboliſmalis erit Luna 19. menſis tertijdecimi, ſed quomodocũq; ponatur ſemper illa die Luna 19. Chriſtus tñ mortuus eſt Luna 15. Ecce qualiter probatũ eſt ex principiis neceſſariis, quia Chriſtus non põt dici mortuus die Annũciationis inter annum trigeſimum, & quinquageſimũ, Chriſtus tñ non fuit mortuus ante trigeſimum, nec poſt quinquageſimũ, vt ſupra probatum fuit, ergo impoſſibile erat Chriſtum fuiſſe mortuum die Annunciationis. Et iſta erat ſufficiens probatio, & tñ adhuc dicendum, ꝙ ſi vixiſſet plusq̃ centum, & quinquaginta annus, impoſſibile erat eũ mori die Annunciationis, quia neceſſe erat, ꝙ eſſet tunc dies Veneris, & Luna quintadecima, ſed iſta duo nunq̃ concurrerunt in aliquo anno vſq; ad annũ cẽteſimũ ſeptuageſimum quintum Chriſti. Vt aũt iſta ad ſatisfaciẽdum quibuſdã plene videãtur, nec etiã nos nimis immoremur in eis, dicẽdum eſt, ꝙ duo ſimul requirebantur, vt poſſet Chriſtus mori die Annunciationis, ſ. eſſe diẽ Veneris, & eſſe lunã quintãdecimã. Quodcunq; autẽ iſtorũ deficiat, nõ poterit dici Chriſtus mortuus illo anno die Annunciationis. Procedemus ergo

F ſic, ꝙ in illo anno, in quo non poterat eſſe mors Chriſti, quia nõ erat dies Veneris, declarabimus ſolũ, ꝙ non erat dies Veneris, & nõ curabimus de Luna, etſi nõ ſit quintadecima, qñ aũt dies Annũciationis inciderit in diem Veneris, tũc oportebit nos oſtẽdere, ꝙ illa die nõ erat 15. Luna, quouſq; veniamus ad annũ, in quo vtrũq; concurrat, & illo anno erit poſſibilis mors Chriſti die Annunciationis. Anno 51. Chriſti nõ poterat ipſe mori die Annũciationis, quia erat dies Iouis. Anno 52. erat dies Annũciationis dies Sabbati, & nõ poterat Chriſtus mori illa die. Anno 53. dies Annũciationis erat dies Dñica, nec tunc poterat Chriſtus mori. Anno 54. dies Annunciationis erat dies Lunæ. Anno 55. erat dies Annunciationis dies Martis. Ann. 56. erat dies Annũciationis dies Iouis. Anno 57. erat dies Annũciationis dies Veneris, & ex hac

G parte poterat Chriſtus mori illo anno, & tñ erat Luna ſecunda, ideoq; nõ poterat tũc mori, quia oportebat eſſe Lunam quintamdecimam, ideo Luna quintadecima primi mẽſis illius anni eſſet die nona Aprilis, Anno 58. die Annunciationis non potuit Chriſtus mori, quia erat illa dies Sabbati. Anno 59. Chriſti, dies Annunciationis fuit dies Dñica. Anno 60. Chriſti, dies annunciationis fuit dies Martis. Anno 61. Chriſti, dies annunciationis fuit dies Mercurii. Anno 62. Chriſti, dies annũciationis fuit die Iouis. Anno 63. Chriſti, dies annunciationis fuit die Veneris, & ex hac parte poterat eſſe mors Chriſti, die annũciationis anno iſto, & tñ obſtat Luna, quia erat tũc Luna ſeptima, Chriſtus tñ mortuus eſt Luna quintadecima, erat aũt anno illo Luna decimaquinta mẽſis primi

H die ſecũda Aprilis. Anno 64. dies annũciationis erat die Dominica. Anno 65. dies annunciationis erat dies Lunæ. Anno 66. Chriſti dies annunciationis erat dies Martis. Anno 67. Chriſti dies annũciationis erat dies Mercurij. Anno 68. dies annunciationis erat dies Veneris, & ex hac parte poterat Chriſtus dici mortuus die annũciationis hoc anno, ſed Luna obſtat, quia tunc erat Luna quarta, Chriſtus tñ mortuus fuit Luna 15. erat aũt anno illo Luna 15. mẽſis primi die quinta Aprilis. Anno 69. Chriſti dies annunciationis erat dies Sabbati. Anno 70. Chriſti dies annunciationis erat dies Lunæ. Anno 71. Chriſti dies annũciationis erat dies Mercurii. Anno 73. dies annunciationis erat dies Iouis. Anno 74. Chriſti dies annunciationis erat dies Veneris, & ex hac parte poterat

I eſſe mors Chriſti illo anno die annunciationis, ſed Luna non conſonabat, quia erat tunc Luna ſeptima, Chriſtus tamen mortuus eſt Luna 15. erat autem illo anno Luna 15. menſis Aprilis die ſecunda.

Anno 75. Chriſti, erat dies annunciationis die Sabbati. Anno 76. Chriſti, erat dies annũciationis die Lunæ. Anno 77. Chriſti, erat dies annunciationis die Martis. Anno 78. Chriſti, erat dies annunciationis die Mercurii.

Anno 79. Chriſti, erat dies annunciationis die Iouis.

Anno 80. Chri, erat dies annũciationis die Sabbati. Anno 81. Chriſti, erat dies annunciationis dies Dñica. Anno 82. Chriſti, erat dies annũciationis die Lunæ. Anno 83. Chriſti, erat dies annũciationis die Martis. Anno 84. Chriſti, erat dies annũciationis dies Iouis. Anno 85. Chriſti, erat dies annunciationis dies Veneris, & ex hac parte poterat Chriſtus mori hoc anno die annũciationis,

K Luna tamen non conſonat, quia erat tunc Luna vndecima, mors tñ Chriſti fuit Luna 15. & hoc anno erat Luna 15. ſcilicet dies primus azymorum 29. die Martii. Anno 86. Chriſti, erat dies annunciationis dies Sabbati.

Anno 87. Chriſti, dies annunciationis erat die Dominica. Anno 88. Chriſti dies annunciationis erat dies Martis. Anno 89. Chriſti dies annunciationis erat dies Mercurii. Anno 90. Chriſti dies Annunciationis erat dies Iouis. Anno 91. Chriſti dies Annunciationis erat dies Veneris, & poterat ex hac parte Chriſtus mori anno iſto die Annunciationis, obſtat tamen Luna, quia erat Luna tunc 17. Chriſtus tamen mortuus eſt Luna 15 Anno 92. Chriſti dies Annunciationis erat dies Dominica. Anno 93. Chriſti dies Annunciationis erat dies Lunæ. Anno 94. Chriſti dies Annunciationis erat dies Martis. Anno 95. Chriſti dies Annunciationis erat dies Mer-

Mercurij. Anno 96. Chriſti dies annunciationis erat dies Veneris, & ex parte hac Chriſtus poterat mori illo anno die annunciationis ſi adhuc viueret, ſed luna non conſonat, quia erat luna duodecima. Chriſtus tamen mortuus eſt luna 15.

Anno 97. dies annunciationis erat dies Sabbati. Anno 98. Chriſti dies Annunciationis erat dies Dominica. Anno 99. Chriſti dies annunciationis erat dies Lunæ. Anno 100. Chriſti dies annunciationis erat dies Mercurij. Anno 101. Chriſti dies annunciationis erat die Iouis. Anno 102. Chriſti dies annunciationis erat dies Veneris, & ex parte poterat dici Chriſtum poſſe mori hoc anno die annunciationis ſi adhuc viueret, obſtat tamen ſibi luna, quia erat tunc luna decimaoctaua. Chriſtus tamen mortuus eſt luna 15.

Anno 103. Chriſti dies annunciationis fuit dies Sabbati. Anno 104. Chriſti dies annunciationis erat dies Lunæ. Anno 105. Chriſti dies annunciationis fuit dies Martis. Anno 106. Chriſti dies annunciationis fuit dies Mercurij. Anno 107. Chriſti dies annũciationis fuit dies Iouis. Anno 108. Chriſti dies annunciationis fuit dies Sabbati. Anno 109. dies annunciationis fuit dies Dominica. Anno 110. Chriſti dies annunciationis fuit dies Lunæ. Anno 111. Chriſti dies annunciationis fuit dies Martis.

Anno 112. Chriſti dies annunciationis fuit dies Iouis, Anno 113. Chriſti dies annunciationis fuit dies Veneris & ex hac parte poterat eſſe, ꝙ Chriſtus illo anno moreretur die Annunciationis, ſi adhuc viueret, luna tamen non conſonat, quia erat illa luna vigeſima menſis tertijdecimi anni emboliſmalis, vel menſis primi anni ſimplicis. Si primo modo, obſtant duo, ſcilicet, menſis, & luna. Nam Chriſtus non fuit mortuus in aliquo menſe, niſi in primo. Etiam obſtat luna, quæ erat vigeſima.

Anno 114. Chriſti dies annunciationis erat dies Sabbati. Anno 115. Chriſti dies annunciationis erat dies Dominica. Anno 116. dies annunciationis erat dies Martis. Anno 117. Chriſti dies annunciationis erat dies Mercurij. Anno 118. Chriſti dies annunciationis erat dies Iouis.

Anno 119. Chriſti dies annunciationis erat dies Veneris, & ex hac parte poterat Chriſtus mori illo anno die Annunciationis, ſi adhuc viueret, luna tamen non conſonabat, quia erat tunc luna viceſimaſexta menſis tredecimi anni emboliſmalis, Chriſtus tamen mortuus eſt luna 15. & menſe primo.

Anno 120. Chriſti dies annunciationis erat dies Dominica. Anno 121. Chriſti dies annunciationis erat dies Lunæ. Anno 122. Chriſti dies annunciationis erat dies Martis. Anno 123. dies annũciationis erat dies Mercurij. Anno 124. dies annunciationes erat die Veneris, & ex hac parte poterat Chriſtus mori hoc anno ſi viueret, luna tamen obſtabat, quia erat luna 23. menſis vltimi Iudæorum, Chriſtus tamen mortuus eſt menſe primo, luna 15. & dato, ꝙ illa eſſet luna mẽſis primi, Chriſtus tñ nõ poterat tunc mori, quia illa erat luna 23. ipſe autem mortuus eſt luna 15. die prima Azymorum. Anno 125. Chriſti dies annunciationis fuit dies Sabbati. Anno 126. Chriſti dies annunciationis erat dies dominica. Anno 127. Chrĩ dies annũciationis erat dies Lunæ. Anno 128. Chriſti dies annunciationis erat dies Mercurij. Anno 129. Chriſti dies annunciationis erat dies Iouis. Anno 130. Chriſti dies annunciationis erat dies Veneris, & ex hac parte poterat Chriſtus mori illo anno die Annunciationis ſi adhuc viueret, ſed obſtabat luna, & menſis, ſcilicet, quia fuit tunc luna 24. menſis tertijdecimi anni emboliſmalis, Chriſtus tamen nõ potuit mori, niſi luna 15.

Anno 131. dies annunciationis erat dies Sabbati. Anno 132. dies annunciationis erat dies Lunæ. Anno 133. dies annunciationis erat dies Martis. Anno 134. dies annunciationis erat dies Mercurij. Anno 135. dies annunciationis erat dies Iouis. Anno 136. dies annunciationis erat dies Sabbati. Anno 137. dies annunciationis erat dies Dominica. Anno 138. dies Annunciationis erat dies Lunæ. Anno 139. dies annunciationis erat dies Martis.

A Anno 140. Chriſti dies annunciationis erat dies Iouis. Anno 141. Chriſti dies annunciationis erat dies Veneris, & ex hac parte poterat Chriſtus mori illo anno, ſi adhuc viueret die Annunciationis, ſed obſtat luna, quia erat tunc luna prima menſis primi Iudæorũ, Chriſtus tamen mortuus eſt luna 15. menſis primi, ſ. die primo Azymorum. Anno 142. dies annunciationis erat dies Sabbati. Anno 143. Chriſti dies annunciationis erat dies Dominica. Anno 144. Chriſti dies annunciationis erat dies Martis. Anno 145. Chriſti erat dies annunciationis dies Mercurij. Anno 146. Chriſti dies annũciationis erat dies Iouis. Anno 147. Chriſti dies annunciationis erat dies Veneris, & ex hac parte poterat Chriſtus illo anno mori die annunciationis ſi adhuc viueret, ſed non conſonat luna, quia erat tũc luna ſexta menſis primi, Chriſtus tamen B mortuus eſt luna 15. mẽſis primi. Anno 148. Chriſti dies annunciationis erat dies Dominica. Anno 149. Chriſti dies annunciationis erat dies Lunæ. Anno 150. Chriſti dies annunciationis erat dies Martis. Anno 151. Chriſti dies annunciationis erat dies Mercurij. Anno 152. Chriſti dies annunciationis erat dies Veneris, & ex hac parte, ſi adhuc viueret Chriſtus, poterat illo anno mori die annunciationis, ſed obſtabat ſibi luna, quia erat tunc luna ſecunda menſis primi. Chriſtus tamẽ mortuus eſt luna 15. menſis primi. Anno 153. Chriſti dies annunciationis erat dies Sabbati. Anno 154. Chriſti dies annũciationes erat dies Dominica. Anno 155. Chriſti dies annunciationis erat dies Lunæ. Anno 156. Chriſti dies annunciationis erat dies Mercurij. Anno 157. Chriſti dies C annunciationis erat dies Iouis. Anno 158. Chriſti dies annunciationis erat dies Veneris, & ex hac parte poterat Chriſtus mori illo anno die annunciationis, ſi adhuc viueret, ſed obſtabat ſibi luna, quia erat tunc luna octaua, Chriſtus tamen mortuus eſt luna 15. Anno 159. Chriſti dies annuntiationis fuit dies Sabbati. Anno 160. Chriſti dies annunciationis fuit dies Lunæ. Anno 161. Chriſti dies annunciationis fuit dies Martis. Anno 162. Chriſti dies annunciationis fuit dies Mercurij. Anno 163. Chriſti dies annunciationis fuit dies Iouis. Anno 164. Chriſti dies annunciationis fuit dies Sabbati. Anno 165. Chriſti dies annunciationis fuit dies Dominica. Anno 166. Chriſti dies annunciationis erat dies Lunæ. Anno 167. dies annunciationis erat dies Martis. Anno 168. dies annunciationis erat dies Iouis. Anno 169. dies annunciationis erat dies Veneris, & ex hac parte poterat Chriſtus D mori illo anno die annunciationis, ſi adhuc viueret, ſed non conſonabat luna, quia tunc erat luna decima menſis primi, Chriſtus tamen mortuus eſt luna 15. Anno 170. Chriſti dies annunciationis erat dies Sabbati. Anno 171. Chriſti dies annunciationis erat dies Dominica. Anno 172. Chriſti dies annunciationis erat dies Martis. Anno 173. Chriſti dies annunciationis erat dies Mercurij. Anno 174. dies annunciationis erat dies Iouis. Anno 175. Chriſti dies annunciationis erat dies Veneris, & erat tũc luna 15. menſis primi Iudæorum, ideo iſte fuit primus annus, in quo Chriſtus poterat mori die annunciationis, quia tunc erat in die illa dies Veneris, & luna 15. menſis primi, & erat primus dies Azymorum, ideo dato, quod Chriſtus vixiſſet 175. annis, in nullo anno potuiſſet mori E in die annunciationis niſi in iſto vltimo anno.

Hæc autem nobis inducta ſunt, vt appareat manifeſte præſuppoſitis principijs Euãgelicis, quæ veriſſima ſunt, & illatione aſtrologica, quæ neceſſaria eſt, quòd Chriſtus non potuerit mori die annunciationis virginis, ſicut aliqui opinantur, cum nemo de Chriſtianis aſſerat Chriſtum annum 40. attigiſſe.

Secunda pars concluſionis eſt, quòd neceſſe eſt Chriſtum dici fuiſſe mortuum die tertia Aprilis. Quod patet, quia ſupra oſtendimus ex principijs Euãgelicis Chriſtum non fuiſſe mortuum antè annum trigeſimum, nec poſt annũ quinquageſimum, ſed inter illos. Etiam probatum eſt, quòd inter iſtos annos non fuerunt, niſi quatuor, in quibus Chriſtus poſſet mori, ſcilicet, annus trigeſimus, & trigeſimuſſeptimus, & trigemuſoctauus, & quadrageſimuſſeptimus, qa in iſtis ſolis luna 15. accidit

in die Veneris, quod requirebatur ad mortem Chriſti. F Si autem diceremus Chriſtum mortuum fuiſſe anno 47. mors ſua eſſet trigeſimaprima die Martij, quia tunc erat Luna 15. vt ſupra probatum eſt. Si autem dicamus, quòd mortuus eſt anno 38. mors ſua eſſet die quarta Aprilis, quia tunc erat Luna 15. Si vero dicatur mortuus anno 37. erit mors ſua die 19. Aprilis, quia tunc erat Luna 15. menſis primi.

Si autem aſſeramus illum fuiſſe mortuum anno 33. fuit mors ſua die tertia Aprilis, quia tunc erat Luna 15. menſis primi Iudæorum, Chriſtus tamen mortuus eſt anno 33. & non in alio, vt ſupra probatum eſt, quia nemo dubitat de morte Chriſti, niſi pro tribus annis, pro anno 32. 33. & 34. ergo nulla alia die Chriſtus mortuus eſt, niſi die 3. Aprilis, quod intendebat concluſio.

CAPITVLVM XVII.

In quo ponit auctor ſeptem argumenta quæ ab aduerſarijs fiunt contra eum.

NVnc manet nobis reſpondendum ad aliquas obiectiones, quas quidam faciunt. Prima eſt contra aſſignationem diei mortis Domini, ſcilicet quòd non fuerit 3. die Aprilis, ſed quòd fuerit 25. Martii, quia Aug. 18. de Ciui. Dei. circa finem dicit, Chriſtum fuiſſe mortuum 8. Calen. Aprilis, ſcilicet die viceſimaquinta Martij, & illa eſt dies annunciationis Virginis, ideo volunt, quòd die illa Beatæ Virginis mortuus fuerit. Item dicit idem Aug. quòd Chriſtus eadem die conceptus, H & paſſus eſt, ſed conſtat Chriſtum conceptum fuiſſe 8. Calendas Aprilis, ſcilicet 25. Martij: ergo eadem die mortuus eſt. Patet hoc, quia computando ab illo die vſque ad Natalem Domini, complentur nouem menſes, & iſtud eſt tempus, quo regulariter fetus manet in vtero, licet duo alij termini ſint, vnus anticipationis, alius poſterioratiomis, ſed non naſcuntur regulariter fetus in illis, ſicut in nono menſe expleto. Item eſt alia auctoritas Aug. in libro de Trinit. quòd Eccleſiæ auctoritas obſeruat ab antiquo Chriſtum mortuum fuiſſe 8. Calendas Aprilis. Item obijciunt, quòd opera Augu. ſunt approbata ab Eccleſia, vt patet in Decre. 15. diſt. c. ſancta Romana Eccleſia. vbi Papa Gelaſius approbat illa cum multis alijs libris Sanctorum, & Doctorum virorum, & tamen contra approbata per Eccleſiam nulli homini licet loqui. I

Etiam obiiciunt alii, quòd in Calendariis antiquis, et in Calendariis Beati Iſidori reperitur, quòd die 25. Martii, ſcilicet 8. Calendas Aprilis intitulatur, Paſſio Domini, & ponitur ibi tanquam feſtum illius die, & 27. Martii, ſcilicet. 6. Calendas Aprilis intitulatur. Reſurrectio Domini: ergo illa die mors Chriſti fuit. Item obiiciunt alii contra computationem Aſtrologicam, quia cum vident, quòd ſecundum computationem ſupra poſitam neceſſariò, & manifeſtè ſequitur impoſſibile fuiſſe Chriſtum fuiſſe mortuum 25. Martii, dicunt quòd error eſt in computatione iſta, & prouenit ex eo, quòd omittuntur dies biſſextiles, qui tamen computantur ab Eccleſia in annis Chriſti.

Item obiiciunt alii contra eandem computationem K Aſtrologicam, quod errat, ex eo, quòd poſt mortem Chriſti fuerunt factæ aliquæ correctiones, & emendationes in temporibus, ſicut ab antiquo fiebant, & omiſſis illis computare eſt magnum errorem facere in calculo.

Alia ſimilia obiiciunt multa. Sed quia ille minus habent de apparentia cum omnino ſint ſine ratione omittantur, quia iuxta Ariſt. 1. Ethic. omnes opiniones ſcrutari fortaſſis ſuperuacuum eſt, ſed eas ſolum, quæ magis videntur habere apparentiam. Vnde ad has rationes ſolum reſpondebimus, quia per hęc patebit via ad omnia quæcunque obiici poſſent.

CAPITVLM XVIII.

In quo auctor dicit quanta ſit auctoritas Aug. & de differentia auctoritatis ſcripturarum, quibus neceſſario adhæreamus, & quibus non. Et de fide hiſtoriarum, quantum ſit hiſtorijs credendum, & quibus magis, & quibus minus.

AD primum dicendum, quòd nos veneramur omnia ſcripta Beati Aug. tanquam viri Sancti, & hominis Doctiſſimi, & famoſiſſimi inter viros Eccleſiaſticos, & ſeculares, & tamen in hac parte non aſſentimus ei. Nec ita auctoritas ſua in hac parte captiuare debet ingenium noſtrum, quòd neceſſe ſit ei in omnibus aſſentire cum probatum fuerit ſupra rationibus neceſſariis, ma- G nifeſtis, & ineuitabilibus impoſſibile fuiſſe Chriſtum fuiſſe mortuum 8. Calendas Aprilis, ſiue 25. Martii, quod idem eſt, niſi viueret annis 175. ad minus, & in anno vltimo, ſcilicet 175. moreretur. In hoc autem nullam iniuriam ei facimus, nec aliquid de auctoritate, aut reuerentia eius tollimus, ſed facimus, ſicut ipſemet nos docuit facere, & tantam ei reuerentiam exhibemus, quantam ipſe ſibi, & aliis ęqualibus impendi voluit, & quantam ipſe viuens aliis, quos ſe excellentiores iudicabat, & profitebatur, exhibuit. Vnde ipſe in Epiſtola ad Vincentium Donatiſtam, & in Epiſtola ad Hieronymum, et habetur in Decretis diſt. 9. cap. ego illis ſolis, ait. Ego illis ſolis libris, qui Canonici nominantur tantam noui dare auctoritatem, vt nullum auctorem eorum credam potuiſſe mentiri: ceteros autem ita lego, vt quantacumque ſanctitate polleant, non ideo credam ita eſſe, quia ita illi ſenſerunt. Et multa ſimilia ibi ponit. Ecce qualiter ſolū vult Aug. debere adhiberi firmam fidem libris Canonicis, id eſt libris, qui ſunt in Canone Bibliæ, & de illis nullo modo licet contendere, an verum dicant: immo nec dubitare, ſed quidquid dicant quantumcumq; graue, vel alienum nobis videatur, ita tenendum eſt, ac ſi Deus nobis diceret. In ſcripturis autem hominum ſingularium qui loquuntur, vt homines quantæcumque ſapientiæ, & ingenii ſint, & quantæcumque ſanctitatis, non eſt danda tanta auctoritas, ſed ſcimus eos potuiſſe errare, ideo licet ipſi aliquid aſſerant, non eſt credendū neceſſario, quòd ita ſit, ſed poſſumus magis aliis credere ſi videamus, quòd melius probent quaſi ſubtilioris, & exercitatioris ingenii ſint.

Ratio huius diuerſitatis eſt, quia omnes illi, qui ſcripſerunt libros contentos in Canone Bibliæ locuti ſunt per Spiritum Sanctum, & nihil dicebant, niſi quod Spiritus Sanctus mouebat eos. Et quia Spiritus Sanctus non poteſt mentiri, impoſſibile eſt eos fuiſſe mentitos, & ob hoc cum iſtud nobis conſtet, neceſſe eſt illis accommodare fidem pleniſſimam ſine aliqua dubitatione. Ceteri autem quorum ſcripta non continentur in Canone Bibliæ, licet eſſent viri Sanctiſſimi, ſcripſerunt vt homines, probando & improbando quantum vires ingenii, & exercitatio in doctrina eos potuit adiuuare. Et licet Deus interdum alicui illorum reuelaret aliqua ſecreta, nobis non conſtat, ideo omnia ab iſtis dicta ita accipimus, ac ſi ſolis viribus ingenii vterentur.

Nec multū in hoc ſanctitati derogamus, cum conſtet quoſdam, immo plurimos viros ſanctiſſimos ſimplices valde fuiſſe. Alios autē ſeculares viros, & vitiis aliquali ter deditos fuiſſe peritiſſimos, & altiſſimorū ingeniorum. Quapropter quorundā gentiliū ſcripta magis veneramur, quam multorū Chriſtianorū, licet quilibet Chriſtianus ex merito fidei oēs Gentiles excedat. De omnibus ergo his iudicamus, quod humano ingenio ſolo ſcripſerunt omnia opuſcula ſua, conſtat tñ omnia humana ingenia faciliter poſſe decipi, ideo nulli hominum fidem damus, niſi in quantum benè probat, alioquin vocamus eum propheta, id eſt diuinorum ſecretorū conſcium, quod Aug. nunquam ſibi ipſi vſurpauit, nec de ſe credi voluit. Non ergo eſt neceſſe nobis quæcunque Aug. dixerit credere, & quòd poſtquam ipſe aliquid aſſeruerit, qualecumque illud ſit, non maneat nobis vlterius

Sāitati nō obſtat ignorantia, & ſimplicitas.

rius

tius alia inquiſitio, an verum, vel falſum ſit, etiamſi manifeſtiſſima argumenta contra ſe habeat. Ita eſt in præſenti, vt probatum eſt via neceſſaria, & ſuppoſitis fundamentis Euangelicis, impoſſibile fuiſſe Chriſtũ mortuum fuiſſe 8. Calendas Aprilis, ſ. 25. Martij: potiſſimè in anno 33. vel 34. ætatis ſuæ inchoatis, de quibus magis dubitabatur. Licet ergo Auguſt. contrarium ſentiat, non ideo tenendum eſt ſic fuiſſe, ſicut ipſe ſenſit, quia nemo eſt de obijcientibus, qui ſoluere poſſet rationes oppoſitas, ſed ſolum obijceret nudam auctoritatẽ Aug. & iſtud nihil eſt facere.

Aug. erraſſe liber retractationũ oſtendit.

Item conſtat, ꝙ Aug. cum ſcriberet, in multis erraret, & tamen quando ipſe ſcribebat, ita putabat eſſe, ſicut ſcribebat, poſtea autem retractauit multa. Et veriſimile eſt, quòd non potuerit omnia retractare, in quibus errauerit, quia fortè non occurrit ſibi habere poſtea omnes libros, quos prius ediderat. Et eſt ſatis veriſimile: quia, vt ait Iſidorus in libro Etymologiarum c. de his, qui multa opuſcula ediderunt, quod Auguſtinus tot ſcripſerit libros, quot non occurrat homini tota vita ſua, non ſolum ſcribere, ſed nec etiam legere, ita forte in eo factum eſt, quia iam erat ſenex quando librum retractationum edidit, ſcilicet poſt alia opera ſua.

Item poteſt dici aliter, quòd dato, quòd Auguſt. vidiſſet omnes libros ſuos ad emendandum illos ſi in aliquo minus benè continebant, adhuc non ſequitur, quod omnia, quæ manerent poſt emendationem ſuam vera eſſent. Quia ſicut Aug. antequam faceret librum retractationum, in multis errauerat tenens illas ſententias falſas, quia nondum veritates oppoſitas inuenerat, ita facta emendatione, & retractatione poterant ei manere multæ ſententiæ falſæ, quia adhuc nondum inueniſſet veritates illis oppoſitas, & tunc relinqueret illas ſententias erroneas in libris, licet eſſent iam emendati.

Si autem hoc non concedas, neceſſe eſt, vt dicas, quòd Aug. quando fecit librum retractationum, ſciebat omnes veritates, & nulla ignorantia in eo erat, vel quod Deus ei reuelauerat omnia, in quibus errauerat ad hoc vt illa emendaret. Primum nemo peritus concedet, quia iſtud eſt priuilegium valdè excellens. Nam cum Aug. in opuſculis ſuis quaſi innumeris tetigerit de omnibus rebus, vel de pluribus, de quibus euenit fieri conſiderationem, aut locutionem inter homines, diceremus, quòd Auguſt. ſciuit veritates omnium rerum, & tamen hoc nulli homini, niſi Chriſto attribuimus.

Aug. nec ſciuit oẽs veritates quãdo cõpoſuit librum retractationum, nec ei Deus oẽs errores reuelauit.

Secundum eſt ſatis alienum, & habet modicam apparentiam, quia nunquam legimus de aliquo viro perito, quòd poſtquam ſcripſerit aliqua opuſcula, Deus reuelauerit ei illa, in quibus errauerat ad hoc, vt ea emẽdaret. Hoc autem non dato, neceſſe eſt dari, quòd poſt retractationes factas ab Auguſt. potuerint manere aliquæ erroneæ ſententiæ non emendatæ, ideo ſicut ſi Auguſt. nunquam feciſſet libros retractationum, licebat nobis dubitare de ſententijs ſuis, an veræ eſſent, cum in veritate aliquæ eſſent falſæ, ita facta retractatione dubium nobis manet, vel manere poteſt de alijs, quas non retractauit, an veræ ſint. Ideo quando inuenerimus aliquam rationem neceſſariam contra aliquam de aſſertionibus eius, licebit nobis non aſſentire aſſertioni ſuæ, ſed magis contrariæ.

Item poteſt aliter dici, quòd licet Auguſt. ſciret omnes veritates, quod non confiteremur, & legeret omnes libros ſuos, quod etiam non eſt firmum, poſſet tamen manere aliquid incorrectum, quia forte interdum circa aliqua non tam diligenter aduerteret, ſicut alijs, & nobis ſæpè accidit emendantibus opuſcula ab alijs, vel a nobis confecta, quod aliquid, in quo eſt manifeſtus error maneat incorrectum, non potentibus nobis ad omnia diligenter attendere.

Et iſta eſt conditio hominis occupati, vt ait Gregorius primo Dialogorum, quod mentem ſuam curarum immenſitas deuaſtat, quæ dum ad plura diſtenditur, minor fit ad ſingula. Iſtud autem ſtat in beato Auguſt. niſi fortè dicas, quòd ipſe omnia opera ſua emendando viderit, & circa ſingula diligenter inſtiterit. Sed

A hoc non ſolum non eſt certum, ſed etiam nullo modo eſt veriſimile, ſ. quod ipſe, qui tanta opera fecerit, quanta non occurrat homini in tota vita ſua legere, potuerit poſtea in extremo vitæ ſuæ non ſolum circa ſingulos libros, ſed etiam circa ſingulas librorum ſententias, & propoſitiones diligenter diſputando inſtare ad emendandum, quia iſtud non minoris occupationis, & laboris ac tædij eſſe videtur, quam ipſa opera de nouo conficere, ideo poterant iſto modo multa manere inemendata in libris Auguſtin. & cuiuſcumque alterius viri doctiſſimi.

Aliquis dicet, quòd prima ratio, ſiue ſolutio iſtarum, licet faciat quantum ad aliquos libros Auguſtini, tamẽ non facit in propoſito, eo quòd Auguſt. emendauit libros de Ciuit. Dei. & retractauit aliquid de eis, vt patet

B in libro retractationum, & etiam in quodam Prologo, qui opponitur libro de Ciuit. Dei. & eſt ſumptus de ipſo libro retractationum. Dicendum, quòd verum eſt, ꝙ illa ſolutio eſt generalis, quæ poteſt tangere multos de libris Auguſtini, & tamen quantum ad propoſitum, ſpecialiter faciunt duæ ſolutiones ſecundæ. Dicendum etiam, quòd quomodocunque acciderit non ſolum in libro de Ciuitate Dei manet iſta ſententia de die mortis Domini inemendata, ſed etiam aliquæ aliæ. Vnde ſaltem in 15. & in 16. de Ciuit. Dei. ſunt aliqua dicta, quæ ſunt expreſſe contra textum Bibliæ, & tamen manẽt ſic, & tamen de illis non ſuſpicor eueniſſe eadem errore Auguſt ſed errore librariorum. Vel forte, quia non potuit diligenter aduertere quid diceret, & poſtea quando emendaret etiam non attenderet diligenter, ſicut no

C bis, & ferè omnibus hominibus accidere ſolitum eſt. Ad præmiſſa autem redeundo adhuc dicendum eſt, ꝙ Auguſt. damus magnam auctoritatem propter duo, ſcilicet propter excellentiam ingenij. Fuit quippe acutiſſimi ingenij. Vnde Hieronymus in libro de duodecim lectoribus, poſtquam conditiones, & laudes ceterorum diſſeruit, dicit de Auguſ. quod ſicut aquila in excelſum aliquando eleuatur, aliquando in profundum demergitur. Secundum eſt vehemens ſtudium circa Sacrã Scripturam, & circa ſapientiam ſeculi, ex quibus ipſe copioſè, & veridice nouit loqui in eis, de quibus diſſeruit. Iſta tamen ſententia, de qua in præſenti agitur, non potuit per aliquid iſtorum duorum colligi, vel ſaltem ipſe non collegit ex aliquo iſtorum. Non quidem ex magnitudine ingenij, quia magnitudo ingenij proficit ad

D ea, quæ ſunt pure naturalia, vel mathematica, & non dependent ex aliquo fundamento poſitiuo, ſicut circa philoſophiam, & mathematicam atque mathematicas diſciplinas. Iſta autem ſententia non pertinet pure ad aliquid iſtorum, quia dependet ex quibuſdam fundamentis poſitiuis, ſcilicet, Euangelicis. Secundum autem, ſcilicet exercitatio circa Sacram Scripturã proficit ad ſciendum illa memoriter, & ad bene interpretandum, & concordandum dicta eius. Et tamen iſta concluſio, nec continetur in canone Sacræ Scripturæ, nec colligitur ex aliqua expoſitione alicuius textus eius, ſed Auguſt. ſolum venatus eſt eam via hiſtorica, vt colligitur ex more ſcripturæ ſuæ 18. de Ciuit. Dei. quia poſuit ibi nomina conſulum Romanorum, qui tunc erant, quando Chriſtus mortuus eſt, & ex alijs ſcripturæ circumſtantijs. In

E iſto autem genere ſcripturæ facilis eſt auctoritas Auguſt. & cuiuſcumque alterius quantumcumque viri doctiſſimi, qui rebus geſtis non interfuerit. Non enim Auguſt. hoc aſſerit, tãquam dum hæc fierent eſſet præſens, ſed quia ab alijs ſic ſcriptum inuenit, vel quia communis opinio temporis ſui iſta erat, & circa hoc ita poteſt errare vir peritiſſimus, & acutiſſimi ingenij, ſicut quilibet alius minor, cum per viam hiſtoricam non ſit fundamentum certitudinis, niſi quantum ei liberè fidem adhibere voluerimus. Sed tunc arguitur, quod nos deſtruimus fidem hiſtoriarum, quibus ſolitum eſt fidem adhiberi. Reſpondendum, quod cum res geſtæ, & iſta accidentia particularia proficiſcantur a libera voluntate, vel ſaltem a cauſa cognita, non poteſt haberi cognitio de eis per cauſam neceſſariam, nec etiam circa talia

ab aliquo maior probatio expetenda eſt quia iuxta Ariſ. 1. Ethic. indiſciplinati eſt in vnoquoque genere artis maiorem expetere certitudinem, quam ipſum artis genus permittat. Ob hoc ergo cognitio iſtorum particularium geſtorum non potuit haberi, niſi adhibendo fidē propter auctoritatem dicentis. Et ſi contingat, ꝙ dicens ſit talis, qui errare non poſſit, ſcitur verum eſſe, quod dicitur neceſſario, non ex neceſſitate, quam in ſe habet res geſta, ſed neceſſitate conſequente, ſ. iſte dixit, qui errare non poteſt, ergo neceſſe eſt verum eſſe, quod ille dixit. Et iſto modo adhibemus fidem Sacræ Scripturæ. Nam licet continentur in Sacra Scriptura multa hiſtorica, vt de creatione mundi, & de diluuio, & de diuiſione linguarum, & de diuiſione maris rubri, & tranſitu Iordanis, & ſtatione atque reuerſione ſolis, quæ non ſolum non habent cauſam ad hoc, ꝙ probentur, ſed ēt repugnant conditioni naturæ, quia tamen ſcripta fuerunt omnia hæc a Prophetis, qui locuti ſunt per Spiritum Sanctum, adhibemus illis tantam fidem, ita vt dicamus impoſſibile fuiſſe falſa ſcripſiſſe eorum auctorem, quia alias Spiritus Sanctus mentiretur, per quem ſolum, & non per ingenium, nec per voluntatem humanam iſta ſcripta ſunt. Sic patet 1. Petri 1. ſ. Non enim aliquando voluntate humana allata eſt prophetia, ſed Spiritu Sancto dictante, locuti ſunt ſancti Dei homines. Et iſta eſt auctoritas omnium librorum Sacræ Scripturæ tam noui quam veteris teſtamenti, qui canonici appellantur. Et de iſtis dicit Auguſtinus, ꝙ iſtis ſolis libris, qui canonici appellantur, tātam nouit fidem adhibere, vt credat auctores eorum non potuiſſe mentiri, in Epiſtola ad Vincentium Donatiſtam, vt ſupra allegatum eſt. Si autem auctor hiſtoriæ eſt talis, qui poteſt errare, hiſtoria ab eo ſcripta non ſortitur fidem neceſſariam. Nam non apparet neceſſitas ex aliqua parte, ſ. nec ex parte rei, quia ipſa ſecundum ſe ad vtrūque contingens erat, nec ex parte auctoris, quia ille mentiri, & decipi potuit, ſed fides talis ſcripturæ eſt talis, vt nec aſſentire ſit neceſſarium, nec diſſentire ſine cauſa apparente ſit laudabile. Et tunc erit differentia magna inter hiſtorias, quia quāto aliqua hiſtoria a viro doctiori ſcripta fuerit, tanto maioris erit firmitatis, & tñ quantacumque fides adhibeatur hiſtorijs, ſiue ex rerum veriſimilitudine, ſiuo propter auctoritatem, nunquam cauſant ſcientiam, vel ſapientiam, ſed opinionem: quia licet eis aſſentiamus, ſemper manet nobis formido ad oppoſitam partē.

Hiſtoria humana nūq̃ cauſat ſcientiā. vel ſapiētiam, ſed opinionem.

Et ob hoc ſi in talibus hiſtorijs ponatur aliquid, quod omnino videatur impoſſibile, vel contra rationem, licet per miraculum fieri potuerit, modica vel nulla fides eis adhibetur, vt ſi in aliqua hiſtoria contineretur, quòd aliquo tempore turres volabant per aerem, vel ſol mouebatur motu contrario, ſ. ab Occidente in Orientem. vel quòd ſol maneret immobilis, vel quòd ignis eſſet frigidus, tali hiſtoriæ nulla adhibetur fides. Verum eſt autem, quòd in hiſtorijs Sacræ Scripturæ aliqua ſimilia, & maiora continentur, vt creatio ſeculi, reſuſcitatio mortuorum, ſtatio, & reuerſio ſolis, & natatio ferri, & ſimilia, quia tamen auctor Sacræ Scripturæ eſt talis, qui mentiri non poteſt, ſ. Spiritus Sanctus, aſſentimus iſtis, quia ſcimus Deum hæc, & quælibet mirabiliora efficere potuiſſe, aliæ autem hiſtoriæ, ſi hæc aut ſimilia dixerint, & non habeant probationem ex Sacra Scriptura, reputabuntur ridiculæ. Ita igitur ſi Beatus Aug. ſcriberet hiſtoriam, & diceret, quod aliquo tempore ignis fuit frigidus, vel quod mouebantur Stellæ a Septentrione in Meridiem, vel quòd mulieres pariebant in quarto menſe, vel in vigeſimo, nō adhibebimus ei fidem, nec aliquis doctus vir diceret errorē eſſe, non aſſentire Aug. circa talia propter auctoritatem ſuam, ſed potius reputaretur leuis, qui talia crederet propter ſolam auctoritatem Auguſtini. In propoſito autem ſic eſt, quia Beatus Aug. dicit Chriſtum fuiſſe mortuum 8. Calendas Aprilis, ſ. die 25. Martij, cum demonſtratum ergo fuerit ſupra hoc repugnare naturæ, & fundamentis Sacræ Scripturæ in probatione neceſſaria, cui nemo reſpondere poteſt, ſed obijcere ſolum auctoritatem nudā

F Auguſt. non erit ſatis rationabile ſtare dicto Auguſt. & manere in contradictione, potiſſime cum ipſe docuerit nos ſimiliter agere circa talia, vt ſupra declaratum eſt. Nouit autem Deus, qui ſcrutator eſt cordium, quod hoc nos mouit ad ponendum iſtam concluſionem repugnantem dictis Aug. non voluntas repugnandi Augu. vt per hoc aliquid eſſe videantur, non quidem hoc, cum nequaquam digni diſcipuli eſſemus Beatiſſimi Augu. qui totam Eccleſiaſticam doctrinam ſuo altiſſimo ingenio exornauit, ſed deſiderium capeſſendæ veritatis, quę vbicunque inueniatur, naturaliter condelectat, vtpote bonum exiſtens ipſius intellectus, & perfectio eius, ad quā intellectus naturaliter mouetur iuxta Ariſt. in Metaph. ſ. verum eſt bonum intellectus. Nos etiam cum in iſta poſitione beati Aug. aliquando fuimus, ſed non piget G veritatem inueniſſe.

Sed tunc obiiciunt, quomodo tu via aſtrologica, & ex pręſuppoſitis Euangelicis inueniſti iſtam veritatē? nunquid Auguſt. neſciebat arguere, ſicut tu? aut tu ſcis, quod ille neſcierit, vt per hoc nos induxiſſe ad inconuenientia videatur? Sed imperita prorſus, & calumnioſa eſt iſta argumentatio. Non enim nos conferimus Auguſtino: immo nec eius diſcipulos dignos eſſe profitemur, quod vtinam aliquando eſſe mereamur. Sed nec iſta argumentatio valet, ſ. iſte homo ſcit aliquam cōcluſionem, quam neſciuit Aug. ergo eſt ſapientior Augu. quia fieri poteſt, quod aliquis homo nōn magnæ ſapientiæ nec ingenij circa Phyſicam, vel Metaphyſicam, aut Mathematicam ſciat aliquam concluſionem, quam Aug. neſcierit, & tamen forte ſcientia tota illius hominis continebit ſolum H centum concluſiones, & ſcientia Beati Augu. continebit forte plus quam centum millia concluſionum. Et ita quotidie experimur, quòd vnus homo paruæ peritiæ nouit aliquid quod non nouit vir peritiſſimus, & tamen ex hoc non iudicatur iſte peritior illo, ita in præſenti concluſione fieri potuit. Nec iſta ſolum eſt, ſed etiam plurimas concluſiones, & veritates inuenit modernorum ætas, quas nondum inuenerat nec excogitauerat antiquitas. Et recte quidem fit, quia iuxta Ariſt. in 1. Ethic. tempus eſt bonus cooperator horum, & per tempus artium additamenta facta ſunt. Et ſicut quidam peritus medicus dixit, homines noſtri temporis ad antiquos comparantur, ſicut puſillus homo poſitus collo gigantis ad ipſum gigātem. Nam puſillus ibi poſitus videt quidquid videt gigas, & inſuper plus, & tamen ſi deponatur de I collo gigantis, parum aut nihil videbit ad gigantē collatus. Ita & nos firmati ſuper ingenia antiquorum, & opera eorum non eſſet admirandum: immo foret valde rationabile, ſi videremus quidquid illi viderunt, & inſuper plus, licet hoc adhuc non profitemur. Aliter poteſt dici, quod Beatus Augu. ſciebat omnia fundamenta legis veteris, & nouæ, ex quibus nos arguimus, copioſius quam nos. Sciebat etiam viam aſtrologicam, quam nos tenuimus in argumentando, abundantius quam nos, & tamen nunquam contigit eum deflectere ingenium ſuū ad conſiderandum circa iſtam illationem, ſed contentus aliorum aſſertione fidem dedit. Si tamen ipſe cōuertiſſet ſe ad faciendum iſtam illationem, habebat principia ſolidiora, ad illam faciēdum quam nos habebamus. Sæpe autem contingit nobis ſic: immo ferè quotidie, ꝙ K habentes ſufficientia principia in aliqua arte circa aliquam concluſionem, erremus in illa concluſione. Et hoc quia non conuertimus animum noſtrum ad conſiderandum quid inferatur ex illis principijs. Et ita nobis accidit circa iſtam concluſionem, ſ. quod aliquo tempore, & multo tenuimus oppoſitam, ſ. quam tenet Augu. & tunc ſciebamus principia vtriuſque legis, ſiue fundamenta vtriuſque legis, quæ nunc ſcimus, & induximus. Sciebamus etiam viam aſtrologicam ad inferendum, quod intulimus, ſed nunquam deueneramus in hanc cognitionem, vt ſcrutaremur ex principijs dictis, quæ eſſet veritas circa hanc materiam, cum autē operam dedimus, inuentum eſt, quia quilibet vir etiam non alti ingenii eruditus aliqualiter circa iſta principia poterat inferre iſtam veritatem. Beatiſſimus Auguſtinus, licet altiſſimi

Aetas modernorum inuenit plurima quæ anti qui neſciuerunt.

mi ingenij, & eruditus plus quam mediocriter circa om- A nia hæc, cum eſſet occupatus circa alias conſiderationes altiores, & vtiliores, non accommodauit animum huic ſpeculationi, ſed confeſſus eſt traditionem priſcorum, & ita non inuenit hanc veritatem. Quod non admirandum eſt, quia ita quotidie fit de multis aliis, quas inueniunt moderna ingenia.

CAPITVLVM XIX.

In quo reſpondet auctor ad rationem, & declarat, an Chriſtus mortuus fuerit ea die, qua conceptus eſt.

SEcūda ratio eſt ex alio dicto Aug. ſcilicet, quod Chriſtus mortuus eſt die illa, qua conceptus eſt. Aliquis reſponderet ad hoc concedendo antecedens, & negando conſequentiam, ſcilicet quód licet Chriſtus conce- B ptus ſit ea die, qua mortuus eſt, non ſequitur, quòd mortuus ſit 8. Calendas Aprilis, ſiue 25. die Martij. Sed tūc obijceretur, quod a die 25. Martij vſque ad natalem Domini ſunt 9. menſes, adeo conceptus eſt 25. Martij, dicerent tunc iſti, quod non tenet ratio hæc, quia tres ſunt termini natiuitatum fetus, ſcilicet in ſeptimo menſe, & in nono, & in vndecimo, loquendo ſic groſſe non ſecundum præciſum numerum dierum. Poterat autem Chriſtus naſci in ſeptimo menſe, vel in vndecimo, & ſic non teneret argumentatio.

Termini fetus tres ſunt in 7. menſe, & 9. & 11.

Sed dicēdum, quod iſta ſolutio non ſtat propter duo: primo quia hoc dato oporteret negari vnum de duobus, ſcilicet, vel quod natalis Domini fuerit die 25. Decem- C bris, vel ꝙ conceptio eius fuerit 8. Calēdas Aprilis, ſiue 25. die Martij, cum inter vnum diem, & alterum ſint nouem menſes, qui eſt terminus communis, & medius, quo manet fetus poſt conceptionem in vtero. Et tamen non eſt ſecurū, nec rationabile negare aliquid iſtorum, eo quód Eccleſia aſſerit vtrumque iſtorum, ſcilicet ꝙ Natalis Domini fuerit 25. Decembris, quia ibi aſſignat feſtum Natiuitatis, & celebrat, & credit illo die natum eſſe, & hoc tenet tota vniuerſalis Eccleſia diffuſa per totum orbem, quæ tamen non errat, de quo magis dicetur infra in reſponſione ad tertium Argumentum. Aſſerit etiam, ꝙ conceptio Chriſti fuit 8. Calendas Aprilis, ſiue 25. die Martij, quia eadem die celebrat feſtum annunciationis, ſcilicet quando Gabriel Angelus nunciauit virgini, ꝙ conciperet, & pareret, & in ipſa hora, D quando nunciatum eſt, conceptus fuit Chriſtus, quia illico vt conſenſit Domina noſtra verbis Angeli, dicens. Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum, formatum eſt corpus eius de ſanguinibus eius, vt tota mater Eccleſia aſſerit. Neutrum ergo duorum negandum eſt. Secundo non conuenit iſta ſolutio quantum ad præſens, quia ſicut ſupra declaratum eſt in concluſione mortis Chriſti, fuit die 3. Aprilis anno 33. ætatis eius inchoato, & non diſtat, niſi per decem dies a die annunciationis, ſcilicet a 25. Martij: non poterat autem eſſe, quod conciperetur die tertia Aprilis, & moreretur eadem, & naſceretur 25. die Decembris, niſi eſſet natiuitas ſua contra conſuetum terminum naturæ, quod nemo catholicus numquam aſſerere viſus eſt. Et patet hoc, quia inter 3. diem Aprilis, & 25. Decem- E bris neç ſunt ſeptem menſes, nec nouem, nec vndecim. Ideò reſpondendum eſt nobis aliter, ſcilicet quod Chriſtus non mortuus eſt in illa die, qua conceptus eſt anno reuoluto, ſed decem diebus poſt conceptionem, quia non poterat mori eadem die, eo quod illa dies erat antè feſtum azymorum Iudæorum, & tamen Chriſtus mortuus eſt die prima azymorum, vel ſecunda ſecundum computationem aliam, vt Euangeliſtæ teſtantur, & ſupra declaratum eſt. Si autem obijciatur tūc, quód Aug. dicit eadem die Chriſtum conceptum, & paſſum, dicendum ſicut ſupra, ſcilicet quod non eſt aſſentiendū ſibi in hoc, cum repugnet iſta poſitio rationibus inconuincibilibus, & tamen non eſt mirandum, quód Aug. iſtud dicat, quia iſtud ſequitur ex alio dicto ſuo, ſ. quod A mortuus eſt Chriſtus 8. Calendas Aprilis, & tamen ſecundum poſitionem totius Eccleſiæ conſtat Chriſtum illa die fuiſſe conceptum, ideo conſequens erat, vt diceret Chriſtum conceptum fuiſſe ea die, qua mortuum. Et hoc, quia vno inconuenienti dato, multa contingunt. Iſto etiam modo reſpondendum eſt ad alia dicta Augu. de hoc vbicumque reperiantur, quia in locis multis iſta reperijt, ſ. quód non eſt aſſentiendum ei. Iſtam quoque concluſionem tenet Magiſter in Hiſtoria ſcholaſtica, & ad iſtum reſpondendum eſt, ſicut ad Auguſt. potiſſimè, quia iſte dixit ſecutus Aug. ad literam, & idem iudiciū eſt de vtroque, maximè quia iſte non eſt tantę auctoritatis, ſicut Aug. & non erat erubeſcendum de iſto dicere, quód errauerit, ſicut de Aug. Et ſi aliqui alii Doctores in ſcriptis ſuis reperti fuerint idem tenere, idem rñdendum eſt. Et non eſt mirandum, quod multi Doctores tenerent iſtam concluſionem, quia iſta concluſio pri- B ma facie videtur purè hiſtorica, & non dependere ex aliquibus principiis neceſſarijs, ex quibus poſſet probari veritas, vel falſitas: ideo cum inuenerint vnum dicentem, quód fuerit mors Chriſti tali die, ſequuntur eū ceteri, potiſſimè cum ille ſit magnæ auctoritatis, ſicut eſt Aug. De hoc tamen aliquando diebus noſtris, & prius in Curiis duorum Pontificum magna quæſtio facta eſt, & tenentibus communiter Doctoribus Theologiæ, ꝙ fuerit mors Chriſti 8. Calendas Aprilis iuxta Aug. inuocati ſunt Aſtrologi, & Iudæi, & vtrique dixerunt impoſſibile fuiſſe mortem Chriſti fuiſſe illa die, ſ. quia Aſtrologi inueniebant repugnare viæ aſtrologicæ, ſcilicet, quia die mortis Chriſti erat luna 15. & plena, vt ne- C ceſſe eſt dari ex Euangelio, vt ſupra probatum eſt, & tamen die annunciationis non erat 15. ſed multo prior, & minor. Iudęi autem reperiebant repugnare hoc terminis ſuarum ſolennitatum. Nam vt conſtat ex omnibus Euāgeliſtis, mors Chriſti fuit prima die Azymorum, vel ſecunda ſecundum aliam computationem, & tamen die annunciationis nondum inceperat feſtum azymorū, ſed multo poſt in illo anno, quo Chriſtus mortuus eſt, ſiue dicatur mortuus anno 33. ſiue 34. ætatis, ſuæ inchoato. Et ob hoc fuit magna diſcordia inter Doctores Theologos communes, & Aſtrologos, & Iudæos, nec potuerūt conuenire in vnam ſententiam. Aſtrologi tamen, & Iudæi licet dixiſſent impoſſibile fore, quod Chriſtus illa die mortuus fuerit, non deſignauerunt diem certū, quo mortuus eſt, nos tamen ſequentes præſuppoſitam viam, D deſignauimus diem tertium Aprilis anni 33. ætatis Chriſti, vt ſupra inductum eſt.

CAPITVLVM XX.

In quo ſoluitur tertia ratio, & declaratur, quæ difficultas fuerit ab antiquo in Eccleſia circa diem Paſchæ quando celebraretur, an ſimul cum Iudæis, vel non. Et quæ fuit cauſa quare veritas de die mortis Chriſti manſit incognita antiquis temporibus, cum fuerint tūc viri clariſſimi.

TErtia autem ratio erat ex dicto Aug. in lib. de Trinit. ſcilicet, quód ab antiquo traditio Patrum, & Eccleſiæ auctoritas tenuit Chriſtum 8. Calendas Aprilis mor- E tuum fuiſſe. Iſta autem ratio videtur militare ex duobus, ſ. ex traditione Patrum & auctoritate Eccleſiæ, ideo ad ſingula dicendum eſt, ſicut ad auctoritatem Aug. eſt autem ſenſus Aug. quód tempore ſuo omnes maiores in Eccleſia, qui vocantur Patres tenebant iſtam opinionē, & etiam antè tempora ſua tenuerunt eam alij, & ſic eam tenebat ipſe. Forte enim aliquis de ſcriptoribus iſtarum rerum Eccleſiaſticarum poſuit in hiſtoria ſua, quod die, ſcilicet, 25. Martij Chriſtus mortuus eſt, & ceteri ſequerentur hoc, & ſic veniret iſta opinio ferè ad omnes ſaltem, quod nemo ei repugnaret, quia erant ſolliciti magis circa alias conſiderationes vtiliores ad ædificationē Eccleſiæ, quæ tunc vacillabat, & fluctuabat inter Gentiles perſecutores, Chriſtianorū & hæreticos, & ideo non fuerunt curioſi ad inquirendum hoc per cauſam neceſſitatiam,

Ad tertiā rationem cap. 17.

riam, & magis profundam, ſed ſuſceperunt illam tanquam veritatem hiſtoricam, non curantes vlterius perſcrutari: potiſſimè quia non multum pertinebat ad neceſſitatem ſalutis ſcire, qua die Chriſtus mortuus eſt. Maximè, quia non colimus iſtum diem fixe, ſed mobiliter. Nam ſi diem paſſionis Domini ſtatuiſſet Eccleſia agi fixè, ſicut diem Natalis, qui ſemper agitur die 25. Decembris, fuiſſet neceſſarium inquiri, qua die Chriſtus mortuus fuiſſet, & tunc viri doctiſſimi in Eccleſia ab antiquo ſolliciti fuiſſent inuenire diem iſtum & certiſſimè inueniſſent. Quia tamen dies iſta annuatim mutatur, ſicut celebratio Paſchalis, non fuit neceſſarium inquiri, quando fuit. ſcilicet in quo loco menſis: Licet de celebratione Paſchali inter Chriſtianos fuit magna contentio, quibuſdam volentibus celebrare paſcha eo die, quo Iudæi celebrabant, quia tunc Chriſtus celebra- G uerat, alijs nolentibus tunc celebrare, ſed mutare, ne videremur obſeruare feſtum Iudæorũ, & alias cæremonias, ſuper quibus Beatus Paulus increpuerat Galathas, dicens. Dies obſeruatis, & tempora, menſes, & annos: timeo quod ſine cauſa laborauerim in vobis, idest, quia vos obſeruatis adhuc dies Sabbatorum, & menſes Calendarum, & tempora feſtiuitatum, & annos redemptionum, & Iobelæorum, ſicut Iudæi obſeruant. Timeo quod ſine cauſa laborauerim, ideſt inutiliter in vobis, quaſi dicat, nihil proficit totus labor meus, quem impendi conuertendo vos ad Chriſtum, ſi adhuc obſeruatis cæremonias legales Iudæorum ad Gala. 4. quia ita

Galat. 4.

ipſe dicit expreſſe ad Gala. 5. ſi circumcidimini, Chriſtus vobis nihil prodeſt, ideſt fides Chriſti, quæ non poteſt obſeruari bene cum cæremonijs legalibus. H

Ob hoc igitur erat grauis diſſenſio inter Chriſtianos, maximè in Oriente. Et hoc tempore Conſtantini, ita vt venirent Chriſtiani ad bella. Volens autem Conſtantinus iſta extirpare de Eccleſia, miſit ad Orientem quendam virum clariſſimum, qui nihil efficere valuit, & tunc ipſe cum magno labore properauit ad Orientem, & fecit congregari Epiſcopos de toto orbe, ſcilicet 318. in vrbe Nicena prouinciæ Bithyniæ in Græcia, & iſtud fuit primum Concilium generale, quod in Eccleſia factum eſt, quia ante hoc cum Imperatores eſſent Gentiles, & perſequerentur eccleſiam, nõ erat liberum ipſis Chriſtianis conuenire in vnum ad faciendũ Concilia generalia, ſed magis latebant per diuerſa loca. In illo autem Concilio determinatum fuit de conſubſtantialitate patris, & filij, ſiue de homouſion ſecũdum Græcos contra doctrinam Arianorum. De his lege ſtatim 1. & 2. & 3. libro Hiſtoriæ tripartitæ. Fuit autem poſtea determinatum de celebratione Paſchali, quod non celebraremus cum Iudæis, ſed fieret Paſcha noſtrum poſt Paſcha Iudæorum, ſicut nunc tota Eccleſia obſeruat. Ob hoc igitur non fuit neceſſe inquiri in quo menſe, vel quoto die fuerit mors Chriſti de menſibus Romanorum, quia loquendo de menſibus Hebræorum manifeſtum eſt, quod fuit die 15. menſis primi primo die azymorum, vel ſecundo ſecundum aliam computationem, de quo ſupra declaratum eſt. Sed ſiue dicatur primo die azymorum mortuus, ſiuè ſecundo, ſemper dicetur mortuus die 15. menſis primi, quia non eſt variatio in die, ſed in modo appellandi primum, vel ſecundum. K Iſta ergo potuit eſſe cauſa quare iſta veritas manſerit incognita apud Patres temporis illius.

Conſilium primum Chriſtianorũ tẽpore Cõſtantini.

Item in principio Eccleſiæ, cum vrgeret Chriſtianos perſecutio Gentilium, ſolum erant ſolliciti, quomodo poſſent in fide Chriſti manere in latibulis, vel in publico fortiter mori, & cum ſatis eſſet illis de vita curam agere, & quomodo errantes animas Chriſto lucrifacerent, non vacabant curioſitatibus diſciplinarum, & inquiſitioni quarundam veritatum, quæ magis ſubtiles, quam vtiles eſſe videbantur. Et fuit iſtud vſque ad tempus Conſtantini, quod fuit tempus quaſi quadringẽtorum annorum a natiuitate Chriſti. Et hoc tempore non fuerunt multi Scriptores, & Doctores in Eccleſia, ſaltem valde famoſi, ideo multa de geſtis priorum temporum, ſ. tempore Chriſti, & Apoſtolorum venerunt in

Eccleſia primitiua quomodo maximè curabat.

F obliuionem, per quæ, ſi cognita fuiſſent, poſſemus multum erudiri in moribus, & inſtrui in expoſitione, & intellectu Sacræ Scripturæ, poſtea autem data pace Eccleſię, aliquantulũ tẽpore Conſtantini cęperunt florere Eccleſiaſticorum virorum ingenia: nam tunc Hieron. Ambroſ. Aug. fuerunt. Et ſic non eſt admirandum ſi talis veritas, immo aliæ magis neceſſariæ ad Chriſtianam religionem illis temporibus incognitæ fuerunt.

CAPITVLVM XXI.

In quo declaratur quanta ſit auctoritas Eccleſiæ vniuerſalis, & quod nulli liceat ei repugnare, & quòd neceſſe eſt vniuerſalem Eccleſiam omni tempore eſſe, & ſemper eſſe ſanctam, & nullo tempore poſſe deficere a ſanctitate.

QVarta ratio, quod Eccleſiæ auctoritas tenuit Chriſtum mortuum fuiſſe die 25. Martij, ſiue octauo Calendas Aprilis. Iſtud autem prima facie videtur magis vrgere, quia nullus de ſcriptoribus, quantumcumq; doctiſſimus, atque ſanctiſſimus, eſt tantæ auctoritatis, vt ei neceſſario credi debeat, quia ille ſic dixit, vt ait Auguſt. in Epiſtola ad Vincentium Donatiſtam, & ſupra allegatũ eſt. Eccleſia tñ tantæ auctoritatis eſt, vt nullo modo ei reſiſti liceat, ſed credendum eſt quidquid ipſa determinauerit. Hic autem ſi nobis propoſitum foret dicere, quid ſit Eccleſia, & quomodo non poteſt errare, & quæ ſit auctoritas eius, multorum dierum opus foret, & multa nobis ſcribenda eſſent, quæ ſpecialem tractatum, vel H tractatus exigerent, ſed non eſt nobis hoc in mente, ſolũ ergo gratia argumenti dicemus pauca. In quo ſciẽdum, quod ſicut dixit Aug. quod libris Scripturæ Sacræ, qui canonici appellantur tanta fides adhibenda eſt, vt credamus nullum auctorem eorum potuiſſe mentiri, ita & Eccleſiæ adhibenda eſt tanta fides, vt credamus eã errare non poſſe. Nam vnus de articulis fidei poſitis in ſymbolo Apoſtolorum eſt, credere Sanctam Eccleſiam Catholicam, ideſt vniuerſalem.

Ex quo apparet, quod neceſſe eſt credere Eccleſiam vniuerſalem eſſe ſanctam. Et quia veritas articulorum fidei manet omni tempore, & quandocumque nos recitauerimus illos articulos verũ dicimus, neceſſe eſt, quod Eccleſia vniuerſalis omni tempore ſit ſancta, quia alias, ſi aliquo tempore Eccleſia vniuerſalis non eſſet ſan- I cta, vel nulla eſſet vniuerſalis Eccleſia, ſi diceremus in illo tempore ſymbolum Apoſtolorum, eſſet ille articulus falſus, ſ. credo, Sanctam Eccleſiam Catholicam, ideſt vniuerſalem. Et non ſolum Eccleſia vniuerſalis eſt omni tempore ſancta, ſed etiam impoſſibile eſt, quod aliquo tempore non ſit ſancta, quia detur illud tempus & tunc, qui diceret ſymbolum Apoſtolorum, falſum diceret, & eſſet falſus articulus fidei, ſed impoſſibile eſt fidei ſubeſſe falſum, neceſſe ergo eſt vniuerſalẽ Eccleſiã omni tempore ſanctam eſſe, & impoſſibile eſt aliquo tempore eam, vel non eſſe, vel non eſſe ſanctam.

Articuli fidei omni tẽpore veri ſunt.

CAPITVLVM XXII.

In quo declaratur firmiſſimè, quod Eccleſia vniuerſalis non poteſt errare in neceſſarijs ad ſalutem, ſcilicet in fide nec in moribus, & ibi de conditione fidei, & quod tantum creditur determinationi Eccleſiæ vniuerſalis, ſicut Euangelio, & quod in Sacra Scriptura determinatio Eccleſiæ vocatur Euangelium.

EX hoc autem ſequitur, quod Eccleſia vniuerſalis nõ poteſt errare. De Eccleſijs particularibus, & de prælatis Eccleſiarum, quod poſſint errare non eſt dubium, ſicut dicitur extra de Sent. exc. c. a nobis, ſcilicet Eccleſia militans fallit, & fallitur, ſcilicet Eccleſia particularis. Nec de hac eſt nobis ſermo. Nam notanter dicitur in ſymbolo Sanctam Eccleſiam Catholicam, ideſt vniuerſalem, iſta igitur vniuerſalis Eccleſia errare non poteſt, ſcilicet in neceſſariis ad ſalutem. Quod patet, quia aut

erra-

erraret in fide, aut in moribus, ſi in fide, eſſet infidelis, vel hæretica. & ſic non eſſet ei ſalus, quia nullus hæreticus poteſt ſaluari, quia ſicut ſine fide impoſſibile eſt placere Deo, ad Hebr. 11. ita cum falſa fide impoſſibile eſt placere ei, cum ipſe ſit ipſa veritas, Ioan. 15. Non poteſt etiam Eccleſia errare in moribus, quia qui errat ſic, malus eſt, & conſequenter non ſanctus, ſi igitur Eccleſia vniuerſalis erraret in fide, vel in moribus, iam non eſſet ſancta, ſed execrabilis, & nefanda, & tamen neceſſe eſt vniuerſalem Eccleſiam ſanctam eſſe, quia eſt articulus fidei, ergo impoſſibile eſt errare vniuerſalem Eccleſiā in fide, vel in moribus. Et ſic quidquid illa aſſeruerit, tenendum eſt verum eſſe, & neceſſario credendum, ſicut ſi in canone Sacræ Scripturæ reperiretur a Chriſto, vel ab Apoſtolis ſcriptum.

Item patet hoc, quia quandocunque dubitamus circa aliquid, quod tenēdum eſt, Eccleſia determinat an hoc, vel illud tenendum ſit, & tamen ſi Eccleſia poſſet errare, non eſſemus certi, an ea, quæ credimus, vera ſint, vel falſa. Et ſic iam non haberemus fidem, ſed opinionem, quæ eſt adhæſio vni parti facta cum formidine ad aliā. De ratione autem fidei eſt duo habere, ſcilicet quod credamus, & quod firmiter atque ſine dubitatione credamus. Qui autem credit aliquam propoſitionem eſſe veram, & tamen putat poſſe eſſe falſam, non habet fidem de illa, quia manet in quodam dubio. Et talis eſt hæreticus, vel infidelis, ſicut ſi nullo modo aſſentiret illi propoſitioni, vel ſi expreſſè negaret eā. Sic patet Extrau. de hære. c. dubius, ſcilicet dubius in fide, infidelis eſt. Oportet igitur, vt eis, quæ credimus tantam fidem adhibeamus, vt non ſolum credamus eſſe vera, ſed etiam vt credamus nullo modo poſſe eſſe falſa, nec habeamus aliquam formidinem ad partem oppoſitam. Non poteſt tamen homo habere talem certitudinem, & firmitatem de aliqua propoſitione, niſi quando ille, a quo accepit propoſitionem eſt talis, qui errare non poteſt. Nam ſi ſciat, vel credat, quod auctor propoſitionis illius poteſt errare, credet, quod aliquando fortè errabit. Et dato, quod non contingat eum errare, cum tamen poſſit errare, erit ſemper dubius, an errauerit, & ſic nunquam firmam adhæſionem habebit ad propoſitionem illam. Et tamen de ratione fidei neceſſe eſt, vt firmiter adhibeatur ſine formidine ad partem contrariam, & putetur, quòd ita eſt vera propoſitio illa, quod impoſſibile eſt eam eſſe falſam, vel decipi in illa. Apparet igitur ex his vt neceſſe eſſet nos credamus Eccleſiam vniuerſalē non poſſe errare in fide. Vel ſi credamus eā poſſe errare nunquam poterimus habere fidem de determinatis ab ea, & tamen ab Eccleſia fiunt determinationes in materia fidei, & declarantur aliqui articuli dubij. Sicut in concilio Niceno determinatum eſt de ſubſtantialitate contra Arrium. Et in alijs Cōcilijs determinatū eſt, & cōtra alios hæreticos, quia fere nō eſt aliquod Cōcilij generale de antiquis celebratū, in quo non extirparetur aliqua hereſis, & nō diffiniretur aliquis articulus tenēdus, ergo credendum eſt vniuerſalem Eccleſiā non poſſe errare.

Item patet hoc ex eodem fundamento in cōfectione nouorum articulorū: quia non ſolū Eccleſia vniuerſalis poteſt diffinire circa dubia, quæ occurrunt in materia fidei, ſed etiam circa illa, quæ nunquam venerunt in contentionem, poteſt nouum articulum ſtatuere, & diffinire, ſicut in multis accidit, quæ hodie tenet Eccleſia iam determinata, & tamen in iſtis firmiſſimam fidem adhibemus; ergo credimus Eccleſiam vniuerſalem, quæ iſta determinat non poſſe errare.

Item patet hoc, quia non ſolum credimus dicta ab Eccleſia, ſicut dicta ab hominibus, ſed ſicut dicta a Chriſto. Sicut ergo, ſi in euangelio aliquid reperiatur ſcriptū non ſolum credimus illud eſſe verum, ſed etiam tantā firmitatem habemus de illo, vt credamus nullo modo poſſe eſſe falſum, ſed potius poſſe deſtrui cælum, & terram, quā illud eſſe falſum, ſicut dixit Chriſtus Mat. 24. & Luc. 21. cęlū, & terra tranſibūt, verba aūt mea nō trāſibunt. Et non habemus aliquam formidinem ad propoſitionem oppoſitam. Ita eſt de determinatis ab Eccle-

A ſia. Sic Beatus Greg. dicit in Regiſtro, & habetur in Decret. diſtinc. 15. cap. ſicut Sancti Euangelij. Vbi ait Greg. quod ſicut ipſe tenet firmiter quatuor libros ſancti Euangelij: ita firmiter recipit quatuor Concilia generalia, ſ. Nicenum, Sardinenſe, Chalcedonenſe, & Conſtantinopolitanum. Non ergo licet vllo modo dubitare de his, quę eccleſia determinat. Et ſic credendum eſt eam non poſſe errare. Item patet hoc, quia Apoſtolus vocat Euangelium ipſam determinationem eccleſiæ. Nam ad Galat. 2. dixit, quòd Cephas non ambulabat rectè ad veritatem Euangelij, ſ. quia cum illis de circumciſione obſeruat legalia in cibis, per hoc gentilibus innuens, quod cuſtodienda erant adhuc legalia. In Euangelio autē non reperitur aliquid de hoc. Quia tamen factum Conciliū Apoſtolorum, & ſeniorum, & tota eccleſia diffinierat.
B Actuum 15. non obligari gentiles ad obſeruationem legalium, & Cephas faciebat contra hoc, dicebatur facere contra Euangelium, vel non ambulare rectè ad veritatem Euangelij, & ſic determinatio illa eccleſiæ vocatur Euangelium. Item patet, quod eccleſia vniuerſalis non poſſit errare, quia beatus Petrus, & alij Apoſtoli obligabantur ſtare determinationi eccleſiæ, quia illā determinationem factam in illo Concilio omnes ſuſceperunt. Etiam omnes Apoſtoli obediebant eccleſiæ. Nam beatus Petrus, qui erat Papa, & princeps obediebat eccleſiæ, vt patet Actuum 8. vbi illi, qui congregati erant, & faciebant eccleſiam in Ieroſolymis, miſerunt B. Petrum, & B. Ioannem in Samariam, & illi ad mandatum eccleſiæ iuerunt. Si tamen eccleſia vniuerſalis poſſet
C errare, non eſſent ſubiecti Apoſtoli determinationibus eius, cum Apoſtoli erant tales, qui non poterant errare, cum eſſent confirmati per Spiritum ſanctum, ergo non poterat eccleſia vniuerſalis errare in fide.

CAPITVLVM XXIII.

In quo pulchrè declaratur, quod licet omnes articuli fidei ſint neceſſarij, ita quod nullus eorum poſſet eſſe falſus, tamen articulus de Eccleſia vniuerſali, quod non poſſit errare, eſt primus, & magis neceſſarius, quam omnes, & quod maior eſt auctoritas Eccleſiæ, quam librorum Sacræ Scripturæ, & quod Eccleſia vniuerſalis dat auctoritatem ſacris libris.

D Conſiderandum vlterius, quod licet omnes articuli fidei ſint neceſſarii, & nullus eorum poſſit eſſe falſus, tamen articulus iſte, ſcilicet, quod eccleſia vniuerſalis ſit ſancta, & quod non poſſit errare eſt certior quodammodo, & magis neceſſarius, & prior alijs in via generationis. Patet primum, quia ſicut in geometricis, & in omnibus mathematicis, & quibuſcunque ſcientijs demonſtratiuis, tam principia, quam concluſiones ſunt neceſſaria, ita vt impoſſibile ſit aliter ſe habere, & tamē principia dicuntur magis neceſſaria quodammodo, quā concluſiones, quia neceſſitas concluſionum prouenit ex neceſſitate principiorum. Ita etiam concluſioni demonſtratiuis eſt vere ſcita, nec poteſt de aliqua re maior certitudo haberi, quia tamen concluſio ſcitur per princi-
E pia, dicuntur principia magis ſcita, vel magis credita, quam concluſio, vt patet 6. Ethicor. de ſcientia. Ita nūc, licet omnes articuli ſint neceſſarii, tamen articulus de vniuerſali eccleſia, quod non poſſit errare, eſt magis neceſſarius, quia ex illo videntur ceteri neceſſitatem habere. Hoc patet, quia nos credimus, quod Deus creauit mundum, & quod eduxit Iſraelitas de Aegypto, & dedit illis legem, quia hoc ſcriptum eſt in libris Moyſis, & tamen nos neſciremus, quod iſti eſſent libri Moyſis, vel quod eſſent auctentici, niſi eccleſia aſſereret. Nam ſi quando nos incipimus aliquid intelligere, dicerent nobis omnes Chriſtiani, quod iſti libri, in quibus continebantur iſta, non erant libri Moyſis, ſed quod cōfecti fuerunt ab aliquo falſe aſſumente ſibi rationem Prophetæ, nos non Poſſemus per aliquam rationem conuincere an eſſent illi libri Moyſis, qui fuiſſet verus Propheta, vel

alicuius

alicuius ſeductoris, & crederemus rationabiliter cõmuni aſſertioni. Vel ſi nollemus credere omnibus idem aſſerentibus, ſaltem maneremus in dubio, an deberet aliqua fides adhiberi iſtis libris, vel non, cum non appareret aliqua ratio motiua ad hoc, & ſic non crederemus firmiter contenta in illis, & conſequenter nullam adhiberemus eis fidem. Nunc autem credimus firmiſſime vera eſſe omnia, quæ continentur in illis libris, & conſcripta eſſe a Moyſe maximo prophetarum, quia omnes nobis Chriſtiani hoc concorditer dicunt, ergo nos adhibemus fidem libris ipſius Moyſis propter Eccleſiam hoc aſſerentem, & conſequenter maior fides adhibetur Eccleſiæ, quam libris Moyſis. Item confirmatur, quia ego credo, quòd contenta in libris Moyſis ita ſunt vera, vt nullo modo poſſit eis falſum ſubeſſe, nec habeo formidinem ad oppoſitam partem, & iſtam fidem habeo, quia Eccleſia aſſeruit illos eſſe libros Moyſis, & eſſe eis fidem adhibendam. Detur autem, quod ego credam Eccleſiam vniuerſalem poſſe errare, ſequitur, quòd potuerit errare in aſſerendo iſtos eſſe libros Moyſis, & dicendo, quòd eis magna fides erat adhibenda, & conſequenter ego manebo dubius, an debeat fides certiſſima adhiberi iſtis libris. Et tamen ſuppoſitum eſt, quòd ego credo, iſtis libris fidem firmiſſimam eſſe adhibendam, ergo neceſſe eſt, quod credam Eccleſiam vniuerſalem, quæ hoc aſſeruit non poſſe errare. Item patet, quia quandocunque aliqua duo ſic ſe habent, quòd vnum illorum probat alterum eſſe, & dat ei eſſe neceſſarium, & non è contrario, magis neceſſarium eſt illud, quod dat alteri neceſſitatem, & non recipit ab eo, quam illud, quod recipit neceſſitatem, & tamen libri Moyſis recipiunt neceſſitatem fidei ab Eccleſia, & eccleſia vniuerſalis non recipit ab illis. Quod patet, quia dato, quòd libri Moyſis eſſent, non conſtabat, quòd eſſet aliqua vniuerſalis Eccleſia, vel ſaltem, quòd illa exiſtens non poſſet errare. Et tamen Eccleſia exiſtens dat fidem libris Moyſis, quia ex eo, quòd ipſa aſſerit illos eſſe confectos a Moyſe propheta, & debere eis adhiberi fidem, adhibetur eis fides.

Item patet hoc, quia in veteri teſtamento ſunt multi libri quorum aliqui ſunt legales, & prophetales, & habent maximam fidem. Alij ſunt agiographi, quibus fides adhibetur, ſed non ſub tanta neceſſitate: Alij ſunt apocryphi, quibus licet fidem adhibere, vel negare illos, vel, vt melius dicatur, licet recipere eos, vel contemnere æquali facilitate. Iſti tres gradus librorum veteris teſtamenti diſtinguuntur a beato Hieronymo in prologo Galeato, qui incipit. Viginti duas literas. Manifeſtum eſt autem, quòd iſta diſtinctio graduum fidei non aſſumitur ex eis, quæ cõtinentur in iſtis libris, quia in omnibus continentur res ſacræ, & mirabiles, quæ nõ poſſunt probari per aliquam cauſam, ſed ſolum adhibetur eis fides propter auctores. Eſt ergo diſtinctio iſta facta ab Eccleſia vniuerſali, quæ concorditer tenet illam diſtinctionem factam a beato Hieronymo. Nam iſta tenebatur a Iudæis fidelibus antè Chriſti aduentum, & fuit poſtea continuata in Eccleſia.

CAPITVLVM XXIIII.

In quo declaratur, quòd Eccleſia vniuerſalis non ſolum dat fidem, & auctoritatem libris veteris teſtamenti, ſed Euangelijs, & quod quondam fuerunt octo Euangelia, & Eccleſia reiecit quatuor, & quod maior eſt auctoritas Eccleſiæ, quam librorum vtriuſque teſtamenti.

APparet igitur, quòd Eccleſia vniuerſalis non ſolum dat fidem libris ſacris, ſed etiam dat illis certum gradum fidei, & firmitatis, & illum tenent, & non ampliorem. Si autẽ ipſa poſſet errare faciendo iſta, tota certitudo ſcripturarum & fidei periret, ideo neceſſe eſt
F teneri, quod eccleſia vniuerſalis non poſſit errare. Item patet hoc, quantum ad libros noui teſtamenti, quia ea, quæ ſunt in euangelijs, ſunt firmiſſima & non habent tñ firmitatem, niſi propter eccleſiam. Quod patet, quia aliquis diceret Chriſtum prædicaſſe & fuiſſe mortuum, & ſurrexiſſe, poſſet alius negare, ille tunc probaret per libros euangeliorum, alius poterat dicere, ꝙ nullius firmitatis erant ſcripta illa, vel ꝙ non erant illa euangelia B. Matthæi, & Ioannis; & aliorum euangeliſtarum, qui recipiuntur, nõ habebat tunc iſte aliquẽ recurſum probationis, niſi ad auctoritatem eccleſiæ, ſ. quia eccleſia dixit euangelia Matthæi, Ioannis, Marci, & Lucæ ſuſcipienda eſſe ſub fide maxima, & veneratione. Et ſi aliquis negauerit iſta, quæ nos allegamus eſſe illorum quatuor euangeliſtarum, ſola auctoritas eccleſiæ probat, quòd
G ſint iſtorum euangeliſtarum. Et patet hoc, quia eccleſia ſeparauit alia quatuor euangelia. Nam erant octo libri euangeliorum, ſcilicet iſti quatuor, qui nunc habentur, & quatuor alii confecti a viris hæreticis ſub nomine Andreæ, & Thadæi, & aliorum duorum Apoſtolorum, & alii multi libri euangeliorum fuerunt, de quibus Hieronymus in quodam prologo ſuper euangelia, qui incipit. Plures fuiſſe. Et illa recitabant hiſtoriã Chriſti, ſicut noſtra euangelia, ſed inſerebant aliquos paucos errores. Si tamen hi octo libri euãgeliorum fuiſſent traditi alicui viro pollenti naturali ingenio, vt iudicaret de eis, non inueniret aliquam cauſam, quare iſtos magis, quam illos reciperet, vel reiiceret, quia vtriq; continebant puram hiſtoriam, quæ probari non poterat ex aliquo fundamento naturæ. Niſi fortè diceres, quod vir
H ille iudicans reciperet libros illos, qui conuenirent naturæ, & illos, qui in aliquo repugnarent, reiiceret. Sed tunc oporteret, quod reiiceret oẽs octo libros euangeliorum, quia in quolibet illorum continebantur aliqua, quæ erant ſupra vires naturæ. Eccleſia tamẽ recipit iſta quatuor Euangelia, quæ habemus, & reiecit alia quatuor dicendo illa falſum continere, & ab hæreticis confecta. Ergo eccleſia dedit fidem euangelijs, & hoc eſt, quod dicit Auguſtinus in libro, qui intitulatur Fundamentum, ſiue liber contra epiſtolam Fundamenti, ſ. ego euangelio non crederem, niſi eccleſiæ auctoritas me moueret, ſ. quia ipſa aſſerit iſtud, vel illud eſſe euangelium, cui fides adhibenda eſt. Dicendum igitur, quod maior eſt auctoritas eccleſiæ, quam ſacrorum librorum veteris, vel noui teſtamenti.

I Item dicendum, quod eccleſia dat auctoritatem libris vtriuſque teſtamenti, & conſequenter, quod non poteſt errare, nam ſi potuiſſet vniuerſalis eccleſia errare circa fidem, potuiſſet recipere quatuor euangelia confecta ab hæreticis, & reiicere euangelia quatuor, quæ nunc habemus, & tunc tota fides noſtra eſſet erroribus plena, & tamen aſſerimus, quod impoſſibile ſit fidei ſubeſſe falſum, ergo neceſſe eſt dici, quod eccleſia vniuerſalis non poteſt errare circa fidem.

CAPITVLVM XXV.

In quo declaratur, an Eccleſia recipiat auctoritatem à libris ſacris, ſicut libri ſacri recipiunt ab illa, & quod
K *auctoritas ſua non ex aliquo priori, ſed tota auctoritas pendet ab ea, & quomodo probatur auctoritas eius per libros ſacros.*

SEd obijcietur, quia dictum eſt ſupra, quod eccleſiæ dat firmitatem libris ſacris, & libri ſacri non dant firmitatem eccleſiæ vniuerſali, & tamen videtur, quod eccleſia vniuerſalis accipiat fidem ex libris ſacris. Nã, quod nõ poſſit errare eccleſia vniuerſalis, probatum eſt ſupra ex ſymbolo Apoſtolorum, quem computamus inter Scripturas Sacras. Dicendum, quod libri ſacri benè declarant firmitatem, & dignitatem, & impeccabilitatem eccleſiæ vniuerſalis, tamen non probant illam tanquam a priori, ideſt, quod ex illis conſtet ſolum eccleſiam nõn poſſe errare, & non aliunde, quia potius eccleſia dat auctoritatem illis ſcripturis, per quas conamur proba-

A probare, ꝙ ipſa non poſſit errare. Nā tunc ſi hoc probaremus ex ſymbolo Apoſtolorum, poſſet aliquis negare illud dicendo, ꝙ nulla fides erat illi adhibenda, vel ꝙ non erat illud ſymbolū Apoſtolorum, ſed confectū ab alio falſo nomine. Eccleſia autem eſt, quę declarat iſtud eſſe ſymbolum Apoſtolorum, & eſſe eidem fidem adhibendam, ideo cum ex libris ſacris probamus Eccleſiam non poſſe errare, eſt demonſtratio per circulationem. Proficit tamen, quia poſtquam nos ſuſceperimus libros Sacræ Scripturæ in auctoritatem, poterit indè cōſtare, quòd Eccleſia non poſſit errare. Ad veritatem tamen non probatur auctoritas Eccleſiæ ex libris ſacris, ſed potius è contrario. Et ipſa auctoritas Eccleſiæ non debet probari ex aliquo priori, ſed oportet eſſe per ſe nota. Sicut in via ſcientifica oportet deuenire ad aliquid, quod non probatur ex alio priori, ſed omnia probantur ex illo, & ibi eſt ſtatus in reſolutorio ſyllogiſmo, ſicut dicit Ariſt. 1. Poſter. Omnis notitia ex præexiſtenti fit cognitione, quæ pręexiſtit, & nō deducitur. B

CAPITVLVM XXVI.

In quo declaratur, quomodo Eccleſia vniuerſalis det auctoritatem verbis Chriſti, & Apoſtolorum licet nihil poſſit habere auctoritatis maioris, quam verba Chriſti, & quòd Eccleſia non det auctoritatem illam de nouo apponendo, vel augendo ſed oſtendendo illam eſſe.

ITem obijcietur, quòd ſupra dictum eſt, quòd Eccleſia dat auctoritatem libris ſacris, quòd non videtur ſatis conuenienter dictum, ſcilicet quòd Eccleſia det auctoritatem Euangelio, cum illud ſit de verbis Chriſti, C quæ habent maiorem neceſſitatem, quā aliquid aliud quodcumque ſit. Sunt enim talia verba Chriſti, quæ maiorem firmitatem habent, quam totus mundus, ita vt facilius poſſit perire totus mundus, quam deficere vnum de verbis Chriſti, iuxta illud Matth. 24. & Luc. 21. Cælum, & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſient. De verbis autem Apoſtolorum, & Prophetarum, quamquam non ſint tantæ auctoritatis, ſicut verba Chriſti propter auctorem, tamen non minorem neceſſitatem, & firmitatem videntur habere ad manendum, quia illa dicta ſunt per Spiritum Sanctum. Sicut dicitur 1. Petri. 1. ſcilicet. Non enim voluntate humana allata eſt aliquando prophetia, ſed Spiritu Sancto dictante locuti ſunt ſancti Dei homines. Sed quæ Spiritus Sāctus dixit, infallibilia ſunt, quia ille Deus eſt, ergo non videtur conuenienter dictum, quòd Eccleſia det auctoritatem iſtis libris, & ſic nullis Sacræ Scripturæ dabit auctoritatem Eccleſia. D

Dicendum, quòd Eccleſia non dat auctoritatem aliquam verbis Chriſti, quia nulla maior auctoritas poteſt eſſe in aliquibus verbis, vel in aliqua re, quam in Chriſti verbis, quia ſi conſideretur auctor, Chriſtus eſt, ſi conſiderentur verba, neceſſaria ſunt, ſcilicet quòd non poſſunt deficere, eo quòd ille ſic voluit. Dictis etiam Apoſtolorum, & Prophetarum non poteſt dare Eccleſia auctoritatem, quia illa in ſe ſufficientiſſimam habent auctoritatem, cum immutabilia ſint, & cum per Spiritum Sanctum dictata ſint: nō eſt ergo ſenſus, quòd Eccleſia det iſtis auctoritatem, ita quòd ipſa prius auctoritatem nullam haberent ſi Eccleſia non daret illis, E vel quòd Eccleſia det eis maiorem auctoritatem, quam prius habebant, quaſi per modum cuiuſdam confirmationis, vel aliàs, nihil enim iſtorum eſt. Quia etiamſi verba Chriſti à nullo homine fuiſſent accepta, non propter hoc minus vera eſſent, vel minus vtilia, ſicut nunc dato, quòd non acceptentur apud infideles: non ideo minus vtilia ſunt fidelibus, quam ſi totus mundus accepraſſet ea, ſicut dicit Apoſtolus ad Rom. 3. ſcilicet, quid ſi quidam illorum non crediderunt? numquid incredulitas illorum fidem euacuauit? abſit. Sed eſt ſenſus, quòd Eccleſia dat auctoritatem Euangelio, & oibus libris Sacræ Scripturę, non quidē aliquid apponendo, ꝙ non habebant, ſed oſtendēdo, quod habebat.

Et iſtud oſtendere ſatis poteſt vocari dare auctoritatem, eo quod nunquam ſciremus Euangelia, aut alios libros Sacræ Scripturæ alicuius auctoritatis eſſe, niſi eccleſia diceret. Cum ex ipſis non poſſet patere veritas, vel falſitas ipſorum, neceſſitas vel contingentia ipſorum, ſed ex fide conſtat, fides autem ex auditu eſt ad Roman. 10. ſcilicet. Quomodo credent in eum, de quo nō audierunt? Prædicatio autem iſta ab eccleſia fit, & nos propter auctoritatem eius, ſcilicet quia credimus illam non poſſe errare, aſſentimus firmiter omnibus dictis ſuis. Et iſte eſt modus introducendi fidem, vt colligitur ad Ro. 10. Et quantum ad hoc, ita dat eccleſia auctoritatem euangelio, ſicut quibuslibet aliis libris Sacræ Scripturæ, & ſine hac auctoritate eccleſiæ nihil valent euangelia ad vtilitatem noſtram.

Et ob hoc prædicatores, qui annunciant nobis verba Chriſti, & per illos credimus, dicuntur adiuuare Chriſtum, quaſi ſupplendo aliquid, quod deerat ei. Sic patet primo Corinth. tertio, ſcilicet, Dei enim adiutores ſumus, & loquebatur ibi Apoſtolus de ſe, & aliis prę dicantibus fidem.

Iſte modus etiam reperitur in diſciplinis mathematicis, & naturalibus, nam aliqua concluſio eſt vera, & neceſſaria, quam tamen diſcipulus non intelligit, ita quod neſcit deducere veritatem eius, & neceſſitatem, ſed dubitat, an ſit falſa, vel contigens. Iſta enim propoſitio ſi conſideretur quantum ad ſe, æquè verè, & neceſſaria eſt ſi cognoſcatur, ſicut ſi non cognoſcatur, & tamen quantum ad nos, quando non cognoſcitur, non eſt alicuius auctoritatis, cum vero cognita fuerit veritas eius, & neceſſitas per deductionem, quam facit magiſter, cognoſcitur, & iam reputatur a nobis inter propoſitiones neceſſarias, magiſter ergo dedit ſibi iſtam auctoritatē, quam habet, non quidem dando ei veritatem, vel neceſſitatem, quia hoc facere non poterat, ſed oſtendendo illam neceſſitatem, quam habebat.

CAPITVLVM XXVII.

Quod determinatio Eccleſiæ eſt duplex. ſcilicet quod aliquid tanquam verum tenendum ſit, & aliquid agendum, vel cauendum ſit. Et in primo modo Eccleſia nunquam poteſt errare. Et quod ſi Eccleſia, ideſt Concilium generale diffiniret ſemel aliquam propoſitionem circa fidem, nullum aliud Concilium poteſt determinare contrarium.

COnſiderandum vlterius circa prædicta, quod eccleſia vniuerſalis, quæ errare non poteſt, determinare poteſt aliquid dupliciter, vno modo determinat aliquid, vt credendum, vel tenendum pro vero. Alio modo determinat aliquid, vt agendum, vel fugiendum. Primo modo eccleſia vniuerſalis non poteſt errare, nec etiā poteſt variari ſua determinatio. Et ſic in determinationibus fidei nunquam eſt variatio. Ratio huius eſt, quia determinare, quod aliquid eſt credendum eſt dicere, quod illud eſt verum, illud autem, quod ſemel eſt verum, in æternum eſt verum, ſiue ſit res illa determinata de rebus, quæ in ſeipſis neceſſitatem aliquam habent, vel de illis, quę in ſe habent contingentiam, etiam ad vtrumlibet. De neceſſariis manifeſtum eſt, quod illud, quod abſolutè eſt neceſſarium, omni tempore eſt neceſſarium. De contingentibus ad vtrumlibet probatur, quia quando aliqua res eſt vera, quantumcumq; ſit contingens poſt determinationem efficitur immediatè præterita. Cum autem præterita fuerit, habet veritatem neceſſariam, quia impoſsibile eſt præterita non præteriſſe. Et iuxta ſententiam Ariſt. & Agatonis. 6. Ethic. ſcilicet, hoc ſolo priuatur Deus, quod non poteſt facere ingenita, quæ iam ſunt facta. Accipiatur iſta propoſitio: Sortes currit hodie. Iſta eſt maxime contingens antequā fiat, ſed poſtquam ſemel fuit verum, quod Sortes currit, neceſſaria eſt, quia impoſsibile eſt non cucurriſſe. Ita ergo quandocumque eccleſia determinauerit aliquid tenendum eſſe, vel credendū tanquā verum, illud

verum

verum eſt ſaltem tunc, quia aliter Eccleſia erraret. Ceſſante autem determinatione iam res efficitur perfecta. Præterita ergo veritas illa manet iam neceſſaria. Et iſta eſt cauſa quare poſtquam Eccleſia ſemel determinauerit de aliquo tenendo in fide, non poteſt in alio Concilio, etiamſi ſit plurium priuati, & maioris ſapientiæ determinari contrarium, quia aliàs ſequeretur, quòd alterum eorum non erat generale Concilium congregatum legitimè vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, vel quòd etiam poſſet errare. Quòd falſum eſt.

Et ob hoc quandocunque per aliquod Concilium determinatum fuerit circa aliquam veritatem fidei, nũquam Eccleſia patitur illam veritatem determinatam venire in contentionem ita vt de illa dubitetur.

CAPITVLVM XXVIII.

In quo declaratur, quòd propoſitio, quæ ſemel eſt vera ſemper eſt vera. ſiue ſit neceſſaria, ſiue contingens ad vtrumlibet, ſiue de præterito, ſiue de præſenti, ſiue de futuro, & an ob hoc tollatur contingentia propoſitionum, & inducatur aliqua neceſſitas.

EST autem manifeſtum fundamentum huius, ſ. quia omnis propoſitio tam affirmatiua, quam negatiua contingens, vel neceſſaria, quæ ſemel eſt vera, in æternũ eſt vera, referendo ad idem tempus, quia aliàs propoſitiones affirmatiuæ, quarum veritas eſt contingens, non maneret ſemper veræ, ſicut iſta eſt vera. Sortes currit hodie, & tamen poſt tres dies non erit verum dicere. Sortes currit hodie. Erit autem vera ſi referatur ad illud tempus quo currebat, quod iam tranſiuit, & dicatur Sortes cucurrit antè tres dies. Iſtud autem, quod dictum eſt de determinationibus factis circa propoſitiones de præſenti, vel de præterito, dicendum eſt eſſe idem circa propoſitiones de futuro, etiamſi ſint contingentes ad vtrumlibet, licet de hoc aliquis nimium dubitabit. Et ratio huius eſt, quia quando determinatur de veritate alicuius propoſitionis, quę eſt præterita, cum omne præteritum maneat pro ſemper neceſſarium, non poterit veritas illius immutari. Idem de propoſitionibus, quarum veritas determinatur eſſe præſens, quia immediatè tranſeunt in præteritum, & poſtquam fuerit res præterita eſt neceſſaria. Secus autem de propoſitionibus, quarum veritas determinatur pro futuro, quia res pro futuro habent ſuam contingentiam, ideo videtur, quòd licet ſemel ſit vera non ſemper ſit vera cum maneat cõtingentia. Dicendum tamen, quòd hoc eſt etiam verum pro futuro contingenti. Et patet hoc quia ſi aliqua propoſitio de futuro ſit vera, aut conſiderabitur tempus, quod eſt antequam adueniat aſſignatio, pro qua debet compleri veritas propoſitionis, aut tempus, quod eſt poſt illam aſſignationem. Si conſideretur tempus, quod eſt antè, dicendum, quod ſicut propoſitio eſt vera tunc, quando aſſeritur, ita erit vera omnibus temporibus intermedijs vſque ad ſignificandum tempus completionis. Et ſi in aliquo tempore intermedio non eſt vera, nunquam fuit vera, nec erit in æternum ſecundum eoſdem terminos. Si autem conſideretur tempus poſt aſſignationem completionis, iam efficietur res præterita, & tunc omne præteritum eſt neceſſarium. Exemplum, vt ſi dicatur. Sortes curret in die proximo Pentecoſtes. Iſta propoſitio eſt nunc vera, quia ita erit, quòd Sortes curret illa die, & ſicut nunc eſt verum, quod Sortes curret die Pentecoſtes, ita in quolibet die, vel tempore antè Pentecoſten erit verum, quòd Sortes curret die Pentecoſtes. Et ſi detur, quòd aliqua die intermedia non ſit vera iſta propoſitio, ſequitur, quòd non eſt vera hodie, nec fuit aliquando vera, nec erit in æternum vera. Quod patet, quia ſi aliquo tẽpore intermedio non eſt vera iſta propoſitio. Sortes curret die proxima Pentecoſtes, hoc erit, quia non erit ſic, quòd die Pentecoſtes curret. Et ſi ita eſt, etiam ſequitur, quòd hodie non eſt verum, quod Sortes curret die proxime Pentecoſtes, & nulla alia die antè F Pentecoſten erit verum, quod Sortes curret die Pentecoſtes, etiam poſt Pentecoſtem nunquam erit verum, quod Sortes curſurus eſſet pro illa die Pentecoſtes.

Et ſi dicatur, quòd illa propoſitio eſt cõtingens, & ob hoc poteſt mutari veritas eius, & dato, quod hodie ſit vera de futuro, cras poterit eſſe falſa. Dicendum ꝙ eſt impoſſibile, non tamen propter hoc tollitur contingentia, vel inducitur aliqua neceſſitas. Et patet in iſta propoſitione. Sortes curret die Pentecoſtes, quæ eſt vera, & contingens, & vocatur vera, quia ita erit, quòd die Pentecoſtes curret. Et vocatur contingens, quia toto tempore intermedio antequam currat, poteſt currere, vel poteſt non currere, & vtrumque eſt ſibi poſſibile, ideo vocatur contingens ad vtrumlibet, Sortes tamen licet poſſet facere vnum, vel alterum, quod maluerit, non poteſt tamen facere vtrumque, ideo licet contingens ſit, tamen ſic erit, quod Sortes curret illa die, vel ſic erit, quod non G curret. Ponatur quod illa die curret, tũc eſt vera propoſitio iſta, tamen propter hoc non colligitur quin poſſit ſe determinare ad oppoſitum vſque ad iſtud tempus. Si autem ſic eſt, quod Sortes non curret illa die, licet toto tempore intermedio habeat poteſtatem ad currendũ, ſi vellet quouſque tranſeat illud tempus, tamen quia ſic futurum eſt, quod ipſe determinabit ſe ad non currendum, & non ad oppoſitum, iſta propoſitio, Sortes curret die Pentecoſtes, nullo modo eſt vera aliquo tẽpore antè diem Pentecoſten proximè, ſed ab æterno fuit falſa, & in æternum eſt falſa, referendo ad idem tempus, vt ſupra dictum eſt. Patet ergo quòd non ſolum in propoſitionibus de præſenti, & præterito eſt regula, ꝙ illa, quæ H ſemel eſt vera ſemper eſt vera, ſed etiam in propoſitionib. de futuro. Apparet ergo quòd ſi Eccleſia ſemel diffinierit circa aliquem articulum, quid ſit tenendum, ꝙ illud ſemper manet, & nunquam poteſt determinari cõtrarium per Eccleſiam pro illo tempore, vel in aliquo alio tempore, ſed manet determinatio illa firma.

CAPITVLVM XXIX.

Quod Eccleſia vniuerſalis non poteſt errare in moribus, & quod in ponendo leges nunquam, & tamen quod poteſt vnum Concilium tollere leges, quas alterum poſuit, & non errabit, & tamen non poteſt tollere determinationem factam circa fidem, quia tam erraret, & cur hoc, & ibi de mutatione legum an dicat indignitatem Eccleſiæ. I

ALiud membrum erat, quod Eccleſia non determinat quid tenendum vel credendum ſit, ſed quid agendum ſit, ſicut in iuribus, quæ ordinantur per Eccleſiam. Et quia iſtud pertinet ad mores, dicendum, quod Eccleſia vniuerſalis errare non poteſt in moribus, quia aliàs cum error in moribus cauſet maliciam, Eccleſia vniuerſalis peccaret & induceret, immo coget homines ad peccandum ponendo leges iniquas, & ſic non eſſet ſemper ſancta, quod falſum eſt, quia eſt contra articulum fidei, vt ſupra dictum eſt. Ideo quando Eccleſia cõdit canones, ſiue ad dirigendum vitam humanam, ſiue pro moribus Eccleſiæ regulandis, nunquam errat quidquid ordinauerit.

Dicendum tamen, quòd circa hoc poteſt facere mu- K tationem, nam licet nunc Eccleſia dederit vnam legem circa negocia humana, ſcilicet circa iudicia, poteſt dare poſtea contrariam, & ſic videmus, quod mutatur quotidie leges, & dantur contrariæ, ſiue in negocijs prophanis, ſiue in moribus & cæremoniis Eccleſiæ. In hoc autem non errat Eccleſia vniuerſalis, quia ſemper dat legem bonam, & leges contrariæ diuerſis temporib. ſunt bonæ. Sicut enim non eædem leges poſitiuæ ſunt apud omnes gentes, vt patet. quinto Ethicor. & hoc quia diuerſis gentibus diuerſa, vel cõtraria apparent bona, vel mala, & non ſolum apparent, ſed ſecundum veritatem, quæ apud quaſdam gentes bona ſunt, non ſunt bona apud alias. Ita de eiſdem gentibus, ſecundum diuerſa ſunt bona, & mala, & ſic leges, quæ aliquando fuerunt bonæ incipiunt iam eſſe nociuæ. Et tunc bonus legiſlator

tor mutat legem dando contrariam in toto vel in parte, & ſic eccleſia mutat ſæpe leges, cum videt ſecundum conditionem temporum, & gentium expedire, & ſemper bene agit, ſicut dicitur Extra de conſangui. & affini. c. non debet, ſcilicet non debet reprehenſibile iudicari, ſi ſecundum varietatem temporum ſtatuta quoque varientur humana. Et inducitur ibi ratio, quia Deus ſic fecit. Nam aliquas leges poſuit in veteri teſtamento, quas mutauit in nouo, ſcilicet, quia iã nõ erant conuenientes ſecundum conditionem humanam. Ob hoc poteſt vnum Cõcilium ponere leges contrarias legibus alterius Concilij, & vtrumque bene agit, quia vtrumque poſuit bonas leges ſecundum conditionẽ temporis, in quo cõduntur, & non indicat aliquam indignitatem, vel defectum iudicij in eccleſia, ꝙ contrarias leges in diuerſis temporibus condat, cum hoc conditio rerum exigat, immo non eſſet laudanda, ſi ſemper ad oſtendendum immutabilitatem ſuam vellet leges ſemel poſitas ſemper manere, quia illæ, quæ ſemel bonæ fuerunt, aliquando inciperent eſſe malæ, ſicut non notatur in Deo aliquis defectus, vel mutabilitas, quia leges, quas dederat in veteri teſtamento, abſtulit in nouo, dando contrarias vel diſpares. Sic etiam medicus non vituperatur, ſi non omni tempore eandem poſitionem, vel idem curatiuũ, ſed ſecundum tempora & ætates, loca atque complexiones, hominum varia adhibeat curatiua. In determinationibus autem circa fidem ſecus eſt, quia quod ſemel iudicatum eſt verum, ſemper manet verum, & non poteſt dari aliquo tempore contraria, vel deuians determinatio. Ratio vtriuſque partis poſita eſt.

CAPITVLVM XXX.

Quod eccleſia aliquando accipitur pro Iudice particulari ſed non intelligitur de illo hoc, quia iſte poteſt errare. Et quod Papa poteſt in fide & in moribus errare, & effici hæreticus. Et quod non valet conſequentia: Papa damnat aliquam concluſionem tanquam hæreticam, ergo eſt hæretica, & quomodo multi ſummi Pontifices fuerunt hæretici.

Quo eccleſia accipiatur pro prælato.

CONſiderandum vlterius quia dictum eſt de eccleſia, quod non poteſt errare, quæ ſit iſta eccleſia. Et omiſſis multis modis accipiendi eccleſiam, de quibus non eſt ad propoſitum, dicunt aliqui, quod eccleſia accipiatur pro prælato eccleſiæ. Sic enim accipimus cum dicimus, quod eccleſia excommunicat aliquem, id eſt prælatus eccleſiæ, quia eccleſia non facit hoc. Ita etiam accipitur extra. de ſen. excommuni. c. a nobis. cum dicitur, ꝙ eccleſia militans fallit, & fallitur, ſcilicet prælati eccleſiæ militantis, quia ibi agitur de ſententia excommunicationis, quæ aliquando fulminatur in eum, qui nihil mali meretur, & tamen iudex putat eum eſſe reũ, & hoc, quia eccleſia fallit & fallitur.

Dicendum tamen, quod hoc modo non poteſt accipi hic eccleſia. Primò quia non competit ſibi hoc. ſ. ꝙ non poſſit errare, nam poteſt errare, & errat quilibet de talibus Iudicibus eccleſiaſticis, vt ibi dicitur, quod eccleſia militans fallit, & fallitur. Et non ſolum eſt verũ de Iudicibus particularibus, ſed etiam de Papa, qui frequenter errat ex ignorantia, & fert iniquã ſnam. Nam ipſe dicit de ſeipſo, ſcilicet licet locum Dei in terris teneamus, de occultis tamen non cogimur diuinare.

Et non ſolum accidit hoc circa accidentia, & particularia, factaque humana, quæ Papa ignorat, ſicut quilibet alius ſimplex homo, ſed etiam circa fidem poteſt Papa ignorare, & errare, & effici hæreticus aliquando per ignorantiam, aliquando per aliam affectionem. Sic patet in Decre. diſt. 40. c. ſi Papa. vbi ſi Papa deprehenditur a fide deuius, deponitur.

Ex quo apparet, ꝙ iura ſupponunt Papam poſſe effici hæreticum, & confirmatur experimento. Nã Papa Marcellinus fuit hæreticus, immo hæretico deterior, qui cum eſſet Summus Pontifex, obtulit thura idolis, vt patet in Decre. diſtinct. 19. c. nunc autem. Itẽ patet de Papa

A Liberio, quem alii vocant Papam Leonem, qui factus eſt Arianus. Item etiam de Papa Ioanne 22. qui tenuit hæreſim viſionem beatificam, & poſtea coactus eſt publicè illam reuocare, vt patet in geſtis ſummorum Pontificum.

Ex quo apparet, quod dato, quod Papa damnet aliquã concluſionem tanquam hæreticam, vel aliquem auctorem dicat hæreticè ſenſiſſe, non ſequitur neceſſario illã concluſionem eſſe hæreticam, vel auctorem illum hæreticè ſenſiſſe, quia poteſt eſſe, quod Papa errauerit immo quod ipſe Papa fortè ſit hæreticus, & per ignorantiam, vel per affectionem aliquam paſſionalem damnet concluſionem, ſiue dictum aut auctorem. Sicut aliquos ſummos Pontifices legimus hæreticos factos per ignorantiam, & per timorem, vel per alias paſſiones, non accipi- B tur eccleſia pro Papa, vel aliquo prælato alio.

Secundo non valeret iſta acceptio, quia eccleſia eſt nomen Græcum, & ſignificat proprie multitudinẽ, non ergo conuenit propriè vni homini. Et dicendo abſolutè eccleſia non intelligitur vnus homo, licet ſit prælatus, ſed multitudo. Si autem vocetur prælatus eccleſia per analogiam, inquantum eſt caput, vel princeps eccleſiæ, oportet poni aliquam connotationem reſtringentem, vt ſciatur, ꝙ pro prælato accipitur, alioquin pro multitudine accipietur, niſi contextus orationis veret ſic accipi.

CAPITVLVM XXXI.

C *Quod aliquando accipitur in Sacra Scriptura Eccleſia pro multitudine aliqua particulari: ſed de illa non intelligitur, quando dicitur, quod Eccleſia non poteſt errare, quia tales Eccleſiæ ſæpè errant tam in fide, quam in moribus.*

ALio modo accipitur eccleſia pro multitudine hominum particulari pertinenti ad vnum locum, vel ad vnam prouinciam, ſic dicimus eccleſiam Toletanam, vel Salamantinam, i. multitudinem vrbis, vel diœceſis Toletanæ aut Salamantinæ. Et non accipitur pro ædificiis, vel ædibus eccleſiarum, ſed pro hominibus. Sic ponit Apoſtol. 1. ad Corinth. 1. & 2. ad Corinth. primo, ſcilicet, Paulus & Soſthenes frater eccleſię Dei, quę eſt Corinthi, ſanctificatis in Ieſu vocatis ſanctis, & ſic neceſſe eſt ibi poni eccleſiam pro hominibus, quia poni- D tur intranſitiue eccleſiæ & ſanctificatis in Chriſto, in quo innuitur, quod eccleſia nil aliud erat niſi illi ſanctificati. Sic etiam ad Gal. 1. ſ. Paulus eccleſijs, quæ ſunt Galatiæ gratia & pax vobis a Chriſto, qui tradidit ſemetipſum pro peccatis veſtris. Et ſic eccleſiæ accipiuntur pro hominibus, quia alias non eſſet verum, quod Chriſtus tradidiſſet ſe pro peccatis eccleſiarum, ſcilicet domorum vel ædificiorum. Et iſto modo accipitur propriè eccleſia. Quando autem accipitur eccleſia pro domo, non eſt propria acceptio, ſed per analogiam. ſ. quia in domũ illam conuenit multitudo. Sic accipitur, 1. Corinth. 11. ſ. conuenientibus vobis in vnum. ſ. in eccleſiam. Et ſequitur. Nunquid domos non habetis, aut eccleſiam Dei contemnitis? ſcilicet domum ſacram.

Dicendum tamen, quod iſto modo non accipimus hic E eccleſiam, quia tales eccleſiæ, id eſt multitudines particulares poſſunt errare tam in fide, quam in morib. quia interdum accidit, quod in vna aliqua eccleſia nemo ſit, qui non deuiet a recta fide ſaltem, quantum ad aliquem artic. Sic fuit diebus noſtris de Bohemis, qui in multis articulis deuiauerunt. Sic ẽt fuerat de Græcis, & Armenis, & multis aliis gentib. quæ Chriſtum colunt, nã errant vel errauerunt circa aliquos articulos, ita quòd omnes de nationibus illis errabant circa illos articulos.

Vel dato, quod eſſent aliqui pauci, qui non errarent, adhuc verum erat, quod tota eccleſia talis errabat, eo quod miniſtri eccleſiarum errabant, & publicè prædicabantur illi errores, & nemo audebat reſiſtere illis. Et hoc ſatis eſt ad hoc, quod tota aliqua eccleſia dicatur in fide errare, non ergo intelligitur de talibus eccleſijs, quod eccleſia non poteſt errare.

CAPITVLVM XXXII.

Quod Eccleſia vniuerſalis eſt illa, quæ non poteſt errare, & quomodo intelligitur, Eccleſia fallit, & fallitur.

ESt ergo dicendum quód Eccleſia, quæ non poteſt errare, non eſt aliqua niſi Eccleſia vniuerſalis, & iſta propriè vocatur Eccleſia ſine aliqua limitatione, quia eſt multitudo non connotato aliquo loco, vel tempore. Et iſto modo accipit Apoſtolus ſæpe. Sic patet ad Eph. 6. Viri diligite vxores veſtras, ſicut Chriſtus dilexit Ec-
Ephaſ.6. cleſiam. Ibi non poteſt accipi Eccleſia pro aliqua particulari, ſed pro tota multitudine eorum, qui credituri erant in ipſum. Et iterum. eod. c. cum loquitur de matrimonio in eod. c. ait hoc eſt magnum Sacramentum, ego G
dico inter Chriſtum & Eccleſiam. ſ. vniuerſalem, quia non eſt matrimonium inter Chriſtum, & Eccleſiam aliquam particularem, vt infra declarabitur.

Nemo tamen fallatur putans, quód Eccleſia vniuerſalis, de qua loquimur poſſit errare, vel decipi in fide, & moribus per illud, quod dicitur extra de ſen. excom. c. a nobis. ſ. quod Eccleſia militans fallit & fallitur, in quo innuitur, quod ſola Eccleſia triumphans eſt, quæ non fallitur, eccleſia tamen vniuerſalis, de qua loquimur eſt eccleſia militans, quia in eccleſia triumphanti non erit diſtinguere eccleſiam vniuerſalem, & particularem, quia tota erit ibi vna eccleſia vnita ſcilicet beata ſocietas hominum & angelorum.

Sed dicendum, quod poteſt intelligi dupliciter, vno modo ſic, ſcilicet quod eccleſia militans fallit &c. ſci- H
licet Iudex in eccleſia militanti fallitur, & tamen Iudex in eccleſia triumphanti nunquam fallitur, ideo qui condemnatur in cælis eſt verè condemnatus, ſed non ſemper qui condemnatur in terris.

Alio modo poteſt intelligi, quod eccleſia militans, ſ. tota eccleſia militans tam vniuerſalis, quam particularis fallit, & fallitur. i. errat, ſcilicet circa veritatem humanorum negociorum, & accidentium particularium.

Et in iſtis verum eſt quod eccleſia etiam vniuerſalis errare poteſt. Nam etiam tota eccleſia vniuerſalis militans qualitercunque accipiatur, non cognoſcit veritatem negociorum particularium, & accidentia particularia omnia, & in his poteſt errare faciliter. Vterq; iſtorum ſenſuum conuenit literæ, illius cap. a nobis, de primo patet, quia ibi agitur quando aliquis excommuni- I
catur pro cauſa iuſta, licet non vera, quia Iudex non poteſt cognoſcere veritatem.

Et licet tunc ille ſit apud eccleſiam militantem excommunicatus, non tamen eſt excommunicatus apud eccleſiam triumphantem.

Et dat cauſam, quia eccleſia militãs, ideſt Iudex eccleſiæ militãtis fallit, & fallitur. i. ipſe decipit alios, & decipitur. Decipit quidẽ, quia qñ Iudex eccleſiæ militãtis profert ſñiam excõmunicationis, innuit oĩbus, ad quos peruenit ſcientia eius, quod ille, qui excõicatur, eſt verè ligatus crimine illo, pro quo excommunicatur & eſt in culpa, & ſic decipit, vel fallit illos, quia nõ eſt in culpa. Etiam fallitur, quia aliquando coram Iudice homine põt accuſatus conuinci per falſos teſtes, & putat Iudex illum vere conuictum, & eſſe in crimine, de quo ac- K
cuſatur, ſed non eſt, & ſic fallitur, & per iſtum errorem profert ſententiam. Iudex aũt eccleſiæ triumphantis nõ fallit, nec fallitur, non quidem fallit, ſ. alios, quia quandocunque Iudex eccleſiæ triumphantis condemnat aliquem de crimine, innuit omnibus, ꝙ ille ſit criminoſus, & tunc verum eſt, ꝙ ille ſit criminoſus. Etiam non fallitur, i. nõ decipitur per falſos teſtes, nec qũocunque aliàs per ignorantiam veritatis, nam non poſſunt eſſe ibi falſi teſtes eo, ꝙ ipſe Iudex eſt teſtis, vt patet Ier. 29. ſ. Ego Iudex, & teſtis, dicit Dominus. Etiam non poteſt falli illud iudicium per ignorantiam alicuius rei particularis, cum Dominus omnia videat. Prouer. 15. In omni loco oculi Domini contemplantur bonos, & malos. Et ad Hebræ. 4. Omnia nuda, & aperta ſunt oculis eius.

F Vnde qualitercumque homo ſe habeat, non ſe poteſt occultare a Deo. Ierem. 23. ſ. Si occultabit ſe vir, & ego non videbo eum; quia cælum, & terram ego impleo dixit Dominus. Et ſic dicebat Dauid. Quo ibo a ſpiritu tuo? & a facie tua quo fugiam? Si aſcendero in cælum, tu illic es, ſi deſcendero in infernum, ades, ſi ſumpſero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris, illic manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua, quia tenebræ à te non obſcurabuntur, & nox, ſicut dies illuminabitur. Et iſte ſenſus multum conuenit. Hoc modo patet quomodo eſt diſcordia aliquando inter iudicium Eccleſiæ militantis, & triumphantis, de quo dicitur extra de ſentent. excommunic. lib. 6. cap. cum æterni, ſ. Cum æterni tribunal Iudicis illum reum non habeat, quem Iudex iniuſte condemnat.

CAPITVLVM XXXIII.

In quo declaratur, ꝙ licet Eccleſia vniuerſalis non poſſit errare nec in fide nec in moribus, tamen poteſt in iudicijs interdum errare condemnando aliquem iniuſtè, & tamen non errat tunc in fide, nec in moribus, & non agit malum ſed bonum licet condemnet innocentem.

DE ſecundo etiam ſenſu patet, quia in illo capit. à nobis, dicitur de ignorantia, per quam Iudex profert iniquam ſententiam, quæ non eſt ignorantia iuris, ſed ignorantia circa accidentia particularia, quæ Iudex non poteſt cognoſcere. Et in his verum eſt, quod tota Eccleſia militans errare poteſt. Nam licet Eccleſia vniuerſalis non erret in fide, nec in moribus, nec in iure, tamẽ in accidentibus particularibus tota Eccleſia vniuerſalis poteſt errare. Vndè poteſt per hunc modum tota Eccleſia condemnare aliquem iniuſtè. Et patet per hoc quod Cõcilium generale poteſt ferre ſententiam per talem modum. Et patet primo in caſu illius c. inter alia. de ſenten. exc. ſ. vbi alter coniugum ſcit eſſe conſanguinitatem, vel affinitatem in gradu prohibito, in quo matrimoniũ non tenet, nec poteſt contrahi, tunc non debet debitum petere, nec petenti reddere, quia debitum nullum eſt, vbi matrimonium conſtare non potuit obſtante gradu conſanguinitatis, alter coniugum petit ab eccleſia, vt cogatur coniux ad reddendum, & iſte obijcit conſanguinitatem, ſed probare non poteſt, tunc eccleſia condemnat eum ad redditionem debiti, quia putat non eſſe conſanguinitatem, ex quo non poteſt conſtare, coniux tamen, qui conſcius eſt conſanguinitatis, non debet reddere debitum, ſed potius ſuſtinere ſententiam excommunicationis. Et ſic tunc iniuſtè excommunicatur iſte, cum vera obijciat, & tota eccleſia eum condemnat per errorem.

Secundo patet hoc in alio caſu, vtpote ſi aliquis accuſetur coram ſacro Concilio de crimine, vel agatur aliqua cauſa ciuilis, & per falſos teſtes conuincatur reus, eccleſia condemnabit ibi eum, contra quem teſtes deponunt, & tamen iniuſte condemnatur, & ſic per errorem tota eccleſia vniuerſalis condemnat aliquem, & ſic eccleſia militans, etiam vniuerſalis fallit, & fallitur, ſcilicet fallit alios innuendo eſſe reum criminis eum, quem ipſa condemnat, & non eſt. Et fallitur, ſiue decipitur, putando verum eſſe, quod falſi teſtes depoſuerunt, & iudicando ſecundum illud, & tamen non eſt verum.

Sed tamen dicendum, quód adhuc eccleſia vniuerſalis non errat damnabiliter in hoc caſu, immo benè agit, & ſi ſecus ageret, malè ageret, quia cum Iudex debeat iudicare ſecundum deducta in iudicium, & probata, quia aliãs de veritate non poſſet ſibi conſtare, & iura pro eodem habent aliquid non poſſe probari, & non eſſe, & pro eodem habent probari legitime & eſſe verum. Qui ergo iudicat per ea, quæ legitime probata ſunt, eſt ac ſi iudicaſſet per meram veritatem, ideo qui ſic iudicat, nõ errat. Et ſic dicendum, quod eccleſia tota licet erret, vel errare poſſit interdum circa talia iudicia, tamen benè agit, nec errat in fide, aut in moribus.

CA-

CAPITVLVM XXXIIII.

In quo declaratur, quòd aliquis poteſt condemnari iniuſtè ſcilicet qui eſt innocens, & tamen Iudex iuſtè eum condemnat. Et quòd licet quis iniuſtè, & ſine cauſa noceat alteri, tamen ille iuſtè damnum patitur, & quòd nullo modo poſſit ſibi inferri damnum, niſi mereretur illud.

ET tunc poteſt dici, quòd ille, qui condemnatur, iniuſte condemnatur, & tamen Eccleſia iuſtè eum condemnat, vel Iudex particularis, qui iudicat. Nec valet conſequentia, ſcilicet iſte condemnatur iniuſtè a Iudice; ergo Iudex eum condemnat iniuſtè. Committitur enim falſitas compoſitionis, & diuiſionis, ſcilicet quia illud aduerbium iniuſtè poteſt determinare verbum, prout reſpicit ſuum ſuppoſitum, vel prout reſpicit eũ, in quem tranſit condemnatio. Vno modo eſt vera; & alio modo eſt falſa quæcunque iſtarum propoſitionum, ſcilicet Iudex condemnat iſtum iuſtè, & iſte condemnatur iniuſtè a Iudice. Sicut in iſta propoſitione, facio te ſeruum entem liberum, quæ poteſt eſſe vera, vel falſa ſecundum compoſitionem illius participij entem cum vno accuſatiuo, vel cum alio. Nec admiretur aliquis, quòd Iudex poſſit aliquem iuſtè condemnare, & quod tamen ipſe iniuſte condemnetur, quia ita accidit in multis alijs. Nam ſæpè quis iniuſtè nocet alteri, & tamen iuſte nocetur illi. Et iſtud eſt circa omnia mala, quæ homines in hoc ſæculo patiuntur: nam licet vnus homo iniuſte noceat alteri, ſcilicet quia nullam cauſam nocendi habet, tamen iuſte nocetur illi, ſcilicet quia ille meretur illud nocumentum ſibi inferri ſecundum iudicium Dei pro multis, quæ ipſe commiſit contra legẽ Dei, licet nihil commiſiſſet contra illum, qui nocet ei, nec contra legem humanam.

Nam ſi daretur, quòd aliquis homo eſſet, qui nec nocuiſſet proximo, nec ſecundum iudicium Dei mereretur aliquod malum ſibi inferri, impoſſibile eſt aliquod malum ſibi inferri, etiamſi totus mundus conaretur nocere illi, quia alias euacuaretur prouidentia Dei. Et iſtam propoſitionem ſatis deducit Boetius per totum quartum de conſol. & quandocunque aliquis homo ſic punitur, Deus voluit, vt ſic puniretur. Licet non ex hoc iuſtificatur actio nocentis, quia ille non egit, vt inſtrumentum Dei, nec vt ſuſcipiens ab eo mandatum nocendi, ſed ex deſiderio ſuæ voluntatis iniquæ. Accidit tamen interdum, quòd Deus mouet per prouidentiam ſuam, vt aliqui, qui non nocuerunt proximis ſuis, patiantur ab eis magna damna. Nec tamen proximi in hoc peccant, ſicut quando quis occidit alium caſu non dante operam rei illicitæ, & adhibita omni diligentia; tunc non poteſt imputari ei culpa de illo caſu, ſed totum retorquendum eſt in Deum, qui ſic fecit, vt ille occideretur ab iſto ignoranter. Sic patet Exod. 21. cum dicitur, quòd ſi aliquis non intendens nocere occidit proximum caſu, debet confugere in vnam de vrbibus refugij, & non debet pati aliquod malum. Et ſubditur ibi cauſa, ſcilicet ego enim tradidi illum in manus eius, id eſt ordinaui totam illam circulationem, vt ille caderet in manus alterius, ſcilicet occideretur ab eo. Ita eſt in præſenti, quando aliquis innocens accuſatur de crimine, & conuincitur per falſos teſtes; vel forte per teſtes erroneos, qui credunt ſe vera dicere & non dicunt, & Iudex condemnat eum. Nam licet ipſe non meruerit malum aliquod pro illa cauſa & Iudex malum ei inferat, meruit tamen malum in Dei iudicio pro aliquibus alijs, quæ commiſit cõtra Deum, & voluit Deus, vt accuſaretur nunc, & condemnaretur de crimine, quod non fecit ſiue non fecerat, vt ſolueret pœnas criminis, quod egerat, de quo non accuſatur, & tunc Iudex non peccat, quia Deus tradidit illum in manus eius, & eſt ſicut ille, qui caſu occidit hominem dans operam rei honeſtæ, & adhibita omni diligentia neceſſaria, & conuenienti.

CAPITVLVM XXXV.

In quo declaratur, quod, licet Chriſtus dederit Eccleſiæ vniuerſali priuilegium non poſſe errare in fide & in moribus, non dedit ei priuilegium, quod ſimpliciter in nullo errare poſſet, & quare non, & quod nulli cõceſſum eſt iſtud priuilegium non errandi, niſi Eccleſiæ vniuerſali.

SEd adhuc dicet aliquis, quod licet talis error cadat in Iudices particulares, tamen in Eccleſiam vniuerſalem non debet cadere, vel non conuenienter conceditur, quod cadat, quia Iudices particulares agunt, vt homines, Eccleſia autem ſpecialiter dirigitur a Spiritu Sancto, qui promiſit ei ſuam aſſiſtentiam, & dicitur eſſe in medio eius. Etiam quia ipſa Eccleſia diffiniendo dicit, placuit Spiritui Sancto, & nobis congregatis in vnum, quod non competit Iudicibus particularibus. Ideo, licet errent tales Iudices, Eccleſia nunquam debet errare, quæ Spiritum Sanctum habet gubernatorem. Reſpondendum, quod Deus concedit Eccleſiæ ſuæ vniuerſali multa, quæ nulli hominum concedit: & priuilegium non errandi conceſſit ei, non quidem abſolutè non errandi, i. quod in nulla re poſſit errare, quia tunc neceſſe erat, quod daret ei cognitionem omnis veritatis ſpeculatiuæ, quæ per omnes ſcientias haberi poteſt. Etiã daret ei ſcientiam omnium particularium contingentium. Et quia Eccleſia non eſt niſi congregatio fidelium, haberent multi fideles iſta dona, per quæ iam eſſent felices, quæ tamen nulli hominum ſunt vnquam communicata: & iam etiam Apoſtoli, dum viuebant, licet eſſent confirmati in gratia Spiritu Sancti, non habebant cognitionem omnium particularium, ſed quando ſcientia aliquorum erat ſibi neceſſaria, per Spiritum Sanctũ habebant orando, & interdum ſine oratione. Solus autẽ Chriſtus homo habuit cognitionem omnium particularium, ita vt in nullo fallere, nec falli poſſet. Non ergo concedit Deus Eccleſiæ ſuæ vniuerſali, quamdiu manet in terris, talem gratiam, & dona, quia illud pertinet ad gratiã beatitudinis, quando erit in patria: concedit tamen ei, quod non poſſit errare in his, quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem, ſcilicet non poteſt errare in fide, nec in moribus. Quilibet tamen Iudex particularis, & quilibet homo ſingularis poteſt in fide errare. Nam ſi Papa, qui eſt principale membrum totius Eccleſiæ, & eſt caput miniſteriale Eccleſiæ, poteſt in fide errare, vt probatum eſt ſupra, poterit errare quilibet alius homo, & tamen Eccleſia non poteſt errare. Etiam quilibet Iudex particularis poteſt errare in moribus, & effici iniuſtus. Eccleſia autem non poteſt errare in moribus, ita vt efficiatur iniuſta: cum ſemper ſit ſancta. In iudicando autem poteſt quilibet Iudex particularis errare ex intentione, ſcilicet, quia per munera, & affectionem inordinatam poteſt peruertere iudiciũ. Et hoc non poteſt Eccleſia vniuerſalis, quia iſte eſſet error in neceſſarijs ad ſalutem. Etiam Iudex particularis poteſt errare in iure, & iniquè iudicare. Eccleſia autem vniuerſalis non poteſt errare in iure, cũ ipſa condat iura: licet ergo Eccleſia vniuerſalis poſſet decipi, & errare circa particularia accidentia: quia tamen iſte error non eſt damnabilis, nec culpabilis aliqualiter, quia non eſt in illis, quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem, dicitur abſolutè, quod Eccleſia vniuerſalis non poteſt errare.

CAPITVLVM XXXVI.

Quod Eccleſia vniuerſalis aliquando accipitur pro Eccleſia congregata, aliquando pro Eccleſia, vel multitudine diſperſa per totum orbem. Et quod vtroque modo accipitur in Sacra Scriptura: & quod ſit Eccleſia vtroque modo.

SCiendum vlterius, quòd iſta Eccleſia vniuerſalis, de qua agimus, poteſt accipi dupliciter, vno modo pro Eccleſia diſperſa, alio modo pro Eccleſia congregata. Primo modo Eccleſia vniuerſalis eſt vniuerſitas omnium Chriſtiano-

ſtianorum per totum orbem diſperſorum in fide Chriſti, & Sacramentis participantium, & iſto modo Eccleſia eſt quoddam corpus myſticum fide Chriſti & diuinis chariſmatibus viuificatum, & regulatum. Secundo modo accipitur pro multitudine congregata, & tunc ſacra quælibet ſynhodus generalis legitimè congregata vocatur Eccleſia vniuerſalis. F

Iſtis duobus modis conſueuit accipi Eccleſia modo vulgari & in Sacra Scriptura. De primo ſatis manifeſtū, eſt, quia ille eſt modus cōmunior, & ſic accipitur Deut. 23. ſ. qui de ſcorto natus eſt, non intrabit in Eccleſiam Domini, ideſt non accipiet vxorem de tota multitudine Iſrael, quæ erat quædam multitudo diſperſa per multa loca. Et ſic vulgatiter accipimus Eccleſiā. De ſecundo modo patet per Ariſtot. ſecundo Politico. c. de Politia Chalcedoniorum, vbi dicitur, quod Chalcedonii Eccleſiam non faciunt, ideſt congregationē populi ad concilium, & tractandum de negociis. Vtroque modo iſtorū G accipit ſæpè Apoſtolus Eccleſiam in Sacra Scriptura.

De primo patet ad Ephe. 6. ſcilicet viri diligite vxores veſtras ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam. Et non eſt Eccleſia particularis, quia nō dilexit aliquam vnam Eccleſiam ſpecialiter, ſed totam dilexit. Etiam eod. c. dicitur de matrimonio, hoc eſt magnum Sacramentum, ego autem dico inter Chriſtum, & Eccleſiam. Et tamen non eſt matrimonium ad quamlibet Eccleſiam particularem. Et cum illæ multæ ſint, diceretur Chriſtus multas vxores habere, & tamen falſum eſt, quia eod. c. dicitur, quòd Chriſtus aſſumpſit ſibi Eccleſiam vnicam, nō habentem maculam, ergo de Eccleſia vniuerſali loquitur, ad quam eſt matrimonium Chriſti, qui eſt vnus, inquātum eſt vnum corpus myſticum fide animatum, & viuificatum, & chariſmatibus diuinis regitur. H

De ſecundo modo patet Actuum, decimoprimo, cum dicitur, placuit Apoſtolis, & ſenioribus, & vniuerſæ Eccleſiæ, vbi non accipitur pro aliqua Eccleſia particulari, nec etiam pro Eccleſia vniuerſali, vt diſperſa, quia illa non conuenit in aliquem vnum actum, ſed pro Concilio ſacro vniuerſali dicitur. Nam eod. c. agitur de Concilio celebrato Hieroſolymis ſuper obſeruatione cærimonialium, & ipſum Concilium vocatur ibi Eccleſia. Sic etiam accipitur Matth. 18. ſcilicet, ſi te non audierit dic Eccleſiæ ideſt Concilio generali, quia ibi non poteſt accipi alio modo, vt infra patebit.

CAPITVLVM XXXVII. I

Quod Eccleſia, vt eſt vniuerſitas Chriſtianorum diſperſorum per totum orbem non poteſt errare in fide, nec in moribus. Et quod Eccleſia vniuerſalis prout multitudo congregata, ſcilicet Concilium generale, non eſt realiter Eccleſia vniuerſalis, ſed per ſufficientem repræſentationem illius Eccleſiæ, quæ eſt verè vniuerſalis.

Accipiendo primo modo Eccleſiam vniuerſalem, verū eſt, quia illa non poteſt errare in neceſſariis ad ſalutem ſcilicet in fide, & in moribus. Nam non poteſt eſſe, quòd omnes Chriſtiani errent circa aliquem articulum fidei. Etiam non poteſt errare in moribus, quia nunquam dabitur, quòd omnes Chriſtiani ſint in peccato mortali. Licet enim quilibet, quamdiu viuit, K poſſit peccare, Chriſtus tamen qui Eccleſiam ſuam dilexit, vt corpus ſuum, præſeruat eam diuinis chariſmatibus & regulat, vt licet aliqua membra eius ſint aliquando & interdum in peccato mortali; tota tamen nunquam peccet. Hoc autem patet, quia omni tempore verum eſt dicere, quòd Eccleſia vniuerſalis eſt ſancta iuxta illum articulum. Sanctam Eccleſiam Catholicam ideſt vniuerſalem, & tamen ſi aliquo tempore, tota Eccleſia eſſet in peccato mortali, non eſſet tunc Eccleſia ſancta, quod eſt impoſſibile, vt non tollatur veritas articuli, qui perire non poteſt. Item hoc magis declarat Apoſtolus ad Ephe. 6. ſ. quod Chriſtus aſſumpſit ſibi Eccleſiam vnicā non habentem maculam nec rugam. Hoc aūt deſignat totalē puritatem, adeo Eccleſia puriſſima eſt. Si tamen Eccleſia poſſet errare in fide, & in moribus & aliquandò erraret, non eſſet iam ſine macula, & ruga, ſed multas maculas, & rugas haberet, non ergo poteſt errare vniuerſalis Eccleſia, vt eſt diſperſa. Accipiendo ſecundo modo Eccleſiam vniuerſalem pro generali ſynhodo, etiam conuenit ſibi quòd non poſſit errare. Sciēdum tamen, quòd vniuerſitas Chriſtianorum diſperſa eſt propriè vniuerſalis Eccleſia militans, generalis autem ſynodus legitimè congregata non eſt realiter vniuerſalis Eccleſia, ſed per repræſentationem ſufficientē. Et ſic patet ex ſuperſcriptionibus, quibus vtuntur generales ſynhodi in hac forma. ſ. Sacroſancta ſynhodus generalis in Spiritu Sancto legitimè congregata Conciliū generale faciens, Eccleſiam vniuerſalem repræſentans. Et quia Concilium generale ſufficienter repræſentat Eccleſiam vniuerſalem, poteſt omnia, quæ poteſt Eccleſia vniuerſalis, quæ eſt tota vniuerſitas Chriſtianorum, ſi illa ad aliquid faciendū conueniret, & habet omnes conditiones vniuerſalis Eccleſiæ.

CAPITVLVM XXXVIII.

Quod licet tam Eccleſia vniuerſalis, quæ eſt diſperſa per totum orbem quam Concilium generale non poſſit errare in fide, nec in moribus, quādo tamen dicitur, Eccleſia non poteſt errare, non intelligitur propriè pro Eccleſia diſperſa, ſed pro Concilio generali, & quod ad eum pertinet propriè diffinire in dubiis circa fidē, & quod nihil tam propriè conueniat ei quam diffinire in fide, & determinatio ſua eſt firma ſicut Euangelium.

Dicendum tamen, q̃ licet non poſſe errare in fide, & in morib. conueniat veræ Eccleſiæ vniuerſali, quæ eſt vniuerſitas Chriſtianorum diſperſorum per totum orbem, tamen magis hoc dicitur pro Concilio generali, quia errare eſt in eis, in quibus poteſt benè fieri, & ſic in fide, & in moribus dicitur poſſe errare, vel non poſſe errare, qui aliquam operationem regulatam circa fidem, & mores habere poteſt, & tamen Eccleſia vniuerſalis prout eſt vniuerſitas Chriſtianorum nō habet aliquem actum, quia nunquam omnes Chriſtiani conueniunt ad aliquid de fide determinandum. Etiam circa mores nō competit toti Eccleſiæ vniuerſali vnus actus, quia nihil eſt, in quod omnes conueniant ad faciendum, ita quod ille actus dicatur actus omnium Chriſtianorum. Cum ergo errare vel benè agere ſit ibi, vbi eſt agere, & toti Eccleſiæ vniuerſali, vt eſt quædam vniuerſitas, non competat aliquis vnus actus ſingularis in fide, aut in moribus, non dicetur propriè de Eccleſia vniuerſali, q̃ non poteſt errare. De Concilio autem generali dicitur hoc propriè & conuenienter, quòd non poſſit errare in fide nec in moribus, quia competit ei aliqua operatio vna circa fidem, & circa mores. De fide manifeſtum eſt, quia ad Concilia generalia pertinet propriè diffinire de fide, condendo nouos articulos fidei, & determinando dubia quæcumque eueniant in fide, & non eſt aliquis actus tam proprius generalium Conciliorum quam determinare de fide. Iſtud autem patet ex Conciliis generalibus in Eccleſia à principio ſuo. Et patet de illo famoſo Concilio, quod tenuerunt Apoſtoli & ſeniores & reliqua Eccleſia in Ieruſalem, in quo determinata eſt vna veritas fidei. ſ. quod non tenentur conuerſi ad Chriſtum de gentilitate obſeruare legalia. Actuum. 15. Primum etiam generale, & famoſiſſimum Cōcilium, quod poſt tempora Apoſtolorum celebratum eſt tempore Cōſtantini, ſcilicet, Nicenum factum eſt ad determinādum veritatem conſubſtantialitatis patris & filii, & circa Arianos, vt patet ex primo libro Hiſtoriæ tripartitæ. Sic fuit de omnibus aliis Conciliis antiquis, quæ fuerunt poſt Nicenum, quia omnia congregabantur ſolum, vel ſaltem principaliter ſuper aliquo facto fidei. Patet hoc ex toto diſcurſu hiſtoriæ tripartitæ. Patet etiam abundantius ex libro Hilarii de ſynhodis, & magis in libro Iſidori de ſynhodis. Tanta aūt fuit ſp̄ in Eccleſia auctoritas ḡe

neralium Conciliorum, quòd nunquã fiebat aliqua determinatio circa fidem, niſi in generali Concilio; & de hoc verè dicimus, ꝙ non poteſt errare circa fidem. Et ſic quidquid dubii occurrat in fide, ad Concilium generale legitime deuoluitur. Et ſi Concilium determinat aliquam concluſionem eſſe hæreticam, vel quocunque erroneam circa fidem, ita illud firmiter verum eſt, vt nullo modo poſſit eſſe falſum: adeò quicunque per Concilium generale hæreticus iudicatur, verè hæreticus eſt. Hoc Chriſtus conceſſit Eccleſiæ ſuæ quam Concilium generale repræſentat, quia aliàs fluctuaremus in fide. ſ. quia multa dubia, & diuiſiones circa fidem euenire debebant. Sic dixerat Apoſtolus. 1. Corin. 1. c. oportet hæreſes eſſe, vt qui probati ſunt, manifeſti fiant. Si ergo nõ maneret in Eccleſia militanti vnũ tribunal, quod errare non poſſet circa fidem, dubitaremus in fide, & licet aliquid determinaretur eſſe tenendum, non crederemus firmiter illud eſſe verum, ſed maneret nobis ſemper ſcrupulus dubitationis; cum ſciremus aut putaremus determinatorem poſſe errare, & ſic tota fides periret, cum de ratione fidei non ſolum ſit aſſentire alicui concluſioni, ſed etiam firmiter adhærere, ita vt nullus ſcrupulus dubitationis maneat vt ſupra declaratum eſt. Et hoc modo eſſet Eccleſia malè ordinata, cũ nullũ aliud remedium eſſet ad certitudinem habendam de dubijs fidei. Datum eſt ergo Concilium generale repræſentans ſufficienter vniuerſalem Eccleſiã, ꝙ errare non poſſet circa fidem, & ad illud pertineret determinare de dubiis fidei. Et determinatio ab eo facta eſſet ita firma, ſicut ſi fieret ore Dei. Ita dixit Imperator Conſtantinus, quando vidit ſniãs datas in Concilio Niceno ſuper conſubſtantialitate patris & filii. Dixit ꝙ ita venerabatur illas ſententias, ac ſi ore diuino promulgatæ forent. Ita dixit B. Gregorius, & habetur in Regiſtro diſtinct. 13. & in Decretis diſtinct. 15. c. ſicut ſancti Euangelii. ſ. ꝙ ita venerabatur determinata per quatuor ſacra generalia Concilia, ſicut quatuor libros ſancti Euangelii, & tamen ſententiæ quatuor librorum Euangelii diuino ore. ſ. ore benedictiſſimo Chriſti promulgatæ fuerunt.

CAPITVLVM XXXIX.

Quare Deus non reliquit in Eccleſia aliquem modum manifeſtum ad certificandum de omnibus dubijs tam circa fidem quã circa cultum, ſicut fecit in Veteri Teſtamento. Et qui & quot modi fuerunt inter Hebræos certificandi de dubijs viuente Moyſe.

SEd obiiciunt quidam dicentes, cur Chriſtus non reliquit in Eccleſia aliquod remedium manifeſtũ ad determinationem dubiorum, quæ occurrerent quotidie, ſicut in veteri teſtamento fecerat? Nam ibi erat facile remedium ad certificationem de omnibus dubiis tam circa fidem & cultum religionis, quam circa alia multa. Et patet de toto tempore, quo durauit ſtatus Iudaicus. Cœpit enim ſtatus iſte, quando Deus eduxit Iſraelitas de Aegypto. Nam tunc accepit illos in populum ſibi, & dedit eis legem: Exo. 19. & pepegit cum eis fœdus Exod. 24. Et in principio huius ſtatus fuit Moyſes princeps huius populi, per quem Deus certificabat Hebræos de omnibus dubiis, quæ accidebant inter eos. Et hoc fuit dupliciter. ſ. quia aut antè fabricationem ſãctuarii, quod in monte Sinay fabricatũ eſt, aut poſt fabricationem. Si antè fabricationem fiebat ſic certificatio, quòd extra caſtra Iſraelitarum erat quædam parua domus, quæ vocatur tabernaculum fœderis, in qua manebat Moyſes, & puer eius Ioſue, & quando veniret Moyſes de caſtris, vt ingrederetur domum illam, deſcendebat columna nubis ſuper domũ illam, & loquebatur ibi Deus Moyſi, vidente toto populo Iſrael, quòd Deus loqueretur ei, vt patet Exo. 33. c. ubi de omnibus dubiis certificabatur. Si autem conſideremus tempus poſt fabricationem ſanctuarii, dicendum quòd intra ſanctuarium erat quædam domus parua in occidentali parte ſanctuarii, quæ vocabatur ſancta ſanctorum, in qua erat arca fœderis

A cum duobus Cherubin, de qua habetur Exod. 25. & 26. quandocumque Moyſes dubitaret in aliquo, & vellet habere reſponſum, intrabat in ſancta ſanctorum, & audiebat vocem loquentis ad ſe de propitiatorio, quod erat ſuper arcam de medio duorum Cherubin. Patet Numer. 7. iſto modo Moyſes habebat Deum ſibi promptũ ad reſpondendum, de quibuſcunque dubiis quandocumque vellet. Iſtud durauit aliquanto tempore, poſtea vero cum quæſtiones, & negocia populi Iſrael tantum creſcerent, vt Moyſes ſolus non poſſet ſufficere ad reſpondendum, Deus dixit vt acciperet ſeptuaginta ſeniores de populo, & acciperet Deus de ſpiritu prophetico, qui erat in Moyſe, & daret illis. Et ſic factum eſt, quia cum præſentati fuiſſent illi ſeniores coram Domino, cecidit ſuper illos ſpiritus propheticus, & cœperunt
B prophetare poſtea, vt patet Num. 11. cap. & ex tunc cœperunt etiam illi ſeptuaginta ſeniores reſpondere ad quæſtiones populi, & quando illi reſpondebant, non erat dubitandum de dictis illorum, quia loquebantur prophetice per Spiritum Sanctum, cum dicatur Num. 11. quod prophetauerunt, & poſtea nunquam ceſſauerunt, & tamen poſtquam iſti cœperunt prophetare, & iudicare populum, non ceſſauit Moyſes iudicare populum, & quærere ſæpè coram Domino de dubiis populi ſicut prius intrando in ſancta ſanctorum. Erat tamen diſtinctio inter Moyſem & iſtos 70. ſeniores ſic, quod ipſe conſulebat Dominum ſuper maioribus negociis ſolum, illi autem in magnis, & paruis, ſicut erat differentia inter Moyſem, & alios Iudices populi, qui non erant Prophetæ, ſcilicet decanos, quinquagenarios, centuriones, & tribunos, quia illi ſolum de paruis iudicabant.
C Moyſes autem de arduis Exod. 18. & Deut. 1. cap. Et patet quia poſtea Moyſes conſuluit Dominum ſuper factis populi. Nam Num. 27. cum eſſet quæſtio de filiabus Salphaad an deberent ſuccedere patri, quia non reliquerat ille mares, ſed tantum feminas, detulit Moyſes quæſtionem ad diuinum oraculum & dixit Deus, quod ſuccederent. Iterum etiam Num. 36. cum filii Manaſſe conquererentur, quod filiæ Salphaad, quæ erẽt de tribu ſua, ſi acciperent viros de alia tribu diminueretur ſors trib. Manaſſe, detulit Moyſes quæſtionem ad Dominum, & ait, quod acciperent viros de tribu Manaſſe.

CAPITVLVM XL.

D *De ſex modis conſulendi Dominum, quos habuerunt Iſraelitæ poſt mortem Moyſis, & primus fuit per Prophetas, & ibi multa de differentia, & gradu Propheticæ cognitionis, quia non omnes eodem modo reuelationes accipiebant.*

POſt tempora Moyſis manſerunt Iſraelitis multi modi conſulendi Dominum ſuper dubiis ſuis, ſcilicet, ſex. Primus per Prophetas, & tres per ſacerdotes, quintus per ſomnia, ſextus per ſortes. De primo dicendum, quod ſemper in Iſrael erant multi Prophetæ, per quos Deus reſpondebat Iſraelitis de omnibus ſuis dubiis, & non ſolum de dubiis circa legem & cultum Dei, ſed etiam circa negocia populi. Et non ſolum circa magna, ſed etiam circa parua, quæ erant quaſi nullius valoris.
E Patet quia Saul cum perdidit aſinas patris ſui, iuit ad Samuelem ad quærendum, an inuenirentur, & reſpondit ei, ꝙ ſic. 1. Reg. 9. Et ibi innuitur ex verbis pueri Saulis, ꝙ quicunque perdebat aliquid, vel dubitabat, ibat ad Samuelem, & reſpondebat ei, & nunquam errabat in reſponſionibus. Idem patet de Abia Sylonite, ad quẽ ibant Iſraelitæ ad quærendum de negociis reſponſum diuinum, & cum iam caligarentur oculi eius iuit ad eum vxor Regis Ieroboam mutato habitu ad conſulendum ſuper vita filii ſui, qui languebat, & reſpondit ei. 3. Regum. 14. Idẽ patet de Ieremia, a quo ſæpè quærebat Sedecias Rex, dum eſſet Ieruſalem obſeſſa de euentu obſidionis, vt patet Ierem. à 36. cap. vſque ad 40. Et mortuo Dodolia, Iudæi qui manſerunt in Iudæa ſubiecti Regi Babylonis, quæſierunt, an deſcenderent in Aegyptũ, vel

non,& reſpondit eis Iere.42. Iſti prophetæ habebant ſe F multipliciter. Nam aliquando, antequam quis conſuleret eos, ipſi ſciebant Deo reuelante quid petendū erat ab eis. Sic patet de Samuele, quando iturus fuit Saul ad eum ad conſulendum eum ſuper aſinabus patris ſui: Nam vna die ſciuit antè, quòd venturus eſſet Saul, & quid quærebat. Nam dicitur primo Reg. 9. quòd Deus dixit Samueli, cras hac hora ipſa, quæ nunc eſt, mittam ad te virum de Beniamin, ipſum vnges in principem populi mei. Sic etiam patet de Abia Sylonite, quando venit ad eum vxor Regis Ieroboam, nam cum intraret per portam habitu diſſimulato, dixit ei Abia, ingredere vxor Ieroboam, cur te aliam ſimulas? 3.Reg.14. Et tunc dixit ei illa, quòd ipſa venerat quæſitura. Idem erat de Eliſæo, nam quando aliquis venturus erat ad conſulendum eum ſuper aliquo, conſueuerat Deus reue G lare ei prius quæſtionem & reſponſum, & ob hoc quando venit ad eum Sunamitis, & proſtrauit ſe ad pedes eius, & ipſe adhuc neſciebat, quid illa petitura venerat, miratus eſt, quomodo Deus non reuelauerat ei quæſtionem, vt patet. 4.Reg.4. cum dixit ad Biezi puerū ſuum:
4.Reg.4. Dimitte illam, quia anima ſua in amaritudine eſt, & Dominus celauit a me, nec indicauit mihi.

Aliquando autem prophetæ reſpondebant mox vt quærebantur, licet prius non ſciuiſſent quæſtionem, & ſic ſolitus erat facere Elias, vt colligitur. 4. Reg.1. & 2. c. ſic ſæpè faciebat Eliſæus vt colligitur. 4. Reg.4. & 5. 6. & 7. c. Aliquando autem prophetæ neſciebant reſpondere mox, vt quærebatur ab eis, ſed poſt aliquantulum reſpondebant. Sic patet de Eliſæo, quando Rex Iſrael, & Rex Iuda, & Rex Amō quęſiuerūt de penuria aqua- H rum, & ipſe ſtetit modicum, & mandauit venire coram ſe pſaltem.i. citharistam, & cum caneret citharista, facta eſt manus Domini ſuper eum, & reſpondit. 4. Reg. 3. Aliquando autem prophetæ non reſpondebant ſtatim, vt cōſulebantur, ſed petebant inducias aliquorum dierum, in quibus vacabant orationi & ieiunio, & tunc Deus reſpondebat eis. ſic patet de Ieremia, quando Iudæi manentes in Iudæa poſt captiuitatem Babylonis, & deſtructionem Ieruſalem, mortuo Godolia quæſiuerunt, an deſcenderent in Aegyptum, & quid eis eueniret, & Ieremias orauit quatuor dicbus, & in vltimo Deus reſpondit ei. Ier. 42.

Sic etiam erat de Daniele quando voluit ſcire de fine captiuitatis Babylonicæ, & de euenturis populo ſuo, vt intelligeret quaſdam viſiones ſibi demonſtratas, & ie- I iunauit tribus hebdomadis panē deſiderabilē non comedens, & abſtinens ſe ab oībus delicijs, & in fine triū hebdomadarū apparuit ei vir Gabriel, qui reuelauit ei quod petebat, vt patet Dani. 9. & 10. Iſte modus fuit tā vulgatus apud Hebræos, ꝙ ferè nihil erat, de quo homo vellet habere reſponſum a Deo, de quo nō haberet.

CAPITVLVM XLI.

De ſecundo modo conſulendi Dominum, qui erat per ſacerdotes, & erat diuiſus in tres modos, & qui erant illi, & quomodo fiebant.

SEcundus modus conſulendi Deum erat per ſacerdotes, & iſte erat diuiſus in tres. Primus erat faciendo K quæſtionem pręſente veſte ſacerdotali. Erat aūt modus, quod ſacerdos magnus indueretur veſtibus ſuis ſacris, præcipue illa, quæ vocabatur rationale & ephod, & tūc fiebat quæſtio, & illico Deus reſpondebat. Sic fecit Dauid, quando erat in Ceila, & audiuit ꝙ Saul veniret ad capiendum eum, dixit ad Abiathar ſummum ſacerdotē, applica ephod. quo applicato, dixit Dauid. Domine Deus audiuit famā ſeruus tuus, ꝙ deſcendat Saul vt deſtruat ciuitatem per me, ſi eſt ita an nō? Et ait Dominus, deſcendet Saul. Et tunc dixit Dauid, ſi deſcenderit Saul nunquid tradent me viri Ceilæ in manus eius? Et reſpondit Dominus, tradēt. Quo cognito fugit inde Dauit antequam deſcenderet Saul. 1. Reg. 23. Et iterum cū latrunculi Amalecitarum ſuccendiſſent vrbem Siceleg. & captiuas duxiſſent vxores Dauid, & omnia bona eius, & virorum ſuorum eo abſente, dixit ab Abiathar ſummum ſacerdotem, applica ephod, quo applicato dixit Dauid, perſequar latrunculos hos, & comprehendam an non? & ait Dominus, perſequere, abſque dubio enim comprehendes eos, & excuties prædam, & ſic factum eſt. 1. Reg. 30. c.

De iſtis quæſtionibus an fierent per quærentem, vel per ſacerdotem, & an in ſcripto, vel in voce, & de multis alijs circumſtantijs declaratum eſt latè 1. Reg. 23. & 30. cap. Fiebant autem iſtæ reſponſiones virtute cuiuſdam veſtis ſacerdotalis, quæ vocabatur rationale, vel pectorale, & erat veſtis quadrata ad magnitudinem vnius palmi, & ponebatur in pectore ſummi ſacerdotis. de iſta veſte quid eſſet, & de virtute eius declaratum eſt Exod. 28. cap.

Secundus modus conſulendi Dominum per ſacerdotes erat, quando ipſi intrabant in ſancta ſanctorum, & hoc fiebat per ſolos ſummos ſacerdotes. Hoc autem erat ſicut diximus ſupra de Moyſe. ſ. quod intrabant in ſancta ſanctorum, & audiebant vocem loquentis de propitiatorio. erat tamen differentia inter Moyſen & ſummos ſacerdotes, quia Moyſes intrabat quandocumque volebat in ſancta ſanctorum non præmiſſa aliqua cæremonia vt colligitur Num. 7. nam ibi dicitur ad aliud, niſi quod cum Moyſes ingrederetur, vt conſuleret oraculum, audiebat vocem loquentis ad ſe propitiatorio de medio Cherubin. Summus autem ſacerdos non poterat intrare quandocumque vellet in ſancta ſanctorum, ſed ſolum ſemel in anno in die propitiationis quod e- H rat die decima ſeptimi menſis Leuit. 16. & tunc debebat ſecum portare vas plenū prunis, & thymiamate, vt vapor craſſus inde procedens obſuſcaret oculos eius, & non poſſet videre ea, quæ erant iuxta ſancta ſanctorum, & tunc loquebatur Deus ad illum. Quod colligitur, quia eodem. ca. dicitur, quod quando ſummus ſacerdos intraret in ſancta ſanctorum, nullus homo eſſet in exteriori tabernaculo, quod erat apud ſancta ſanctorum, & hoc non erat propter aliud, niſi vt nemo audiret ea, quæ loquebatur Deus ad ſacerdotem. De hoc magis declaratum eſt Leuit. 16. Iſte modus tamen conſulendi rarior erat, quia non poterat fieri niſi ſemel in anno, & ſolum ſuper rebus pertinentibus ad ſtatum totius populi, quia illa die expiebatur pro peccatis totius populi, & confitebatur ſummus ſacerdos ſuper caput capri emiſſarij I peccata totius populi, Leuit. 16. c.

Tertius modus conſulendi per ſacerdotes erat per veſtes ſacerdotis magni, ſcilicet per ephod. Nam ephod erat quędam veſtis, quę vocatur ſuperhumerale, & ſuper duos humeros ſacerdos habebat duos ſardonyces, & dicit Ioſephus. 2. Antiquitatū, quod quando populus progreſſurus erat ad bellum, induebatur ſacerdos ephod, & ex fulgore illarum ſardonycum ſiue onychinorum colligebatur manifeſte, an Hebræi vincerent, vel vincerentur. Iſte modus conſulendi erat ſatis vſitatus, ſed ſolum erat quando populus iturus foret ad bellum.

CAPITVLVM XLII.

K *De 5. modo conſulendi Dominum per ſomnia, & qualia erant illa ſomnia. Et. 6. modo conſulendi, ſcilicet per ſortes. Et de ſortibus diuiſorijs, & conſultorijs. & quando erant licita.*

QVintus modus principalis in ordine erat per ſomnia, qui erat ſatis frequentatus. Et non eſt putandum quod iſtud eſſet credere ſomnijs noſtris. Nam iſta eſt ſuperſtitio, & Deus noluit obſeruari ſomnia. Deuter. 18. & in multis locis. Sed fiebat ſic, quòd quando quis habebat aliquod honeſtum quod vrgebat eum, in quo rationabiliter deſiderabat ſcire reſponſionem a Domino, ſi non erat ſibi in promptu alio modo ſcire, ieiunabat, & orabat aliquot diebus, & deinde ibat ad dormiendum, & Dominus per ſomnium oſtendebat ei declarationem illius dubij. Et ponitur a Sacra Scriptu-

ra iſte modus inter modos conſulendi Dñm, vt patet. 1. Reg. 18. ſ. Saul conſuluit Dominum, & non reſpondit ei per ſacerdotes, nec per prophetas, nec per ſomnia.

Sextus modus conſulendi Dominum erat per ſortes. Sunt autem duplices ſortes. ſ. quædam diuiſoriæ, & alię conſultatoriæ. De ſortibus diuiſorijs nihil eſt ad præſens, quia iſtæ ſunt, quibus nos vtimur quãdo volumus multas res inter multos diuidere. Sors conſultoria eſt, quando volumus de vna aliqua re ſcire, cui ex multis proueniat, vel quis ex multis illam rem fecit, de qua quæritur. Et iſto modo Ioſue de mandato Dei quæſiuit per ſortes, quis peccaſſet in anathemate Iericho, & diuiſit populum per tribus, & capta eſt ſorte tribus Iuda, & illam diuiſit per familias, & capta eſt familia Zare, & iſta familia diuiſa eſt per domos, & ſors cecidit ſuper domum Zabdi, & illa diuiſa eſt per viros, & cecidit ſors ſuper Achor, & lapidatus eſt, vt patet Ioſue. 7.

Iſte modus conſulendi Dominum maximè circa criminalia erat valdè periculoſus, & erat valdè incertus. ſ. quia neſciebatur, an Deus concurreret cum ſortibus ad oſtendendum veritatem per illas, ideò nunquam iſte modus veniebat in vſum, niſi quãdo Deus expreſſè mãdabat, quia tunc apparebat manifeſtè, ꝙ ipſe cõcurreret cum ſortibus ad oſtendendum veritatem per illas. Et ob hoc non ponitur iſte modus inter alios modos conſulendi Dominum, qui ponuntur. 1. Reg. 28. ſ. Saul conſuluit Dominum, & nõ reſpondit ei per ſacerdotes, nec per prophetas, nec per ſomnia. De ſortibus quando sũt licitæ declaraui Nume. 24. & 26. Iſti modi erant valde conuenientes, potiſſimè quidam eorum, qui erant valde faciles, ita vt in omni re poſſet homo ſcire per illos iudicium Dei. Et tamen inter iſtos erant duo præcipui & faciliores ſcilicet per prophetas, & per ſacerdotes cõſulendo in rationali, & in hoc ducebatur eſſe virtus ad cognoſcendum omnia dubia Iſraelitarum. Sic dicitur
Exod.18. Exod. 28. ſcilicet Portabit Aaron iudicium: filiorum Iſrael in pectore ſuo. Portabat veſtem, quæ vocabatur rationale, & in virtute illius iudicabat de omnibus dubijs filiorum Iſrael, vt declaratum eſt eod. cap.

CAPITVLVM XLIII.

Quod omnes ſex modi conſulendi Dominum ceſſauerunt apud Iudæos multo tempore antè aduentum Chriſti.

CEſſauerunt autem iſti modi conſulendi Dominum apud Iſraelitas aliquanto tempore antequam Chriſtus veniret.

De principali modo, qui erat per prophetas patet, quia tempore Machabæorũ, quando Iudas Machabęus, & Iudæi purificauerunt altare, quod contaminauerant gentiles offerendo in eo porcos, & immunda ſacrificia dijs ſuis, abſtulerunt lapides altaris, & poſuerunt eos in monte, nec auſi fuerunt eos dimittere in altari tanquam mundos, nec comminuere eos, & conuertere in calcem, aut ponere in loco immundo tanquam pollutos, & inutiles, ſed poſuerunt eos in montem, & dixit Iudas Machabæus quòd manerent ibi lapides illi quouſque veniret Propheta Domini fidelis, qui diceret quid faciendũ eſſet de eis. Et ſic apparet quod tunc non erat aliquis Propheta inter Iſraelitas, per quem ſcirent veritatem. De hoc. 1. Mach. 5. Nec leguntur fuiſſe aliqui Prophe-
Prophetæ non erant in Iſrael tempore Machabęorũ. tæ inter Iudæos poſt captiuitatẽ Babylonis, niſi Eſdras & Aggeus; Zacharias, & Malachias, qui fuerunt immediate poſt captiuitatem, vt colligitur ex libris ſuis. Reſiduo autem tempore vſque ad Chriſti aduẽtum, quòd fuit pluſquam quadringentorum annorum, non leguntur habuiſſe Prophetas, nec poterant conſulere Dominum per illos.

De alio modo, qui erat per ephod ſacerdotis ſummi ſ. per ſardonyces eius fulgentes patet, quia Ioſephus. 2. Antiqui. dicit, ꝙ per ducentos annos, antequã inciperet ſcribere librum Antiquitatum, ceſſauit fulgor illarum ſardonycum, & ſic iam nõ poterant ſcire dubia per illas
A quia per fulgorem iudicabatur. Fuit tamen Ioſephus pauco tempore poſt Chriſtum. & forte natus eſt Ioſephus adhuc viuente Chriſto. Nam Ieruſalem euerſa fuit a Romanis 42. annis poſt Chriſti mortem, & tamen multo tempore antè euerſam Ieruſalem, erat Ioſephus dux belli Iudæorum contra Romanos in vrbe, quæ vocabatur Iotapata, vt ipſe teſtatur in libro de Bello Iudaico, quem conſcripſit. Et ſic pluſquam per centum, & quadraginta annos antè Chriſti natiuitatem ceſſaret fulgor ſardonycum.

De alio modo qui erat, quando ſacerdos intrabat in ſancta ſanctorum, & loquebatur ei Dominus de medio duorum Cherubin ſuper arcam. Dicendum, ꝙ ceſſauerat pluſquam ſexcentis annis ante Chriſti natiuitatem, quia Iudæi iam non habebant arcam. Illa quippe antè
B captiuitatem Babylonicam per Ieremiam fuerat de templo educta, & tulit eam in montem Phaſga, vbi erat ſepultus Moyſes, & poſuit eam in ſpelunca illa cum corpore Moyſis, vt patet. 2. Machab. 2. c. nõ ergo poſſet iam ſacerdos magnus audire Dominum loquentem ſuper arcam poſt captiuitatem Babylonicam.

De alio modo conſulendi, qui erat per rationale ſacerdotis, quod iam ceſſaſſet patet, quia ſicut ceſſauerat virtus ſardonyca, quæ erat in ephod ſummi ſacerdotis, ita ceſſauerat virtus ipſius rationalis, quia rationale, & ephod quaſi idem veſtimentum erat, cum vnum eſſet mixtum in alio, Exod. 28. ſ. rationale erat colligatum per catenulas & iuncturas fabrefactas in foramine quadrato ephod.

De omnibus autem modis conſulendi Dominũ ge-
C neraliter, quod ceſſauiſſent iam tempore Machabęorum patet, quia quando Iudas Machabæus poſuit lapides pollutos altaris in monte. 1. Machab. 5. dicit, quod manerent ibi quouſque veniret fidelis Propheta, qui diceret quid de illis fieri deberet. Si aliquis modus adhuc conſulendi Dominum maneret, cõſuluiſſent Dominum per illum, quid agendum eſſet de lapidibus. Et tamen ſub dubio reliquerunt eos in monte, vt futuris temporibus ſciretur quid agendum foret de illis, ergo non habebant aliquem modum, per quẽ conſulere poſſent Dominum. Aliis autem temporibus ſæpè ceſſabant apud Iudæos omnes modi conſulendi Dominum, ſ. quia ipſe iratus nolebat reſpondere per aliquem illorum. Et intantum durabat hoc, quod credebant Iudæi quod nunquã
D amplius Deus reſponderet eis per aliquem modum. Sic patet Pſalm. 73. cum dicitur, ſigna noſtra non vidimus,
iam non eſt Propheta, & nos non cognoſcet amplius, & Pſal.73.
dicitur, ſigna noſtra non vidimus, ideſt non videmus reſponſionem Dei per aliquem de ſex modis, quibus ſolebamus conſulere Dominum, quia iſti modi erant ſigna inter Deum, & populum, ſ. ſigna ſe intelligendi, ſicut voces noſtræ vocantur ſigna mentis noſtræ. i. Perihermenias. ſ. quia ſunt ſigna, per quæ mutuo nos intelligimus. Et dicitur iam Propheta non eſt, i. nullus Propheta, per quem conſultus Deus reſpondeat.

Si obijciebatur, quod iſte qui componebat pſalmum iſtum, erat propheta.

Dicendũ, quod erat de illis Prophetis, per quos Deus pronunciabat laudes ſuas, & Pſalmos, ſed non de illis,
E per quos conſuleretur, & reſponderet: & talis erat Dauid, quia ipſe fecit plures Pſalmos, quã omnes alii Prophetæ ſimul, & tamen Deus nunquam reſpondebat per eum, ſed potius ipſe in dubiis ſuis conſulebat Dominũ per alios. ſ. interdum per Sacerdotem magnum, interdum per Prophetas. Patet de Sacerdote magno. Nã ter conſuluit Dauid Deũ per Abiathar Sacerdotem magnũ, vt patet, 1. Reg. 23. & 30. cap.

De Prophetis patet ſæpè, nam Deus non conſueuerat loqui per ſe ad Dauid, ſed per aliquẽ Prophetam, ſicut ſi loqueretur ad quemcumque prophanum virum. Patet, nam quando voluit ædificare templum, Nathan Propheta fuit ad eum miſſus, ne ædificaret. 2. Reg. 7. & 1. Paralip. 17. & quando peccauit cum Bethſabee, & fecit occidi Vriam, miſſus eſt ad eum Nathan Propheta, 2. Reg. 12. & quando poſt pœnitentiam Deus com-

mutauit ei pœnam, miſſus eſt iterum Nathan ad reuelandum hoc eod. cap.

Item Propheta Gad miſſus fuit ad eum ad nunciandum, vt fugeret, cum ſequebatur eum Saul. 1. Reg. 25. Et quando peccauit numerando populum, miſſus eſt ad eum Gad denuncians pœnam, 2. Reg. 24. & 1. Paral. 21. & de multis alijs prophetis erat ſic. Et tamen Dauid vocatur propheta per excellentiã, quaſi ipſe fuerit ſummus omnium. De differentia iſtorum prophetarum, ſ. qui canebant Dei laudes, & illorum, per quos Deus cõſultus reſpondebat, vel non conſultus aliqua annunciari mandabat, declaratum eſt ſatis primo, Reg. 10. & 19. & 1. Paralip. 25. Et dicitur vltra, & nos non cognoſcet amplius, id eſt, nunquam iam veniet aliquis propheta, qui nos cognoſcat, & reſpondeat nobis de dubijs. Hoc dicebatur, quia tanto tempore fuerant ſine prophetis, & alijs modis conſulendi Dominum, quod quaſi deſperabant ſe iam habituros aliquando prophetas. Iſti modi quamdiu manſerunt, fuerunt valde vtiles, & faciles, & certiſſimi, cum per quemlibet eorum Deus reſpõderet. Sed lex Noui Teſtamenti eſt perfectior Veteri Teſtamẽto, & magis ordinata. Debuit ergo relinqui a Christo modus aliquis ita certus, ſicut vnus de illis ad certificandum nos de omnibus dubijs, quæ accidere poſſent in nouo teſtamento. Et tamen nullus talis modus eſt in nouo teſtamento ad certificandum de dubijs: quia nec prophetas habemus, nec veſtes ſacerdotales, in quibus Deus conſultus reſpondeat, nec aliquid conſimile.

CAPITVLVM XLIIII.

Quod ſtatus Noui Teſtamenti ſit melius ordinatus, & perfectior, quam ſtatus Veteris Teſtamẽti. Et in quo, & quomodo lex vetus quædam permittat: lex tamen noua nullum ſaltem minimum. Et quare non decuerit dari Iudæis a principio legem perfectam, ſicut eſt lex noua. Et quod lex vetus ſit quaſi media inter purum bonum & purum malum.

RESpondendum, quòd lex Noui Teſtamenti, & ſtatus iſte eſt longè melius ordinatus, quam ſtatus Veteris Teſtamenti. Quod patet, quia per legem veterem nemo poterat deduci ad perfectionem, vt dicit Apoſtolus ad Hebræ. ſeptimo, ſcilicet neminem ad perfectionem deduxit lex. Et tamen in Nouo Teſtamento eſt via ad perfectionem, & ſæpe dicitur, ſi vis eſſe perfectus fac talia, & talia.

Item in Veteri Teſtamento permiſſa fuerunt aliqua, quæ erant mala, vt dare ad vſuram extraneo, etiam dare libellum repudij, Deute. vigeſimotertio, & vigeſimoquarto. In Nouo autem Teſtamẽto dixit Chriſtus: quòd iam non eſſet ſic. Vnde Matth. 5. & 19. retulit Chriſtus multa, quæ licita apud antiquos videbantur, & emendauit ea, dicendo, quòd de cetero non fierent, ſed magis limitauit & reſtrinxit viam.

Hæc autem differentia Noui, & Veteris Teſtamenti non eſt, tanquam ordinator Noui Teſtamenti ſciuerit dare bonas leges, & diſponere bene politiam ſuam, & ordinator Veteris Teſtamẽti, aut neſciuerit bonas leges dare, aut potius malas, ſiue imperfectas dare voluerit, ſicut dixit Manichæus, ſ. quod Deus bonus dederat Nouum Teſtamentum, & Deus malus dederat legem Moyſi. Et Deus bonus fecerat lucem & maſculum, & Deus malus fecerat tenebras & feminam. Abominanda .n. hæc ſunt pariter, & ridicula. Nam idem Deus & Dominus eſt, qui dedit legem Hebræorum Moyſi reducendo eos de Aegypto, & qui in fine temporum carne velatus Nouũ Teſtamentum inſtituit. Sed iſtud longè excellẽtius fuit, quã lex Moyſis, quia ipſe cõditor videbat ſic expedire. Erant enim Iudæi populus rudis, & incredulus, & aſſuetus malis moribus a pueritia ſua, ideo non erat ei danda lex confeſtim perfecta, quia non poſſent ad eam peruenire trãſeundo ſubito, & ſine medio de extremo ad extremum. Lex autem Noui Teſtamenti data eſt tempore, quò homines erant diſpoſiti ad perfectionem, ideo

F debuit eſſe perfectã. Lex autẽ, quæ data eſt Iudæis, debuit eſſe talis, quæ eſſet media inter purum malũ, & purum bonum. Purum malum erat conuerſatio Gentilium in ſacrificiis Deorum ſuorum, in quibus non ſolum licebat malum, ſed etiam quicumque mala plura faciebat, plus placebat Dijs ſuis turpiſſimis. Purum bonum eſt lex Noui Teſtamenti, quæ ita per omnia pura eſt, ſicut argentum igne examinatum, quæ nec minimum malum permittit, ſed ad omnem virtutẽ promouet, & omne vitium deteſtatur. Et non ſolum deteſtatur vitia, ſed etiam illa remouet, quæ poſſunt eſſe vitiorum occaſio, ſuadens hominibus venire ad perfectionem vendendo omnia, & erogando pauperibus pro Chriſto, & tollendo crucem, & ſequendo eum. Erat antẽ iſta lex tam perfecta, & ſancta, quod ſi tradita fuiſſet Iudæis a principio, nul
G lo modo potuiſſent eam tolerare, & mox abieciſſent, & fieret protſus inutilis. Debuit ergo dari lex, quæ eſſet media inter purum malum, quod continebant inſtitutiones Deorum Gentilium, & purum bonum quod continet lex Chriſti. Talem autem legem neceſſe erat cõtinere aliquid imperfectum, vel malum largè loquendo, & aliquid bonum, vt ſic participaret cum vtroq; extremo. Et ſic fuit, quod aliqua præcepta continebãt ibi bonum, per quod homo ordinabatur in rectam fidem & in cultum vnius veri Dei, & alia præcepta, quæ melius vocarentur permiſſiones, continebant imperfectionẽ gentilitatis. ſ. dare ad vſuram, & dare libellum repudij, & quod homo occideret inimicum ſuum. Quia tamen, vbi aliquid de malo eſt, totum cui commiſcetur, malum eſt cum bonum non poſſit conſiſtere, niſi ex cauſa integra
H conuenientibus in vnum omnibus circumſtantiis benè ordinatis, & malum ſit ex defectib. ſingularibus, vt ait Dionyſius. Et colligitur. 2. Ethic. oportuit, quod ad hoc, quod tota lex Iudaica nõ eſſet mala, quod ex conceſſione legiſlatoris fieret licitum id, quod alias erat illicitũ, & ſic factum eſt, quia dare libellum repudij, & dare ad vſuram, & perſequi inimicum ad mortem non fuit peccatum Iudæis quamdiu durauit lex illa, licet aliqui contrarium velint, quod eſſet ſatis abſurdum, de quo latè diſputauimus Deuteron. 24.

CAPITVLVM XLV.

Quod lex noua, quæ eſt ſimpliciter bona, fuiſſet Iudæis mortifera & inutilis. Et ibi tres optimæ opiniones in-
I *ter legem nouam & veterem, & quod non expediat pro ciuitate, quærere optimam politiam, ſed vtilior eſt illa, quæ eſt imperfecta, & quod non conueniat dare optimas leges cuilibet politiæ.*

ISta lex aliqualiter bona, & aliqualiter imperfecta, & vt ita dicam, mala data eſt Iudæis, & conuenienter data eſt, quia non decebat nec expediebat eis meliorem legem dare propter ſuam imperfectionem, ſicut eſt in infantibus recenter natis, quibus lac dandum eſt, & non cibus ſolidus, & licet cibus ſolidus abſolutè melior ſit, & magis nutriat, & immaneat membris, tamen pro infantibus propter ſuam teneritatem eſſet mors, quia non poſſent digerere illum & morerentur fame.

Iſtam comparationem ponit Apoſtolus loquens Co-
K rinthijs, qui erant noui in doctrina fidei, & ob hoc Apoſtolus non declarabat eis mox ſecreta, & ardua fidei, ſed ea, quæ planiora erant, vt patet ad Corinth. primo, cap. 3. ſcilicet. Et ego, Fratres, non potui loqui vobis quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus, tanquam paruulis in Chriſto lac vobis dedi potum, & non eſcam, non enim poteratis, ſed nec nunc poteſtis, ſcilicet, ſumere eſcam. Quando autem iam eſt aliquis inſtructus, & exercitatus, debent ei dici ardua, & ſecreta fidei. Sic dicit Apoſtolus, eodem ſcilicet, & ego cũ veniſſem ad vos, Fratres, non veni in ſublimitate ſermonis, non enim ſcire me iudicaui inter vos niſi Chriſtum, & hunc crucifixum. Et ſequitur: Sapientiam autem loquimur inter perfectos. Sic etiam patet. 1. Petr. 1. capit. dixit Beatus Petrus nouiter cõuerſis, & adhuc rudibus in fide, ſcilicet, quaſi modo

do

do geniti infantes lac rationabile concupiſcite, ideſt nō concupiſcatis ſcire altitudinem ſecretorum fidei, quia iſta ſunt ſicut ſolidus cibus, ſed concupiſcite lac rationabile, ideſt doctrinam planam, quæ eſt lac rationabile, ideſt lac rationis & intellectus, & non eſt lac corporis. Vel dicitur lac rationabile, ideſt conueniens, quantum vos poteſtis capere.

Alia ſimilitudo eſt, vel computatio, ſicut ſi quis comparet virum ad puerum. Nam doctrina, ac vita viri melior eſt & excellentior, & liberior, quam vita & doctrina pueri. Nam vir liber eſt, puer autem ſub pædagogo eſt, & timore & verberibus ad bonum inducitur; vir autem ſolo amore, & libertate. Sic comparat Apoſtolus iſtas duas leges ad Gal. dicens, quòd quanto tempore hæres paruulus eſt, nihil differt a ſeruo, cum ſit Dominus omnium, ſed ſub tutoribus, & actoribus eſt vſq; ad tempus præfinitum à patre. Ita dicit, quòd eramus nos, cum eſſemus in ſtatu Veteris Teſtamenti. Et ſubdit: Lex itaque pædagogus noſter fuit in timore.

Alia ſimilitudo eſt de ordinante politiam, & leges pro illa. Nam inter politias, quæ diſtinguuntur per genera principatus, nulla eſt ſimpliciter melior, quam illa, quæ regitur principatu monarchico, quia iſte eſt ſimpliciter bonus, & conuenit naturæ, vt patet 12. Metaph. ſcilicet, mala eſt pluralitas principum, bonus eſt vnus princeps. Et patet hoc magis. 8. Ethicorum. & 3. Politicorum. Et cum iſte principatus ſit ſimpliciter bonus, dicit Ariſtot. quòd melius & ſecurius eſt politijs habere principatum democraticum, quam ariſtocraticum, vel monarchicum, licet iſti ſint duo boni principatus, & democraticus ſit tertius de malis principatibus, & imperfectis. Et hoc ſolum eſt propter imperfectionem eorum, qui ſunt in politia. Nam non poſſent tolerare fortè optimum principatum ſine inuidia, & ſcandalis, & iſtum, qui eſt imperfectus, quia eſt poſſibilis communicari omnibus, tolerant.

De legibus eodem modo eſt, quia ſicut non conuenit pro qualibet politia quærere optimum principatum, ita nec conuenit ei dare leges optimas, quia optimæ leges illæ dicuntur, quæ plura mala vetant, & pauciora, vel nulla permittunt. Homines tamen imperfecti non poſſent tales leges tolerare, ideo conuenit hominibus imperfectis dare leges imperfectas. Sic autem erant Iudei, quando exierunt de Aegypto. Nam erant aſſueti ad cultum idolorum, vt declaratur Ezech. 33. c. Et huius ſignū eſt: quia illico, vt de Aegypto exierunt, petiuerunt fieri ſibi Deos, qui præcederent eos, & fecerunt vitulum aureum Exod. 32. ſcilicet, quia Deus, quem colebant in Aegypto, erat quidam bos, qui arte dæmonum apparebat viuens quolibet anno certo die, & ambulabat ante Aegyptios de quo ſatis dictum eſt Exod. 32. Erant etiam aſſueti ad omnem immunditiam gentilium, ideo non videbatur poſſibile eis tranſire de imperfectione ſubito, immo de puro malo, ad purum bonum, & ſic data eſt eis talis lex.

CAPITVLVM XLVI.

Quare in veteri lege permitterentur quedam, que erant ſimpliciter mala, ſcilicet vſura, libellus repudij, & occiſio inimicorum innocentum Et quodlibet ſpeciali cauſa. Et quomodo in noua lege nihil iſtorum permittitur.

EX hoc autem fundamento patere poteſt cauſa omnium imperfectionum, quæ ponuntur, vel permittuntur in Veteri Teſtamento. Vnde neceſſe erat, quòd in eo permitterentur aliqua, quæ eſſent aliàs mala, & ponerentur aliqua, quæ eſſent ſecundum ſe inutilia. De primis patet, quia malum erat dare ad vſuram, ſiue fratri, ſiue alienigenæ. Conceſſit tamen Deus Iudæis, quòd darent ad vſuram alienigenis, Deut. 23. Et hoc, quia ipſi erant tam cupidi lucri, quòd ſi nō permitteretur eis dare ad vſuram gentilibus, darent ad vſuram fratribus ſuis Iudæis, vel nunquam mutuarent aliquid, ſed ma-

A gis furarentur ad inuicem, & prædas agerent.

Item permiſit Deus, quòd daretur libellus repudii, quando mulier non placeret viro, quia ſi non permiſiſſet Deus iſtud, erant Iudæi tam crudeles quòd occiderent vxores, & affligerent eas, & deſpicerent, & ſuperinducerent concubinas. Vt ergo non haberet iſtud locū, fuit data licentia Iudæis, quòd mox, vt non placeret eis vxor, & repudiare poſſent eam, & accipere aliam. Sic colligitur Malach. 2. vbi increpat Deus Iudæos dicens, quòd non deſpiciant, nec affligant vxores pubertatis ſuæ, ſed ſi non placuerint eis, quòd dimittant eas abire: ſcilicet dato libello repudii, & nō affligant eas. De hoc dixit Chriſtus Matt. 5. & 19. quòd dare libellum repudij malum erat, & tamen Moyſes permiſerat ad duritiē cordis Iudæorum, ideſt quia erant duri corde, & aliàs

B non potuiſſent in pace viuere. Ita etiam erat, quantum ad homicida, ꝙ ſi quis occideret alium caſu, ita vt nulla culpa intereſſet, ſi tamē cognati hominis occiſi poſſent inuenire occiſorem extra vrbem refugij, licebat eis occidere illum, Numeror. 35. & tamen ille homo non erat reus mortis, ſed verè innocens. Et ſic erat iſtud verè malum, cum etiam talis homo ſecundum iura humana nō occideretur. Et tamen à Deo permittebatur ad duritiem cordis Iudæorum, quia ſi hoc non permiſiſſet, occidiſſent etiam inimicos ſuos in vrbibus refugii, ideo permiſit minus malum, vt in pace viuerent.

In Nouo autem Teſtamento nihil iſtorum permittitur. Nam non datur libellus repudii, ſed quicunque dimiſerit vxorem, & aliam ſuperduxerit, mœchatur,

C & quicunque acceperit dimiſſam, mœchatur, Matthæi. 5. & 19. Etiam non permittitur vſura, quantum ad aliquos homines, ſed quòd gratis concedamus mutuum, ſcilicet mutuum dantes, & nihil inde ſperantes. Luc. 6. Immo, quod plus eſt, lex Euangelica admonet nos gratis dare, ſcilicet donando, & nō mutuo quicquid habemus quando à nobis petatur. Matt. 5. ſcilicet Omni petenti te tribue.

Item in Nouo Teſtamento non ſolum non permittitur alicui occidere inimicum ſuum, ſcilicet occiſorem caſualem, ſed nec etiam occiſorē voluntarium, ſed magis monet, vt diligamus inimicos noſtros, & benefaciamus his, qui oderunt nos, Matth. 5. & Apoſtolus ad Ro. 2. ſi eſurierit inimicus tuus, ciba illum, & ſi ſitit potum illi da. O quanta differentia vtriuſque legis. Videtur

D enim eſſe differentia quaſi inter bonum, & malum, & lucem & tenebras.

CAPITVLVM XLVII.

Quod in veteri lege oportebat aliqua fuiſſe inutilia. Et quare Deus impoſuerit Iudæis tantam multitudinem ſacrificiorum, cum ipſa nihil proficerent, & quare laudet illa, cum eſſent fœtida & abominanda.

EX hoc etiam fundamento ſequitur ꝙ aliqua in Veteri Teſtamento debebant eſſe inutilia. Nam intentio fuit præcipua trahere Iudæos ad cognitionem

E ſuam aliqualem, ita vt cum Deum ſolum eſſe crederēt, & eum ſolum colerent. Et quia Deus purus ſpiritus eſt, ſufficiebat cultum eius fieri ſpiritualiter, & non in aliquibus exterioribus adminiſtrationibus, ſed in ſolis virtutibus animæ. Sic dicit Beatus Aug. in Enchiridio: ſpe, fide, & charitate colitur Deus. Sic dixit Chriſtus Ioā. 4. Deus ſpiritus eſt, & eos, qui eum adorant, oportet in ſpiritu ambulare. Ob hoc autem non erat neceſſaria aliqua mactatio pecorum & crematio eorum, & tanta multitudo ſacrificiorum tam præſumptuoſa. Nam quotidie ſacrificabant, & in feſtiuitatibus fiebant maiora & accumulata. De quibus patet Nume. 28. & 29.

Dicendum tamen, ꝙ Deus voluit dare diuerſa genera ſacrificiorum, & occupationem magnam in illis & expenſas, vt abſtraheret Iudæos ab idolis. Nam Iudæi ante hoc aſſueti erant colere idola ſicut Gentiles, vt ſupra

cura habenda eſt, niſi quatenus non offendamus proximos per noſtram corporalem immundiciam.

Non eſt etiam in nouo teſtamento ciborum diſcretio. Sed omnia mundari, & ſumi licet cum Dei benedictione, & gratiarum actione. Hoc fuit monſtratum beato Petro in viſione, cum iam circa horam nonam in oratione exiſtés fameſceret, & venit de Cęlo vas plenum animalibus diuerſorum generum, quæ ſecúdum legem Moyſis immunda erant, & vox facta eſt ad eum de cælo, occide Petre, & comede. Et ipſe ait. Domine, commune & immundum nunquam intrauit in os meum, & vox ad eum dixit, quod non vocaret immúdum id, quod Deus creauerat. Et ſic innuit iam in nouo teſtamento omnia ſumenda eſſe Actuum. 11. & ſi poſtea diffinitum eſt in Cócilio Apoſtolorum Actuum. 17.

Act. 11.

CAPITVLVM LI.

Quare Deus in veteri teſtamento non ſolum dedit leges pertinentes ad cultum ſuum ſed etiam leges forenſes purè pertinentes ad communicationem humanam. Et quare in nouo teſtaméto nullæ leges forenſes datæ ſunt.

EX hoc etiam fundamento factum eſt in veteri teſtamento, quòd ponerentur etiam leges forenſes ſcilicet de ſeruis & iniurijs, & damnis, & furtis, & alijs, quæ pertinent ad humanam conuerſationem, qualiter puniri deberent, qui circa iſta delinquerent. Etiam leges circa ſucceſſiones hæreditarias, & circa matrimonia, & ſimilia. Exo. 21. & 22. 23. & Numerum. 27. & 36. & Deu. 20. & 21. & 22. 23. 24. 25. & in multis locis. Et ſunt iſtæ leges tales, quales ſunt leges municipales aliarum gentium.

Iſtud factum eſt primo propter incredulitatem iſtius populi. Nam ſi Deus non dediſſet iſtas leges forenſes Iudæis, oportuiſſet conſtitui illis leges per rectores ſuos & putarent ſe non regi à Deo, ſi Deus expreſsè non dediſſet illis leges.

Secundo propter ruditatem populi, quia erat ille populus rudis, & fortè neſciret ſe gubernare, & códere ſibi leges conuenientes, niſi Deus eis daret leges. Patet hoc quia quando erant Iſraelitæ in deſerto Sinai, Moyſes gubernabat ſolus totam multitudinem & propter defectū regiminis ipſe laborabat tota die audiendo litigia, & nō finiebantur negocia populi. Quod videns Iethro ſocer Moyſis gentilis quidem & ſacerdos Madian, dixit ad Moyſen. ſtulto labore conſumeris tu, & populus, qui tecum eſt, ſed accipe conſilium meum, & Dominus erit tecum. Et ita ordinati fuerunt Iudices in Iſrael ad conſilium Iethro, qui erat vnus vir Gentilis. Exo. 18. & Deut. 1. Et totus Iſrael, vbi erant ſexcenta millia peditum cum ſanctiſſimo Propheta ſuo Moyſe neſcierant prius dare modū, quo regerentur, & mox vt viderunt bonum modum quem dedit Iethro acceperunt illum. Quod ſatis cedit generi Iudæorum ad ignominiam, ſed omnia diuina diſpenſatione facta ſunt. Decuit ergo quod Deus daret eis leges forenſes ad ſupplendum defectum eorum.

Tertio factum eſt ad tollendum Iudæis locum errandi, quia ſi non dediſſet Deus eis leges forenſes, ipſi accepiſſent leges tales, quales habebant Aegyptij, inter quos vixerant, vel Chananæi, inter quos moraturi erant. Et forte acciperent tales leges, quæ in ſe continerent peccatum, ſicut erat de plurimis legibus gētilium, vel ſaltem præſtarent eis occaſionem ad cultum idolorum. Et iſta fuit cauſa præcipua huius. Nam Deus in omnibus voluit ſubtrahere Iudæis occaſionem imitandi gentiles, & communicandi cum eis, Exo. 34. & Deut. 12. & fere per totam legem.

Quarto factum eſt ad dandam pacem populo, quia cū eſſet populus rudis, & imperfectus, non eſſet facilis ad concordandum in conditione legum, ſi per principem, aut per eos cōdendę forent: Vt ergo auferretur locus ſeditionis, Deus dedit iſtas leges. In nouo autem teſtamento nihil horum eſt, quia non ponuntur leges aliquæ de forenſibus: ſolum enim Chriſtus regulauit nos. Primo in

A fide, deinde in charitate, qualiter ad Deum, & ad proximum ſe quiſque habere debeat. Poſtea vero tradidit quædam generalia documenta de virtutibus. De rebus tamen humanis in particulari gubernandis nullam legē tradidit principibus eccleſiaſticis prælatis omnia relinquens, eo quia obſeruatis eis, quæ pro fundamento tradidit, impoſſibile erat errare in aliquo opere.

De hoc tamen, ſcilicet, quare Chriſtus in nouo teſtamento non tradiderit leges particulares, ſicut tradidit in veteri, pleniſſimè dictum eſt in quodam libello noſtro, vbi diſputare incepimus quæſtionem de præſcriptione, an ſit licita, & ibi ponuntur decem differentiæ Noui & Veteris Teſtamenti, ideo pro nunc nihil de hoc dicamus.

B

CAPITVLM LII.

Quare oportuit eſſe multos Prophetas, & alios modos conſulendi Dominum in veteri teſtamento, & de incredulitate Iudæorum. Et quare Deus non dedit legem per aliquem hominem ſed per ſe in voce tubæ: Et quod licet conſulendo ſuper rebus paruis eſſet indignum, non ſolum Deus tolerabat hoc. ſed etiam & rogabat Iudæos, vt conſulerent eum.

EX eodem etiam fundamento inſurgit, quòd Iudæi deberent habere multos Prophetas, & alios quamplurimos modos conſulendi Dominum. Erant enim Iudæi rudes & imperfecti, & potiſſimè laborabant vitio incredulitatis. Nulla enim gens fuit vnquam ita incre-
C dula ſicut Iudæi. ideo nunquam credebant, niſi viderent ſigna manifeſta. Et de hoc Chriſtus increpauit eos, quia poſtquam fecerat tot miracula qualia nullus alius fecerat: adhuc petebant ab eo ſignum, vt crederent ei. Et ipſe dixit: Generatio praua & incredula ſignum petit, & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ Prophetæ. De hoc Matt. 12. & 16. Apoſtolus etiam aſſignans conditionem Iudæorum, & Græcorum ait: Iudæi ſigna petunt, Græci autem ſapientiam quærunt 1. Corinth. 1. Vt ergo Deus códeſcenderet infirmitati, & imperfectioni eorum oſtendebat eis multa ſigna, vt in eductione de Aegypto inferendo decem plagas Aegyptijs, Exodi 7. c. vſque ad duodecimum. Et aperiendo mare rubrum, Exodi decimoquarto cap. & ibi ſubmergendo Aegyptios, & liberando eos, dulcorando aquas amaras in Mara. Exodi de-
D cimoquinto cap. Dando eis manna quotidie de cælo ad comedendum in abundantia per quadraginta annos, Exodi decimoſexto. Dando coturnices bis, vt comederent, Exodi decimoſexto. & Numeri 11. cap. Excutiendo bis aquam de petra, Exodi decimoſeptimo. & Nume. 20. & ferè quotidie habebant ſigna. Nam angelus Domini præcedebat eos in columna nubis per diem, & per noctē in columna ignis, & pendebat ſuper caſtra iſta columna per noctem ad illuminandum omnia caſtra, Exodi decimoquarto. & 40. & Numeri nono, & decimoquarto. & in his omnibus adhuc non credebant ei, ſed murmurabāt volentes redire in Aegyptum ſæpe Exodi decimoquarto. & Nume. vndecimo, & decimoquarto cap.

Et ob hoc, quando data fuit lex in monte Sinai noluit Deus dare, vel mittere illam per aliquem hominem,
E quia crederent, quòd illa lex eſſet alicuius hominis, & non Dei, ideo dedit eam per ſe in ſonitu buccinæ, nube operiente montem, & fumo & igne, & caligine magna circumdante, Exodi decimonono. Ita vt iſta oſtenderent diuinam maieſtatem aduenire ad caput montis, & in voce tubæ data ſunt decem præcepta, & continuaturus erat Deus reliquam legem, niſi quia Iudæi non potentes ferre vocem Domini dixerunt, non loquatur nobis, ne moriamur, ſed loquatur Moyſes, Exodi vigeſimo. & Deuterono. quinto. Quia tamen adhuc poſſet Iudæis oriri præſumptio, an Moyſes confingebat eis dare legē, vel accipiebat illam à Deo, loquebatur ad illum Deus in columna nubis, videntibus omnibus Iſraelitis, quòd loqueretur ad eū Exodi trigeſimotertio. & hoc faciebat, vt crederent ei, vt patet Exodi decimonono cap. ſcilicet,

iam

iam nunc loquar ad te coram toto Iſrael, vt credant tibi F
omni tempore. Et adhuc omnibus iſtis ſignis quoti-
die factis, & qui erant adhuc inter oculos diſcredebant
Domino, & petebant ſibi fieri Deos argenteos, & au-
reos ad colendum, Exodi trigeſimo ſecundo cap. Opor-
tuit autem propter hoc inter Iudæos eſſe Prophetas
multos, & alios modos conſulendi Dominum. Et in
tantum erat Deus familiaris eis in reſpondendo, quòd
videretur nobis quaſi diminuere auctoritatem Dei, vt
non ſolum pro rebus magnis Deus adiretur, & conſu-
leretur, & reſponderet, ſed etiam pro vna aſina perdita,
& pro vna gallina, vel veſte, aut re minima non nomi-
nanda adirentur Prophetæ Domini, & Deus per eos
reſponderet. Hoc tamen Deus patiebatur propter im-
perfectionem Iudæorum, vt auferret eis occaſionem
peccandi, quia ſi eis conſulentibus Dominum ſuper G
aſina perdita, vel alia re parua, Deus non reſponderet,
irent mox ad conſulendos dæmones, & magos, incanta-
tores, & nigromanticos, & diuinos, & omne genus
maleficorum.

Quod autem propter hoc fieret, patet, quia Deutero-
nom. 18 vbi ponuntur omnia genera maleficiorum, quæ
erant apud gentiles, & vetantur Iudæis, & ſubditur.
Tu autem aliter á Domino inſtitutus es, ſcilicet per Pro-
phetas conſulere, & non per maleficos, ideo ſubditur
immédiaté ibi. Prophetam ſuſcitabit tibi Dominus,
ſcilicet á Prophetis quæres, et non á maleficis. Sic e-
tiam patet Num. 24. cum Balaam laudans Iſraelitas ait.
Non eſt augurium in Iacob, nec diuinatio in Iſrael, tem-
poribus ſuis dicetur Iacob, & Iſrael quid operatus ſit H
Dominus, id eſt non eſt opus eſſe diuinationem, nec au-
gurium in Iſrael, quia temporibus ſuis, id eſt, quando
fuerit conueniens dicetur Iſrael per Prophetas, ſcilicet
quid operatus ſit Dominus, & ſic non oportet, quod va-
dant ad conſulendum aliquem alium. Et propter hoc
non ſolum Deus tolerabat, quod Iudæi ſic ſuper rebus
paruis conſulerent eum per Prophetas, ſed potius acce-
ptabat illud tanquam bonum, & inuitabat Iudæos ad
hoc faciendum, & Prophetæ ſe ingerebant volentibus
conſulere Dominum, vt conſulerent, & peterent ſigna.
Et quod deterius erat, quia cum Deus deprecaretur eos
per Prophetas ſuos, vt conſulerent eum, & peterent ab
ea ſigna, nolebant, ſed contemnebant eum, & Prophe-
tas. Sicut patet Iſaiæ 7. de Rege Achaz, cui locutus
eſt Dominus per Iſaiam dicens: pete tibi ſignum a Do- I
mino Deo tuo in profundum inferni, ſiue in excelſum
ſupra, & dixit Achaz: non petam, & non tentabo Do-
minum. Et tamen faciebat hoc Achaz, quia erat idola-
tra, & non credebat Deo, vel non volebat dare ei hono-
rem petendo ab eo ſignum: ſed magis honorabat Deos
ſuos, quos ipſe magis volebat conſulere, & placare pre-
cibus, & ſacrificiis, ſecundo Paralipom. vigeſimo octa-
uo cap. Hoc autem fuit Deo valde graue, ſcilicet, quod
ipſe rogaret Regem Achaz per Prophetam Iſaiam ſuũ,
vt peteret ſignum, & ipſe nollet. Vnde Iſaias ait: Nun-
quid parum eſt vobis domus Dauid moleſtos eſſe ho-
minibus, quia moleſti eſtis, & Deo meo? ſcilicet con-
temnendo eum. ſic etiam patet de Ochozia Rege I-
ſrael, qui decubans in lecto miſit ad conſulendum Beel
zebub Deum Acaron in terra Philiſthinorum, an con- K
ualeſceret de ægritudine ſua 4. Reg. primo cap. & tunc
Elias ex mandato Dei occurrit nunciis eius, dicens: nun
quid non erat Deus in Iſrael, vt iretis ad conſulendum
Beelzebub Deum Acaron? propter hoc de lectulo, in
quo cecidiſti non ſurges. Ecce quantam imperfectio-
nem hominum tolerabat lex illa Veteris Teſtamenti, &
tamen legem iſtam ita imperfectam vocabat Moyſes
optimam, & laudabat eam coram Iſraelitis, dicens Iſrae
litas eſſe inclytam nationem, quia talem legem habe-
bant Deuteronomij 4. capit. & hoc vt incitaret Iudæos
ad obſeruandum eam.

CAPITVLVM LIII.

*Quod in Nouo Teſtamento non ſunt neceſſarij Prophetæ,
nec alij modi conſulendi Dominum & quare,
& quando accidunt dubia circa
res non maximas, quid
agendum ſit.*

IN Nouo autem Teſtamento, quia erat lex perfectiſſi-
ma, & obſeruatores eius debebant eſſe perfecti, vel
anhelantes ad perfectionem, non erat neceſſarium ali-
quid illorum, ſcilicet, quòd nunc haberemus Prophe-
tas, nec alios modos conſulendi Dominum. Nam funda-
menta neceſſaria ad ſalutem tam in fide quam in ope-
re, omnia iam poſita ſunt per Chriſtum, & per Apoſto-
los eius in ſcriptis, quæ reliquerunt. Quantum ad cetera
autem Chriſtus reliquit poteſtatem Eccleſiæ ſuæ diſpo-
nendi, ſicut ipſe diſponeret ſi nobiſcum in carne conuer
ſaretur. Pro rebus autem minimis non fuit iuſtum, quòd
in Nouo Teſtamento daretur aliquis modus conſulendi
Deum, ſicut pro aſina, & veſte, & ſimilibus, cum potius
talia Chriſtus noſter docuerit contemnenda, & ſi perie-
rint patienter tolerandum, quam quod ſuper eos Domi
num conſuleremus. Nimis enim ad hæc temporalia af-
fectus eſt, qui pro rebus tam vilibus Dominum vult cõ-
ſulere. Sed iſtud repugnat ſtatui Noui Teſtamenti, in
quo tota noſtra conuerſatio in cęleſtibus habenda eſt,
ſicut Apoſtolus nos docuit. & de his temporalibus, po-
tiſſime de paruis minima cura agenda eſt. Nam etiam
in lege veteri iniuſtum erat, & contra diuinam reueren-
tiam, vt pro tam vilibus, & paruis rebus Dominum con
ſulerent homines. Tolerabat tamen Deus iſta, vt dictũ
eſt, vt Iudæos extraheret ab idolis, ad quæ conſulenda,
& colenda mox pergerent.

In rebus autem maioribus pertinentibus ad ſtatũ no-
ſtrum, vtpote quando homines, vel ciuitates, aut regna
ſunt in aduerſitatibus, lex noua dat remedium oratio-
nis. Et ſi deuote orauerimus, Deus exaudiet nos certiſ-
ſime, & concedet quod petimus, vel ſaltem dabit no-
bis illud, quod ſcit vtile eſſe. Sicut patet Lucæ 11. ſcili-
cet: Petite, & accipietis: pulſate & aperietur vobis, ſci-
licet, ſi quis petat a patre ſuo piſcem non dabit ei lapi-
dem, aut ſi petat ouum non dabit ei ſcorpionem. Et ſe-
quitur: Si vos cum ſitis mali noſtis bona data dare filiis
veſtris, quantomagis pater meus cęleſtis dabit ſpiritum
bonum petentibus ſe? In hoc autem eſt magnus honor
Deo, quia quando nos oramus ipſum, licet nobis nihil
reſpondeat: credimus certiſſime, quòd exaudit nos, &
quòd dat nobis id, quòd vtile eſt nobis. Etiam eſt nobis
valdé vtile, quia per iſtum modum pendet totum nego
cium noſtrum in fide, & meremur multum per iſtam fi-
dem, cum licet nõ videamus aliqua ſigna exauditionis,
confidamus Deum reſpicere ad preces noſtras. Et hoc
ſolum, quia ipſe dixit hoc per Euangeliſtas ſuos, & nos
credimus verbum ſuum tanti vigoris eſſe, vt non poſſit
vllo modo deficere.

CAPITVLVM LIV.

*Quod circa res magnas in moribus & in fide, Eccleſia ha
bet poteſtatem diffiniendi ſicut Chriſtus ſi præſens eſ-
ſet, & quòd non poteſt in hoc errare: & quòd ma-
gis vtile eſt nobis habere iſtum modum
quam habere Prophetas, vel a-
lios modos conſulendi
Dominum.*

CIrca res autem magnas, quæ veniunt in contentio-
nem, ſiue in fide, ſiue in actionibus, dimiſit Eccle-
ſiam ſuam, quæ ordinaret, & quod ipſa faceret, Deus ap-
probaret, ac ſi ipſe præſens in carne aſſumpta faceret.
hoc ſignatur Matth. 18. ſcilicet, quæcunque ſolueritis
ſuper terram erunt ſoluta & in cęlo; id eſt quæcunque
vos manẽtes ſuper terram ſolueritis, erũt ſoluta in cęlo,

ideſt ego, qui maneo in cælo illa ſoluo, ac ſi manerem in A terra inter vos. Et ſic quandocunque ſancta Dei Eccleſia agit aliquid in nomine Chriſti, quantumcunque graue illud videatur, nunquam errat quaſi Deus eſſet actualiter ſi cooperando. Et hoc ſignatur Matth. decimo octauo cap. poſtquam dictum eſt de poteſtate ipſi Eccleſiæ data in clauibus ligandi, & ſoluendi, ſubditur: Vbicunque fuerint duo, vel tres cõgregati in nomine meo, in medio eorum ſum. Et iterum, de quacunque re conſenſerint duo, vel tres de vobis ſuper terrã, fiet illis a patre meo. Iſta autem certa ſunt, quia Chriſtus ſic promiſit, & quia ipſe promiſit Eccleſiæ ſuæ aſſiſtentiam ſempiternam Matth. vigeſimooctauo, ſcilicet: ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſeculi. Et quia dedit ei poteſtatem ad faciendum quæcunque vellet, & promiſit approbare, & confirmare quæcunque illa faceret: certum eſt, ꝙ Eccleſia nunquam errabit, quia a Spiritu Sancto B dirigitur. Quamquam nos neſciamus quomodo Eccleſia non poſſit errare, cum videamus eam conſtare ex hominibus, quorum quilibet poteſt errare per ſe, nõ miremur confidentes ſolum Chriſti verbo, quia ipſe qui promiſit ei aſſiſtentiam ſuam, ſemper aſſiſtet ei, quo aſſiſtente nõ poterit errare, licet ipſa de ſe poſſet errare, & cadere. Sic enim patet de Apoſtolis. Nam Chriſtus dixit, quod dũ adducerentur ante Reges, & præſides, non cogitarent quid reſpondere deberent, quia in illa hora qua quærentur ab eis, daretur illis quicquid reſponderent pleniſſimè. Matth. decimo. & Lucæ vigeſimoprimo cap. Certum eſt tamen Apoſtolos viros ſimplices fuiſſe, & ſine literis pro maiori parte. Et dato quod ipſi cogitarent per multos dies, neſcirent tamen reſpondere ad omnia, quę ab eis quærerentur, quanto magis cum nihil cogitarent, C & tamen ſic faciebant quia nihil cogitabant, quando interrogabantur, & reſpondebant pleniſſimè ita prudentiſſime, & efficaciter, vt omnes audientes mirarentur, ipſi tamen videbant ſe rudes, & nihil ſcire, confidebant tamen verbo Chriſti, quod non mentiretur, & protinus veniebat eis abundantia eloquiorum, quia non erãt ipſi, qui loquebantur, ſed Spiritus Sanctus, qui loquebatur in eis. Lucæ 21. Ita igitur ſancta & benedicta mater noſtra alma Eccleſia ſponſa Chriſti, quæ maior eſt quam quilibet Apoſtolus, immo maior quam omnes ſimul & omnes ſancti, quam Chriſtus dilexit ſuper omnia, vt ait Apoſtolus ad Ephe. 6. ſcilicet, diligite vxores veſtras, ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam, propter quam omnia fecit, & omnia paſſus eſt, nec dubitauit ſe amariſſimæ D morti tradere, vt eam redimeret in ſanguine ſuo: ſciens quòd ſponſus ſuus promiſerit ſibi aſſiſtentiam, & quòd non poſſet errare, nec portæ inferi præualerent aduerſus eam, confidens de veritate impermutabili verborum ſponſi ſui Chriſti, aget quæcunque ei viſa fuerint, & nũquam errabit, quia non eſt ipſa, quæ operatur, ſed Spiritus Sanctus, qui ſibi aſſiſtit & eam regit. Cum magis veriſimile ſit, quòd Chriſtus regat Eccleſiam ſuã, propter quam omnia fecit, quam vnus de Apoſtolis, qui erat pars ſatis parua collatus ad totam Eccleſiam, & Apoſtoli erant partes, & quodammodo ſerui vel miniſtri Eccleſiæ, & propter Eccleſiam, & Eccleſia poterat eos vocare ſuos, vel res ſuas: quod pulchrè declarat Apoſtolus loquens toti Eccleſiæ in perſona Corinthiorũ, ſ. omnia.n. veſtra ſunt, ſiue Paulus ſiue Apollo, ſiue Cephas, ſiue mundus, ſiue vita, ſiue mors, ſiue præſentia, ſiue futura: E omnia.n. veſtra ſunt, vos aũt Chriſti, Chriſtus autẽ Dei.

Cum ergo alma mater Eccleſia ſit maior omnibus Apoſtolis, & Sanctis, & toto mundo, & omnibus rebus preterquam Chriſto homine, & Chriſtus tantam curam habebat de quolibet Apoſtolorum, quòd per Spiritum Sanctum mouebat linguas eorum, ita vt non poſſent errare, nec in vno verbo, a fortiori reget Eccleſiam ſuam, vt illa in nullo poſſit errare diffiniendo. Nos autem credentes hoc meremur, quia credimus illud fieri a Deo, quod non videmus, ideo eſt iſte modus ordinationis conuenientiſſime in Nouo Teſtamento, & non oportet eſſe nunc Prophetas, vel aliquos alios modos, per quos Dominum conſulamus.

CAPITVLVM LV.

Quod in Nouo Teſtamento in Eccleſia primitiua fuerunt multi Prophetæ, & quare hoc, & quòd pauco tempore durauit, & quare inter Iudæos multo tempore durauit, & antè aduentum Chriſti ceſſauerunt Prophetæ, & alij modi conſulendi Dominum.

VErum eſt, quòd à principio Eccleſiæ primitiuæ, cũ adhuc homines eſſent teneri in fide, & noui, fuerũt aliqui Prophetæ Chriſtianorum, ſicut legitur Actu. 11. cap. quòd Antiochiæ erant aliqui viri Prophetæ: de quibus vnus prædixit famem, quæ futura erat in toto orbe tempore Claudij Imperatoris. Et tunc omnes Chriſtiani parauerunt ſe ad mittendum eleemoſynarum ſuſtentationes ſanctis, qui erant in Ieruſalem. Fuit etiam alius B Propheta Chriſtianus nomine Agabus, qui accipiens Zonam Pauli, dixit: Virum cuius Zona hæc eſt alligabunt, vel perſequentur in Ieruſalem, denotans ei perſecutiones, quæ ibi ei euenerunt: Actu. 29. & ſic poſtea factum eſt. Apoſtolus etiam 1. Corinth. 14. ſæpe nominat Prophetas, qui erant in Eccleſia: ex quo innuit, quòd multi erant, & quaſi commune erat tunc eſſe Prophetas, immo nulla erat tunc particularis Eccleſia, in qua non eſſent tũc Prophetæ valde plures quam in Veteri Teſtamento. Vnde Paulus in eodem cap. declarat, quòd inter dona, quæ dabantur tunc fidelibus erant duo magis vſitata, ſcilicet genera linguarum, ideſt loqui diuerſis linguis, & ſpiritus prophetiæ, & erat contentio inter Corinthios, an digniores eſſent, qui loquebantur linguis, vel C Prophetę, & per multas rationes oſtendit, quòd Prophetæ erant digniores, & ſuadet omnibus Corinthijs orarẽ Deum, vt det eis ſpiritum prophetiæ. Et apparet per ea, quæ dicuntur ibi, & præcedenti capit. quod erant valdè multi Prophetæ in Eccleſijs Corinthiorum, & in omnibus alijs Eccleſijs. Philippus etiam diſcipulus, vel vt alij volunt Philippus Apoſtolus ſeptem filias habuit propheteſſas, quæ in virginitate perſeuerauerunt: Actu vigeſimo. Poſtea tamen cum fides aliqualiter radicata eſt, non fuerunt Prophetæ in Eccleſia, ſicut fuerunt temporibus antiquis.

Philipp⁹ Apoſtol. vel diſcipulus ſeptẽ filias habuit virgines & ꝓphetiſſas.

Inter Iudæos autem, ſicut ſupra diximus, multo tempore ante Chriſti aduentum ceſſauerunt Prophetæ, & omnes modi conſulendi Deum. Hoc poteſt eſſe propter duo.

D Primo propter peccata Iudæorum. Nam antè tempora Machabæorum multum peccauerant Iudæi iungentes ſe Gentilibus, & petentes a Rege Antiocho, vt mandaret eis cuſtodire leges gẽtium, & ceſſarent leges Dei primo Machabæorum, primo cap. & inter ſacerdotes magnos erant grauiſſima peccata, ita vt venderentur, & emerentur ſacerdotia, & occiderẽtur ab inuicem ſacerdotes deſiderio dominandi, vt patet ſecundo Machabæorum, quarto, quinto, & ſexto capit. Et tamen propter peccata aliquanto Deus ſubtrahebat ſe a reſpondendo. Sic enim fuit in Saule, qui peccauerat grauiſſime occidendo ſacerdotes Domini primo Regum 22. & ob hoc cum quæreret a Domino reſponſum nutus ad bellum, noluit Deus ei reſpondere. Et patet primo Regum, vigeſimo octauo, ſcilicet conſuluit Saul Dominum, qui non reſpondit ei E per Prophetas, nec per ſacerdotes, nec per ſomnia.

Secundo poterat eſſe hoc, quia appropinquabat tempus perfectionis, in quo Chriſtus venturus erat. Nam cum iam Iudæi pluſquam per mille, & trecentos annos conſueti fuiſſent ad cultum Dei, & obſeruationem legis, erant aliqualiter diſpoſiti ad tendendum ad perfectionem, & magis firmiter ad adhærendũ Deo, licet nõ viderent ſigna, ideo Deus non mittebat Prophetas, & ceſſabant alij modi conſulendi. ſic enim erat illud tempus, quaſi quædam diſpoſitio ad legem nouam: in qua, nec Prophetæ, nec aliqui modi conſulendi Dominum futuri erant. Ecce quanta differentia perfectionis, & imperfectionis inter legem nouam, & veterem. Et omnia hæc erant, quia ſuſcipientes legem veterem erant valde imperfecti,

perfecti, & ſuſcepturi legem nouam erant diſpoſiti ad tendendum ad perfectionem. F

CAPITVLVM LVI.

An fuerit conueniens totam legem nouam eſſe perfectam totaliter, cum deberet dari hominibus imperfectis, ſcilicet gentilibus. Et quòd quantumcunque eſſet lex noua perfecta, quilibet homo quantumcunque imperfectus poterat eam recipere. Et tamen ſi lex vetus habuiſſet aliquid de perfectione, nullus homo potuiſſet eã tolerare. Et quare hoc.

SEd tunc oritur difficultas: diceret enim aliquis, quòd lex noua non debuit eſſe tantæ puritatis, & perfectionis, quia non conueniret eis, quibus dabatur. Nam ſicut G
ea ratione, qua lex vetus non debuit eſſe totaliter bona, ſed, vt ita dicam, aliqualiter mala, & imperfecta, quia illi, qui ſuſcepturi eam erant imperfecti erant, ita & ſuſcepturi nouam legem erant imperfecti.

Nam ſi lex noua debuiſſet dari ſolis Iudæis, qui iam per mille, & quaſi ſexcentos annos aſſueti erant colere Deum, & ſubijci ei per legem Moyſis, & per hoc erant diſpoſiti aliqualiter tendere ad perfectionem, conuenienter ſtaret, tamen lex noua erat lex generalis, quæ danda erat toti orbi, ſicut Chriſtus dixit. Ite per vniuerſum mundum, & prædicate Euangelium omni creaturę Mar. 16. & ſic Gentiles ſuſcepturi erant eam, qui tamen erant dediti cultui idolorum, & omni malo. Quomodo ergo tranſirent ſine medio de puro malo, vt ita dicam, ad purum bonum? H

Reſpondendum, quòd licet gentiles, & quicunque homines ſuſcepturi eſſent legem nouam, quantumcunque illi eſſent imperfecti, conueniens fuit legem nouam eſſe ita perfectam, quia id, quod deerat ex parte diſpoſitionis hominum ad ſuſcipiendum legem tam perfectã, ſupplebat gratia, quæ dabatur cum lege Chriſti, ita vt meritò vocaretur lex gratiæ. Sicut dicitur Ioan. 1. ſcilicet: lex per Moyſen data eſt, gratia autem per Ieſum Chriſtum facta eſt. Et fiebat ſic, quòd quandocunq; in principio primitiuæ Eccleſiæ aliquis conuerteretur ad fidem Chriſti, & baptizaretur, dabatur ei tanta charitas, & tam feruens, vt eſſet paratus pro Chriſto quęcunque mala pati.

Et non ſolum hoc, ſed illico, vt homines credebant, dabatur eis poteſtas faciendi miracula, vt patet Mar. 16. I
ſcilicet. Signa autem eos, qui in me crediderint, hæc ſequentur: ſerpentes tollent, linguis loquentur nouis, ſuper ægros manus imponent, & bene habebũt, & ſi quid mortiferum biberint, non eis nocebit. Iſta miracula, & multa alia faciebant, qui ad Chriſtum conuertebantur in Eccleſia primitiua. Hoc autem durauit toto tempore, quo prædicata fuit fides, quouſque radicaretur, & quãdiu durauerunt perſecutiones magnæ gentilium contra Eccleſiam. Poſtea autem exercitatis hominibus ad fidẽ Chriſti, manſit ſola fides conuerſis ad Chriſtum, & nõ data fuit poteſtas faciendi miracula, vt magis comprobetur fides eorum, qui miracula non viderunt.

Miracula facienda poteſtas ſublata eſt ceſſante perſecutione, vt maius eſſet meritũ fidei.

Verum eſt tamen, quod cum maneat in nobis fides, K
ſi neceſſe eſſet, poſſemus facere miracula, quia Chriſtus dixit: Si habueritis tantam fidem, ſicut granum ſinapis dicetis huic monti, tranſi, & tranſibit: Et dicetis huic arbori moro: eradicare, & trãſplantare in profundum maris, & obediet vobis, quia nihil impoſſibile eſt credenti: Matth. 17. & Lucæ 17. cap. Et talia miracula multi patrum antè tempora noſtra fecerunt, dum viuerent, & nũc mortui facere non deſinunt.

Non ergo erat difficile homini quantumcunque imperfecto ſuſcipere legem Chriſti, quæ erat perfectiſſima, quia ipſa inducebat ſecum perfectionem, & faciebat hominem perfectum mox, vt crederet. Secus autem erat de lege Moyſis, quia illa inducebat magna onera obſeruantiarum, & non inducebat, nec cauſabat aliquã gratiam adiuuantem. Ideo ſic, vt iacebat, cum imperfectionibus ſuis vix poterat tolerari, vt dicitur Actu. 15. Hoc eſt iugum, quod nec nos, nec patres noſtri ferre potuimus, quanto magis, ſi induxiſſet aliquid de perfectione: Hoc ſignat Apoſtolus ad Hebr. 7. ſcilicet neminem ad perfectum deduxit lex, ideſt lex non dabat homini aliquam perfectionem per obſeruantiam ſuã, quia non dabat aliquam gratiam, ſicut continet fides Chriſti. Manebat ergo lex vetus cum imperfectionibus ſuis, & non debuit continere maiorem perfectionem: lex autem noua debuit habere totalem perfectionem.

CAPITVLVM LVII.

In quo ponuntur quatuor cauſæ, quare legiſlatio nulla hũmana vetat omnia vitia, & quod non licet alicui legiſlatori quantumcunque Chriſtiano vetare omnia vitia, & quod in lege humana non poteſt, nec debet dari gratia, in lege Moyſis potuit dari gratia, ſed non debuit dari.

SEd diceretur; quare cum lege Moyſis, quæ erat lex veri Dei, non dabatur gratia, ſicut cum lege noua, & poſſent homines tunc eſſe perfecti, & lex poſſet eſſe perfecta, & continere ea, quæ continebat lex noua, abiectis imperfectionibus, quas continebat?

Dicendum, quod non fuit conueniens, quia gratia nõ debuit dari cum lege, ſed cum Saluatore noſtro, quia ſi ex lege haberemus gratiam & perficeremur, non videretur neceſſaria mors Chriſti, quia nihil ſuperinduceret. Debuit ergo tunc gratia, & perfectio venire, quando mors Chriſti tranſiſſet: vt appareret, quòd ex morte Chriſti, & per fidem iuſtificaretur homo, & non ex operibus legis, vt magis teneremur Deo. Nam qui iuſtificatur ex operibus legis, ex proprijs, ideſt ex operatione ſua iuſtificatur. Et ſic quodammodo ſuum eſt, quòd iuſtificetur. Qui autem iuſtificatur ex Paſſione Chriſti per fidem illius, manifeſte apparet, quòd iuſtificatur ex alieno, ſcilicet ex merito Chriſti, ideò totum, quidquid habet, ſcit ſe debere illi, quia totum ſcit accepiſſe ab eo. Erat tamen tempore Veteris Teſtamenti gratia, ſcilicet gratum faciens, quia ſine gratia nemo poteſt ſaluari, ſed iſta non erat ex operibus legalibus, ſed magis ex fide implicita, vel explicita mediatoris, per quem factura erat. Sicut probat Apoſtolus ad Rom. 10. ſcilicet probãs, quòd Abraham non iuſtificatus eſt ex operibus legis, nec per circumciſionem, quia antequam circumcideretur, erat iuſtus. Nam circũciſus fuit Geneſ. decimoſeptimo cap. & vocatur iuſtus Geneſ. decimoquinto, ſcilicet: Credidit Deo Abraham, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam. Fides ergo iuſtificauit eum.

Sic etiam erat de gentilibus, qui erant tempore legis Veteris. Nam poterant omnes illi ſaluari, & multi eorũ ſaluabantur: & tamen nemo illorum ſeruabat legem Moyſis, ſed ex recta fide, quam de Deo habebant, iuſtificabantur.

Apparet ergo ex prædictis, quòd ſola lex noua debuit, & potuit continere totalem perfectionem, & puritatem, quia ipſa ſola attulit gratiam alleuiantem labores, per quam poſſet homo tendere in opus quantumcũque arduũ. Nulla autẽ lex ante ipſam debuit continere totalẽ perfectionem, & puritatem vitando omnia mala.

CAPITVLVM LVIII.

In quo ponuntur quatuor cauſæ, quare legiſlatio nulla humana vetat omnia vitia, & quod non licet alicui legiſlatori quantumcunque Chriſtiano vetare omnia vitia, & quòd in lege humana non poteſt nec debet dari gratia, in lege Moyſis potuit dari gratia, ſed non debuit, in lege autem Chriſti potuit, & debuit dari.

EX hoc autem patet, quare leges legiſlatorum, qui ſunt puri homines non puniunt omnia mala: Nam non ſolum de illis, qui ante Chriſtum leges condiderunt, ſed etiam de illis, qui ſub lege Chriſti exiſtentes condunt iura populis, dicendum, quòd nunquam

debent

debent condere aliquam legiſlationem, per quã omnia vitia tollãtur, & puniãtur. Nã licet Catholicus legiſlator nũquam debeat dare legem, per quã approbet aliquod vitium, quia hoc eſſet incitare ad peccandum: tamẽ nec debet dare legem punientem omnia vitia, ſed in quibuſdam illorum ſub ſilentio tranſeũdo committere homines ſuæ libertati. Et hoc eſt circa illa vitia, quæ vix euitari poſſunt, ſicut fornicari ſimpliciter, ſcilicet, cum meretrice peccatum eſt, & tamen legiſlator non debet hoc tollere, quia ſi tollit, inducit magna ſcandala, & maiora peccata. Sicut dixit Beatus Aug. tolle meretrices de ciuitate, & oĩa libidine conturbabis. Etiã ocioſe viuere peccatum eſt, quia reddemus rationem de illo in die iudicij, Matth. 12. tamen legiſlator hoc, nec vetat, nec punit. Etiam mala cogitare peccatum eſt, & tamẽn non punit illud lex ciuilis, ſed potius lex dicit, cogitationis prauæ nemo pœnam meretur. Cauſa huius quadruplex eſt. Prima & quæ eſt ad propoſitũ eſt iſta, ſcilicet, quòd euitare omnia vitia ad vnguem eſt opus ſupra hominẽ purum, nec poteſt fieri ſine gratia adiuuante, ideo illa ſola lex debet vetare, & punire omnia vitia, quæ dat gratiam & adiuuamen ad fugiendum illa, lex autem humana non dat aliquam gratiam, quia eſt a puro homine data, qui gratiam dare non poteſt. Lex autem Moyſis licet eſſet à Deo vero, qui poterat dare gratiam, noluit tamen eam dare cum illa lege, quia non decebat, vt ſupra probauimus, eò ꝙ nondum venerat mediator Dei, & hominum, per quem gratia effectiuè, & meritoriè deduceretur. In lege autem veteri, licet Deus effectiuè poſſet deducere gratiam, nemo tamen adhuc erat, qui meritoriè eam deduceret, ideò licet erat poſſibile cum illa legẽ dari gratiam: non tamen erat iuſtum, & ſic Deus noluit peruertere ordinem iuſtitiæ. In lege autem noua potuit, & debuit dari gratia rationabiliter. Potuit quidem, quia lator eius fuit Chriſtus verus Deus omnipotens. Debuit etiam, quia lator eius fuit ille, qui per mortem ſuam lauerat peccata noſtra, & meruerat gratiam à Deo pro omnibus hominibus, qui in eum crederent. Et ob hoc iſta ſola de omnibus legibus debuit eſſe illa, quæ debuit prohibere, & punire omnia vitia, vel ſaltem multum permittere. Secunda cauſa eſt ad tollendum ſcandala, & occaſiones ad maiora mala, quia aliquando volendo vitare vnum vitium, incideretur in aliud maius, ſicut ſi quis vellet vetare ſimplicem fornicationem tollendo meretrices de vrbibus, induceret adulteria, inceſtus, ſtupra, & varias libidines, ita vt omnia turbarentur libidinibus, ſicut dixit Auguſt. Sed legiſlator ponit leges propter vtilitatem politiæ, ideo quando per legem impeditur, aut tollitur vtilitas politiæ, aut turbatur bonus ſtatus, & pacificus eius, lex non eſt bona, nec tenenda, ſed tale accideret ſi omnia vitia legiſlator vetare vellet, & punire, ideo non pertinet hoc ad legiſlatorem, immo non licet ei facere, quia non eſſet legiſlator, ſed euerſor vrbis. Tertia cauſa eſt, quia inutile erat, ꝙ legiſlator humanus vellet vetare omnia vitia per legem ſuam. Nam leges vetãt vitia, vt quando aliquis inciderit in illa puniatur, & ſic timore pœnæ arceantur homines à prauis conſuetudinibus. Sunt tamen multa vitia, quæ nunquam puniri poſſent, nec cognoſci. Et non dico aliqua vitia particularia, ſed genera vitiorũ, ſicut prauæ cogitationes, & ſimilia, quæ nunquam cognoſcuntur, niſi quatenus reuelare voluerit, qui cogitauit. Et ſic nunquam poſſent venire ad iudiciale examen, vt punirentur ſecundum legem, ideo circa talia verſari legiſlatorem erat perdere operam, & leges fruſtra conſcribere.

Quarta cauſa eſt, quia leges dicuntur eſſe quædam directiua præcepta hominum communicantium in eadẽ politia, & non ſunt leges, niſi ad conſeruandum ſtatum politicum: quia, vt dicit Ariſto. 4. Ethico. impoſſibile eſt conſiſtere communicationem aliquam ſine iuſto quodã. Cum autem deſuit totale iuſtum, ceſſat omnis communicatio. Et quia politia eſt maxima, & abundantiſſima communicationum, vt patet. 1. Politic. c. 1. & omnes aliæ ſunt ad illam, neceſſe eſt in illa iuſtum quoddam eſſe inter communicantes, vt diu conſeruetur ſocietas politi-

A ca. Iſtud autem iuſtum oſtenditur per leges, ideo bonæ leges politicæ duo ſolum habent facere, ſcilicet, dirigere quemlibet hominem quomodò benè ſe habeat ad totam ſocietatem politicam, & ad quemlibet de ſocietate illa benè faciendo. Secundum eſt, vt arceant homines à damnis, & iniurijs inferendis toti communicationi, & ſocietati politicæ, & cuilibet de illa ſocietate. Et iſtud eſt principale, quia magis obligatur homo abſtinere à male faciendo alteri, quam obligetur ad benefaciendum ei.

Ex quo patet, quòd leges politicæ non habent negociari, niſi circa illud, quod poteſt pertinere ad communicationem vnius hominis cum altero, ſiue in faciendo bonum, ſiue in abſtinendo à malo eius. Et ſi aliquid ſit, quod non pertineat vllatenus ad humanam communicationem, lex politica non ſe debet de illo intromittere,
B quia excederet proprium genus, ſicut ſi geometra tractaret de eo, quod pertinet ad muſicum vel è contrario. Et quia ſic eſt, quòd aliqua vitia, & virtutes ſint, quæ ad communicationem humanam nullo modo pertineant, ſcilicet, quia nec faciunt eam bonam, nec malam, nec adiuuant, nec impediunt, non debet lex politica de illis ſe intromittere, quia proprium genus conſiderationis tranſcenderet. Sic eſt fornicatio ſimplex cum meretrice, quia in hoc nulli de communitate paratur præiudiciũ, nec impeditur bonum publicum. Sic etiam praua cogitatio quamdiu conſiſtit in terminis ſuis, quia per eam nemini præiudicatur. Sic etiam eſt ocioſus ſermo, dum tranſit ſine iniuria. Sic eſt etiam diligere Deum, vel non diligere, quia in hoc non nocetur proximo, nec bonum
C ei fit, ideo nullo modo ſpectat ad ponentes rectas leges politicas conſiderare de his. Iſtæ autem virtutes, vel vitia ſunt, quæ faciunt hominem bonum ſimpliciter, vel malum, id eſt non comparãdo ad aliquem, ſed in ſeipſo, ideo de his ſpectaret tractare ad ethicum, ſiue moralem Philoſophum, qui generaliter loquitur de virtute humana, & comprehendit etiam monaſticam. Sed adhuc circa talia nemo antiquorum philoſophorum curam plenam egit, nemo eorum correxit vitam humanam vſque ad vnguem, niſi Chriſtus, ideo illud, de quo alij legiſlatores, & Philoſophi omiſerant, tetigit principaliter, ſcilicet ordinare hominem ad Deum per fidem, charitatem, & ſpem, & cõſtituere charitatem inter homines mutuo. Etiam dirigere cogitationes: nam dixit, quòd non ſolum
D fornicari peccatum erat realiter, ſed etiam videre mulierem ad concupiſcendum eam, erat fornicari. Nemo tamen philoſophus quantumcunque circa mores diligens examinator, de hoc curam egit. Etiam docuit homines benefacere inimicis, & orare pro perſequentibus, quod nulla vnquam philoſophia docuit, ſed potius contra monita, & præcepta omnium philoſophorum eſt, tolerare iniuriam, vt per Ariſto. patet. 4. Ethic. cap. de manſuetudine. ſed dicitur, quòd quaſdam iniurias tolerare non conuenit, & quòd qui omnia tolerat eſt in extremo, & vocatur inſenſibilis. Et tamen ſecundum legem Chriſti omnia tolerare docemur, quia charitas omnia ſuffert 1. Corinth. 13. Apparet ergo ex dictis, quòd ad legiſlatores politicos non ſpectat vetare omnia vitia. Sola autem lex Chriſti eſt, quæ omnia vitia debet vetare, & vetat, &
E omnia docet puniẽda eſſe. Ratio huius eſt, quia lex Chriſti eſt ad dirigendum hominem ſimpliciter, & in reſpectu ad aliquam communicationem, ideo nõ ſolum debet vetare illa vitia, quæ turbant, vel impediunt communicationem politicam, ſed etiam omnia illa, per quæ ſimpliciter homo deordinatus eſt. Et quia bonitas quam intendit lex euangelica inducere in ſubditos eſt reſpectu Dei. ſ. vt puri effecti per eã mereamur recipi ad Dei conſortium, & Deus eſt pura bonitas, & totum bonũ, in quo nulla macula, nec impurum aliquid eſt, oportet recipiẽdos ad conſortium eius eſſe totaliter puros, & ob hoc cauere debent omnia vitia etiam minima, & ſectari omnẽ virtutem. Et ſi hinc non receſſerit homo omnino purus, manet conflatorium purgatorij ignis, in quo purgantur animæ ſeptuplum, ſicut argentum puriſſimum, & tunc merentur admitti ad diuinum conſortium.

CA-

CAPITVLVM LIX.

Quomodo legiſlator humanus dat leges de cultu diuino, cum non ſpectet ad politiam, & quòd non facit hoc, niſi ordinando ad politiam, ſcilicet vt ſibi vtile. &c. an malum ſit colere Deum propter vtilitatem publicam, vel priuatam.

SEd quia ſupra dictum eſt, quòd ad politicum legiſlatorem non ſpectat vetare omnia vitia, nec præcipere omnem veritatem, ſicut nec vetare ſimplicem fornicationem, nec curare, an nos diligamus Deum, vel nõ, videtur dubium hoc, quia legiſlatores politiæ intromittunt ſe de cultura Dei ponendo aliquas leges, quomodo vel quando coli debeat, & pœnas comminando contra deſertores, & tamen hoc non pertinet ad politicam communicationem. Reſpondendum, quòd legiſlatores politici curant interdum dare leges de cultu diuino, nõ quidem inquantum cultus diuinus, ſiue latria eſt virtus quædam, vel eſt quoddam naturale debitum propter diuinam excellentiam, vel propter beneficia ſuſcepta: ſed inquantum colere Deum eſt vtile reipublicæ, & non colere eſt nimis damnoſum. Hoc autem fundatur ſupra quandam fidem, nam credimus quod Deus, qui omnipotens eſt, ſi colamus eum debitè, benefaciet nobis, etſi non colamus, ſed contemnamus eum, iratus deſtruet nos, ſicut dicitur Leuit. 16. & Deuter. 20. Politia ergo deſiderantes conſeruari, & augeri in bono ſtatu curant, vt Deus colatur. Et quia volunt euitare omne malum, & damnum, puniunt deſertores cultus diuini, ne propter eos deitas euertat publicum ſtatum. Iſta autem conſideratio nõ ſolum eſt apud legiſlatores Chriſtianos, qui educti per fidem de Deo recta ſentiunt, ſed etiam fuit ſemper apud legiſlatores gentium: quia etiam ipſi falſam deitatem colentes credebant per cultũ deitatis augeri rempublicam; & deſerto cultu inferri ultimas calamitates. Sic patet per Valerium Maximum lib. 1. c. de contempta religione, vbi enarrat mala, quæ euenerunt Vrbi Romæ aliiſque gentibus, cum ab eis falſa illa deitas, quam putabant, contempta eſt intermiſſu cultu aſſueto.

Sed nunc obiicietur, quòd iſtud fuit valdè inconueniens, ſ. quod iubeatur Deus coli propter noſtram vtilitatem. Nam Deus propter ſe diligendus eſt, & colendus. Quod autem colatur, vt nobis benefaciat, vel vt non lædatur, eſt totalis peruerſio ordinis, & vti fruẽdis, in quo conſiſtit tota ratio peccati ſecundum Aug.

Reſpondendum, quod verum eſt, quod Deus non eſt colendus propter vtilitatem noſtram, ſed propter ſeipſum, & tamen legiſlator rectiſſimè facit ſtatuendo, vt colatur Deus propter vtilitatem reipublicæ: immo non ſpectat ad legiſlatorem aliter ordinare de cultu Dei. Nam ordinare charitatem, ſcilicet quid propter ſe, & quid propter aliud amandum ſit, & honorandum ſuperioris artificis eſt, ſcilicet Theologi, ad politicum autem non pertinet aliquid conſiderare, niſi ad vtilitatem politicam, quia aliter excederet ſubiectum, & terminos artis ſuæ, & fieret imperitus. Nam quandocunq; aliquis artifex conſiderat aliquid, ſemper conſiderat per attributionem, & relationem ad ſubiectum, & finẽ artis ſuę, alias quilibet artifex conſideraret id, quod conſiderant omnes artifices, & omnia confunderentur, & perirent ſuo ordine, ſed finis politici legiſlatoris eſt vtilitas reipublicæ, ergo omnia conſiderata ab eo, ſiue ſit cultus diuinus, ſiue aliquid aliud, debet conſiderari, & introduci ad legiſlationem ſub ratione vtilitatis reipublicæ. Verum eſt tamen, ꝙ ipſe inquantum priuata perſona, & quilibet alius de politica communicatione debent colere Deum, non propter vtilitatem publicam, vel priuatam, ſed quia iuſtum eſt hominem ſubditum eſſe Deo, & pręſtare illi quandam ſeruitutem. Eſt autem quilibet homo quodammodo duplex perſona, quia aut poteſt conſiderari, vt quædam pars publicæ cõmunicationis, aut vt eſt quædam creatura rationalis a Deo beatificabilis, Dei capax per intellectum, & voluntatem. Primo modo

F deberet homo colere Deum propter vtilitatem politicã, ſecundo modo deberet eum colere propter ſeipſum, quia talis eſt. Quia tamen homo magis conſideratur, vt eſt Dei capax, quam vt eſt membrum politicum, quia maiorem perfectionem dicit in eo eſſe Dei capacẽ quã eſſe quoddam membrum politicæ communicationis, debet Deum ſolum ſub iſto reſpectu colere, ſcilicet vt Deus talis eſt, cui naturaliter tenetur exhibere iſtam ſeruitutem. Et ſic manebit cuilibet ſuum opus, ſcilicet homini proprium opus, & legiſlatori propria conſideratio, & nulla fiet perturbatio, aut confuſio.

CAPITVLM LX.

Cum lex Euangelica vetet omnia vitia. & Domini ſecu-
G *lares teneant illam, quare non puniunt ipſi omnia vitia agendo ſecundum illam legem. Et quod nulli iudici, vel Principi ſeculari liceat punire omnia vitia occaſione legis Euangelicæ, aliàs erit ſibi reſiſtendum.*

OCcaſione ſupradictorum oritur dubium, quia dictum eſt, lex humana non punit, nec vetat omne vitium, lex autem Euangelica vetat omne vitiũ, & oſtendit illud puniendum eſſe. Cũ ergo legiſlatores, & executores legum Chriſtiani ſint ſubiecti legi Euangelicæ, & teneantur eam obſeruare ad vnguẽ, ſicut quilibet Chriſtianus, quare non puniunt delinquentes in ea, & ſic punient omnia vitia, cum illa omnia vitia vetet, & punienda oſtendat? Reſpondendum ꝙ non ſpectat ad legiſlatores, nec ad executores legum in fauorem legis Euan-
H gelicæ punire omnia vitia: immo peccarent ſi ad hoc conarentur. Ratio huius eſt, quia ad hoc, quòd aliquis exerceat iuriſdictionem, oportet vt habeat legitimam poteſtatem: alias erit perſona priuata, cui non competit iuriſdictio. Et ſicut ius dicenti extra territorium non paretur impunè, ita volenti ius dicere ſupra territorios propriæ poteſtatis non impunè parebitur: quia vterque quantum ad hoc perſona priuata efficitur. De executoribus autem legum & Iudicibus manifeſtum eſt, quòd iuriſdictionẽ ſortiuntur à legibus, ideo intantum ſe extendit iuriſdictio ſua, quantum ſe extendunt termini legum, a quibus iuriſdictionem ſortiuntur, & leges tamen humanæ non vetant, nec puniunt omnia vitia, vt dictum eſt. Ideo Iudex vel executor datus vigore illarum non poterit punire omnia vitia. Et ſi conetur facere, debet ſibi reſiſti tan-
I quam perſonæ priuatæ non habenti ad hoc iuriſdictionem aliquam. Et ſi dicatur, quòd eſt Chriſtianus, & lex Chriſti vetat iſta vitia, & oſtendit illa punienda, dicendum quòd iſte inquantum Chriſtianus perſona priuata eſt, cui non competit iuriſdictio, & ſic non poteſt exequi legem. Si autem eſt Iudex, vel executor, ſolum eſt hoc per legem humanam, quæ non confert poteſtatem ad hoc.

CAPITVLVM LXI.

Cum Prælati Eccleſiæ ſint miniſtri Chriſti, & poteſtatem habeant per Euangelicam legem, an ipſi debeant punire omnes delinquentes contra Euãgelium, & quòd
K *non debeant, neque liceat eis.*

SEd tunc manet dubium, ſ. dato ꝙ Iudices ſeculares, & Domini temporales non poſſint punire omnia vitia, quia ſolum ſortiuntur iuriſdictionẽ a lege humana, quare ſaltẽ Prælati Eccleſiaſtici non puniunt omnia vitia, quia iſti propriè ſunt miniſtri Chriſti, & ſunt conſtituti inter Chriſtum & populum. Sic dicitur ad Hebr. 5. quòd omnis Pontifex ab hominibus aſſumptus eſt, & conſtitutus inter Deum & homines. Etiam illis propriè competit iuriſdictio ex lege Euangelica, vt ſint executores eius, quia dicitur eis: Quęcunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cęlis Matth. 18. & ſic videtur, ꝙ ipſi debeant punire omnia vitia: & tamen videmus, ꝙ nemo de Prælatis Eccleſiæ quantumcunque ſanctus ſit, & diligens in cuſtodiam ouium ſuarum hoc teneat.

Dicendum, quód non licet prælatis Eccleſiæ pęnam imponere pro quolibet peccato, & peccarent ſi facerent, & debet eis reſiſti tanquam perſonis priuatis non habentibus iuriſdictionem.

CAPITVLVM LXII.

Quod in Eccleſia eſt duplex poteſtas ſcilicet ordinis & iuriſdictionis, & quæ ſit qualibet harum. Et ibi rationes manifeſtæ ad probandum, quòd poteſtas ordinis cuicunque ordinando datur à Deo immediatè & nihil agit ibi Epiſcopus, vel Papa mediatè, vel immediatè: principaliter, nec inſtrumentaliter.

AD euidentiam tamen iſtorum conſiderandum eſt breuiter, quod in Eccleſia duplex poteſtas eſt, ſ. ordinis & iuriſdictionis, poteſtas ordinis eſt illa, quæ reſpicit aliquem actum, & non reſpicit ſubditos, ſicut poteſtas conficiendi Chriſti corpus & ſanguinem & ſic de omnibus alijs ordinibus, quia in illis datur poteſtas ad exercendum aliquem actum, & tamen non datur ſubditis. Poteſtas iuriſdictionis vocatur illa, quæ reſpicit ſubditos, ſ. inquantum habens illam, poteſt aliquid facere in ſubditos. Et ſolet alijs verbis, idem tamen ſonantibus, ꝙ poteſtas ordinis reſpicit Chriſti corpus verum, & poteſtas iuriſdictionis reſpicit Chriſti corpus myſticum. Et ſic ordo ſacerdotalis reſpicit corpus Chriſti verum, quia directè eſt ad conficiendum Euchariſtiam. Ordo diaconatus, & ſubdiaconatus, & ceteri ordines generaliter, tam ſacri quam non ſacri ſunt etiam reſpectu Euchariſtiæ, inquantum ſubminiſtrãt, vel deſeruiunt ſacerdoti conficienti in aliquo, vt patet in actibus ſingulorum, de quibus Iſidorus. & habetur in decretis diſt. 21. c. cleros, & clericos & 25. diſt. c. Perlectis. & per Magiſtrum 4. Sent. diſt. 23. & 24. poteſtas iuriſdictionis reſpicit corpus Chriſti myſticum. Nam tota Eccleſia eſt vnũ corpus Chriſti myſticum, cuius Chriſtus caput eſt, vt latè declarat Apoſtolus ad Ephe. 4. Et huius corporis quilibet fidelis, membrum quoddam eſt dum in fide manet, ſiue ſit in charitate, ſiue non: ſiue ſit prædeſtinatus, ſiue præſcitus. Et ſic poteſtas, quæ reſpicit ſubditos dicitur poteſtas ſuper corpus Chriſti myſticum.

De poteſtate ordinis dicendum, ꝙ illa datur cuicunque miniſtro Eccleſiæ immediatè, ſcilicet, poteſtas conficiendi Euchariſtiam, & poteſtas omnium aliorum ordinum. Et dico, ꝙ datur immediatè à Chriſto, quia licet iſti ordines conferantur per epiſcopum: tamen poteſtas eorum non confertur per epiſcopum, ſed per Chriſtũ, ideo etiamſi nollet epiſcopus, habebit ordinatus illam poteſtatem. Et declaratur magis, quia ſi iſta poteſtas daretur à Chriſto mediante epiſcopo, ita vt epiſcopus vel collator ordinis aliquid efficeret circa illam, poſſet eam dare cum limitatione quacunque vellet, vtpotè poſſet dicere, confero tibi poteſtatem conficiendi corpus Chriſti ſolum per duos annos, vel ſolum quamdiu fueris in tali vrbe, ſicut fit in commiſſione iuriſdictionis, quia committens iuriſdictionem limitat eam reſpectu temporis & loci, ſicut ei placet, & tamen non eſt ſic in præſenti, quia licet epiſcopus vellet, vt ordinatus haberet poteſtatem conficiendi ſolum per duos annos, vel in certa vrbe, habebit tamen per totam vitam ſuam, & in quocunque loco fuerit.

Itẽ ſecundo patet hoc ex alio fundamẽto, quia qñcunque datur aliquid per hominẽ, poteſt per hominẽ tolli, ſicut in poteſtate iuriſdictionis, q̄ datur à Papa, vel ab epiſcopo, ſiue detur cum præfinitione tẽporis, ſiue non, poterit eã tollere ille, qui dedit quandocunque voluerit, & poſtea ille qui prius habuerat iuriſdictionem, manet ſicut priuata perſona, & non poteſt exercere aliquem actum iuriſdictionis. Non eſt autem ſic in poteſtate ordinis: nam epiſcopus, vel Papa non poteſt alicui ſacerdoti auferre poteſtatem conficiendi, etiamſi commiſerit mille turpiſſima & grauiſſima. Et dato ꝙ ſuſpẽdat, aut deponat, aut degradet eum, ſemper manet ei poteſtas cõficiendi, & ſi confecerit rectè & complete, facit ſicut

A ſi conficeret vnus ſanctus ſacerdos. Verum eſt tamen, quód peccat, quia contra prohibitionem Eccleſiaſticam agit.

Item tertio patet ex alio fundamento, quia tota Eccleſia confitetur & aſſerit, quod in omnibus ordinibus confertatur character, & eſt character aliquid impreſſum in anima, vt dicunt. Manifeſtum eſt ergo, quòd iſta poteſtas non poteſt cõferri, niſi ab eo, qui aliquid poteſt agere in animam, & tamen ſolus Deus attingit animam, homo autem ſolum operatur ſenſibiliter exterius circa corpus: ergo ſolus Deus dat illam poteſtatem, & ſic ab ipſo immediatè datur.

Sed aliquis dicet, quód det iſtam poteſtatem principaliter: Epiſcopi autem ordinatores dent eam miniſterialiter. Sed iſtud ridiculum eſt, & qui hoc dicunt non B intelligunt ſeipſos. Nam manifeſtum eſt generaliter, quòd in omni actione, in qua interuenit inſtrumentum, vel aliquid miniſteriale, quòd inſtrumentum immediatius attingit id, in quo fit operatio quam agens principale, vt in ſcindente ligna gladio, & in ſcribente per calamum. Nam gladius attingit ligna immediatius quàm ſcindens, calamus etiam immediatius attingit membranas quam ſcriptor. Si ergo poteſtatem ordinis Deus daret principaliter: neceſſe eſſet vt ordinator immediatius attingeret animam ordinati quam Deus: nullo modo tñ eam attingere poteſt: ergo nullo modo ordinator attingit hic inſtrumẽtaliter. Sed eſt ſic intelligendum, quód quando Epiſcopus dicit illa verba, quæ ab Eccleſia inſtituta ſunt, & exercet circa ordinandum cærimonias ab Eccleſia inductas, Deus confert ipſi ordinando poteſta- C tem ordinis.

Alia fundamenta ad hoc poſſent induci, ſed iſta ſufficiant, quia ſunt manifeſtiſſima. Ex quibus patet, quod poteſtas ordinis a Chriſto datur immediate, id eſt ab eo ſolo non agente aliquid ab hoc ordinatore tanquam principale agens, nec tanquam inſtrumentum.

CAPITVLVM LXIII.

De poteſtate iuriſdictionis in foro conſcientiæ, & contentioſo, an detur mediatè à Chriſto. & immediatè ab ordinatore, vel à committente poteſtatem. Vel an totaliter, & immediatè detur à Chriſto, quomodo fiat hoc.

D DE poteſtate autem iuriſdictionis dicendum eſt, ꝙ illa, per quam ſe habet homo habẽs illam ad ſubditos, qui ſunt partes corporis Chriſti myſtici. Et iſta poteſtas eſt duplex, ſcilicet poteſtas iuriſdictionis contentioſæ, & poteſtas iuriſdictionis fori conſcientiæ. Prima eſt in excommunicando, & abſoluendo ab excommunicatione, & audiendo, & diffiniendo in cauſis eccleſiaſticis, & iubendo, & vetando generaliter in omnibus, quæ concernunt ſtatum Eccleſiaſticum quantum ad ea, quæ manifeſta ſunt. Poteſtas fori conſcientiæ in abſoluendo a peccatis eſt. De iſta vtraque iuriſdictionis poteſtate ſolet dici, quòd confertur a Deo mediatè, & ab ordinatore vel ab Eccleſia immediate: quod a Deo conferatur manifeſtum eſt, quia tota iuriſdictio Eccleſiaſtica, tam fori contentioſi quam conſcientiæ venit E fundamentaliter ex illo verbo, quodcunque ſolueritis, &c. Matth. 16. & ex illo. Quodcũque ligaueritis, &c. Matth. 18. & ex illo, accipite Spiritum Sanctum, & quorum remiſeritis peccata, remiſſa erunt, & quorum retinueritis, retenta erunt: Io. 20. & ex ſimilibus, de quibus ſuperſedeo. Quod tamen ab ordinatore immediatè accipiatur iſta poteſtas, ſicut communiter ſolet concedi, ego quoque in præſenti concedo, ſaluo tamen præiudicio veritatis. Quia veritas eſt, quód tam poteſtas ordinis quam poteſtas iuriſdictionis datur immediate à Chriſto, ſicut manifeſtiſſimè apparet ex multis locis ſcripturæ, & ex geſtis Apoſtolorum, & dictis ſanctorũ Doctorum. Eccleſia tamen ad tollendum perturbationẽ, & confuſionem arctauit iuriſdictionem iſtã, diſtinguendo ſubditos. Et quia hoc iuſtum eſt, potuit illud Eccleſia facere, & tenet. Ideo quando ordinator, vel Eccleſia,

aut quicunque prælatus dat alicui ordinato iuriſdictio- F nem contentioſam, aut in foro conſcientiæ, nihil aliud eſt quam tollere prohibitionem, per quam ex lege eccleſiaſtica erant manus iſtius ligatæ, licet competeret ei illa iuriſdictio ſimul cum ordine, & non ſoluit manus eius totaliter, ſed ſolum, quantum ad illam partem materiæ, vel quantum ad illos ſubditos, quos ſibi aſſignat. Eſt autem ſenſus huius, quia quando aliquis ordinatur in ſacerdotem, ex conditione ordinis, & inſtitutione Chriſti competit ſibi poteſtas ordinis, de qua non eſt dubiũ, & competit ſibi poteſtas iuriſdictionis in foro conſcientiæ ſuper omnes fideles totius orbis, competit etiam poteſtas iuriſdictionis cõtentioſæ ſuper totum orbem, quia poteſt excommunicare & abſoluere. Eccleſia tamen ligauit ei manus per leges ſuas, quas iuſtè condidit, quantum ad omnia iſta.

Ideo mox, vt aliquis in ſacerdotem promotus eſt, nec poteſt abſoluere quemquam in foro pęnitentiali, nec ex- G communicare quemquam, aut abſoluere excommunicatum, quod eſt in foro contentioſo. Cum autem ordinator vel aliquis prælatus Eccleſiæ committit ei, vt poſſit aliquid in aliquo foro iſtorum, illud poteſt, & nõ amplius. Et tunc ille dicitur concedere ſibi poteſtatem, & tamen ad veritatem non eſt ei dare poteſtatem, quia illa ex ordine competebat, ſed tollere arctationem & ligationem iuſtam manuum inductam per legem Eccleſiaſticam. Tollere dico ligationem manuum non ſimpliciter, ſed quantum ad aliquid, ſcilicet, quantum ad id, quod expreſſe venit in commiſſione facta. Probare autem prædictum eſt pulchrum, & ſunt clariſſima teſtimonia. Oportebat tamen nimis immorari, quia multa ſunt fundamen H ta, nos tamen longius receſſimus ab intentione noſtra, quam volueramus, ideo omittatur, quia fortaſsis alibi dicetur vtilius. Et tamen, quantum ad præſens, non multũ differt, an daretur poteſtas iſta immediatè à Deo, & tamen quòd ligata eſſet per Eccleſiam, vel quòd detur mediatè à Chriſto, & immediatè ab Eccleſia, ſcilicet ab ordinatoribus, & alijs prælatis.

CAPITVLVM LXIV.

Quod poteſtas iuriſdictionis fori conſcientiæ, & fori contentioſi, licet ſint immediatè à Chriſto, non ſunt ita liberæ ſicut poteſtas ordinis in executione. Et quòd prælati Eccleſiæ non habent determinatè poteſtatem prælatorũ & Iudicum à lege Chriſti, ſed à legibus Eccleſiaſticis. I *Et quòd non ſunt executores legis Euangelicæ, & ſic non poſſunt punire omnes delinquentes contra Euangelium.*

HIs ergo viſis dicendum eſt reſpondendo ad dubiũ tractum, ſ. ꝙ licet ambæ poteſtates tam fori contentioſi, quam conſcientiæ competant ex lege Chriſti, non competũt ita nudè, ꝙ mox, vt quis fuerit ordinatus, poſſit exercere illas indifferenter, ſed ſunt arctatæ legibus Eccleſiaſticis, ideo ad hoc, ꝙ aliquis poſſit exercere conſcientiæ iuriſdictionem, neceſſe eſt, vt ordinator vel aliquis prælatus Eccleſiæ limitet ei materiam, ſuper quam poſſit. In foro autem contentioſæ iuriſdictionis adhuc magis manifeſtũ eſt, quia iſte eſt magis arctatus legibus Eccleſiaſticis. Ideo poteſtatem excommunicandi, & ex- K communicatos abſoluendi accipiũt ſacerdotes minores ab epiſcopis, vel competit eis ex lege Eccleſiaſtica, ſcilicet ratione aliquarum dignitatum, quas habent, quibus annexa eſt contentioſa iuriſdictio, ſiue competat de iure ſcripto, ſiue de cõſuetudine, quia totum eſt ius. Epiſcopi autem accipiunt poteſtatem, & iuriſdictionem a Papa. Ipſe autem Papa accipit poteſtatem immediatè ab ipſo Deo. Vel accipit eam a matre ſua Eccleſia, cuius filius, & membrum eſt, in qua eſt plenitudo totius poteſtatis conceſſæ ſibi à Chriſto. Non dico, quòd à Cardinalibus, vel ab electoribus, aut a conſecratore accipiat, aut ab aliquo alio homine, aut à toto clero, vel a multis hominibus, ſed à matre ſua Eccleſia, quæ maior eſt, quam ipſe, cum ipſe ſit filius eius, & membrum. Immorari autem his non conuenit, quia latiſſimus proceſſus eſſet, ſi de his omnibus agendum foret. Hoc poſito dicendum, quòd poteſtates iſtorum non ſunt abſolutæ, vel illimitatæ, ſed ligatæ legibus, ſecundum quas poteſtatem acceperunt. Nam Eccleſia habet regulas, quas canones appellat, & ſecundum illas diſtinguuntur iſtæ poteſtates, & conceduntur. Solus ſummus Pontifex eſt ſupra leges humanas, qui omnia poteſt, præterquam in duobus caſibus, quos excipit lex diuina.

Primus eſt, quòd non agat in manifeſtum damnum, vel decolorationem ſtatus Eccleſiæ vniuerſalis. Nam quantum ad hoc nihil poteſt. Sicut dicit Apoſtol. 2. ad Corin. 13. ꝙ data eſt nobis poteſtas nõ in deſtructionem, ſed in conſtitutionem.

Secundus caſus eſt, quòd intentio Papæ fundet ſe ſuper veritatem. Nam ſi ſuper falſitatem ſe fundet, nihil facit. Dicit Apoſtolus: contra veritatem autem nihil poſſumus. ſecundo ad Corinth. decimotertio capit. Omnes alij miniſtri Eccleſiæ, ſicut accipiunt poteſtatem per leges Eccleſiaſticas, ita habent limitatam iuriſdictionem ſecundum illas leges, & tamen leges Eccleſiaſticæ, quas canones appellamus, non tribuunt pt̃atem ad iudicandum, vel ad puniendum omnia delicta, nec ad arctandũ hominem ad actus omnium virtutum, ſed certa delicta puniunt, ſcilicet, ea, quæ poſſunt venire in contẽtionem, de quibus iudicium publicè agi poteſt. Quòd ergo prælatus Eccleſiæ velit iuriſdictionem ſuam contentioſam extendere ad omnia delicta, vel vitia quæcunque puniendum, & vetandum illa, excedet terminos poteſtatis ſuæ, quia leges illæ, per quas ipſe eſt prælatus, & habet contentioſam iuriſdictionem limitant poteſtatem eius ad certum modum, & ſi velit ſuperexcedere, efficietur perſona priuata, & non erit ſibi parendum. Cum autem dicatur, quod iſti ſunt miniſtri Chriſti, & habent exequi legem eius: dicendum, quòd verum eſt, quòd habent iſtud miniſterium, ſed non competit eis ſolum per legem Chriſti, ſed magis determinatè competit per canones ordinatos ab Eccleſia, licet origo iuriſdictionis veniat a lege Euangelica, & tamen per leges Eccleſiaſticas non conſtituuntur Iudices omnium delictorum, nec efficiuntur executores legis Euangelicæ, ſed ſolum ipſorum canonum Eccleſiaſticorum, per quos acceperunt iuriſdictionem, ergo non licet eis vltra ſe extendere.

CAPITVLVM LXV.

Soli ſacerdotes, inquantum poſſunt in foro cõſcientiæ, ſunt executores legis Euangelicæ ſecundum totam ſuam latitudinem, & ad iſtos pertinet punire omnia vitia, quæ in lege Chriſti vetantur, & nullus alius quantæcunque poteſtatis, aut ſanctitatis hoc poteſt, & quare hoc fiat.

SEd dicendum eſt, quòd executores legis Euangelicæ quantum ad ſuam totam latitudinem ſunt illi, qui habent iuriſdictionem fori conſcientiæ, & ad illos pertinet vetare omnia vitia, & punire illa. Nam prælati Eccleſiaſtici habentes contentioſam iuriſdictionem, licet ex eo, quòd ſunt Eccleſiaſtici, ſint miniſtri Chriſti, tamen ex eo, quòd contentioſam exercent iuriſdictionem, ſolum ſe extendit poteſtas ſua ad illa, quæ in contentionem venire poſſunt, vt demonſtrat nomen iuriſdictionis contentioſæ; manifeſtum eſt quædam, & multa genera peccatorum eſſe, quæ in contentionem venire non poſſunt, cum per ea non turbetur ſtatus politicus, nec ſtatus Eccleſiaſticus, ideo illa alteri foro relinquenda ſunt. Iſte autem eſt forus conſcientiæ. Et ſic habentes forum conſcientiæ vetant omnia vitia, & puniunt. Nam ſacerdos in confeſſione mandat peccatori non ſolum abſtinere à publicis, ſed etiam ab occultis peccatis. Et non ſolum ab illis, quæ aliquem lædunt, ſed etiam ab illis, quæ neminem tangunt. Et non ſolum à mortalibus, ſed etiam a venialibus, & pro omnibus iſtis pęnam imponit, ſ. pęnitentiam arbitrariã. Et in iſto foro punitur fornicatio ſimplex cum meretrice, nec toleratur vllo modo, licet leges politicę illam tolerent. Hic etiam pœna imponitur pro gra-

uis cogitationibus etiam non exiſtentibus in actu, licet lex humana dicat, prauæ cogitationis nemo pœnam meretur, & ſic de omnibus alijs vitijs quantumcunque paruis, etiamſi in nullius nocumentum proueniant: etiam habentes iuriſdictionem fori conſcientiæ, ſunt executores plenarij legis Euangelicæ quantum ad totam ſuam latitudinem, & nulli alij hoc poſſunt quantæcunque poteſtatis iuriſdictionis, & honoris, aut ſanctitatis ſint.

Ratio autem huius eſt, quia præſidentes iuriſdictioni contentioſæ, licet præſint perſonis merè eccleſiaſticis, tamen præſunt eis quantum ad id, quod eas reſpicit mutuo, de quo inter eas contentio oriri poteſt. Sed de omni peccato non poteſt fieri quæſtio, aut cõtentio, vt dictum eſt. Qui autem præſunt foro conſcientiæ præſunt hominibus in relatione ad Deum. Nam confiteri non eſt introductum per aliquam pacem, vel bonum communitatis eccleſiaſticæ, aut ſecularis, ſed ex mandato Dei, vt puri efficiantur homines ad communicandum merita Paſſionis Chriſti, & ſic recipiantur in conſortio Dei. Et tamen ad participandum merita Paſſionis Chriſti, oportet hominem eſſe mundum, ſicut Chriſtus fuit mundus, qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius 1. Petri. 2. ſed non eſt mundus, qui agit aliquid de his, quæ Chriſtus vetat, & iudicat eſſe digna punitione, ergo qui præeſt iuriſdictioni fori conſcientiæ, quantum ad omnia iſta habet poteſtatem, cum dirigat homines in Deum, & ipſe ſolus eſt executor plenarius legis Euangelicæ.

CAPITVLVM LXVI.

An lex Euangelica habeat ſolum in futuro executorem, vel habeat hic. Et quòd habeat hic principalem, & directum, & in futuro habeat executorem ſubſidiarium.

ALiqui putauerunt, quòd lex Euangelica non habeat in præſenti ſeculo aliquem executorem, ſed in futuro, quia ibi punientur omnia delicta, hic autem multa impunita manent.

Dicendum, quòd non eſt conuenienter dictum, quia tunc fruſtra eſſet poſita, ſi nullus eſſet hic executor eius, quia incideremus tunc in illud, quod dicit legiſlator, ſcilicet parum prodeſt iura condere, niſi ſit, qui ea tueatur, & tamen non exiſtente hic aliquo executore eius, nemo haberet curam de illa, an compleretur, vel violaretur, quod eſſet eam facere penitus inutilem, ideo ponendus eſt hic aliquis executor.

Item patet, quòd lex Euangelica pro iſto ſeculo poſita eſt, & non pro futuro, quia in futuro non erit locus bonorum, vel malorum operum regulandorum à lege, ſed erit locus felicitatis extremæ, & miſeriæ, & recipiẽdi, quod hic egerimus. Hic ergo prodeſt obſeruari Euãgelicam legem, & non in futuro: ergo hic debet poni executor, & non in futuro, quia alias eſſet ſicut ſi quis nollet iumento pabulum dare, & fame deficeret, & iam mortuo abundanter daret cibum.

Cum autem dicitur, quòd in futuro ſeculo eſt executor huius legis, quia ibi puniuntur omnia vitia, quæ lex iſta vetuit, dicendum quòd ibi eſt executor quaſi ſubſidiarius, & tamen principalis executor conueniens legi hic eſt. Nam hic eſt executor, qui incitat ad obſeruationem legis Euangelicæ promittendo largiſſima bona vitæ æternæ, & ipſemet punit quæcunque errata contra iſtam legem imponendo pœnitentiam. Si autem aliquid hinc impunitum vadit, ſcilicet quia iſte executor non impoſuit ſufficientem, & condignam pœnitentiam, nec pœnitens eam in ſe ſponte exercuit, manet executor futuri ſeculi, qui hæc reſidua cremat in conflatorio purgatorij ignis, quouſque tollatur vniuerſa rubigo.

Si autem aliquod peccatũ eſt, quod nullo modo per iſtum executorem punitur in toto, nec in parte, in re, nec in propoſito, ſicut ſunt peccata illorũ, qui in mortalibus decedũt, manet executor futuri ſeculi, qui vniuerſa hæc gehennalibus exuret flammis, nũquam tamen ad purũ
A reducenda. Et ſic ille executor eſt in defectum iſtius, ſ. quia id, quod hic non fuerit executioni traditum, ibi compleretur, ſi tamen hic plenè omnia demandarentur executioni executor nullus ibi foret.

CAPITVLVM LXVII.

Quod iuriſdictio fori conſcientiæ eſt nobilior, & excellentior quam alia iuriſdictio in tribus, & quomodo, & quantum, & ad quid intelligitur, quòd omnes pœnitentiæ ſint arbitrariæ.

EX his apparet, quòd illi, qui præſunt iuriſdictioni fori conſcientiæ habent nobiliorem iuriſdictionem
B quam quicunque alij in multis.

Primò quia ipſi ſoli ſunt executores, & Iudices per legem Chriſti ſecundum totam ſuam latitudinem, & tamen magna dignitas eſt, quòd quis ſit executor, & Iudex datus per legem Chriſti, quæ in immenſum excedit omnes alias leges.

Secundò excedunt alios in latitudine iuriſdictionis, quia omnes aliæ iuriſdictiones ſunt limitatæ ad certa genera peccatorum, vel rerum. Forum autem conſcientiæ comprehendit quidquid cogitari, dici, aut fieri poteſt. Nam in quolibet iſtorũ poteſt peccari, & ad quodlibet peccatum extenditur forum iſtud: imò, quod plus eſt, extenditur ad aliquid, quod nec dicitur, nec cogitatur, nec fit, ſ. ad delicta omiſſionis, quia aliquando pec-
C cat homo per omiſſionem, ſ. omittendo facere, vel dicere aliquid, quod facturus, dicturus, aut cogitaturus erat, & de his etiam forum conſcientiæ iudicat. Tertiò excedit iſtud forum alios, quia eſt minus aſtrictus legi. Nam cæteræ poteſtates iuriſdictionales ſunt coarctatæ legibus, ita vt non liceat iudici facere, quod voluerit, ſ. imponere quamcunque pœnam voluerit, vel remittere in totum, ſed cogitur infligere pœnam à lege taxatam, niſi ſit talis, qui non ſit ſubiectus legibus. In hoc autẽ foro poteſt Iudex infligere quamcũque pœnam voluerit iuxta arbitrium. Omnes namque pœnæ arbitrariæ ſunt. Hoc autem verum eſt quantum ad id, quod imponitur nomine pœnæ, ſecus autem quantum ad id, quod venit nomine ſatisfactionis, quod non eſt pœna. Nam in illo non
D poteſt confeſſor taxare, vel moderari, ſ. quantum incumbit ſatisfaciendum. Hoc autem dixiſſe placet propter quoſdam ſimplices confeſſores, qui cum audiant Eccleſiam conſtituiſſe omnes pœnitentias arbitrarias, putant q̃d de omni eo, quod in confeſſione venerit, poſſint ipſi arbitrari, ideò ſi quis cõfiteatur, quòd furatus fuerit mille, vel quòd intulit alicui in damnum centum, iubent confiteri, vt det aliquam paruam eleemoſynam, vel vt faciat dici miſſas aliquot, & totum reſiduum remittunt. Decipiunt tamen iſti ſeipſos, & decipiunt confitentes, quia Eccleſia dedit eis poteſtatem arbitrandi ſuper eo, quod eſt debitum Deo, nõ tamen ſuper eo, quod eſt debitum proximo, quia aliàs Sacramentum Pœnitentiæ eſſet medium ad patrandum grauiſſima furta, & per iſtũ modum turbarentur omnia, & deſtrueretur reſpublica, ſi confeſſor poſſet peccatorem abſoluere ab eo, quod
E mihi debitum eſt, & ſic nulla eſſet maior iniquitas quã Sacramentum Pœnitentiæ. Eſt ergo aduertendum, quod ſi quis furatur alteri mille, vel infert ei damnum in centum, eſt hic duplex offenſa: vna, quæ fit Deo, contra cuius legem iſte fecit furando, & pro iſta debetur certa pœna, quam poteſt confeſſor moderari ad arbitrium. Alia offenſa fit ei, cui ablata ſunt centum, vel mille furtim, aut cui damnum irrogatum eſt, & circa iſtam nihil poteſt ſacerdos taxare, vel moderari, ſed cogitur iubere illi, vt reddat tantum quantum damni intulit, & non ſolum quantum valet res furto ſublata, ſed etiam damna, & intereſſe, ſi talis res eſſet, cuius abſentia tempore intermedio damna afferret Domino.

CAPITVLVM LXVIII.

Quod Concilium generale ſit congregatio excellentior omnibus congregationibus, & omnibus perſonis publicis, vel priuatis, & quæ ſint excellentia ſua ſuper omnes congregationes, & quod illud ſolum repræſentet ſufficienter Eccleſiam vniuerſalem.

OMnibus his incidenter pertranſactis, redeamus ad id, vnde longe digreſſi fueramus, ſcilicet, quod eccleſia Chriſti eſt valdè benè ordinata, melius quam ſtatus Veteris Teſtamenti, licet nunc non ſint Prophetę, nec aliqui modi conſulendi Dominum, ſicut tunc, ſed nunc omnia dubia, quæ euenire poſſunt circa fidem determinantur per eccleſiam, ſcilicet per generalem ſynodum legitimè congregatam, quæ non poteſt errare in his, quę fidei ſunt, & gerit ſufficienter vicem eccleſiæ totius vniuerſalis, & illam repræſentat. Et hoc patet, quia nulla perſona ſingularis, vel publica quantæcunque dignitatis, vel ſanctitatis, poteſt ſufficienter repræſentare eccleſiam vniuerſalem, & conditionem eius habere. Nulla etiam alia congregatio, vel multitudo quantumcunque grauis eccleſiaſticorum, vel ſecularium poteſt repræſentare eccleſiam vniuerſalem, quia quælibet alia præter iſtam poteſt errare. Vndè omnes maiores noſtri in eccleſia nulli congregationi indubitatam fidem dederunt, niſi iſti.

Eccleſia vniuerſalis repręſentari pōt ſolū per generalē ſynodū.

Et hoc apparet in aliquibus, quibus vtitur ſynodus generalis quibus nulla alia congregatio, vel multitudo vtitur. Nam dicitur congregata in Spiritu Sancto. Sic patet ex ſuperſcriptione literarum, qua vtitur quælibet ſynodus generalis, & incipit, ſcilicet, Sacro Sancta ſynodus generalis in Spiritu Sancto legitime congregata generale Concilium faciens, eccleſiam vniuerſalem repræſentans. Item, quod maius eſt in diffinitionibus, quas facit ſynodus generalis aſſerit cooperari ſibi Spiritum Sanctum, ſicut in illa famoſa ſynodo generali eccleſiæ primitiuæ, in qua interfuerunt Apoſtoli. Nam diffiniendo, dixerunt. Placuit Spiritui ſancto, & nobis congregatis in vnum &c. Actuum 15. & tamen nullus Iudex quantæcunque ſanctitatis, & nulla multitudo in diffiniendo aliquid dicit, placuit Spiritui ſancto, & nobis. Et ſic apparet iſtam eſſe digniſſimam omnium, quæ repræſentare poſſit vniuerſalem eccleſiam. Et quia vbicunque Spiritus ſanctus interuenit, non poteſt eſſe error, ergo non poteſt eccleſia vniuerſalis errare, ſcilicet, ſacra ſynodus generalis eam repræſentans, quæ Spiritu ſancto regitur in diffinitionibus, quas facit in fide. Et ob hoc rectè ſacrum Concilium eſt in fide magiſter omnium catholicorum, & etiam Papæ, & declarat ei quid tenere debeat, & illi obligantur ſequi eius diffinitionem.

Conciliū generale oībus fidelibus, & Papæ imponit q̄d ſequi debeant.

CAPITVLM LXIX.

Quod Concilium generale non poteſt errare in moribus, & quod omnes tenentur obedire eius decretis, licet decreta ſua quantum ad mores ſint mutabilia, & diſpenſabilia, & quod ſupremum tribunal Eccleſiæ conſtituit Chriſtus in Concilio generali, etiam ſupra Papam.

K SIcut autem alma mater eccleſia, ſcilicet, ſynodus generalis non poteſt errare in fide, ita non poteſt errare in moribus, quia mores ſunt de neceſſarijs ad ſalutem æternam, ideo in omnibus diffinitionibus ſuis factis circa mores ſibi indubitanter adhærendum eſt tanquam non potenti errare. Hoc tamen non tollit quin aliquæ ordinationes factæ per Concilium ſuper moribus, & præcipue in cæremonialibus poſſint poſtea mutari per illud, vel aliud Concilium, quia in diuerſis temporibus variatur qualitas legum, & illæ, quæ prius fuerant bonæ, tractu temporis eſſe nociuę incipiunt. Et tamē quando mutatæ fuerunt iſtę leges per iſtam ſynodum, vel per aliam non arguitur eas fuiſſe malas a principio, & errare eccleſiā, ſed fuerunt bonæ, q̄n datæ ſunt, & poſtea tractu temporis incipiunt non eſſe bonæ, de quo ſupra magis dictum eſt.

F In talibus etiam conſtitutionibus, licet Papa poſſit diſpenſare, cum ſit caput miniſteriale eccleſiæ, vel membrum eius præcipuum, potiſſime cum tales conſtitutiones non habeant cauſam ſemper manendi, non eſt inconueniens, nec negamus, dum tamen hoc non faciat contra prohibitionem expreſſam generalis Concilij, quia tunc manifeſtum eſt auctoritatem eccleſiæ eſſe maiorem eius auctoritate, qui membrum eſt illius, cum illa non poſſit errare, nec in fide, nec in moribus, ille autem in vtroque errare poteſt, & ſæpè repertum eſt, ꝙ Summi Pontifices in vtroque errauerint.

Ob hoc autem Chriſtus conſtituit ſupremum tribunal in eccleſia in ſacro Concilio, etiam ſupra Papam. Et non ſolum in pertinentibus ad fidem, ſed etiam quantū ad actiones, quæ omnia patēt manifeſtiſſimè ex illo verbo Domini Matth. 18. cap. ſcilicet, ſi peccauerit in te G frater tuus, corrige eum inter te, & ipſum ſolum, ꝙ ſi te non audierit, dic eccleſię, & ſi non audierit eccleſiam, ſit tibi quaſi ethnicus, & publicanus.

CAPITVLVM LXX.

Quomodo ex illa auctoritate Chriſti, ſcilicet ſi peccauerit in te frater tuus, eliciuntur quatuor dicta de auctoritate Concilij ſupra Papam, & quòd non poteſt ibi accipi Eccleſia pro Iudice particulari nec pro Eccleſia vniuerſali quæ eſt vniuerſitas Chriſtianorum diſperſorum, ſed neceſſario accipitur pro Concilio generali.

H EX hac auctoritate quatuor probātur. Primum quòd Chriſtus loquitur hic de generali Concilio. Secundum, ꝙ poſuit Chriſtus vltimum tribunal eccleſię in ſacro generali Concilio, ita quòd poſt illud non ſit ad aliquem recurrendum.

Tertium, quod etiam Concilium ſit ſupra Papam, & quod ſuper ſtatu Papæ poſſit adiri generale Concilium.

Quartum, quod non ſolum ſit hoc in pertinentibus ad fidem, de quibus nemo dubitat Concilium generale excedere Papam, ſed etiam in pertinentibus ad actiones morales, de quibus aliqui interdum dubitant.

Primum, ſ ꝙ loquitur hic Chriſtus de generali Concilio probatur, quia Chriſtus dixit, ꝙ ſi peccator non audierit correctionem coram teſtibus, vt dicatur eccleſiæ. Aliqui autem accipiunt eccleſiam pro Iudice eccleſiaſtico, ſed non conuenit, quia Beatus Petrus, qui erat Papa I remittitur hic ad eccleſiam, cum dicat hic Chriſtus, dic eccleſiæ, nullus tamen Iudex eſt ſupra Papam: ergo non poteſt accipi pro Iudice, ſed debet accipi pro eccleſia. Et neceſſe eſt, vt accipiatur pro eccleſia vniuerſali, q̄a aliàs nō poneretur in ea vltimum tribunal, ſicut Chriſtus hic conſtituit, quia adhuc maneret recurſus ad vniuerſalem eccleſiam, quæ mater eſt omnium eccleſiarū. Hoc dato, vel accipietur pro vniuerſali eccleſia cōgregata, vel pro diſperſa, non quidem poteſt accipi pro vniuerſali eccleſia, quæ eſt vniuerſitas Chriſtianorum diſperſa per orbem: ergo debet accipi pro eccleſia vniuerſali congregata, quæ eſt ſacta ſynodus generalis legitime congregata. Quod autem non poſſit accipi pro eccleſia diſperſa, quę eſt Chriſtianorum vniuerſitas, patet dupliciter.

Primo quia Chriſtus remiſit hic Petrum ad eccleſiam K ad denunciandum ei delictum peccantis. Et eſt forma, quam nos tenere debemus in fraterna correctione. manifeſtum eſt tamen, quod impoſſibile eſt, vt aliquis denunciet peccatum toti eccleſiæ, quia tunc oporteret, diſcurrere per totum orbem vbicunque eſſent aliqui Chriſtiani, ita vt nullus Chriſtianus maneret, cui nō notificaret, quod cuilibet videtur impoſſibile. Et non ſolum ſi cuilibet notificandum ſit, ſed etiam ſi notificandum ſit omnibus ciuitatibus particularibus, eſſet difficillimum & quaſi impoſſibile. Chriſtus autem nihil tale mandauit, cum ipſe dixerit. Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue.

Secundo patet, quia Chriſtus dixit hic, quòd ſi eccleſiam non audierit, ſit tibi quaſi ethnicus, & publicanus, ex quo apparet, quòd illa eccleſia, cui mandatur denun-

ciare delictum, eſt talis, quæ poteſt aliquid dicere peccanti, in quo ipſe eam debeat audire. Eccleſia tamen vniuerſalis, prout eſt vniuerſitas Chriſtianorum, non poteſt per ſeipſam aliquid dicere, aut facere, cum ſit quædam vniuerſitas multorum Chriſtianorum diſperſorum per totum orbem, qui nunquam conueniunt, nec conuenire, aut concurrere poſſunt in aliquem vnum actum, ideo nullus actus eſt, qui poſſet dici factus eſſe ab vniuerſali Eccleſia iſto modo accipiendo. Neceſſe eſt ergo accipi de Sacro Concilio Generali, quód vocatur Eccleſia vniuerſalis per ſufficientem repræſentationem. Et iſtud poteſt mandare delinquenti, vt ſe emendet, & imponere ei pœnam ſalutarem, & ſi non ſe emendauerit, habendus eſt tanquam publicanus. Concilio enim Generali bene competunt actus. Nam diffinitiones in fide, & moribus nomine Sacri Concilij fiunt, & Concilium diffinit in B cauſis, & audit illas, & excommunicat, & abſoluit, & facit omnes actus iuriſdictionis, licet alias iſti actus videantur eſſe ſuppoſitorum, quia non ſunt ſuppoſitorum, vt ſingulorum, ſed vt eis reſultat quædam vna communitas, vel quoddam corpus iuris, quod vocatur vniuerſitas, & ratione iſtius reſultationis competit eis, quod nó competeret eis omnibus, etiamſi eſſent congregati non ſub hoc nomine, nec titulo.

CAPITVLVM LXXI.

Secundum dictum ex eadem auctoritate, ſi peccauerit, ſcilicet, quod Chriſtus poſuit ſupremum tribunal Eccleſiæ in Concilio Generali, & quod poſt illud non ſit ad aliud recurrendum.

C

SEcundú erat, quód Chriſtus poſuit in Generali Concilio ſupremum tribunal Eccleſiæ, & quod poſt illud non ſit ad aliquem recurrendum. Hoc patet, quia cum aliquis peccat, primo ille, qui nouit peccatum, debet eum admonere inter ſe, & illum ſolum, & ſi ſic non vult emendari, debet adhibere poſtea duo, vel tres teſtes, & coram ipſis debet rurſum admonere peccantem. Et ſi ſic non emendetur, debet dicere Eccleſiæ, id eſt Generali Concilio, & poſtea non ponitur aliquis, cui debeat denunciari, etiamſi non audierit ille Eccleſiam. Sed dicitur, ſi nó audierit Eccleſiam ſit tibi, quaſi ethnicus, & publicanus, & non ponitur aliquod aliud remedium. Si tamen eſſet adhuc aliud tribunal, ad quod poſ- D ſet recurri, non diceretur, quod peccator habendus eſſet tanquam ethnicus, & publicanus, quouſque denunciaretur peccatum coram illo tribunali, & ibi increpitus non audiret. Eccleſia ergo iſta vniuerſalis, id eſt Concilium Generale eſt vltimum tribunal, ad quod in Eccleſia recurri debet, aut poteſt. An ergo in omni correctione fraterna, quando peccator non audit, deueniendum ſit per media vſque ad Generale Concilium, & an in correctione illa debeant teneri alia intermedia, quæ Chriſtus hic non expreſſit, non pertinet ad præſentem conſiderationem. Dicetur forte Deo dante ſuper Matthæum ſuo loco. Quód autem ſic debeat intelligi iſta auctoritas, teſtis eſt nobis Beatus Hieronymus, qui loquens de clauibus, cui traditæ ſunt, ſcilicet an Beato Petro an toti Eccleſiæ, ait. Has claues regni cęlorum ligan E di, & ſoluendi non vnus homo, ſed vnitas accepit Eccleſiæ, ſcilicet vnitas Eccleſiæ vniuerſalis. Et ſubinfert. Hanc domum ſi quis corrigentem corripientemq; audire contempſerit, ſit tibi quaſi ethnicus, & publicanus. Et ſic vult, quód Eccleſia vniuerſalis ſit iſta, quæ debet vltimo audiri in correctione fraterna, cum vocet eam vnitatem Eccleſiæ. Quod non competit, niſi Eccleſiæ vniuerſali. Et quia corrigere, & corripere poteſt, neceſſe eſt, quód non ſit ipſa vniuerſitas Chriſtianorum diſperſa, ſed multitudo congregata, ſcilicet Generalis Concilij, cui competit corrigere, & corripere quemlibet fidelem, & quilibet tenetur ei obedire, intantum, quod qui non audierit habendus ſit, vt paganus, & extra legem Chriſti.

A

CAPITVLVM LXXII.

Tertium dictum ex eadé auctoritate ſi peccauerit, quód Concilium Generale ſit ſuper omnes homines etiam ſupra Papam, & quód in tangentibus ſtatum Papæ poſſit recurri ad Concilium Generale et quód Beatus Petrus Papa conceſſit ſe minorem Concilio Generali.

TErtiú erat, ꝙ Conciliú Generale ſit ét ſupra Papã, & ꝙ in tangentibus ſtatú Papæ poſſit adiri Concilium Generale, & in hoc ſunt rurſus duæ particulæ. Prima eſt, ꝙ Conciliú ſit ſupra Papam. Secúda eſt, ꝙ poſſit adiri Conciliú in tangentibus Papam, ſ. ꝙ aliquis poſſit accuſare Papã, vel denúciare de eo corã Generali Cócilio. Prima patet ex ordine literæ hic. Nã ille, qui q̃ſiuit núc B á Chriſto, & cui Chriſtus reſpondit, fuit Beatus Petrus. Nam ipſe quæſierat quoties remittẽdú erat hominu peccãti in nos, & poſtquã Chriſtus rñdit ſibi ad hoc, dixit ſibi. Si peccauerit in te frater tuus corripe eú inter te, & eú ſolum &c. & poſtea ſubdit, ꝙ ſi illos nó audierit dic Eccleſiæ. Et ſic remittit Petrú ad denunciandum crimen peccatoris Eccleſiæ. Ex quo patet, ꝙ ſuperior eſt illa Eccleſia, ad quã Petrus remittitur quã ipſe Petrus. Quia in Iudicibus ſemper ſit recurſus de inferiori ad ſuperiorẽ. Et ſi Petrus eſſet maior quã Eccleſia, vel ſaltẽ æqualis ei nó remitteretur ad eã, ſed ſufficeret, ꝙ conſtaret ſibi de delicto, & puniret illud. Nã Iudex ſuperior nunq̃ litigat corã inferiore, nec appellatur á ſuperiore ad inferiorem, ſed é contrario: ergo Eccleſia illa, ſ. Conciliú Generale ſupra Petró erat, qui erat Papa. Bené autẽ conceſſit C Petrus in actibus ſuis, & oſtendit, ꝙ Concilium Generale eſſet maior eo, quia ipſe ſubibat mandata Generalis Concilij. Etiam increpitus obiecta ſibi auctoritate Sacri Concilij Generalis tacuit. Primum patet, quia Apoſtoli, & ſeniores, qui erant congregati in Ieruſalem facientes Generale Conciliú, & audientes, ꝙ Samaria recepit verbú Dei, miſerunt ad eos Petrum, & Ioánem. Ecce patet, ꝙ Concilium putabat ſibi licere mandare, quod vellet iſtis duobus Apoſtolis, & quibuſcunq; alijs. Et ipſi non reſtiterunt, ſed mox ſuſcepto mandato congregationis iuerunt illuc. Sic patet Actuum 8. Secúdum patet, ꝙ qñ Petrus ſubtrahebat ſe a gentibus, & nó manducabat cú eis de cibis cõibus, ſed cępit obſeruare legalia propter quoſdam, qui venerant a Iacobo, & erãt de circúciſione, D & propter hanc ſimulationem ſcandalizarentur gentiles, putantes, quód etiam tenerentur obſeruare legaliã, Paulus increpuit Petrum dicens, quód non ambularet ad veritatem ſacri Euãgelij, id eſt determinationis factæ in Concilio, cui erat obediendum, ſicut in Euangelio, nã in Euangelio Chriſti nihil dicebatur de obſeruãdo, vel nó obſeruando legalia, cóſeſtim quippe Petrus tacuit, & non rñdit ad increpationem Pauli, quãuis eum dure increpauit. In quo apparet, ꝙ Paulus credebat Petrum obligatum ad obſeruandum determinata per Concilium Generale, quia alias nó iuſte eum increpaſſet. Etiam Petrus credebat ſe ſubditum Concilij determinationi, & ſtatuto, quia alias reſpondiſſet Paulo increpanti eum, & non conceſſiſſet per taciturnitatem ſe peccaſſe, & ſic apparet, quód Petrus credebat ſe inferiorem Concilio.

Auctor ſ. Matth. c. 5. q. 165. dit Papã eſſe ſupremũ Eccl. Hierarcham, & pertinere ad eũ diſponere de oẽbus negocijs Eccleſię.

CAPITVLVM LXXIII.

An poſſit euitari poteſtas, & auctoritas Concilij Generalis ſupra Papam ex eo, quód quando Chriſtus dixit Petro, ſi peccauerit in te &c. non erat Petrus Papa ſed perſona priuata, & quód non, ſed neceſſe ſit intelligi pro tempore, quo Petrus erat Papa.

SEd aliquis dicet, ꝙ iſta non ſtant, quia licet Chriſtus dicat iſta Petro, tamen ipſe non erat tunc Papa, quia non fuit Papa, niſi poſt mortem Chriſti. Ipſo autem viuente ipſe erat Papa, & Dominus, & legiſlator, & vt cóprehenſiue dicamus, ipſe erat omnia, ideo Petrus erat túc perſona priuata. Et ſic dato, ꝙ remittatur ipſe ad Eccleſiam ad denunciandum delicta fratris, non ſequitur

Papam remitti ad Concilium, vel Concilium eſt ſupra Papam,& tenere ſuper eum tribunal iuriſdictionis. Dicendum, ꝙ hoc non ſtat, ſed benè colligitur ex hoc loco Concilium eſſe ſupra Papam. Nam licet tempore Chriſti Beatus Petrus non eſſet Papa,ſed adhuc in minoribus conſtitutus,ſicut quilibet aliorum Apoſtolorum, tamen iſtud, quod Chriſtus dixit ei,ſ.ſi peccauerit in te frater tuus: dixit ei pro tempore, quo erat futurus Papa,quod patet, quia immediate, vt Chriſtus mortuus eſt,fuit Petrus Papa propter poteſtatem ſibi traditã à Chriſto,quia non erat manſura Eccleſia ſine capite præſente miniſteriali,vel vero,& tamen Chriſtus dixit hoc Petro nõ pro tempore, quo Chriſtus viueret inter homines, quia illo tempore non erat neceſſarius ille ordo in correctione fraterna. Nec eſt dicendum, ꝙ tempore Chriſti ſi quis Chriſtianus vellet fratrem ſuum corrigere de peccato, G deberet vltimo recurrere ad Eccleſiam, & poſt eam non haberet, ad quem recurreret,ſed habẽdus eſſet peccator velut ethnicus,& publicanus,ſed recurrendum eſſet ad Chriſtum.Nam cum ipſe eſſet Deus,& legiſlator,& caput,& auctor Noui Teſtamenti: ad ipſum eſſet recurrendum vltimate in omnibus ſimpliciter, & potiſſime in illis, quæ concernebant teſtamentum,ſiue legem, quam ipſe dabat, & tamen remittiꝫ hic Chriſtus Petrum ad Eccleſiam vltimatè, quaſi non ſit aliquis altus, qui poſt illam poſſit adiri: cum immediatè Eccleſia non audita iubet peccatorem habendum tanquam publicanum, & ethnicum.ergo videtur,ꝙ loquitur de tempore,quo ipſe non eſſet conuerſatiuus inter homines, & nõ poſſet ad eum recurri. Ex quo apparet,ꝙ poſt mortem Chriſti Petrus in correctione fraterna remittitur vltimatè ad Eccle H ſiam,& tamen Petrus erat tunc Papa: ergo Petrus,quando erat Papa, remittebatur ad Eccleſiam. Si autẽ aliquis contendere velit cõtra id, quod ſupra diximus,ſcilicet, ꝙ Petrus non fuerit Papa mox, vt Chriſtus mortuus eſt, licet hoc ſufficienter probari poſſet, quia tamen nõ facit aliquid ad propoſitum, an immediatè,vel aliquanto tẽpore poſt effectus fuerit Papa,non curabimus in præſenti, & forte in alio loco opportunius comprobabimus. Nam dato, ꝙ aliquis dicat Beatum Petrum non fuiſſe Papam illico,vt Chriſtus mortuus eſt,neceſſe tamen habet concedere,ꝙ Petrus fuerit aliquo tempore Papa poſt Chriſti mortem, cum ipſe ponatur primus Vicarius, & ſucceſſor Chriſti. iſta tamen lex de correctione fraternã,quæ data fuit omnibus in perſona Petri,neceſſe erat, vt competeret Petro poſt mortem Chriſti quandocunq; I occurreret ſibi frater,qui peccaret in ipſũ, & lex non eſſet data pro certo tempore, ſed ad æternum quamdiu Nouum Teſtamẽtum duraret: ergo Petrus exiſtens Papa ad Eccleſiam aliquando iturus erat pro correctione fraterna.Et accipitur Eccleſia pro Concilio,vt ſupra probatum eſt:ergo Papa ad Concilium generale remittitur,& Concilium generale eſt ſuperius.

CAPITVLVM LXXIV.

Quod crimina Papæ poſſint denunciari in Concilio generali, & ibi poſſit accuſari de eis. K

SEcunda particula huius tertij dicti erat,quod in tangentibus ſtatum Papæ poteſt generale Concilium adiri per viam denunciationis,aut accuſationis, ſcilicet, ꝙ aliquis poteſt denunciare Papæ peccatum coram Concilio generali,vel accuſare eum de crimine.Et hoc patet ex prædicta auctoritate ſumpta per contrarium. Nam ſupra probabamus, ꝙ Papa remittitur ad Concilium generale denunciando peccatum alicuius,ſcilicet, quia Beatus Petrus, qui erat Papa,& remittebatur ad eccleſiam. Nunc autem dicimus, ꝙ ſi Papa peccauerit, & aliquis cognouerit peccatum eius, ꝙ poteſt denunciare illud in Concilio. Quod patet, quia ſicut iſta lex data eſt in perſona Petri,eo ꝙ ipſo interrogante data eſt, ita & ad ceteros Chriſtianos pertinebat, ſicut nunc tenet tota eccleſia, & eſt manifeſtum, quia alias fuiſſet iſta lex perſonalis,quę comprehẽderet ſolum Petrum,& duraret ſolum

F tempore ſuo,Chriſtus tñ non dedit leges perſonales,nec locales,nec temporales,ſed omnino generales duraturas ad omne tempus,comprehendentes oẽm ſexum,ętatem, & ſtatum hoĩum rõne vtentium. Et hoc eſt vnum,in quo differt legiſlatio Chriſti à Veteri Teſtõ, & ab omnibus alijs legiſlationibus. Quia nulla fuit vnquam legiſlatio ita generalis ſine particularitate, & limitatione aliquaꝫ. Neceſſe eſt ergo extẽdi illam legem ad omnes hoĩesꝫ, & tũc ſtabit,ꝙ quicunq; Chriſtianus videat fratrẽ ſuum in ſe peccantem poſſit eum corrigere hoc mõ, Papa tñ eſt frater cuiuſcunq; Chriſtiani.Nã Chriſtus dixit Mat.23. nolite vocare vobis patrem ſuper terram, omnes enim vos fratres eſtis.Et ſæpè etiam iura volunt Papã comprehendi ſub hac appellatione fratris,licet ꝑꝑ honorem,et reuerentiam ſtatus alijs nominibus eum conſueuerimus G appellare.Non tñ tollunt hęc eũ eſſe fratrem noſtrum,& non patrem, cũ ipſe adhuc ſit ſuper terrã quamdiu Papa eſt,& nemo ſuper terrã pater vocãdus eſt,ſed oẽs, qui in terra ſunt, fratres ſunt. Eſt ergo Papa frater cuiuslibet Chriſtiani,& ſic includitur in hac lege,ſ.ſi quis viderit fratrem ſuũ errantem in ſe,id eſt peccantẽ. Et tũc poterit quilibet vti contra eũ hac correctione, & nouiſſimè denunciare eccleſiæ ſi ſe non correxerit denũciato crimine coram teſtibus, & ſic eccleſia,id eſt generale Concilium cognoſcet hic de ſtatu Papę. Verum eſt,ꝙ gloſatores,& Doctores iuris canonici volunt,ꝙ Papa nõ poſſit denunciari, niſi de illo crimine, de quo poteſt accuſari, & pro quo poteſt deponi, quia alias eſſet fruſtratoria denunciatio. Sed de hoc etiam non curo ad propoſitum noſtrum, quia ſatis eſt,ꝙ ipſi concedunt caſum eſſe, in quo Papa H denũciari poſſit,ſ.in omnibus,in quibus poteſt accuſari. Et dant Doctores iuris canonici,& ſignanter gloſator decretorum vnam regulam,quia qñcunq; reperitur, quod Papa põt accuſari, vel iudicari, vel deponi, intelligitur per generale Concilium.Et ſic iſta eſt Eccleſia ad quam recurritur in factis Papæ. Ad hoc quaſi innumerabiles ſunt auctoritates Hieronymi,Auguſtini,Gregorij,& Sũmorum Pontificum, & decreta,& auctoritates. Sed in præſenti non eſt intentio noſtra colligere materiam iſtã, vel ſummare eam, quia iſtud eſſet longiſſimum, ſed ſolum incidentaliter declarare illam auctoritatem.Si peccauerit in te frater tuus &c.

CAPITVLVM LXXV.

I *Quartum dictum ex illa auctoritate. Si peccauerit ſcilicet, quod non ſolum de pertinentibus ad fidem Concilium iudicat Papam ſed etiam in pertinentibus ad mores, & crimina.*

QVartum dictum, quod eliciebatur ex hac auctoritate.ſi peccauerit &c.erat,ꝙ non ſolum in pertinentibus ad fidem Cõcilium videt de ſtatu Papæ,ſed etiam in pertinentibus ad actiones. Nam quandocũque aliqui declarant Papam ſubiectum eſſe Eccleſiæ vniuerſali matri ſuæ,cuius vicem plene tenet ſacrum generale Concilium, aliqui non ſecundum Deum, ſed ſecundum hominem fauere volentes Pontificibus quaſi conſtituentes K eos Deos impeccabiles,dicunt verum eſſe in his,quæ fidei ſunt,Papam ſubiectum eſſe Concilio,quia de hoc expreſsè continetur in c.ſi Papa 40.diſtinct.ꝙ pro cauſa fidei Papa accuſari,& deponi poſſit, pro alijs autem delictis dicunt eum ſoli diuino arbitrio relictum,& nemini mortalium,nec etiam Concilium generale poſſe iudicare,ſicut videtur ipſum c.ſi Papa dicere, & quædam alia iura. Et non aduertunt ad iſtam auctoritatem Domini, quæ maior eſt quibuſcunque Epiſtolis Summorũ Pontificum, ex qua neceſſe eſt accipi Papam ſubiectũ fore iudicio Concilij generalis, non ſolum in pertinentibus ad fidem, ſed etiã in tangentibus actiones. Quia in iſta lege de correctione fraterna Chriſtus ſubiecit Beatũ Petrũ eccleſiæ,quæ eſt Conciliũ generale, vt ſupra declaratũ eſt, & tñ lex de correctione non ſolũ habet locum in peccato hæreſis, ſed etiã in omnibus alijs, ſicut tota Eccleſia obſeruat. Item ex forma verborum Chriſti magis apparet,

quod intelligatur de peccatis actionum, quam fidei, q̃a dicitur, ſi peccauerit in te, i. contra te, & iſte eſt ſenſus veriſſimus, vt patet ex contextu literæ. Nam quærebat ibi Petrus, quoties remittendum eſſet proximo, ſi peccaret in eum, an vſque ad ſepties, & Chriſtus dixit, quòd non ſolum vſque ad ſepties, ſed etiam vſque ad ſeptuagies ſepties. Et ſic referendum eſt hoc ad ea, de quibus ibi agitur, & illa ſunt peccata actionum, quæ ſunt in damnum proximi. Item patet, quia ſi iſta regula ſolum intelligeretur de peccatis hæreſis, non dimiſiſſet Chriſtus aliquem modum, per quem corrigeremus fratres peccantes, & delinquentes in actionibus, quod eſſet inconueniens, cum plus homines peccent circa actiones, quã circa fidem, quia circa fidem eſt ſolum vnum peccatũ, ſ. hæreſis, vel infidelitas. Et circa actiones ſunt infiniti modi peccandi, ſicut dicit Ariſt. 2. Ethic. c. adhuc autem, ſicut Pythagorici dicunt peccare infiniti, id eſt infinitis modis contingit peccare in actione, quia de fide nec Pythagorici, nec Ariſt. loquitur. Etiam quia magis inclinantur homines ad peccandum circa actiones, quam circa fidem, quia circa actiones eſt aliquid delectabile, q̃ ad peccandum trahat, & terribile, quod a bono diſtrahat, & ad peccandum inducat. Circa fidem autẽ non eſt aliquod delectabile, vel triſte attrahens, vel diſtrahens, ſed ſolus error, ideò rarius in hoc homines peccant. Sapiens tamen legiſlator magis aduertit ad ea, in quibus plures, & facilius homines peccant, & in illis ponit leges, Chriſtus ergo magis poneret legem de actione corrigenda, quàm de fide: ergo non ſolum intelligitur de correctione in peccato hæreſis, ſed magis in alijs peccatis actionum. Item patet, quia non ſolum intelligi oportet potius iſta lex de peccatis actionum q̃ de peccatis fidei, ſed et videtur aliqualiter, q̃ non intelligatur de peccatis hæreſis, quia in peccato hæreſis ponit Apoſt. ad Titum c. vlt. aliam formam corrigendi, dicens. Hæreticum hoiem poſt primam, & ſecundã admonitionem deuita: ſubuerſus eſt. n. Et tñ in iſta lege de correctione fraterna, ponũtur ad minus tres admonitiones anteq̃ peccans euitetur, ſ. vna, q̃ fit inter corrigentem, & peccantẽ & alia, q̃ fit inter corrigentem, & peccantem coram duobus teſtibus, & tertia, quæ fit ab Eccleſia, & ante iſtam tertiã admonitionem non eſt deuitandus peccator: ergo videtur, q̃ non intelligatur iſta regula de correctione peccantis in hæreſim, ſed in alijs peccatis actionum, licet quantũ ad hoc non inſiſto magis tenendo, q̃ ad oĩa peccata extendatur. Item patet, quia dicitur. Si peccauerit in te frater tuus, i. cõtra te, quia iſta præpoſitio, in, denotat aduerſus, vel cõtra, & tñ Peccatũ fidei nõ eſt cõtra aliquẽ hominẽ, ſed ſolũ contra Deũ, ideo intelligitur de peccatis actionũ. Si aũt exponas, ſicut quidã exponunt, ſ. ſi peccauerit in te frater tuus, i. te ſciente, quod ſatis videtur extortum a propria ſignificatione terminorũ, tñ adhuc magis conuenit peccatis actionum, q̃ fidei, quiã magis contingit, q̃ quis videat peccantem proximum ſuum circa actiones, q̃ circa fidem, eo q̃ peccatum contra fidẽ in ſola aĩa eſt, ſ. non rectè credendo: peccatũ aũt actionũ exterius eſt, & videri poteſt. Etiam, quia peccare circa actiones cõtingit infinitis modis, vt ſupra dictum eſt, peccare aũt circa fidẽ vnico modo, ideo potius põt quis videre, vel ſcire peccatum fratris ſui in moribus, q̃ in fide. Et ſic de actionis peccato potius intelligetur, quã de peccato morum. Apparet ergo ex his, q̃ intelligi debeat iſta regula Chriſti de correctione circa peccata actionum, & tamen ſecundum iſtam regulã remittitur Papa ad Concilium, denunciando peccata cuiuſlibet alterius, & quilibet alius remittitur ad Concilium denunciando peccata Papæ, cũ ipſe ſit frater, oium: ergo & circa peccata actionum Papa poteſt iudicari per generale Concilium. Et ſic factũ eſt ſæpe antiquitus, vt patet in Beato Damaſo Papa, qui accuſatus fuit de adulterio, & coram Concilio Generali ſe purgauit cum 45. Epiſcopis. Sic etiã Symachus Papa tẽpore Regis Theodorici regnãtis in Italia corã ſancta ſynodo purgatus eſt, & ita de multis alijs Summis Pontificibus, vt legitur in geſtis Summorum Pontificum, & in hiſtoria beati Damaſi, q̃ Eccleſia legit,

Regula quã dat Chriſtus de correctione fraterna, quõ intelligenda.

A & ſæpè in decretis, vt patet 2. q. 5. Facilè autem nobis erat reſpondere ad decretum ſi Papa. Et ad illud cuncta per mundum. Et ad illud cap. ſ. aliorum cauſas, quæ ſunt potiſſima fundamenta eorum, qui volunt humanitus adulari Summis Pontificibus conſtituendo eos inca ſtigabiles circa quaſcunque actiones, etiamſi quotidie vnus Summus Pontifex notoriè mille homines occideret, ſicut quidam non erubuit in ſcriptis ſuis aſſerere: alia etiam ſunt, ſed minus militant. Quia tamen nõ fuit propoſiti noſtri materiam iſtam colligere, nec eam directè tangere, ſuperſedemus.

CAPITVLVM LXXVI.

B *Quod Chriſtus dimiſit in Eccleſia vnum ſupremum tribunal, quod non poteſt errare, ſcilicet Concilium, ad quod in omnibus dubijs tam fidei, quam actionũ, recurrendum eſt, & quod determinationi ſuæ ita ſtandũ eſt; ac ſi Deus per Prophetas reſponderet, vel per alios modos conſulendi, qui erant in lege veteri, & quod auctoritas Eccleſiæ maior eſt quã auctoritas Angelorũ.*

APparet ergo inductum ex omnibus prædictis, & præcipuè ex fundamentis Euangelicis Chriſtũ reliquiſſe in Eccleſia vnum tribunal ſupremum, quod de omni homine habeat iudicare, & iſtud eſt Sacrum Concilium Generale Eccleſiam vniuerſalem matrem noſtrã ſufficienter repræſentans, & conuenienter. Et iſtud tribunal eſt impeccabile, nec vllatenus errare poteſt in his, quæ de neceſſitate ſalutis ſunt. Et ob hoc ad ipſum pertinet iudicare, & determinare vltimatè de omnibus dubijs tam in fide quam in actionibus, & poſt eius determinationem non licet alicui fidelium reſiſtere, quia manifeſtè iudicio diuino reſiſteret. Et tantum credendũ eſt huic tribunali in omnibus, quæ diffinierit, ſicut in Veteri Teſtamento Prophetis reſpondentibus ex parte Dei, & alijs modis conſulendi Dominum, de quibus ſupra dictum eſt. Omnia hæc præſupponenda fuerunt ad reſponſionem argumenti, vt cognoſceretur leuiſſimè, & in tranſitu poteſtas, & inuariabilitas Eccleſiæ in determinando, & quomodo ſit eius auctoritas ſuper omnem auctoritatem, quæ ſub Deo eſt. Nam maior eſt, quam auctoritas Angelorum, ideo Apoſtolus ad Gala. 1. dicit, quòd ſi quis voluerit euangelizare aliud, quam euangelizatum eſt per totam Eccleſiam, etiamſi ſit Angelus de cælo, quòd anathema ſit. In quo apparet dupliciter auctoritas Eccleſiæ eſſe ſuper auctoritatem Angelorum. Primo, quia mandat Eccleſia, vt non credatur eis, ſi contrarium aſſeruerint, & tamen ſi maior eſſet auctoritas Angelorum, quam Eccleſiæ, poſſet & deberet credi Angelis contra Eccleſiam, & Eccleſia non poſſet legitimè ponere iſtam prohibitionem. Secundo, quia Apoſtolus nomine totius Eccleſiæ, anathematizat Angelos de cælo, ſi contrarium aſſerant ei, quod Eccleſia euangelizauit concorditer per totam terram.

Conciliũ generale eſt impeccabile.

C

D

CAPITVLVM LXXVII.

In quo finita digreſſione reſpondetur rationi tertiæ principali. Et hic de negatiua facti, an poſſit probari, & quid ſit probatio directa, & de negatiua limitata, & illimitata.

E

NVnc reſpondendum ad argumentum, & dicendũ, quod in præſenti non poteſt dici, quòd iſta veritas, de qua agitur, ſcilicet quòd Chriſtus mortuus fuit tali die, vel tali, pertineat ad illas Eccleſiæ determinationes, quæ ſunt de actionibus, & quæ ſunt variabiles. Nam ſi ad illas pertineret, eſſet facile reſpondere, ſ. quia Eccleſia circa tales ſæpè facit variationem, ita quòd contra aliquid, quod vno tempore determinauit, determinat alio tẽpore, ſicut patet in diuerſis legibus eccleſiaſticis antiquis, quæ nunc abrogatæ ſunt. Et quotidiè ſic facit, & facere poteſt eccleſia, cum experientia temporũ oſtẽdit, q̃ illud, quod antiquitus fuerat bonum & vtile, nũc

efficiatur inutile. Non enim poteſt dici ſic in præſenti, quia propoſitio iſta eſt de his, quæ credenda ſunt, & non de his, quæ agenda ſunt, ideo ſi ſemel fuerit vera, neceſſe eſt iam poſtea ſemper eſſe veram. Et ob hoc ſi Eccleſia ſemel determinauit eam, vt veram, non poteſt poſtea contrarium determinare, ſed neceſſe eſt eam ſemper eſſe veram, quia alias oſtenderet Eccleſia ſæpius erraſſe, vel nunc erraret, quod eſt impoſſibile, ſicut ſupra declaratum eſt. Dicendum ergo eſt ad argumentum, quòd Eccleſia nunquam talem propoſitionem diffiniuit, ſcilicet, ꝙ Chriſtus mortuus fuerit tali die, vel tali, ſcilicet, quòd 8. Calendas Aprilis mortuus fuerit, & ſic nõ obligamur ex hac parte hoc tenere.

Sed aliquis dicet, quòd iſta aſſertio eſt præſumptuoſa, ſcilicet, quòd Eccleſia nunquam determinauit talem propoſitionem, quia iſta eſt negatiua facti, quæ probari non poteſt, quia negantis factum per rerum naturã nulla poteſt eſſe directa probatio.

Reſpondendum vno modo, quòd verum eſt, quia negatiua facti non poteſt probari directè: poteſt tamen probari indirectè, & ſic aliquo modo probari poteſt. Hoc patet ex illo loco iuris, vndè ſumptum eſt verbum. Nam ibi dicitur: negantis factum per rerum naturam nulla poteſt eſſe directa probatio. Et ſic non dicitur, nulla poteſt eſſe probatio: ſed, nulla poteſt eſſe directa probatio: ſolam enim directam probationem excludit, indirectam autem non negat.

Eſt enim probatio directa, quæ fit per cauſas rei, non quidem per cauſas eſſendi, ſed per cauſas, vel media cognoſcendi. Et quia omnia, quæ fiunt, cognoſcuntur per aliquem de quinque ſenſibus, cauſæ probationum dicũtur ſenſationes iſtorum ſenſuum, vtpote quia aliquid viſum eſt, vel quia auditum eſt, vel odoratum eſt, & ſic de cæteris. Et ſic in forma deponendi teſtium dicitur, ꝙ teſtis reddit cauſam dicti ſui, quando ipſe aſſerens aliquid, ſi quæratur ab eo, quomodo ſcit, reſpondet, quia vidi, vel quia audiui, ſi talis eſt res, quæ per auditum probari queat, vtpote ſi eſt quæſtio de dicto, & ſic de odoratu, & tactu. Nã per omnes iſtos ſenſus poteſt reddi cauſa dicti alicuius teſtis, & ad illos ſtat vltima reſolutio in probatione, ideo cũ teſtis dicit, quia vidi, vel quia tetigi, aut quia odoraui, vel audiui, ſi res eſt talis, de qua agitur, ꝙ per iſtos ſenſus cognoſci debeat, non quæritur aliquid vltra tanquam iam venerit, & ſe reſoluerit ad cauſam primam dicti ſui. Iſta ergo eſt directa probatio. Eſt autem indirecta probatio, quæ non fit per aliquam de cauſis dictis, ſed per quaſdam circumſtantias. Probationem autem directam non recipit negatiua facti, quia illa fit per cauſas. Negatiua autem non habet cauſas, nec eſſendi, nec probandi. Non quidem eſſendi, quia negatiua eſt de non ente. Non ens autem cauſam non habet, quæ ipſum efficiat. Etiam non habet cauſas cognitionis, & probationis, quia iſtæ cauſæ ſunt quinque ſenſus. Et tamen quod non eſt, nec poteſt videri, nec audiri, nec tangi, nec odorari, nec guſtari, quod autem videtur, coloratum eſt, vel lucidum, & ſic aliquid eſt. Quod verò auditur, ſonus eſt. Quod tangitur frigidum, vel calidum eſt, vel habet aliquam de qualitatibus tangibilibus, quod odoratur odorem habet. Quod guſtatur dulce, vel amarum eſt, vel de alijs ſaporibus aliquem habet, & omnia iſta aliquid ſunt: non ens ergo non poteſt percipi aliquo de quinque ſenſibus.

Teſtis qũ admittẽdus.

Indirecta autem probatio fit, non per cauſas, ſed per quaſdam circumſtantias, ſcilicet per priuationem actus: nam ſicut dicit Ariſt. 5. Ethi. rectus eſt iudex ſui, & obliqui, ita per habitum cognoſcimus ipſummet habitum, & priuationem, & per ens cognoſcimus ipſum ens, & non ens. Non quidem, ꝙ cognoſcamus de non ente quid ſit, quia impoſſibile eſt, ſed ꝙ cognoſcamus de non ente, ꝙ non ſit, id eſt non habet eſſentiam, nec etiam actualiter ſubſiſtat. Et patet, quia quod aliquis homo currat, poteſt cognoſci per cauſam, quia habet cauſam cognitionis, ſcilicet, viſum. Nam poteſt videri curſus, cum motus apprehendatur viſu, & ſic teſtis poteſt deponere de aliquo, ꝙ currebat.

Si autem dicamus iſte homo nunc non currit, iſta negatiua non poteſt probari per rerum naturam, id eſt per aliquid exiſtẽs in rerum natura probatione directa, quia tunc non entia haberent cauſas poſitiuas, & tamẽ poteſt probari indirectè, ſcilicet per priuationem habitus. Nam ſicut ego per viſum cognoſco, ſi quis me præſente currat, quòd ille currit, ita ſi quis mihi præſens eſt, & nõ currit, cognoſco ipſum non currere, & tamen currere per ſeipſum cognoſcitur, quia videtur: nõ currere autem non cognoſcitur per ſe, ſed per priuationem curſus, vel per oppoſitionem ad curſum. Sic etiam ſonus eſt, qui per ſe comprehenditur auditu, & tamen per auditum comprehendimus etiam taciturnitatem, non ꝙ taciturnitas ſit obiectum, vel pars obiecti auditus, ſed quia eſt priuatio obiecti auditus. Vnde ſicut aliquo loquente coram me, ego cognoſco, ꝙ ille loquitur, ita ſi me præſente taceat, cognoſco, ꝙ non loquitur, & tamen ꝙ loquatur, ego per cauſam cognoſco, ſ. quia audio, & ꝙ non loquatur, vel quod taceat non poſſum cognoſcere per cauſam, quia nullam cauſam habet, nec audiri poteſt, ſed cognoſco per priuationem ſoni, qui eſt obiectum auditus. Ita per tactum cognoſco, ꝙ aliquid eſt frigidum, vel calidum, & cognoſco, ꝙ non eſt frigidum, nec calidum, ſed primum directè, & per cauſas, ſecundum indirectè, & per priuationem cauſæ, ita eſt dẽ odoratu, & guſtu.

Secundo modo poteſt reſponderi, ꝙ negatiua facti, ſi ſit ſimpliciter indeterminata, nullo modo poteſt probari à nobis & tamen, ſi ſit determinata per locum, & tempus, & alias circumſtantias, poteſt probari. Vtpote ſi dicatur. Nullus homo vnquam delectatus eſt magis in auditu quam in viſu, vel guſtu, iſta eſt illimitata reſpectu temporum, & locorum, & ſubiectorum, ideo nemo erit, qui poſſit probare iſtam negatiuam facti, an vera ſit, vel falſa fuerit, cum ex nulla parte limitetur, ſi autem ſit negatiua limitata poterit probari, & quanto fuerit magis limitata, tanto facilius probabitur, vt iſta. Nullus homo comedit in Eccleſia. hæc eſt limitata reſpectu loci. Et iſta. Nullus homo cantabit hodie eſt limitata reſpectu temporis. Et iſta. Homo iſte nunquam comedit, eſt limitata reſpectu ſubiecti. Si autem dicatur: iſte homo non currit hodie hic, vel non currit hodie in iſta ciuitate, eſt limitata reſpectu temporis, & loci, & ſubiecti, ideo iſta quaſi ita facilè probatur, ſicut affirmatiua habens cauſas cognitionis, & probationis.

Negatiua facti indeterminata nullo mõ pôt probari.

CAPITVLVM LXXVIII.

Quòd iſta negatiua. Eccleſia non diffiniuit de die mortis Chriſti eſt valdè limitata & poteſt faciliter probari; & ibi de quatuor Cõcilijs Apoſtolorum, vel de quatuor. ſeſſionibus eiuſdem Concilij. Et quanta fides danda ſit Concilijs prouincialibus.

AD propoſitum dicendum, quòd iſta negatiua facti, ſcilicet Eccleſia nunquam determinauit iſtam propoſitionem de morte Chriſti, eſt multum limitata, quia eſt limitata reſpectu ſubiecti, & quodammodo reſpectu loci. Reſpectu ſubiecti patet, quia eccleſia, ad quam pertinet determinare, non eſt, niſi Concilium generale, & iſta Concilia non ſunt infinita, quia certum eſt quot fuerunt à principio eccleſiæ primitiuæ. Etiam eſt quodammodo determinatio reſpectu loci, cum determinationes Conciliorum reperiantur in certo loco. Nam ſolum cognitum eſt, quot generalia Concilia fuerunt a principio eccleſiæ, ſed etiam de quolibet illorum ſcriptum eſt diligenter, quot ſeſſiones habuit, ſiue actiones, vt nominabant antiqui, & in qualibet actione, ſiue ſeſſione quid determinabatur, & omnia alia, quæ dicebantur, & mouebantur, ſiue concluderentur, ſiue non, vt patet ex libris Iſidori de ſynodis, qui diligenter omnia notauit. Inueniuntur etiam libri aliarum ſynodorum de geſtis earum. Et ſi fuiſſet forte aliqua ſynodus, de qua non haberentur libri, nec memoria, illa haberetur pro non ſynodo, & de determinationibus eius non haberetur aliqua æſtimatio, quia in iure

idem

idem eſt non eſſe, & non apparere, vt in illa lege vulgata, ſ. Rutilia pola. Legantur ergo omnes diffinitiones factæ in Conciliis generalibus, & non reperietur, quód ibi diffiniatur de die mortis Chriſti, quod fuerit 8. Calendas Aprilis, vel quando fuerit. Adhuc autem magis apparet hoc, quia iſta negatiua eſt multum limitata, quia non debet probari, niſi quod vſque ad tempora Auguſtini eccleſia non determinauerat de die mortis Chriſti, cum ad eius auctoritatem, quæ contrarium videtur ſapere, reſpondendum ſit. Et manifeſtum eſt, quód vſque ad tempora Auguſtini non fuerat aliquod Concilium generale, de quo eccleſia faciat mentionem, niſi Concilium generale Apoſtolorũ, de quo aliqui volunt, quod fuerunt quatuor Concilia Apoſtolorum, & alii, quod fuerit vnum ſemper actu manens, & habuit quatuor actiones, vel ſeſſiones, de quibus fit mentio in actibus Apoſtolorum, in quo non eſt diuerſitas.

Prima ſeſſio patet Actuũ 1. vbi cõgregatis Apoſtolis, & multitudine elegerũt Mathiam Apoſtolũ loco Iudæ.

Secunda actio, vel Concilium eſt Actuum 6. vbi Apoſtoli conuocauerunt multitudinem, & elegerunt Stephanum, & alios ſex in diaconos, vel miniſtros diſtributionis quotidianæ menſarum.

Tertia actio, vel Concilium famoſiſſimum eſt Actuũ 15. vbi Apoſtoli, & ſeniores, & eccleſia diffinierunt non cogi conuerſos gentilitate ad legalia.

Quartum Concilium, vel actio eſt Actuum 21. vbi iniunctum fuit Paulo, vt obſeruaret ritum purificationis, & ibi dicitur, quod fratres ei mandauerũt, i. alij fratres de eccleſia, qui poterant ei mandare tanquam eccleſia membro ſuo. In his Conciliis non determinatum fuit aliquid de morte Chriſti de die, nec de anno, quia nihil tale conſtat ex actibus illorum Conciliorũ. Item patet efficacius, quod illo tẽpore nihil tale determinaretur, cum eſſet notiſſimum, & nemo eſſet, qui ignoraret, quia iſta Concilia fuerunt pauco tempore poſt mortem Chriſti, & omnes iſti, qui ſtabant in Conciliis fuerunt in Ieruſalem, vel in regione die mortis Chriſti, ita quod notoriè illis conſtiterat de die mortis eius.

Poſt iſta autem Concilia Apoſtolorum facta in Ieruſalem, nullum fuit Concilium generale in eccleſia vſque ad Concilium Nicenum, quod fuit tẽpore Conſtantini Imperatoris, vt patet primo libro hiſtoriæ tripartitæ. Et ibi declaratur, quomodo antè tempora Conſtantini, propter timorem perſecutionis magnæ, quæ feruebat in eccleſia, Epiſcopi de diuerſis locis non audebant conuenire in vnum, vt ſynhodos celebrarent, ſed primam ſynhodum generalẽ, ſ. Nicenam ſeruor Conſtantini principis excitauit. Auguſtinus autẽ pauco tempore poſt mortem Conſtantini fuit, cum fuerit conuerſus ad fidem, cum eſſet annorum triginta, & imperabat tunc Theodoſius ſenior, & erat Epiſcopus Mediolanen. Ambroſius. Vnde ſi concordentur, primo vt patet ex hiſtoria tripartita, & ex libro Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, quam ſcripſit Ruffinus Græcus, & compleuit Hieronymus, non reperientur aliqua Concilia fuiſſe ante Beatum Auguſtinum, niſi Nicenũ, & Sardinenſe, quorum actiones completiſſimæ manent vſq; hodie in multis locis, & non inuenietur in eis aliquid tale determinatum: immo nec de talibus facta mentio, quia in illis duobus Conciliis ſolum fuit laboratum ad extirpationem quarundam hæreſum pro tempore inſurgentium. Concilia vero prouincialia, & Epiſcoporum multa fuerunt tam ante Conſtantinum quã poſt, & antè Auguſtinũ, in quibus diuerſa determinata ſunt. Sed de illis non eſt nobis ſermo, quia illa nec ſunt eccleſiæ vniuerſalis, nec illam plenè, & conuenienter repræſentant, adeo poſſunt errare, & actiones eorum ſæpe corriguntur, & ſubſunt iudicio Conciliis generalis, & etiam iudicio Papæ; ideo quidquid in illis ſit non facit nobis multam fidem.

Auguſt. quã fuit.

Concilia generalia duo fuerunt antè B. Augu. Nicenũ.

Et in hoc multi decipiuntur loquentes de poteſtate Summi Pontificis in cõparatione ad alia Concilia generalia. Nã reperiuntur multa Concilia, quorũ actiones per Romanos Põtifices repudiatæ ſunt, & iuſtiſſime reprobatæ, ex quo arguunt Papã poſſe iudicare ſuper Conciliũ generale, & damnare, & reprobare quæ ibi approbata fuerint. Et non aduertunt, quod illa erant Concilia prouincialia, vel patriarchalia, aut epiſcopalia. Nam ſi fuiſſent generalia non ſe intromiſiſſet Summus Pontifex iudicare ſuper his, quæ a patribus iudicata fuiſſent: non ergo fuit per aliquod Concilium generale determinatũ antè tempora Aug. de die mortis Chriſti, quando fuerit. Et ſic non poteſt dici, quod eſſet determinatio eccleſiæ.

CAPITVLVM LXXIX.

In quo declaratur, quod licet non reperiatur ab Eccleſia diffinitum de die mortis Chriſti, quia tamen Eccleſia hoc tenet an ſufficiat, & ibi bona regula circa talia, quæ vniuerſaliter tenentur ab Eccleſia. Et ponitur reſponſio ad auctoritatem Auguſtini.

SEd adhuc dicet aliquis, quod licet nõ inueniatur determinatum: quia tamen eccleſia hoc tenet credendum eſt, quod aliquando hoc determinauerit in aliquo Concilio, vel ſaltem ab Apoſtolis illud ſuſceperit. Et ſic eſt regula, quod quando aliquid obſeruatur in eccleſia vniuerſaliter, dato quod non inueniatur illud ſcriptum, ſcilicet vndè habuerit ortum, nec conſtet de ratione eius, credendum eſt, quod Apoſtoli illud tradiderunt ſuis ſucceſſoribus, & eccleſia illud poſtea ſic obſeruauerit.

Fundatur iſta ratio in cap. cum Marthæ. extra de celebr. miſſ. vbi cum quæratur a Summo Pontifice, quia in forma conſecrationis corporis Chriſti oppoſuerit illam dictionem: enim, cum non ponatur in forma, quæ traditur a Chriſto per Euangeliſtas. Reſpondetur ibi, quod licet non reperiatur ſcripta origo, quia tamen eccleſia vniuerſalis obſeruat, credendum eſt, quód ab Apoſtolis introductum ſit, & ab eis vniuerſa Eccleſia conformiter acceperit. Ita ergò quãtum ad omnia alia, quæ tenet vniuerſalis eccleſia, licet neſciatur origo, credendũ eſt. Ita poterat ergo eſſe quantum ad hoc. Dicendum, quod argumentum peccat in fundamento: ſupponit enim falſum. Nam quando eccleſia vniuerſalis aliquid vnum conformiter obſeruat, concedimus iſtam regulam, & tamen iſtam determinationem, vel aſſertionẽ de die mortis Chriſti, quod fuerit 8. Calendas Aprilis, non tenet eccleſia vniuerſalis, nec obſeruat, ideo non oportet cõcedi hoc introductum eſſe ab Apoſtolis. Ad dictum autẽ Aug. ſ. quod patrum traditio, & eccleſiæ auctoritas hoc tenet, dicendum quod veritas eſt hoc, quod tẽpore ſuo plures de Doctoribus, & patribus eccleſiæ hoc tenebant, & eccleſiæ atque plebes ſubiectæ illis tẽpib. tenebant, & obſeruabãt iſtud, & ita ipſe ſecutus eorum poſitionẽ tenuit, & tñ non prouenit iſta aſſertio ad hoc, quod teneret illam tota eccleſia vniuerſalis, ideo non põt nobis ingeri tanquam determinatio eccleſiæ, cum in nullo generali Concilio hoc diffinitum eſt, nec põt obijci; vt aſſertio totius vniuerſalis eccleſiæ, cum ad totam eccleſiam vniuerſalem non pertinuerit. Quod patet, quia ſi iſta propoſitio pertineret ad cõem aſſertionem eccleſiæ, cum iſta ſit de his, quæ credenda ſunt, & non de his, quæ agenda, ſi ſemel eccleſia vniuerſalis illam tenuiſſet, ſemper illam teneret, & tamen hodie non tenent hanc omnes eccleſiæ, cum videamus quotidie multos circa hoc dubitare, & affectuosè quærere. ſ. qua die cuius menſis Chriſtus mortuus ſit. Si tamen eſſet aſſertio eccleſiæ vniuerſalis, non verteretur in dubium, ſed omnes aſſentirent illi concorditer.

Eccleſia vniuerſalis nunq̃ tenuit Chriſtũ. mortuũ 25. Martij.

CAPITVLVM LXXX.

An liceat dici, quod Eccleſia potuerit errare, etiamſi diffiniret de die mortis Chriſti, cum nõ pertinet hoc directè ad fidem & quæ ſunt pertinentia directè ad fidem, & quæ ſunt acceſſoria, & multa de auctoritate Eccleſiæ. Et quod magis eſt inimicus Chriſti qui dicit eccleſiam poſſe errare, quam qui negat omnia Euangelia.

QVidam autem aliter putauerunt reſpondendum ad iſtam rationem, dicẽtes, quod etiamſi eccleſia vniuerſa-

uerſalis,ideſt Concilium generale determinaſſet Chriſtum mortuum fuiſſe 25. Martii, ſiue octauo Calendas Aprilis, non tamen erat tenenda iſta determinatio tanquam neceſſaria, ſed poterat eccleſia errare circa hoc, cum iſta propoſitio non ſit de pertinentibus ad fidem, nec de moribus pertinentibus neceſſariis ad ſalutem, ſed circa accidẽtia particularia, in quibus eccleſia ignorat ſæpè,& poteſt errare.ſicut poteſt Concilium generale iudicare contra aliquem innocentem, vel excommunicare cum per ignorantiam veritatis.De quo ſupra magis fuit declaratum.

Sed hoc ego non concedo, primo quia in præſenti non aſtringimur ad hoc, cum ſuper iſta propoſitione, de qua agitur,nullum Cõcilium determinaſſet reperiatur.

Secundo quia multum cederet in dedecus eccleſiæ, & diminutionẽ auctoritatis eius ,& debilitaret aliqualiter fidem, ſi circa hoc eccleſia determinans errare potuiſſet,quia tunc etiam diceremus,quòd potuiſſet errare circa diem natalis Domini, & circa quaſdam alias aſſignationes temporum , quæ ſunt annexæ rebus pertinentibus ad fidem , quod eſt inconuenienter dictum. Nam licet nullum inconueniens eſſet ex parte rerum determinatarum , quia , ſiue Chriſtus natus ſit. 25. die Decembris,ſiue natus ſit in Auguſto, dum tamen natus ſit, & venerit ad redimendum nos , & pro nobis mortuus fuerit , nihil refert, debilitaret tamen iſtud nimis eccleſiæ auctoritatem,quia ſicut eam in hoc errare poſſe diceremus , ita etiam diceremus poſſe errare in multis aliis,quæ nobis tradidit . Et tamen nullus eſt articulus magis neceſſarius , quam quod eccleſia vniuerſalis non poſſit errare in fide,& moribus,quia ex iſto dependent omnes alii, ſicut ſupra declarauimus.

Et magis eſt inimicus Chriſti, & contra fidẽ eius qui negaret iſtum ſolum quam qui negaret omnia Euangelia,& totum nouum ,& vetus teſtamentum , quia ſi iſte articulus maneat , illa omnia reſtaurarentur ẽtſi perirẽt in fide alicuius,& tñ ſi iſte articulus pereat, nihil valet Euangelium,nec nouum, & vetus teſtamentum . Sicut in omnibus ſcientiis demonſtrationis peius eſt in vno principio errare,quam errare circa omnes concluſiones. Nam qui errat circa concluſiones , dum tñ teneat veritatem principii, per neceſſariam argumentationem poteſt reduci ad veritatem omnium concluſionum , & tamen ſi errat circa vnum principium , peribunt omnes concluſiones,quia non apparebit,vnde ſequantur.

Pro hoc articulo de auctoritate eccleſię,ſcilicet,quòd non poſſit errare, cuilibet Chriſtiano pugnandum eſt vſque ad ſanguinem pluſquam pro omnibus bonis , & pro vita , quia in hoc ſtat totum bonum, & ſalus noſtra, regnum cælorum,& vita æterna.

Veneramur ergo tãtum eccleſiam vniuerſalem, quod non ſolum in eis , quæ ſunt fidei directè, ſed ẽt in illis , quæ aliquo modo ſunt acceſſoria ad fidem ,dicamus illam non poſſe errare determinando . Pertinentia ad fidem directè ſunt , vt quod Chriſtus natus fuerit ex virgine , & quod pro nobis mortuus fuerit . Quod autem natus ſit die 25. Decẽbris , vel mortuus fuerit tertia die Aprilis,vel alio tempore, non pertinent directè ad fidẽ, quia dato,quòd ſic non eſſet, nihil periret de ſtatu fidelium, & de perfectione legis noſtræ , nec diminueretur aliquid de illo bono,quod expectamus.

Et tñ ſi eccleſia vniuerſalis determinauerit , qua die, & quo menſe Chriſtus natus fuerit , & qua die , & quo menſe mortuus fuerit,dico adhærendum eſſe illi neceſſario tanquam non potenti etiam circa hoc errare.

Cum autem obiiciebatur , quòd eccleſia vniuerſalis aliquando diffiniendo errat,ſicut,q ñ iudicat de aliquo, vel excommunicat eum in caſibus datis, concedendum quod eccleſia vniuerſalis in particularibus accidẽtibus, quæ non ſunt directè pertinentia ad fidẽ, nec acceſſoria ad illa, quæ pertinent ad fidem ,poteſt errare diffiniendo, & ſic ſunt accidentia iſta , de quibus litigatur inter proximos,& ſunt forenſia:circa illa tñ,quæ ſunt directè fidei, & acceſſoria ad pertinentia ad fidẽ,licet ſint accidentia particularia , vniuerſalis eccleſia non põt errare,

F Quod enim Chriſtus natus ſit,& mortuus,& quod Apoſtoli prædicauerint per orbem , accidentia particularia ſunt,quia tamen directè ad fidem pertinent, non poteſt eccleſia errare in his.Quod autem Chriſtus natus ſit tali die,vel mortuus ſit tali die,& tali menſe , & quod Apoſtoli in talibus prouincijs prædicauerint, & ſub talibus iudicibus mortui fuerint,ſunt de acceſſoriis ad pertinentia ad fidem , ideo ſi eccleſia vniuerſalis circa talia determinauerit, aſſentiendum eſt ei neceſſario , nec poteſt in eis errare . Quod autem talis homo, qui in iudicio accuſatur,fecit tale delictum , vel non fecit , non eſt de pertinentibus ad fidem , nec de acceſſorijs ad pertinentia ad fidem . Ideo quod in talibus poſſit eccleſia vniuerſalis errare circumuenta per falſos teſtes, nõ eſt inconueniens , nec diminuit auctoritatem eius circa ea , quæ nobis tradidit tam in fide,quam in moribus neceſſariis ad ſalutem .

G Ideo non obſtante tali errore firmiter tenemus,quod ex dono Chriſti eccleſia mater noſtra non poſſit errare circa fidem,nec circa mores in neceſſariis ad ſalutem.Et ſic determinata ab ea recipimus cũ omnimoda reuerentia,tãquam certiſſima,ac ſi a Chriſto Domino noſtro dicta forent, & ita ipſe illa accipi vult & nimis in hoc eũ honoramus.ſ.quia propter fidem,quã de bonitate eius, & certitudine verborum ſuorum habemus,credimus eccleſię,cui ipſe promiſit ſempiternam aſſiſtentiã Matth. 28.Et ſic apparet reſponſio ad iſtam rationem .

CAPITVLVM LXXXI.

H *In quo reſpondetur ad quartam rationem principalem de approbatione librorum Auguſt. & inducit multas rationes euidentes ad probandum , quod cum Eccleſia approbat aliquem librum , non facit, vt detur fides ei neceſſariò, velut ſi contenta in eo fuiſſent determinationes Eccleſiæ .*

QVarta ratio erat, quia dicebatur, quod Auguſtinus dixerat Chriſtum mortuũ 8.Calendas Aprilis, & tamen eccleſia approbauit libros Beati Auguſt.ergo neceſſe eſt eis adhibere fidem.

Reſpondendum, quod libri Beati Auguſtini ſunt approbati per eccleſiam,ſicut libri multorum aliorũ,quos Gelaſius Papa confirmauit,vt patet in illo capit. ſancta Romana . in Decretis diſtinct. 15. & tamen hoc non ſequitur,quod quidquid Auguſt.dixerit,tenendum ſit,tãquam verum neceſſario, ob hoc quod Auguſtin.dixerit.

I Non enim ſciunt iſti arguentes,quid ſit approbatio eccleſiæ, quantum ad aliquos libros : nec quid efficiat aut quantum conferat . Si enim approbatio eccleſiæ hoc ſonaret, quod diffinitio eius, ſcilicet quod quando approbat libros alicuius auctoris ita haberentur contenta in illis libris , ac ſi omnia , & ſingula eſſent per eccleſiã determinata,iam tanta eſſet auctoritas librorum approbatorum, ſicut auctoritas ſacri canonis Bibliæ.Nam quando eccleſia aliquid determinat in fide,ita adhærendum eſt illi propoſitioni , ac ſi in ſacro canone reperiretur,cũ dicamus eccleſiam in illa determinatione non potuiſſe errare . Si igitur eccleſia approbans libros alicuius cenſeatur hoc agere:ſ.quod omnia ibi contenta approbat tã-

K quam ſint diffinitiones ſuæ , iam non licebit de eis plus dubitare, quam de aſſertionibus eccleſiæ circa fidẽ, ſed eccleſiæ diffinitiones circa fidem æquiparantur canoni ſacro,immo euangeliis, vt patet per Greg. in regiſtro.& habetur in Decretis diſt. 15.c. ſicut ſancti Euangelii.vbi aſſerit ſe ita ſuſcipere quatuor generalia Concilia,ſicut ſancti euangelii quatuor libros,ergo libri approbati per eccleſiam æquiparantur canoni , quod falſum eſt,& ſatis apparet inconueniens.

Item patet hoc , quia hoc ſtante , quando aliqui libri per eccleſiam approbati ſunt , diceremus quod contenta in quolibet illorum eſſent ita vera, vt non poſſet eſſe falſum, nec liceret de illis dubitari , quo dato ſequeretur,quod vnus liber approbatus non eſſet maioris auctoritatis aut firmitatis,quam alius , cum in nullo illorum

poſſit

poſſit eſſe error. Et tamē hoc falſum, eſt quia libri multorum Doctorũ ſunt approbati, vt patet in allegato decreto Gelaſij Papæ, & tñ non ſunt omnes illi eiuſdem, vel æqualis auctoritatis. Sed quoſdã veneramur in magna auctoritate, vt Auguſtinum, Hieronymum, Ambroſium, & Gregorium, alios verò quoſdam ibi nominatos in pauca reputatione, & quaſi ignotos tenemus.

Item patet quia inter cæteros libros ibi ab eccleſia approbatos nominatur liber chronicorum Pauli Oroſij, qui multum ibi commendatur, & tamen manifeſtum eſt, ꝙ nemo ſatis peritus audet cōfidenter aſſerere, quod omnia tradita, & ſcripta ibi per Paulum Oroſium ſint ita vera, vt nullo modo liceat de illis dubitari, ſicut de determinatis ab eccleſia. Quia Paulus Oroſius ſcripſit pure hiſtoriam & comprehēdit multa, & potiſſime de temporibus antiquiſſimis, de quibus tam pauca fides eſt apud hiſtoriographos propter nimiam antiquitatē, vt vix quis adhibeat illis fidem. Quod ergo eccleſia alligaret ex neceſſitate iudicium noſtrum ad credendũ ſingula horum, tanquam eſſent determinationes ſuæ, non eſt ſatis tutum dicere, nec credo quod peritus vir aſſerat. Item Paulus Oroſius aliquando circa eandem rem allegat varios auctores, qui eam varie, & contrariè referunt, & ipſe neſcit cui illorum fidem adhibeat, quomodo ergo eccleſia per approbationem ſuam faciet neceſſaria ea, quæ ſuo auctori erant dubia, & inter ſe cōtraria ſunt, quorum neceſſe eſt alterum eſſe falſum, & ambo poſſunt eſſe falſa ſecundum legem cōtrariorum, & ſubcontrariorum, vel diſperatorum. Abſurdum ergo eſt dici talia eſſe per eccleſiæ approbationem facta neceſſaria, ita vt neceſſario illa credere debeamus, ſicut determinationem eccleſiæ.

Item patet, hoc eſſe falſum ex quadam diſtinctione, quam fecit Summus Pontifex circa auctoritatem ſanctorum Doctorum, vt Auguſtini, Ambroſij, Hieronymi, & aliorum, & formatur ſic ratio, ſi quando aliquis liber ſeu aliqua opera alicuius Doctoris approbantur per eccleſiam, omnia illa opera, & partes operis ſortiuntur æqualem auctoritatem ea confirmatione, vel approbatione eccleſiæ, cum eccleſia non ſpecialiter approbet vnã partem libri, vel operis, ſed totum librum, vel omnia opera, ſi ergo per approbationem eccleſiæ hoc conferretur, quòd ipſa opera deberent teneri iam vt firmiter vera, ſicut determinationes eccleſiæ, cum non poſſit eſſe maior auctoritas alicuius ſcripturæ, quam vt non poſſit dubitari de eius veritate, dicemus quod omnes partes iſtorum operum approbatorum per eccleſiam erunt ſimpliciter æquales & eiuſdē auctoritatis, cum de nullius partis earum veritate dubitari poſſit. Hoc tamen falſum eſt, quia libri approbati non ſunt eiuſdem auctoritatis in ſingulis ſuis partibus, quia in decretis diſt. 20. c. de libellis & commentariis, diſtinguit Summus Pontifex, & etiã ibi Gratianus circa auctoritatem ſanctorum Doctorum. Et dicit, quod vbi iſti dixerũt aliquid, quod pertinet ad fidei declarationem, & Sacrę Scripturæ explanationem, magis credendum eſt ſacris Doctoribus, quam Summis Pontificibus, vbi autē dixerunt aliquid, quod pertinet ad diffinitiones cauſarum, ſcripta Summorum Pontificum præferuntur ſcriptis ſanctorum Doctorum quantũmcunque ſancti ſint.

Item ex eodem fundamento arguitur ſic, vbi opera ſanctorum Doctorum, vel aliorum exponentium Sacrã Scripturã procedunt ex ſolo acumine ingenij, & ex peritia, & exercitatione ſcripturæ, & non tangunt ad materiam, in qua requiratur auctoritas, vel poteſtas, ſicut eſt in expoſitionibus Sacræ Scripturæ, vbi præferuntur Doctores, & expoſitores Sũmis Pontificibus. Vbi aũt tangitur materia pertinēs ad litigium & poteſtatē, non æquatur ſcripta eorum ſcriptis Summorum Pontificum.

Ex quo apparet, quòd plus profuit ſcriptis eorũ proprium ingenium, quam approbatio eccleſiæ, & tamen nullum proprium humanum ingenium eſt tantæ certitudinis, ꝙ errare non poſſit, nec tantæ auctoritatis, quòd ei manifeſtiſſima ratione aſſentiri debeat, vel credi, ꝙ ita ſit, quia illud aſſerit, ſicut dicit Augu. & habetur in A Decretis diſt. 9. cap. ego ſolis. Sed de quolibet creditur, quod errare poſſit, ergo cum maxima fides ſcriptorum iſtorum Doctorum ſanctorum ſit propter eorum ingenium, & peritiam Sacræ Scripturæ, vt colligitur in Decretis. 20. d. c. de libellis, & commentariis pariter cũ dictis Gratiani ibi, & gloſa. nullum ingenium quantumcunq; ſit, eſt tantę auctoritatis, quin illud credatur poſſe errare & erraſſe. Vnde ſequitur ꝙ eccleſia per ſuam approbationem non contulit ſcriptis ſuis, ꝙ nō eſſet de eis dubitandum, ſed ꝙ neceſſario illis aſſentiretur. Et ſic libri approbati per eccleſiam non habentur ſicut determinationes factæ ab eccleſia.

Sed aliquis dicet, ꝙ iſti Doctores quantumcunq; eſſent altiſſimi ingenij poterant errare, eccleſia tamen poſtea approbans eorum opera oſtendit ꝙ nullo modo B errauerint, & ꝙ debeat eis adhiberi fides neceſſariò. Sed non ſtat, quia tunc omnia dicta ab eis in quacũque materia eſſent firmiſſima propter auctoritatem eccleſiæ, & non pręferret Papa auctoritatem ſuam operibus eorum, in quibus non attenditur eorum ingenium, ſicut nec illis, in quibus procedunt ex ſolo ingenio, & peritia, ſed falſum eſt, vt probatum eſt ſup.

Item ſi Eccleſia ſcriptorum alicuius Doctoris conſtitueret dicta ſua irrefragabilia, idest, quòd contradici eis non poſſet, nec de eis liceret vllatenus dubitari, ſicut nec licet dubitari de Eccleſiæ determinationibus, neceſſe eſſe, vt eccleſia prius videret omnia illius Doctoris ſcripta, & diligenter diſcuteret de ſingulis dictis eius ad videndũ ſi lateret in eis aliquis error, ſicut fit in Conciliis generalibus, qui repræſentant eccleſiam vniuerſa- C lem, & nomine eius loquuntur, & diffiniunt, quia quando aliquid diffiniendum eſt maximè ſi ad fidem pertinet, diligentiſſimè per congregationem videtur, & permittitur quibuſcumque obiicere, vt ſic videatur veritas antequam diffiniatur. Et cum ſit tanta patrum numeroſitas, & tam periti viri ex omnibus partibus mundi, etiamſi res ſolo humano ingenio ageretur, difficile eſſet errare, quanto magis cum Spiritus ſanctus dirigat actiones ſynodales?

Si autem eccleſia approbaret opera alicuius, non diſcuſſis ſic diligenter ſingulis particulis eius, conſtitueret ſe in magno periculo, quia poſſet fortaſſis apparere poſtea aliquid, quod falſum eſſet, & illuderetur eccleſię auctoritas, & firmitas. In approbãdis tamen libris quorumcunque, eccleſia nunquam tenuit iſtum modum, ꝙ D ſynodaliter congregata de ſingulis propoſitionibus eius, & particulis diſputando diligenter diffiniret, quia iſto modo non fuiſſet facta approbatio vnius de libris Auguſt. in ducentis annis etiam eccleſia ſemper actu cō gregata, cum videamus, quod in omnibus Conciliis generalibus tam in eis, quæ noſtri temporis ſunt quam in eis, quæ noſtra non vidit ætas, ſuper paruis & paucis articulis magnorum temporum contētiones, & diſcuſſiones fuerunt ante determinationes. Quanto magis, quia tot ſunt libri Aug. vt in mille annis hoc modo plena nō fieret diſcuſſio & diffinitio: quid de libris Hieronymi, Ambroſij, & Gregorij, & reliquis, quos approbauit eccleſia, de quibus in illa decretali Gelaſij Papæ in Decr. diſt. 15. cap. ſancta Romana. Nam etiam a Chriſti morte vſque huc ſemper actu ſediſſet de his agendo, & non E expleuiſſet retento modo ſuo, quem tenet, & tenuit ſemper in diffinitionibus ſuis.

Item, & potiſſime, quia quidam libri ſunt, de quorũ Doctorum veritate nullo modo poterat conſtare eccleſiæ, etiamſi per multos annos diſputaret, & diſcuteret, ſicut eſt de libro Chronicorum Pauli Oroſij, qui inter cæteros ab eccleſia approbatus, & laudatus nimium eſt, vt patet in allegata decretali Gelaſij Papæ. Nam ille totus eſt de geſtis temporum, & potiſſime de antiquiſſimis, de quibus ipſe nō collegit fidem, niſi ex dictis prę cedentium chronographorum, quos interdum allegat, cum ipſe non interfuerit omnibus illis, de quibus agit. Eccleſia etiam non poterat cognoſcere veritatem dictorum iſtorum, niſi adhibendo fidem antiquis chronographis, quorum pleroſque errare conſtat, quia in eodem fa

cto

ctò inter ſe diſſentiunt, ergo non poſſet eccleſia tenere illum modum in approbatione libri Oroſii, & aliorum hiſtoricorum, & tamen ille, & alii ſimiles approbati ſunt, ergo eccleſia non tenuit modum ſuum in approbatione illorum, ita, vt conſtaret ei, quod vera erant omnia, quæ approbabat.

Item eccleſia approbat aliquos libros, quos nunquã vidit, ſiue per eccleſiam accipias Papam approbantem, ſiue verius Concilium generale, cui magis nomen eccleſiæ competit, & rectius conuenit approbatio librorum. Nam omnes libri, & opuſcula Auguſtini approbata ſunt, vt patet in prædicta decretali Gelaſii. Et opera Auguſt. tot ſunt, quot nunquam alicui occurrat legere, nec habere, vt ait Iſidorus libro Etymologiarum c. de his, qui multa opuſcula ediderunt.

Etiam omnia opera Origenis approbantur præter ea, quæ Hieronymus condemnat, & tamen tot libros fecit Origenes, vt in nullo loco inueniantur. Nam Hieronymus refert ſe habuiſſe in libraria ſua ſeptem millia librorum de libris, quos cõfecit Origenes, vt ait Iſidorus, vt ſupra. non ergo potuit vnquam occurrere, vel ſaltem non eſt veriſimile, ꝙ omnia iſta occurriſſent ad hoc, vt diſcuteretur de eis per eccleſiã, quando approbarentur.

Item patet quod intenditur, quia idem facit eccleſia, quando reprobat aliquos libros, & quando approbat alios, licet contrario modo, & tamen quando condemnat, & reprobat aliquos libros tanquam erroneos, non reprobat ſingillatim quælibet dicta eorum, ita vt in eis nihil relinquatur, quod non ſit reprobatum, quia tunc neceſſe eſſet reprobari aliquas veritates catholicas, cũ nullus liber ſit, qui tot errores contineat, quin inter illos aliquod verum habeat, & tamen eccleſia nunquam verum condemnat, ergo non reprobat ſingulas partes libri, quando condemnat aliquem librum, ita quando approbat aliquem librum, non approbat ſingulas partes eius, & ſic libri approbati ab eccleſia non ſunt ſicut diffinitiones eius.

Item patet hoc fortiſſimè, & euidentiſſimè, ſcilicet ſi eccleſia approbando aliqua opera faceret, vt deberet eis fides adhiberi, ita vt non liceret dubitari de fide, & veritate illorum, ſequeretur quod eccleſia aſſereret contradictoria pro eodem tempore eſſe vera, & eſſe tenenda: ſed hoc eſt impoſſibile, ergo non ſic eccleſia approbat. Probatur hoc, quia eccleſia approbauit omnia opera Auguſt. & beati Hieronymi, & tamen iſti duo contradicunt interdum ſibi directè, & formaliter in multis locis. Patet hoc primo quantum ad fidem ſcriptorum 70. interpretum, quia vult Auguſt. quòd debeat dari 70. interpretibus fides neceſſaria, inuens, quod Spiritu Sancto dictante traſcripſerunt quilibet eorum, quod oſtendit, ſcilicet quia cum eſſent 70. fuerunt ſinguli per ſingulas cellas in Alexandria à Rege Ptolemęo poſiti, ſinguliquе ſingulas tranſlationes fecerunt, quæ cum poſtea legerentur inuentum eſt omnes eſſe concordes, ita vt nulla a ceteris nec in vna litera aut apice diſcordaret. Quod ſatis oſtenditur eſſe opus Spiritus Sancti. De his Auguſtin. ſecundo libro, de doctrina Chriſtiana. Hieronymus autem econtrario illos non fuiſſe prophetice ſcribentes, aut Spiritu Sancto ſpecialiter dirigente, ſed per ſolam peritiam legis, & verborum copiam in vtroque. ſ. Hebraico, & Græco idiomate. Vnde grauiter inuehitur hic Hieronymus contra Aug. licet nõ declarat, dicens. Neſcio quis primus auctor. 70. cellulas, quæ vulgo ſine auctore iactantur, ſuo mendacio conſtruxerit, & ibi quaſi irridens dicit, quod non eſt dicendum. 70. interpretes ſpiritu prophetico afflatos ſcripſiſſe, niſi pariter dicamus, quod Cicero Oeconomicom Xenophontis ſpiritu rhetorico afflatus tranſtulerit. De hoc ipſe Hieronymus in prologo ſecundo ſuper Geneſim, qui incipit, Deſiderii mei.

Diſcordant etiã Hieronymus, & Aug. ſuper obſeruationibus legalibus, quo tpe ceſſauerunt, & contradicũt ſibi manifeſte, ita vt vnus dicat alteri, tu dicis ſic, & ego dico ſic, immo interdũ ibi Hieronymus Aug. hæretica dicere aſſerit, vt patet in Epiſtolis ſuis, quas ſibi mutuo
F ſcribebant, quæ in multis locis habentur. Et ſatis refert Bonauentura iſtam diſcordiam in ſcripto ſuo ſupra quartum ſententiarum. Diſcordant etiam ſuper origine animæ de qua ambo ſatis diſputant, vt patet etiam ex eiſdem epiſtolis.

Ecce ergo cum iſti duo ſancti Doctores interdum contradictoria formaliter, interdum vero contraria ſentiãt, neceſſe eſt, aut vnum eorum errare, aut ambos ſecundũ legem contradictoriorum, & contrariorum. Eccleſia tamen approbat opera iſtorum amborum, neceſſe eſt ergo, quod aut ipſa aſſeruerit contradictoria eſſe vera circa fidem, quod eſt impoſſibile, cum non ſolum iam erraret in fide, ſed & manifeſte conuinceretur inſipiens, qđ nec excogitandum, nec audiendum eſt, aut non approbauerit opera iſtorum, ita vt aſſereret omnia contenta in
G illis eſſe vera, ſed aliquid aliud approbando fecit.

CAPITVLVM LXXXII.

Quod quando Eccleſia approbat opera alicuius Doctoris, non approbat omnia contenta in illis, nec aſſerit omnia illa eſſe vera, immo nec vnam propoſitionem. Et ponuntur ſeptem cauſæ quare Eccleſia nunquam approbauit ſic opera alicuius Doctoris, quod dicat debere aſſentiri illis neceſſario tanquam definitionibus ſuis.

Dicendum ergo, quod quando eccleſia approbat opera alicuius Doctoris non approbat ſingillatim omnia dicta in illis operibus, immo quod plus eſt nullum dictum approbatur, nec per hoc obligat nos ad cre
H dendum illa neceſſario eſſe vera, nec etiam aſſerit illa eſſe vera, quia ad hoc oporteret, vt eccleſia diſcuteret ſingula dicta illorum librorum, vt videret an continerent veritatem, & tamen eccleſia nũquam hoc fecit circa ſcripta alicuius Doctoris propter multa.

Primo quia non poſſet ſufficere infinitis difficultatibus, & ſumptibus, & oporteret manere longiſſimis tẽporibus. Nam ſi in determinationibus tam paucorũ articulorum eccleſia ſynodaliter congregata ſedit tam longis temporibus, & vix poterat deducere ad fidem determinationes iſtas, quanto magis in magnis libris Aug. & Hieronymi, & aliorum ſanctorum, qui approbati ſunt, vbi tanguntur interdum inextricabiles dubietates, ſi inſiſtendum eſſet circa ſingula dicta, & propoſitiones ipſorum librorum. Nunquam. n. in his eſſet finis.

I Secundo non facit eccleſia hoc propter ſuam certitudinem, & auctoritatem inamittendam. Nam eccleſia vniuerſalis, id eſt, congregata ſynodaliter non poteſt errare maxime in fide, vt ſupra probatum eſt. Si autem eccleſia tot libros approbaret efficiendo ſingula, quæ in eis ſunt neceſſaria, ita vt in eis non poſſet dubitari, nec contradici illis, poneret auctoritatem ſuam in periculo, quia multi dubitarent an omnia, quæ in illis continebantur eſſent vera, potiſſime cum auctores eorum aliqua retractaſſent, & dubitando de hoc, periret auctoritas eccleſiæ. Nam cum eccleſia diffiniuiſſet illa eſſe vera, & neceſſario illis fore aſſentiendum, quicumque dubitaret, an aliquid de ibi contentis eſſet verum, crederet eccleſiam potuiſſe errare in diffiniendo de illis. Quia ſi crederet eccleſiam non poſſe errare, nõ dubitaret de deter-
K minatis ab ea: & ſic eccleſia perderet auctoritatem ſuam, & tamen eccleſia maxime laborare debet pro iſta auctoritate, quia, vt ſupra declaratum eſt, inter omnes articulos fidei nullus eſt maioris neceſſitatis, quam iſte de eccleſia catholica, id eſt, vniuerſali, quod non poſſit errare, quia iſto ſtante, omnes alii articuli ſtant, & hoc pereunte vel infirmato, ceteri pereunt. Cum autem eccleſia pauca diffiniat, aſſerens illa neceſſario tenenda, vt ſuas diffinitiones, non eſt periculum dubitationis auctoritatis, quia circa pauciſſima, & quæ eccleſia cum tãta maturitate, & temporis longitudine diffinit, nemini rationabiliter occurrere poteſt dubium de errore, nam vt ſupra dictum eſt, etiamſi res ſynodalis ſolum humanitus ageretur, non aſſiſtente ſpecialiter Spiritu Sancto, cum ſit ibi tanta copia patrum, & peritiſſimorum virorum

rum in omni diſciplina collectorum de omni parte orbis, & antequam quidquam diffiniatur, tot diſcuſſiones fiunt, & in tanto tempore, difficile eſſet, vt talis cõgregatio erraret. Ideo ſic ſe habentibus rebus non erit homini durum credere, quòd eccleſia vniuerſalis non poteſt errare, nec erit occaſio homini ad dubitandum, an eccleſia erret in his, quæ determinat.

Tertio facit hoc eccleſia, quia quodammodo videtur iniuſtum, quòd alicuius Doctoris, de quo non conſtat, quod locutus ſit per Spiritum Sanctum, eccleſia ſic approbaret opera, ita vt haberentur quaſi diffinitiones factæ ab ea. Nam hoc dato eſſent talia opera eiuſdem auctoritatis, cum libris ſacris canonicis, de quibus nulli licet dubitare, an verum contineant, ſed credere deberent omnes, quod ſcriptores librorum iſtorum errare aut mentiri non potuerunt, quia Spiritu Sancto dictante loquebantur: ceteri autem ſcriptores non loruti ſunt prophetice Spiritu Sancto ſpecialiter dictante ſingula, quæ ipſi dixerunt. Vel ſi fortè aliquis eſt, qui dictante Spiritu Sancto ſcriberet, non conſtat. Et ideo habetur ac ſi puro humano ingenio ſcripſiſſet. Non eſt ergo iuſtum æquare in auctoritate iſtos illis: Sic facit Auguſt. in epiſtola ſupra nominata, quæ habetur in Decretis diſtinct. 9. c. ego ſolis: vbi ſolis libris, qui canonici nominantur, ideſt qui ponuntur in canone Bibliæ hanc auctoritatem ac reuerentiam exhibet, vt nullum illorum ſcriptorem credat erraſſe, aut errare potuiſſe. Ceteros vero ita legit quantacunque ſanctitate & ingenio polleant, quòd non ideo credit aliquid ſic eſſe, quia illi ſic eſſe dixerunt. Ita ergo fecit eccleſia, quod voluit his inæqualem dare auctoritatem, & tamen ſi approbando doctrinam quorundam faceret per illam approbationem, quod doctrina ipſa haberetur, vt determinatio eccleſiæ, ſortirentur tales libri, vel opera æqualem auctoritatem cum libris canonicis, ideo non approbauit nec approbat hoc modo vnquam cuiuſquam viri ſcripta quantumcunque ille doctiſſimus, aut ſanctiſſimus ſit.

Quarto fit hoc, & eſt vna de præcipuis cauſis, quia eſt nociuum valdè & eccleſiæ vtilitati, & incrementis contrarium, approbationes tales fieri. Nam quando aliquid tale eſt, non licet aliquid dubitare de illo nec inquirere quomodo ſit verum, an contrarium ſuum rationabilius, & verius ſit, ſed ſimpliciter aſſentire tanquam determinationi, & apoſtolicæ fidei, Hoc autem captiuat ingenia virorum, & tollit incrementa profectus maioris, cum non liceat eis exercitare ſe, & maiora inquirere. Et hoc modo doctrina fidei, & monimenta eius contra infideles modicum pullularent, vtpote ſi à principio primitiuæ eccleſiæ doctrina Origenis, vel alterius magni Doctoris fuiſſet tali modo approbata, non licuiſſet Hieronymo, nec Auguſtino, nec alijs poſteris circa ea, quæ ille tetigiſſet aliquid ſcrutari. Sic etiam nec Auguſt. contra Hieronymum nec contra Ambroſium, & alios. Nam ſi non permiſſa fuiſſet libertas adinuicem repugnandi, & veriora inquirendi, non ſtaret tertia pars operum Hieronymi, Ambroſij, Auguſtini, & ceterorum prædeceſſorum, noſtrorum, qui doctrinis ſuis illuſtrauerunt eccleſiam.

Sic autem eſt circa moderna tẽpora. Nam & manus Domini non eſt nunc abbreuiata, vt donare non poſſit coætaneos artis & florentiſſima ingenia, ſicut & quotidie dat, & vſq; ad finẽ ſeculi daturus eſt, in quibus ampliatur fama & honor almæ matris eccleſię, & Chriſtianæ religionis ſuper omnes homines aliud ſentientes.

Nam non ſolum hoſtes Chriſtiani nominis ſe iam fide, & miraculis confundi vident, quod priſcorum eccleſia abundantiſſimum tenuit, ſed etiam ipſa ratione, & magnitudine diſciplinæ, quæ in eccleſia Chriſti, ipſo donante introducta eſt. Ita vt ſicut olim eccleſia Chriſti, fide & miraculis ipſam ſolidantibus, atque fundantibus floruit, ita & nunc ſapientia fulget, quæ ipſam ampliat, declarat, munit, & exornat.

Erat aũt ſapientia, quæ per exercitiũ Sacræ Scripturę acquiritur nimium neceſſaria, ſicut B. Petrus mandauerat in prima canonica. cap. 3. ſ. Eſtote parati ad ſatisfaciendum omni poſcenti rationem de ea fide, & ſpe, quæ in vobis eſt. Illud autem non poteſt fieri ſine exercitio in ſtudio Sacræ Scripturæ, & aliarum diſciplinarum naturaliter cohærentium, & vtilium, cum non ſimus iam Apoſtoli, quibus mandatum erat non cogitare quomodo, aut quid reſponderent quando interrogarentur coram Regibus, Matth. 10. & Luc. 21.

Et ob hoc Beatus Paulus, qui Apoſtolos Domini erat, & Spiritum ſanctum ſuſceperat, abundantiſſimè admonebat Timothæum, vt lectioni, & rationi vacaret, quæ cum ſit omni Chriſtiano vtilis, eſt tamen maxime neceſſaria eccleſiaſticis viris, iuxta illud Mala. ſecundo. Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem exquirent de ore eius.

B Et qui non vacat lectioni, & ſapientiæ non eſt dignus honore ſacerdotali. Et ſi illud ſuſceperit, dignè repellitur, & cadit ab eo, ſicut Dominus dixit, quia tu repuliſti ſapientiam, ego quoque abieci te, ne ſacerdotio fungaris mihi: Oſeæ. quarto. Hanc ſapientiam magnam, & ingenia florentiſſima virorum eccleſiaſticorum, quæ Deus in eccleſia ſua donaturus erat circa declarationẽ fidei, & ampliationis religionis Chriſtianæ, prædixerat Spiritus ſanctus per Danielem. 12. capit. ſcilicet, tu autem Daniel claude librũ tuum, & ſigna ſermones tuos, quia pertranſibunt plurimi, & multiplex erit ſapientia. prædixit etiam apertius Beatus Ioannes de ſtudio iſtorum virorum eccleſiaſticorum, & occupatione in declaratione Sacræ Scripturæ, innuens, quod multi libri valdè ſuper hoc ſcribendi erant, vt patet Ioann. vigeſimoprimo.
C In fine, ſcilicet multa, & alia fecit Ieſus, quæ ſi per ſingula ſcribantur, arbitror mundum capere non poſſe eos, qui ſcribendi ſunt, libros. Hæc autem omnia impediret eccleſia, ſi aliquorum Doctorum opera approbaret modo prædicto, cum iam non liceret dubitari, nec inquiri vlteriora quantum ad ea, quæ ibi forent diffinita, ideo non approbauit cuiuſquam opera ſic, ſed quantumcunque ſit quis ſanctiſſimus, & altiſſimi ingenij permittit eccleſia quibuſque ſcholaſticis viris de ſingulis ab eis dictis diſputare, & maiora inquirere, ſi forte Spiritus Sanctus illos in aliquo illuminauerit, in quo nõ tetigit antiquos.

Etiam quia non eſt admirandum maiora quotidiè pullulare ingenia, de quo magis in reſponſione ad pri-
D mum argumentum dictum eſt. Et iſto modo non turbantur, nec impediuntur ingenia ſcholaſticorum virorum, cum late pateat eis de omnibus materia diſputandi, & dubitandi præterquam de illis, quæ iam fide conſtant.

Quintò fit hoc propter dignitatem eccleſiaſticæ auctoritatis. Nam ſicut eccleſiæ auctoritas eſt certiſſima, ita vt errare non poſſit, vt dictum eſt, ita eſt maxima, quia ei tenentur ſubijci omnes rationales creaturæ, & ipſo iure ſunt ſubiecti, cum & Angeli, qui ſunt creaturæ intellectuales ei ſint ſubiecti, quia poteſt illos excommunicare, & interdicere eis aliquos actus, ſicut Apoſtolus Paulus excommunicauit eos, ſi prædicarent contra Euangelium, quod eccleſia iam ſuſceperat ad Galat. 1. ſi autem eccleſia auctoritatem ſuam, quæ tanta eſt, mul-
E tis rebus interponeret, vileſceret propter aſſiduitatem, & communitatem, quia quod rarum eſt precioſum eſt. Nam ſi miracula quotidie fierent, ipſa ſui multitudine, & aſſiduitate vileſcerent.

Satis ergo eſt, quod eccleſia interponat auctoritatem ſuam determinatione quorumdam dubiorum nimis neceſſariorum ad fidem, ſine quorum determinatione fieret turbatio, vel orirentur ſcandala, ſchiſmata, & hæreſes.

Et quantũ ad illa, quæ de neceſſario ad eccleſię mores pertinent, quod autem approbarentur aliquorum Doctorum ſcripta, non videbatur talis neceſſitas, imo, nec aliqua vtilitas, ideo nimium ſe humiliaret eccleſia, ſi circa talia diffinitionem ſuam poneret:

Sextò fit hoc ad tollendum æmulationis, & ſimulationis atque odiorum cauſas. Nam ſi quorumdam ſcri-

pta

pta approbaret iſto modo, & aliorum non videretur præponere iſtos illis, quorum non approbantur ſcripta, ſed iſtud omnis inuidiæ cauſa eſt, & odium gignit ceterorum contra illum, qui præfertur, qui diligi æquanimiter potuiſſet, ſi non fuiſſet quaſi ceteris contemptis prælatus. Eccleſia autem non gignit contentiones & ſchiſmata, cum potius intentionis ſuæ ſit iſta pro viribus tollere, cum non ſit conſuetudo eius contendere, ſed magis contendentibus cedere primo, Corinth. 11. ideo nullum ſic approbat ne quis collatus ceteris videatur prælatus, licet ſecundum veritatem vnus ſit multis excellentior.

Conſequitur & alia vtilitas, quia ſi quorundam ſcripta approbarentur ſic, & aliorum non, plurimi diſtraherentur à profectu explanandi Sacram Scripturam, & faciendi commentarios, & diffiniendi aliqua dubia, cũ putarent ſcripta ſua contemnenda, quia quibuſdam aliis approbatis ſua non approbarentur, quæ illis non diſparia crederet ſuus auctor. Nunc verò cum nulla taliter approbentur, nemo ſcriptorum ſe contemni putat, quia palam neminẽ ſibi præferri videt, vel ſaltem explicitè per auctoritatem eccleſiæ non videt ſe contẽni.

Septimò fit hoc, quia ſi talis approbatio fieret, omnia ſcripta quæ approbarentur, redderentur æqualis auctoritatis, quia non poteſt eſſe maior auctoritas ſcripturæ, quàm quòd de veritate eius dubitari non liceat.

Et hoc confertur quibuſcunque ſic approbatis ab eccleſia. Manifeſtum eſt tamen, quòd dato, quòd duorum Doctorum ſcripta ſint vera, ita quòd nemo eorum in aliquo errauerit, non erunt æqualis auctoritatis: quia alter eorum dicit plura aut ſubtiliora aut magis incognita, & à communi intellectu aliena, & vtiliora, & efficacius atque euidentius probabit, & ordinatiori atque leuiori modo tradet ſuam doctrinam, pro quibus ſolent quidam ſcriptores alijs præferri. Quia ergo per approbationem eccleſiæ duo Doctores, qui quantum ad iſta erant nimis inæquales, licet ambo verum dicant, & redderentur æqualis auctoritatis, indignum videbatur, quia quibuſdam ſcriptis magis ſic auctoritas eccleſiæ detraheret, quam conferret, cum ſic cogerentur æquari quibuſdam, quæ naturaliter, & aliàs erant eis totaliter imparia. Multæ quoque aliæ cauſæ exiſtunt, propter quas eccleſia nunquam aliqua ſcripta cuiuſquam Doctoris ſic approbauit.

CAPITVLVM LXXXIII.

Quid confert Eccleſia libris, quos approbat per approbationem, & ponuntur quinque vtilitates.

EX hoc autem tollitur error multorum vulgariter ſentientium, qui putant, quòd cum eccleſia approbat aliqua ſcripta, facit ea tantæ fidei & neceſſitatis, vt non liceat eis contradici, nec dubitari de veritate illorum. Sed dicendum, quòd quando approbantur dicta aliquorum ab eccleſia, facit ibi multa.

Primum eſt, quòd concedit expreſsè omnibus Chriſti fidelibus, quòd legant ea. Et iſtud confert quandam auctoritatem ſcriptis ſcilicet quòd ſaltem eccleſia faceret aliquam mentionem de illis.

Secundum eſt, quòd iudicat illa vtilia ad doctrinam fidei, & morum, & ob hoc laudat ea: ſicut Papa Gelaſius in approbatione librorũ laudat librum Pauli Oroſij, & commendat ipſum Oroſium dicens, quòd vtile opus de temporibus compilauerit. Et hoc facit vt magis alliciamur ad legendum talia ſcripta, quæ teſte ipſa eccleſia probantur eſſe vtilia.

Tertium & præcipuum, quod eccleſia facit, eſt, quia tollit opuſculis approbatis ſuſpectionẽ de hæreſi voluntaria, quæ eſt verè hæreſis. Nã illa opera, quæ approbantur, licet nõ ſint omnino diſcuſſa ab eccleſia ſicut ſi deberent ſingulæ partes approbari, tñ quadã generali diſcuſſione cognoſcuntur, & apparet ex eis, qũo auctor eorũ in omnibus catholicè ſentiat nolens dogmatizare
F expreſsè, & ſcienter aliquem errorem. Et tamen dato, quod accideret ibi aliquid falſum eſſe, vel quod poſſet indirectè militare contra catholicam fidem, & præter intentionem auctoris, & iſta relinquit Eccleſia diſcutiẽda peritis lectorib. Et iſta fuit cauſa potiſſima, quare eccleſia approbauit quorundam Doctorum opera. ſcilicet, quia à principio eccleſiæ fuerunt multi hæretici in eccleſia, qui multos libellos condiderunt in multis contrarios fidei orthodoxæ, quorum aliqui errabant per ignorantiam, neſcientes aſſertiones ſuas contrarias fidei catholicæ.

Alij verò iam ab eccleſia hæretici iudicati, vt erroribus ſuis quandam fidem acquirerent confecerunt libellos, in quibus cum multis catholicis veritatibus errores ſuos inſerebant, & vt aliquam aucuparentur aucto-
G ritatem, illos libellos nominibus Apoſtolorum & aliorum ſanctorum appellabant.

Sicut eſt de quatuor alijs euangeliis, quæ ſimul cum euangeliis noſtris hæretici confecerunt, quæ attribuerũt beato Andreæ, & Thadæo, & alijs duobus Apoſtolis. Eccleſia autem comperto errore reiecit illa, & ſolum tenet iſta quatuor, quæ hodiè habemus. Ita de multis aliis libris factum eſt, quos cõfecerunt hæretici, & Eccleſia habita diligenti inueſtigatione inuenit illos errores, & vetuit legi inter libros catholicos non deuiantes à rectitudine fidei.

Et ob hoc Chriſtiani antiquitus abſtinebant à lectione multorum librorum. Paucos enim legere audebant, timentes ne continerent errores & hæreticam doctrinã. Et ob hoc eccleſia approbabat quoſdã libros, qui nõ cõ-
H tinebant aliquem errorem in fide ſaltem apparẽter, ſi auctor vel auctores conſtabant voluiſſe per omnia catholicè ſentire. Et hoc modo innuebatur, ꝙ poterant catholici ſecurè legere in libris illis nõ formidantes, quod ibi contineretur doctrina ſuſpecta de hæreſi.

Et iſta etiam eſt cauſa, quare nunc non approbat, vel non conſueuit eccleſia approbare ſcripta aliquorum ſolemnium Doctorum circa Sacram Scripturam, ſ. quia non eſt nunc timor magnus de hæreſi ſaltem volũtariè introducenda, ſicut olim, ideo non eſt neceſſe diſtinguere iſtos libros ab illis approbando quoſdam, & nõ alios, quia de omnibus libris confectis a viris Chriſtianis præſumitur prima facie, ꝙ non contineant aliquam doctrinam erroneam circa fidem ſponte introductam.

Quartum quod facit eccleſia approbãdo iſtos libros
I eſt, quod dat eis quandam auctoritatem, quam aliàs non habebant.

Et eſt iſta non vt putauerunt aliqui errantes, ſcilicet, quod neceſſario debeat illis fides adhiberi, nec liceat vllatenus contradici ſibi, quia nulli operi vnquam ſcriptoris cuiuſquam tantam auctoritatem eccleſia præſtitit, vt patet ex rationibus ſupra inductis, ſed ſolum eſt, quod quando aliquis allegauerit dictum alicuius libri approbati per eccleſiam, facit probationem, etiamſi ipſe auctor nullam cauſam dicti ſui oſtendat, dum tamen non probetur contrarium per nos, vel per aliquem alium.

Et eſt hoc magnum, nam Doctoribus ſic approbatis creditur, etiam ſine ratione dum non conſtet aliquo modo contrarium. Aliis autem Doctoribus, quorũ non ſunt
K opera approbata, quantacumq; peritia fulgeant, non creditur niſi probationem adducant, quia nullam auctoritatem habent, niſi quantam rationes ſuæ efficiunt.

Et quantum ad præſens, iſta eſt maior, & communior vtilitas, quàm approbatio eccleſiæ facit in libris approbatis. Si tamen contra dictũ alicuius Doctoris approbati conſtat manifeſtè veritas, aut inducitur ineuitabilis ratio, non cogit nos eccleſia, nec voluit, ꝙ per ſuam approbationem mendacio aſſentire debeamus.

Quintum quod confert approbatio eccleſiæ eſt, ſcilicet quod alleuiat homines errantes. Nam ſi contingat quemquam errare circa aliquid, quod pertinet ad fidẽ occaſione alicuius libri approbati, ſcilicet quia continetur in eo aliquis error, vel ſequitur ex doctrina eius, tenens illum errorem, dum tamen non pertinaciter, etiãſi

ſit

ſit vir doctus, excuſabitur per auctoritatem libri approbati, ſi tamen ille error continetur in doctrina alicuius Doctoris, cuius opera non ſunt approbata, vel ſequeretur ex dictis illius, ſuſtinens vel tenens quomodolibet illum errorem non eſſet ita excuſabilis, ſicut ille, qui errabat auctoritate alicuius libri approbati.

Apparet ex prædictis, ꝙ per approbationem eccleſiæ non ſortiuntur libri approbati tãtã auctoritatem, ꝙ neceſſario debeat eis fides adhiberi, nec poſſit vllo modo contradici eis, põt eis contradici in caſu, quo apparet veritas, ſiue inducitur in contrarium ratio ineuitabilis.

CAPITVLVM LXXXIIII.

Quod circa ea, quæ pertinent ad fidem, eſt captiuãdus intellectus noſter. Et quod licet inducantur aliquæ rationes, quæ neceſſario & manifeſtè contra fidem videntur concludere, debemus dicere, quod nos neſcimus reſpondere ad illas rationes, & tamen non concludunt, etiamſi ad oculum demonſtraretur aliquid, quod ſit contra fidem, debemus dicere, quod oculus noſter decipitur, & quare.

EX hoc reſpondetur ad argumentum, qñ dicebatur, ꝙ Auguſtinus aſſeruit Chriſtum mortuum fuiſſe, octauo calẽdas Aprilis, & opera ſua ſunt per eccleſiam approbata, ideo non licet contrarium ſentire.

Dicendum, quòd etiamſi Auguſtinus dicens hoc nullam rationem duceret, nec probationem aliunde, ſicut nec facit, non liceret nobis ſentire contrarium noſtro arbitrio, quia eſſemus paris auctoritatis.

Immo etiamſi ille nullam rationem induceret, & nos pro parte contraria induceremus aliquam rationẽ, vel probationem, dum tamen non neceſſariam, non liceret nobis ſentire contrarium propter reuerentiam auctoritatis eius, ſed magis deberemus iudicare nos errare, vel non intelligere.

Quando autem pro parte noſtra inducitur auctoritas maioris ponderis, quam ſit auctoritas Auguſtini, vel alterius libri, vtpote auctoritas aliqua Bibliæ, vel educatur ratio ineuitabilis: ad quam, nemo poſſit reſpondere, non eſſet credendum Auguſtino, nec alicui alteri approbato. Nec eſſet vrbanum, aut honeſtum in talibus ei aut alteri cedere, ſed magis amore veritatis inueniendæ reſiſtere, quia propter veritatem etiam familiaria licet deſtruere, & non debet reſpici reuerentia alicuius, vel amicitia, iuxta Ariſt. 1. Ethi. c. de vniuerſali Platonico, ſcilicet duobus exiſtentibus amico, & veritate, ſanctum eſt præhonorare veritatem.

Sed aliquis dicet, ꝙ quando occurrerit nobis aliqua auctoritas Sacræ Scripturæ contraria dicto alicuius Doctoris approbati, debemus dicere, ꝙ non intelligimus auctoritatẽ illam, vt maneat ſaluum dictum illius. Et ſi occurrat ratio ineuitabilis, dicunt, ꝙ debeamus dicere, quòd illa ratio non concludit, licet nos neſciamus ſoluere, vel tollere contrarium, ſeu tollere inconueniens.

Sed dicendum, ꝙ non eſt conueniienter dictũ, quia iſtud eſſet captiuare ingenium penitus, ſi nequaquam liceret contraire auctoritati iſtorũ approbatorum, quantacunque auctoritas, vel rõ neceſſaria, aut manifeſta in contrarium occurreret. Sed talis captiuatio nunquã eſt facienda, niſi quantum ad ea, quæ pertinent ad determinationem fidei. Nam ibi penitus captiuatur intellectus in obſequium Chriſti. 2. ad Corinth. 10. Et dato, ꝙ argumenta quæcunq; quantũlibet fortiſſima, & apparentia fierent, nunquam tñ eſſet diſcedendum à poſitione fidei iam determinatæ, ſed dicendum eſt, quòd rationes illæ, & argumenta peccant, nos tamen neſcimus diſſoluere illas, certi ſumus tamen, quòd non concludunt rationes. Sicut, quando contra aliquem non dialecticum cum arguat ſophiſta, & probet eum eſſe pecus, vel lapidem, ille neſciet reſpondere ad argumentationem, quæ magnam euidentiam habet, & tamen certus eſſet, quòd illa ratio peccaret in aliquo, ſcilicet quia, aut ex falſis procedit, aut non ſyllogizat, quia cum ſit ſibi notiſſimum, quòd ipſe ſit homo, & non pecus, nec lapis tali notorietate, & cognitione, qua certiorem ipſa habere nequit, quidquid in contrarium arguatur, ſcit ꝙ illud impoſsibile eſt concludere ſufficienter.

Ita in præſenti, cum quælibet propoſitio fidei ſit nobis certiſſima, & ex lumine fidei, & ita firmiter ei adhęremus, vt nullo modo de ea dubitemus, licet fiant rationes aliquæ in contrarium quantumcumque euidentes, credendum eſt, quod ſophiſtico modo procedunt non ſyllogizantes, aut falſum aſſumunt.

Ideo tales argumentationes non ſolum omnino non auferunt nobis fidem: ſed etiam non ponunt aliquod dubium circa aliquam de propoſitionib. quæ creditur. Sicut argumentum factum à ſophiſta contra non dialecticum ad probandum, ꝙ ſit pecus, vel lapis, non ſolũ non aufert ei iſtam æſtimationem, ſ. ꝙ homo ſit, ſed etiã nullum dubium circa illam ponit, ac ſi nunquam tales argumentationes fierent.

Ratio autem, quare circa ea, quæ ſunt fidei, debet homo captiuare intellectũ ſuum, eſt, quia auctoritas propoſitionum fidei eſt maxima, eo quod illæ reuelatę ſunt a Spiritu Sancto, qui mentiri non poteſt. Quælibet tamẽ ratio humana, quantumcumque perſpicax errare poteſt, & rationes, quæ fiunt quantumlibet videantur fortiſſimæ, in aliquo poſſunt deficere; ita vt non conclùdant. Et ſic argumentationis probatio poteſt deficere dupliciter, ſcilicet ex parte intellectus, qui putat eam concludere, & non concludit: vel ex parte illius argumentationis, quæ, licet videatur fortiſsima, in aliquo deficit: ſed intellectus noſter neſcit, quid ſit illud. Reuelatio autem diuina talis eſt, quæ ex nulla parte deficere poteſt, ideo contra propoſitiones a Deo reuelatas nulla ratio, nec argumentatio admittitur, cum maiòr ſit auctoritas reuelatorum à Deo, quàm efficacia cuiuſcunque argumentationis.

Recte ergo in talibus captiuamus intellectum noſtrum in obſequium Chriſti. Nec ſolum eſt hoc circa argumentationes, ſed etiamſi ad oculum oſtendatur aliquid manifeſte, quod militet contra fidem, magis eſt credendum propoſitionibus, & aſſertionibus fidei, quam eis, quæ videmus.

Et ratio eſt, quia oculus noſter poteſt decipi circa ea, quę videt, licet in obiecto proprio non decipiatur. Et ſic in viſu, & qualibet alia ſenſitiua cognitione, & experimentali poteſt falſum ſubeſſe. In atteſtatione autem Spiritus Sancti nulla falſitas poteſt eſſe, ideo adhuc magis aſſentiendum eſt ei, quæ in fide determinata ſunt, quam eis, quæ videntur.

Declaratur hoc, nam manifeſtum eſt, ꝙ Antichriſtus ad probãdum ſe verum Meſsiam, & Chriſtum nõ fuiſſe Meſsiam, faciet miracula apparentia, quæ videbũtur eſse miracula, & non erunt, ſicut ait Apoſtolus 2. Theſſ. 2. ſcil. Donec reueletur homo iniquitatis, filius perditionis, cuius aduentus eſt ſecundum operationem Satanæ in ſignis, & prodigijs mendacibus. Illa autem videbuntur eſſe vera miracula, quia ſic oculus iudicabit: & tamen non erunt, & ſi crederemus oculo, recederemus à fide. Ideo etiam eis, quæ videntur non eſt credendũ contra fidem, & tamen maxima certitudo, quæ inter homines haberi poteſt, eſt per cognitionem viſiuam, & iſta eſt minor, quam certitudo fidei, ideo certitudo fidei eſt ſuper omnia, & contra illam nihil admittitur. 2. Theſ. 2

CAPITVLVM LXXXV.

Quomodo contra dictum Auguſtini, vel alterius Doctoris approbati inueniatur aliqua auctoritas Bibliæ, quæ non poſſit exponi pro parte ſua, an debeamus dicere, ꝙ Auguſtinus verum dicit, & tamen nos non intelligimus auctoritatem illam, Et quando inuenitur ratio neceſſario oſtendens contra eum, an debeamus dicere, ꝙ neſcimus reſpondere ad rationem Et quod non eſt hic captiuandus intellectus, & quare hoc.

NOn eſt autem ſic de libris approbatis per eccleſiam, quod nullus auctor cuiuſque iſtorum tantæ auctoritatis

ritatis eſt, vt propter eum captiuare noſtrum intelle A ctum debeamus, qui ſolum captiuandus eſt in obſequium Chriſti, ſed non eſt captiuandus ob reuerentiā, & auctoritatem cuiuſquam puri hominis, per quem nō conſtet Spiritum Sanctum loqui. Item facere hoc eſſet inconueniens, quia ſequeretur indirectè, quod tales Doctores approbati per eccleſiam, ſiue ex approbatione, ſiue aliàs à ſeipſis tantam haberent auctoritatem, vt non liceret dubitari de veritate ſuorum dictorum, nec obijci ſeu repugnari eis in aliquo, & hoc probatum eſt ſupra eſſe falſum. Item ex hoc tolleretur viris ſcholaſticis opportunitas amplificandi doctrinam fidei, ſi non liceret quidquam dicere contra diffinita per tales approbatos ab eccleſia, & iſtud nimis noceret eccleſiæ, vt ſupra declaratum eſt.

Idem iſtud eſſet tollere viam ad inueniendam veritatem, & tenendam poſtquam inueniretur, ſi quando quis inuenerit auctoritatem Sacræ Scripturæ contra di- B ctum alicuius auctoris approbati, quod non poſſet benè exponi in fauorem ſuum, deberet dicere, iſte Doctor verum dicit, ſed ego non intelligo Sacram Scripturam, & quādocumque occurreret ratio aliqua cogens, ad quam reſponderi non poſſet, deberet dicere: iſta ratio licet videatur concludere, non concludit, vel non præſupponit verum, cum ſit contra verum dictum talis Doctoris approbati, verum tamen ego neſcio in quo peccat ratio, & iſtud eſt ſatis irrationabile, & periculoſum, ſi conceda tur debere ſic fieri.

Item ſequeretur deterius, ſcilicet, quod iſtud eſſet tollere omnem ſcientiam. Nam ſcientia cauſatur per ſyllogiſmum demonſtratiuum, in quo ponuntur præmiſſæ neceſſariæ de his, quæ ſunt cauſæ concluſionis, vt pa- C tet. primo Poſteriorum. ſ. Scire autem opinamur vnumquodque ſimpliciter, & non ſophyſtico modo, quod eſt ſecundum accidens, cum etiam cognoſcimus, & quia cauſa eſt, & quia non eſt contingens aliter ſe habere. Si tamen occurrente ſyllogiſmo demonſtratiuo contra dictum alicuius de approbatis Doctoribus deberemus dicere, quod illa ratio peccat. ſcilicet, quia non ſyllogizat, vel quia aſſumit falſa, tolleremus certitudinem ſyllogiſmi demonſtratiui cauſantis ſcientiam. Et ſic tolleretur totum bonum naturale intellectus, ſcilicet veritas ſaltem quantum ad partem ſuam digniſſimam. Nā cum omnis veritas ſit perfectio intellectus, illa eſt naturaliter magis perfectio eius, de qua magis conſtat, quod eſt veritas, & quæ magis diſtat à falſitate, ſcilicet quia non eſt poſſibile aliter ſe habere, & talis eſt veritas cōcluſio D nis demonſtratę. Nam de illa conſtat manifeſtiſſime, quod ſit veritas, ſcilicet per ſolum illum modum, qui facit ſcire, etiam principia ſua ſunt neceſſaria, ita quod non ſit veritas contingens. Veritas autem rerum contingentium minus habet de natura veritatis ex defectu iſtorū duorum, primo quia non conſtat manifeſtè, & certiſſimè de illis, ſed dubitat intellectus, ideo non cauſat de illis ſcientiam, ſed opinionem, quæ eſt leuis adhæſio, & cum formidine. Secundo ex poſſibilitate ad falſum. Nā licet aliquid contingens ſit determinatiuè verum, tamē poſſibile eſt illud eſſe falſum, cum poſſit ad vtrumlibet verti quamdiu nondum trāſit. Et ſic cum principia concluſionis contingentis ſint contingentia, non accedit veritas contingens ad puriſſimam conditionem veritatis, & ſic non eſt ſcientia de illa. Tollere ergo veritatem E demonſtratæ concluſionis, quæ eſt veritas maxima cōnaturalis intellectui, & maxime ipſum perficiens, eſt tollere bonum potiſſimæ particulæ noſtræ, quæ eſt intellectus, vt patet. decimo Ethicorum immo ſecundum modum loquendi philoſophorum eſſet tollere totum bonum humanum, quod eſt in operatione perfectiſſima intellectus, ideo eſt maximè inconueniens, & nequaquā admittendum, ideo quando occurrat ſic talis auctoritas, vel ratio ineuitabilis contra dictum alicuius approbati Doctoris non eſt ſtandum Doctori propter ſuam auctoritatem, ſed veritati propter ſuam naturalem dignitatem, propter quam teſte Ariſtot. primo Ethicorum, ſanctum eſt præhonorare illam.

Scientia nō eſt de rebus cōtingētib.

Ita eſt in præſenti quantum ad dictum beati Auguſt. de Die mortis Domini: ſcilicet 8. Calendas Aprilis. Nā ipſe nullum fundamentum probationis ad hoc inducit, ſed ſolum modo hiſtorico refert, & contra eum occurrunt rationes habentes fundamentum in dictis euangelicis, & procedentes via demonſtratiua ex principijs aſtrologicis, ad quas nemo ſufficienter poteſt reſpondere, quæ habentur ſupra. Ideo iniuſtum erat valde negare omnia illa, vel dicere quòd non intelligamus illa, cum inducant oculis noſtris veritatem manifeſtiſſimam, etiamſi diſſimulare velimus, & ſtare auctoritati Auguſtini, de quo conſtat, quòd potuit errare, & in multis errauit, quorum quædam ipſe retractauit, alia vero non potuit, vt ſupra declarauimus. Apparet euidentiſſimè ex dictis, quod non eſt iſta bona conſequentia: ſcilicet, hoc dicit aliquis Doctor approbatus ab eccleſia in libro approbato, ergo eſt verum, quia multa poſſunt eſſe falſa. Nec derogat hoc auctoritati eccleſiæ. Immo iſta propoſitio eſt vera: ſcilicet neceſſe eſt aliqua ab eccleſia approbata falſa eſſe, quod patet, quia manifeſtum eſt quod eccleſia approbauit omnia opera beati Hieronymi, & beati Auguſtini, & tamen iſti duo ſæpè contradicunt ſibi formaliter, & ab intentione, & propoſito, Immo, quòd plus eſt, quia videntur interdum in iſtis loqui cum ſtomacho vt patet in illis, quæ ſupra allegauimus, & tamen duorum contrariorum vel contradictoriorum neceſſe eſt alterum eſſe falſum. Et vtrumque approbatum eſt per eccleſiam, ergo eccleſia approbauit aliqua, quæ neceſſe eſt eſſe falſa. Et per hoc patet ſolutio ad quartam rationem de approbatione eccleſiæ.

CAPITVLVM LXXXVI.

In quo reſpondet auctor ad quintam rationem principalem de calendarijs & dicit non tenere argumentum aſſumptum ex annotationibus Calendarij ob defectum auctoritatis, quia de multis ibi annotatis non conſtat.

OBijciebatur quinto loco quòd in Calendarijs antiquis, & in Calendario ſancti Iſidori repetitur intitulatum Die 25. Martii Paſſio Domini, & die 27. eiuſdem reſurrectio eius. Adſ. arg. cap. 17.

Dicendum quod arguere ex his, quæ annotantur in Calendariis non eſt efficax ratio propter duo, ſ. ex defectu auctoritatis, & ex defectu eius quod dicitur.

Primum patet. Nam de multis, quæ annotantur in Calendariis non conſtat certus auctor, ita vt propter eū aliqualiter moueamur ad aſſentiendum, ſed multi multa ſcripſerunt, ſeu conſcripſerunt, de quibus non conſtat, quod ſint alicuius auctoritatis, immo de aliquibus eorum ſi conſtaret, haberentur in minori auctoritate quā habentur, quia auctores eorum fuerut leuiſſimi.

Vnde non ſolum ea, quæ aliquo modo pertinent ad res eccleſiaſticas, ſed etiam quædam alia multum extranea & ſecularia, quæ tamen videntur eis memoranda, ſolent quidā Calendariis annotare, vt ſi quo anno fames valida, aut aquarum inſolita alluuio, aut grauiſſima bella fuerint, & ſi qua ſimilia ſunt, in multis Calendariis annotata reperi, & quotidie reperiuntur.

Sed cogitet quilibet vir peritus de illis, dato quod vera eſſent, quantam fidem facerent, cum ſit incertus auctor, & nō appareat aliquod indicium quare illis debeamus aſſentire.

Quod autem dicunt de annotatione diei mortis Chriſti & reſurrectionis, non eſt longè diſſimile huic: nam non conſtat quis hoc Calendariis annotauerit.

Item minuitur fides huius annotationis quantum ad opinionem eccleſiæ: quia iſta annotatio non eſt cōis in omnibus Calendariis, ſed rariſſime reperitur.

Nam ſi vt dicitur in antiquis calēdariis inuenitur & eccleſia credidiſſet hoc verū eſſe, & aliqualē auctoritatem adhibuiſſet, feciſſetq; illud annotari oībus modernis Calendariis, ſed iam in deſuetudinem abiit, ergo vel eccleſia, aut communiter viri periti putauerūt illud eſſe

eſſe falſum, vel ſaltem paucam ei auctoritatem, & fidē adhibuerunt non curantes annotare in nouis codicibus, quod in antiquis annotatum reperiebant, cum cetera ibi inuenta transcriberent.

Fuiſſet autem aliquis præſumptionis ad aſſentiendū ei ratio iſta, ſi in omnibus Calendariis annotatio iſta, reperiretur, etiam non conſtito de auctore, licet hoc non faciebat plenam, aut ſemiplenam, fidem ſtante in oppoſitum ratione notiſſima, & neceſſaria, vt ſupra inductū eſt. Vnde quando ſubtiliter aduertitur, iſta ratio magis facit in contrarium, quam pro inducente eam, cum dicat, quòd reperitur in antiquis Calendariis, quaſi dicat non reperitur in omnibus, quod verum eſt, In quo innuitur, quod nouitas non tenuit illam annotationem tanquam veram, aut certam.

CAPITVLVM LXXXVII.

Quod in Calendario continentur multa impoſſibilia, & multa veriſimiliter falſa, & multa totaliter dubia. Et quod omnes annotationes factæ in menſibus de introitu ſolis in ſigna, ſunt falſa.

SEcundo non tenet iſta ratio ex defectu eorum, quæ annotantur in Calendariis. Nam præter annotationes feſtorum, & quædā alia, quæ pertinent ad computationem eccleſiaſticam, & ſunt bona, & vtilia ſunt multa alia, quorum quædam ſunt falſa, & impoſſibilia, alia ſunt veriſimiliter falſa, alia ſunt totaliter dubia.

De primis patet, nam ponitur, quaſi cōmuniter in omnibus Calendariis; quinto die menſis illius ſol intrat in tale, vel tale ſignum. Nam dicitur in Ianuario ſol in Aquario, & Februario, ſol in Piſcibus, & ſic de ceteris mēſibus. Et tamen in omnibus menſibus eſt falſitas, nulla enim reperietur annotatio vera ſi quærantur omnes. Quod patet, nam in Martio die decimooctauo dicitur ſol in Ariete, & tamen hoc eſt manifeſte falſum, quia ſol in Ariete eſt nunc die vndecima Martii, & interdum die decima, ſcilicet quando eſt biſſextus. Hoc patet neceſſario computando via aſtrologica, per quam ſcitur certiſſimè ſine aliquo errore quolibet die, & qualibet hora, in quo ſigno eſt ſol, & in quo gradu, & minuto illius ſigni vſque ad minimas fractiones, ideo ſcitur de luna, & ceteris planetis. Quod autem iſta computatio ſit ſine errore, peritis viris in arte illa ſatis notum eſt, tā ex experientia, quam per viam demonſtrationis, ſecundum quòd facit Ptolemæus in Almageſto.

Sed adhuc, quantum ad viros ignorantes probatur hoc modo manifeſto, nā oēs concedunt duo æquinoctia eſſe quolibet anno, vnum, qñ ſol eſt in capite Arietis in Martio, & aliud, quando ſol eſt in capite Libræ in Septembri. Sed manifeſtam eſt, ꝙ illud æquinoctium, quod fit in Martio non fit die decimooctauo Martii, ſed multo antè, ſcilicet die vndecimo, & interdum die decimo, quod ſatis patebit ēt conſideranti vulgariter, diligenter tñ per horologium, quia in illis octo diebus, ſ. à decimo vſque ad decimumoctauum ſatis eſt differentia magna, & apparens in quantitate diei: ergo caput Arietis intrat ſol die decimo Martii, vel vndecimo, & nō decimooctauo, ſicut annotatur in Calēdariis. Idem error accidit circa æquinoctium aliud, quod fit in Septēbri. Nam annotatur ibi ſol in libra die decimooctauo, & tamen multo antè ſol intrat in librā, ſcilicet die decimo, vel vndecimo, ſicut diximus de Ariete in Martio. Et hoc manifeſtè colligitur ex æquinoctio, quia in die decimooctauo Septembris iam manifeſtè ſunt dies maiores, quam noctes aliquantulum, quòd benè ſentitur.

Accidit autem error adhuc, & magis manifeſtus vulgaribus circa ſolſtitia, ſunt enim in anno duo ſolſtitia, vnum in Iunio ſole exiſtente in capite Cancri, & aliud in Decembri ſole exiſtente in capite Capricorni. Et annotatur in Calendariis ſolſtitium æſtiuale die decimoſeptimo Iunii, quia illo die annotatur ſol in Cancro. Sed manifeſtum eſt etiam vulgaribus,

A quòd ſolſtitium æſtiuale ſit multo antè diem decimumſeptimum Iunij, ſcilicet die decima, vel vndecima, aut quaſi. Quod ſatis apparet ex conſideratione vmbræ. Nam illa die maxime eleuatur ſol in tota terra habitaculi verſus Zenith capitis noſtri, & per vmbram patet immediatè, quando ſol eleuatur plus, aut minus in meridie, et iamſi ſit valde parua differentia vnius eleuationis ad aliam, quia neceſſe eſt, quod faciat differentiam in vmbra. Et hoc conſonat poſitioni totius vulgi, nam omnes dicunt maximum diem totius anni eſſe diem ſancti Barnabæ, & eſt dies vndecimus Iunij. Et hoc verum eſt, quia aliquando eſt ibi ſolſtitium, & aliquando die præcedenti, vel quaſi, & tamen ſecundum annotationem Calendarii deberet eſſe ſeptem diebus poſt, vel quaſi: eſt ergo error magnus. Idem eſt de ſolſtitio hyemali, quod in Calendariis annotatur die decimo octauo, vel decimonono Decembris, quia ibi notatur ſol in capricorno. & tamen multo antè eſt ſolſtitium, ſcilicet die vndecimo, vel duodecimo eiuſdem. Quod ſatis patet vulgariter ex vmbris, quia ſicut in ſolſtitio æſtiuali eleuatur ſol maximè, & eſt maximus dies annis, quod per vmbram patet, ita in ſolſtitio hyemali ſol maximè deſcendit in meridie, & facit minimum diem totius anni. Et etiam hoc apparet manifeſtè ex differentia vmbræ ab vmbra aliorum dierum: eſt ergo error in Calendariis etiam quantum ad hoc. Et generaliter dicendum. Quòd omnes annotationes, quæ ſunt factę in Calendario quantum ad introitum ſolis in ſigna ſunt falſę, nam dato errore in vna, neceſſe eſt in omnibus eſſe errores, eò quod illę ponuntur ordinatæ, ſcilicet poſt introitum ſolis in vnum ſignum, decurſis 30. diebus ponitur introitus in aliud, & rurſus decurſis 30. & vno diebus ponitur introitus in aliud, & iſtud eſt, quaſi propinquum veritati, nam ſecundum medium motum ſol pertranſit vnum ſignum in triginta diebus, & decem horis, & quibuſdam minutis horæ. Verum eſt, quod ad hoc poſſet aliquis vir peritus dicere, quod verum eſt eſſe hic errorem magnum, & tamen iſte error habuit rationabilem introductionem, ſcilicet quia a principio, quando Calendarium in eccleſia ſcriptum eſt, erat introitus ſolis in Ariete die decimo octauo Martii, & ille introitus annotatus eſt, & hoc modo tam illa annotatio, quā omnes aliæ ſunt veræ, & tamē poſtea decurſu temporis falſificatum eſt propter motum augium ſolis, vel propter motum capitis Libræ, & Arietis, ſiue dicatur propter motum cæli ſtellarum fixarum, de quo manifeſtare maioris foret negocii, nec ad præſens vtile eſt. Dicendum, quod verum eſt, quod per tempora variatur introitus ſolis in Ariete, & in alia ſigna, quaſi per modum retroceſſionis in diebus, ſcilicet, quod ſi vno tempore eſt introitus ſolis in Ariete die decimo Martii, eueniet, ꝙ aliquando poſt tempora multa erit die quinto, & aliquando die primo, & aliquando redibit æquinoctium, & introitus ſolis in Ariete ad menſem Februarii, immo, & ad Ianuarium, ſi tamdiu mundus duraret, & non emendaretur Calendarium ſicut quidam coram Summis Pontificibus, & in generali etiam Concilio petiuerunt ſed nondum obtentum eſt.

Calendariū errat ponendo ſolſtitiū æſtiuū 17. Iunij.

Calendariū errat in introitu ſolis p oīa ſigna

B

C

D

Anno autem quo Chriſtus natus eſt erat æquinoctiū vernale 23. die Martii, vt ſatis poteſt inſpicere quicumque ſciens aliquid in calculatione motuum planetarum. & ab illo tempore vſque huc rediit ad hoc, quòd ſit ſolſtitiū, vel æquinoctium die vndecima, & interdū die decima Martii, ita proportionaliter fiet in annis ſequentibus quouſque mundus durabit ſi non emendetur Calendarium.

E Sed dicendum, quòd dato, quod iſte error acciderit ex hac cauſa non eſt ſat is excuſabilis.

Primo, quia primus annotator talium introituum ſolis in ſigna ſcire debuerat, quod iſte introitus erat, mobilis, ideo non debuerat annotare certum diem, vel ſaltem non debuiſſet annotare ſimpliciter, ſcilicet, ſine limitatione aliqua. Nam cum reperitur ſcriptum, quod tali die eſt introitus ſolis in tale ſignum, legens putat

putat ſemper hoc eſſe verum, & errat, non ergo debuerat annotans ſic annotaſſe, ſed vel tacuiſſe, cum talis annotatio ſit parum vtilis ad cõſiderationem plenam eorum, quæ continentur in Calendario, vel ſaltem dediſſe aliquam leuem cognitionem de mutatione introitus. Nam poterat dicere, quòd de centum in centum annos, vel quaſi mutatur ille introitus per vnum diem verſus anteriora, vtpote ſi nunc ſit introitus ſolis in Ariete die decimo Martii, paulisper redibit quoſque tranſactis cẽtum annis, vel quaſi ſit introitus in Arietem nono die, poſtea octauo, & ſic redeundo ad anteriora.

Secundo non eſt excuſabilis, quia etiam pro tempore ſuo non erat iſtud ſimpliciter verum, nam in quolibet anno biſſextili fiebat introitus ſolis in Arietem citra per vnum diem, ſcilicet die decimoſeptimo Martii, ideo etiam circa hoc debuiſſet dare leuem doctrinam faciendo mentionem de anno biſſextili, vel non annotando, quia aliàs per iſtam anotationem daretur occaſio errandi, quæ non daretur non oppoſita annotatione.

Tertio patet, quia dato, quòd auctor primus eſſet aliquo modo excuſabilis, tamen quantum ad propoſitum noſtrum attinet non poteſt tolli, quin illa annotatio ſit falſa, & impoſſibilis, & hoc eſt, quod volebamus, ſcilicet quòd aliqua contineantur in Calendario, quę ſunt falſa, & impoſſibilia.

CAPITVLVM LXXXVIII.

Quod non eſt verum, quod quilibet menſis addat ſuper alium duas horas increſcendo, vel in decreſcendo, & ibi multa aſtrologica de æquinoctijs, & ſolſtitijs, & declinationibus maximis ſolis & quod non creſcit, vel decreſcit dies æqualiter in omnibus menſibus, ſed in quibuſdam in triplo, quam in alijs. Et quod magis creſcit dies in Martio, quam in omnibus menſibus & magis decreſcit in Septembri, quam in omnibus mẽſibus.

ANnotatur etiam in Calendariis de ſingulis menſibus, quot horas diei, & quot horas noctis habeant. Nam dicitur in Ianuario, quòd dies habet horas octo, & nox horas decem, & ſex. Et Februarius habet in die horas 10. & nox habet 14. & ſic communiter addendo in quolibet menſe, duas horas addẽdo pro die, & minuendo duas pro nocte, donec veniatur ad Iunium, vbi annotatur, quòd nox habet horas ſex, & dies decem, & octo, & deinde minuitur dies, in quolibet menſe per duas horas, & nox creſcit per duas donec veniatur in Decembrem, vbi annotatur, quòd dies habet horas ſex, & nox 18. & iſtæ annotationes reperiuntur, quaſi conformiter in omnibus Calendariis, & tamen iſtæ ſunt falſæ, & impoſſibiles.

Primo patet, quia ponatur, quòd aliquando ſit dies horarum 18. & nox ſex, & econtrario, quòd aliquando nox ſit horarum 18. & dies horarum 6. & tamen in regionibus noſtris nunquam hoc reperitur, quia in quinto climate, in quo nos manemus dies maximus ad 15. horas, vel quaſi accedit, & nox maxima ad totidem. Si autem accipiamus in alijs regionibus, quæ ſunt verſus æquinoctialem, ſcilicet in 4. & 3. & 2. & primo climatibus, magis eſt hoc manifeſtum, quia ibi nox, & dies nunquam tantum creſcunt, ſicut apud nos, quia minus ibi diſtant ab æqualitate, cum minus diſtent a circulo æquinoctiali.

Si autem velis hoc referre ad alia climata, ſcilicet verſus ſeptimum, etiam non erit hoc poſſibile, quia vnum clima non addit ſuper aliud, niſi ſpatiũ dimidiæ horæ, vt patet ex Ptolemæo in Almageſto, & eſt ſuppoſitio omnium Aſtrologorum, ideo in fine ſeptimi climatis adhuc non prouenit maximus dies ad 17. horas, & conformiter nec maxima nox, quanto magis ad 18. Non ponunt autem aſtrologici plura climata, ideſt plures regiones habitatas, & ſic iſta annotatio horarum diei, & noctis falſa eſt pro tota latitudine terræ, quam Aſtrologi in climata diuiſerunt.

F Sed dicet aliquis, quod licet non verificitur pro terra ſeptem climatum, verificabitur pro aliqua alia terra, in qua dies interdum perueniat ad horas 18. & nox ad ſex, & è contrario in maxima nocte, quæ peruenit ad 18. horas, & dies tunc erit ſex horarum.

Dicendum, quòd non ſolum ad 18. immo terra eſt, in qua dies peruenit ad horas 20. & in alia ad 24 & tũc eſt vna circulatio ſolis integra faciẽs diem ſine nocte, & eſt terra, in qua dies durat vno menſe, ſ. quòd ſol facit triginta circulationes integras antequam occidat ſub horizonte. Et eſt terra, in qua prouenit ad duos menſes, & ad tres, & quatuor. Et eſt terra, in qua dies durat ſex mẽſibus, & nox totidem, & ibi vna dies naturalis eſt vnus annus completus de noſtris, & ibi neceſſe eſt, ꝙ ſol faciat centum octoginta duas, vel tres reuolutiones, ſiue circulationes integras ſuper horizontem antequam occidat,

G & poſtquam fuerit ſub horizonte facit totidem circulationes completas antequam oriatur.

Iſtud autem licet ſimplicibus videatur eſſe falſum, vel admirandum valdè, tamen nec eſt falſum, nec admirandum, ſed pure naturale, quia ſicut hic eſt naturale aliquando eſſe diem quatuordecim horarum, & noctem decem horarum, ita ibi naturale eſt diem eſſe ſex menſium, & noctem totidem, quod affirmat Ptolemæus, & omnes Aſtrologi.

Sed dato, quod nemo aſſereret, neceſſe erat hoc concedi, quia probaretur demonſtratione. Et fit iſtud propter obliquitatem ſphæræ ſuper horizonte, & ſecundũ maiorem, & minorem obliquitatem ſphæræ, vel horizontis fit iſta diuerſitas in quantitate dierum, & noctiũ

H maior, de quo non ſpectat ad præſens magis dilatare ſermonem. Et ſic bene conceditur, quod iſti petunt, ſcilicet an alicubi ſit dies horarum decem, & octo, & nox ſex, & è contrario.

Sed adhuc dicendum, quod non eſt excuſabilis ex hoc iſte error, quia tunc tales annotationes ſolum fieri deberent in Calendariis terræ illius, ſcilicet in quadam parte Alemaniæ verſus Daniam, & partes maxime aquilonares eius, etiam in quadam parte Angliæ, & inſulis adiacentibus. In terra autem noſtra nullo modo deberẽt fieri tales annotationes.

Sed forte aliquis dicet, ꝙ verum eſt, ꝙ pro ſingulis terris, & climatibus deberent fieri propriæ annotationes, cum in ſingulis ſit propria quantitas dierum, & noctium, & tamen facta eſt vna annotatio pro omnibus re-

I gionibus, ſcilicet, quæ communior erat.

Sed dicendum, quod hoc nullo modo eſt verum: nã dato, quòd pro omnibus regionibus fieret vna annotatio, quòd erat ſatis inconueniens, tamen illa deberet fieri pro illa regione, quæ participaret magis de natura medii, vt facilius communicaret cum omnibus extremis, & eſſet minor falſitas, iſta tamen eſt regio quinti, & quarti climatis, quantum ad ſitum climatum, vel quantum ad habitationem gentium, quia multi habitant extra omnia ſeptem climata verſus aquilonem, qui ſaltem acciperent ſextum clima pro medio, & tamen in his non peruenit dies ad ſexdecim horas, & nox minima non eſt minor octo horis. Patet ex Ptolomæo in Almageſto, & Alfragano, & omnibus Aſtrologis, ideo non

K propriè aſſumpta eſt annotatio pro terra, quæ eſſet extra omnia climata.

Item, quia cum iſta annotatio fiat in Calendariis eccleſiæ, ſeu eccleſiarum, debuit fieri conformis illi terræ, in qua magis viget eccleſia, & iſta eſt terra quinti, & ſexti climatis, quia in iſtis duobus climatibus pro maiori parte ſunt omnia regna Chriſtianorum habitantium in Europa. De habitantibus in Aſia, & Aphrica modicũ pertinet ad nos.

Et tamen iſtud non factum eſt, ſed facta eſt annotatio pro extremis terris Chriſtianorum, quæ à paucis annis ſunt Chriſtianorum. Nam prius maxima pars Alemaniæ, potiſſimè aquilonaris, & tota Anglia ad barbaros pertinebat. Anglici quippe tempore beati Gregorii fidem ſuſceperunt, vt patet ex legenda ſua. Alemani autem

tem

tem poſterius, nam & magna quædam pars ipſorum
verſus Polonicos diebus noſtris conuerſa eſt,& manent
adhuc regiones aliquæ ibi non conuerſæ,& ſunt gentes
barbarorum non Maurorum,ſed vere paganorum, qui
legem nullam circa cultum diuinum tenent,ſed colunt
ſyluas tanquam Deum, non ergo erat conueniens taliter
annotari.

Et adhuc alius error eſt in hoc, qui nullo modo po-
teſt excuſari reſpectu alicuius regionis, ſcilicet quia po
nitur,quòd quilibet menſis habeat duas horas,alias ad-
dat duas horas in die ſuper alium, vel totidem dimi-
nuat, & idem reſpectu noctis, ſed hoc eſt impoſſibile.
Nam dato, quòd aliqua regio ſit, in qua dies maximus
perueniat ad decem, & octo horas, & nox tunc ſolum
habet ſex, tamen adhuc in regione illa non eſt verum,
quod quilibet menſis addat ſuper aliũ duas horas præ-
ciſè in die, vel in nocte, & nullus ſit qui minus addat,
nec ſit aliquis,qui addat plus.

Hoc autem probatur, & petitur, quãdo dicitur in an-
notatione Ianuarij. Nox habet horas 16.& dies 8.& ſic
de ceteris, an intelligatur, quòd in toto menſe Ianuarij
quilibet dies habeat horas octo præciſè, & quælibet
nox habeat ſexdecim, Vel intelligatur, quòd maior
dies Ianuarij, qui eſt vltimus habeat octo horas,& nox
tunc habeat decem,& ſex horas. Sed neutrum iſtorum
modorum poteſt ſtare in veritate dictum.

De primo patet,quòd non poſſit ſtare, quia tunc om-
nes dies Ianuarij eſſent æquales inter ſe, & tamen fal-
ſum eſt, quia dies ſemper ſunt in creſcendo, vel decre-
ſcendo, & nunquam ſunt in ſtatu, nec poſſunt dari duo
dies æquales,qui ſint coniuncti.Et ſatis manifeſtè cerni-
tur,quod in medio,& in fine Ianuarij ſunt dies maiores,
quam in principio.

Item patet,quia dato hoc ſequeretur magnum incon
ueniens, & abſurdum. Nam cum diceretur, quòd Ia-
nuarius habeat in die horas octo,& in nocte 16.& intel-
ligatur de quolibet die Ianuarij, ſequeretur, quòd vlti-
mus dies Ianuarij haberet octo horas ſolum,& nox ſua
16. & tunc cum in annotatione Februarij dicatur, quòd
nox habet horas 14. & dies decem, & intelligatur ſu-
pradicto modo,ſequeretur,quòd quælibet dies Februa-
rij tantum haberet in die, quantum in nocte, & ſic pri-
mus dies Februarij haberet horas 10. & nox ſua horas
quatuordecim.

Cum ergo vltima dies Ianuarij habet horas octo ſo-
lum, & nox horas 16.& primus dies Februarij horas
decem, & nox horas 14. ſequitur, quòd erunt duo dies
immediati quorum vnus excedat alium per duas ho-
ras,& ſimiliter de noctibus eorum,quod abſurdum eſt,
& impoſſibile,& contra rationem,& experientiam. Nõ
ergo poteſt intelligi hoc modo annotatio.

Secundus etiam modus non poteſt ſtare,ſcilicet quòd
Ianuarius in die habeat horas octo, & in nocte 16.ideſt
quòd in fine menſis ſit dies octo horarum,& nox 16.&
antè hoc ſemper ſit dies minor octo horis,& nox minor
16 & ſit continuum incrementum vſque ad finem men
ſis,& ſic intelligatur de Februario,quòd dies habeat ho
ras decem, & nox 14. nam hoc dato ſequitur,quòd dies
ſemper ſunt in augmento, vel in diminutione, & quòd
in omnibus menſibus creſcunt, vel decreſcunt æquali-
ter, ſcilicet in quolibet menſe per duas horas, ſed iſtud
eſt impoſſibile omnino,quia dato,quòd ſit aliqua regio
in qua maximus dies perueniat ad 18. horas, & mini-
mus habeat ſolum ſex, tamen ibi non eſt poſſibile,quòd
in quolibet menſe dies augeatur per duas horas, vel
totidem decreſcat de horis, ita quod in omnibus men-
ſibus ſit augmentum, vel decrimentum, ſiue diminu-
tio per æqualia, ſed ſtante tali terra neceſſarium eſt, ꝙ
aliquis menſis ſit in quo dies creſcat,quaſi per tres ho-
ras ſuper alium menſem,& alius ſit,in quo non creſcat,
niſi per horam, & dimidiam, vel quaſi. Vnde ad ſen-
ſum iſta patent, ſi quis iſta inſpiciat, nam magis creſcit
dies in Martio à principio vſque ad finem,quam a prin
cipio Maij vſque ad medium Iunii. Sic eſt etiam in de-

A creſcendo,nam plus decreſcit dies à principio Septem-
bris vſque ad finem eius, quam à principio Nouembris
vſque ad medium Decembris.

Eſt autem regula, quòd apud æquinoctia antè, &
poſt in pauco tẽpore dies valde creſcit,& apud ſolſtitia
antè,& poſt dies modicum creſcunt,& decreſcũt in ma
gno tempore.

Iſta autem declarantur aliqualiter aſtrologicè. Nam
dies,& nox faciunt vnam circulationem integram, vel,
vt proprius dicatur, Sol ex vna circulatione cõpleta red
dit diem,& noctem,& pars illa circuli Solis,quæ eſt ſu-
pra horizontem facit diem,illa autem pars,quę eſt infra
horizontem conſtituit noctem. Et quando cõtingit illos
duos arcus eſſe æquales eſt æquinoctium, quando vero
arcus ſub horizonte maior eſt,nox eſt maior.

B Eſt autem hic conſiderandum pro ampliori euiden-
tia, quòd Sol mouetur ſemper in Zodiaco per medieta-
tem eius non declinando ad meridiem, vel aquilonem,
ſed ſemper per medium ſub linea eclyptica, & Zodia-
cus eſt circulus interſecans æquinoctialem circulum o-
bliquè ad angulos æquales, & quando Sol peruenit ad
aliquam de illis duabus interſecationibus, vbi æqui-
noctialis cum Zodiaco ſe ſecat, mouetur per æquino-
ctialem, & tunc eſt arcus, qui eſt ſuper horizontem æ-
qualis arcui,qui eſt ſub horizonte,& ſic nox,& dies æ-
quantur. Et quando hoc contingit bis in anno Sole per-
ueniente ad illas duas interſecationes, fit bis quolibet
anno æquinoctium. In ceteris partibus anni dies &
nox ſunt inæquales. Zodiacus autem ſecans æquino-
ctialem in duobus punctis declinat ab ea in omnibus a-
C lijs partibus ſuis,& ſunt duo puncta,in quibus maximè
declinat, & ſunt iſta puncta ſibi oppoſita æqualiter di-
ſtantia ab vtraque ſectione. Et illa puncta vocantur ma-
ximæ ſolis declinationes,quia quãdo Sol peruenit ad al
terutram duarum ſectionum Zodiaci æquinoctialis,nul
la eſt diſtantia,vel declinatio eius, quia eſt tunc realiter
in æquinoctiali,reſpectu cuius accipitur declinatio,ſed
cum inde recedit incipit declinare, ſed cum peruenerit
ad alterutrum illorum duorum punctorum nominato-
rum, iam non poteſt magis recedere, ſed potius redit
verſus ęquinoctiale,ideo illa duo puncta vocantur ma-
ximæ ſolis declinationes.

Vocantur etiam duo tropici, ideſt, circuli conuerſio-
num,quia vſque ad illos procedit ſemper Sol ab æqui-
noctiali. Cum autem peruenerit ad aliquem illorum
D non procedit vltra,ſed incipit redire, vel conuerti ver-
ſus æquinoctialem. Ideo conuerſiui circuli, vel tropici
in græco quod idem eſt propriè dicuntur.

Quamdiu autem Sol eſt in iſtis declinationibus ab
æquinoctiali verſus aliquem de duobus tropicis, dies
& nox ſunt æquales.

Vocantur autem iſta quatuor puncta ſic,ſcilicet vnus
punctus interſecationis æquinoctialis cum Zodiaco
vocatur caput Arietis.

Et punctus interſecationis oppoſitæ vocatur caput
Libræ. Et vnus punctus maximæ declinationis vocatur
caput Cancri,vel tropicus Cancri. Alius punctus oppo-
ſitus declinationis maximæ vocatur caput Capricorni,
vel tropicus Capricorni. In capite Arietis fit æquino-
ctium vernale,quod eſt circa medium Martij.

E In capite Libræ fit ęquinoctium autumnale,& eſt cir
ca mediũ Septembris,tunc ſunt noctes & dies æquales.
In capite cancri fit ſolſtitium æſtiuale, & tunc eſt dies
maximus anni. In capite Capricorni fit ſolſtitium hye-
male,& tunc eſt dies minimus anni, & nox maxima.

Ex hoc apparet, quod cum ſolum bis in anno fit æ-
quinoctium Sole exiſtente in alterutra duarum ſectio-
num, ſcilicet capitis Arietis, & Libræ quòd quamdiu
quando declinat ab æquinoctiali verſus alterum tro-
picorum quouſque redeat rurſus ad æquinoctialem,
erunt dies minores noctibus, & quando ab illa ſectio-
ne ad alterum tropicorum declinat, donec iterum re-
deat ad æquinoctialem,erunt dies maiores noctibus.

Ex quo rurſus ſequitur, quòd cum iſtæ duæ partes
decli-

declinationis ſint duę medietates circuli Zodiaci, quam ſol complet in vno anno, quòd in vna medietate anni erunt ſemper dies maiores noctibus, & in alia medietate erunt ſemper noctes maiores diebus.

Ex his ſequitur rurſus, quòd in illa medietatę, quæ eſt declinando ab æquinoctiali interſectione verſus tropicum Capricorni, quouſque redeatur ad aliam interſectionem, quæ eſt oppoſita: ſcilicet declinando a capite Libræ ad tropicum Capricorni, quouſque redeatur ad aliam ſectionem, quæ eſt caput arietis, ſunt dies minores noctibus. Et hoc eſt à medio Septembris, vel parum antè vſque ad medium Martii vel quaſi. Nam ibi ſunt iſtæ duæ interſectiones.

Etiam ſequitur quòd quamdiu ſol tendit ab interſectione capitis arietis verſus tropicum Cancri, quouſq; redeat iterum ád æquinoctialem interſectionem, quæ eſt capitis Libræ ſunt dies maiores noctibus. Et hoc eſt à medio Martii, vel quaſi vſque ad medium Septembris, vel quaſi, quia ibi ſignantur hæc loca ſectionum.

Apparet etiam ex dictis, quòd à tropico Cancri ſiue capite Cancri vſque ad tropicum, vel caput Capricorni dies decreſcunt, nam cum ſole exiſtente in capite Cancri, recedat maximè ab æquinoctiali in illa medietate circuli, in qua creſcunt dies, neceſſe eſt, quod ſit ibi maximus dies anni, vt etiam ſupra dictum eſt, ideo quamdiu receſſerit ſol ab eo vſque ad tropicum Capricorni, in quo eſt minimus dies anni, ſemper decreſcit. Nam antequam ſol veniat, ſeu perueniat ad diem maximum, non poteſt dies decreſcere, & poſtquam peruenerit ad minimum, etiam non poteſt decreſcere, ideo in tota iſta medietate, quæ eſt inter duos tropicos, dies decreſcet, & iſtud eſt a medio Iunii, vel quaſi vſque ad medium Decembris, vel quaſi. Et in medietate illa, quæ eſt a tropico Capricorni vſque ad tropicum Cancri, dies ſemper decreſcet. Nam poſtquam ſol peruenit ad tropicum Capricorni, non poteſt dies decreſcere, cum non poſſit magis elongari ab æquinoctiali, ſed potius redeat ad illam. Et poſtquam peruenerit ad tropicum Cancri, non poteſt dies magis creſcere, quia non poteſt plus recedere ab æquinoctiali, ideo inter iſtos duos tropicos ſemper creſcit, & eſt medietas anni, quæ eſt a medio Decembris, vel quaſi, vſque ad medium Iunii vel quaſi.

Nunc demonſtrato, quomodo dies ſemper creſcit aut decreſcit, & in quibus partibus anni & circuli hoc fit, declarandum eſt de quantitate augmenti & diminutionis. Diximus autem, quòd à tropico Cancri vſque ad tropicum Capricorni ſemper dies decreſcunt, & à tropico Capricorni vſque ad tropicum Cancri ſemper creſcunt, & tamen, vt planius videatur, & breuius conſideremus ab ęquinoctiis ad ſolſtitia, ſcilicet ab interſectione æquinoctialis, & Zodiaci vſque ad aliquem de tropicis. Et pro hoc præſumendum, quod Zodiacus circulus, quem ſol pertranſit in vno anno, diuiditur in duodecim partes, quæ vocantur duodecim ſigna, ſcilicet Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, Libra, Scorpius, Sagittarius, Capricornus, Aquarius, Piſcis. Tria prima, ſcilicet Aries, Taurus, Gemini ſunt in illa quarta Zodiaci, quæ eſt ab æquinoctio vernali vſque ad ſolſtitium æſtiuale, ſiue a capite Arietis vſque ad tropicum Cancri. Et tria ſequentia, ſcilicet Cancer, Leo, Virgo, ſunt à ſolſtitio æſtiuali vſque ad æquinoctium autumnale, ſiue à capite Cancri vſque ad interſectionem capitis Libræ. Tria ſequentia, ſcilicet Libra, Scorpius, Sagittarius, ſunt ab æquinoctio autumnali vſque ad ſolſtitiũ hyemale, ſiue à capite Libræ, vſque ad caput vel tropicum Capricorni. Et tria vltima, ſcilicet, Capricornus, Aquarius, Piſcis, ſunt à ſolſtitio hyemali vſque ad æquinoctium vernale, ſiue à tropico Capricorni vſque ad interſectionem capitis arietis.

In primis tribus eſt ſol à medio Martii, vel quaſi vſque ad medium Iunii, vel quaſi. Et in ſecundo ternario eſt à medio Iunii, vel quaſi vſque ad medium Septembris, vel quaſi. In ſequenti ternario eſt à medio F Septembris, vel quaſi vſque ad medium Decembris, vel quaſi. In quarto ternario eſt à medio Decẽbris, vel quaſi vſque ad medium Martij, vel quaſi.

Hoc præſuppoſito dicendũ, quod dies creſcit, vel decreſcit, quandocunque ſol recedit ab æquinoctiali verſus aliquem de tropicis, ſiue ad aliquã de maximis declinationibus, quod idem eſt. Et ſecundum, ꝙ magis recedit, magis creſcunt, vel decreſcunt dies, & qñ æqualiter recedit in duabus partibus aliquorum ſignorum, in illis æqualiter creſcunt, vel decreſcunt. Pro quo ſciendum, ꝙ iſtæ duæ maximæ declinationes, ſiue duo tropici æqualiter diſtant ab æquinoctiali. Quælibet. n. earum diſtat. 24. gradibus ferè, ſcilicet diuidendo totum Zodiacum in trecentas & ſexaginta partes æquales, quęlibet illarum vocatur vnus gradus, & vigintiquatuor de illis habet linea, quæ intercidit inter æquinoctialem, & quamlibet earum declinationum. Dico autem de linea, G quæ cadit ſuper vtrumque rectè, & interſecat vtrumq; orthogonaliter ad angulos rectos ſphærales.

Hoc viſo retento præſuppoſito noſtro, dicamus, quòd ſi aliqua terra, in qua maior dies ſit horarum decem & octò, ibi quando ſol fuerit in capite Arietis in medio Martii, vel quaſi, erit dies duodecim horarum, & totidẽ nox, & quando fuerit ſol in capite cancri, erit dies, 18. horarum & nox ſex, & quando fuerit ſol in capite Librę erit dies horarum. 12. & nox totidem. Cum verò fuerit ſol in tropico Capricorni, erit dies 6. horarũ, & nox 18. Ex quo apparet, quod in declinatione ſolis ab æquinoctiali, ſ. a capite Arietis vſque ad tropicum Cancri creſcat dies ſex horas, & in alia declinatione ſolis ab ęquinoctiali, ſcilicet a capite Libræ vſque ad tropicum Capricorni H decreſcit dies ſex horas, & vtraq; declinatio eſt vigintiquatuor graduum ferè, vt dictum eſt, ideo cuilibet horæ reſpondebunt quatuor gradus de declinatione, ita vt dicamus, quod, quando ſol declinauerit a capite Arietis vſque ad Cancrum quatuor gradibus, erit dies horarum tredecim, & cum declinauerit ſex gradib. erit dies tredecim horarum, & dimidiæ, & cum declinauerit decem & octo gradibus, erit dies 16. horarum, & dimidiæ, & cum declinauerit viginti gradibus erit dies decem, & ſeptem horarum.

Cum vero declinauerit vigintiquatuor, vel quaſi iam eſt in capite Cancri, & eſt tunc dies 18. horarum completarum. Similiter in diminuendo, cum ſol declinat quatuor gradibus a capite Libræ verſus Capricornum, eſt dies vndecim horarum, & cum declinat octo gradi- I bus, eſt dies decem horarum, & cum declinat 16. gradibus, eſt dies octo horarum, & cum declinat vigintiquatuor gradibus ferè, eſt in fine declinationis, & eſt dies ſex horarum.

Nunc autem dicendum, quod a capite Arietis vſque ad caput Cancri, in quo ſpacio augetur dies ſex horis, ſunt tria ſigna æqualia, ſcilicet Aries, Taurus, Gemini. Et à capite Libræ vſque ad Capricornum, in quo ſpacio decreſcit dies ſex horis, ſunt reliqua tria ſigna æqualia, ſcilicet Libra, Scorpius, Sagittarius, & quodlibet iſtorum ſignorum pertranſit Sol in vno menſe, ſcilicet in triginta diebus, & decem horis, & paucis minutis horæ. Ideo crederet aliquis, quòd illa declinatio maxima, quæ eſt vigintiquatuor graduum ferè, ſcilicet, ab æquinoctiali ad tropicum Cancri diuidatur æquali- K ter per iſta tria ſigna, ſcilicet Aries, Taurus, Gemini. Et tunc, cum cuilibet ſigno correſponderent octo de gradibus declinationis, competerent ei duæ horæ augmentationis diei. Et quia in quolibet illorum trium menſium, ſcilicet à medio Martii, vel quaſi vſque ad medium Iunii, vel quaſi ſol tranſit per vnum ſignum, eſſet augmentum diei in quolibet illorum menſium horarum duarum. Et ſic fieret procedendo a libra verſus Capricornum per alia tria ſigna, ſcilicet Libram, Scorpionem, & Sagittarium, ſcilicet, quod cuilibet iſtorum trium ſignorum competerent octo gradus de illa declinatione, & quodlibet illorum ſeruit vni menſi, eſſet in quolibet illorum trium mẽſium, ſcilicet à medio Septembris vſq;

ad

ad medium Decembris, vel quaſi incrementum duarũ horarum, & ſic eſſet æquale, & tamen non eſt. A

Sed dicendum eſt, quòd licet ſigna omnia inter ſe æqualia ſint, quia quodlibet continet gradus 30. & Sol tantum moratur in tranſeundo vnum, ſicut alterum, ſecundum motum medium, & in quolibet triginta diebus, & horis decem, & quibuſdam minutis horæ, tamen de illa latitudine declinationis ab æquinoctiali non competit eis æqualiter, ſed quibuſdam plus, & aliis minus. Et hoc neceſſarium eſt propter motum ſectionis, & curuationis circuli, ſicut ad oculum apparet ſi quis reſpicit in ponendo chordas, & ſagittas pro arcubus circulorum.

Vnde eſt regula, quòd quando aliqua ſigna, vel partes ſignorum magis accedunt ad puncta æquinoctiorũ, competit eis magis de latitudine illa declinationis. B

Et quanto magis appropinquant ad puncta ſolſtitiorũ, minus competit eis de iſta latitudine declinationis.

Et ob hoc magis creſcit dies Sole ſtante in Ariete, quam Sole ſtante in Tauro, & magis ſtante in Tauro quam ſtante in geminis.

Eodem modo in illa quarta, quæ eſt à capite Capricorni vſque ad caput Arietis creſcunt dies, & magis creſcunt in Piſcibus, quam in Aquario, & magis in Aquario, quam in Capricorno, ſecundum quòd magis accedunt ad caput Arietis, vbi eſt æquinoctium.

Similiter aũt, & in alia medietate, in qua decreſcunt dies, ſcilicet à Cancri capite vſque ad Capricornum. Nam decreſcunt dies magis in Virgine, quam in Leone, & magis in Leone, quam in Cancro, ſecundum quod magis ad caput Libræ, vbi eſt æquinoctium, accedunt. C

Etiam in quarta, quæ eſt à capite Libræ vſque ad Capricornum. Nã magis decreſcũt dies in Libra, quam in Scorpione, & magis in Scorpione, quam in Sagittario.

Eſt multum inæqualis iſta diuiſio non ſolum in ſignis, ſed etiam in partibus ſignorum. Nam in Ariete magis creſcunt dies in duodecim gradibus primis, quam in quatuordecim de vltimis, & ita in quolibet alio ſigno, ſecundum quòd vna pars eius magis, vel minus accedit ad æquinoctii pũctum. Vnde in primis decem gradibus geminorum magis creſcit dies, quam in decem vltimis.

Ita etiam eſt in decreſcendo, quia quantò magis accedit aliquod ſignum, vel pars ſigni de medietate illa, in qua decreſcit dies, accedit ad æquinoctium autumnale, ſcilicet ad caput Libræ, magis decreſcit ibi dies. Et ob hoc in Virgine, & Libra magis decreſcunt, quam in aliis, quia iſta duo ſigna magis accedunt ad punctum æquinoctii autumnalis. Vnde etiam in octo gradibus vltimis Virginis magis decreſcunt dies, quam in octo immo nouem primis, ſcilicet quia octo vltimi gradus magis accedunt ad punctum æquinoctii, quã primi octo. D

Fit autem è contrario in Libra. Nam in primis octo gradibus eius magis decreſcit dies, quam in octo, vel nouem vltimis, eo quòd primi octo magis accedunt ad punctum æquinoctii.

Sic ẽt in Ariete, & Piſcibus. Nã primi gradus Arietis ſunt maioris declinationis, & incrementi diei q̃ vltimi. In Piſcibus aũt è contrario, quia in quinque vltimis gradibus Piſcium magis creſcit dies q̃ in quinque primis. Procedit aũt iſta diuerſitas in tantum, ꝙ in Ariete cõpetũt, quaſi duodecim gradus de illa declinatione 24. graduum, & in Tauro, quaſi ſeptem, & in Geminis, quaſi quatuor, ſicut manifeſte apparet ex tabulis declinationis Solis, quas Aſtrologi faciunt. Et ſatis probatur hoc demonſtratione modo geometrico ex habitudine duorum circulorum ſe ſecantium obliquè ad angulos inæquales, ſicut ſe ſecant æquinoctialis, & Zodiacus, &c. ſatis hoc probat Ptolemæus in Almageſto. Ita etiam eſt in parte decreſcentiæ diei. Nam à Cancro in Capricornum decreſcunt, ſed competunt Cancro, quaſi quatuor gradus, & Leoni, quaſi ſeptem, & Virgini, quaſi 12. Hæc dicuntur groſſo modo, quia non ſpectat ad præſens certificare de his. E

Ex quo apparet, quod dies creſcunt, quaſi in triplo à medio Martij vſque ad medium Aprilis, vel quaſi, & à medio Martii vſque ad medium Iunij, vel quaſi. Etiam patet, quod tantum creſcunt, vel quaſi a medio Martii vſque ad medium Aprilis, ſicut a medio Aprilis vſque ad medium Iunij, ſcilicet tantum 30. diebus, ſicut in ſexaginta.

Si tamen accipiatur dies à principio Martii vſque ad finem eius, adhuc erit maius incrementum, quã à medio Martii vſque ad medium Aprilis.

Ratio huius eſt, quia à medio Martii, vel quaſi vſque ad medium Aprilis eſt totum ſignum Arietis, à principio autem Martii vſq; ad finem eius ſunt vndecim gradus Piſcium poſtremi, & decem, & nouem, vel viginti gradus Arietis.

Et tamen magis creſcit dies in decem gradibus vltimis piſcium cum viginti primis gradibus Arietis, quam in omnibus triginta gradibus Arietis.

Ratio eſt, quia in decem, vel vndecim gradibus vltimis Piſcium magis creſcit dies, quã in decem vltimis gradibus Arietis. Nam decem vltimi gradus Piſcium ſunt coniuncti æquinoctio, & decem vltimi gradus Arietis ſunt remoti ab eo.

Vnde dicendum, quod magis creſcit dies à principio Martii vſque ad finem eius in vno menſe, quam à medio Aprilis, vel quaſi vſque ad medium Iunii in duobus menſibus. Nam huic menſi competunt pluſquã duodecim gradus de illa declinatione, & aliis duobus nominatis non competunt duodecim gradus, vt declaratum eſt.

In illa autem quarta anni, quæ eſt a medio Iunii vſq; ad medium Septembris, in triplo decreſcunt dies à medio Auguſti vſque ad medium Septembris, quam à medio Iunii vſque ad medium Auguſti, ſcilicet tantum in vno menſe, ſicut in duobus. Et ſi accipiatur menſis Septembris à principio vſque ad finem, magis in illo decreſcit dies, quam à medio Iunii vſque ad medium Auguſti, & tantum quantum à medio Octobris, vel quaſi vſque ad medium Decembris. Et ſicut diximus de quarta anni a medio Martii vſque ad medium Iunii in creſcendo, ita dicendum de quarta anni a medio Septembris vſque ad medium Decembris, quia ſunt quartæ oppoſitæ, & idem inductum eſt de eis. Et ſicut dictũ eſt de quarta anni a medio Iunii vſque ad medium Septembris in decreſcendo, ita dicendum eſt de quarta ſibi oppoſita, ſcilicet a medio Decembris vſque ad medium Martii in creſcendo.

Ex hoc etiam infertur, quod tantum creſcunt dies Sole exiſtente in toto ſigno Piſcium, & Arietis, ſcilicet, à medio Februarii, vel quaſi vſque ad medium Aprilis, vel quaſi in duobus menſibus, quantum creſcunt Sole exiſtente a principio Capricorni vſque ad finem Aquari, & a principio Tauri vſque ad finem Geminorum, ſcilicet a medio Aprilis vſque ad medium Iunij, quæ ſunt ſex ſigna, & quatuor menſes coniungendo crementum iſtorum quatuor menſium licet non ſint continui.

Idem etiam dicendum in decreſcendo, ſcilicet, quod tantum decreſcunt dies a principio Virginis vſque ad finem Libræ, ſcilicet a medio Auguſti vſque ad finem Octobris, vbi ſunt duo ſigna, & duo menſes quantum a principio Cancri vſque ad finem Leonis, ſ. a medio Iunii vſque ad medium Auguſti, & a principio Scorpionis vſque ad finem Sagittarii, ſcilicet a medio Octobris vſque ad medium Decembris coniungendo vtramque diminutionem, in qua ſunt quatuor ſigna, & quatuor menſes.

Apparet, ergo quod falſa, & impoſſibilis eſt illa annotatio Calendarii, ſcilicet, quod tantum addat vnus menſis ſuper alium de die, vel nocte, quantum alius ſuper alium, & omnes æqualiter, ſcilicet, quod quilibet addat horas duas, vel tantundẽ diminuat, ſed aliquando in vno menſe creſcit, vel decreſcit in triplo, quam in alio, & aliquando in duplo, vel quaſi, & ſic de ceteris

diuerſitatibus. Et per hoc patet primum membrum, quòd intendebamus deducere, ſcilicet quòd aliqua ponuntur in Calendariis, quæ ſunt falſa, & impoſſibilia, ſicut deductum eſt.

CAPITVLVM LXXXIX.

Quod in Calendarijs ſolet poni, qua die creatus eſt Adam, & qua die intrauit Noe in arcam, & falsè annotatur, & quòd mundus non fuerit creatus in Martio ſed in Septembri.

SEcundum erat, quòd quædam ponuntur in Calendariis, quæ ſunt veriſimiliter falſa, ſicut eſt de creatione mundi, & Adæ. Nam in aliquibus Calendariis ponitur quo die fuerit creatus Adam, & ponitur in Martio circa finem. Iſtud autem videtur eſſe falſum ſaltem veriſimiliter. Nam iſti præſupponunt mundum creatum fuiſſe in Martio. Et, quia homo ſexto die creatus eſt Geneſ. 1. cap. ponunt ſexto die, creationem Adæ ab illo die, quo credunt mundum creatum, & vtrumque eſt ſecundum eos in Martio.

Sed circa hoc inter Doctores eſt dubiũ, quando mundus creatus fuerit, quibuſdam tenentibus, quod in Martio, aliis quòd in Septembri ad finem. Et hoc tenent cõmuniter Iudæi, quod viceſimaquinta die Septembris creatus ſit mundus, & Adam vltima die Septembris, & in hac opinione conueniunt multi periti Latinorum. Et videtur manifeſte vera, ſicut induximus ſatis rationibus euidentibus tam ſuper Gene. quam ſuper Exodum. Et non ſolum rationibus naturalibus, ſed etiam teſtimonis Sacræ Scripturæ. Ponere ergo Adam fuiſſe creatũ in Martio eſt ponere aliquid veriſimile falſum, vel ſaltem magis præſumptuoſum, quam verum.

Item in multis Calendariis ſolet annotari, quando introiuit Noe in arcam, & qua die & quo menſe cœpit diluuium, & qua die egreſſus eſt Noe de arca. Nam Gene. 7. & 8. ponuntur dies, & mẽſes pro quolibet iſtorum, & pro multis aliis. Et cum ipſi præſupponant mẽſes incipere a Martio, & ibi fuiſſe mundum creatum, ſicut ſupra dictum eſt, annotant ſingula iſtorum in mẽſibus ſequentibus, ſecundum quòd videtur conuenire Sacræ Scripturæ Geneſ. & tamen cum in fundamento errant, vel ſaltem ſit veriſimile eos errare, ſcilicet ponẽdo mundum creatum in Martio, & ibi incipere menſes anni, neceſſe eſt eos conſequenter deficere in omnibus ſequentibus annotationibus, cum deberent ponere eas computando menſes à fine Septembris, vel principio Octobris.

Item apparet hoc magis efficaciter, quia vt Iudæi tenent, & eſt ſatis veriſimile, immo quaſi neceſſarium, anni illi, qui computantur in Gene. & menſes erant lunares, quia erant tales, quales anni, & menſes, quos nũc habent Iudæi, niſi quod differant in principio anni. Quod patet, quia Exo. 13. Deus dixit ad Moyſen, mẽſis iſte principium menſium vobis erit primus in menſibus anni. Et ſic idem erat principium menſis, & finis ſecundum computationem priorem temporum, quæ fuerat in Sacra Scriptura, & inter Iudæos cum principio, & fine menſis, qui nunc pertinebat ad ſecundã computationem, qñ Iudæi inceperunt illam, quam nunc ſequuntur, ſed ſolum differebat principium anni, quia forte ille menſis, qui alias erat ſextus menſis anni, vel quintus efficiebatur nunc ex mandato Dei principium anni, & primus inter menſes Exo. 12. ſed menſes iſti, quos nunc Iudæi habent ſunt menſes lunares, ergo mẽſes illi, quos habebant prius, & quibus Scriptura vtitur, erant lunares. Quia ſi detur, quod eſſent ſolares, non poterant incidere cum menſibus lunaribus. Nam non poſſunt eſſe eadem principia, & fines ſolariũ, & lunarium menſiũ, cum ſolares ſint maiores, & tamẽ ſic illi menſes, quibus prius vtebantur Iudæi, & quibus Moyſes vtitur in Sacra Scriptura enarrando diluuium, & alia accidentia erant menſes lunares, menſes tamen noſtri, & omnium Latinorum ſunt ſolares, ideo non coinciderent menſes Iu-

F dæorum nec illi cum noſtris, & ſic dato, quod principium mundi fuit in Martio non coincideret primus ille menſis cum Martio noſtro, ſicut nec nunc concordat primus menſis Iudæorum cum Martio noſtro licet ipſi incipiant ſemper ſuum annum circa æquinoctium vernale, quod eſt in Martio.

Ex dictis etiam apparet, quod non fuit mundus creatus in Martio, quia a creatione mundi cœpit computari annus, & fuit tunc primus menſis anni de illis menſib. & annis, quibus Moyſes vtitur in Gen. & iſtis menſibus vtebantur Iudæi tunc, & tamen in computatione annorum, quam Deus iuſſit eis tollere ex Aegypto, non erat idem primus menſis anni, qui erat ſecundum primam computationem, quæ tenebatur a principio mundi, vt patet Exod. 12. ſcilicet menſis iſte principium vobis mẽ-

G ſium erit primus in menſibus anni, ergo videtur, quod non erat ille primus in alia computatione, quia alias non mandaret nunc, quod iſte eſſet primus, & cum principium anni, quod Deus iuſſit nunc tenere Hebræis fuit in Martio, ſicut poſtea ſemper tenuerunt, & etiam nunc tenent, ergo annus a principio mundi non incipiebat in Martio, & conſequenter non fuit creatus mundus in Martio, ſed magis in Septembri, vt probatum eſt vbi ſupra, & conſequenter annotationes iſtæ, quæ procedũt præſupponendo, quod fuerit creatus mundus in Martio falſæ ſunt. Et dato, quod fuiſſet creatus in Martio, non poteſt coincidere primus menſis illius anni cum Martio noſtro. & ſequentes menſes eius cum ſequentib. menſibus noſtris, qui ſunt menſes ſolares, & tamen annotationes de introitu Noe in arcã, & de inundatione aqua-

H rum diluuij, & de exitu de arca fiunt in mẽſibus noſtris quaſi coinciderent cum illis menſibus, qui ponuntur in Gen. Et ſic apparent iſta falſa manifeſtè vel ſaltem veriſimiliter, & ponuntur in plurimis Calendarijs.

Tertium erat quod in Calendarijs ſunt quædam rationabiliter dubia, an vera ſint vel falſa, ſicut ſolet annotari in quibuſdam Calendariis diuiſio Apoſtolorum in Iulio menſe certo die, quaſi illo die Apoſtoli receſſerunt ab inuicem, & diſperſi fuerunt per totum orbẽ ad prædicandum, ſ. quod omnes vna die receſſerint ab inuicem non eſt verum, quia multi receſſerunt prius aliis manentibus in Ieruſalem, quod patet ad Galat. 1. ca. dicitur, quod quando Paulus conuerſus eſt, iuit in Arabiã & Damaſcum, & poſt tres annos rediit in Ieruſalem, &

I non inuenit ibi niſi Beatum Petrum, & Iacobum fratrẽ Domini. Et ſequitur, aliorum Apoſtolorum vidi neminem. Non ergo omnes diuiſi ſunt vel diuiſerunt ſe ab inuicem eodem die.

Item dato, quod non intelligatur ſic, ſed ſolum, quod Apoſtoli omnes poſt mortem Chriſti fuerunt ſimul, & prima dies, qua ab inuicem cœperunt recedere, fuit illa dies ſignata eſt totaliter dubium, quia non conſtat ex aliquo loco authentico, nec ſcimus aliquem virum doctum, qui hæc aſſerat. Alia autem ſimilia ſolent poni in quibuſdam Calendarijs, quæ pertinent ad accidentia temporum, & res magnas vulgares, de quibus an ſic, vel è contrario ſint, nulla fides eſt, ſed eadem facilitate contemnuntur, quia recipiuntur, immo iuſtius reiiciuntur, & contemnuntur, quam recipiantur quia intelle-

K ctus, cum aliquid concipit, debet concipere, vt verum, & tamen circa talia non eſt aliquod motiuum, ſcilicet, nec ratio, nec auctoritas ad ſuadendum, quod vera ſint, ideo ad viros doctos pertinet talia potius contemnere, quam aduertere ad iſta.

Inductum patet ex prædictis quanta fides debeat dari eis, quæ in Calendariis continentur, & quantum valeat iſta conſequentia, ſcilicet hoc reperitur in Calendariis, ergo ſic eſt. Et ſic eſt in præſenti, quia licet reperiatur in quibuſdam Calendariis annotata paſſio Domini, & reſurrectio, 25. & 27. Martii, non ſequitur inde, ꝙ ſic fuerit, potiſſime quia nõ reperitur hoc, in omnibus Calendariis, ſed ſolum in quibuſdam de antiquis. Ex quo apparet, quod contemnitur iſta aſſertio, maximè cum reperiatur in contrarium ratio fortiſſima, quæ ſu-

pra inducta fuit in tertia concluſione. Et per hoc patet ſolutio ad quintam rationem.

CAPITVLVM XC.

In quo auctor reſpondet ad ſextam rationem principalem. probans quod Aſtrologi dies annorum biſſextilium non omittunt in ſua computatione.

SExta ratio erat, quòd licet proceſſus Aſtrologicus in probatione dictæ concluſionis bonus ſit, & fundamenta neceſſaria ſint, tamen peccat ratio iſta, quia Aſtrologi computant annos, & omittunt dies annorum biſſextilium, qui ſuperadduntur, & ſuper hoc prouenit iſte error.

Ad iſtam rationem indignum erat reſponderi, cum tamen manifeſte diſipiat, qui hæc obijcit, nec vnquam vidit Aſtrologorum libros. Eſt enim manifeſtum, & puerile inter Aſtrologos, nec poteſt quis ignorare, quod omnes calculantes motus planetarum per quaſcunque tabulas, quæ ſunt ad multas æras, diſtinguunt de annis biſſextilibus, & non biſſextilibus.

Sic patet ex tabulis Toletanis in canonibus ſuis: ſic etiam patet ex tabulis Regis Alphõſi. Nam ibi dicitur, quod ſunt quædam eræ biſſextiles, & quædam non biſſextiles, & inter biſſextiles ponit æram incarnationis. Et rurſus diſtinguit quaſdam eſſe biſſextiles in primo anno, alias in ſecundo anno, alias in tertio, alias in quarto, era autem Chriſti eſt biſſextilis in quarto anno, vt ibi patet, & vt nos obſeruamus.

Idem docet in computando annos ſparſos in ſingulis quartis annis diem addere pro quacunque computatione, ideo talis error nulli Aſtrologo obijciendus eſt.

Item iſtud eſt abſurdiſſimum, quia ſi Aſtrologi omitterent computare dies biſſextiles, & per hoc accideret eis error intolerabilis. Nam non ſolum eſſet error in vna die vel duobus, ſed error in trecẽtis ſexaginta vno diebus, quia cum inceptutus ſit annus milleſimus quadringenteſimus quadrageſimus quartus Chriſti ſecundum computationem eccleſiæ, & vulgarem, quę fit cum diebus biſſextilibus, ſubtrahuntur dies biſſextiles, qui competunt omnibus iſtis annis, & erunt trecenti ſexaginta, & vnus. Quod patet diuidendo totum iſtum numerum per quatuor, vel de quolibet quaternario accipiendo vnum. Et ſic errarẽt iã quaſi in vno anno cõpleto. Vnde fieret, quòd quidquid Aſtrologi iam calcularent, ſuppoſito iſto errore haberent errorem quaſi vnius anni. Vnde omnia eſſent falſa in aſtrologia.

Et tamen ad oculum videmus omnia vera eſſe, quæ illi de motibus corporum cæleſtium dicunt, ſiue enim calculent motum Solis, ſiue Lunæ, ſiue quorumcunque aſtrorum, videmus omnia vera eſſe. Vnde ſi dicant tali tempore erit coniunctio duorum planetarum, vel oppoſitio, vel erit eclypſis, nihil errant, non ſolum vnum annum aut menſem, immo nec diem, nec horam, nec punctum, ſed omnia, quæ de motibus dicunt, punctualiter ſunt vera.

Quomodo autem poſſet Aſtrologus dicere ex nunc vſque ad tot annos tali die, & tali hora erit eclypſis Solis, vel Lunæ, & tantum durabit, & quod ſic eueniet, ſi ipſi iam haberent in calculatione ſua, quaſi errorem vnius anni?

Et tamen omnia iſta eueniunt infallibiliter, ſicut illi dicunt in diebus, & temporibus noſtris, quibus ipſi aſſignant, & tñ anni noſtri ſunt biſſextiles, ergo ipſi obſeruant biſſextum, quia alias calculatio ſua non poſſet conuenire temporibus noſtris, & quãto magis tempus procederet, tãto maior error iſte fieret, cum in ſingulis quatuor annis perderent vnum diem biſſextilem.

Item patet hoc falſum, nam ſequerentur grauiſſima inconuenientia, ſcꝫ aliqñ aſtrologi dicerent æquinoctiũ vernale eſſe in medio Iunij, & ſolſtitiũ æſtiuale in medio Septembris, & æquinoctium autumnale in medio Decembris, & hyemale ſolſtitium in medio Martij.

A Et ſic ponerent æquinoctia vbi ſunt ſolſtitia, & ſolſtitia vbi ſunt æquinoctia.

Quod patet, quia de æquinoctio ad ſolſtitium eſt vna quarta anni, ſcilicet nonaginta, & vnus dies, & portio diei, & tamen in trecentis, & ſexaginta, & octo annis, ſi non computentur dies biſſextiles perdentur nonaginta, & vnus dies, quæ eſt quarta pars iſtius anni, & ſic tunc Aſtrologi per nonaginta, & vnum dies anticiparent ſolſtitia, & æquinoctia ſuper noſtram computationem, quia nos computamus dies biſſextiles, & conſequenter ponerent ſolſtitium, vbi ſecundum nos debet eſſe æquinoctium, & è contrario, quia tot diebus diſtat quodlibet æquinoctium ab vtroque ſolſtitiorum. Etiam conſequenter facerent ipſi diem minimum, & diem maximum anni, vbi nos facimus diem, & noB ctem æquales, dicendo quod introitus ſolis in Ariete eſſet a medio Decembris, cum nos ponamus illum in medio Martii, quando eſt æquinoctium. Et dicerent, quod ſolſtitium æſtiuale eſſet in medio Martii, quod nos ponimus in medio Iunii, vel quaſi. Et iſte error non ſolum ſemel contigiſſet eis, ſed etiam pluries. Nam dato, quod a tempore Chriſti ſolum incepiſſet errare, neceſſe erat, quod erraſſent quater, cum ab illo tempore vſque nũc fuerunt trecenti, & ſexaginta vnus anni biſſextiles, in quibus eſt, quaſi annus completus colligendo ſolũ dies biſſextiles, & conſequenter ſunt quater nonaginta vnus, vel quaſi. Et ſic quater nunc accidiſſet eis error eſſe, ſcilicet, quod feciſſent æquinoctium vbi erat ſolſtitium, & è contrario.

Talis autem error non ſolum non eſt poſſibilis in aliC quo artifice quantumcumque groſſo, & indocto, ſed nec etiam in paruulis indoctis, ſcilicet dicere, quod eſt ęquinoctium, vbi eſt dies maximus anni, vel minimus, & a contrario dicere eſſe maximum, vel minimum diem vbi eſt æquinoctium.

Accidiſſet etiam eis bis ex tempore Chriſti, quod dixiſſent eſſe ſolſtitium æſtiuale, vbi eſt ſolſtitium hyemale, ſcilicet eſſe maximum diẽ anni, vbi eſt minimus, & ècontrario.

Quod patet, quia de vno ſolſtitio in aliud eſt medietas anni, ſcilicet centum octoginta duo, vel tres dies, & tamen a tempore Chriſti vſque huc tranſierunt trecenti ſexaginta vnus dies, in quibus bis eſt numerus centum octogintaduo, vel quaſi.

Accidiſſet etiam alius error, ſcilicet, quod cum nos D dicamus nunc inchoari debere annum milleſimũ quadringenteſimum quadrageſimumquartum Chriſti, ipſi dicerent inchoari annum milleſimum quadringenteſimum quadrageſimum quintum præcedentes nos in vno anno, quia ex trecentis ſexaginta vno diebus biſſextilibus, qui fuerunt a natiuitate Chriſti vſque huc, iam quaſi colligitur vnus integer annus. Accideret etiam alius error, ſcilicet quod Aſtrologi non dicerent incipere annum Chriſti vbi nos, ſed aliquando ipſi dicerent eſſe Ianuarium, vbi nos ponimus Auguſtum, & aliquando vbi nos Octobrem, & ſic circularetur per omnes menſes anni, eo quod cum ſingulis quatuor annis ipſi amitterent vnam diem de computatione noſtra, impoſſibile erat, quod menſes ſecundum nos, & ſecundum eos inchoarent, & finirentur eiſE dem diebus.

Multi quoque alii errores acciderent, quia dato vno inconuenienti plura contingunt, & tamen nullus talis error eſt apud Aſtrologos, quia tam in ſumma annorum, quam in principio, & finibus menſium concordant cum Eccleſia, & vulgo, ideo ſtultum eſt eis talia obiicere.

Sed adhuc dato, quod Aſtrologi errarent in omiſſione anni biſſextilis non poterat eſſe, quod iſti volunt defendere, ſcilicet quod mortuus fuerit Chriſtus 8. Calendas Aprilis, ſcilicet 25. die Martii.

Nam communiter ponitur Chriſtum mortuum fuiſſe anno 33. inchoante, vel 34. & tamen ſecundum computationem Eccleſiæ, & vulgi cum annis biſſextilibus

anno 33. Chriſti inchoato dies 25. Martii erat dies Martis, vt patet reducendo ſic ad annos poſteriores, vel per artem literæ dominicalis, vel quomodocunque voluerint, & tamen Chriſtus mortuus eſt in die Veneris, vt omnes Euangeliſtæ teſtantur, & ſupra inductum eſt. F

Si autẽ dicant, quod mortuus eſt anno 34. ſuo inchoato non eſt poſſibile, quia tunc dies 25. Martii fuit dies Iouis, vt patet ex prædictis ſuis computationibus cũ annis biſſextilibus, ſed Chriſtus die Veneris mortuus eſt.

Item non ſtat, quia Chriſtus mortuus eſt Luna 15. ſcilicet die primo azymorum ſecundum Iudæos, & tamẽ anno 33. Chriſti inchoato die 25. Martii Luna non erat 15. ſed ſolum 5. Luna, & die tertio Aprilis erat Luna 15. & ibi verè Chriſtus mortuus eſt.

Anno autem 34. inchoato die 25. Martii non fuit Luna 15. ſed 17. ideo etiam tunc non poterat Chriſtus mori. Omnia iſta ſupra in probatione concluſionis tertiæ inducta ſunt. Et ſic patet, quòd iſta allegatio de errore Aſtrologorum per omiſſionem biſſexti eſt falſa. Et dato, quod vera eſſet, omnino eſſet eis inutilis. Et ſic patet ad ſextam rationem. G

CAPITVLVM XCI.

In quo reſpondet ad vltimam rationem principalem de correctionibus temporum declarans quæ, & quales correctiones temporum fuerunt factæ apud Latinos, & quando, & quod nullam omittunt Aſtrologi.

POſtremo obiiciebatur, quòd errat computatio Aſtrologica, quia poſt mortem Chriſti fuerunt factæ aliquæ correctiones in computatione menſium, & annorum, ſicut prius ſæpe fiebant, & cum omiſſis illis computent Aſtrologi, errant.

Iſta ratio eſt inſipientior, & ineptior ceteris, quia nullo iure fundatur. Nam non obiicitur hic aliquid ſpecialiter contra computationem aſtrologicam, ſicut ſupra inducebatur, ſed ſolum, quod fuerint factæ aliquæ correctiones temporum, & quod Aſtrologi procedunt omiſſis illis, Nam oportebat dici, quæ correctiones fuerunt illæ, & probare, quot fuerunt, & etiam inducere quomodo Aſtrologi in calculando procedũt omiſſis illis, ſed neutrum declarant, ideo non erat aduertendum ad hoc, ſed omittendum, tanquam nullum. Sed vt magis confundatur error iſtorum arguentium, dicendum, quòd poſt mortem Chriſti non fuit facta aliqua emendatio, vel correctio in computatione temporum ſecundum Latinos, emendationes autem, quæ apud Latinos factæ fuerunt, ſunt iſtæ. Apud antiquiſſimos eorum, & viros rudes erant ſolum decem menſes, & incipiebatur a Martio, & finiebatur annus in Decembri. Erat autem iſta computatio inconueniens, quia non complebat annus circulum ſolis, & ſic non erat ſemper ver, aut æſtas, aut hyems in eodem menſe, ſed in vno anno incipiebat ver primo menſe anni: anno ſequenti incipiebat in menſe tertio, & ſequenti anno in menſe quinto, & poſtea in ſeptimo, deinde in nono, & iterum redibat ad primum. Et hoc, quia circulatio ſolis ſecundum quam cauſantur quatuor tempora anni, ſcilicet ver, æſtas, autumnus, & hyems, non poterat compleri niſi in duodecim menſibus Latinis, & ſic in ſex annis Latinis complebantur ſolum quinque circulationes Solis. I

Et iſtud erat valde inconueniens, ſcilicet, quòd tempora non eſſent fixa per menſes, ſed mutarentur. Magna tamen vtilitas eſt, quod tempora ſint fixa per menſes, vt per hoc ſciamus determinate, quando incipiat quodlibet tempus. K

Iſtud autem eſt apud nos. Nam ſecundum menſes noſtros fixa ſunt tempora, vtpote, ſi vno anno incipit ver in medio Martii in primo die æquinoctii, ſemper ibi incipiet, nec apparet aliqua ſenſibilis differentia. Sic incipit ſemper æſtas in medio Iunii, vel quaſi, autumnus ſemper ad medium Septẽbris, hyems ad medium Decembris, vel quaſi; & per hoc vulgus nata ſunt, quo menſe erit tale, vel tale tempus. Si autem tempora eſſent mobilia per menſes, non eſſet ita cognitum apud vulgus, quando ſingula tempora inciperent: ideo non erat conueniens aſſignatio temporum.

Item, quia cum tempora cauſentur per motum corporum celeſtium, & per illa notificentur, debuerunt anni noſtri computari per motum alicuius corporis cæleſtis, ſcilicet alicuius planetæ; quia iſti ſunt velociores in motu, quam cetera aſtra: & tamen computatio anni ex decem menſibus non competit motui alicuius planetæ, vel aſtri, quia nullus planetarum in tali tempore cõplet circulum ſuum, quia omnes planetæ requirunt maius tempus præter Lunam, quæ complet curſum ſuum in minori tempore: ideo irrationalis, & fuit cauſa fuit omnino talis aſſignatio anni quaſi caſu poſita. Et ſatis conſtat, quod apud aliquos viros nimis indoctos fuit facta talis computatio, & poſteri manentes in eadem ignorantia, vel aliquantulum propter reuerentiam prædeceſſorum ſuorum tenuerunt iſtam computationem. Durauit autem iſta computatio apud Latinos etiam vſque ad tempora Romuli, & refert Ouidius in primo libro Faſtorum, vbi diligenter enarrat tempora & feſta, & cæremonias Latinorum, vt patet ex principio ſuo, ſcilicet tempora cum cauſis digeſta per annum. Et ſatis aperte vſque ad illud tempus manſerunt ſic tempora inordinata, quia in omnibus præteritis ſeculis viri rudes fuerunt Latini. Nam & Italici ante aduentum Saturni vix ſciebant colere terras, ſed ille docuit H agriculturam, cum veniſſet de Græcia fugiens a facie Iouis filii ſui, qui eum occidere conabatur. Et ob hoc gentes Italiæ ſuſceptio ab eo tanto beneficio coluerunt eum in Deum, & in tabulis Aeneis fecerunt ſculpendo nauis imaginem in reuerentiam Saturni, innuentes quod nauigando veniſſet in Italiam. Sic ait Ouidius primo Faſtorum, ſcilicet:

Ac bona poſteritas puppim formauit in ære,
Hoſpitis aduentum teſtificata ſui.

Etiam ab eo illi populi Latini vocati ſunt ſaltem a primaua origine. Nam cum ipſe fugiens Iouem filium ſuũ latere voluiſſet in Italia, quædam pars terræ, in qua ipſe manſit, Latium appellata eſt, a latendo, quia ibi latuit, & inde Latinorum nomen deriuatum eſt.

Etiam, quia Saturnus inſtruens Italos in arte agriculturæ docuerat eos terram ſtercore fomentare ipſum Deum ſterculinum vocauerunt, vt multis placet. Ecce quanta ruditas ſæculi, cum & agriculturam non noſſent. Idem Virgilius loquens de origine Italiæ ſexto Aeneidos, dicit quoſdam viros incognitos incoluiſſe eam. Et Solinus in Polyhiſtor. capitulo de origine vrbis Romæ dicit primos incolas Italiæ Abrogines fuiſſe, id eſt, ſine origine, non quidem, quod non eſſent de aliqua origine, ſed quia origo eorum erat ignota, cum non fuerint viri famoſi. Et ſic ſolemos homines plebeos Aborigines appellare, ſcilicet, quia non ſunt de domo, vel familia nominata, ſed vt communiter incognita.

Fuerunt tamen in Italia quidam Reges ex tempore Saturni, ſcilicet Saturnus, & Ianus, & Picus, & Faunus, & Latinus, & pauci alii manente adhuc rudi illo ſæculo vſque ad bellum Troianum, quando Aeneas, & Troiani multi cum eo venerunt in Italiam regnante Latino, & Turno Rutilorum, Vſque ad hoc tempus incognita fuerunt ſæcula, & magis a Poetis, quam ab Hiſtoriographis commendata. poſt Aeneam autem effecta ſunt clariora.

Sed adhuc rude vulgus erat, & ſic manſit vſque ad tempora Romuli, qui de progenie Æneæ fuit. Ille Romam condidit, & fuit primus Rex Romanorum. Sed adhuc eo viuente annus Latinorum decem menſibus claudebatur, vt teſtatur Ouidius primo Faſtorum. Defuncto,

functo, vel magis occiſo Romulo regnauit Numa Pompilius vt ingenio ſagax, & à dæmonibus in ſuperſtitione eruditus abundantiſſimè. Hic primus Romanis leges dedit, quas Romulus dare non potuerat quadam fretus calliditate. Nam nocturnis horis cum nympha Egeria ſe colloquia habere ſecreta fingebat, & ab ea legiſlationem recipere, cum tamen arte hydrumantica dęmones conſuleret, quę in aqua exercetur, & ibi imagines rerum quæſitarum oſtenduntur, ipſam vero aquam Egeriam nympham appellauit, quia de terræ ſecretis viſceribus egeritur, ideſt, emittitur. De hoc Ouidius decimoquinto Metam. & Auguſt. tertio de Ciuitate Dei circa finem. Iſte itaque Rex ingenio pollens indoctam Latinorum gentem primo legibus ornare curauit, deinde, vt nihil eis deeſſe videretur, tempora eorum corrigere conatus eſt. Et cum prius eſſent decem menſes duos addidit, quorum vnum à nomine Dei ſui, & antiquiſſimi Regis, ſcilicet Iani, Ianuarium appellauit, alium verò ad honorem Deorum inferni, & animarum purgandarum Februarium appellauit.

Timebat enim vir ille dæmones, & colebat eos. Illa quoque rudis ætas animas iam corpore exutas formidabat putans eas ad nocendum potentes effectas, & vt non apparerent viuentibus ad terrendum eos & nocendum illis, volebant eas ſacrificiis placare.

Iſta autem ſacrificia vocantur apud Latinos purgationes, ſcilicet, quia purgantur habitacula humana, ne in illa ingrediantur animæ defunctorum, ſicut nunc purgamus domos aſpergentes eas aqua benedicta contra dæmonum inſultus. Et quia purgationes vocantur Februa, vocatus eſt menſis iſte Februarius. Iſta Februa, ſiue purgationes per domos aſpergebantur. Sic ait Ouidius ſecundo Faſtorum, ſcilicet.

Ipſe Sacerdotem iactantem Februa vidi:

Ideſt, aſpergentem purgationes. Et in iſto menſe Februario vocabant Latini circa cultum Deorum inferorum, & animarum corpore ſolutarum. Iſtos duos menſes, quos Numa Pompilius addidit, poſuit in fine anni, vnde Ianuarius erat menſis vndecimus anni, & Februarius duodecimus & vltimus. Et ſic manebat ſemper principium in Martio. Sic ait Ouidius primo Faſtorum, ſcilicet;

Qui ſequitur Ianum veteris fuit vltimus anni;

Ideſt, ille menſis, qui ſequitur poſt Ianum, ideſt, Ianuarium, erat vltimus in anno veteri: poſtea verò facti ſunt primi, ſicut manent modo.

CAPITVLVM XCI.

Quod nulla gens rationabiliter poteſt computare tempora ſua niſi per motum cæli, & non per motum primi mobilis, nec ſtellarum fixarum, ſed per motum planetarum, & non per aliquem planetam, niſi per ſolem & lunam. Et de hoc ponuntur ſex rationes, & ibi differentia Veneris, & Mercurij.

AD maiorem intelligentiam huius ſciendum, quòd cum annus ſit tempus, & tempus cauſetur per motum, & fundetur in motu, quia eſt menſura eius quarto Phyſc. & iſte motus non eſt quilibet, ſed ſolum motus cęli. Et non cuiuſlibet cęli, ſed ſolum primi mobilis, ideſt, nonæ ſphæræ, quæ eſt origo totius motus tam cęleſtis, quam elementalis, debebat cognoſci & deſignari annus noſter, vel tempora noſtra quæcunque per motum primi mobilis. Quia tamen menſura debet eſſe aliquid certum quarto Phyſc. & motus primi mobilis eſt nobis incognitus quantum ad ſenſum, cum non habeat, aliquam ſtellam illud cælum, nec corpus ipſum

A videatur a nobis: non potuit noſtrum tempus determinari per motum primi mobilis. Poſt primum mobile ſuccedit cælum ſtellatum, vbi ſunt ſtellæ fixæ, & iam ibi nos videmus ipſas ſtellas, & cognoſcimus eas, & videmus motum earum determinatum. Per iſtas iam poterat menſurari, & cognoſci tempus noſtrum. Quia tamen menſura debet eſſe multum determinata & cognita, & quanto fuerit magis determinata, habet magis de ratione menſuræ, non potuit tempus noſtrum computari per ſtellas fixas, eo quod propter tarditatem videtur ille motus quodammodo infinitus, & indeterminatus. Nam quælibet ſtella fixa ſecundum communem poſitionem mouetur in centum annis gradu vno, & ſic cum in toto circulo ſunt gradus 360. non poſſet aliqua ſtella fixa complere circulum ſuum, niſi in triginB ta & ſex millibus annorum de noſtris. Talis autem menſura nullo modo ad nos pertinebat, quorum vita breuiſſima eſt. Et in tantum eſt tardus motus fixarum ſtellarum, quod quibuſdam nullum videntur habere motum præter motum raptus, quo mouentur ad motum primi mobilis cum toto reliquo cælo. Poſt ſtellatum cælum ſequuntur cæli ſeptem planetarum quorum motus ſunt iam minores, & per quemlibet illorum poterant computari tempora noſtra. Nulla tamen gens computauit vnquam aut computat tempora ſua per aliquem de planetis niſi per ſolem & lunam, aut per alterum eorum, & hoc propter multa.

Primo, quia, vt ſupra poſitum eſt, menſura debet eſſe determinata & cognita. Nam ideo eſt menſura, vt per eam cognoſcantur, & determinentur, quantum ad ſuam quantitatem, ea, quæ alias erant ignota: & tamen inter C planetas nulli ſunt totaliter & generaliter cogniti niſi ſol & luna. Ceteri autem quinque planetæ vix cognoſcuntur ab aliquo niſi a peritis in Aſtrologia: ideo non debuit menſura communis, & vulgaris temporis eſſe per id, quod vulgo totaliter ignotum erat. Sunt autem ſol & luna cogniti, & ceteri incogniti propter magnitudinem corporum: ideo vocantur in Sacra Scriptura iſta duo luminaria magna, Geneſis primo, ſcilicet propter corpora. Ceteri autem quinque planetæ parui corpore ſunt. Vnde ſecundum magnitudinem non videntur differre a ſtellis fixis, ſed eiuſdem lucis, & magnitudinis videntur.

Si autem obiiciat quis, quòd luna eſt minor, quam ceteri planetæ, eo quod quilibet ceterorum eſt maior tota terra: luna autem eſt minor, quam terra triginta ſex viD cibus, vt demonſtrant Aſtrologi.

Dicendum, quòd hoc tenet, quantum ad veram magnitudinem ipſorum corporum, vt patet per Alfraganum, & Ptolemæum: & tamen, quantum ad apparentiam, luna maior eſt omnibus aſtris præter ſolem. Apparentia autem eſt ſecundum quam nos mouemur, & non ipſa veritas magnitudinis, cum diſtantia inæqualis planetarum à nobis faciat apparere inæquales contra veritatem, ſcilicet eſſe maiores eos, qui minores ſunt.

Secundò fit hoc propter differentiam ſplendoris quia nulli planetæ ſunt tanti ſplendoris, ſicut ſol & luna, ceteri autem in comparatione horum òbſcuri ſunt. Nam ſolum ſunt tria corpora in cælo, quæ faciunt vmbram, E ſcilicet Sol, & luna, & Venus, vt oſtendit doctrina Aſtrologorum, & experientia. Ex quo apparet, iſta inter omnia eſſe luminoſiora, cum propter magnitudinem luminis ſui corpora eis obiecta faciant vmbram. Venus autem tam paucam vmbram facit, vt vix poſſit diſtingui. Hoc autem apparet per noctem, ſi luna ſit ſub horizonte, & eleuetur Venus, apparebit quædam tenuiſſima vmbra ex omnibus corporibus facta. Sed hoc non fit, aſcendente quocunque alio aſtro: quia tamen lumen Veneris collatum ad ſolem, & lunam eſt quaſi nullum, non fit mentio de Venere, ſed ſolum ſunt Sol, & luna ad diſtinguendum tempora per lucem, ſcilicet ſol per lucem ſuam diem cauſat: luna autem lumine ſuo noctem illuminat, ideo dicitur ei præeſſe.

Et

Et ob hoc de iſtis duobus ſolis dicitur Geneſis primo: Fecit Deus duo luminaria magna, luminare maius, vt præeſſet diei, luminare minus, vt præeſſet nocti.

Tertio fit hoc propter motum: nam motus ſolis, & lunæ eſt cognitus ſaltem in confuſo a vulgaribus, motus autem aliorum quinque planetarum non cognoſcitur, niſi ab Aſtrologis. Nam cum corpora eorum ſint vt communiter incognita vulgo, erunt a fortiori motus incogniti.

Quartò fit hoc, quia cum menſura de ratione ſua ſit aliquid diſtinctum, & determinatum, ſiue determinatiuum aliorum quanto eſt minor, tanto ei magis competit hoc, ſicut eſt in numeris, quia numeri minores numerant maiores per replicationem ſuam in eis. In quantitatibus etiam continuis minima menſura eſt, ad quam reducuntur maiores, & per quam verificantur. Minor autem non habet, per quem menſuretur, ſed eſt ſimpliciter menſura. De hoc quarto Phyſicorum, ideo inter planetas illi debuerunt eſſe menſuræ temporis noſtri, qui minorem, & breuiorem motum haberent. Et ob hoc non competit Saturno, nec Ioui menſurare tempora noſtra, quia motus eorum eſt valde tardus, & non finitur niſi in longo tempore, ſcilicet Saturni motus quaſi in triginta annis, & motus Iouis quaſi in duodecim. Ex hac parte competebat ſatis Lunæ, quód eſſet menſura temporis noſtri, ſcilicet quia motus ſuus eſt breuior & velocior motu ceterorum, quia ipſa complet totum circulū ſuum de puncto ad punctum in 27. diebus modico plus, licet non attingat ſolem niſi in viginti & nouem diebus, & dimidio. Sol etiam habet motum breuem, quia in 365. diebus & quarta diei, vel quaſi complet circulū ſuum, & ſic iſtis magis, quam ceteris ex hac parte competit eſſe menſuras temporum. Verum eſt autem, quod quantum ad hoc, poterat etiam motus Veneris certificare tempora noſtra, quia motus eius eſt tanti temporis, ſicut motus ſolis; idem de Mercurio.

Dicendum de Venere, quód, quantum ad hoc, bene competebat ſibi certificare tempora: obſtant tamen ſuperiora omnia, quæ dicta ſunt, & ea, quæ infra dicentur. De Mercurio autem dicendum, quód medius motus eius, & motus Veneris ſunt idem cum motu ſolis: ideo Aſtrologi tabularij, poſtquam inquiſiuerint motum medium ſolis, non inquirunt motum medium pro Venere, & Mercurio, ſed accipiunt eundem, quem habet ſol. Quantum ad motum verum, eſt velocior Mercurius, & ſæpè præcedit ſolem, immediatè retrocedit, & omnia facit velociter. Et ob hoc poetæ Gentilium vocauerunt Mercurium curſorem Deorum, & habere talaria in pedibus ad volandum, ſcilicet, quód per motum ſuum cito conſequitur quemlibet ſuperiorum, & mox retrocedit. Non conuenit tamen Mercurio diſtinguere tempora noſtra propter prædicta. Et tamen adhuc minus competit ei, quam Veneri: primo quia Venus eſt magnæ lucis, & Mercurius paruæ.

Secundo, quia Venus eſt magni corporis, Mercurius parui valde.

Tertiò, & præcipuè, quia Mercurius raró apparet: nam vt communiter ſemper eſt ſub radijs ſolis occultatus. Et cum aliquando videtur, hoc eſt parum, ſcilicet in ortu matutino, parum ante ortum ſolis, vel in occaſu, mox poſt occaſum ſolis & illico occidit. Differentia accidit propter magnitudinem epicyclorum. Nam licet medius motus Solis Veneris, & Mercurij ſint ſemper in eadem linea: tamen Venus habet magnum epicyclum, ideo poteſt multum elongari a ſole præcedendo, vel ſubſequendo: Mercurius autem habet paruum epicyclum, ideo modicum poteſt elongari, ſed quaſi ſemper ſub radijs ſolis.

Quartò quia motus Mercurij eſt magis varius, quam motus aliorum planetarum, ideo difficilius eſt Aſtrologo calculare motum Mercurij, quam aliorum, & theorica eius etiam difficilior eſt. Et ſic adhuc minus competit Mercurio diſtinguere tempora noſtra, quam Veneri.

Quintò, & principaliter pertinet ſolum ad ſolem, & F lunam diffinire tempora noſtra, quia ad illos planetas pertinet diſtinguere tempora, quibus magis conuenit cauſare accidentia, quæ fiunt in temporibus: & tamen ad nullum planetam pertinet ita propriè de hoc, ſicut ad ſolem & lunam. De ſole autem patet, quia ipſe eſt pater & fons vitæ tam in animalibus, quam in plantis, & per motum illius res viuunt, & moriuntur, vt magis manifeſtatur in plantis, & in quatuor temporibus anni, quæ fiunt per motum ſolis. Vnde Ariſtot. 2. de Generatione, & Corruptione, totam cauſam generationis, & corruptionis omnium generabilium & corruptibilium attribuit ſoli, dicens ſecundum acceſſum, & receſſum ſolis in circulo obliquo fiunt omnes generationes, & corruptiones in terra. Et cum ſuper cetera poteſtatem habeat ſpecialiter ſuper generationem hominis. Sic dicit G Ariſtot. ſecundo. Phyſicorum: Sol & homo generant hominem: & non ſolum ſuper corpus hominis: ſed etiam ſuper animam eius dixerunt antiqui, quód habebat poteſtatem ad faciendum eam ingenioſam, vel inertem, bonam, vel malam, & ſic de alijs qualitatibus. Sic dixit Homerus, & refert idem Ariſtot. tertio de Anima, ſcilicet: Talem animam quis habet, qualem ducit in die pater Deorum & virorum. Quis, id eſt, quilibet habet talem animam, qualem ducit, id eſt, dignatur facere pater Deorum & virorum, ſcilicet ſol in die, ſcilicet in die conceptionis, vel in die natiuitatis hominis. De luna autem, quantam poteſtatem habeat ſuper iſta inferiora, manifeſtum eſt. Nam ipſa eſt regina omnium humiditatum, & cum ipſa creſcit in lumine, omnia humida creſcunt, & cum ipſa decreſcit humida omnia mino-H rantur. Patet in acceſſu & receſſu maris & ebullitione eius, quæ fortior eſt, quando luna eſt plena, & fit magna differentia in quadraturis lunæ. Patet etiam in arboribus, & omnibus plantis, quia luna creſcente in lumine, implentur humiditatibus, & cum illa decreſcit, decreſcunt humiditates. Et ob hoc in ſcindendis arboribus obſeruatur luna, alias omnia putreſierent. Patet etiam in liquoribus, vt in theriaca, quia quamdiu luna creſcit, illa creſcit, etiam ſi ampulla fuerit quaſi vacua, & ſi luna decreſcit ipſa theriaca minuitur, ita vt nihil videatur, vel paucum eſſe in ampulla, licet prius multum eſſet. Patet etiam in capitibus piſcium, quia ſi quis capiat piſces luna creſcente, inuenientur capita humiditatibus plena: ſi autem ſit luna decreſcens lumine, capita ſunt de I ficientia aliqualiter humiditatibus.

Idem apparet in piſcibus ſaltorum, quæ ſunt humidiora creſcente lumine lunæ, quam decreſcente. Apparet etiam, quod maius eſt, in capitibus humanis. Nam cum cerebrum ſit ſubſtantiæ medulloſa, & humida creſcit luna creſcente, & eſt caput humanum tunc ſolidius, & melius diſpoſitum. Cum veró luna decreſcit, ipſum quoque decreſcit cerebrum: in tantum, vt præ defectu illius cogantur quidam homines inſanire illo tempore: qui tamen alijs temporibus habent lucida interualla, & iſti vocantur lunatici, quia ſequuntur tempora lunæ in furore ſuo, quorum multos vidimus. Chriſtus quoque ſanauit multos iſtorum: nam beatus Lucas facit ſpecialē mentionem, quod Chriſtus ſanabat energuminos, arrepticios, & lunaticos.

K Alij autem planetæ, licet habeant operationes ſuas ſuper iſtam materiam elementalem, quia Deus nihil fruſtra &ocioſum creauit: tamen non ſunt operationes illorum ita multæ, & tam manifeſtæ, ſicut operationes ſolis & lunæ: ideo potius ad ſolem, & lunam competit diſtinguere tempora & menſurare.

Sextò, & vltimò fit hoc, quia naturaliter competit ſoli, & lunę menſurare & diuidere tempora, & non alijs planetis, quia Geneſis primo dicitur, quod Deus creauit ſolem, & lunam. Et dicitur ſic: Dixit Deus; fiant luminaria in firmamento cęli, & diuidant diem ac noctem, & ſint in ſigna, tempora, dies, & annos. Dicitur, quod ſint in ſigna ad ſignandam pluuiam, & ſerenitatem, & alia accidentia temporis, quæ cognoſcuntur per Solem & Lunam, & multa alia ſignant, de quibus non eſt modo dicere.

dicere. Et dicitur, quòd ſunt in tempora, ideſt, menſes: quia Luna facit menſes, ſcilicet vna lunatio eſt vnus menſis. Dies per ſolem fit, annus autem tam per Solem, quam per Lunam. Ex hoc apparet rationabiliter, quod nullus debeat, aut poſſit conuenienter computare annos ſuos, & reliqua tempora, niſi per Solem, aut per Lunam.

CAPITVLVM XCII.

Quod illa emendatio, quam fecit Numa Pompilius in annis Latinis ponendo 12. menſes, fuerit per menſes, & annos lunares, & quot inconuenientia ſequantur in computatione iſta..

NVnc autem redeundo ad id, quod inceperamus, dicendum, quòd iſta emendatio, quæ facta eſt per Numam Pompilium ad duodecim menſes, fuit per mēſes lunares, & duodecim menſes lunares conſtituebant annum, ſicut fit apud Hebræos, & Arabes. Sic erant iam tempora emendata apud Latinos, & melius ſe habentia, quam prius, cum ſaltem regeretur annus per motum Lunæ. Prius autem non computabatur per curſum alicuius aſtri. Et tamen adhuc non erant plenè emendata, quia duodecim lunationes non complent curſum ſolis. Nam duodecim lunationes faciunt 354. dies, & curſus ſolis completur in 365. diebus, & quarta diei vnius. Et ſic annus ſolaris eſt maior quam lunaris vndecim diebus, & vna quarta diei.

Ex hoc ſequebantur inconuenientia, licet non tam manifeſta, ſicut in priori computatione. Nam cum annus ſolis excedat lunarem in 11. diebus, & quarta, ſi in iſto anno inciperent eadem die annus ſolaris, & lunaris, finiretur annus lunaris die viceſima Decembris decurtando 11. dies, & in ſequenti anno finiretur nona die Decembris decurtando 11. dies, & in tertio poſt hoc finiretur annus die viceſimanona Nouembris, & ſic decurtando ſemper 11. dies. Et per iſtum modum in triginta tribus annis ſolaribus decurtatur vnus annus lunaris, & 33. anni ſolares efficiunt 34. annos lunares, quia vndecies triginta, & tres ſunt treceni ſexagintatres, & ſic complet vnum annum deficientibus duobus diebus. Et hoc non computando dies biſſextiles, quia alias non deficiunt duo dies, ſed ſuperabundant ſex dies, quia in 33. annis ſunt octo anni biſſextiles.

Item ſequebatur ex hoc varietas temporum. Nam aliquando inciperet annus in Ianuario, aliquando in Martio, aliquando in Auguſto, & aliquando in Nouembri, & ſic per omnes menſes, quia ſi nunc inciperet annus lunaris prima die Ianuarij, vſque ad tres annos decurtando in quolibet vndecim dies, inciperet die 28. vel 29. Nouembris. Et poſt ſex annos inciperet die 26. vel 27. Octobris. Et poſt nouem annos inciperet die 22. vel 23. Septembris. Et poſt duodecim annos inciperet die 19. vel 20. Auguſti. Et ſic poſt 33. annos rediret iterum annus lunaris ad principium Ianuarij, vel quaſi, & eſſet idem cum principio anni ſolaris. Iſtud autem erat ſatis inconueniens, quia non eſſent tempora fixa in menſibus, ſed aliquando eſſet ver in menſe tertio lunari, & aliquando in octauo, & aliquando in vndecimo, & ſic per omnes menſes volueretur. Ita fieret de æſtate, & autumno, & hyeme. Patet hoc, quia principium anni lunaris variatur per menſes noſtros omnes, vt ſupra declaratum eſt: ſunt tamen tempora fixa in menſibus noſtris, ergo mutantur, quantum ad menſes lunares. Et hoc eſt inconueniens, quia ſic non certificantur tempora per annum, & tamen annus debet eſſe taliter diſpoſitus, quòd ſecundum partes eius iam cognoſcerentur qualitates temporum, ſicut eſt in anno, & menſibus noſtris. Nam ſcimus, quòd in Auguſto, & Iulio nunquam ſunt magnæ niues & frigora, & in Decembri, &

A in Ianuario nunquam ſint magni dies. De hoc tamen non poſſunt eſſe certificari illi, qui vtuntur anno lunari, quia aliquando in menſe ſuo ſexto ſunt magni æſtus, & aliquando magnæ niues, cum menſis ſextus illorum, & quilibet aliorum varietur per omnes menſes eorum, & aliquando coincidit cum æſtate, aliquando cum hyeme, & interdum cum vere, vel autumno. Eſt aliud magnum inconueniens, quia non ſcient, in quo menſe ſunt magni dies, vel parui, vel ſolſtitia quando ſunt, & quando æquinoctia. Nos tamen per annum ſolarem omnia hæc nouimus. Nam certum eſt nobis, quòd in Decembri nunquam ſunt magni dies: etiam quod in Iulio nunquā ſunt parui dies, & quòd dies Decembris inter nos nunquam excedit nonam horam, niſi per paucum, & quod in Iunio nunquam erit dies minor 15. horis, niſi in pau-
B co, & conſimiliter de omnibus alijs menſibus ſcimus, ad quot horas perueniat in quolibet eorum dies, & ad quot nox, & iſtud non mutatur. Scimus etiam, in quibus menſibus ſunt æquinoctia, quia ſemper ſunt in Martio, & Septembri, & in quibus ſunt ſolſtitia, quia ſemper ſunt in Iunio, & Decembri.

In annis autem lunaribus non poteſt hoc ſciri: nam aliquando in menſe primo anni lunaris poſſunt eſſe, & erunt dies minimi, vtpotè quando coinciderit cum Decembri, aliquando erunt ibi dies maximi, ſcilicet quando coincidat cum Iunio, aliquando erunt dies æquales, vtpotè quando coincidat cum Martio, vel cum Septembri, & idem eſt de quolibet alio menſe lunari. Quia vt declaratum eſt, quilibet menſis lunaris per ſucceſ-
C ſionem temporis coincidit cum omnibus menſibus ſolaribus, & ſic in quolibet menſe de lunaribus eſt aliquando æquinoctium vernale, ſcilicet, quando coincidit cum Martio noſtro, & aliquando æquinoctium autumnale, ſcilicet, quando coincidit cum Septembri noſtro, & aliquando ſolſtitium æſtiuale, ſcilicet quando coincidit cum noſtro Iunio, et aliquando ſolſtitium hyemale, ſcilicet quando coincidit cum Decembri noſtro.

Iſtud eſt autem magnum inconueniens, quia totaliter turbaret animos vulgarium, cum menſes ſui non ſemper concordent eiſdem conditionibus temporū et quantitatibus dierum, in menſibus autem noſtris dato, quod quis neſciret nomen menſis, per qualitatem temporis, et quantitatem dierum ſciet, quis menſis ſit: ideo ille
D modus diſtinguendi, et computandi tempora non eſt ſatis conueniens.

Iſtum modum obſeruant nunc Arabes, et Sarraceni, qui computant nunc menſes ſuos ab apparitione lunæ nouæ vſque ad ſequentem apparitionem, et conſtituunt lunationes duodecim, & 12. menſes in anno, de quo Alfraganus in principio ſui. Et ob hoc habent iſti annum mutabilem, quantum ad principium ſuum, quia aliquando coincidit menſis primus ſuus cum noſtro Maio, aliquando cum Auguſto, interdum cum Octobri, & ſæpe cum Ianuario. Et ſic per omnes alios menſes noſtros variatur principium anni ſui, & eſt annus ſuus minor, quam noſter in 11. diebus, vt ſupra dictum eſt.

E

CAPITVLVM CXIII.

Quomodo, cum Hebræi computent tempora ſua per menſes, & annos lunares, non ſequantur aliqua inconuenientia de prædictis, ſed annus ſuus incipiat ſemper in Martio, vel prope, & quare faciant ibi ſemper principium anni.

SEd obijcietur, quòd non ſequuntur iſta inconuenientia de varietate temporum, & dierū in annis, & mēſibus lunaribus: nam Iudæi computant tempora ſua per annos,

annos,& menſes lunares,vt ſupra patet, & eſt notorium F facti permanentis, quia ſic ſemper computauerunt, & nunc etiam computant, & tamen non variantur tempora ſua, ſed ſemper menſis ſuus primus coincidit cum Martio noſtro in toto, vel in parte,cum illa lunatio,quæ eſt proximior æquinoctio vernali ſit primus menſis Iudæorum: & tamen æquinoctium vernale eſt die vndecima, vel decima Martij. Et ſic lunatio illa, in qua ipſi incipiunt, non poteſt ad plus diſtare ab æquinoctio vernali,quam 15.diebus, vel 16.antè aut retro. Nam ſi Luna,quæ incipit antè æquinoctium vernale ſit pluſquam 15.diebus antè æquinoctium, neceſſe eſt,quòd lunatio, quæ incipit poſt æquinoctium diſtet paucioribus, quã 15. diebus ab æquinoctio, quia inter principium huius lunationis, & ſequentis non poſſunt eſſe plus quam triginta dies.

Ex quo ſequitur, quòd primus menſis Iudæorum, qui magis poteſt diſtare à Martio noſtro, nõ poteſt plus G diſtare, quam vt incipiat die 22.vel 23. Februarij, aut 26.Martii, quia quilibet iſtorum terminorum diſtat ab æquinoctio vernali,quod eſt die decimo, vel vndecimo Martii diebus 15. vel 16. Omnes autem inchoationes annorum Hebræorum ſunt neceſſario inter iſtos duos terminos, de quo ſupra tetigimus in declaratione ſecundæ concluſionis. Hoc præſuppoſito, ſtat dubium, ſcilicet, quòd Hebræi computant tempora ſua per annos,& menſes lunares, & tamen non variantur tempora ſua per menſes noſtros,quia primus menſis ſuus ſemper eſt in verè,incipiens ab æquinoctio vernali,vel quaſi. Et principium quarti menſis ſui ſemper erit apud ſolſtitium æſtiuale, ſcilicet coincidet cum Iunio noſtro H in toto,vel in parte. Et ſeptimus menſis ſuus erit apud æquinoctium autumnale, & conincidet cum noſtro Septembri in toto, vel in parte.

Dicendum eſt, quòd verum eſt, quòd Hebræi computant tempora ſua per menſes,& annos lunares: & tamen ſi ſolum ſequerentur curſum lunarem, faciendo annum ſuum vniformem ſemper, ſcilicet ex menſibus duodecim, fierent omnes iſtæ mutationes, quæ ſupra enarratæ ſunt, quas patiuntur Arabes,& Saraceni in annis ſuis, qui ſolum computant per menſes lunares conſtituendo annos vniformes, ſcilicet quemlibet ex lunationibus duodecim. Hebræi autem computant per lunam,& faciunt ſemper principium anni ſui circa æquinoctium vernale, non quidem quaſi ſit hoc conſequens ad computationem annorum lunarium, ſed quia tenentur ad hoc ex neceſſitate. I Nam Deus mandauit eis, quòd facerent ſemper Phaſe Luna 14. menſis primi ad veſperum, Exodi decimoſecundo, & Leuit. vigeſimotertio,& Numer.nono,& vigeſimooctauo. Et iuſſit etiã, quòd iſtud Phaſe ſemper eſſet in tempore vernali,ſcilicet in principio veris, quando incipiunt eſſe fruges nouæ in terra Chanaan, Deuteronomii decimoſexto. Ex quo ſequitur,quòd Iudæi cogebantur facere,quòd menſis ſuus primus ſemper inciperet circa æquinoctium vernale. Ibi eſt principium verni temporis,& primi,ſicut Deus dixerat, memento primi, & verni temporis, quando egreſſus es de Aegypto eodem capitulo. Hoc autem non poterant facere Iudæi,ſi ſequerentur curſum lunarem faciendo menſes omnes æquales, ſcilicet quẽlibet ex menſibus duodecim: ideo adinuenerunt quen- K dam modum ad faciendum, ſcilicet, quòd eſſent anni inæquales, ſcilicet quidam ex duodecim menſibus,alii ex tredecim, & iſtud ordinauerunt per quendam circulum decem nouenalem, de quo fuit magis declaratum ſupra in expoſitione ſecundæ concluſionis: alias autem per curſationem lunę neceſſe erat incidere in omnia inconuenientia ſupra poſita, ſicut faciunt Arabes, vt dictum eſt.

CAPITVLVM XCIV.

Quod poſt emendationem Numæ Pompilij,qui conſtituerat menſes,& annos lunares fuit alia emendatio in qua menſes,& anni facti ſunt ſolares,& annus conſtabat ex 365. diebus non addendo quartam, & quot inconuenientia ſequebantur ad hoc.

OB hoc ergo illa computatio, quæ facta eſt à Rege Numa Pompilio de duodecim menſibus lunaribus, licet eſſet conuenientior,quàm computatio, quæ prius fiebat per decem menſes: tamen non erat penitus emendata propter inconueniẽtias ſupra poſitas. Et ſic poſtea inter Latinos fuit facta alia emendatio. Voluerunt enim ſe deducere ad diſtinguendum tempora per ſolem. Et ob hoc fecerunt annum ex duodecim menſibus ſicut prius: fecerunt tamen iſtos menſes maiores, vt continerent inſuper illos vndecim dies, in quibus ſuperabundat curſus ſolis ad duodecim lunationes. Et ſic duodecim menſes noſtri continent dies 365. iſta autem cõputatio non recipiebat illas inconueniẽtias,quæ ſupra poſita ſunt euenire computantibus per annum lunarem,ſcilicet,quòd non variantur menſes per tempora anni,nec ſunt in eodem menſe aliquando dies æquales, aliquando valdè minimi, aliquando valdè magni, ſed ſemper eſt idem modus.

Talem modum computandi annos,& ponendi menſes obſeruant Perſæ,& Aegyptij,quorum non ſunt anni biſſextiles, vt patet in tabulis Regis Alphõſi, & in Almageſto Ptolemæi,& in Alfragano in principio. Iſtã ergo computationẽ tenuerunt Latini vſq; ad tempora Iulii Cæſaris, & Octauiani. Computatio autem iſta,licet non pateretur tam manifeſtas inconuenientias, ſicut duæ præcedentes, tamen incidebat in illa inconuenientia,in quæ incidunt cõputationes per mẽſes,& annos lunares. Quod patet, quia curſus ſolis non cõpletur præciſe in 365. diebus, ſed ſuperabundat quarta, quam Sol requirit vltra iſtos dies, & ſic in ſingulis quatuor annis deficiebat vna dies,quę colligebat ex quatuor quartis,& ſic in multis annis cauſabatur grauis error: vtpote ſi nunc intraret Sol in Ariete die 11.Martii,& computarentur in anno ſolũ 365. dies, neceſſe erat quòd poſt quatuor annos non intraret iã Sol in Arietẽ die vndecima Martii, ſed die 12. quia colligebatur vna dies ex iſtis quatuor quartis, quã oportebat iam ſuperponere curſui ſolis. Et ſi nos non adderemus,neceſſe erat, ꝙ eſſet falſa cõputatio in vno die. Et ſic poſt alios quatuor annos deficeret alia dies, & intraret Sol iam in Ariete die tertiadecima Martii, & ſic in quibuſlibet quatuor annis tranſibit Sol per vnam diẽ vltra, & mutabitur de ſuo loco. Et in centũ,& viginti annis trãſibit triginta dies,quia tot anni biſſextiles ſunt in illis. Vnde ſi Sol ingrederetur anno iſto in Arietẽ die vndecima Martii,& annus ſolum haberet 365. dies nõ computando quartã, neceſſe erat,ꝙ vſq; ad centum,& viginti annos ingrederetur Sol in Ariete die vndecimo Aprilis. Et poſt ducentos,& quadraginta annos intraret Sol in Ariete die vndecima Maii. Et poſt trecentos, & ſexaginta annos intraret Sol in Ariete die vndecima Iunii. Et poſt ſeptingẽtos, & viginti intraret in Ariete die vndecima Septẽbris. Et vſque ad millẽ & octoginta annos ingrederetur Sol in Ariete die vndecima Decẽbris. Hoc patet accipiẽdo pro ſingulis quatuor annis vnum diẽ, & quia inter vndecimũ Martii, & vndecimũ Iunii ſunt nonaginta dies, vel quaſi non curãdo de vno, vel duobus, quia non differt, tranſibit Sol iſtos dies de errore in trecẽtis, & ſexaginta annis,quia nonaginta eſt quarta pars iſtorũ, & inter vndecimũ Martii & vndecimum Septembris ſunt centum 80.dies computando 30. pro quolibet menſe, & iſti ſunt quarta pars de ſeptingentis & viginti: ideo in tot annis mutaretur lo-

cus

cus Solis de vndecima Martij in vndecimam Septembris. De vndecima Martij vſque ad vndecimam Decembris ſunt ducenti ſeptuaginta dies computando triginta pro quolibet menſe, & ſunt quarta pars de mille, & octoginta: ideo in tot annis tranſibit locus ſolis de vndecima Martij in vndecimam Decembris, ſi quolibet anno omittatur vna quarta diei de motu Solis, quam habet vltra 365. dies.

Hoc dato ſequetur, quòd vſque ad centum viginti annos eſſet æquinoctium vernale vndecima die Iunij, ſi nunc eſt vndecima die Martij. Et vndecima die Septembris eſſet ſolſtitium æſtiuale, & vndecima Decembris eſſet æquinoctium autumnale, & vndecima Martij eſſet ſolſtitium hyemale. Quod patet, quia mutata vna quarta Zodiaci de loco ſuo mutarentur omnes aliæ. Et tunc eſſent duo inconuenientia, quæ ſupra aſſignabantur, ſcilicet, quòd tempora anni non eſſent fixa per menſes, ſed mutarentur, quia ver nunc incipit in vndecimo Martij in æquinoctio vernali, & tunc inciperet in vndecimo Iunij, cum ibi eſſet æquinoctium vernale. Et æſtas, quæ nunc incipit in vndecimo Iunij, vel quaſi inciperet in vndecimo Decembris, quia ibi eſſet ſolſtitium æſtiuale. & autumnus, qui nunc incipit vndecima Septembris, inciperet vndecima Decembris. Et hyems, quæ incipit vndecima Decembris, inciperet vndecima Martij.

Secundum inconueniens ſequeretur, ſcilicet, quia non haberent ſemper menſes vniformitatem in quantitate dierum, quia cum nunc ſit æquinoctium in Martio, ſunt ibi dies æquales noctibus: & tamen ſecundum conſequentiam ſuperiorum, cum iam ſolſtitium hyemale eſſet die vndecima Martij, eſſet ibi minima dies anni, & in Iunio, vbi nunc eſt maximus dies anni, eſſet æqualitas dierum, quia ibi eſſet æquinoctium vernale, & in vndecimo Septembris, vbi nunc nox æquatur diei, eſſet tunc maxima dies anni, quia eſſet ibi ſolſtitium æſtiuale. Et vndecima Decembris, vel quaſi, vbi nunc eſt minima dies anni, eſſet dies æqualis noctis, quia eſſet ibi æquinoctium autumnale. Omnes iſtę aſſignationes terminorum ſunt groſſo modo, & gratia exempli non curando de præciſione, quia quantum ad præſens non eſt neceſſe poni præciſam veritatem, cum non ponatur hoc, vt concluſio intenta, ſed vt exemplum.

Similiter autem, ſi nunc incipit vndecima Martij vſq; ſeptingentos & viginti annos, erit principium autumni vndecima Martij, & principium hyemis vndecima Iunij, & principium veris vndecima Septembris, & principium æſtatis vndecimo Decembris, eo quòd in tanto tempore mutatur locus ſolis per centum octoginta dies, qui faciunt ſex menſes, dimittendo quolibet anno vnam quartam diei de motu Solis. Et ſic nunc in medio Iunij, vbi ſunt grauiſſimi æſtus, eſſet altiſſimum gelu, & in medio Decembris eſſent grauiſſimi calores. Etiam in Decembri eſſet maximus dies anni, & in Iulio eſſet minimus.

CAPITVLVM XCV.

De emendatione temporum, quam fecit Octauianus addendo quartam biſſextilem, & quare illi dies vocentur intercalares, & quare biſſextus, & quomodo fuerit poſtea corrupta iſta emendatio per ſacerdotes.

OB hoc ergo Iulius Cæſar, & Octauianus Auguſtus correxerunt iſtam computationem addendo quartam diei. Et quia vna quarta diei non poteſt per ſe computari, cum non ſit dies integer: fecerunt, quòd tres anni continui computarentur ſine quartis, & in quarto anno adderetur vna dies. Iſtam computationem commendauit Octauianus ſacerdotibus. Nam errorem temporum præteritorum ipſe emendauit, & fecit incipi nouam computationem, in qua ſingulis quartis annis ſacerdotes apponebant vnam diem. Et quia iſta dies non ponebatur A in principio anni, nec in fine, ſed in menſe Februarii, vocabatur dies interpoſita, vel dies intercalaris, vt vocat eã Solinus in Polyhiſtor. ſcilicet dies intercomputata, quia calare vocare, vel computare eſt, & intercalare eſt computando interponere. Fuit enim iſta dies vocata biſſextus, vel dies biſſextilis, quia in anno quarto, in quo reſtaurabantur quartæ omiſſæ non ſcribebantur 366. dies de anno, quia hoc eſſet confundere Calendarium, ſi aliquando ſcriberetur aliquid, & poſtea deleretur, ſed manebat ſemper annus in 365. diebus: in illo tamen anno quarto vna de diebus computabatur bis, & iſta erat 24. dies Februarij, & illa dies incidit ſexto Calẽdas Martij, & dies ille ſextus Calẽdarum Martij computabatur bis in illo anno: ideo vocabatur ille dies biſſextus, ideſt bis computatus, ille ſextus dies Calendarum Martij, & B nullus alius ſic computabatur. Si autem dies quintus Calendarum Martii bis computaretur, vocaretur bis quintus, ſicut nunc vocatur biſſextus.

Iſta computatio ſic emendata manſit ſic aliquanto tempore viuente Octauiano, ſed poſtea auaritia ſacerdotum, qui intercalabant diem, corrupta fuit. Nam publicani, qui vectigalia & reditus vrbis per annum dato precio colligebant, conueniebant cum ſacerdotibus illis, vt extenderent annum per vnam diem intercalando, quia magna eis lucra ex hoc ipſis proueniebant, ſacerdotes vero pecunia corrupti intercalabant, & ſic tamen interdum, quòd tres annos, vel quatuor ſimul continuè intercalauerunt, ſcilicet quatuor annos continuos faciendo biſſextiles, quod erat contra conditionem temporis. Vnde emendatam iam, & bene ſe habentem temporum habitudinem corrupti pecunia confuderunt. Errore comperto & ſimul origine eius cognita Octauianus fecit, vt C quot dies biſſextiles ſacerdotes ex abundantia intercalauerant, tot omitterent intercalare in annis ſequentibus, & ſic tranſierunt aliquot anni ſine die biſſextili, quo facto redit temporis habitudo in priſtinum ſtatum. Et illa computatio, & emendatio temporum eſt, quæ vſque in hodiernum diem manet. Nam ſingulis quatuor annis exactis intercalamus vnum diem biſſextilem. De his emendationibus temporum ponit Solinus in Polyhiſtor. capitulo de diebus intercalaribus, apud Latinos autem nullæ aliæ temporum emendationes factæ ſunt.

CAPITVLVM XCVI.

In quo declaratur, quòd calculationes Aſtrologicæ non omittunt aliquam emendationem factam in temporibus, & quòd ratio contra Aſtrologos non valet. D

EX hoc autem apparet ad rationem in oppoſitum, ſcilicet, quod Aſtrologi omiſerunt aliquam emendationem temporis, qua non computata ſequatur error: nullam quippe omittunt. Nam vt deductum eſt ſucceſſiue per conſequentiam temporum, vltima emendatio temporis Latini fuit de die quarta biſſextili, ſiue de die intercalari: & tamen iſtam emendationem Aſtrologi obſeruant, quia computant annos ſuos cum quarta biſſextili, E quando computant per æram Chriſti: ergo nullam emendationem temporum omittunt. Iſta autem emendatio de die intercalari antè Chriſti natiuitatem facta eſt, cum fuerit facta per Octauianum. Etiam quia æra Chriſti eſt æra biſſextilis, vt ſupponunt Aſtrologi, & omnes computiſtæ Eccleſiaſtici: ideo neceſſe eſt biſſextum præceſſiſſe, ideſt emendationem de quarta biſſextili. Cum vero dicunt poſt Chriſti mortem forte fuiſſe aliquam emendationem, quam omiſerunt Aſtrologi, falſum eſt, quia poſt quartam biſſextilem nullus emẽdauit tempora Latinorum.

Item patet, quia ſi aliqua alia emẽdatio fuiſſet poſtea facta, illa appareret in menſibus Latinorum, ſicut apparent omnes aliæ: nam cum correcti fuerunt menſes faciẽdo duodecim, cum prius eſſent decem, ſatis apparet,

quia

quia duodecim habemus. Et cum emendati fuerunt faciendo eos ſolares, cum prius eſſent lunares, etiam ſatis ex ipſis menſibus conſtat, quia maiores ſunt, quam lunares. Etiam cum emendatum eſt faciendo Ianuarium, & Februarium primos menſes anni, qui prius erant vndecimus & duodecimus, & ſatis conſtat cum ipſi nunc primi ſint. De emendatione etiam quartæ biſſextilis ſatis apparet, quomodo facta ſit, cum continuè obſeruetur. De nulla tamen alia emendatione conſtat in menſibus: nulla ergo alia facta eſt.

Item patet, quia ſi vltra iſtas tres emendationes fuiſſet aliqua facta in menſibus Latinorum, illa obſeruaretur, ſicut obſeruantur ceteræ: & tamen nullam aliam videmus obſeruari ab aliqua gente. Nam nec Eccleſia aliquam obſeruat vltra biſſextilem, nec etiã vulgares: ideo nulla alia facta eſt. Si autem dicas, quòd aliæ fuerunt emendationes factæ temporum, ſed illæ non obſeruantur. Dicendum, quòd tunc ita habetur ac ſi nunquam factæ fuiſſent, quia ita manerent tempora confuſa illis factis, & non obſeruatis, ſicut ſi nunquam factæ fuiſſent, & ſic non eſſet de illis arguendum contra Aſtrologos, cum nec vulgus teneat illas.

Item Aſtrologi obſeruant tempora eo modo, quo Eccleſia, & vulgus obſeruant, & ita computant menſes ſolares. & obſeruant diem intercalarem, ſiue biſſextilem. Licet ergo aliqua adhuc emendatio facta fuiſſet, quam omitterent Aſtrologi, non erat contra eos de illa arguendum. Quia vis argumenti poſſet ſic ſtare, ſi Eccleſiaſtici, vel vulgares dicerent diem mortis Chriſti fuiſſe 25. Martij, & Aſtrologi dicerent non fuiſſe poſſibile, quia non poterat illa eſſe dies Veneris, nec luna 15. ſi diceret vulgares, quòd Aſtrologi non computabant per eadem tempora, per quæ illi, & ob hoc ſequebatur error in concluſione, rationabiliter dicerent, quia ſumptis diuerſis computationibus temporum nõ poteſt ſequi idem terminus rei deputatæ. Et tamen hoc non eſt verum, quia Aſtrologi ſupponunt omnia, quæ ſupponunt Eccleſiaſtici, & vulgares, ſcilicet, quòd iſte ſit annus milleſimus quadringenteſimus quadrageſimuſtertius, & quòd nunc in Ianuario, vel in die Natalis incipit annus 1444. Chriſti, & computando iſtos annos vtuntur annis biſſextilibus: ideo non diſcordant in aliquo à vulgaribus in modo computandi. Et tamen adhuc ſtante hoc per iſtam computationem concordem, deducunt Aſtrologi, quòd non potuerit eſſe mors Chriſti 8. Calendas Aprilis, ſiue 25. die Martij, quod idem eſt. Ideo non poteſt eis obijci de aliqua temporum emendatione omiſſa, dato quòd verum eſſet, quòd aliqua omiſiſſent.

Item non ſtat iſta obiectio, quia ſi fortè aliquam temporum emendationem omiſiſſent, procederent iam ſem per præſuppoſito errore. Vnde impoſſibile erat inueniri veritatem in calculationibus ſuis, & concluſionibus, & iudicijs: & tamen quidquid ipſi dicant de motu corporum cæleſtium, & pro quocunque tempore, ſic euenit punctualiter, ſicut ipſi dicunt. Nec in aliquo errant, vt patet in eclypſibus, coniunctionibus, oppoſitionibus planetarum, & in omnibus alijs, quæ per motum haberi poſſunt: ergo non procedit calculatio illorum præſuppoſito aliquo errore, & conſequenter non omittunt ipſi in ſua calculatione aliquam temporum emendationem factam. Et ſic patet, quòd illa ratio nihil contra eos militat, ſcilicet, quod erret computatio Aſtrologica, eo quod omittat aliquam emendationem factam in temporibus.

CAPITVLVM XCVII.

De illo errore, qui manet adhuc nunc in menſibus Latinis, vnde prouenit, & quare non emendatur.

EST autem verum, quòd vna corruptio & confuſio manet adhuc poſt omnia hæc in computatione temporum Latinorum, ad quam viri periti in Aſtrologia à multis annis aduerterunt: & tamen adhuc confuſio illa inemendata manet. Eſt autem error, quia ad hoc, quòd manerent tempora plenè certificata, neceſſe erat inueniri veriſſimam, & præciſam quantitatem temporis, in qua Sol curſum complet, & hanc tenendo nunquam mutaretur locus Solis quantum ad principium annorum, & manerent tempora anni fixa per menſes, etiamſi in æternum mundus duraret, & nunquam mutaretur quantitas dierum in menſibus, ſi tot horas haberet nunc dies in Martio, vel in Februario; & ſic de ceteris menſibus, tot haberet in æternum, & nullæ ſequerentur inconuenientiæ de his, quæ euenire & aſſignari ſolent, quando tempora ſunt inemendata. Sed ad iſtam nunquam peruentum eſt in emendationibus factis in menſibus Latinorum. Nam quando erant anni dierum 365. ſine quarta biſſextili, non complebatur in eis circulus Solis, ſed deficiebat aliquid, quod erat ſatis notabile & apparens collectum in multis annis: ideo Octauianus quartam addidit biſſextilem. Sed cum hoc factum eſt non fuit etiam aſſignata veriſſima quantitas motus Solis, quia motus Solis, ad hoc quòd compleatur non exigit vnam quartã integram, ideſt ſex horas, ſed aliquid eſt minus: ideo cum in multis annis colligatur illud, cauſat aliquẽ errorem apparentem. Vera autem quãtitas curſus Solis eſt dierum 365. & inſuper quinque horarum & pluſquã dimidiæ, vel quaſi & certotum minutorum, vt ponitur ſecundum totam ſuam præciſionem in tabulis Regis Alphonſi.

Emẽdata fuit per Gregor. XIII. sũ. Pon. quã emendationem nunc retinemus.

Et ſecundum hoc, cum quolibet anno detur aliquid modicum de quantitate temporis, plus quam exigat curſus Solis, quantumcunque ſit illud modicum, neceſſe eſt, quòd per multa tempora collectum faciat aliquando vnam diem. Et tunc iſta dies tota erit ſuperaddita ad verum motum Solis. Et ſic per multos annos perdentur duo dies, & tres, & ſic quouſque perdatur magna quantitas temporis ſuperaducendo, vtpote ſi in iſto anno ſecundum veritatem ingrederetur Sol in primum minutum Arietis in meridie die vndecima Martij, & nos computationem noſtram, quam nunc tenemus de quartis biſſextilibus continuaremus ſemper, neceſſe eſſet in quolibet anno addi aliquid de tempore ſupra veram quantitatem curſus Solis, quouſque colligeretur ex illis particulis vnus dies. Et ponamus gratia exempli, quòd colligatur in centum annis: nunc autem completis centum annis ſecundum computationem noſtram de quartis biſſextilibus intrat Sol in Ariete rurſus in meridie vndecimi diei: quia tamen ſecundum veritatem vnus dies auditus fuit ſupra veritatem in toto iſto tempore, neceſſe eſt, quòd Sol intret in Arietem die decima Martij ad meridiem, & poſt ducentos annos incuruabit aliam diem quam nos ei ſuperfluo damus, & intrat in Arietem nona Martij ad meridiem, & ſic procederet iſte error. Et manifeſtatur magis iſte error, quia, vt ait Beda, legimus Domino naſcente ſolſtitium fuiſſe, ſcilicet ſolſtitium hyemale, quod eſt in Decembri. Et cum Chriſtus natus fuerit 25. die Decembris, neceſſe erat, quòd ſolſtitium eſſet illa die, ſcilicet minor dies anni, & introitus Solis in Capricornũ. Nunc autem ſolſtitium hyemale eſt die duodecima, vel tredecima Decembris, ex quo patet, quòd in iſtis 1443. annis qui ſunt à natiuitate Chriſti vſque nunc, retroceſſit ſolſtitium per duodecim, vel tredecim dies.

Item ſi quis inquirat per calculationem Aſtrologicam, quo die Martij introiuit Sol in Arietem, anno quo Chriſtus natus eſt, inueniet, quòd erat dies 23. Martij, vel quaſi, & nunc intrat die decimo, vel vndecimo. Et ſic mutatum eſt per tot dem dies æquinoctium vernale, per quot ſolſtitium hyemale, & generaliter mutantur omnia alia loca, & introitus Solis, qui illo tempore erat.

De iſto autem errore, an eueniat ſolum ex eo, quod additur quarta biſſextilis, cum non ſit plena quarta, vel aliquid faciat ad hoc diuerſitas motus augium Solis, vel pertineat ad motum acceſſus, & receſſus Capitis Arietis & Libræ, non eſt ad præſens certificare, quia longiſſimum opus eſt, & per ſe tractatum ſpecialem exigens.

Prouenerit autem vndecunque voluerit, de errore tamē, quòd ſit, manifeſtum eſt. Et ſi mundus multum duraret, eueniret neceſſariò quòd in Decembri eſſet æſtas, & hyems in Iunio, & ver in Septembri, & autumnus in Martio. Patet deducendo ſicut ſupra deducebamus contra illos, qui omittebant quartam biſſextilem, niſi quòd illi in quatuor annis perdebant vnum diem, & nos perdimus eum in centum annis, vel quaſi.

A Iſte error apud Latinos nunquam emendatus eſt, quia quantum ad vulgus non ſentitur: cum in vita vnius hominis, vel duorum etiamſi longiſſimè viuant non appareat differentia aliqua, cum non ſit niſi differentia vnius diei, & ipſi non poſſunt aduertere ad tam paruam rem.

B Sæpè autem aliqui periti Aſtrologi ab Eccleſia, & à Summis Pontificibus petierunt emendari iſtum errorem, & adhuc hodiè petunt, quem ipſi poſſent faciliter emendare. Sed non aduertitur ad hoc. Et ſic patet ad rationem iſtam, & conſequenter ad totum dubiū. Chriſtus ſit benedictus in ſecula. Amen.

Defenſorij trium concluſionum Alphonſi Toſtati Finis.

Regiſtrum.

A B C D E F.

Omnes ſunt Quaterniones.

VENETIIS,
Ex Typographia Deuchina. 1614.

ALPHONSI TOSTATI EPISCOPI ABVLENSIS OPVSCVLVM

De Sanctiſsima Trinitate.

PRÆFATIO.

IVXTA conditionem temporis vernalis altiſſimus me ſopor tenebat, quo omnibus relictis gratiſſima quiete reſolutus eram, cũ ſubito quodam delapſu aduenisse viſa eſt veneranda inſtitutrix mea ſororum digniſſima Vrania, cuius ab ipſis teneris crepundijs monitis edoctus fueram, ita vt in hanc quomodolibet iuuenilem euaſiſſem ætatem, qua vt laudabilibus dectiuum operationibus ſoli degeneri vacare ſopori intuita eſt, ingemuit, pariter & indignata eſt, vultus tamen dignitate ſeruata, mordaciter & imperioſè inquit: Quid te alumnorum meorum quondam digniſſimo, nunc vero ipſo actu cunctis indignior tanta ſolicitudine enutriui, vt in hanc ſolidam ætatem exurgeres? Quid tibi Caſtalios amnes Pegaſæo fonte manantes ad ſatietatem tradidi epotandos? Quid tibi toties inter bicipitis Parnaſſi iuga concordium ſororum choros videndos dedi? Quid te (quod his longè præſtantius erat) ipſius chori feci participem? Quid te poſtremo gemina laurea inſulaui, ſi degenere ſopore ſolutus ignominioſam vitam acturus es? Reſume vires, animos viriles indue, alicui te altiſſimæ actioni tradito, quo & labores tuos, & noſtra ſtudia æternis attollas præconijs. Ego autem tantæ maieſtatis confuſus præſentia, nihil quod iuſtè obijcerem habens erubui, quod tamen conſopita ratio in promptu habuit, elocutus ſum. O imperioſa Domina, à tenera ætate hucuſque in tuis militaui caſtris, nunc tandem aliquando ceſſandum eſt. Ad quod illa, ò alumne ridiculum aliquid dixeris. cum enim a tenera ætate hucuſque in caſtris meis inclytè militaueris, nunc in virili robur euadens quieſcendum putas? nec cernis, quam enim iſta ignobiliter dicta ſint? Ego igitur cum ad hæc nihil mihi dicendum occurreret, parui: illa vero diſparuit. Illius ergo ſecutus monita huic altiſſimæ ſpeculationi, quæ de Sanctiſſima Trinitate eſt, eius, de qua agitur præmiſſo ſubſidio, me applicandum cenſui. De hac tamen re ſumma, & excellentiſſima iuxta Beatum Auguſtinum primo libro de Trinitate, cum modeſtia, & timore agendum eſt, et attentiſſimis auribus atque deuotis audiendũ. vbi quæritur vnitas Trinitatis, Patris Filij, & Spiritus ſancti, quia nec periculoſius alicubi erratur, nec laborioſius aliquid quæritur, nec fructuoſius aliquid inuenitur. Ad huius autem operis prælibationem Paragraphum illum decreui inſerere, qui habetur 1. Sent. diſtin. 2.

A & incipit, Proponamus ergo in medium Veteris, ac Noui Teſtamenti auctoritates, quibus diuina vnitatis, atque Trinitatis veritas oſtenditur, ac primum ipſa legis exordia occurrant. Magiſter in hac 1. diſtinct. libri primi intendit determinare de Sanctiſſima Trinitate perſonarum & vnitate eſſentiæ, & quia ſecundum Auguſt. primo lib. de Trin. duplex modus tractandi eſt ſanctorum Doctorum de Sanctiſſima Trinitate, ſcilicet, vt primo auctoritatibus Sacræ Scripturæ confirment quod intendunt; ſecundo vt exemplis, & ſimilitudinibus naturali-

Trinitatis declarãdiq; modi duo.

B bus illud perſuadeant. Magiſter primum modum in diſtinct. iſta tenet, & per teſtimonia Noui, & Veteris Teſtamenti declarans vnitatem eſſentiæ & perſonarum Trinitatem, ſequenti diſtinct. 3. illud exemplis, & ſimilitudinibus, iuxta ſecundum modum confirmat. Et pro expeditione primi dicit, quòd proponenda ſunt in medium teſtimonia Veteris, & Noui Teſtamenti. Iſtud dicit, quòd nulla auctoritas ſolida eſt, niſi illa, quæ Spiritu ſancto dictãte data eſt, & talis eſt ſcriptura vtriuſq; Teſtamenti, quæ tota propheticè ſcripta eſt. iuxta illud 2. Pet.

C 1. Hoc primum attendentes, quòd ſcriptura prophetica propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata eſt aliquando prophetia, ſed Spiritu ſancto dictante, locuti ſunt ſancti Dei homines. Alia autem ſcriptura non ſunt facta Spiritu ſancto dictante. vel ſaltem non conſtat hoc, ideo eis non tantum innitimur. Per has ſcripturas Magiſter vult probare vnitatem Deitatis, & trinitatem perſonarum. De vnitate tamen eſſentiæ quia eſt conſideratio magis naturalis, cum de ea tractet Ariſtot. 8. Phyſic. & in 12. Metaphy. nihil in præſenti dicen-

Vnitatis Dei naturalis eſt non Theologica conſideratio.

D dum eſt: Sed de ipſa perſonarum Trinitate. Ad huius dubij maiorem inueſtigationem ſequens quæſtio cum ſuis concluſionibus ſubiungetur ſcilicet. Vtrum in diuinis eſſe Trinitatem ſit aliquo modo neceſſario conuincibile. vel perſonarum pluralitatem. In quæſtione iſta ſatis eſt declarare vnum de duobus, ſcilicet, quod ſit in diuinis Trinitas perſonarum, vel quòd ſint plures perſonæ, ſiue ſint tres ſiue non. Et dico, an ſit conuincibile per aliquem modum neceſſarium, quia multi modi ſunt conuincendi ne-

E ceſſario. Vnus modus eſt per demonſtrationem quæ facit ſcire, vt patet 1. Poſterior. Et per iſtam ſimpliciter conuincitur quilibet: cum demonſtratio ſit communis omnibus. Alius modus eſt per auctoritatem neceſſariam, quia interdum occurrit tanta neceſſitatis auctoritas, vt nullo modo poſſimus euitare illam, ſicut nec demonſtrationem, ſed potius teneamur illi innitiquam demonſtrationi aſſentire. ſicut dicit Beatus Petrus in Cano. 2. cap. 1. loquẽs

de transfiguratione Chriſti in qua viderunt tres Apoſtoli gloriam corporis eius claro, dicit tamen, quod ſermo propheticus eſt certior probatio, quam id, quod ipſi viderunt, dicens: Habemus autem firmiorem propheticum ſermonem. ſcilicet, firmior eſt ipſe ſermo propheticus, quam viſio ocularis. His viſis arguitur, quod pluralitas perſonarum, & Trinitas in diuinis ſit conuincibilis, quia iſta probantur plene auctoritatibus Noui, & Veteris Teſtamenti, quæ neceſſario concludunt, ergo eſt conuincibile hoc. In contrarium videtur, quod non ſit neceſſario conuincibile, quia ſi neceſſario poſſet conuinci, viri clariſſimorum ingeniorum, qui hucuſque fuerunt, potuiſſent iſtud ſecretum probare, & demonſtrare omnibus gentibus, & tamen nullus hucuſque fecit: ergo non eſt conuincibile. Ad declarationem maiorem huius quæſtionis, ſubijciantur concluſiones. Quarum prima ſit.

PRIMA CONCLVSIO.

Auctoritates Veteris Teſtamenti perſuadent Trinitatem perſonarum.

EX auctoritatibus Veteris Teſtamenti perſonarũ pluralitas, licet ſit perſuaſibilis, neceſſario tamen non eſt conuincibilis. Prima pars patet, quia multæ auctoritates ſunt, quæ aliquid ſimile pluralitati perſonarum innuunt, aut videntur innuere, & allegat aliquas Magiſter diſtin. 2. primi, & eſt prima. Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram. Nam cum dixit. Faciamus, ſignificat pluralitatem perſonarum. Poſtillime, quia ad aliquem loquebatur, & ille erat Deus. Cũ autem dixit ad imaginem, & ſimilitudinem, tetigit vnitatem, quia vna erat imago, & ſimilitudo.

Geneſ. 1. Secunda auctoritas, quam allegat Magiſter, eſt, quæ habetur Geneſ. 1. ſcilicet, In principio creauit Deus cælum, & terram, vbi habetur in Hebræo Elohim, quod eſt numeri pluralis, ac ſi diceretur Dij, & tamen ponitur verbũ in ſingulari, ſcilicet, Creauit, ſiue Bara. Inquantum ergo dicitur, Creauit, ſignauit vnitatem actus, & ſic eſt vnitas naturæ, ſiue principij agendi, ideo vnitas eſt naturæ, & pluralitas ſuppoſitorum diuinorum. Aliæ multæ auctoritates ſunt ſimiles, quæ poſtea tangentur in declaratione ſecundæ particulæ concluſionis, quibus idem perſuadetur.

Qũo pſonarũ pluralitas tractatur Pſ. 109. & Ge. 1. Pſal 109. Secunda particula eſt, quod non poteſt neceſſario conuinci ex auctoritatibus Veteris Teſtamenti, per ſe ſumptis, pluralitas perſonarum, ita vt appareat. Pro quo ſciendum, quod in multis locis Veteris Teſtamenti agitur de perſonarum pluralitate, ſicut patet in Pſal. illo 109. ſcilicet, Dixit Dominus Domino meo. Nam ibi loquitur pater ad filium. Nam ſic allegauit Chriſtus Matth. 22. quod Meſſias erat Deus ex verbis illis, & ſic erat pluralitas ſuppoſitorum diuinorum. Hoc tamen apparet ſumendo ſimul teſtimonia Noui Teſtamenti. Sed ſumendo ſola teſtimonia Veteris Teſtamenti nihil probabitur. Et apparet inductiuè hoc, primo ex auctoritate illa, ſcilicet, Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram. Nam licet dicatur in plurali, faciamus, non arguitur pluralitas ſuppoſitorum, ſed poteſt intelligi aliter iſta pluralitas: vno modo, quod in creatione hominis, cum Angeli eſſent iam creati, Deus loqueretur ad Angelos, dicens, Faciamus hominem.

Sed tunc obijcietur dupliciter: vno modo, quod non ſtat, quia Deus, & Angeli non communicauerunt in hominis creatione, quia ſolus Deus eſt, qui creauit hominem: ſecundo, quia dicitur, ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, & tamen non eſt eadem imago, nec ſimilitudo Dei, & Angelorum.

Ad primum dicendum, quod Angeli non communicant in actione Dei: Deus tamen creauit hominem, ſcilicet, animam, quam infudit corpori plaſmato de terra, & dedit illi corpori eſſe humanum ſimul: Angeli vero cooperati ſunt in figuratione hominis, ſcilicet, formando, & lineando corpus eius de limo terræ, & in hoc Deus non operatus eſt.

F

Formatio hoĩs quõ creditur fuiſſe. Pro quo ſciendum, quod formatio hominis creditur hoc modo fuiſſe, ſcilicet, quod Deus iuſſerit Angelis, vt de limo terræ formarent vnum corpus ſecundum humana lineamenta, & cum eſſet ſic exanimatum, nec eſſet corpus humanũ, nec cadauer, ſed ſtatua lutea, Deus infudit illi corpori animam, & infundendo ſimul fecit ipſum limum eſſe carnem, & ſanguinem, & neruos, ſicut in corpore humano requiritur. Hoc autem non poterant facere Angeli, ſed ſolum figurare limũ. Etiam anima per vnionem ad corpus, non poterat facere de limo carnẽ, & oſſa, & neruos, & humores, immo erat impoſſibile eam viuti corpori ſic ſe habenti. Et ſic Deus dicitur feciſſe totum hominem: Angeli autem nihil fecerunt, niſi figurare materiam.

G Sed adhuc obijcietur, quod iſtud non fecerunt Angeli, quia dicitur Geneſis ſecundo. Formauit Deus hominem de limo terræ, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ: ergo tam formationem corporis, quam animæ inſpirationem Deus operatus eſt. Dicendum, quod Angeli fecerunt, & tamen dicitur feciſſe Deus, quia ea, quæ fecerunt Angeli, ſæpe in Sacra Scriptura attribuuntur Deo. Sicut patet de illo, qui apparuit in rubo, Exodi tertio. Nam ibi dicitur, quod erat Deus, & quod Iſraelitæ erant populus ſuus, & quod ipſe erat Deus patrum ſuorum, & tamen ille erat Angelus, ſicut dixit Beatus Stephanus, & habetur Actuum ſeptimo. Sic etiam ille, qui loquebatur in datione legis in monte Sinai videbatur eſſe Deus, quia ipſe dixit: Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti: non habebis Deos alienos coram me, Exodi vigeſimo, & Deuteronom. quinto, & tamen ille erat Angelus, vt patet ad Galatas tertio, ſcilicet, Lex data eſt in manu mediatoris, ideſt, Moyſis ordinata per Angelos. Quare autem Angeli in Veteri Teſtamento vocentur aliquando Deus, & quare interdum Angeli, & in quibus locis Deus, & in quibus Angeli requirant maiorem dignitatem, quam ſit præſens negocium, de hoc in alijs locis dictum eſt.

Scriptura Sacra Deo tribuit ſæpè q̃ faciũt Angeli.

H

Ad ſecundum cum obijcitur, ſcilicet, quod non ſit eadem imago Dei, & Angelorum, dicendum quod non eſt eadem ſecundum ſubſtantiam, vel numerum, ſed eſt eadem per magnam ſimilitudinem, quantum ad illud, quod groſsè ſpeculantibus apparet. Et modus eſt, quia Deus, quando non videretur a Iudæis, putabatur eſſe rationalis intelligendo, & habens actus humanos habẽ-

I tes aliquam perfectionem, vt videre, audire, & odorare. Nam ſic ipſi putabant Deum eſſe illum, qui eis locutus eſt in datione legis, & dixerunt: Nõ loquatur nobis Dominus, ne moriamur, Exodi vigeſimo, & Deutero. quinto. De Angelis etiam idem putabant, ſcilicet, quod loquerentur, & viderent, & audirent, & haberent ſimilitudinem corporum humanorum, cum Scriptura dicat eos ſic apparuiſſe, vt patet Geneſis decimoſexto, decimooctauo, decimonono: concordabant ergo Angeli, & Deus in hoc, quantum ad opinionem Iudæorum, quod loquebantur, audiebant, videbant, odorabant, intelligebant, & habebant cæteros actus ſimiles, & tales actus habent homines, ideo dicerentur homines facti ad imaginem Dei, & Angelorum.

Error Iudæorũ de Deo, & Angelis.

K Alio modo poſſet intelligi iſta auctoritas de Deo ſolo, etiamſi eſſet vnica perſona, ſicut eſt vnica eſſentia, ſcilicet, quod Deus diceret de ſeipſo, Faciamus hominem ad imaginem noſtram, & licet locutio fieret ad alium, qui non eſſet Deus, ſcilicet, ad Angelos, tamen non poneretur in plurali propter aliquem alium, qui communicare deberet in operatione iſta, ſed propter magnam dignitatem Deus de ſeipſo loqueretur in plurali, ſicut dicunt magni viri: Nos Dominus Petrus faciemus vobis immenſa beneficia, & ſic etiam diceret ad imaginem noſtram, ſicut dicunt magni viri: Domus eſt noſtra bona.

Item, cum dicitur, quod ex hoc patet vnitatem eſſe naturæ, quia dicitur ad imaginem, & non ſunt plu-

res

tres imagines, ſed vnica, non colligitur vnitas eſſentiæ ſaltem numero, ſicut aſſerimus, quò dato quòd vna eſſet natura in ſpecie, ſicut humanitates eſſent multę numero, ſicut ſunt multæ humanitates in multis hominibus, & ſic eſſent multi Dij, & eorum eſſet vnica imago, & tamē hoc negatur. Item non videtur ſatis conuenientèr dictum, quòd introducantur hic perſonæ loquentes. Non enim videtur, quæ perſona loqueretur ad alias, quia in illo ſignaretur aliqua perfectio maior loquentis, licet iſta ratio videatur alicui pati defectum, ſed non patitur. Item non eſt veriſimile, quòd loqueretur Moyſes de imagine, & ſimilitudine, eo modo, quo loquuntur Theologi noſtri. Nam licet verum ſit, quòd talis imago Trinitatis ſit in anima noſtra, qualem ipſi aſſerunt, tamen non eſt veriſimile, quòd de illa loqueretur Moyſes, quia Moyſes volebat declarare Iſraelitis creationis rerum modum, & debebat taliter loqui, vt poſſet intelligere populus ille rudis, & tamen accipiendo imaginem, & ſimilitudinē B Trinitatis, ſicut Theologi accipiūt, vix nos cum magno ſtudio, & doctrina intelligere poſſumus, quanto magis populus ille rudis, qui in nulla doctrina expertus erat? Ideo credendum, quòd loquebatur Moyſes de imagine, & ſimilitudine, quæ eſt quædam immutatio in actibus humanis apparentibus, ſcilicet, loqui, videre, audire, intelligere, & ſimilibus. Et ſic ex iſta auctoritate non probatur perſonarum pluralitas, nec vnitas eſſentiæ.

Error ponētiū perſonas diuinas ad inuicē loqui.
1. Geneſ.

Secunda auctoritas principalis, quam Magiſter inducit eſt de eo, quod habetur Geneſ. 1. ſcilicet, In principio creauit Deus cælum, & terram, quia in Hebræo ponitur ibi Elohim, quod eſt pluralis numeri, id eſt Dij. Et cum ponitur verbum ſingulare ſignificatur ſuppoſitorū pluralitas, & vnitas naturæ. C Sed non ſtat, quia ibi ponitur plurale pro ſingulari. Nā in iſto nomine El, vel Elohim eſt indifferentia, ſcilicet, quòd non magis eſt accipere plurale, quàm ſingulare, quia totum pro ſingulari accipitur cum Deus vnicus ſit. Et manifeſtum eſt, quòd accipiatur impropriè. Nam ſi poneretur pro plurali, cum iſtud nomen ſignificet naturam diuinam, ſignificaret eā multiplicatam in ſuppoſitis, & eſſent multi Dij, ſicut multi homines. Hoc tamen negamus. Nec etiam litera Latina concedet aliquando Deos, licet ſint multæ perſonæ, ſed idem ſignat Elohim propriè ſumptum, quod Dij, ideo non accipitur pro plurali. Nec obſtat, quòd ponatur in plurali Elohim, non ad ſignandum multos Deos, ſed multa ſuppoſita diuina, quia etiam adhuc non concedit Latinus ſermo Deos, ſiue tres Deos, ideo nec D ſermo Hebraicus idem concedet, niſi impropriè accipiatur, ſcilicet, plurale pro ſingulari. Dicendum autem, quod errant nimis, qui ex talibus locis volunt probare pluralitatem diuinarum perſonarum, quia talis mutatio numerorum non euenit ex aliquo myſterio, ſed ex barbarie idiomatis. Nam ſæpe fiunt tales mutationes in Hebræo ſine aliqua ratione, ſed ſolum ex conſuetudine loquendi. Et non ſeruatur proprietas loquendi inter adiectiuum, & ſubſtantiuum: inter relatiuum, & antecedens, inter ſuppoſitum, & appoſitum. Patet de adiectiuo, & ſubſtantiuo. Nam Iſaiæ 19. dicitur. in litera noſtra: Tradam Aegyptum in manus Dominorum crudelium, & in Hebræo dicitur: Adonim Caſeth, quod interpretatur Dominorum crudelis, vel duri. Et ponitur ſubſtātiuum in plurali, & adiectiuum in ſingulari, cum E deberet dici, Adonim Caſethim, id eſt, Dominorum crudelium, & tamen ibi nō importatur aliquod myſterium per illam mutationem numerorum, cum fiat ibi ſermo de hominibus.

Geneſ. 1.
Iſaiæ 19.

De antecedente, & relatiuo patet Ioſue cap. 2. cum dicitur de duobus exploratoribus Iudæorum, dicit litera noſtra. Tollens mulier viros abſcondit eos, in Hebræo dicitur, quòd tollens mulier viros abſcondit eum, & tamen deberet dici abſcondit eos, ibi autem non eſt aliquod myſterium, quare mutatio iſta numeri fiat, cum non agatur de diuinis, ideo ſolum fit ex improprietate idiomatis.

Item ſi ad ſignificandum ſuppoſitorum multitudinē, & vnitatem naturæ poſitum eſt Elohim in plurali, & A verbum in ſingulari. Ita in omnibus alijs locis, quando poneretur aliquod nomen adiectiuum, & ſubſtantiuum ſimul de Deo, licet poneretur in plurali ſubſtantiuūm ad ſignificandum ſuppoſita, adiectiuum ſemper poneretur in ſingulari, quia ſignificat formam inhærentem, quę non multiplicatur. Et patet hoc ex modo idiomatis latini. Nam licet ſint tres perſonæ, & quælibet ęterna, non tamen dicimus, quòd ſint tres æterni, ſed vnus æternus. Non tres omnipotentes, ſed vnus omnipotens. Non tres immenſi, ſed vnus immenſus, vt ait Athanaſius in ſymbolo. Et tamen in Hebræo ponuntur interdum nomina adiectiua, & ſubſtantiua, ſimul de Deo dicta in plurali, vt patet Deutero. 5. vbi dicitur in litera noſtra, quid eſt omnis caro, vt audiat vocem Domini Dei viuentis? Dicitur in Hebræo Elohim haijm, id eſt, Deorum viuentiū. Et tamen licet ponatur Deorum pluraliter ad ſignificandum ſuppoſita, deberet tamen poni viuētis in ſingulari, B ad ſignificandum vnitatem naturæ, quia viuens ſignificat vitam, & vita non multiplicatur in diuinis per ſuppoſita, ſed eſt vnica vita numero in tribus ſuppoſitis, & tamen iſte modus loquendi frequētatur in Hebræo, quia ſic etiam dicitur Ierem. 23. in litera noſtra, ſcilicet, Peruertiſtis verba Dei viuentis, Domini exercituum Dei veſtri. In Hebræo dicitur, peruertiſtis verba Deorum viuentium, ſcilicet, Elohim haijm.

Hebræi plerūque ponunt plurale pro ſingulari ſine myſterio.
Iere. 23.

Item patet hoc, quia ſi poneretur Elohim in plurali ad ſignificandam ſuppoſitorum pluralitatem, & creauit in ſingulari ad ſignificandum vnitatem actus, & naturæ, quæ eſt principium actus, quando poneretur Elohim in plurali, & verbum in plurali ſignificaretur pluralitas C ſuppoſitorum, & naturarum, et tamen ponitur interdum Elohim in plurali, & verbum in plurali, vt patet 2. Regum 7. in litera noſtra dicitur, quæ eſt gens, vt populus Iſrael, propter quam iuit Deus, vt redimeret eam ſibi in populum. In Hebræo dicitur, quis vt populus tuus gens vna, propter quam iuerunt Dij ad redimendum ſibi ſiue iuerunt Elohim. Sic etiam dicitur Eccle. 2. cap. in litera noſtra. Quis eſt homo, qui poſſit ſequi Regem factorem ſuum? In Hebræo dicitur, quis eſt homo, qui intret poſt Regem, qui fecerunt eum, ecce quanta varietas. Si ergo per iſtam mutationem numerorum eſt aliquod myſteriū in diuinis ſicut in auctoritate Geneſ. ſcilicet, in principio creauit, &c. ſignificaretur pluralitas ſuppoſitorum, & vnitas naturæ, ita in illa 2. Reg. 7. ſignificaretur pluralitas ſuppoſitorum, & pluralitas naturarum, quod eſt abD ſurdum, & in auctoritate Eccl. ſignificaretur vnitas ſuppoſiti diuini, & pluralitas naturarum diuinarum, quod eſt abſurdius, & impoſſibilius.

Item patet, quia ſi in locis iſtis ſignificaretur myſterium aliquod pluralitatis ſuppoſitorum, & vnitatis naturæ diuinæ, cum nihil ſit vtilius, & magis neceſſarium nobis quam fidem trinitatis probare ex Veteri Teſtamento, vt confirmetur doctrina Noui Teſtamenti, & vt confutetur perfidia Iudæorum, Hierony. qui tranſtulit Bibliam, & erat expertus in Hebraico ſermone ſeruaſſet illud myſterium inter Latinos, ita vt manifeſtè appareret ex litera vnitas naturæ, & ſuppoſitorum pluralitas, & tamen nō curauit de illa mutatione numerorum, ideo apparet, quòd intellexit, quod nullum myſterium importabat. Nam in litera noſtra dicitur, in principio creaE uit Deus, & non dicitur Dij creauit. Etiam in alijs locis vbi ponitur in Hebræo Deorum viuentium litera noſtra dicit Dei viuentis. Omnes autem iſtas mutationes litera noſtra emendat, ſeruans numeros, & alias conuenientias adiectiui, & ſubſtantiui, relatiui, & antecedentis, ſuppoſiti, & appoſiti, ergo putauit eas non fuiſſe factas ex aliquo myſterio, ſed ex barbarie idiomatis.

Cōfirmatur hoc, quia licet ſępiſſimè ponatur Elohim in numero plurali in Hebræo, litera noſtra transfert in ſingulari. Et tn̄ Gen. 3. cū ſerpēs dixit ad Euam, eritis ſicut Elohim ſcientes bonum, & malū, litera noſtra dixit, ſicut Dij in plurali, eo ꝙ ibi ſi cōtingeret virū, & feminā naturā diuinā accipere, eſſet multiplicata natura diuinā in eis, & ipſi eſſent ſicut duo Dij, & non ſicut vnus, ſicut erant duo homines, & non vnus. Inſipientia ergo magna

eſt, & quaſi inſania velle per ſimiles auctoritates cōuincere pluralitatem perſonarum diuinarum contra Hebræos. Vnde nō immerito ab eis, ſi ſapientes ſuit, poſſumus irrideri tanquam ignari, & ad pauca attendentes.

Nicolaus tamen in quodam libello, quem fecit cōtra Iudæos, vbi tangit iſtam quæſtionem, putat ſe firmiſſimè concludere ex auctoritate iſta, ſcilicet, In principio creauit perſonarum pluralitatem, & vnitatem naturę, & deſtruit obiectiones Iudæorum, & reſponſiones, ideo putat ſe ſufficienter probaſſe.

Sed errat in duobus, primo quia non ſufficienter confutat eorum dicta. ſecundo quia dato, quòd benè ſolueret eorum argumenta, non tamen ſequebatur, quòd concluſio ſua eſſet vera. Nam non tenet iſta conſequentia, ſcilicet, reus reſpondet bene ad omnia obiecta actoris: ergo reus fouet iuſtam cauſam, quia poteſt eſſe, quod actor neſciat allegare de iure ſuo, vel deficiat ei copia eius iuris, quod ſcit ſe habere, & poſſet allegare, & reus reſpondebit faciliter ad allegationes leues, & tamen fouebit reus iniuſtam cauſam, & actor bonam. Ita licet Nicolaus ſatisfaceret argumentis Iudæorum, non ſequitur, quod ipſe veram teneat concluſionem, quia poteſt eſſe quòd licet ipſi verum dicant, quia inſipientes ſunt non benè probent, quod probare poterant. Reſponſio autem Iudæi ad Nicolaum fuit, quod licet Elohim ponatur in plurali, non probatur pluralitas ſuppoſitorum, quia quando accipitur pro Deo vero, ponitur plurale pro ſingulari, quando autem accipitur pro Deo non vero, aliquando accipitur pro ſingulari, & aliquando pro plurali. Et quia ibi ponitur pro Deo vero, accipitur pro ſingulari, ac ſi dicatur in principio creauit Deus, ſiue El. Dicit Nicolaus, ꝙ non ſtat, quia aliquando ponitur Elohim pluraliter pro Deo vero. Et ponit exempla, ſcilicet, Ieremiæ 23. Peruertiſtis verba Deorum viuentium, ſiue Elohim Haijm, ecce ponitur ibi adiectiuum in plurali, ideo Elohim ponitur ibi pro plurali.

Hebræorū reſpōſio aduerſus Nicolaum de Lira.

Item Ioſue vltimo dicitur: Non poteritis ſeruire Domino, quia Deus ſanctus ipſe. In Hebræo dicitur, Non poteritis ſeruire Domino, quia Dii ſanctus ipſe, ſiue Dii ſancti ipſi.

Pſal.49. Item Iſaiæ 5. in litera dicitur: Dominabitur tui, qui fecit te: Dominus exercituum nomen eius. In Hebræo dicitur: Dominatores tui factores tui.

2.Reg.18 Item 2. Regum 7. cum dicit litera noſtra, quæ eſt gēs, vt populus Iſrael, propter quem iuit Deus, vt redimeret eam ſibi in populum. Hebraica dicit: Quis vt populus tuus Iſrael gens vna in terra, propter quam iuerunt Dii, ſiue Elohim ad redimendum ſibi.

Item Eccleſiaſtes 2. dicitur: Quis eſt homo, qui poſſet ſequi Regem factorem ſuum? Hebraica dicit: Quis eſt homo, qui poſſit intrare poſt Regem, qui iam fecerunt eum? in omnibus his accipitur Elohim in plurali pro Deo vero. Et ſic dicit Nicolaus falſam eſſe reſpōſionem illorum Hebræorum.

Allegat deinde aliam reſponſionē in hoc ſuper illa auctoritate Eccleſiaſtes 2. Nam cum dicitur: Poſt Regē, qui fecerunt eum, dicit ibi quædam Gloſa Hebraica, ꝙ Deus, & domus conſilij ſui fecerunt hominem.

Item ſuper Pſalmo, Deus Deorum Dominus locutus eſt. qui eſt Pſalmus 49. eſt quædam Gloſſa Hebraica, & ponitur ibi nomen Dei ter, ſcilicet, El, Elohim, & nomē Dei Tetragrammaton. Et quærit illa Glo. quare Aſaph conditor illius Pſalmi nominauit Deum ter ibi; & dicit ꝙ hoc eſt, quia Deus in tribus proprietatibus creauit ſeculum. Ex illis duabus rationibus elicit Nicolaus pluralitatem immo Trinitatem perſonarum. Nam dicit, quod

Cantic.1 per Deum, & domum conſilij ſui intelligitur Pater, qui propriè vocatur Deus, & Filius, qui vocatur domus conſilij, eo ꝙ eſt verbum ſecretum Patris, & deinde Spiritus ſanctus ex vtroque procedens.

Ex ſecunda reſponſione elicit, ꝙ ſunt tres perſonæ, quia dicitur, quod Deus in tribus proprietatibus creauit ſeculum, ſcilicet, quod in diuinis ſunt tres perſonæ, quæ conſtituuntur, & diſtinguuntur tribus proprietatibus. Dicit tamen, quod poſteriores Iudæi dicunt iſtas F tres proprietates eſſe potentiam, ſapientiam, & bonitatem, & ipſe conatur hoc confutare.

Aliam rationem facit Nicolaus ad probandam intentionem ſuam, ſcilicet, quod fuit intentio Moyſis auferre Iſraelitis occaſionem idolatriæ, ad quam valde erant proni, vt patet ex diſcurſu Veteris Teſtamenti, ſi tamen loqueretur ſic dicens Elohim in plurali, & non intelligeret per hoc pluralitatem ſuppoſitorum, daret occaſionem cogitandi Iudæis, quod erant multa abſoluta in diuinis, ſiue multi Dii. Ideo non eſt veriſimile, quod Moyſes voluiſſet vti tali modo loquendi, niſi per hoc importaret aliquod myſterium, ſcilicet, quod daret ſubtiliter intelligentibus cognoſci ſuppoſitorum diuinorum pluralitatem, & vnitatem eſſentiæ.

Deinde Nicolaus allegat rationes tres Hebræorum G contra ſe. Prima eſt, quod accipiatur numerus pluralis pro ſingulari, vt patet primo Regum 28. in ſuſcitatione Samuelis. Nam dixit Pythoniſſa: Vidi Deos aſcendentes de terra, ſiue Elohim, & tamen manifeſtum eſt, quod ſolus Samuel erat, quia ſolum illum voluit ſuſcitare mulier. Etiam quia dicitur immediate in litera, qualis eſt forma eius, & tamen ſi multi eſſent, diceretur, qualis eſt forma eorum.

Secunda ratio eſt de eo, quod dicitur Ezech. 40. ſcilicet, In die autem Calendarum vitulum de armento immaculatum. Et ponitur in Hebreo tamimim, ac ſi dicatur vitulum immaculatos, quia tamimim eſt pluralis numeri, & ponitur vitulum in ſingulari.

Tertia ratio eſt, quia Cant. 1. dicitur: Trahe me poſt te, curremus in odorem vnguentorum tuorum. H Ecce ibi mutatur numerus, quia cum ponatur ſuppoſitum in ſingulari, ſcilicet, Trahe me. ponitur appoſitum in plurali, ſcilicet, curremus in odorem. Sicut ergo ponitur ſuppoſitum in ſingulari, cum appoſito in plurali, ita e contrario ponetur in ſingulari cum ſuppoſito in plurali, ſicut hic, in principio creauit Elohim. &c.

Reſpondet Nicolaus ad primam, quod Samuel non ſuſcitatus eſt ſolus, ſed cum eo Moyſes, vt daret ſibi teſtimonium legis integræ ſeruatæ, & locuta eſt Pythoniſſa de ambob. ſcilicet, Vidi Deos aſcendētes de terra. Saul autem ſolum quæſiuit de primo eorum, ideo dixit: qualis eſt forma eius.

Aliter reſpondet ſecundum Auguſt. qui tenet, quòd non fuit vere ſuſcitatus Samuel, ſed magicè, ſcilicet, in I quadam forma eum repræſentante, & dæmon familiaris mulieris illius comitebatur eum, & ſic dixit, Vidi Deos aſcendentes de terra.

Ad ſecundā auctoritatē dicit, ꝙ cum dicimus vitulum tamimim, i. immaculatos, nō debemus dicere immaculatos in accuſatiuo, ſed immaculatorū in genitiuo. Nā nomina Hebræa non habent varietatē caſuum, ſicut nomina Latina, ideo eadē dictio non variata in literis pōt eſſe ſub habitudine nominatiui, & genitiui, & omniu caſuū, & ſic poteſt eſſe tamimim. i. dicit, quod erat ſtatutum legis, quod in principio cuiuſlibet menſis afferretur vnus vitulus, & ad hoc ſacerdotes ſegregabant in aliquo loco K prope templum duodecim vitulos immaculatos pro omnibus duodecim menſibus, & tunc in quolibet mēſe accipiebatur vnus vitulus de illis, & dicebatur vitulum immaculatorum, id eſt, de immaculatis, ſcilicet, quia de duodecim immaculatis accipiebatur vnus.

Hebræi nō habēt varietatē caſuū in noībus.

Ad tertiam auctoritatem dicit, ꝙ liber Canticorum ſecundum Hebræos exponitur de Deo, & ſynagoga. Et quia ſynagoga eſt quædam congregatio vna poteſt poni in ſingulari, & quia in illa congregatione multi ſunt, ponitur in plurali, ſcilicet, curremus in odorem. per hæc putat ſe Nicolaus ſufficienter reſpondiſſe Hebræis, & concluſiſſe, quod ex auctoritate illa, ſcilicet, In principio creauit Deus, &c. quòd firmiter pluralitas perſonarum, & vnitas naturæ diuinæ ſignificetur ibi.

Sed dicendum, quod non ſtat. Et dicendum primò, quòd illa reſponſio Iudæorum eſt abſolutè vera, ſcilicet, quòd Elohim quādo ponitur pro Deo vero ſemper ſumitur ſingulariter: cū autem ſumitur pro Deo impro-

prie

priè dicto, indifferenter accipitur aliquando pro plurali, & aliquando pro ſingulari. Cum autem Nicolaus inducit auctoritates quaſdam, in quibus ponitur adiectiuum in plurali cum iſto nomine Elohim, & alias, in quibus ponitur verbum in plurali, dicendum quod nihil probatur ex illis, niſi quòd iſtud nomen ſit in numero plurali. & non ſit Elohim ſingularis numeri, ac ſi aliquis diceret vellet, quòd iſtud nomen Elohim eſt ſingularis numeri, ſicut iſtud nomen El, ſicut aliqui exiſtimant. Nam tunc verū eſt, quòd benè probat Nicolaus. Nam cum adiectiuum ponatur in plurali, debet poni ſubſtantiuum in plurali, etiam cum appoſitum ponatur in plurali, ſuppoſitum etiam ponetur in plurali. Et hoc concedendum eſt, quando iſtud nomen Elohim, pluralis numeri eſt, ſiue non.

Si autem velit concludere Nicolaus, quòd non ſolum eſt nomen numeri pluralis, ſed etiam ſignificat rem pluralis numeri, ſcilicet, ſuppoſitorum multitudinem non concludit, quia tunc non ſolum ſequeretur pluralitas ſuppoſitorum, immo etiam eſſentiarum diuinarū, quod patet in prima auctoritate, quam Nicolaus allegat, ſcilicet, peruertiſtis verba Dei viuentis. Iere. 23. & Hebraica dicit, peruertiſtis verba deorum viuentium, ſiue Elohim haijm. Nam accipiendo illud adiectiuum propriè in numero plurali, neceſſe eſt, quòd ſignaret plures viuentes, & ſic eſſent plures vitæ numero in diuinis. Et cum vita ſit ens abſolutum, eſſent plures deitates, quod eſt impoſſibile. Cum ergo ſit vnica deitas, & vnica vita, & eſſe, non debent concedi tres viuentes, vel plures viuentes, ſed vnicus viuens, ſicut dicit Athanaſius, vt ſupra dictum eſt, quòd non ſint tres æterni, ſed vnus æternus, non tres omnipotentes, ſed vnus omnipotens, non tres immenſi, ſed vnus immenſus.

In alia auctoritate Ioſue 24. ſcilicet. Non poteritis ſeruire Domino, quia Dij ſancti ipſe, dicendum etiam, ꝙ non accipitur ibi Dij Sancti, ſiue Elohim quiduſiim pro plurali, ſed pro ſingulari, quia alias ſequeretur, quod eſſent plures ſanctitates in diuinis, & iſtud eſt impoſſibile, quia cum ſanctitas ſit forma abſoluta, vnica eſt, ſicut vnica eſſentia vnica bonitas.

Secundo patet, quia ſi importaretur aliqua pluralitas in hoc, litera noſtra tetigiſſet illam, & tamen poſuit ſingulariter, dicens: Non poteritis ſeruire Domino, quia Deus ſanctus ipſe.

Si autem dicas, quòd Hieronymus non aduertit ad hoc, ideo non poſuit in numero plurali, ſequuntur duo inconuenientia. Primum eſt, quod ipſe non tranſtulit veritatem ſenſus. Nam cum ibi ſignificaretur pluralitas aliqua, tranſtulit ſingularitatem, & iſte eſt magnus error, quia ſciremus Bibliam noſtram in multis deficere a veritate.

Secundum eſt, quia ſequeretur, quòd Beatus Hieronymus eſſet inſipiens, ſcilicet, quia circa illa, in quibus magis fides noſtra corroboratur ex Hebræis libris, non tranſtulit eo modo, quo poſſemus firmiter contra Hebræos arguere, ſed eo modo, quo nihil poſſemus concludere contra illos.

Tertio probatur efficacius, quòd illa litera non ſignet aliquid in plurali, quia dicitur in Hebræo: Non poteritis ſeruire Domino, quia dij ſancti ipſe. Si tamen ſignificaretur pluralitas ſaltem ſuppoſitorum, deberet dici dij ſancti ipſi, & ponitur ipſe ſingulariter. Pro quo ſciendum, quòd de diuinis melius poſſumus concedere pronomina in plurali, quàm nomina, & cauſa eſt, quia ſi concedatur nomen in plurali de Deo, ſignificatur magis natura, quæ tamen vnica eſt. Si autem concedatur pronomen, ſignificatur ſubſiſtentia, quæ tres ſunt. Ratio huius eſt, quia nomina ſignificant ſubſtantiam cum qualitate. Eſt autem qualitas determinatio ſubſtantiæ, quę reducit ſubſtantiam ad ſtandum pro aliqua determinata natura. Pronomina autem ſignificant meram ſubſiſtentiam. Eſt autem ſubſtantia materia forma compoſitum, & ſuppoſitum, ita vocatur ſubſtantia quodlibet ſubſiſtens; vnde concedemus in plurali pronomina de Deo, quia ſignificant plures ſubſtantias, ideſt, plura ſup-

Pluralitas pronominū cōceditur in diuinis nō tamē nominū.

A poſita, vel ſubſiſtentias, ſiue hypoſtaſes. Nam dicemus in diuinis de tribus perſonis, iſti vel illi, vel ipſi, vel hi, aut idem, quæ ſunt pronomina, & non dicemus dij, vel ſapientes, aut boni, quia iſta, quæ ſunt nomina ſignificant naturam. Illa vero, quæ ſunt pronomina, ſignificant ſolas ſubſiſtentias, & tamen hic ponitur pronomen in ſingulari, quia dicitur quòd dij ſancti ipſe, ergo non poteſt ibi ſignificari aliqua pluralitas ſuppoſitorum, nec naturarum.

Ad aliam auctoritatem in qua dicitur: Quis eſt vt populus tuus gens vna in terra, propter quam iuerunt dii ad redimendum ſibi, dicendum quòd non ponitur ibi propriè plurale, ſed pro ſingulari, qđ patet ex litera noſtra, quæ poſuit ſingulare, ſcilicet, propter quam iuit Deus, vt redimeret eam ſibi.

Pluralitas verbi arguit pluralitatē nō ſolū ſuppoſitorum, ſed naturarum.

B Alio modo probatur efficacius, quia ſi ibi poneretur plurale proprie, non ſolum probaretur pluralitas ſuppoſitorum, ſed etiam pluralitas naturarum, quia ponitur verbum in plurali, & tamen nec nos, nec Iudæi concedimus pluralitatem naturæ: ergo illa pluralitas non importat aliquod myſterium, ſed ponitur pro ſingulari ex barbarie idiomatis Hebraici.

Ad aliam auctoritatem, cum dicitur: Quis eſt homo, qui poſſit intrare poſt Regem, qui fecerunt eum, dicendum, quòd illa mutatio numeri non importat myſteriū: nam debet dici poſt Regem, qui fecit eū, & dicitur poſt Regem, qui fecerunt eum.

Et patet, quia ſi iſtæ duæ auctoritates in iſta mutatione, numerorum pluralitate importarent aliquod myſterium, ſequerentur inde magna abſurda. Nam ex prima
C auctoritate ſequerentur multæ deitates, & multa ſuppoſita diuina. Ex ſecunda ſequerentur multæ naturæ, & vnicum ſuppoſitum. Patet hoc, quia ſi aliquis velit probare pluralitatem ſuppoſitorum in diuinis per nomen Elohim in plurali, & vnitatem naturæ per ſingularitatem verbi, ſcilicet, Creauit, cum poſitum fuerit verbum in plurali, probabit naturarū multitudinem, & tamen in iſta auctoritate, ſecundo Regum ſeptimo, ponitur nomen in plurali, & verbum etiam, ideo ſignificatur naturarum pluralitas, & ſuppoſitorum. Secundū patet, quia in auctoritate Eccleſiaſt. 2. ponitur nomen in ſingulari, & verbum in plurali, ſcilicet, poſt Regem, qui fecerunt eum: ergò ſignificatur vnitas ſuppoſiti, & multitudo naturæ, quod eſt abſurdum. Ideò dicendum, quòd ſi quis per illam auctoritatem: In principio creauit Deus, &c.
D velit probare iuxta Hebræos multitudinem ſuppoſitorum, & vnitatem naturæ, & inducit auctoritates ſuprapoſitas ad aliquam confirmationem ſuam, irridendus eſt, quia potius ex his probatur directè oppoſitum.

Cum autem Nicolaus tangit aliam reſponſionē Hebræorum, in Gloſſa illa Eccleſiaſt. 2. ſcilicet, Deus, & domus conſilij ſui fecerunt hominem. Et quod ex hoc innuatur Pater, qui vocatur Deus, & Filius, qui eſt domus conſilij ſui, & ſic ſit pluralitas in diuinis, dicendum, ꝙ non ſtat ratio ſua propter duo. Primo, quia non arguit nunc ex aliquo textu Veteris Teſtamenti, ſed ex Gloſſa cuiuſdam Doctoris, quæ non eſt ſolida, quia quilibet Iudæus poterit negare illam, ſicut apud nos ſunt inter Doctores multæ opiniones, & dicta Doctorum non ſunt
E ſolida, niſi per probationem ex textu Sacræ Scripturæ, vel ex aliqua ratione naturali.

Et licet dicas, quòd Iudei magis aſſentiunt Doctoribus ſuis, etiam non probantibus, quàm nos aſſentiamus noſtris. Dicendum, quòd adhuc non valet, quia ſemper adhuc licet eis contraire opinionibus illorum, ſicut patet de Rabbi Abraham Aben Ezra; qui fuit inter Iudęos ſubtilis Doctor, & tamen in multis ei repugnant. Imo eum damnant tanquam hæreticum, ſcilicet, circa Sabbathi obſeruationem, cum dicat, ꝙ licet ignem ſuccendere ad calefaciendum membra, ſed non ad parandos cibos, ita ergo licebit contraire alijs Doctoribus ſuis, quando viſi fuerint non rectè dicere.

Secundo nō concluditur, quia quamuis ex iſta Gloſſa liceret arguere, non probaretur pluralitas Deorum. Nam cum dicitur, quòd Deus, & domus cōſilij ſui fecerunt

runt hominem, non intendűt Hebræi ſignificare Filium per domum conſilij, quia volunt domum conſilij eſſe aliquid diſtinctum à Deo, cum dicant, quòd Deus ſanctus, & domus conſilij ſui fecerunt hominem, ſed ſignificant Hebræi per domum conſilij multitudinem Angelorum, cum quibus Deus videtur habere conſilium, & tractare cum eis de rebus, quas acturus eſt. Et iſtud oſtendunt Hebrei per illud, quod habetur Geneſ. 1. ſcilicet, Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram. Nam loquens eſt ibi Deus, qui vnicus eſt, & loquitur ad Angelos, & loquitur per modum conſilij, vel deliberationis cum eis, quia non dixit faciam, ſed faciamus, quaſi ex illorum conſilio, vel arbitrio aliqualiter penderet, quòd homo fieret, vel non fieret. Et iſtud verum eſt, quia Deus locutus eſt Angelis de hominis plaſmatione, ſicut ſcriptura ſignificat Deum locutum fuiſſe de hoc, quia ſecundum veritatem Deus nunquam loquitur, nec loqui poteſt.

Opinio Auctoris. q Deus locutus ſit cũ Angelis dicẽs, Faciamus, &c.

Et verum eſt, quòd Deus, & domus conſilij ſui fecerunt hominem, accipiendo largè. Nam propriè nulla actio fuit, in qua Deus, & Angeli conuenirent, quia illud eſſet ex impotentia alterius agentis, nec videtur quomodo duæ virtutes diſtantes in infinitum in vigore, & in modo operationis conuenirent in eadem operatione. ſed Angeli formauerunt, & lineauerunt quandam ſtatuam de luto, quale eſt corpus humanum, Deus autem fecit illam ſtatuam eſſe veram carnem, oſſa, & neruos, & vniuit ei formaliter animam, vt homo eſſet, & in iſta operatione Dei non communicauerunt Angeli, quia ipſi nullo modo poterant hoc operando, vel adiuuando.

Virtutes vna finita altera infinita nõ poſſũt ad inuicem cõicare.

Angeli non poſſunt mutare vnã ſpeciẽ in aliam.

Cum vero tangit Nicolaus aliam Gloſ. ſuper Pſal. 49. ſcilicet, quòd Deus in tribus proprietatibus creauit ſeculum, & vult iſtas eſſe tres proprietates conſtitutiuas perſonarum, dicendum quòd non ſtat.

Primo quia non arguitur ex textu, ſed ex Gl. quæ non eſt omnino ſolida, vt ſupra dictum eſt.

Secundo quia dato, quòd gloſſa eſſet ſolida, non tamen probatur indè, quòd ſint proprietates perſonales, cum abſolutè dicat in tribus proprietatibus, & poſſunt intelligi proprietates illæ abſolute.

Tertio patet hoc, & efficacius, quòd illæ ſint proprietates abſolutæ, quia ipſimet Iudæi dixerunt, quod tres ſint proprietates, in quibus Deus creauerat ſeculum, ſcilicet potentia, ſapientia, & bonitas.

Nicolaus autem arguit contra eos, quòd non intelligatur de iſtis abſolutis, ſed de proprietatibus perſonalibus. Sed in hoc nimis videtur errare. Primo quia cum Glo. illa ſit Hebræorum, & ipſi velint ſic intelligere dictum ſuum, non habet ipſe locum arguendi, quia licitum eſt mihi intelligere dictum meũ qualitercunque voluero, ſiue benè, ſiue malè. Secundo patet quia melius intelligitur, ſecundum quod intelligunt Hebræi, quam ſicut intelligit Nicolaus. Nam ipſi ponunt tres proprietates abſolutas, quæ non ſunt diſtinctæ realiter, quibus Deus creauit ſeculum, ſcilicet, potentiam, ſapientiam, & bonitatem. Motiuum namque Dei in ratione cauſæ impulſiuæ efficientis, & in ratione cauſę finalis eſt bonitas. De cauſa finali patet, quia finis quoddam bonum eſt, cũ bonum ſit, quod omnia appetunt 1. Ethic. bonitas ergo diuina fuit cauſa finalis creationis mundi.

Bonitas diuina fuit cauſa finalis creationis mundi, & efficiens.

Cauſa impulſiua efficiens fuit etiam bonitas, quia Deus non eſt ſicut aliqua cauſa naturalis, quæ moueatur ab alter cauſa naturali, vel ſuperiori, quia tales cauſæ agunt de neceſſitate. Etiam non fuit motus ab aliquo fine extrinſeco, qui nõ eſſet bonitas ſua, quia iſtud etiam erat imperfectionis cuiuſdam, ſcilicet, quia moueretur propter maius bonum conſequendum, nec etiam motus eſt ex inclinatione materiæ, ſed fuit impulſus a bonitate, quæ erat ſibi intrinſeca. Sic ait Plato in Timæo ſuo, & recitat poſitionem iſtam Boe. 3. de Conſola. metro. 9. ſcilicet.

Quem non externa pepulerunt fingere cauſa
Materiæ fluitantis opus, verum inſita ſummi
Forma boni liuore carens.

F Ideſt, cauſæ externæ, ſcilicet, extrinſecæ, quæ ſunt efficiens & finis extraneus non pepulerunt, ideſt, non compulerunt fingere opus materiæ fluitantis, ideſt, formare materiam fluitantem diſtinguendo eam per varias formas compoſitorum, ſed inſita ſummi forma boni, ſcilicet, forma ſummi boni, ideſt, ſumma bonitas inſita menti diuinæ carens liuore impulit Deum ad formandum materiam. Ipſa ergo fuit cauſa finalis, & impulſiua. Et ſic bonitas fuit vna de proprietatibus, quibus creatum eſt ſeculum, potentia autem, & ſapientia fuerunt aliæ duæ proprietates quaſi inſtrumentales. Nam nõ crearet Deus mundum, niſi poſſet, nec crearet, niſi ſciret, proprietates autem perſonales, quæ ſunt paternitas, filiatio, & ſpiratio paſſiua, nihil attinent ad creationem ſeculi, quia ſolum ſunt ad productiones perſonarũ, ideo dicitur, quod
G opera Trinitatis ad extra ſunt indiuiſa, ſcilicet, quòd omnes perſonæ habent eandem operationem. Si tamen relationes originis, ſiue proprietates perſonales ad hoc prodeſſent, non eſſet eadem operatio omnium, ideo iſtæ proprietates nihil attinẽt ad mundi creationem, ideo rectius dicunt Hebræi, quàm Nicolaus.

Ad aliam rationem, quam tangit Nicolaus, ſcilicet, quod intendebat Moyſes euitare idolatriam, ad quam populus Hebræorum erat pronus, dicendum, quod non ſequebatur ex tali modo loquendi occaſio aliqua idolatriæ, cum iſte modus non veniret ex aliquo myſterio, ſed ex ſola barbarie idiomatis. Et non ſolum talis modus loquendi eſſet in Scriptura, ſed etiam eſſet frequentatus apud Hebræos in vſu vulgari, non ideo turbarentur, quanquam talem modum loquendi inuenirent, nec
H putarent per hoc ſignificari aliquod myſterium pluralitatis, ſed intelligi ſingularitatem. Et ſi Moyſes deberet talem modum loquendi euitare propter occaſionem idolatriæ, potius deberent euitari alij modi, in quibus clarius periculum dabatur de credẽdo pluralitatem Deorum, ſcilicet. Peruertiſtis verba Deorum viuentium. Et illud. Non poteritis ſeruire Domino, quia Dij ſancti ipſe. Et illud. Propter quam iuerunt Dij ad redimendum ſibi. Et illud. Quis eſt homo, qui poſſit intrare poſt Regem, qui iam fecerunt eum? Nam in his omnibus apertius innuitur pluralitas Deorum, & tamen tales locutiones non euitantur in Sacra Scriptura, ſed potius frequentantur. Ideo non fuit inconueniens, quòd Moyſes poneret in iſta auctoritate Elohim in plurali, & creauit in ſingulari, & nõ intenderet per hoc ſignificare aliquod my-
I ſterium, ſed ſolum vnitatem Dei creantis. Eſſet autem cauſa errandi apud nos, ſi tales modi loquendi ponerentur in Scriptura Sacra, quia iſtas incongruitates non tolerat Latini ſermonis proprietas, ideo putarentur poſitæ ad ſignificandum aliquod myſterium.

Item quod dicit, ſcilicet, quod Moyſes locutus eſt ſic, vt ſubtiliter intelligentibus innueret ſuppoſitorum diuinorum pluralitatem, & vnitatem naturæ, non eſt veriſimile, quia iſta erat maior cauſa errandi. Nam ſi non eueniret hoc ex conditione idiomatis Hebraici, ſed poneretur propter aliquod myſterium, eſſet maior occaſio errandi, quia inter Hebræos nullus erat, qui tantam obſcuritatem intelligeret. Nam dato, quod Deus eis diceret verbis claris, quod in deitate erat multitudo ſuppoſitorum, & naturæ vnitas, non poſſent diſtinguere Hebræi inter naturam, & ſuppoſitum. Nec poſſent intelli-
K gere quomodo cum vnitate numerali naturæ ſtaret pluralitas ſuppoſitorũ, quia hoc etiam nos non valemus perfecte intelligere, quanto magis quod poneretur ſub verbis ambiguis, in quibus poſſet ſignificari pluralitas Deorum in natura, & ſuppoſitorum. Non eſt ergo intelligendum, quod talem obſcuritatem poſuiſſet eis Moyſes, potiſſime in exordio legis, ideo credendum eſt, quod nullum myſterium ſignificabatur in hac, & ſimilibus auctoritatibus.

Ad alias rationes Hebræorum, quas Nicolaus contra ſe adducit, dicendum, quòd bene concludunt. Prima eſt de ſuſcitatione Samuelis. Nam verum eſt, quod ſolus Samuel ſuſcitatus eſt, & tamen dixit mulier, vidi Deos aſcendentes de terra, ideſt, vidi Deum aſcendentem, ſ. Samuelem.

Solus Samuel ſuſcitatus, nõ v... ſed a... thon...

mueſem. Ad ſecundum de dicto Ezechi. dicendum, ꝙ etiam concludit poni numerum pluralem pro ſingulari, ſcilicet vitulum immaculatorum, ideſt immaculatũ. Ad tertium idem dicendum, ſcilicet Trahe me poſt te, Canti. 1. quia debet dici, curram in odorem vnguentorũ tuorum, & dicitur curremus. Reſponſio autem Nicolai ad primam auctoritatem non ſtat, quia vult ponere duos aſcendentes, & ſuſcitatos. Nam tenendo primam poſitionem, ſcilicet quòd aſcenderit Samuel, & cum eo Moyſes, ridiculum eſt. Primo quia mulier intendebat ſuſcitare vnum, quia dixit quem vis, vt ſuſcitem tibi? & Saul ait. Samuelem ſuſcita mihi. Non eſt ergo veriſimile, quòd duo ſuſcitarentur. Secundo patet, quia ſuſcitatione facta dixit Saul. Qualis eſt forma eius? Si tamen eſſent multi, diceret, qualis eſt forma eorum? Tertio patet, quia ſiue iſta ſuſcitatio fieret opere Dei, ſiue opere dæmonis, non ſuſcitaretur niſi vnus. Nam ſi opere dæmonis, cum eſſet voluntas Pythoniſſæ vnum ſuſcitare, ſuſcitaret vnum, ſi autem opere Dei, etiam non ſuſcitarētur duo, quia Deus volebat fieri iſtam ſuſcitationem, vt responderetur Sauli de morte ſua, & tamen vnicus fuit, qui reſpondit, ergo vnicus ſuſcitaretur. Quarto patet, quia ridicula eſt excuſatio Nicolai, & Hebræorum, ſcilicet quod Samuel ſolus vocatus eſt a mortuis, & tamen timens, quòd vocaretur ad iudicium, adduxit ſecũ Moyſen in teſtem, quòd cuſtodiuiſſet legem. Præſupponit enim multos errores iſta reſponſio. Primus eſt, quod Samuel neſciret ad quid vocaretur, ideo putauit ſe vocari ad iudicium, & tamen dicendum eſt, quod ipſe ſciuerit ad quid vocatus ſit quia neceſſe eſt, quod Deus reuelaret ei tunc illud, quod reſponſurus erat Sauli, ſ. cras tu, & filij tui mecum eritis, ſed & caſtra Iſrael tradet Deus in manus Philiſthinorum 1. Reg. 28. ſciret ergo Samuel, quòd ſuſcitabatur ad reſpondendum iſtud Sauli quærenti. Secundus eſt, quia non poterat ſuſpicari Samuel, ꝙ vocaretur ad iudicium, eo ꝙ iudicium, quod poſt mortem eſt, vniuerſale eſt, iuxta illud Iohel. 3. ſ. congregabo in vallem Ioſaphat omnes gentes, & diſceptabo cum eis, & tamen videbat Samuel, quod non ſuſcitabantur alij, ſed ipſe ſolus, & ob hoc ipſi dicunt, ꝙ vocauit ſecum Moyſen. Tertius eſt, quia vocatio ad iudiciũ vniuerſale poſt mortem fit in reſurrectione, & tunc mortui in corporibus, & animabus venturi ſunt. Samuel autem videbat, quòd non ſuſcitabatur in corpore, & anima, ideo non poterat ſuſpicari, quòd vocabatur ad iudicium. Quartus eſt, quia dato, quod vocaretur Samuel ad iudicium, non debebat timere ad hoc, quod ducere vellet ſecum teſtem innocentiæ ſuæ Moyſen, & quia Samuel erat ſanctus Propheta exiſtens in ſinu Abrahæ, & qui ibi erant ſecuri erant de ſua beatitudine, nec patiebantur aliquid mali, ideo dato, quòd deberet iudicari, non ſuſpicaretur aliquid mali contra ſe, ita vt inuocare vellet teſtem. Quintus eſt, quia omnino erat abſurdũ habere teſtem. Nam Samuel non erat reus, & non oportebat, vt produceret aliquos teſtes. Nam dato, quod nihil probaret de innocentia ſua, dum tamen non probaretur aliquid mali contra ipſum, daretur ei vita æterna, quia ad condemnationem de crimine requiruntur probationes ſolidæ, & luce clariores, potiſſime vbi tanta pœna eſt infligenda, ſcilicet æterna. Sextus quia in iudicio Dei non ſunt neceſſarij teſtes, immo nullus vſus teſtium eſt, quia Deus omnia clara videt, cum omnia ſint nuda oculis eius ad Hebræ. 4. & in omni loco oculi Domini contemplantur bonos, & malos Prouer. 15. Etiam quia ipſe dixit, ego ſum teſtis, & iudex dicit Dominus Iere. 39. Meſſias etiam facit hoc, quia in iudicio ſuo non vtitur teſtibus, iuxta illud Iſaiæ 11. ſ. non ſecundum viſionem oculorum iudicabit, nec ſecundum auditum aurium arguet, ſed iudicabit in iuſtitia, a fortiori ergo in iudicio vniuerſali, in quo Deus iudicat in maieſtate ſua, nõ erit vſus teſtium. Septimus eſt, quòd ſi eſſet vſus teſtium, non proficeret ei inuocare Moyſen in teſtem, qui eſſet ſingularis inductio, & ſecundum legem teſtimonium viuus hominis nullum erat ad faciendum planam probationem, potiſſime in rebus grauis præiudi-

Teſtes ſuperuacui ſunt in iudicio Dei.

A cij, vt colligitur Numeri 35. & Deut. 19. & tamen dicunt, quòd adduxit ſolum Moyſen ſecum, ideo non erat hoc veriſimile. Octauus eſt, quod ſignificatur in reſponſione iſta, ꝙ fuerit liberum Samueli ducere ſecum Moyſen. Nam dicunt, ꝙ timuit, ideo duxit ſecum Moyſen, quaſi eſſet hoc in poteſtate ſua, & tamẽ falſum eſt, quia non erat in poteſtate Samuelis deducere Moyſen, nec erat in poteſtate Moyſis exire de ſinu Abrahæ, quia animæ corpore ſolutæ ſunt in receptaculis certis, & nõ eſt eis liberum inde exire, quia iam nõ ſunt in arbitrio ſuo. Nonus eſt, quia dicunt, ꝙ induxit Moyſen, vt teſtificaretur de cuſtodia legis. Sed hoc non poterat facere Moyſes, quia Moyſes non viuebat, quando viuebat Samuel, ita vt teſtificari poſſet de eis, quæ fecerat Samuel, ſed B melius poterant teſtificari alij, qui fuerant tempore Samuelis. Nam Moyſes neſciebat aliquid de his, quæ fecerat Samuel, niſi ei reuelaretur a Deo.

Animæ ſolutæ corporibus non habẽt in poteſtate ſua exire de ſuis receptaculis.

Decimus eſt, quia non eſt veriſimile, ꝙ Moyſes eſſet ſuſcitatus cum Samuele, quia Moyſes maximæ auctoritatis inter Prophetas omnes erat, quia non ſurrexit ei Propheta ſimilis: Deut. 34. Etiam, quia fuit legiſlator, & in hoc excedebat omnes Hebræos, ideo ſi ipſe fuiſſet ſuſcitatus cum Samuele, ipſe fuiſſet principalis, & ipſe fuiſſet locutus ad interrogationem Pythoniſſæ, & tamen reſpondit Samuel, ideo videtur, quòd non ſuſcitatus eſt cum eo Moyſes. Et ſic poſitio iſta ridicula eſt.

Alia poſitio erat ſecundum Auguſtinum, ſcilicet ꝙ non ſuſcitatus eſt Samuel verè, ſed magice factum, ꝙ dæmõ familiaris mulieri Pythoniſſæ appareret, & quę-C dam vmbra repræſentans Samuelem.

Dicendum tamen, quòd non ſtat, quia neceſſe eſt poni, quòd verè fuerit ſuſcitatus Samuel, vt probatum eſt latiſſimè 1. Reg. 28. & tamen in hoc non erat intentio noſtra, quia ſiue eſſet ſuſcitatus Samuel, ſiue dæmon loco eius, dum tamen eſſet vnicus, qui appareret, eſt dicendum, quòd etiamſi iſte eſſet dæmon, vnicus erat, vt patet ex rationibus ſupra allegatis, ſcilicet Pythoniſſa vnicum voluit ſuſcitare. Etiam quia Saul vnicum petijt ſuſcitari, ſcilicet Samuelem: ergo Pythoniſſa ſuſcitaret illum, vel alium loco eius, & non plures, & tamen dicitur ibi, vidi Deos aſcendentes de terra, & poſtea ſequitur, qualis eſt forma eius? quaſi eſſet vnicus, & ſic mutatur numerus.

Opi. Auguſt. falſa eſt circa ſuſcitationẽ Samuelis.

Ad aliam auctoritatem Ezechielis de vitulo quando dicit, quòd ponitur ibi tamimim, ideſt immaculatorum, & non in accuſatiuo, dicendum, quòd iſta eſt fictio. Nã nihil tale fiebat ſecundum legem, ſcilicet quòd pone-D rentur duodecim vituli pro toto anno in vno loco, & inde tollebatur vnus. Nam licet quolibet menſe in principio vnus immolaretur, tamen non cuſtodiebantur iſti duodecim ſic, quia quotidie offerebantur multa ſacrificia in templo, & non fiebat talis cuſtodia. Sed dato, quod concederemus fieri talem cuſtodiam vitulorum, adhuc non ſtat ille ſenſus Nicolai, quia ſi poneretur tamimim in genitiuo plurali, non eſſet adiectiuum illius nominis vitulum, ſed per ſe ſubſtantiaretur, & tunc neceſſe eſſet, vt poneretur ibi dictio ſignificans habitudinem caſualem, & non ponitur. Nam in Latino, & Græco variantur nomina per caſus, & quilibet caſus ſignificat rem ſub alia, & alia habitudine, quam alius caſus. In Hebræo autem nulla dictio habet caſus, ideo ad ſignificandas habitudines caſuales, pręponuntur nominibus E ſingulis habitudines aliquæ, vt cognoſcantur caſus, & hoc verum eſt in ſubſtantiuis, in adiectiuis autem non ponuntur, quia adiectiua ſunt in eiſdem caſibus, in quibus ſubſtantiua, & tamen tamimim non ponitur ſub aliqua habitudine genitiui, ſed abſolute, ideo neceſſe eſt, ꝙ ſit accuſatiui caſus, & adiectiuatum cum illo nomine vitulum, & tamen variatur numerus, quia deberet poni in ſingulari.

Ad tertiam auctoritatem Cãti. ſcilicet Trahe me poſt te, &c. dicendum, ꝙ bene variatur ibi numerus, & quando dicit Nicolaus, quod non mutatur, quia loquitur de ſynagoga, dicendum, ꝙ circa intellectionem libri Canticorum, de quo intelligatur, & an ſemper de vno, vel

de pluribus,eſt maior quæſtio, quã ſpectet ad præſens, potiſſimè,quia ex illa non pendet ſolutio dubij præſentis,& tamen dato, quòd intelligatur de ſynagoga mutatur numerus, quia verũ eſt , quòd ſynagoga multos cõtinet, & tamẽ ipſa accipitur,vt vnum corpus,ſicut quęlibet vniuerſitas, & tunc damus ei perſonam, & debet loqui vt vnus,& ſic locuta eſt,cũ dixit , Trahe me poſt te: cum autem dixit: Curremus in odorem,neceſſe eſt,ꝙ intelligatur de multis diſtinctis,& ſeparatis, & tunc loquuntur non vt ſynagoga , ſed vt ſinguli,& hoc nõ ſtat, ideo dicendum, quòd improprietas eſt locutionis . Ex his apparet, quòd ex Veteri Teſtamento ſaltem ex illis auctoritatibus , quæ communiter inducuntur,nõ poteſt probari perſonarum pluralitas in diuinis.

CONCLVSIO SECVNDA.

Auctoritates ad probandum Patrem , & Filium, & Spiritum ſanctum in vnitate eſſentiæ,quæ vulgo adducuntur ex Veteri Teſtamento,non probant diſtinctè.

SEcunda concluſio eſt, licet ex ſcripturis Veteris Teſtamenti poſſit probari perſonarum diuinarum pluralitas , nullo modo tamen probari poteſt diſtinctè Trinitas . Ad huius euidentiam conſiderandum, quòd quidam putant ſe ſufficienter probare Trinitatem perſonarum diuinarum ex multis auctoritatibus , quarum aliquas allegat Magiſter diſt. 2. primi Sent. eſtque vna, quæ habetur Pſalmo 32.ſcilicet, Verbo Domini cęli fir-
Pſal.32. mati ſunt,& ſpiritu oris eius omnis virtus eorum . Ecce ibi deſignantur tres perſonæ in creatione , ſcilicet,Dñs, & verbum eius,& ſpiritus eius. Verbum filius eſt,& ſpiritus eſt ipſe Spiritus ſanctus . Dominus autem eſt ipſe pater.Ecce ergo non ſolum poſita eſt perſonarum Trinitas,ſed etiam quaſi ipſa tria nomina perſonalia.

Pſal.66. Secunda auctoritas ad Pſal.66. ſcilicet,benedicat nos Deus,Deus noſter, benedicat nos Deus, & metuãt eum. In hoc autem,quòd ter nominatus eſt ibi Deus cum eodem verbo benedicat , videtur ſignata natura vnica in diuinis, & perſonarum pluralitas,ſcilicet,Trinitas.

Iſaias 6. Tertia auctoritas eſt Iſa.6. cum vidit Iſaias Seraphin clamantia Sanctus,Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth , & refertur ibi ad Deum, & vocatur ter ſanctus : ideo videtur ſignificari vnitas naturæ, cum dicitur Dominus Deus,& perſonarum Trinitas inquantum ter dicitur Sanctus.

Quarta auctoritas eſt quantum ad duas perſonas , ſcilicet, patrem , & filium Pſal.2.ſcilicet, Dominus dixit
Pſal.2. ad me , filius meus es tu, ego hodie genui te. Ibi agitur de Meſſia , & Deus dicit ad eum , filius meus es tu,ego hodie genui te , & ſic Deus habet filium , & tamen pater , & filius in diuinis non ſunt duo Dij , quia vnicus Deus omnium eſt , ideo eſt vnitas eſſentiæ,& perſonarum pluralitas.

Iſa.53. Quinta auctoritas eſt de filio, & patre Iſa.53. ſcilicet, Generationem eius quis enarrabit ? Et agitur de Meſſia ibi,ideo Meſſias eſt Deus, quia aliàs generatio ſua poterat enarrari , ſi eſſet humana , & cum ſit genitus neceſſe eſt,quòd ab altero ſit genitus, ideo neceſſe eſt ſaltẽ duas eſſe perſonas diuinas,ſcilicet, patrem,& filium.

Prouer.8 Sexta auctoritas eſt Prouer.8.vbi ponitur etiam generatio filij , ſcilicet , Dominus poſſedit me ab initio viarum ſuarum,à principio, & ab æterno ordinata ſum, & intelligitur de filio , qui eſt ſapientia genita . Nam ibi dicitur,nõdum erant abyſſi,& ego iam concepta eram , ante colles ego parturiebar,& dicit ſe iſta ſapientia conceptam, vel genitam ab æterno, ideo erit aliquid diuinum , & conſequenter perſona diſtincta à concipiente , vel gignente.

Eccle.24. Septima auctoritas Eccle.24. ſcilicet . Ego ſapientia ex ore altiſſimi prodij primogenita antè omnem creaturam. Ecce ergo ſapientia nata eſt,& ab æterno,ideo erit perſona diſtincta a gignente . Nam non poteſt intelligi F de ſapientia eſſentialiter ſumpta,quia illa non concipitur,nec gignitur.

Octaua auctoritas eſt de alia perſona, ſcilicet, Spiritu ſancto Geneſ.1. ſcilicet , Spiritus Domini ferebatur ſu- Geneſ.1.
per aquas.Et loquitur de Spiritu ſancto.

Nona auctoritas Pſal.138. ſcilicet , quo ibo à ſpiritu Pſal.138.
tuo,ſcilicet,à Spiritu ſancto, quaſi dicat, non poſſum ab illo fugere, quia vbique eſt.

Et Sapientiæ primo. Spiritus ſanctus diſciplinæ effu- Sap.1.
giet fictum,ecce vocauit ibi Spiritum Sanctum . Et Iſa. Iſai.61.
61. dicitur Spiritus Domini ſuper me , eo quòd vnxerit me , ille autem eſt Spiritus Dei Sanctus, qui eſt perſona tertia in Trinitate.

Alias auctoritates addit Nicolaus in libello,quem fecit contra Iudæos,& eſt vna.Pſal.44.ſcilicet . Sedes tua Pſal.44.
Deus in ſęculum ſęculi, virga directionis virga regni tui , ecce loquitur ibi Propheta ad Deum cum dicat ſe-
G des tua Deus , & poſtea ſequitur,Dilexiſti iuſtitiam,et odiſti iniquitatem , propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ.Ecce ergo Deus erat vnctus à Deo. Sed non eſt eadem perſona vngens , & quæ vngitur, ideo erant ſaltem duo Dij , vel duæ perſonæ diuinæ,& quia Deus vngens repetitur ibi , cum dicatur propterea vnxit te Deus,Deus, tuus ſignificantur duæ perſonæ,ſcilicet,pater vngens,& Spiritus ſanctus,per quem fit vnctio.

Alia auctoritas eſt Pſal.109. ſcilicet , Dixit Dominus Pſal.109.
Domino meo ſede a dextris meis , ibi ſignificantur duæ perſonę,ſcilicet,Deus qui loquitur,& Dominus,ad quẽ loquitur. Et neceſſe eſt,quòd diſtinguãtur realiter,quia aliàs non diceretur vnus ſedere ad dexteram alterius ,
H cum idem non ſedeat ad dexteram ſui ipſius , & neceſſe eſt,quòd intelligatur de Deo gignente, & de Deo genito, cum ibi dicatur antè luciferum genui te, ideſt,antequam eſſet lucifer matutinus . Illud autem non poteſt intelligi de aliquo homine,quia omnes ſunt geniti poſt luciferum, ideo intelligitur de filio Dei, qui genitus eſt ab æterno.

Alia auctoritas eſt Iſa.47.ſcilicet. Non à principio in Iſa.47.
abſcondito locutus ſum,ex tempore antequam fieret ibi eram,& nunc Dominus miſit me,& Spiritus eius, & tamen iſta verba ſunt Dei,vt patet ex litera præcedenti,et ex litera ſequenti , ſcilicet , hæc dicit redemptor tuus ſanctus Iſrael.Ecce ergo ponuntur hic tres perſonæ diuinæ,ſcilicet,Deus, qui loquitur, & duæ perſonæ mittentes,ſcilicet,& nunc Dominus miſit me,& Spiritus eius,
I & ſic erunt hic tres perſonæ, ſcilicet pater , & Spiritus ſanctus mittentes,& filius miſſus.

Alia auctoritas eſt Eccle.4.ſcilicet . Funiculus triplex Eccle.4.
difficile rumpitur. Et ibi dicunt Glo. Hebraicæ antiquũ myſterium trini,& vnius difficile diſcutitur,licet Iudæi moderni retorqueant hanc Glo. ad tria attributa diuina, ſcilicet,poteſtatem,ſapientiam,bonitatem.

Reſpondendum, quòd iſtæ auctoritates , vel aliquæ illarum aliqualiter hoc perſuadent,& tamen,quòd omnino probent,ita quòd recipiens Sacram Scripturam tãquam ſolidam nullo modo dubitare poſſit de Trinitate perſonarum non eſt verum , quia poſſent deduci ad alium ſenſum.

Ad primam dicendum,quòd non ſolum non probatur hic Trinitas , imò etiam non intelligitur auctoritas
K de Trinitate perſonarum , ſed ſolum ſignificatur vnus Deus,non ſub ratione alicuius pluralitatis.Et cum dicitur,verbo Domini cęli firmati ſunt,eſt ſenſus,quòd tanta fuit poteſtas Dei , quòd non fabricauit aliquid manu ſicut artifices,nec per tempora aliqua expectauit,ſed ſolum iuſſit,vt omnia fierẽt,& facta ſunt,iuxta illud Pſal. Pſal.148.
148.ſcilicet.Quoniam ipſe dixit,& facta ſunt,ipſe mandauit, & creata ſunt . Iſtam ſententiam repetiuit Dauid eodem verſu. Nam cũ dicitur,& ſpiritu oris eius omnis virtus eorum.Idẽ eſt ac ſi dicatur verbo Domini cęli firmati ſunt,quia ſpiritus oris,& verbum idem ſunt. Nam verbum vocatur ſpiritus , quia ſpiratur , ideſt , flatur . Nam flatus formatur,& fit verbum,& iſta repetitio ſententiæ per alia verba fit ad pulchritudinem,& cõſueuit ſæpè fieri in canticis , & prophetijs , & maximè in Iſaia

ſicut

2.Re. 20. 3.Re.12.

ſicut patet 2.Reg.20.& 3.Reg.12.quæ nobis pars in Dauid,& quæ hæreditas in filio Iſai? Et eſt eadem ſententia,quia Dauid, & filius Iſai idem eſt, cum Dauid eſſet filius Iſai,& pars,& hæreditas etiam idem ſunt, ſed eſt pulchritudo quædam in repetitione hac.

Item patet, quod non poſſet intelligi hoc de Spiritu Sancto, quia licet Spiritus Sanctus vocetur ſpiritus,tamen non vocatur ſpiritus oris, eo quód iſtud pertinet ad filium,cum filius ſit verbum, & dictus, ſed Spiritus Sanctus non eſt verbum, nec procedit per modum dicti, quæ eſt conceptio intellectus, ſed per modum voluntatis. Accipitur ergo vtrunque pro verbo vocali tanquam Deus loqueretur iubendo, quod omnia fierent, & tunc fierent.

Qđ repetitio nominis dei nõ arguit trinitatẽ perſonarum.

Ad ſecundam auctoritatem Pſal.66.dicendum,quód nihil probat. Nam licet ibi repetatur ter nomen illud Deus, non probatur Trinitas perſonarum diuinarum, nec Deorum,quia tunc,ſi ponatur quater nomen Dei,ſignificabuntur quatuor perſonæ diuinæ, & hoc eſt abſurdum, & tamen interdum repetitur ſæpé iſtud nomen Deus in eadem ſententia.

Etiam non conuenienter infertur hinc aliquid, quia oportebat, quod cum eodem verbo non repetito poneretur ter Deus. Nam omnes tres perſonæ diuinæ ſunt vnus Deus numero, ideo vnicus actus ei competit. Et ſic vnicum verbum in ſingulari competit eis, verbum autem repetitum ſingularis numeri æquiualet verbo pluralis numeri nõ repetito, ideo non probatur aliquid hinc. Item patet hoc,quia dicitur:Benedicat nos Deus, & repetitum eſt Deus noſter, & tamen ad ſignificandum tres perſonas, deberet poni Deus ter ſine aliquo adiuncto facto terminis, vt ſic videretur,quod non repetebatur terminus ad addendum, ſed ad ſignificandum rem diſtinctam, vt ſi diceretur. Benedicat nos Deus, Deus, Deus, & metuant eum omnes fines terræ. Ad tertiam auctoritatem Iſa.6. cum vidit Seraphin clamantia Sanctus, Sanctus, Sanctus ter, dicendum,quod non ſignificatur in hoc aliqua pluralitas perſonarum diuinarum,ſed ſolum ſignificabatur, quod laus illa diuina repetebatur ſæpé. Nam die, & nocte non habebant requiem dicentia, Sanctus, Sanctus,vt patet Apoc. 4.ergo non ſolum ter,ſed etiam pluſquam milleſies dicebant Sanctus,Sanctus.Quod autem iſtam multiplicatam repetitionem eiuſdem ſignificaret Iſaias dicendo potius ter Sanctus quam plures, non fuit ex aliquo myſterio, ſed à caſu, quia ita poterat dixiſſe quater, vel quinquies. Ad quartam auctoritatem dicendum, quod ſecundum veritatem Pſal.illius 2. ſcilicet quare fremuerunt, de Chriſto Meſſia intelligitur. Sic enim intellexerunt Apoſtoli,& illi,qui nouiter erant conuerſi ad Chriſtum, vt patet Actu. 4. ſcilicet Deus,qui ſpiritu tuo per os Dauid pueri tui dixiſti,quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania, aſtiterunt Reges terræ, & principes conuenerunt in vnum, aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius. Conuenerunt enim vere in ciuitate iſta aduerſus ſanctum puerum tuum Ieſum. Et tamen non ex hoc conſtat manifeſte contra Iudæos, vel quoſcunque alios recipientes ſcripturam Veteris Teſtamenti,quod intelligatur de Meſſia,& quod ille eſſet filius Dei.Et quando dicitur in eodem Pſal.Ego hodie genuite,ideo quód Deus habeat filium,dicendum, ꝙ non ſequitur ex hoc,quód Deus habeat filium,qui ſit Deus, ſed poteſt intelligi de aliquo homine, ſ. de Dauid, qui vocabitur filius Dei non naturalis,ſed adoptiuus.Sic.n. Deus vocat alios filios,vt patet.Exo.4.ſ. filius primogenitus meus Iſrael,dimitte filium meum,vt ſeruiat mihi, ecce vocauit Iſrael filium ſuum, & à ſe genitum, ita de Dauid,dicetur,quód Deus genuit eum quando eũ exaltauit,& illo die dicetur genitus. Ad quintam auctoritatem de filio:Iſa.53. ſcilicet generationem eius quis enarrabit?quod dicunt intelligi de generatione æterna,quia illam nullus poteſt enarrare.

Apoc.4. — Act.4. — Exod.4.

Dicẽdũ, ꝙ etſi intelligeretur de generatione æterna, non tñ conſtat, an de illa intelligatur, & conſequenter non conſtat,ꝙ Deus habeat filium,qui ſit Deus:intelligunt tamẽ communiter hoc de Meſſia temporaliter nato,quia nullam aliam generationem concedunt. Et cum probatur, quod intelligatur de generatione æterna,quia dicitur, Quis enarrabit?& tamen temporalem generationem enarrare poſſumus:dicendum, quod non ponitur ſemper talis locutio pro impoſſibili, ſed frequenter pro difficili. Et ſic verum eſt,quod generatio Meſſiæ ſecundum carnem difficilis eſt enarrari, quamquam poſſit enarrari.Et patet hoc ex dicto Hieronymi, quod recitatur per Magiſtrum diſtinc. 5. primi Sententiarum,ſcilicet.Sæpé ponitur quid pro difficili,& non pro impoſſibili,vt illud:Generationem eius quis enarrabit?In quo apparet manifeſte, quod voluerit intelligere de temporali generatione, quia aliàs erat impoſſibile enarrari illam.Idem modus loquendi patet per Iſa.53.c.ſ.Quis credidit auditui noſtro, & brachium Domini cui reuelatum eſt?Et tamen manifeſtum eſt,quód aliqui credebãt auditui Prophetæ.Patet hoc ad Rom.10. vbi Apoſtolus allegat auctoritatem iſtam, & dicit. Non omnes credunt Euangelio. Et probat hoc auctoritate iſta Iſa. ſcilicet. Quis credidit auditui noſtro. Et ſic ſignificauit per hoc,quod aliqui credebant, licet non omnes, & ſic aliquid poteſt enarrari de generatione Chriſti, licet plene non enarretur, & ſic intelligebant Iudæi iſtam auctoritatem,& ſic difficile putabant eſſe, quod quis cognoſceret generationẽ Meſſiæ,& ob hoc putabant,quod quando veniret Meſſias, pauci cognoſcerent eum, & neſcirent de qua progenie eſſet. Sicut patet Ioan. ſeptimo,capitul. ſcilicet, Chriſtus cum venerit,neſcimus vnde ſit, ſed hunc ſcimus,vnde ſit, ideo cõcludebant, quod non erat Meſſias.

Iſa.53. — Rom.10 — Ioan.7.

Vel poteſt intelligi generatio, non pro genitura, ſed pro operatione,& ſic dicuntur generationes alicuius operationes eius. Sic patet Geneſ. 36. de Iacob cum dicitur: Habitauit Iacob in terra Chanaan in qua habitauit pater ſuus,& hæc ſunt generationes eius, & tamen immediate ſequitur hiſtoria de Ioſeph, & mala, quæ paſſus eſt Iacob cum domo ſua,& nihil ponitur de generationibus eius,ideo ponitur ibi generatio pro operatione, & paſſione:& ſic ponitur hic, Generationem eius, quis enarrabit?id eſt,quis enarrabit mala,quę paſſus eſt Meſſias,& bona,quæ fecit,& tanta fuerunt, quod nullus ea enarrare poteſt. Sic enim dixit Ioan.20.cap. Multa alia fecit Ieſus,quæ in hoc libro ſcripta non ſunt: & non ſolũ non ſcripta fuerunt, quaſi Euangeliſtæ voluerint ea omittere,ſed quia etiamſi vellent non poſſent illa ſcribere, vt patet Ioan.21.ſcilicet. Sunt & multa alia,quæ fecit Ieſus,quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt, libros. Rectè ergo dicitur,quod generationem Meſſiæ, id eſt, actus eius nullus enarrare poteſt. Et iſte ſenſus conſonat, magis illi literæ, quam accipiendo generationem pro genitura, eo quod ibi fit mentio de actibus mirabilibus Meſſiæ,ſcilicet, ſicut ouis ad occiſionẽ ducetur,& quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum,& de anguſtia, & iudicio ſublatus eſt. Et multa alia.Et tunc ſequitur: Generationem eius quis enarrabit? quaſi dicat,quis enarrabit actus eius?ſcilicet, tam mirabiles ſunt, quod nullus ſufficienter illos enarrare poſſit. Aliter poteſt dici, quod accipiatur generatio pro progenie ab eo deriuanda,ſ. generationem eius, quis enarrabit?id eſt, quis poterit enarrare multitudines ſtirpis Meſſiæ? Multos enim filios generabit per adoptionem, vel doctrinam legis. Nam qui docetur ab alio filius eius vocatur in ſcriptura,cum dicat Apoſtolus: Per euangelium ipſe vos genui,ad Corinth. primo capit. Etiam dicit. Filii mei, quos ego quotidie parturio, donec formetur in vobis Chriſtus ad Gala.4.& ſic Chriſtus per paſſionem ſuam dedit initium euangelicæ legi,in qua fuerunt plurimi ſequaces,qui omnes vocantur filii eius. Et iſta generatio ſua non poteſt enarrari, quia nemo poteſt enarrare omnes homines,qui fuerunt a principio,& erũt vſque ad finem ſeculi ſub Chriſti lege. Et iſte ſenſus cõuenit literę. Nam poſtquam ponitur paſſio Chriſti, ſubditur: Generationem eius quis enarrabit? eo quod generatio

Generatio plerũque accipitur pro operatione. — Gen.36.

tatio illa ventura erat propter paſſionem Chriſti. Nam ſi Chriſtus non fuiſſet mortuus, non accepiſſent vigorē Sacramēta legis ſuæ, nec fuiſſet publicata lex, ſicut fuit. Item patet hoc efficacius, quod accipiatur generatio ſic, quia eod. c. poſtquam poſitum eſt de paſſione Meſſiæ, & dictum eſt, generationem eius quis enarrabit, ſequitur. Si poſuerit pro peccato animam ſuam videbit ſemē longæuum, & voluntas Domini in manu eius dirigetur. Illud ſemen longæuum, quod habiturus erat Meſſias, erat generatio eius, & valde cōuenit, quia dr̃ generationem eius quis enarrabit? Et dicitur videbit ſemen longæuum: nam ſemen longæuum non enarrari poteſt.

Si autem aliquis vellet intelligere de generatione æterna Chriſti, non loqueretur aliquid ad propoſitum, quia in toto illo cap. agitur de paſſione Chriſti. Quid ergo intermiſceretur vnum verbum de generatione eius æterna? quia nihil faciebat ad ſententiam, ideo exponenda eſt auctoritas, vt ſupra. Ad ſextam auctoritatem dicendum, quòd illud non intelligitur de ſapientia genita, quæ eſt filius, ſed de ſapientia Dei, quæ eſt ſubſtantialis diuina, vel humana, & creata. Et cum dicitur, ꝙ illa genita eſt, & non competit hoc ſapientiæ ſubſtantiali, quia illi, nec gignit, nec gignitur, dicendum ꝙ iſta ponuntur figurate in Sacra Scriptura. Nam ſi proprie acciperentur iſta verba, multa eſſent ibi, quæ non conuenirent ſapientiæ diuinæ. Nam dicitur: Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum. Et tamen ſapientia diuina genita non poſſidetur, cum non poſſit a Deo poſſideri, niſi quod extra ipſum eſt, ſcilicet res creata; ſicut etiam homo non poteſt poſſidere aliquam partem corporis ſui: nam nemo eſt Dominus membrorum ſuorum, vt patet. ff. ad legem Aquili. in l. liber homo. Item dicitur ibi. Cum eo eram cuncta componens, & delectabar per ſingulos dies, ludens coram eo, ludens in orbe terrarū, & delitiæ meæ eſſe cum filijs hominum. Manifeſtum eſt tamen, quod in illa beata Trinitate inter perſonas diuinas nihil tale eſt, ſcilicet ludus. Nec eſt etiam delectatio, illius ſapientiæ diuinæ genitæ eſſe cum filiis hominum, quia delectatio Dei in ſeipſo eſt, quia eſt ſimplex, & vnica, & ſemper eadē, vt patet 7. Ethic. in fine. Et ob hoc ſemper voluptuoſus eſt, vt patet 12. Metaphy. ſed eſt Metaphora quædam de ſapientia tanquam ſapientia ſit aliquid creatum a Deo, quod Deus a principio creauerit, & fuerit cum eo in formatione rerum. Et patet, ꝙ loquitur de ſapientia creata, quia ipſamet ſapientia vocat nos ad ſe, vt ſequamur eā, & apprehendamus, & tñ non poſſumus apprehendere ſapientiā increatā ſiue genitam ſiue ingenitā, quia illa habitat lucē inacceſſibilē, & nullus hominū ad eam acceſſit videndo, nec accedere pōt, vt patet prima ad Timoth. 6. Et de hac ſapientia facit Proſopopeiam fingendo ei perſonā, cum perſonā non habeat. Et quia principium hominis eſt per natiuitatē & generationem, dicitur ſapientia concepta, ſ. necdum erant abyſſi, & ego iam concepta erā. Et rurſus. Ante colles ego parturiebar. Ad ſeptimam auctoritatem reſpondendum eſt ſicut ad præcedentem, ſ. ego ſapientia ex ore altiſſimi prodii primogenita ante oēm creaturā, ecce ſapientia vocat ſibi de numero creaturarum, & tñ dicit ſe primogenitam ante omnē creaturam, quia neceſſe erat, ꝙ ſapientia præcederet oēm creaturā, quia Deus creauit omnia in ſapientia, vt patet Pſal. 103. ſ. Omnia in ſapiētia feciſti, impleta eſt terra poſſeſſione tua, ideo oportebat, ꝙ ſapientia præcederet alia. Et quia ſi ſapientia poneretur creata, quæreretur de ipſa, an tamen ſapiētia creata eſt, & neceſſe erat dici, ꝙ non, & ſic ſola ſapiētia creata ſit a Deo inſipienter, ideo non dixit ſcriptura illam creatam a Deo, ſed dixit, ego ex ore altiſſimi ꝓdii primogenita ante omnē creaturam. Et tñ ſapientia illa creata eſt, quia de ipſa dr̃ ibidem ꝙ ſequamur eam, & tamen non poſſumus eam comprehendere niſi ſit ſapientia creata, illa enim ſola nobis communicatur.

Pſal. 103.

Error Ra. Salomon. de Meſſia

Ad octauam auctoritatem de Spiritu ſācto, cū dicitur Spiritus Dñi ferebatur ſuper aquas, dicēdum, ꝙ non intelligitur de Spiritu ſancto. Pro quo ſciendum, ꝙ iſtā auctoritatem intellexit Rab. Sal. de ſpiritu Meſſiæ, & putabat Meſſiam eſſe purum hominem, & ſpiritum ſuum ferri a principio ſuper aquas. Sed iſta inſania eſt, quia præſupponit, quod Meſſias erat purus homo, ſicut vnus noſtrum, & tamen credidit, quod ſpiritus mouebatur ſuper aquas a principio creationis ſæculi. Et iſtud non habet aliquam apparentiam, quia anima non formatur ante corpus, ſed corpore organizato infunditur in illud, & tamen Meſſias ſecundum eum nondum venerat, & ſpiritus ſuus ab initio creationis ſæculi ferebatur ſuper aquas. Item etiam fatuia eſt, quod dicamus animā aliquā ferri ſuper aquas, ſi nihil apponatur ad quid ferretur ſuper illas, ideo iſtud tanquam ridiculum excludendum eſt. Doctores autem noſtri, ſcilicet, Auguſtinus, & alii antiqui, & communiter moderni intelligunt hoc de ſpiritu Dei, & de cogitatione ſua, quæ ferebatur ſuper aquas. Nam nomine aquarum intelligebatur tota materia, quæ erat informis, apta tamen, vt inde aliquid formaretur.

Et ſicut artifex antequā de materia aliquid efficiat, cogitat quid de ſingulis eius partibus faciat, & tunc cogitatio ſua fertur ſuper materiam, ita cum Deus de materia informi formaturus eſſet omnia, quæ ſunt nunc in vniuerſo, cogitabat quid de materia efficeret. Et tunc cogitatio ſua, ſiue ſpiritus ferebatur ſuper aquas, id eſt, ſuper materiam, quæ nomine aquarum deſignatur. Dicendum tamen, quod iſto modo non concluditur Spiritus ſanctus perſona trinitatis, ſed vocabitur ſpiritus Dei cogitatio ſua, vel intellectus. Et ſi velis dicere, quod ille ſpiritus, quo Deus omnia cogitabat, erat Spiritus ſanctus non ſtat, quia cogitare pertinet ad ſapientiam tanquam ad habitum, & ad intellectum tanquam ad poteſtatem. Filio tamen in diuinis competunt iſta, quia ipſe vocatur ſapientia genita. Ipſe etiam genitus eſt per modum intellectus, cum vocetur verbum patris, & vocatur etiam ars patris, ſed Spiritus ſanctus eſt amor, & productus per modum voluntatis, ad voluntatem autem non pertinet conſiderare, ſed ad intellectum, ideo non ferebatur Spiritus ſanctus ſuper aquas, ſed magis filius ferretur. Non ergo poteſt intelligi de Spiritu ſancto. Nec etiam poteſt intelligi de ſpiritu, id eſt, cogitatione Dei, quod ferretur ſuper aquas, id eſt, ſuper materiam primam, cogitando, quid de illa faceret. Sed dicēdum, quod intelligitur de quodam vento miſſo a Deo ſuper aquas ad deſiccandum illas, vel ſaltem ad deſiccandum terram ſeparatis aquis à terra. Pro quo ſciendum, quod quādo Deus creauit ab initio elementa, non erant bene diſtincta loco, ſed aqua operiebat totam ſuperficiem terræ in circuitu, Deus autem voluit diuidere aquas a terra, vt maneret per ſe terra diſcooperta ad vitam animalium, & aqua cederet in cōcauitates terræ. Et ad diuiſionem iſtam faciendam, & ad deſiccandum terram, miſit Deus ventum fortem, ſcilicet, Aquilonem vrentem qui deſiccaret aquas, & ſuperficiem terræ diſcoopertam aquis. Et de hoc dicitur, ſpiritus Domini, id eſt, ventus miſſus a Domino, ferebatur ſuper aquas, id eſt, flabat, vel mouebatur ad deſiccandū eas. Et iſta ſententia ſatis conuenit, quia ſpiritus propriè ſignificat ventum, quia ſpiritus a ſpirando, id eſt, flando dicitur. Et magis propriè dicitur ſpiritus ipſe ventus, quam ſpiritus, id eſt, anima, quia non vocatur anima ſpiritus, niſi inquantum putabatur ab antiquis, quod anima erat flatus noſter, vt patet Sapien. 2. ſcilicet, quia extinctus cinis erit corpus noſtrum, & ſpiritus diffundetur tanquam mollis aer. Sic etiam accipitur ſæpe in Scriptura, vt patet Pſal. 10. ſcilicet, Spiritus procellarū pars calicis eorum, id eſt, ventus impetuoſus, qui eſt procella, & Pſal. 148. dicitur, & ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius, id eſt, ventus tēpeſtuoſus obedit ei. Sic patet in alia litera, quę dicit, & ventus turbo, qui facitis ſermonem eius, vbi nos dicimus ſpiritus procellarum, quæ faciūt verbum eius. Ecce accipietur ſpiritus, id eſt, ventus. Et vocatur ſpiritus Domini, id eſt ventus miſſus a Domino, quia ipſe eū miſit miraculoſe ad deſiccandum terram. Item patet, hoc, quia tunc ſtat litera magis plana, cum dicatur, ꝙ ferebatur ſuper aquas, ſ. quia ſecundum veritatem ventus

Spiritus propriè ſignificat ventum.

Aia cur ſpiritus dicitur.

tus

tus ille mouebatur ſuper aquas. Si autem acciperetur eo modo, quo acceperunt illi Doctores noſtri, videretur eſſe metaphora vocando materiam primam aquas, & vocando cogitationem Dei de materia, ferri ſpiritum ſuper aquas. Et tamen nunquam recedendum eſt à cortice literæ, quantum potuerit ſuſtineri ſententia in cortice literæ. Item patet efficacius iſta ſententia ex litera hebraica, vbi dicitur ventus Domini ſiue ſpiritus Domini flabat ſuper faciem aquarum. Nam habetur ſic. Ruach Elohim merachepſeth ghal pene ſcamaim. Et tamen meraclepſeth ſignificat flare. Et hoc non poteſt intelligi de cognitione Dei, quia illa non flat, ideo intelligendum eſt de vento, qui poterat flare, & ille flabat ſuper aquas. Doctores autem noſtri ſolum moti fuerunt ex hoc, quia dicitur ſpiritus Domini. Nam ſi poneretur ſpiritus abſolutè, putauiſſent eum eſſe vētū, & dixiſſent, ventus aūt ferebatur ſuper faciē aquarū. Quia tñ ponitur Domini putauerunt intelligi de ſpiritu, qui eſt cogitatio. Cauſa aūt, quare vocatur ſpiritus Dñi, ſiue uētus Dñi fuit, quòd iſte ventus à Deo miſſus erat miraculosè ad faciendum iſtam deſiccationem. Et quia erat ſuper naturaliter productus, & faciebat opus ad ꝙ Deus illum ordinabat, vocabatur ventus Dñi. Sic ēt Num. 11. dicitur. Ventus aūt egrediens à Domino, arreptas trans mare coturnices detulit in caſtra. Quia ille ventus detulit coturnices in caſtra ex mandato Domini, dicitur ventus egreſſus à Domino, ſiue ventus Domini. Sed obiicietur, ꝙ non ſtet iſta poſitio, ſcilicet ꝙ ventus fuerit à Deo miſſus ad deſiccandum aquas, & terras, quia illud ſupernaturaliter fieri poterat ſubitò. Quomodo ergo expectaret Deus, quòd ſucceſſiuè ventus deſiccaret terram? Potiſſimè, quia ad hoc, vt ventus ille deſiccaret terram, oportebat, vt ille miraculosè a Deo crearetur, & poſtea naturaliter ageret ad deſiccationem aquarum, & terræ, & ſic eſſent duæ operationes, vbi poterat effectus deduci per vnam. Dicendum, quòd hoc non eſt inconueniēs, quia frequenter ſic Deus facit. Sic enim patet Exod. 14. cū Deus voluit traducere Iſraelitas de Aegypto in deſertum per mare rubrum. Nam deſiccauit fundum maris diuidens aquas, vt ſtarent hinc, & inde aquæ, vt & ipſi tranſirent per medium pede ſicco. Iſtam deſiccationem potuerat Deus ſubitò facere, & tamen noluit, ſed induxit ventum validum vrentē tota nocte, qui deſiccauit fundum maris. Cum dicitur. Cum extendiſſet Moyſes manum ſuper mare, abſtulit illud Dominus flante vento vehementi, & vrenti tota nocte, & vertit in ſiccū. Ita ergo nunc, licet potuiſſet ſubitò ſine vento diuidere aquas ab aquis, & conuertere ſuperficiē terræ madentē in ſiccam, tamen voluit facere mediante vento. Simile etiam eſt Num. 11. cum Deus voluit dare Iſraelitis ſaturitatem carnium, dando eis multas coturnices, quæ erāt ex alia parte maris rubri, potuiſſet eas deducere in caſtra Iſraelitarum ſine vento, & tamen ſuſcitauit vētum validum, qui arripuit eas, & dimiſit in circuitu caſtrorum, cum dicitur, ventus autem egrediens à Domino arreptas trans mare coturnices detulit in caſtra. Cum autē obiicis, quòd Deus poterat facere hic vnica actione iſtā deſiccationem aquarum, ergo non eſt concedendum, ꝙ fecerit per duas, ſcilicet per vnam naturalem, & aliam ſupernaturalem. Dicendum, quòd quando conſtat de aliquo actu, & non conſtat de modo, debet poni modus leuior, qui poterit, ſcilicet per pauciores actiones, quia non eſt ponenda pluralitas ſine neceſſitate, vt colligitur 8. Topicorum. Et tamen quando conſtat de actu, & de modo agēdi, licet potuerit ille actus fieri facilius, non eſt arguendum de modo, & iam cogimur ponere pluralitatem ex neceſſitate. Sic in caſu iſto, ſi conſtaret de deſiccatione terræ, & non de modo, dicere deberemus, quòd diuiſio aquarum, & terræ deſiccatio facta eſt ſubitò Dei voluntate, quia tamē conſtat, quòd ſpiritus Domini flabat ſuper aquas, non eſt arguendum, quòd poterat Deus facere leuius, quia Deus facit ſicut vult, & ille eſt modus conueniens, qui eſt ei volitus. De iſto vento flante ſuper aquas, dicendum, quòd ſupernaturaliter cauſatus eſt, quia non poterat naturaliter produci.

A Nam venti ſunt de natura terrea, & tamen tunc terra erat vndique operta aquis, & non erat aliqua pars, de qua reſoluerentur vapores, vel exhalationes ad materiam aliquorum entium meteorologicorum ſicut venti, & pluuiæ. Item non poterat eſſe ventus naturaliter, quia deficiebat cauſa efficiens, ſcilicet calor ſolis. Nam calore ſolis reſoluuntur vapores, & exhalationes de terra, & aqua, & leuantur ad primam, vel mediam aeris regionē, in qua omnia hæc meteorologica fiunt, & tñ tunc non erat ſol, quia ſol factus eſt die quarta: Geneſ. 1. Et diuiſio aquarum fuit die tertia, eod. cap. Neceſſe erat ergo, ꝙ iſte ventus miraculosè productus eſſet. Ad nonam auctoritatem dicendum, quod non accipitur ibi ſpiritus pro Spiritu ſancto, nec pro cogitatione, ſed pro ira, ſcilicet. Quo ibo à ſpiritu tuo ſ. quo fugiam ab ira tua, quā-

Ventorū materia, & cauſa efficiens

B do iratus fueris contra me. Et patet hoc ex litera ipſa, ſ. Quo ibo à ſpiritu tuo, & quo a facie tua fugiam: Et tamen à Spiritu ſancto non eſt fugiendum, ſed ab ira Dei, quia Spiritus ſanctus benignus eſt. Ideo vocatur Spiritus ſanctus, vel paraclitus, ſiue conſolator, aut bonus. Sic dicit Magiſter primo Sententiarum diſt. 34. ſcilicet, dicebatur Deus eſſe ſpiritus, vel habere ſpiritum. Et quia ſpiritus eſt nomen tumoris, & inflationis, ne humana conſcientia ad Deum formidaret accedere pro crudelitate ſua, dictus eſt Spiritus ſanctus, vel ſpiritus bonus, quod autem accipiatur ſpiritus pro ira, patet Iſa. ſecundo. Quieſcite ab homine, cuius ſpiritus in naribus eius eſt, quia excelſus reputatus eſt ipſe, id eſt, cauete vel recedite ab homine, qui habet iram in naribus, q.d. tales ſunt valdè ſuperbi, ſicut dicitur ibi, ſci-

C licet, quia excelſus reputatus eſt ipſe. Etiam iſti ſunt periculoſæ conuerſationis propter frequentem iracundiā. Ad decimam auctoritatem, ſ. Spiritus ſanctus diſciplinæ effugiet fictum. Dicendum, quod ibi non agitur de Spiritu ſancto, qui eſt tertia perſona in Trinitate, ſed de ſapientia, quæ acquiritur ab homine per doctrinam, vel de illa, quę a Deo datur. Et potiſſimè de data a Deo, quia ibi agitur de ſapientia creata, quam homines monentur apprehendere, & tamen ſi eſſet Spiritus ſanctus, nō poſſent illum apprehendere. Nam inacceſſibilis eſt, vt ait Ambroſ. lib. 1. de Spiritu ſancto, & Magiſter 1. Sententiarum, diſtinctione decimaquarta. Etiam patet, quod non loquatur ſcriptura de perſona ſpiritus ſancti, quia tunc vocaretur abſolutè ſpiritus ſanctus, & tamen vocatus eſt ſpiritus ſanctus diſciplinæ. Diſciplina

D tamen magis conuenit filio quam ſpiritui ſancto, quia ille eſt ſapientia patris. Ad vndecimam, cum dicitur, ſpiritus Domini ſuper me, dicendum, quod non accipitur ibi ſpiritus pro ſpiritu ſancto, ſed pro gratia gratis data, quæ erat ad prædicandum, & faciendum miracula, vt patet ibidem. Et conſiderandum, quod in ſcriptura ſacra ſpiritus Domini accipitur pro quacunque gratia ſpiritualia gratis data homini a Deo. Et ſic ſpiritus prophetiæ vocatur ſpiritus Domini, & audacia, vel robur. ſic patet de Saule. 1. Reg. 10. nam dixit ei Samuel, inſiliet in te ſpiritus Domini, & mutaberis in virum alterum. Et fuit ſic, quia cum venit ad gregem prophetarum, inſiliit in eum ſpiritus propheticus, & prophetabat cum aliis, licet eſſet inſipiens. Sic etiam eod. lib. 19. cap. fuit de nunciis ſaulis, quos miſit ad tenendum Da-

E uid. Nam inſiliit in eos ſpiritus Domini, & prophetauerunt. Audacia autē, vel fortitudo animi, quæ data eſt homini à Deo, vocatur etiam ſpiritus Domini, vt patet 1. Reg. 11. de Saule, quod inſiliit ſpiritus Domini in eū, cum audiſſet verba virorum Iabes Galaad, & iratus eſt furor eius nimis, diuiſitq; vtrumq; bouē in fruſta. Ibi vocatur ſpiritus Domini audacia, quia ante hoc non audebat pugnare contra hoſtes, & tunc ſubitò tantam habuit audaciam, quod voluit ire contra hoſtes, & comminatus eſt populo, ſi non iret in ſigno iræ. Et generaliter omnia dona Dei vocantur ſpiritus, vt patet Iſa. 11. ſ. Et requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientię, & intellectus, ſpiritus conſilii, & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ, & pietatis, & replebit eum ſpiritus timoris Domini. Et iſte eſt ſpiritus Domini, de quo dicitur Iſa. 61. ſ.

Spi-

Spiritus Domini ſuper me. Nam ibi agitur de Meſſia, & F etiam Iſa. 11. & Spiritus Domini, qui ſuper Meſſiam venturus erat, ille ſeptuplex ſpiritus erat, vel donum, & non Spiritus ſanctus, qui eſt perſona. Ad auctoritatem primam Nicolai pro hac parte dicendum, quód ſecundum veritatem intelligitur de Meſſia, & in hoc nõ multum diſcordabunt Hebræi, ſed etiamſi diſcordent, non refert, quia non videtur neceſſarium, quód ponantur ibi duæ perſonæ diuinę ſiue duo Dii. Et cum dicitur: Sedes tua Deus in ſæculum ſæculi, & poſtea dirigitur ſermo ad eundem, & dicitur. Vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitię, ergo Deus vnxit Deũ, ſed Deus nõ vnxit ſe Deũ, ergo vnxit aliũ, qui erat Deus. Dicendum, quód ex iſta litera videtur hoc aliqualiter probari, & tamen Hebræi poſſunt reſpondere ad hoc faciliter dicentes, quod hic eſt mutatio perſonæ, ita vt dicatur ſedes tua Deus in ſæ- G culum ſæculi. Et loquatur hic Pſalmiſta de Deo, & deinde conuertat ſe ad loquendum cum Meſſia, & ſic erit ſenſus quod a principio Pſalmi filii Core loquantur cũ Meſſia, quia illorum eſt Pſalmus, deinde in verſu illo. Sedes tua Deus, conuertant ſe ad loquendum cum Deo. Iterum autem conuertant ſe ad loquendum cum Meſſia in verſu, in quo dicitur, dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem, propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ. Et ſic diceret, quod ille, qui a Deo vnctus eſt oleo lætitiæ, non erat Deus. Et iſta expoſitio ſatis eſt veriſimilis, & multoties fit talis mutatio perſonæ in ſcriptura, & potiſſime in prophetis, quia aliquando loquuntur ad vnum, & ſubito conuertunt ſermonem ad alium, & ſic non ſeruatur in eis continuata ſententia, ſed nunc ad vnum, nunc ad alterum conuertitur. Ad ſecundam de H illo Pſal. 109. ſ. Dixit Dominus. Dicendum, ꝙ ſecundũ veritatem intelligitur de Meſſia, vt Chriſtus allegauit Mat. 22. qui probatur ibi Deus, & homo, & tamen Iudæi forte non concederent, ꝙ intelligatur de illo, ſed de alio. Et dato, ꝙ intelligatur de Meſſia dicerent, ꝙ erat purus homo. Et cum dicitur, ſede a dextris meis, quod non cõuenit niſi Deo: dicendum, ꝙ accipitur ſecundum metaphoram. Nam ſecundum veritatem Deus non ſedet, quia non eſt corporeus, nec aliquis poteſt ſedere ad dexteram eius, quia ipſe non habet dexteram nec ſiniſtrã, ſed dicitur ſedere ad dexteram ſuam, i. in magno honore, vel in potioribus bonis, & iſtud poſſet alicui homini conuenire. Cum autem dicitur, ante luciferum genui te, poſſet dici, ꝙ poſſet intelligi de aliquo homine, ꝙ à Deo I genitus eſt per adoptionem, ſiue exaltationem, quia illa die, qua quis exaltatur, dicitur gigni. Et licet nullus hominum ante luciferum fuerit, poteſt poni tamen iſtud ad ſignificandum magnum tempus a principio exaltationis, quia ſicut vocatur aliquid æternum, quod durat quinquaginta annis, ſicut id, quod terminabatur in iubilæo Exod. 21. & Leuit. 25. & Deuteron. 15. ita dicitur aliquid fieri ab æterno, vel antè luciferum, quod ab aliquanto tempore ante hoc fit. Sic patet Pſal. 71. qui Pſal. eſt de Salomone intelligendus, quia titulus eius eſt in Salomonem, & tamen ibi dicitur. Et permanebit cum Sole, & ante Lunam, & in generatione, & in generationem, ſcilicet nomen, vel fama Salomonis. Et tamen manifeſtum eſt, quod fama Salomonis, vel pax temporis eius nõ poterat eſſe ante Lunam, quia nullus homo fuit ante Lunam, ſed per hoc ſignificatur magna duratio. K Etiam manifeſtum eſt, quod ibi ponat ſcriptura metaphoram, quia dicitur, ex vtero ante luciferum genui te, Deus tamen neminẽ poteſt gignere ex vtero, quia Deus non habet vterum, ideo non eſt neceſſe, quod intelligatur ſecundum corticem literę, ſed ſecũdum metaphoram poterit accipi generatio pro exaltatione alicuius hominis. Ad tertiam auctoritatem Iſa. 48. in qua videtur ſibi Nicolaus firmiſſime probare iſtam Trinitatem perſonarum. Reſpondent quidam Hebræi, ꝙ Iſaias eſt, qui loquitur ibi, dicens. Non in abſcondito locutus ſũ. Et ad hoc volunt, ꝙ Iſaias, & oẽs Prophetæ fuerunt cum Dño in monte Sinai quãdo data eſt lex, & ibi receperunt prophetias ſuas, & poſtea publicauerunt eas varijs temporibus. Et ſic intelligitur ex tempore antequam fieret, ibi eram, ſcilicet antequam fierent omnia hæc, quæ nũc prænunciantur, ibi eram, ſcilicet, quando data eſt mihi prophetia in monte ſinai, & nunc Dominus miſit me, & ſpiritus eius, ideſt, nunc miſit me ad denunciandum iſta, quæ denoncio. ſed iſtam poſitionẽ conatur deſtruere Nicolaus, ſ. quod Iſaias, & alii Prophetæ non potuerunt eſſe in monte Sinai ad recipiendũ prophetias ſuas, quando data eſt lex. Et hoc benè probat, ideo non eſt tenendum iſtud, quia inſania eſt. Etiam quod litera repugnat huic expoſitioni: nam ſequitur ibi. Hæc dicit redẽptor tuus ſanctus Iſrael. Ideo neceſſe eſt, quod referantur illa verba ad Deum. Alii exponunt aliter, non dicentes, quod Iſaias, vel aliquis de Prophetis fuerit in monte ſinai ad recipiendum prophetiam ſuam, ſed ꝙ Deus reuelauerat Iſaiæ multo tempore antè hoc, ea quæ habẽtur in cap. illo de captiuitate Babylonis, & tamen non iuſſerat ei, quod diceret illa, nunc autem iuſſit, quod diceret. Et ſic a principio, antequam iſta fierent, ibi erat. ſ. cognoſcendo illa reuelatione diuina, & nunc, ſ. tempore publicationis miſit eum Dominus, & ſpiritus eius, i. miſit eum Deus ad denunciandum iſtud, quod cognouerat prius. Iſte modus exponendi videbatur conueniẽs, & facilis, & tamen non poteſt ſtare, quia ſecundum hoc iſta verba referuntur omnia ad Iſaiam, & tamen neceſſe eſt, quod omnia, vel quædam referantur ad Deum, quia immediate poſt hoc dicitur. Hęc dicit Dominus Deus tuus redemptor tuus ſanctus Iſrael. Ideo dicendum neceſſario, quod Deus loquitur, tñ poſtea mutatur locutio ad Iſaiam. Et eſt ſenſus, quod Deus in cap. illo denunciabat mala futura Babyloni, quæ mala Deus ab æterno cognouerat, & in hoc dicit, quod excedit diuinatores Babylonios, quia ipſi non potuerunt cognoſcere mala futura vrbi a ſæculo, & prædicere, Deus autem Iſrael cognouit ab æterno, antequam fierent hæc, & tamen noluit denunciare a principio per Prophetas ſuos, ſed nũc nouiter in tempore miſit Prophetas ad denunciandum. Et patet, quod iſta ſit intentio literæ, quia dicitur ibi, ego ipſe primus, & nouiſſimus, manus mea fundauit terram, & dextera mea menſa eſt cælos, congregamini omnes vos, & audite quis de eis nunciauit hæc, quaſi dicat, nullus de Dijs gentium, nec de diuinis Babyloniorum potuit hæc præcognoſcere, & declarare, & tamen ego, qui ſum primus, & nouiſſimus, vidi omnia. Et tunc ſequitur, non a principio in abſcondito locutus ſum, ideſt, a principio, antequam res iſtæ euenirent, ego non locutus ſum in abſcondito, ideſt, obſcure, vel æquiuocè tãquam incertus de euentu, ſicut ſolent prædicere Aſtrologi, & diuinatores, qui prædicunt res in vniuerſali, vt patet per Ptolomæum in Centiloquio prima propoſitione, ſed locutus ſum calore, quaſi ſciens, eo quod ego cognoſcebam, res antequam fierent, & eram præſens illis. Et ſic ſequitur, ex tempore antequam fierent, ibi erã. i. antequam euenirent, eram præſens illis, & ſciens ipſa.

Quod autem ſequitur. (& nunc Dominus miſit me, & ſpiritus eius.) ſunt verba Iſa. & mutatur perſona. Et eſt reſponſio ad obiectionem, quæ fieri poſſet, ſ. quomodo Deus dicit ſe ſciuiſſe a principio res iſtas, antequam fierent, quia nunquam reuelatæ fuerunt, nec audiuimus illas. Reſpondet Iſa. Et nunc miſit me Dominus, & ſpiritus eius. ſ. Deus cognouerit iſta prius ab ęterno, tamen nõ reuelauit ex tunc, ſed nunc voluit me mittere ad reuelandum. Et dato, ꝙ litera illa Iſa. intelligi poſſet de Meſſia Deo, & de Patre, & Spiritu mittentibus eum, tamen magis videtur concordare ſuperficiei literæ iſta ſententia præcedens, quam quod exponatur de Meſſia, & iudicetur inde perſonarum pluralitas.

Et ſi obiiciatur, quod tota illa litera ſit Dei loquentis, dicendum, quod non eſt, quia mutatur perſona loquens, ſicut ſæpè ſolet mutari in Prophetis.

Sed obijcietur, quod licet ibi non probetur Trinitas perſonarum, tamen ſaltem probatur pluralitas, quia dicit Iſa. Et nũc Dominus miſit me, & ſpiritus eius, & ſic ſunt duæ perſonæ.

Dicendum, quod non ſignificatur pluralitas perſonarum, ſed eſt magis repetitio ſententiæ per alia verba,

Exiſt. Hebræi, ꝙ omnes ꝓphetæ acceperũt ꝓphetias ſuas in monte Sinai.

quia idem eſt dici Deus miſit me, & ſpiritus eius miſit me, ſicut dicitur Pſalm. 32. & ſupra allegata eſt. ſ. verbo Domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum. Et tamen idem eſt verbum Domini, & ſpiritus oris eius. Et ſic cum dicitur Dominus miſit me, & ſpiritus eius, eſt ſenſus Deus miſit me, cogitatio ſua miſit me, quia Deus cogitatione, & iudicio agit omnia, quę agit, cum non ſit agens à caſu.

Ad vltimam auctoritatem Nicolai pro illa parte dicendum, quod peccat in duobus, primo, quia non arguit ex textu, ſed ex Glo. Hebraica. Secundo, quia Glo. illa falſum continet.

De primo patet, quia ſuper illo verbo Eccleſiaſtes 4. ſ. funiculus triplex, dicebat Glo. Hebraica, ꝙ myſteriũ Dei Trini, & vnius non facile diſcutitur. Et dato, ꝙ iſta Glo. clarè diceret trinitatem perſonarum, nõ erat firmũ B argumentum ex illa, eo ꝙ non eſt textus Sacræ Scripturæ, ſed Glo. & cuicunque Glo. licet contraire, potiſſimè cum aliqua Glo. aſſerat vnum articulum maximum, nõ habito fulcimento ex aliquo loco Scripturæ. Sic aũt eſt de myſterio vnitatis eſſentiæ, & Trinitatis perſonarum, quia non eſt aliquod maius, nec difficilius in tota lege. Quod ergo aliquis hoc ſua auctoritate aſſerat non eliciens illud ex aliquo loco Sacræ ſcripturę, non eſt firmũ ei aſſentire. Et forte licet aliquis Iudæus vellet, propter illam Glo. aſſentire nobis in Trinitate perſonarum tamen alii negabunt, nec cogerentur illa Glo.

Secũdo peccat in allegatione Gloſæ, quia dato, ꝙ Gloſa Hebraica tantæ efficaciæ eſſet contra Hebræos, ſicut textus Sacræ ſcripturæ, quod tñ falſum eſt, tñ adhuc illa nihil probat, quia Hebræi intelligunt illã de trinitate C attributorũ, & non ſuppoſitorum, ſ. ꝙ Deus eſt trinus, i. habens tria attributa, vel perfectiones, ſ. potentiam, ſapientiam, & bonitatem, & iſta tria attributa Dei non facile diſcutiuntur quomodo in Deo ſint.

Secundo principaliter non tenet argumentum Nicolai ex Glo. iſta, quia illa non facit ad propoſitum literæ illius, ſuper quam eſt, ſ. funiculus triplex difficile rumpitur. Et multi quidem noſtrum errauerũt, & vſque hodie errant in auctoritate iſta putantes inde probari Trinitatem perſonarum diuinarum, ſed valde infatuatus eſt ſenſus iſte, quia litera eſt manifeſta ex ſuperioribus, & neceſſe eſt, ꝙ intelligatur de ſocietate trium hominũ, quæ magnæ commoditatis eſt. Nam ibi Salomon dicebat, malum eſſe hominem eſſe ſolum, ideo dixit bonũ eſſe, quod duo eſſent ſemper, & ponit vtilitatem iſtius D ſocietatis, & poſtea addit, quod ſi fuerint tres, firmior adhuc & vtilior ſocietas eſt, quæ non diſſoluetur faciliter. Et patet ex continuatione literæ cum dicitur, melius eſt eſſe duos ſimul, quam vnum, habent enim emolumentum ſocietatis ſuæ, ſi vnus ceciderit ab altero fulcietur. Væ ſoli, quia cum ceciderit, non habet ſubleuantem, & ſi dormierint duo ſouebuntur mutuo, vnus quomodo calefiet? Et ſi quiſquam præualuerit contra vnum duo reſiſtent ei. Et ſequitur. Funiculus triplex difficile rumpitur, ideſt duo reſiſtent vni aduerſanti, & tamen ſi tres fuerint ſocii melius erit, quia difficilius pugnabitur contra eos, ſcilicet, quia Funiculus triplex difficile rumpitur. Nihil ergo hic de perſonarum Trinitate agitur. Et ſic patet ex dictis, quod ex auctoritatibus Veteris Teſtamenti non poteſt probari Trinitas E perſonarum diuinarum.

CONCLVSIO TERTIA.

Euangelium, ſiue Nouum Teſtamentum manifeſtè probat Trinitatem diuinarum perſonarum. Et quod contra Iudæos non eſt arguendum de perſonarum Trinitate.

IN Nouo Teſtamẽto manifeſtiſſime probatur perſonarũ Trinitas, ita vt ſuſcepta lege euangelica impoſſibile ſit alicui negare trinitatem perſonarum. Patet cum Chriſtus dicat ſe Deum, & eſſe filium Dei, & dicat Baptiſmum debere fieri in nomine Patris, Filii, & Spiritus ſancti. Et ẽt, ꝙ Spiritus ſanctus à Patre procedit. Et A Beatus Io. dic. it. Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cęlo, & hi tres vnum ſunt. Et multa alia, quæ allegare non cõuenit, nam & pueruli hæc cognoſcunt.

Ex his ſequitur corrolarium, ſcilicet contra Iudæos perfidos, quamdiu manent in ſuo errore, cuilibet fideli ſapienti, vel ignaro de perſonarum trinitate, periculoſum eſt arguere. Patet iſtud, quia ſicut ſupra inductum eſt in probatione duarum concluſionum, nõ poteſt probari auctoritatibus Veteris Teſtamenti pluralitas ſuppoſitorum diuinorum, ſiue Trinitas, ideo quando Iudæi viderint nos arguentes ex talibus auctoritatibus, quæ nihil concludunt, potiſſimè ex illa in principio creauit. Et ex illa faciamus hominem &c. irridebunt nos. Et putabunt, quod ſicut iſtam concluſionem potiſſimam in lege noſtra, nos putamus habere ex Veteri Teſtamento, & B tamen nihil probamus, ſed erramus valdè in probatione, ita etiam putabunt de omnibus aliis concluſionibus fidei noſtræ, ſcilicet quod per errorem introductæ fuerint non intelligentibus nobis dicta Veteris Teſtamenti, & putantibus accipere probationes ex illis. Et ex hoc magnum detrimentum, & vilipendium patietur fides noſtra in oculis Iudæorum, quia putabunt totam fuiſſe per errorem introductam. Etiam in oculis infirmorum, & ignarorum fides infirmabitur, & cum videit Iudęos inſultantes nobis, & quod nos non ſufficienter probamus, dubitabunt de fide. Vnde quidam de eis, ſ. Ra. Aben Ezra in Gloſſa ſua ſuper Geneſ. irriſit Chriſtianos credentes ſe probare Trinitatem perſonarum ex quibuſdam auctoritatibus, ex quibus ſecundum veritatem nihil probant, ſed procedunt ex ignorantia ſermonis He- C braici. Vnum autem eſt, quod noſtram imperitiam adiuuat contra Hebræos, ſ. quod ipſi imperiti ſunt, nam non ſunt inſtructi circa liberales diſciplinas, nec circa Phyſicam, nec habent modũ arguendi dialecticum, nec etiam circa intellectum legis habent iudicium acutum, ſed ſicut dicit Apoſtolus 2. ad Cor. 3. velamen poſitum eſt ante oculos eorum in lectione Veteris Teſtamẽti. (2. Cor. 3.) Et ſic neſciunt ſe iuuare ex eo quo ſe iuuare firmiter poterãt, ſaltem ad repellendum argumenta noſtra inſulſa, & tamen neſciunt cum excæcati ſint, nobis tamen ceſſandum eſt a talibus argumentis cum nihil probent.

Modus autem contra Iudæos non eſt, vt nos conemur eis probare ſingulos articulos, vel concluſiones fidei noſtræ antequam conuertantur, ſed quod probemus vnũ, quo deducantur ad aſſentiendum legi euangelicæ, & D ſic ipſi ſpontè aſſentient ceteris, ſ. in lege noſtra eſt articulus de Baptiſmo, de Euchariſtia, de vniuerſali Iudicio, & reſurrectione, & de aliis multis. Non oportet conari ad probandum ſingula horum Iudæis ex lege ſua, quia eſſet labor inutilis, & infinitus, nullus enim poſſet iſta neceſſario probare ex lege Iudæorum, licet aliqualiter ex illa poterit ea defendere.

Sed, qui vult contra Hebræos diſputare, debet conari ſolum, vt probet Meſſiam in lege promiſſum veniſſe, & quod ille habebat poteſtatem dandi legem nouam, & quod illi tenebantur omnes homines aſſentire, quæ ſatis poſſunt induci auctoritatibus Veteris Teſtamenti, quo facto compelletur Iudæus ex lege veteri tenere legem Euangelicam. Et tamen ſi illam ſuſceperit, aſſentiet omnibus articulis eius, & non oportebit, quod probemus, E nec in hoc laboremus.

Ex prædictis etiam ſequitur aliud corrolarium, ſcilicet, quod in Veteri Teſtamento potiſſimè in libris Moyſis de trinitate diuinarum perſonarum nihil clarè debuit dici. Iſtud patet ex duobus ſimul ſumptis. Vnum erat, quod Iudæi erant valde rudes. Secundum erat, quod ad idolatriam, & deorum pluralitatem prompti erant.

Primum patet, quia Iudæi exeuntes de Aegypto erãt valdè rudes, quia erant inſtructi in ſolis operibus manualibus, cum eſſent ſerui Aegyptiorum, & nullus eorum permittebatur vacare alicui ſpeculationi, vel vacationi ſcientiarum, ſed omnes cogebantur ad opera vilia terræ, ſcilicet in luto, & lateribus. Exod. [illegible] & 5. & ſic erãt homines rudes nulli ſpeculationi apti, vnde nec ſciebant

bant ſe gubernare, & ſic in exitu de Aegypto, cum iam manerent in deſerto, neſciebant ordinare politiam ſuam. Nam omnes erant habentes vnicum Iudicem, ſcilicet Moyſen, & cum eſſent vltra ſexcenta millia virorum, non poterat Moyſes diffinire omnes cauſas eorum, & erat a mane vſque ad veſperam non ſumens cibum, & totus populus expectabat eum, vnde videns Iethro ſocer Moyſis tantam deordinationem populi, dixit ad eum, ſtulto labore conſumeris tu, & populus qui tecum eſt, ſed acquieſce conſilio meo, & erit Dominus tecum, & tunc conſilio Iethro ordinati ſunt in populo multi Iudices, ſcilicet diſtincta eſt tota multitudo per decanos quinquagenarios Centuriones, & tribunos, & ſuper omnes erat Iudex Moyſes, vt patet Exod. 18. & Deuter. 1. totus ergo Iſrael neſciebat ſe ordinare, & vnus vir Gentilis ſacerdos Madian ordinauit vnico verbo totum populum. Secundum erat, quód populus Iudaicus erat valde promptus ad idolatriã. Nam conuerſatus fuerat inter Aegyptios, qui colebant idola, & inde didicerũt colere illa, ideo ſæpe Deus diſſuadet Iſraelitis, quód non colant idola, quæ coluerunt Aegyptii, de quorum terra exierunt, nec idola Chananæorum, in quorum terram ingreſſuri erant, vt patet Leuit. 18. & Deutero. 29. Nec imitarentur cærimonias eorum in ſacrificiis: Deutero. 12. Nec dicat, ſicut coluerunt gentes iſtæ Deos ſuos, ita ego colam, ſimile Deutero. 18.

Vnus gẽtilis ordinauit politiã Hebræorũ.

Ex his autem patet, quód non debebat illis dici aliquid de Trinitate, quia cum illi eſſent valde rudes, & myſterium de Trinitate perſonarũ eſſet valde ſubtile, non poſſent aliquo modo concipere, ideo cum diceretur

F pluralitas diuinorum ſuppoſitorum, crederent pluralitatem deorum diſtinctorum, ad quod faciliter inclinarentur, quia erant prompti ad idolatriam, & apud Gentiles ſciebant eſſe deorum pluralitatem, ita putarent eſſe ſecundum legem Moyſis.

Et dicitur, ꝙ potiſſimè debuit hoc euitari in lege Moyſis. ſ. in quinque libris eius, & hoc, quia libri Moyſis fuerunt ſcripti in principio ſtatus populi Hebraici, quando Iſraelitæ exierunt de Aegypto. Alij autem libri prophetales fuerunt ſcripti multo poſt, tempore Regum. Et ex hoc erant duæ difficultates in libris Moyſis potius, quã

G in aliis. Prima quia tunc Iudæi erãt rudiores, quam cum dati fuerunt alii libri. Nam cũ ſcripti fuerunt libri Moyſis omnino erant Iudæi rudes, quia tunc exierant de Ægypto, & minus intelligerent de myſterio Trinitatis, vel de quacunq; alia ſpeculatione, quam alio quocunq; tempore poſt. Secunda, quia a principio erant magis proni ad idolatriam, quam poſtea, cum tunc nouiter exiuiſſent de Aegypto, vbi coluerunt idola, ideo facilius tunc data quacunque occaſione idolatriæ inciderent in deorum pluralitatem, quam poſtea. Non ergo debuit ſcribi ali-

H quid de myſterio Trinitatis in libris Moyſis.

Patet ergo ſatis deductum, quod ex auctoritatibus Veteris Teſtamenti non poteſt probari perſonarum diuinarum Trinitas ſufficienter, & claré, nec aliqua illarum pluritas. De hac vero Trinitate, vel perſonarum pluralitate, an naturaliter probari poſſet latiſſime dicendum erat. Quia tamen iſta eſt alia longa ſpeculatio, quæ præſens negocium vltra modum extenderet, alterius temporis inquiſitioni relictum ſit, hic autem ſermonem concluſerimus.

De Santiſſ. Trinitate Opuſculi Alphonſi Toſtati Finis.

ALPHONSI TOSTATI EPISCOPI ABVLENSIS

De Statu Animarum poſt hanc vitam.

PRAEFATIO.

AB exordijs ſæculorum perquirenti mihi de humani generis conditione, infinitorũ ſolida ſatis inductione collectũ eſt, oẽs requiem quandã appetere, labores autem data opera deuitare. Cui cũ inquiſitioni aliquamdiu inſiſterẽ, factũ eſt, vt ego quoq; degeneri ocio reſolutus inerti quadam requie contorpeſcerem. Nec ea quidẽ, qua Iuppiter reſoluto mundo & dijs in vnũ confuſis, pauliſper ceſſante natura acquieſcit ſibi cogitationibus ſuis traditus. Nec tali quoq; quali ſapiens in hoſtili cuſtodia cõiectus, aut in aliqua gente aliena deſtitutus, vel nauigatione longa retentus, aut in deſertũ littus eiectus ſine amicis relictus in ſe ipſo reflectitur, ac in ſe ipſum reconditur: tunc minus ſolus exiſtens cum ab oĩbus ſolitarius deſertus eſt, res ſuas arbitrio cõponens ſuo. Sed quadã, quæ languentis ac degeneris animi eſt, ab ea, qua quondam extiterat cordis nobilitate deflectẽs, ineptaatque incondita prorſus requie eijciebar. Huic cum ſoli ocio vacans eſſem, nulliq; liberi hoĩs intentus curæ, muſarum nuper cognitus chorus, nunc quoq; denuo viſus eſt. Sed ab ea quidẽ facie multum diſſimilis, qua mihi quondã iuuenculo bicipitis Parnaſi penetranti iuga, apud Pegaſeos amnes amœniſſimi ac limpidi Caſtalij fontis in ipſo Helicone conſtitiſſe conſpectus eſt, cũ mihi (multis licet precib. impetratũ) felicib. illis choris admiſceri cõceſſum eſt, ſub ſacro illo ac multis ignoto frequentato circuitu: beniuol. adignatione muſarũ ab ea, quæ cæterarũ magiſtra erat Vrania, perpetuo virore florentẽ, nunquã defluentib. folijs laurẽam magiſtralẽ ſuſcepi. Hic.n. muſarum ſacer chorus, quamquã a nullo increpitus, ad terrã tamen vultum mœſtus deiecerat tenui rubore ſuffuſum. Et quamquã ſibi de nullo (vt aſſolet) turpi cõmiſſo ruboris materia, aut ingloriationis pararetur timor, me tamen conſpecto nõ mediocriter erubuerunt. Primò quidẽ de ignobili alũni ſui deiectione erubeſcentes. Ad extremũ doluerunt, ꝓ eum, quẽ ad tantæ celſitudinis propitia thronũ deuexerant, inerti quadã reſolutum quiete deſertis aĩæ virib. turpiter cernerent ociari. Nec mora. ſacri chori ductrix Vrania oĩum quaſi vno ore locuta, ait: Quid te alumne cariſſime, in quẽ totam ſpem conieceramus noſtrã; vt per te cuncto innoteſceremus orbi. atq; celebri quodã præconio per oĩa mortaliũ vulgaremur ora: in tantã animi ignobilitatem deiecit, vt inſulſa quiete laxatus, deſerto omni ſtudio probitatis, in ſolo degeneri ocio delecteris? Age iã, et animi ignito affectu indefeſſus quicquam agito. oĩa percurre, omnia ſe tibi debebunt. Nihil namq; eſt, quod aĩo ad magna anhelanti non cedat. Cui ego (quamquam quid iuſtè contradiſcere poſſem non habebam) ne tamen prorſus elinguis mutuſq; viderer: hæc vt fortuito in mentem venerant, ſubterfugere ratus obieci. Iam me ſtudiorum tuorum tædium tenet. Iam tam inutilibus, ac multiplicibus affectibus, & curis cedendum potius quam ſiſtendum duxi.

Aĩo ad magna anhelanti oĩa cedũt

Semper ego auditor eram, nec vtile viſum.
Vexatus toties rauci Theſeide Codri.
Impune ergo mihi recitauerit ille togatas.
Hic elegos impune, diem conſumpſerit ingens
Thelephus, aut ſummi plena iam margine libri
Scriptus & in tergo, necdum finitus Horeſtes.

Nauſeat.n. anima mea ſuper pedeſtres comædorum tur-

A *bas vilibus ornatas ſaccis: tragediarum cothurnatos deteſtor boatus: ampulloſa ſuperbo verba detonantes ore. Quid.n. vilius eius carmine, qui tragico vilem certabat ob hircum? Mordaces quoq; ſatyras non libenter aſpicio: Quid.n. ſi cetera ſtudiorum tuorũ delirantia ſingillatim iuuaret euoluere? Plura enim mendacia compta fuco reperiam, quam inſtantis oportunitas in medium proferri patiatur. Et vt de ceteris taceam.*

Eſſe aliquos manes, & ſubterranea regna:
Et Contum, & ſtygio ranas in gurgite nigras.
Atque vna tranſire vadum tot millia Cimba:
Nec pueri credunt, niſi qui nondum ære lauantur.

Quibus illa mordacibus atq; inſulſis verbis, q̃q̃ iuſtam indignationem deberet: parum tamen vultu mutata, ait: B *Alumne, obijciẽda quidem mihi, ſed parcius iſta. Et ſi vt licet collibitum foret tuis informibus impolitiſq; ſermonibus vicem reddere iuſtã: magis ſine temporum impẽſis tuum errorẽ conuincere potes. Sed mihi admonentis & nõ mordaciter litigantis nũc mẽs eſt. Sed his alia diſcutiendis tẽpeſtas ſit, nec te tamẽ clangere rhetorico ſermone volo, nec cothurnatis pedeſtribuſue comædorũ admiſceri choris. Nec Promethenũ ſublati furto ex æthere ignis ad caucaſeas rupes pœnas pẽdẽtis, lacerato ac renaſcẽti iecore cũ Eſchilo canas volo. Nec fallacẽ Paſiphes bouẽ, fabrũq; volantẽ, mendaceq; Cretenſiũ inextricatis ambagibus labyrinthũ ſolicita peruoluere cura ſuadeo. Multaq; ad id accedentia genus, q̃ tenerorũ adhuc iuuenum ſolatia, nõ virorũ ſolida ſtudia ſunt.* C *De quibus tibi, quoniã olim peruagatũ eſt, nunc admonẽdũ nihil cenſeo. Sed ad aliud excellentius valdè dicendi genus te hortatũ eſſe volo, quo & tibi proſis ingenij tui expertus vires, nobis aũt promulgandi nominis, celebrandiq; per ora mortaliũ præconiũ quoddã ſis. Age igitur, & iã moras diſtute, ocianteẽ animum exue alicuius ꝓbitatis ſtudio deditus. Cũq; in his me auctoritate admonentis preſſum, & rõne conuictum inſpicerem: ocio, quo reſoluebar, diſcuſſo, penitus ad aliquod magnũ acceptandũ vires animi acui. Tunc.n. multiplices ſubeunt curæ, ſed in q̃ me prius verterem quærens: huic, de quo etſi ſuccinctè pro materiæ magnitudine nunc noſtra deſudabit oratio, me primo mancipandum dedi. Huius autem exordio bonum illud, quo cũcta ſunt, & bona ſunt,* D *quoniam rationale eſt, atque libertate, & non inducta neceſſitate agens, deprecatum eſſe volo me huic actui non labefactari concedere, aiens in hæc verba.*

Deus eſt agens nõ à neceſſitate, ſed à voluntate.

O ſuperexcellens lumen pietaſque, bonumque
Exemplar, ſummumque bonum, fontalis origo.
Conſiſtens ſolus, qui cuncta innoluis in vno.
Quem nihil externum tangit: tamen omnia tecum
Mente geris: qua cuncta tenes, qua cuncta mouentur.
Cuius ab influxu varia & molimina rerum
Surgunt in varias te permutante figuras.
Nam tibi ſe quot ſunt, & habent, quod ſingula debẽt.
Cum dederis cunctis quod habes, non deſinit in te.
Quodque ita vis per te conſiſtunt omnia ſecum.
Te licet ingenti celebrent numeroſa boatu
E Carmina, & altiſono modulentur ad aſtra cothurno.
Si Maro, ſi priſcus ſecum tibi cantet Homerus,
Elingues faciet tantarum copia rerum.
Cum tua ſint, quæcunque facit mortalis egeſtas.
Hoc mihi nunc duce te contingat rector Olympi,
Vt cum nauia nouus ventoſa per æquora curro,
Inter Scylleam rabiem, ſæuamque Caribdim,
Atque canes ſiculos, varia & portenta profundi,
Securum liceat portus captare petitos.
Da pater auxilium, mentique illabere noſtræ.

Quid materia & fundamentum habet diſputationis conſtituitur id, quod ab Ariſtot. ponitur lib. primo Ethicor. ſcilicet, Pronepotum autem fortunas.

PRoœmiali quadam prælocutione concluſa, ſcilicet quam intendimus, executiuam ſecundam particulam apponamus. Nec enim diutius mihi immanendum eſt interpretando, quæ dicentem occaſio impulerit, communi enim aliorum vtimur iure de communibus autem communis notio eſt.

Id autem, quod orationis noſtræ, quam vulgatiori quodam nomine repetitionem vocant, materiam aut G fundamentum eſſe volo, habetur ab Ariſtotele noſtro Ethicorum lib. 1. in capit. 15. Pronepotum autem fortunas. Et eſt Paragraphus. Magis autem, ſcilicet. Magis autem fortaſſis inquirendum circa eos, qui defecerunt, ſi aliquo bono communicant, vel oppoſitis. Videtur enim ex his, ſi & redundat ad ipſos quodcunque, ſiue bonum, ſiue malum, fragile quoddam, & paruum, vel ſimpliciter, vel illis eſſe. Si autem non tale, & tantum, quod faciat felices eos, qui non ſunt, nec eis, qui ſunt, auferat beatitudinem).

In primo libro Ethicorum Ariſtoteles de felicitate præcipuum tractatum agit, quoniam ipſa omnium agibilium humanorum principium finale, & motiuum eſt: quemadmodum in ſpeculatiuis principia ſupponuntur tanquam id, à quo totius illationis virtus eſt, & in H agibilibus finis ſupponitur, quo dirigimur ad omnia genera actionis, vt ait Ariſtot. Ethicorum lib. 7. De hac autem in præcedentibus diffinierat, quoniam ipſa eſt operatio ſecundum optimam virtutem in vita perfecta, ideſt, quòd qui felix eſſe debet, oportet vt ſecundum optimam virtutem operetur. Et hoc in vita perfecta, ideſt vſque ad complementum vitæ his ſtudeat operationibus. Huius autem gratia inquirit, an, ſi quis in operatione ſecundum optimam virtutem, extremum clauſerit diem, per hoc felix dicatur, & nepotes, aut pronepotes ſui poſterius calamitates incidant, & conditionis vilitatem induerint, an aliquid ad diminutionem felicitatis iam defunctorum hoc agat. Vel ſi ad fortunarum celſitudinem pronepotes deuenerint, magnamque virtutis excellentiam induerint, vtpote heroicum I fortem habitum, his qui in felicitate defecerunt, bonum aliquod addatur.

Felicitatis conditio.

Cui correſpondet valdè repugnare rationi ac opinioni ſingulorum, pronepotum fortunas, vel infortunia ad eorum, qui mortui ſunt ſtatum nihil agere. Sic enim ait pronepotum autem fortunas, & amicorum omnium nequaquam quidem conferre valdè inamicabile videtur, & opinionibus contrarium.

In hoc autem Ariſtoteles non reſpondet vniuerſaliter, ſed dicit in fortunis, & infortunijs magnam inesſe differentiam. Quædam namque fortunæ ſunt, quæ valde magnæ ſunt, & vitæ mutationem faciunt. quædam autem ſunt paruæ fortunæ, & infortunia, quæ nihil de vitæ ſtatu mutant. De harum autem particulis K per ſingula pertranſire infiniti negocii eſt, nec cuiquam extricabile. Dicendum tamen eſt de his, ſicut de fortunis, & infortunijs circa felices viuentes loquutmur. Nam parua, aut fortuna bona, aut infortunia, ſtudioſam quidem. & omnino felicem nihil mutant, quæ tamen valde magna ſunt aliquid addunt, vel conturbant. De mortuis autem ad pronepotes, vel amicos viuentes idem diffiniendum dicit, ſcilicet illos ex paruis fortunis, vel infortunijs mutari nihil, aut in maius, aut in deterius, ſi tamen infortunia, & fortunia magna ſint, aliquid conferre videntur.

Fortunæ, & infortunii differentia ſecundum philoſophum.

In hoc autem adhuc temporum diſtantiæ conſiderandæ ſunt. Nam in eis, quæ paruo tempore poſt ipſorum defunctorum mortem fiunt: maior eſt ipſorum permutatio, ſiue in bonum, ſiue in deterius. In his vero, F quæ longe poſt ipſorum felicium occaſum ſunt, qualitercunque ſe habeant, non eſt talis permutatio. Huius fundamentum eſt, quoniam morientibus ex his, quæ nobis accidunt ſecundum rem nihil euenit.

Secus ſecundum opinionem atque eſſe, quod indubie morientes habent. Exiſtimat autem Ariſt. quantum ad realitatem morientibus nihil prouenire ex his, quæ in vita manent, quamquam hoc fortaſſis falſum eſt, ſicut infra vberius diſſeretur. Sed dicit malum, aut bonũ noſtrum morientibus prouenire, ſecundum quòd ipſi in nobis eſſe quoddam habent. nam nos recordamur eorũ, qui defecerunt, atque de eis ſemper concipimus, an felices, vel infelices fuerint, & ſecundũ eſſe illud, quod in nobis habent, euenit eis permutatio quædam ex fortunis, aut infortunijs magnis pronepotum, aut amicorum. Nam pronepotes, aut amici eorum, qui defecerunt, magnis extolluntur bonis apud nos, & bonũ illorum illis, qui mortui ſunt ad quos iſti pertinent adauctum eſſe videtur, quoniam eos nunc feliciores exiſtimamus. Si vero pronepotibus, aut amicis felicium defunctorum magnæ calamitates inciderint apud nos, eos qui in felicitate defecerunt, exiſtimamus iam non ita vt prius felices fore.

Mortui nihil ſentiunt de his, quæ fiũt circa nos ſecũdũ Ariſt.

Deinde Ariſtot. in Paragrapho, quem in præſenti ſuſcipimus, volens hanc diffinire quæſtionem, dicit ad hoc inquirendum eſſe, an mortui poſt obitum ſuum aliquod bonum, aut malum habeant: dolorem, ſcilicet, vel lætitiam, aut ſimilia, quæ vel paſſiones ſunt, vel paſſionibus aliquid valdè conforme. Ex hoc autem dicit Ariſtoteles cognoſcendum eſſe, an ex his, quæ pronepotibus, vel amicis proueniunt, aliquid morientes conſequantur felicitatis, aut aduerſi. Hac autem relicta quæſtione, quoniam apud philoſophos altiſſimæ indaginis eſt, & fortaſſis nullatenus perſcrutabilis: dicit, quod ſi ex his, quę apud viuentes accidunt, aliquid bonum, vel aduerſum hi, qui defecerunt conſequantur, illud ſimpliciter valde paruum, & fragile eſt. Aut ſi ſecũdum ſe aliquod pondus hẽt, ad eos tñ qui mortui ſunt paruũ attinet. Ad eos igitur fragile valde eſt, ita vt non ſit tanti põderis, ꝙ eis, qui felices ſunt felicitatẽ vllatenus detrahere valeant, & his, qui infelices ſunt felicitatẽ apponant.

Concludit igitur Ariſt. vniuerſali quadam diffinitione, dicens quod ea, quæ apud pronepotes, & ceteros cognatos atque amicos ſunt tam in fortunijs, quam infortunijs conferunt morientibus, etiam ea, quæ in operationibus ſunt, qualiacunque tamen illa ſint non tantum conferunt, vt eis, qui felices non ſunt felicitatem apponant, & eis, qui felices ſunt, detrahant felicitatem.

Vtrum eis, qui per mortem ab hac luce ſubtracti ſunt, dicendum eſt aliquã bona, vel mala animabus perferenda manere poſt mortem.

Quæſtio principalis.

AD ſupradictorum autem euidentiorem explanationem, quæſtio ſubſequens ventilabitur, ſcilicet, vtrum eorum animabus, qui per mortem ab hac luce ſubtracti ſunt, dicendum eſt aliqua bona, vel mala perferenda manere poſt mortem.

Aiæ manent poſt mortẽ. & eis diſtributor pręmiorũ datur.

Duo præſupponit, ſ. animas ipſas poſt corporum mortem manere, quoniam non enti, nullum aut bonum, aut malum accidere poteſt. Alterum autem eſt aliquem eſſe lætorum, vel triſtium diſtributorem, & arbitrum ipſis animabus poſt mortem datum. Nam cum ipſæ animæ ex natura ſua hoc non habeant, niſi fortaſſis aliquis apponatur, qui eis hæc diſtribuat, animab. poſt mortẽ, aut gaudere, aut ſupplicia manere impoſſibile eſt. apud eũ igitur, qui negauerit animas manere poſt mortem corporum, ſed ipſas cum corporibus ipſis vno concludi defectu, quæſtio hæc locum nullum hẽre põt. Nam ſi animã ſubſiſtere deficiente corpore negemus: nullum ei, aut proſperum, aut aduerſum accidere poſſibile eſt. Idem etiam ſi Deum eſſe diffiteamur. Si enim ad gaudia, & lęta diſtribuenda arbitro neceſſarium eſt, nemine enim alium

conſti-

conſtitui ad tantũ negociũ licet, niſi ipſum rerum principem Deũ, quem qui eſſe negauerit, pariter quoq; bona, aut triſtia animabus poſt mortem negabit accidere.

In quo conſiderandum eſt, quoſdam philoſophorũ, an Deus eſſet, dubitaſſe, alios vero Deum eſſe totaliter, negauiſſe, quorum Diagoras, & Protagoras ob hoc indigniſſimi philoſophorũ, ſic in hac re diſtinxerũt, vt alter Deos eſſe in dubium reuocaret, alius autem omnino nõ eſſe diceret. De his Lactantius de Natura Deorum lib. 1. cap. 2. Horum quoque Epicurus eſt, qui omnino Deos eſſe negauit. De quo Auguſt. de Ciui. Dei lib. 19. Ita vt non immerito de his apud Pſalmiſtam Pſal. 13. & 52. dicatur. Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus. Hi igitur de hac re nihil inquirent, quoniam non exiſtente Deo, nullus eſt, qui gaudia, & pęnas animabus poſt corporum interitum diſtribuere queat.

B Hæc autem poſitio quoniam ineptiſſima eſt, in eam nitu arguendo non expedit, per ſe enim eius liquet ineptitudo. Hos quoque Ariſtot. conuincit 12. Metaphy. in fine: vbi proceſſu quodam naturali agens de ordine, & principatu rerum ait, entia vniuerſi nolle male diſponi. Sed mala eſt pluralitas principum, bonus eſt ergo vnus princeps. Hunc autem, qui ſuper omnia vnicus reſidet, quicunque ille ſit, nos Deum appellamus: Deum igitur eſſe patet.

Item non oportet in hoc argumentorum multorum eſſe aculeos. Nam Deum eſſe, vt ab inueſtigatione ſyllogiſtica aliquando quieſcamus, naturaliter cognitum eſt. Nec ſolum Deum eſſe, ſed & inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, à creatura mundi intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque eius deitas. Ex hac igitur parte, C quæſtio propoſita labefactari nequit, quoniam Deum eſſe, cunctorum prodit aſſertio.

Deum eſſe via naturali cognoſcitur & inuiſibilia Dei per viſibilia.

Alii tamen philoſophi ſunt, qui quamquam Deum fateantur, animas tamen poſt mortem manere negant, quoniam eas tales ſubſtantias eſſe dicunt, quibus poſt corporum ſeparationem manere impoſſibile ſit.

Opinio diuerſorum de anima.

Quidam enim animam nullam ſubſtãtiam verè ſubſiſtentem eſſe dicunt, ſed quandam corporis harmoniam, qua corpus in debito ſubſiſtit ordine. Hoc autem Ariſtoxenus poeta magnus, ac muſicus dixit.

Alij animam cor eſſe aſſeruerunt. Alij vero cerebrum, alii ſanguinem, alii aerem, quo ſpiramus, quorũ poſitiones Ariſtot. recitat. 1. de Anima. & Tullius lib. 1. Tuſculanarum quæſtionum. Si enim horum alicui crediderimus, D nam cum ipſo corpore deficere, atque ex hoc inanem eſſe huiuſmodi quæſtionem ſatis conſtat. Si enim anima corporis harmonia ſit, cum ipſa morte corpus reſoluatur, animam remanere impoſſibile eſt, cum harmonia nulla ſit in eo, quod corrumpitur, & prorſus corruptum eſt, cor aut cerebrum ſi animam aſſeramus, eam aliquando perituram eſſe ſatis patet. Nam cerebrum, cum carnis quædam medulloſa particula ſit, diſſolui neceſſe eſt. Cor identidem corporis quoddam membrum eſt: cæteris igitur morte reſolutis illud incolume reſidere ſatis falſum liquet. De aere autem iam nulli ambiguum fuerit, ſi eum animam dicamus. Nam cum ipſa vita inſpiratio, ac reſpiratio clauditur: animam igitur interemptam patet. Hanc tamen vulgatiorem poſitionem eſſe ſcimus. E Nam cum inſpirationem, & reſpirationem in omnibus viuentibus cernant, in eis autem qui iam vita functi ſunt hæc eſſe nullatenus paterent, animam igitur mollem ſpiratum atque reſpiratum eſſe crediderunt. Quam inſipientes poſitionem tenuere, vt habetur Sapientiæ 2. cap. Ab hoc enim in Græco idiomate nomen accipitur. Anemos namque eadem lingua ventus eſt. Iam autem qui animam ſanguinem dicunt, quid ambigendum prorſus ſit non habeut: nam ipſum ſanguinem in morte gelari liquet: in puluerem ac ſordidam tabem poſt paululum conuertendum, quidquid igitur horum aſſerueris, neceſſe eſt, vt animæ æternitatem, aut permanentiam poſt mortem tollas.

Has autem inſipientium poſitiones reprobat Tullius in 1. lib. Tuſculanarum quæſtionum, animæ immortalitatem confirmans, ſed rhetoricis quidem ſuaſionibus magis quam naturalibus fulcimentis: ſolidioribus vtique fortaſſis idem inducere faciliter valeremus, ſi id nunc conaremur, ſed ad aliud tendendum eſt. Solidius autem Ariſt. more ſuo inducit animæ immortalitatem, improbans antiquorum ſatis inſipidas poſitiones in libris ſuis de Anima. Immortalitatem autem animæ, quoniam non eſt de conditione materiæ, ſed ab extra eſt, & diuina, omnes Philoſophi qui aliquid ſapiunt confitentur, vt Plato, Anaxagoras, Socrates, Peripateticus Ariſtot. & Stoici generaliter.

PRIMA CONCLVSIO principalis

B *Eorum, quæ in vita acta ſunt bonorum ſiue malorum, reſtat animabus poſt mortem locus gaudij, vel dolorum.*

Sit igitur prima concluſio in hac materia. Eorum, quæ in vita acta ſunt bonorum ſiue malorum, reſtat animabus poſt mortem locus gaudij, vel dolorum.

Ad huius concluſionis euidentiam conſiderandũ eſt, quod catholici in hac parte tenent ſpecialem poſitionem, quam omnes alij qualitercunque loquentes. Dicũt enim animas poſt mortem immortales permanere, eaſque poſt multa tempora, cum Deo placuerit, ad diem iudicij a Deo aſſignatum ad corpora redituras, quod reſurrectio vulgariter nuncupatur. Et tunc, etiamſi fidelium firma poſitio nihil vlterius addidiſſet, ſatis liquebat poſt eam reſurrectionem gaudium, aut triſtitiam homi- C nibus peruenturam: Sine his enim hominis vita duci non poteſt. Quantum vero ad reſurrectionem corporum, ſpeciale in catholicis eſt. Nulla enim philoſophorũ traditio hoc recipit, ideo cum Paulus apud Athenas in Ariopago philoſophis reſurrectionem corporum prædicaſſet, delectati ſunt primo viri illi Athenienſ. permoti dulcedine eius, quod dicebatur, quia verè propoſitio iſta delectabilis eſt ei, qui credit, vt patet prima ad Theſſalon. cap. 4. vbi Apoſtolus iubet nos conſolari ad inuicẽ in colloquutionibus de reſurrectione. Deinde videntes repugnare omnib. quæ ipſi ſciebant, aut ſcire ſe putabant, & his, quæ ſecundum naturam fieri poſſe exiſtimabant, deriſerunt eum quidam de Stoicis, & Epicureis, eum ſeminatorem verborum appellantes, id eſt, quod verba ſola diceret nullam realitatem, aut veritatem continentia. D Alii autem eum annunciatorem nouorum dæmoniorum prædicabant, quia Ieſum, & reſurrectionem prædicaret. De his Act. 17. cap.

Reſurrectio autem a nemine philoſophorũ negatur, quia naturæ repugnaret, quoniam nulli principio naturæ repugnat, ſicut latiſſimè induci poſſet, ſi ad hoc noſtra flecteretur intentio, ſed ob hoc eam fieri, aut futurã eſſe negant, quia nullum agens eſt ſecundum naturam, quod tantę virtutis ſit, vt reſurrectionem corporum cauſet. Sic namq; in naturalib. multa Philoſophi concedũt, quæ quidem fieri non repugnat, ſed nunquam futura eſſe aſſerunt, quoniam nullã tantæ virtutis potentiam eſſe credunt. Sic. n. nullus terram ſecundum ſe ipſam totam moueri credit includere contradictionem, cum quælibet eius particula moueri poſſit, & multæ moueantur. Ariſt. E tamen vult in 1. de cælo, & mundo dicere terram non poſſe moueri, quia non eſt aliqua potentia potẽs eam pellere de medio mundi. Sed etſi nobis philoſophi non aſſentiant in reſurrectione corporum, quoniam ignorant infinitatẽ diuinæ potentiæ, quæ mortuos ſuſcitare poſſit, & immenſitatem bonitatis eius, quia id efficere velit, tñ cõceſſo, quod ipſi nobiſcum ſentiũt, ſ. animæ immortalitatem, ſatis inducitur, quod intendimus, ſ. animabus poſt mortem delectationes, aut pęnas manere. Nam animæ manentes poſt mortem, etiamſi non maneãt in corporibus tamen intellectiuæ, & volitiuæ ſunt, quia igitur aliquid volunt, aut illud aſſequuntur, aut non: ſi aſſequuntur aut ſemper id tenent, aut non: ſi ſemper bonũ, quod ſemel aſſequuntur tenent, delectari eas neceſſe eſt, quoniam ad boni conſecutionem naturaliter ſequitur de-

Terra cur non moueatur.

lectatio. Si autem id bonum, quod ſemel aſſequũtur aliq̃n perdiderint, triſtari eas atq; pęnalitatibus affici oportet, quoniam ſicut aliquid nobis bonum præſentia ſua nobis delectabile eſt, ita & abſentia ſua triſtitiã inferat oportet, quoniam bonum, quod inerat, ablatum eſt.

Si autem animas poſt mortem manentes, quod volunt aſſequi non fateamur, neceſſarium eſt eas triſtari, quia & in nobis viuentibus triſtitia eſt, cum quæ deſiderauerimus, non eueniunt.

Alã poſt mortem corporis ſemp intelligit.

Rurſus autem anima poſt mortem intellectiua eſt. Intelliget igitur, quoniam ocioſa non erit, quin immo ſemper intelliget: nam nullius carneæ molis oppreſſione grauabitur. Hic enim corruptibilitate corporis ab intellectione impedimur, & retardamur iuxta illud Sapientiæ 9.c. Corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam, & terrena habitatio deprimit ſenſum multa cogitantem. Depoſita igitur omni aggrauante corporis mortalis ineptitudine, anima ſemper vacabit intellectioni. Nam intelligere ſecundum ſe delectabile eſt, & ipſa anima ſeparata non habet aliquid, ſecundum quod fatigetur, quia non eſt poteſtas vnita iam corpori, ſicut in nobis eſt, cum propter conditionem deficientium organorum fatigatio intelligendo cauſetur. Tunc autem, quia non fatigabitur ſemper, intelliget. Tunc autem, aut id, quod intelligit eſt aliquod bonum ei, aut eſt malum. Si autem quod intelligit malum ei ſit, neceſſarium eſt, vt in hoc triſtetur cum malum ſibi ineſſe ſentiat, in quo eſt vera triſtitia. Si autem quod intelligit bonum ſibi ſit, erit neceſſarium, vt intelligendo delectetur, quoniã bonum condelectatiuum eſt naturaliter potentiæ ſenſitiuæ, in qua eſt. Ex principijs ergo naturæ neceſſaria illatione inducitur, conceſſa animæ immortalitate, pęnalitatibus quibuſdam animas defunctorum affici, aut gaudiis quibuſcunque frui.

Cum de ceteris, quę naturalia ſunt, aut naturalium rerum quodammodo conditiones tangunt, Ariſt. etſi pleniſſime, & in omnibus ſententioſe tractauerit: de hac tamen re omnino ſubticuit, ſ. an poſt mortem animabus gaudia, vel dolores vlli maneant, quod magis arguitur ex induſtria factum. Nam ſi id, quoniam de hoc agere non curaret, ſubticuiſſet, etſi non plene, interdum tamẽ aliquid expreſſiſſet, de hoc tamen nihil vnquam diſſeruit. Videtur igitur non ex negligentia, aut inaduertentia dimiſiſſe, ſed ex electione ſubticuiſſe, quod duobus incitamentis factum videtur.

Cur Ariſtot. non locutus ẽ de ſtatu aĩarũ ſeparatarũ.

I Primo quidem ex Ariſt. magna prudentia ipſi namque vt ex ſingulis eius libris patet, in quocunquẽ loquatur, ſolidiſſimis atque multum euidẽtibus vtitur rationibus, in materia autem de pęnis, & gaudiis animarum à corpore ſolutarum, & de locis pęnarum, & gaudiorũ, & de conditione eorum ambiguum valde eſt apud eos, qui ſolis naturæ innituntur fulcimentis, cum ex quadã Dei ſummi rerum iuſti arbitri prouenire debeat ſnĩa. Et cum ipſe liberum agens ſit, diuinitum in his nihil naturaliter loquentibus aſtrui poteſt, ſed reuelatione quadam hæc indigent, vt ſciantur, cum nullius agentis liberi factum, quamquam ſecundum perfectam rationẽ dirigatur, plene antequam fiat, cognoſcere poſſimus. Ariſtoteli autem nihil tale inerat, cum ſolis rationis ſpeculatiuæ, & practicæ principiis, inniteretur, ſed ſi quippiam ſibi reuelatum foret, velut alicui Prophetarum, cui ipſe firmiſſimè aſſentiret, tamen adhuc non tetigiſſet in ſtylo ponens, ſicut naturales, & metaphyſicas, ac dialecticas plurimas poſuit traditiones. Nam ipſe ſolũ hoc deſcribebat, quod manifeſtis probationibus induci poterat. Hoc autem quamquam ſibi conſtaret, illud tamen aliqua ſyllogiſtica neceſſitate inducere non valebat. Prælegit igitur de his penitus ſubticere, quam aliquid ſemiplene enunciare.

Credendum eſt tamen eum de hoc aliquid intellexiſſe. Nam illi, qui naturali ingenio pollent, ſatis naturaliter iudicant hoc conueniens eſſe. Non enim rationabile videtur, vt actus humani, qui in hac vita æquã præmiorũ, ſiue in bono, ſiue in malo non ſuſceperunt vicem, in æternũ ſic maneant, ſed vt magis poſt reſolutum morte

F corpus animæ eorum vices iuſtas accipiant. De hoc autem quid intellexerit, nihil refert.

Secũda rõ, ꝓ bãs quare Ariſt. ſubticuit an anima poſt mortem gauderet vel triſtaretur.

Alia autem huius adhuc potiſſima cauſa eſt. Voluit enim Ariſtotel. veritatum introductor, atque eruditor eſſe: modorum tamen viuendi humanorum deſtructor litigioſus eſſe noluit. Nam etſi plene aliquid Ariſtotel. de hac re intellexiſſet, & id fortaſſis neceſſariis fulcimentis inducere potuiſſet, noluiſſet tamen, quoniam in hoc nimis repugnare videretur omnibus politiis, quæ tunc erant, quarum aliquæ tunc conuenienter ſecundum illud tempus ordinatæ videbantur. Si enim poſt mortem bonum, aut malum aliquod ineſſe aſſeratur animabus: illud magis bonum eſſe, aut malum patet, quam ſit id, quod in vita experimur: cum ea, quæ viuentes ſentimus bona aut mala, ſecundum corpus ſint,

G quod nõ eſt principale in nobis poſt mortem, aut quidquid illud ſit, ſiue bonum, ſiue malum, maius eſſe neceſſarium eſt, quoniam animabus aduenit, in quibus, vel totum eſſe noſtrum eſt iuxta Platonicam aſſertionem, vel maior, & principalior pars noſtri eſſe iuxta Ariſtotel. traditionem, vt patet 9. & 10. Ethicorum. Ideo hoc ſuppoſito cum maius bonum humanum poſt mortem ſit, illa erat conuenienter inſtituta, & regulata politia, quæ inducebat homines ad hoc, vt poſt mortem benè ſe haberent. Eas autem, quæ ad hoc optimè ſe haberent optimas eſſe pateret, quæ autẽ de hoc nihil attenderent inordinatiſſimas eſſe politias. Et quia earum politiarum, quæ Ariſtotel. tempore conſiſtebant, nulla aliquatenus ad bonum illud, quod poſt mortem euenit, homines dirigebat, nulla benè ſtatuta videretur. Repu-

H gnaret igitur in hoc omnibus hominibus, qui tunc erant præterquam Iudæis, qui pauci erant, & hanc ſpem futuræ vitæ ſemper tenuerunt, quamquam inter eos Sadducæi non credebant reſurrectionem, nec ſpiritus aliquos, aut angelos concedebant, de quo Matth. 22. & Actu. 21. cap. deuitauit igitur Ariſtot. aliquid de ſtatu animarum poſt mortem loqui.

Aliqui tamen dicunt Ariſto. aliquid de ſtatu animarũ poſt mortem locutum fuiſſe, obiicientes nobis librũ de Pomo, qui & de morte Ariſt. nomen aſſumpſit, & eſt vltimus in paruis naturalibus eiuſdem.

Cui reſpondendum eſt hunc non eſſe Ariſtotel. librum, quod ex eiuſdem ſatis ſtylo apparet. Nam liber de Pomo, nihil niſi quandam nullius ponderis hiſtoriã

I continet. Totus autem Ariſt. ſtylus magis obſcuritatibus, & ſententiarum difficultatibus repletus eſt. Diſtant enim inter ſe libri Ariſt. & libri de Pomo, ſententiarũ, & ſtyli grauitate: velut ſi quis Tullianam, aut Demoſthenis eloquentiã, cuiuis barbarica vix verba ſonare ſcienti coæquaret.

Amplius, & in ſententia patet: totus enim liber de Pomo ſententiis Ariſtotel. in aliis libris repugnat. Nam ibi Deum Abraham, & Iſaac, & Iacob concedit, & profert, quod ab omni philoſophante prorſus alienum eſt. Nulla igitur ratione conceſſerim talem librum Ariſtot. aliquam ſententiam continere, ſed magis ab aliquo Arabico confectum eſſe. Stylus enim eius Arabicam redolet eloquentiam.

Aliquis autem fortaſſis dicet Ariſtotel. felicitatem,

K aut infelicitatem poſt mortem poſuiſſe, & conſequenter pœnas, aut gaudia animabus tribuiſſe. Sic enim in eo paragrapho, quem reperiendum ſuſcepimus haberi videtur, cum dicitur: (Quod ſi aliquod bonum, aut oppoſitum redundat his, qui defecerunt, aut illud leue eſt ſimpliciter, & fragile, aut ſaltem eis, qui hoc recipiunt: ita, vt non faciat felices eos, qui non ſunt, nec eis, qui ſunt, auferat.) videtur ergo, quod aliquos ponit poſt mortem eſſe felices, quibus non poteſt tolli felicitas per quæcumque bona, vel mala, & alios eſſe poſt mortem infelices, quibus felicitas prouenire non poteſt, quantacumque mutatio fiat in pronepotibus, vel amicis viuentibus.

Huic reſpondendum eſt, quod Ariſto. hoc non ponit, aſſerens per hoc aliquam felicitatem poſt mortẽ ineſſe, aut infelicitatem: ſed intendit de felicitate, quæ in vita

eſt,

eſt, ſcilicet, q̄ per ea, quæ pronepotes, aut amici alicuius A faciunt, aut ſuſcipiunt, non efficitur ipſe felix, vel infelix: ſcilicet, quòd non tollitur eius præterita felicitas, aut infelicitas. Et ob hoc introducitur ea quæſtio, quam Ariſtot. mouet in primo Ethicorum in capit. (pronepotū autem fortunas.) cuius paragraphum quendam repetendum aſſumpſimus. Poſuerat enim conditiones felicium in vita, & felices viuentes eſſe diffiniuit. Cuiquam tamen fortaſſis dubium videretur, an ſicut nemo felix dici poteſt, quamdiu viuit, niſi in bono finierit: an ſic poſt mortem dicendum foret. Et fortunæ an infortunia amicorum, vel pronepotum felicitatem eorum, qui felices mortui ſunt, tollerent: an eis, qui felices non ſunt felicitatem apponerent. Dicit enim. (Quid igitur prohibet dicere felicem ſecundum veritatem perfectam operantem, & exterioribus bonis ſufficienter ditatum non B contingenti tempore, ſed perfectum vita, vel apponendum, & victurum ſic, & finiturum ſecundum rationē, quia futurum immanifeſtum nobis: felicitatem autem finem ponimus, & perfectum omnino: ſi autem ita beatos dicemus viuentium, quibus exiſtunt, & exiſtent, quæ dicta ſunt: beatos autem, vt homines.) Conſtat ergo Ariſtot. eos ſolos beatos ponere, qui viuentes ſunt: ſi autem aliqui beati, vel miſeri poſt mortem ſint, nihil tangit.

Ariſt. ſolos viuentes poſuit beatos & mortuis nihil dicit.

Ex ſuperioribus concluſum eſt, quod ſecundum naturam conceſſa animarum immortalitate, neceſſarium eſt eas poſt mortem delectari, vel triſtari, ſed adhuc nō conſtat ſecundum naturam hac conceſſa animarum immortalitate, quòd poſt mortem dolores, aut amaritudines quaſcunque pro peccatis animæ tolerent, aut pro bonis tranſactis actibus delectentur. In quo conſiderandum, quòd quamquam Ariſt. in hoc nihil exprimat: tamen ex verbis ſuis collectis in vnum neceſſarium colligi poteſt, quòd animæ peccatrices poſt mortem peccatorum ſuorum pœnas tolerant, & animæ bonorum virorum gaudia experiuntur.

Hoc quoque ſecundum naturam neceſſarium eſt eſſe. Quod ſic patet: animæ poſt mortem ſi immortales manent, neceſſarium eſt, vt propriè animæ ſemper intelligant, cū intellectus non ſit potentia fatigabilis quādo eſt ſeparata à corpore: ergo nunquam fatigabitur nō habens cohærentiam ad conditiones organorum. Si igitur intelligunt aliquod bonum ſibi, neceſſarium eſt, vt lætentur: ſi malum, neceſſarium eſt, vt triſtentur, ſed neceſſarium eſt, vt mali poſt mortem intelligant ſem- D per malum, & boni neceſſarium eſt, vt bonum ſibi ſemper intelligant: ergo impoſſibile eſt, quin malorum animæ poſt mortem triſtentur, & doleant valde, & bonorum animæ ſemper lætentur. Et hoc non euenit ſibi ex aliquo alio, niſi pro peccatis: immo ipſa peccata inferunt eis iſtas pœnas, quas compelluntur ferre ipſi, qui mali ſunt. Quod patet, nam in viuentibus ſic eſt, quòd cum aliquis eſt cum alio delectatur, aut triſtatur ſecundum ea, quę in alio reperit, & colloquuntur: cum autem ſolitarius, eſt neceſſarium, vt delectetur ſecundum ea, quæ intra ipſum ſunt, aut triſtetur. Ideo ſi iſte, qui ſolitarius eſt, bonus eſt, ſemper actibus bonis inſiſtens, delectatur intra ſeipſum, quia veniunt ſibi in mentem actus boni, quos fecit, de quibus non modicum delectatur: aduertit quoque præſentes actus bonos: ſperat etiā E ſimiliter ſe in futurum meliora alia operaturum, ex quibus gaudijs immenſis repletur magis iſta recogitans, quam quando cum aliis eſt. Quo fit, vt qui valde boni ſunt, magis velint ſolitarii interdum eſſe, quam cum aliis. Et hoc vocatur conuiuere ſibi ipſi. De hoc Ariſtot. Ethico. libro nono, ait. (Etenim conuiuere ſibi ipſi talis vult: delectabiliter enim ipſum facit operari. Etenim delectabiles memoriæ, & futurorum ſpes bonæ, tales autem delectabiles: & theorematibus mente abundant: condoletque, & condelectatur maxime ſibi ipſi: impœnitibilis enim vt eſt dicere.)

Viri virtuoſi magis volūt ſolitarij interdū eſſe, quam cū alijs, cōtra mali.

Si autem aliqui mali ſint, quando ſoli ſunt, affliguntur: quoniam veniunt eis in cogitationem mala, quæ fecerunt, & ea quæ quotidie fœdiora patrant, ſperant A quoque ſe ſemper deteriora patraturos. Ex his autem nimis affliguntur, & ſeipſos odio habent, atque fugiunt ſe ipſos, inquirentes alios, cum quibus communicent, ne ſic doloribus magnis crucientur. Et cum non poſſunt totaliter deuitare iſtas cogitationes, ſeipſos nimis exoſos habentes, atque ferre non potentes, occidunt. De his Ariſtotel. Ethicorum, libro nono, ait. (Quibus autem multa opera ſunt, & dura, propter malitiam odiuntur, fugiunt viuere, & interimunt ſe ipſos, atque fugiunt. Recordantur enim multorum, atque difficilium, & talia alterant & ſperant ſecundū ſe ipſos entes, cum alteris autem entes obliuiſcuntur nihilque amicabile habentes nihil amicabile ad ſe ipſos patiuntur. Pœnitudine enim praui replentur, non vtique videtur prauus, nec ad ſe ipſum amicabiliter diſponi, propter nihil habere a- B micabile.)

In animabus vero poſt mortem huiuſmodi neceſſe eſt eſſe, quoniam ibi maius conuiuere eſt ad ſe ipſum, quā hic, quia hic homines per locutiones, & alias quaſdam corporales communicationes conuiuunt inuicem, & condelectantur, & contriſtantur de his, quæ in alterutro ſunt. In animabus autem poſt mortem, quoniam non manebunt corpora ſecundum poſitionem philoſophorum, quam nunc diſcutiendam ſuſcepimus, neceſſarium eſt ergo, vt animæ magis ſibiipſis conuiuant, ſcilicet cōuertentes ſe in ſe ipſas, & tunc neceſſarium eſt, vt animæ bonorum in ſe conuerſæ cernant bona, quæ fecerūt, quæ in eis manent, & de hoc intenſe valdè delectentur. Rurſus non reperiunt in ſe malum aliquod, quod earum delectationem interpellet atque impediat. Oportet ergo, C vt delectatio illa ſincera, & permanſiua ſit. Cum ergo huiuſmodi animæ in æternum maneant intelligentes, nunquam ab actuali intellectione ceſſantes nec fatigatæ, & bonum ſuum, quod eſt eas feciſſe bonum cum viuebant, ſemper eis maneat: neceſſarium eſt, vt in æternum ſine aliqua intermiſſione delectentur, cum non poſſit intercidere eis aliquis actus triſtabilis, de quo doleant.

Aīę defūctorū magis ſibiipſis conuiuunt quā viuentes

In animabus autem virorum prauorum poſt mortem è conuerſo fieri neceſſe eſt. Nam ipſæ intelligentes manent in æternum, ſicut animæ bonorum, & quoniam ſibi ipſis conuiuunt, neceſſarium eſt, vt de eo, quod in ipſis eſt, delectentur, vel triſtentur. Et quia malorum animæ poſt mortem in ſe ipſis non poſſunt reperire bonum aliquod, in quo delectentur, ſed ſolum mala, & facinora, D quæ dūm viuerent patrauerunt, neceſſarium eſt, vt illa cogitantes multum doleant.

Et adhuc amplius intenſiuſque dolebunt quam mali homines de ſe ipſis in vita, quando eis in mentem veniunt quæcumque peracta ſcelera, quia homines in vita habent quædam deſideria paſſionalia, ſecundum quæ feruntur in malum quoddam apparens eis delectabile, & facinora. Ratio autem, & intellectus in eis ſunt, quæ in optimum deferuntur iuxta Ariſtot. primo, & 9. Ethicorum. Si igitur iſti habentes partem affectiuam repugnantem parti rationali, tantum de patratis ſceleribus interdum dolent, quanto magis dolebunt animæ poſt E mortem? in quibus non eſt aliqua pars affectiua, ſed ſolum intellectus, & voluntas? Nam tunc nihil eſt quod impediat intellectum, & voluntatem a dolore malorum patratorum, & odio quodam, neceſſarium eſt igitur, quod tunc ratio noſtra in immenſum pro patratis malis doleat, & tamen homines viuentes, quando multa valde mala fecerunt, eorumque recordantur, interdum occidunt ſe ipſos non potentes ſe tolerare. Quis ergo aut quantus erit dolor, quem neceſſario habebunt illæ animæ miſeræ, quæ hinc cum magnis ſceleribus receſſerunt? Neceſſarium eſt, quod iſte dolor maior ſit, quam mors, & cum iſta anguſtia ſit eis continua, & vſque in æternum, quia non eſt in poteſtate earum non intelligere, aut recordari hoc, neceſſarium eſt, vt in animabus miſeris peccatricibus poſt mortē maior maneat dolor ſemper, quam ſit mors. Vnde vellent ipſæ miſerabiles animæ mori, ſi poſſibile eſſet, ne tantis, & tam diuturnis afficerentur malis.

Quare animæ malorū ſeparatæ magis dolēt quā coniunctæ.

purgandum. Animæ tñ, quæ ad Elyſios tranſeunt cãpos, A gq. nihil vlterius mœroris, aut vllius pęnalitatis ſublaturæ ſint, ad totalẽ tñ nondũ puritatẽ peruenerũt, quãtã in cæleſti igne, vel Æthere ponũt. Cum verò per mille annos ſingulæ in Elyſijs cãpis permanſerint penitus depurãtur, ita vt Aethereũ ſenſum, & ſimplicis aurę igneæque naturæ puritatẽ ſuſcipiant. Alia differentia paradiſi, q̃ fides catholica aſſerit à poſitione Elyſiorum camporũ eſt, quia qui ſemel vita æterna potitur, in ea ſemper manet, qui tñ de ſtygijs ſedibus ſm̃ Virgilianã poſitionẽ in Elyſios trãſibat campos, ibi mille annis manẽs ad ſimilitudinem cæleſtis ignis depurabatur, tunc à Deo in agmẽ magnum cum alijs aduocatus Lethęi fluminis aquas bibens, eorum quæ pertulerat oblitus, ac ſi nunq̃ quicquã boni aut mali pertuliſſet, in corpus redire deſiderabat atque redibat. Aliæ quoq; huiuſmodi differentiæ multæ inter Virgilianam de Elyſijs cãpis & catholicã poſitionẽ de paradiſo ſunt, quas aſſignare facile eſſet. Cauſas autẽ, quare Poetæ ſingula horũ dixerũt, pręcipuè Virgilius, q in his magis inſtat: & qualiter Virgiliana poſitio ad ꝑla tonicã reducatur, maioris atq; prolixioris ſatiſq; differẽtis ſpeculationis negociũ eſt, ideo a præſenti ſecludatur.

Inferni qui negant. Hanc autem Virgilianam poſitionem ceterorumque Poetarum de receptaculis animarum poſt mortem, antiqui philoſophi inter Gẽtilis improbant. Tullius enim in 1. Tuſculan. quæſt. eam improbat, atque apud omnes philoſophos eandem aſſerit improbari. Exprobrat quoque Iuuenalis Poeta Satyricus hanc poſitionem in Satyra 2. quæ incipit: Vltra Sauromatas, & glacialem Oceanum fugere hinc libet: cum ait.

Eſſe aliquos manes, & ſubterranea regna,
Et Pontum, & ſtygio ranas in gurgite nigras:
Atque vna tranſire vadum tot millia cymba.
Nec pueri credunt niſi qui nondum are lauantur.

Addunt quoque iſti Poetæ, quorum præcedẽs poſitio extitit, animas in cęlo eſſe. Has autẽ de ſtygijs ſedibus, aut Elyſijs campis aſcendere non ponebant: ſed ex terra ipſa ferebantur in cælum nullo impediente. Hos autem, qui è terra in cęlum aſcenderunt, Deos dicunt viuẽtes in corporibus, & animabus. Hos autem ſtellas dicunt. Quãlibet autem ſtellam, & cõſtellationem Deum aſſerebant.

Deorum gẽtilium diuiſio. Hos trifariã diuiſere Deos, quoſda ſelectos Deos, ideſt multum electos appellantes. Alios autem ſemideos, quia ex media parte Dij ſunt. Tertij autem ruſtica numina appellantur. De primis, qui ſelecti, ideſt, ſeorſum electi, aut valdè electi dicebantur, vigintiduo Dij erant, de quibus Seneca in multis locis ait. De his quoque tangit Aug. de Ciuit. Dei. lib. 6. & 7. Hos autem ſelectos Deos eſſe diffiniunt, qui ex vtroque parente Dij ſunt. Pater namque, & mater Dij ſunt. hos autẽ in cęlo prolem gignete ſexuum commixtione, vt cunctis conuenit animalibus, Poetæ cõcedũt & aſſerũt. De his Martianus Mineus Fęlix Capella lib. 1. de Nuptijs Mercurij, & Phyſiologię ꝓſa prima.

In ſecundo gradu Deorum ſemidei ponebantur. Hi. n. integrè Dij non ſunt, ſed ex dimidio Deos eſſe nominis eorum origo prodit. Hoc autem quoniam non extitit eis vterque parens Deus, ſed vnum parentem Deũ, alterum autem hominem habebant. Omnes autem huiuſcemodi ſemideos Poetæ primo mortales fuiſſe homines aſſerũt: poſtea vero in cælum ad aſtra tranſlatos dicunt, ipſoſq; in aſtra cõuerſos aſſeuerant. Sic. n. Romulum ſemideum dicunt, qm̃ eum Martis, qui Deus erat, filiũ, & Iliæ virginis filiæ Numitoris Regis affirmant. Sed in hoc Romani Poetę nimis auctori Vrbis ſuæ Romulo indulſerunt. Nã Ilia Romuli mater, cũ virgo veſtalis ab Amulione auunculo ſuo effecta foret, vt ex ea nulla regnatura prole naſceretur, Numitori auo ſucceſſuras per ſtuprum a quodã ignoto viro deflorata eſt, quam cum Amulius prægnantem repperiſſet vſque ad partus effuſionem conſeruans, iuxta veſtalium virginum antiquam legem viuẽtem tumulauit. Paruuli autem in Tyberi expoſiti a quadam lupa enutriti ſunt. Ne tamen Romani Auctorem ſuum defectum in natalibus pati confiteantur, ſi eum ignoti cuiuſdam viri filium prædicauerint, a Marte Deo bellorum Iliam matrem eius fęcundatam tradiderunt. De his tangit Paulus Oroſius libro 1. de Ormeſta mundi.

Herculem quoque ſemideum dicunt, quoniam pater eius Deus extitit, Iupiter ſcilicet, mater autem mortalis fuit, ſcilicet, Alcmena vxor Regis Amphitrionis.

Idẽ de Perſeo filio Iouis, & Danaes. Idẽ de Mercurio, Iouis, & vnius de ſeptem Pleiadibus, quæ Maia dĩ filio.

Alijs autem ſemideis præpoſtera origo erat, ſcilicet, vt matribus deabus geniti forent, & mortalibus patrib. Sic enim Aeneas filius Anchiſæ viri Troiani, & Veneris Deæ prædicatur. Achilles quoque à Peleo, & Theride natus eſt. Peleum autem mortalem virum dicunt: Thetidem autem marinam Deam atq; inter ſelectos computatam. Multi quoque in hunc modum de ſemideis ſunt.

Præter hos autem alij ſemidei ſunt, quos ex neutro B parentum Deo natos dicunt, ſed eos admirabilium factorum gloria ſupra cęlos tulit atque in ſtellas vertit. Sic multi in cęlo ſtellificati referuntur. Sic ſeptem Pleiades, quæ alio nomine ſeptem Athalantides nuncupantur à patre matreq; mortalibus, ſcilicet, ab Athlante, & Pleione in cælo locauit antiquitas, quam ſeptem ſtellarũ conſtellationem vulgus ſeptem capellas vocat.

Sic quoque ſeptem Hyades, quas latinè ſuculas appellamus in cęlo gentilitas collocauit, quas vulgato nomine proferentes Gallinam cum pullis nũcupamus. Idem de Calyſtone, quæ alio nomine Paraſis dicitur, & de Archade filio eius in Septentrionales conuerſis Vrſas.

Tertium Deorũ genus in Ruſticis numinibus collocatur. Horum autem quidam in cælo ſunt, alij autẽ nequaquam. Eorum autem ruſticorum, qui cęleſtes manſiones non habent, quædam aliqñ in cælo manebãt, alia autem C nõ, ſicut declarat Ouidius Metamor. lib. 1. cũ de diluuio Deucalionis incipit, in quo Iupiter vniuerſam terrã delere noluit, ne cũ ea ruſtica numina, quæ nondũ in cęlum peruenerant, delerentur. Alia aũt in cęlo ſunt, de quibus Martianus Mineus Fęlix Capella lib. 1. de Nuptiis Phyſiologiæ, & Mercurii ait in proſa penultima, vbi totum cęlum in 16. diuidit manſiones, in quarum qualibet Dii aliqui de ruſticis numinibus morabantur. De his autem dicit, ꝙ præcepto Iouis congregati ſunt, vt deliberarent, an Mercurii, & Phyſiologiæ deberent matrimonialia fędera copulari. De his Diis Poetæ infinita deliramenta confingunt, de quibus penitus ſubticuiſſe expediens eſt.

Hos apud gẽtiles felices eſſe tradũt, qui in quodã loco tertio, aut receptaculo erant, qđ Paradiſus vocari poſſet.

D De his verò diſſimile eſt ad animas, quæ in Elyſiis morantur campis. Nam qui Elyſios campos tenent euoluta mille annorum rota ad lethæum flumen agente Deo cõuocantur: vbi ebibito obliuionis poculo, omnium quæ pertulerant immemores facti, in corpora redire deſiderant ac redeũt. Animæ autem, quæ ſupra aſtra, aut in ipſa aſtra cõuerſæ ſunt, amplius in corpora rediture nõ ſunt, ſed in eiſdem in æternum manẽt. Sicut autem prior Virgiliana poſitio à Philoſophis reprobatur, ita & iſta improbanda eſt, qm̃ manifeſtiores errores continet, ſi inſpiciatur. Apud antiquos igitur, qui aliquid ſapiebãt, nulla præcedentium fouetur opinio. Ob hoc Tullius, qui tam in Rhetorica quam Philoſophia ſatis floruit, qui & Philoſophorum antiquorum ferè nouiſſimus fuit, ſ. ante Chriſtũ per annos quaſi 40. defunctus, inquiens de ſtatu animarũ poſt mortẽ animas immortales eſſe dixit, eaſq; E de cõditione cęleſtis ignis, ex quo omnia ſtellarũ corpora ſunt. Poſt mortem autem luteo ſoluto carcere liberiores ſunt in intelligendo, leuitate quoq; ſua in cęlos conſcendunt ſolari corpori, aut aliarum ſtellarum ſe iungẽtes. Et qa animæ de natura ignis cęleſtis (vt ipſe opinatur) ſunt: ſimilia quoq; à ſimilibus adiuuantur, neceſſe eſt igitur, vt animæ noſtræ cęleſtibus coniunctæ corporibus ad intelligendum aptiores ſint, atq; liberiorẽ actũ habeant. Ex eo autẽ eminentiſſimo loco, terrę globũ, & maris anfractus, & obliquas circulationes, atq; aerearum regionũ deſcenſionem intuentur, & intelligunt cuncta, quæ ſunt. In his aũt perfectum earum gaudiũ conſiſtit, à quo nunquã ſibi ceſſandum eſt, nec aliarum generandarum rerũ curas habent. De his Tullius lib. 1. Tuſcul. quęſt. Inter omnes aũt enarratas in ſuperioribus gentilium poſitiones nulla eſt,

Tullius obijt antè Chriſti aduẽtum annis ferè quadraginta.

quæ

quæ ita rationi atque catholicorum fundamentis conſentiat. Hec tñ adhuc à catholica poſitione ſatis diſcors eſt. Primo quidem, quia nullam poſt defunctum morte corpus animabus eluendorum ſcelerũ purgationem relinquit, ad participationem tñ fructus vitæ æternæ nemi nem catholica conſentit poſitio, niſi eum, qui penitus ab his expiatus eſt. Secundo differt a poſitione catholica, qm̃ catholicè loquẽtes in viſione Dei beatitudinem collocamus, cum Deus ſummum bonum ſit. Hic tñ Cicero in conſideratione totius cęleſtis globi, & elementaris regionis aſpectu atque perfecta intelligentia felicitatem ponit. Sed de his non oportet vlterius dilatare ſermonẽ.

Vide Pa. 145. ca. 73. & 86.

QVARTA CONCLVSIO.

Infernus, quem ſtatuit poſitio catholica conuenienter poni nequit in regione ignea idest, quod infernus in igne ſtare non poteſt.

Sit quarta concluſio. Infernus, quem ſtatuit poſitio catholica, conuenienter poni nequit in regione ignea, i. ꝙ infernus in igne ſtare non poteſt. Nũc enim varijs tam Poetarum quam gẽtilium Philoſophorum poſitionibus ex parte tactis, & ex parte diſcuſſis, ad eam, quæ catholicorum eſt poſitionem aliquando accedamus. Omnes namque, qui philoſophantes de ſuo in hac parte locuti ſunt, a Deo nihil illuſtrati, veritatem, quã catholica poſitio ſtatuit, pertingere nequiuerunt. Quæ ſi ad alias poſitiones gentilium, & Poetarum conferatur, ablato etiam fidei fundamento, & diuina in hac re aliquali declaratione, & auctoritate, ſola naturali ratione in vtriſque inſpecta, apparet hanc ceteris rationabiliorem fore. Et ſi omnes præpoſitæ propoſitiones, ſingulęq; aliæ quas naturali ratione homines excogitare, & ſtatuere valerẽt, in vnum collatæ, alicui viro magni iudicij præſentarentur, qui in nullam earum abundantius quã in aliam affectus eſſet, proculdubio rationabiliorem catholicam aſſereret poſitionẽ. De viliſſima turpiſſimi atq; inſipientis Mahometi ſatis rudi poſitione, quãtum ad vitam æternam dicere nõ attinet. Nam ipſa manifeſtiſſime irrationabilior eſt omnibus gentilicijs atque poeticis poſitionibus ſuperius enarratis. Catholici autem tractatores tria animarũ principalia receptacula eſſe ponunt, quamquam præter hæc alia quoq; ſint. De his autẽ dubitari nequit, quoniã teſte ipſa Sacra Scriptura, hoc cõfirmatur, ſ. gehennæ ſupplicia, & purgatorias ſedes, atque ipſa gaudia Paradiſi. Primus horum locorũ eſt gehẽnæ receptaculum, vbi incendia magna, atq; frigora aliaq; variarũ genera pęnarũ ſunt, quæ nobis inexcogitabilia ſunt. iuxta Virgilianam aſſertionem in 6. Aeneidos à Sacra Scriptura receptam.

Non mihi ſi centum linguæ ſint, oraque centum,
Ferrea vox, omnes ſcelerum comprehendere formas,
Omnia pœnarum percurrere nomina poſſem.

In hoc animarũ receptaculo dæmones ſunt, q̃ Angeli ſecundum naturam ſunt, ſed malitia ſua dæmones, aut diaboli nuncupãtur, hi æternis ſupplicijs mãcipati ſunt.

Hic quoque indeſinentes pœnæ ſunt, & eſt locus iſte vnicus deſtinatus ad pœnas ſeparatas. Nec eſt vbique, vt aliqui exiſtimauerunt, dicentes animas ęternis incendijs traditas ibi puniri, vbi peccata commiſerunt.

Sed hoc non ſtat, quoniam contingit, quòd aliquis in multis locis peccauerit: ergo in multis locis deberet ſimul puniri. Sed non cõtingit eandem animam in multis ſimul puniri locis: ergo non punitur in locis, in quibus peccauit. Niſi forte dicas, quod anima ponitur pro quolibet peccato in loco, in quo deliquit, ſed punitur in vno loco vbi deliquit pro peccatis, quæ ibi patrata ſunt: deinde in alio loco pro peccatis, quæ ibidem fiunt, & ita in omnibus locis punietur pro peccatis, quæ ibi facta ſunt.

Sed hoc non põt ſtare, quia pro quolibet mortali peccato debet̃ pęna ęterna: ergo cũ inceperit in aliquo loco puniri, in quo deliquerit, ꝗa pro quolibet mortali pctõ æterna debetur pœna, ibi æternaliter punietur, & ſic nõ tranſibit, vt puniatur in alio loco, in quo deliquit, ita vt nunq̃ poſſit puniri in omnibus locis, in quibus deliquit.

F Item ſi daretur, quòd aliquis condemnatus in aliquo loco puniretur pro peccato, quod ibi cõmiſit, & ibi puniretur vſquequo compleretur pęna debita pro peccato illo, rurſus in alio loco punietur pro peccato, quod ibi commiſit, quouſque perueniretur ad vltimum peccatũ, cum peccata cuiuſlibet hominis quamquam multa ſint, tamen finita ſecundum numerum ſunt. Tunc quæretur, an pro illo vltimo punietur æternaliter aut non. Si dicamus, quòd puniatur æternaliter erit inconueniens, quia pro quolibet alio peccato vſque ad perfectam pęnarum perſolutionem punitus fuit, & tamen pro nullo eorum, nec pro omnibus ſimul ſumptis fuit punitus æternaliter: ergo nec pro ipſo punietur æternaliter.

Si autẽ dicamus, ꝙ pro iſto vltimo punitur, ſicut pro G quolibet aliorum, ſicut pęna cuiuſlibet aliorũ, & omniũ ſimul ſumptorum eſt pęna temporis finiti, ita pęna huius vltimi erit pęna finita. Et ſic dabitur, ꝙ illi, qui in inferno ſunt non puniantur ęternaliter, quod cõtra catholicã doctrinã eſt. Non eſt ergo idem locus punitionis, & delicti. Si autem aliquando, quod rarum eſt, aliquas animas æterno mancipatas igni per diuerſa terrarũ atque maris, & aerearum regionũ loca pęnas tolerare cognouerimus, hoc regulare non eſt, ſed ad quoddam myſterium vtilitatis viuorum eſt, vt ſic cognito aliquid in viuentibus permutetur. De hoc Gregor. in 4. Dialog.

Dicẽdum eſt igitur eos, qui in mortali culpa deceſſerunt, æternis pœnis ſubiectos in quodam ad hoc ſpecialiter determinato loco, quod à nobis latinè infernus appellãtur. Circa quod aliqui delirauerunt dicentes quidẽ vnum eſſe pœnarum locum, ſed hunc in aere caliginoſo eſſe, cuius aliquale videtur eſſe motiuum, quoniã infernus pœnarum locus eſt. In aere autẽ caliginoſo hæc con- H uenienter fiunt, cum locus ipſe ad pœnas adaptetur. Eſt enim ibi qualitas nimis afflictiua in gradu exceſſiuo, qđ infernali loco competit. Qualitates namque actiuæ, & paſſiuæ ſunt organa, ſiue inſtra quędam ſubſtantiarum agentium, & patientium. Hæ autem omnes actiuæ qualitates, atque paſſiuæ ſecundum poſitionem omnium de natura loquentium, quatuor ſunt, ſ. caliditas, frigiditas, humiditas, & ſiccitas. harum duæ, ſ. caliditas, & frigiditas ſunt propriè actiuæ, aliæ duæ magis directè ad patiẽdum ſunt quam agendum collatæ ad duas priores, ideo infernus ibi propriè eſſe debet, vbi iſtæ duæ in gradu intenſiſſimo ſunt. Et quia intenſiſſimus calor in elemento ignis eſt, exceſſiuum autẽ frigus in aerea regione in aere I caliginoſo, videbitur alicui non inconuenienter dictum infernum in ignea, aut aerea regione eſſe.

Probatur infernũ eſſe in aere caliginoſo vel in igne.

Fuit autem huius poſitionis origo. Quidam enim volentes Platonicæ inniti poſitioni cum ipſo dixerunt, totã vniuerſalem mundialem machinam ex 4. elementis conſtitui, ita vt præter quatuor elementa, atque formata ex his corpora nihil in vniuerſitate rerum eſſet. Quo pacto ipſos cæleſtes orbes atque aſtrorum corpora elemẽtares ſubſtantias crediderunt. Vnde celum ſubſtantiam igneã dixerunt, & aſtra eſſe corpora ex igne puriſſimo conſtãtia. Demonſtrãt autem hoc cæli nomen. Cælum.n. apud poetas atque alios antiquos atq; doctiſſimos ſcriptores Aether dicitur. Aether tamen ex ſua primaria origine ignem notat. Et quia ſecundum aſtrologicam atque notã ſatis poſitionem planetarum in influendo caliditatem K diſtẽperatior Mars eſt: ideo in cælo Martis puriorem atq; viuaciorem conſtituerunt ignem. Addiderunt quoque phlegetontem fluuium, qui ab omnibus Poetis apud inferos eſſe aſſeritur, atque ardens, & vrens ex Græca origine interpretatur cælum Martis eſſe. Ex quo inferunt inferos in ipſo cælo Martis eſſe, ſcilicet in medio, & in viuaciori loco igneæ regionis. Hanc tangit poſitionem Martianus Mineus Felix Capella in lib. de nuptijs Mercurij, & Phyſiologiæ, proſa prima diſtin. 2. quæ incipit. verum eoſdem amnes diuerſicolor fluentorum vnda raptat. vbi de planetarum conditione agit.

De his latius meus abulen. Gen. 2.

Sed hæc ſtare nequeunt, quia præſupponunt cæleſtia corpora ex elementali materia eſſe, ſ. ignea, quod contra doctrinam omnium Philoſophantium præcipuè Ariſt. & omnium Peripateticorum militat, identidem quoque

contra

uens, ſed putreſieret ſicut cadauera, exiſteute tamen interius aia rationali, qm̃ nihil magis differt illã aiam interius eſſe, q̃ nihil eſſe intra, cũ non ſit illius corporis aia, Satis ergo patet contra Pythagoreorũ doctrinã, vnã aiam nõ poſſe tranſire per diuerſa corpora ad alia informãda.

Sequitur incidens, ſi poſſibile eſſet in reſurrectione animas hominum informando demigrare: tot eſſent homines: quot antè, ſed de prioribus nullus ſtaret.

Demonſtratum eſt aũt aiam vnius corporis non poſſe in alterum corpus migrare ad illud informandum: ſi tñ daretur, ꝙ Deus poſſet vnam aiam alteri corpori, cuius non erat inducere, & eam illi formaliter vnire, vtpote, ꝙ aiam Platonis mortui induceret in corpus Socratis, & aiam Socratis induceret in corpus Platonis: ſequeretur, ꝙ non eſſent iam illi hoies, qui ante fuerant. Et ratio huius eſt, quia in compoſitis eſſe accipitur a materia & forma, cum vtrumq; dicatur pars eſſentialis rei. Cum ergo eſſe rei conſiſtat in indiuiſibili, ſi aia Socratis inducatur alicui corpori, quod non ſit corpus Socratis, ſeu Platonis, cum aia non contineat totam eſſentiam rei, ſed materia & forma, ille qui reſultabit ex aia Socratis, & corpore Platonis non erit Socrates, quia tunc daremus, ꝙ totus Socrates conſtaret ex aia Socratis, & corpus ſuum nõ eſſet pars eſſentiæ ſuæ, quæ inconuenientia ſunt: ergo talis hõ non erit Socrates. Etiam iſte hõ nõ erit Plato, quia iſte ſolum continet corpus Platonis. corpus aũt, quia eſt pars materialis, non continet totã eſſentiam rei, ideo vbi fuerit ſolum corpus, non erit Plato. Eodem modo de illo hoie, qui eſt reſultans ex aia Socratis. & corpore Platonis ẽ cõtrario quam in primo. Nam ibi ſolum eſt anima Platonis. Ideo non eſt Plato, quia aia ſola non continet totam eſſentiam Platonis, & ibi ſolum eſt corpus Socratis, ideo non eſt Socrates, quia corpus nõ continet totam eſſentiam Socratis, & ſic antea ex his duabus aiabus, & duobus corporibus reſultabant Socrates, & Plato, & miſcendo iſto modo erunt duo hoies, & non erũt Socrates, nec Plato. Sic namq; eſt, cum aia B. Petri nunc ſit in vita æterna, & aia B. Pauli ſimiliter, & poſt in reſurrectione, qñ coniuncta fuerit aia eius corpori ſuo, erit B. Petrus, & ante non erat, cum iſta eſſent diſiuncta. Eodem modo redibit in reſurrectione B. Paulus, vt ſit B. Paulus, cu nunc non ſit B. Paulus. Si tñ in reſurrectione Deus poneret animam, quæ fuit B. Petri in corpore, quod fuit B. Pauli, & aiam B. Pauli in corpore, qđ fuit B. Petri Apoſtoli, ſierent per reſultationem duo hoies, qui non eſſent B. Petrus, nec B. Paulus, ſed quidam alii duo hoies, qui nunquam antea fuerunt, & B. Petrus, & Paulus impoſſibile eſſet, vt exiſterent, nec aliquatenus reſurgerent. Et ſic ſi in generali reſurrectione oẽs aiæ permutarentur, ita ꝙ nulla aia induceretur corpori, quod ante informauerat: ſuppoſito, ꝙ iſtæ aiæ poſitæ in aliis corporib. informare poſſent, ſequeretur, ꝙ nullus hõ de his, qui ante fuerãt, reſurgeret, quia nulli cõſiſterent ſuę partes eſſentiales, ſ. anima, & corpus, eſſent tñ tot hoies, quot antè fuerant, quia tot aiæ, & tot corpora in reſurrectione illa eſſent, quot ante illam fuerant, & tot vniones animæ, & corporis, quot antè, iſti tñ homines non eſſent nouiter geniti, tanquam aliquid eſſentiale nouiter eſſe cœpiſſet.

Refutat ſingula dicta Pythagoræ. & Ouidii in particulari & probando eſſe errones.

Deinde autem ad dictum Ouidij, quod recitat in 15. Meta. de poſitione Pythagorica, negandum eſt quidquid dicit, cum aſſerit ſe fuiſſe Euphorbum militem in bello Troiano, & ꝙ animæ migrent per corpora, & ꝙ aliquis comedens carnes alicuius pecoris, poſſet comedere carnes patris ſui, vel matris, vel alicuius propinquorum. Hæc n. omnia impoſſibilia ſunt, rationi & toti naturali philoſophię atque catholicis documentis repugnantia.

Primum aũt horum difficilius eludi poterat, quoniã verius videbatur, ſ. ꝙ aia vnius hois in alterius corpus demigrare poſſet, ſed ſatis improbatum eſt. Et adhuc patet, quia aia recipit, ꝙ ſit vna per vnibilitatẽ ad corpus, in quo primo eſt. Et ſi deberet in aliud corpus tranſire, cum illud ſit alia materia ſignata, neceſſe eſſet, vt illa aia hћeret aliam vnibilitatem, cum variatis terminis, vel alterutro terminorum relationes neceſſe eſt multiplicari, ſiue variari ipſum reſpectũ, vel relationem, quæ recipit eſſe

A ab eis, ſed iſta aia recipit indiuiduationẽ, ſ. ꝙ ſit iſta aia per hanc vnibilitatem: ergo neceſſe eſt, vt recipiat aliã indiuiduationem per aliã vnibilitatem, ſed duæ indiuiduationes faciunt duo indiuidua, ſicut duæ humanitates faciunt duos hoies: ergo iſta aia erit duæ aiæ, quod includit contradõnem: ergo aia, quæ fuit Euphorbi militis mortui in bello Troiano, nõ fuit aia Pythagoræ, nec Homeri, nec Ennii Poetæ. Ideo Perſius Poeta ſatyricus, qui acutius iſtam veritatem contemplatus eſt, irriſit poſitionem Ennii, & Pythagoræ in hac re Satyra 6.

Item ſi vna anima tranſiret in alterum corpus, cum habitus ſpeculatiuus, & practicus ſint in intellectu, & habitus virtuoſi ſint in voluntate, & intellectus ac voluntas maneant, cum iſti habitus ſibi radicaliter inhæſerũt, neceſſe erat, vt cum anima tranſiret in alterum corpus,

B iſti habitus tranſirent cum ea, etiam ſi aliquis obijciat habitus morales non poni in anima rationali. ſed in parte affectiua, quamquam de hoc non ſit in præſenti ſpeculandum, tamen ſaltem habitus ſpeculatiui, & practici intellectus neceſſario manebunt in anima, per quos habens illos facilius intelligeret, & non oportebat, vt quilibet hõ ad hoc, ꝙ ſciret addiſceret, ſed aliqui docti naſcerentur. Cum. n. intellectus ſit principium intelligendi, ſic intelligit, vt eſt diſpoſitus, vel habituatus. ſed in iſta anima manent habitus tam ſpeculatiui quam practici, ergo ſecundum eos poſtea intelliget.

Plato aũt quamquam non tenuerit Pythagoricam poſitionem, tñ in hoc rñdere poſſet ſecundum ſuam poſitionem, qua tenet, ꝙ anima, antequam vniatur corpori, cognoſcit oĩa naturalia, quæ cognoſcere poſſet exiſtens

C in corpore quantumcunq; perficiatur, ſed in vnione ad corpus, propter imperfectionem materiæ, obliuiſcitur quæ ſciuerat, ſed poſtea per doctrinam excitatur illa cognitio, quæ ante fuerat, & ſic noſtra ſcientia, quę nũc acquiritur, nihil aliud eſt, niſi reminiſcentia eorũ, quæ obliti ſumus. Hæc aũt tangit ſatis Boetius de conſola. lib. 3. Metro, 12. quod incipit. Quiſquis profunda mente veſtigat verum. Et concludit, ꝙ ſi Platonis muſa perſonat verum, quod quiſquis diſcit, immemor recordatur.

Hunc modum reſpondendi vr̃ ſecutus ipſe Pythagoras dicens, quod anima exiens de corpore viuus, & intrans corpus alterius obliuiſcebatur ſui, ideo neſciebat cuius aia fuerat. Ipſe aũt dicit ſe cognouiſſe, ꝙ aia ſua fuerat aia Euphorbi militis Troiani, per multa ieiunia, quæ. ſ. diſponebant organa ad intellectionem, vt intelle

D ctus eſſet purus ad intelligendum quidquid vellet.

Sed hoc non põt ſtare. Nam cum in aliquo intellectu imprimuntur habitus ſpeculatiui & practici, & anima trãſeat in alterum corpus, dato ꝙ propter indiſpoſitionem organorum, adhuc multũ tenerorum non poſſit hõ adhuc per illum habitum intelligere, ſed cum tpis tractu conuenientia amborum deducãtur organa ad talem diſpoſitionem, vt intellectus poſſit eis vti conuenienter. Incipiet igitur intelligere perfectè ſecundum illum habitum, & non indigebit, vt iterũ doceatur. Sed videmus, ꝙ nullus homo eſt, qui non indigeat doctrina, ſaltem vt declarentur ei termini, qui nullo modo perfectè, & conuenienter intelligi poſſunt ab intellectu, niſi prius doceamur quantumcunque intellectus acutiſſimus ſit. Sed de oĩbus nullum videmus, qui non egeat magiſtro quan-

Nõ quantũcunq; acutiſſimo intellectu ſit tamẽ indiget docente.

E tum ad aliquid, ſ. quantum ad terminos artis. Ergo nullius anima tranſit in alterum. Patet conſequentia, quia cum ille, qui habet habitum alicuius ſcientiæ ſpeculatiuæ, vel practicæ, non ſolum cognoſcit cõcluſiones, ſed etiam terminos artis: immo magis terminos, & principia quam concluſiones, vt ait Ariſt. in 1. Poſter. cum ille, qui iſtam animam ſuſcepit, incipiat in tempore, quo impedimentum organorum ablatum eſt, intelligere ſecundũ habitum illum, & non ſolum cognoſcet concluſiones, ſed etiam intelliget terminos: ergo nõ indiget magiſtro ad aliquid, ſed per ſe totum intelliget, quãta intelligebat alius, cuius illa aia fuit. Hanc opi. tenuit Ennius poeta, & vt ſe magnum Poetam fore iactaret, dixit ſe accepiſſe aiam Homeri, qui fuit maximus Græcorum Poetarum, vt quaſi ex hoc pateret eum ſcire omnia, quæ Homerus

merus cognouiſſet. Hoc autẽ magis manifeſtatur, quia Plato non dicit in coniunctione animæ ad corpus totaliter abradi ſcientiam, ſed impediri mole carnis, ne intelligat ea, quæ ante intelligebat. Pythagoras tamen dicit ieiunio poſſe recuperari ſcientiam, quæ fuit antè in eo, qui viuebat per illam animam: eſt ergo ſic intellectus impeditus, & non abolitus. Sicut ergo eſt in naturalibus, quòd ſi aliqua res habeat virtutem ad aliquid operandum, & prohibeatur ab aliquo agente: non oportet, quòd ad hoc, quòd illa res agat innouetur ab aliquo ad agendum, ſed ſolum, quod tollatur prohibens agere, vt ſi lapis per ſuam grauitatem poteſt deſcendere deorſum, & ponatur aliquid, in quo teneatur, ne deſcendat, ad hoc, quòd exerceat actum ſuum, ſcilicet quòd deſcendat, non oportet, quòd ab aliquo adiuuetur impellente eum deorſum, ſed ꝙ ſolum tollatur id, quod prohibebat actionem. Et ſic etiã patet in habitibus ſcientificis. Si enim aliquis ſit geometra, vel philoſophus ſecundum habitum, & poſtea efficiatur ebrius, vel ſomnolentus, vel incurrat inſaniam, vel epilepſiam, vel ſimiles paſſiones, in quibus vetatur totaliter actus intellectus, non poſſunt illi ſic ſe habentes, licet habitum habeant, intelligere, quia non ſunt diſpoſita organa. Cum tamen venerint ad congruam organorum diſpoſitionẽ, non oportet, quòd iterum addiſcant, ſed ablato impedimẽto organorũ immediate incipient perfectè intelligere, vt antea: ergo ſic eſſet de anima habituata ſpeculatiuo habitu, vel practico ſi trãſiſſet ad aliud corpus, quòd ablato impedimento organorum reductis eis ad congruam diſpoſitionem inciperet intelligere perfecte ſecundum habitum, quem antè habebat habens illam animam, & qui manet in illa anima, ideoque non indigebit aliquo modo Doctore, ſed nullus eſt, qui non indigeat modo quo ſupra dictum eſt: ergo non tranſit vna anima de vno corpore in aliud.

Secundũ dictũ Pythagoræ. Aliud erat, quod dicebat Pythagoras, ſ. quòd ipſe fuerat Euphorbus miles a Rege Menelao in bello Troiano interfectus. Sed quia hoc erat confirmatio poſitionis ſuæ, ſicut poſitio erat falſa, ita & hoc falſum, ſcilicet ꝙ anima ſua fuit in Euphorbo, vel Homero, ſeu in Pauone, vel Cygno, aut aliquo hominum. Et eodem modo rationes militant contra iſtud exemplum, quo militabant contra principalem poſitionem.

Aliud erat dictũ poſitionis Pythagoreorum, ſ. ꝙ interdum anima humana tranſibat in corpora beſtiarum, cum illa prompta ad receptionem formæ reperiebat.

Contra hoc dictum militant omnia argumenta facta contra ſuperiorem poſitionem eiuſdem. Nam ſi non poterat vna anima humana tranſire in corpus alterius hominis mortui, à fortiori tranſire non poterit in corpora beſtiarũ, cum plura alia inconuenientia quam ſuprapoſita ſequantur ad iſtam poſitionem, ſcilicet ſi intrent animæ humanæ in corpora beſtiarum.

Primo, quia omnis forma requirit debitas diſpoſitiones in materia, in qua debet ſuſcipi, ſed diſpoſitiones corporis humani, & corporum beſtiarum non ſunt eædem, ergo anima humana nunquam poteſt recipi in corporibus beſtiarum. Maior patet, quia ad hoc, quòd aliqua forma recipiatur in aliqua materia, vt anima in corpore, requiritur debita magnitudo. Nam ſi ponatur aliqua pars materiæ tanta, ſicut vnus digitus, vel vnus palmus, non poterit ibi recipi anima humana, quia dato, quod poſſent fieri organa valde parua, & delicata, cum ſit magna organorum pluralitas, & paruitas materiæ, non poterit anima humana vegetare id corpus, quia tam parua organa non poſſunt eſſe conuenientia ad explendas organicas operationes animæ conuenientes, vt vegetet corpus. Etiamſi detur aliqua pars materiæ tanta, ſicut vna magna turris, illa non poterit vegetari ab aliqua anima humana, quia non eſt tantarum viriũ, vt complere poſſet operationes requiſitas ad ſanitatem tanti corporis. Sed eſt dare certam periodum magnitudinis in qualibet ſpecie ad hoc, quod informetur materia per formam illius ſpeciei, & ſic eſt de rebus cuiuſcumque ſpeciei, quæ requirunt debitam magnitu-

Quælibet ſpes requirit certã periodũ magnitudinis.

F dinem. Et ad hoc diuerſæ res habent diuerſas magnitudines in rebus naturæ ſcilicet in indiuiduis ſuis. Et res vnius ſpeciei non perueniunt ad magnitudinem conuenientem alteri ſpeciei. De hoc Ariſtot. 2. de Anima. c. de vegetatiua, & nutritiua potentia ait. Omnium natura conſtantium poſitus eſt numerus magnitudinis, & augmenti. Requiritur etiam ad introductionem animæ, vel alterius formæ in materiam debita figuratio, ſiue organizatio, ſicut videmus in fętu humano, & aliorum animalium, & in ipſis arboribus. Nam nulla arbor poteſt ſic figurari, ſicut homo, aut ſicut capra, aut alia res naturalis, quia non poſſet fieri digeſtio ſufficiens, ſi eſſent arbores in parte ſuperiori groſſiores, quam in trunco, qui eſt locus digeſtionis.

G Requiruntur etiam debitæ qualitates. Nam aliæ qualitates ſunt in materia cum introducitur anima humana, quam cum introducitur forma equina, vel caprina, ſcilicet alia teneritudo partium, & alius gradus caliditatis, aut frigiditatis, & ſic de ceteris. Iſta autem non ſunt eadem in omnibus animatis rebus, nec ſunt in aliquo animali, ſicut in alio ſi reſpiciantur diligenter, quia vel in ſuperficie corporum, aut in figuratione mẽbrorum, vel inter cutem in diuiſione corporum, ſemper reperietur aliqua diuerſitas quantitatis, & organizationis, & ceterarum rerum, quæ ſunt neceſſaria ſecundum naturam ad introductionem formæ.

Et ſic habetur intentum, ſcilicet quòd cum in beſtiis non ſit talis diſpoſitio qualis eſt in corpore humano, non poterit ibi introduci anima humana. Et ſic ceſſabit dictum Pythagoræ.

H Si autem dicas, quod non ſunt neceſſariæ iſtæ diſpoſitiones, ſequitur quòd natura fruſtra operatur in faciendo. Conſtat namque, quòd plus laborabit natura faciendo diſpoſitiones, & organizationes, & quantitatum dimenſiones, quæ ſunt in corpore humano cum plures ſint, & ſubtiliores, quam faciendo diſpoſitiones, & organizationes in corpore vnius vermis, vel colubri, ſi ergo non ſunt magis neceſſariæ ad introductionem animæ rationalis iſtæ diſpoſitiones, quam illæ, erit ſuperuacuus labor naturæ. Quod nullo modo concedendum eſt, cum entia naturalia ſint ordinatiſſima, vt patet iuxta Ariſtot. in fine. 12. Metaphy. Etiam patet, quod ſint iſtæ diſpoſitiones neceſſariæ, quia animæ hominum, & beſtiarum habent diuerſas virtu-

I tes operatiuas. Et quia operationes vegetatiuæ, & ſenſitiuæ præſupponunt organa, ergo ſecundum materiam virtutum operatiuarum ſic requiritur numerus potentiarum, & diuerſorum organorum, ergo non debent eſſe tales diſpoſitiones organicæ, vel dimenſiones pro brutorum animabus, ſicut pro anima humana, quia ſi aliqua anima habens multas potentias operatiuas vniretur alicui corpori habenti pauca organa, non poſſet exercere operationes ſuas, ideo non poſſet teneri colligata illi corpori.

Item ſi non eſſet neceſſaria iſta organorum multiplicitas, & lineamenta ad introductionem animæ, ſed poſſet introire in corpus aliarum diſpoſitionum, ſicut eſt corpus cuiuslibet beſtiæ, ita poſſet introire in corpus valdè diſſimilium diſpoſitionum, ſicut ſunt corpora

K lapidum, & arborum atque aliorum naturalium. Sed hoc inconueniens valdè eſt, quod anima humana informet materiam lapidis manentem ſub illa figuratione, & denſitate, & frigiditate atque vniformitate. Et nullus hoc concederet tanquam valdè abſurdum: ergo nec tranſeunt in corpora beſtiarum.

Item ſi animæ humanæ ex eo, quòd non requirũt determinatas diſpoſitiones, vt dicitur, poſſunt tranſire in corpora beſtiarum: ergo animæ beſtiarum conformiter non requirentes debitas diſpoſitiones poſſunt gigni in corporibus humanis. Et ſic aliqui forent beſtiæ habentes corpora humana, quod abſurdum valde eſt. Si ergo hoc non conceditur, nec etiam alterum concedi debet, quia æqualis cauſa eſt abſurditatis.

Item hoc impoſſibile eſt: nam operatio cuiuslibet rei eſt ſm̃ formam, quam habet, quia forma eſt principium

totius

[pri]mus operationis,& actionis,ſicut materia eſt principiũ ipſius paſſibilis mutationis. Sic.n.ait Ariſt.in 3.Phy.ꝙ ſicut tranſmutatio dat cognoſci materiam, ita operatio dat cognoſci formam.cum igitur variantur actiones,neceſſe eſt formas variatas eſſe. Si ergo in corpora beſtiarum aliquando tranſirent animæ humanæ,neceſſe eſſet, vt corpora beſtiarum haberent eaſdem actiones, quas homines habent.ſ.vt intelligerent,& vellent, & facerẽt cetera in hunc modum, quæ pertinent ad prudentiã, & actiones humanas. Sed nulla beſtia eſt, q̃ habeat actus humanos, nec vnquam viſa eſt, ergo nunquam anima alicuius hominis intrauit in corpora beſtiarum.

Nec valet ſi dicas quaſdam beſtias habere prudẽtiã, vt ſunt vulpes,& taxones, vel caſtores,& ſimiæ, vt cõiter dr̃, quia vñr habere actus quoſdã ſimiles actib. humanis,quia de his dicit Ariſt.Ethic. lib.6.ꝙ nõ propriè habẽt vim prudentiæ,q̃ eſt iudicatiua de bonis & malis agibilibus,ſed quandã potentiã prouiſiuam ad vitam,q̃ eſt quædã naturæ ſolertia. Sed ob hoc,ꝙ ſimiæ in quadã figuratione vultus, & in quibuſdã cautelis humanã prudentiã & figurã imitantur, poetica licentia occaſionem habuit dicendi,eas olim magnos hominũ populos, poſtea à Ioue in ſimias conuerſos, retenta prioris naturæ quadam ſaltem leui effigie, de quibus Metamor.lib.7.

Item & fortius probantur prædicta.ſ.ꝙ nunquã tranſeant animæ humanæ in corpora beſtiarum. Nam in cõpoſitis,licet eſſe accipiatur à materia & forma,ipſa tamẽ forma eſt, q̃ dat eſſe materiæ, & determinat ad certam ſpeciem actuando eam, ſecundum ergo varietatem formarum ita ſunt varietates ſpecierum, ſed anima humana eſt quædam forma ſpecifica diſtincta ab alijs formis ſpecificis.ergo ipſa dabit corpori, in quo fuerit, eſſe ſecundum ſuam ſpeciem,neceſſe eſt igitur,quòd vbicunque anima rationalis formaliter vnita fuerit,quod ſit illud animal rationale: ſi ergo anima humana exiens de corpore humano introierit in corpus beſtiæ organizatum,& diſpoſitum ad recipiendum formam:neceſſe eſt, vt recipiat eſſe humanum, & iam non erit beſtia illud compoſitum,& tunc falſum erit, ꝙ animæ humanæ ſint in beſtijs,ſed in hominibus: ſed hoc eſt impoſſibile.ſ.ꝙ aliqua beſtia ſit homo, ergo impoſſibile eſt animam humanam intrare beſtiarum corpora. Aliud erat dictum Pythagoræ in hac poſitione, ſcilicet quòd ſi aliquis comederet carnes porcorum, poſſet ibi comedere carnes patris ſui, vel matris, vel aliorum amicorum carorum, & ob hoc introducere conabatur frugalitatem, dicens vitandam eſſe carnium comeſtionem.

Hoc autem ſtare non poteſt cum omnia ſupra inducta contra hoc militent. Nam hic præſupponitur,quòd anima patris mei, vel matris tranſire poſſet,in corpora beſtiarum,quod ſupra improbatum eſt. Sed præter rõnes illas ſunt adhuc aliæ.ſ.ꝙ non poſſint eſſe carnes huius pecoris carnes alicuius hominis,ideo nemo ſic comedẽdo comedit carnẽ patris ſui, aut matris, quia dato qđ anima humana poſſet intrare in corpora beſtiarũ & informare ea,tñ ſicut ſupra dicebamus,ſi Deus poneret animam Beati Petri in corpore, quod ante fuit beati Pauli, & animam beati Pauli in corpore, quod fuit beati Petri, iam nullus eorũ eſſet Petrus, aut Paulus,ſed eſſent duo homines nouiter formati,qui nunquam ante extitiſſent. Ita cũ hic anima alicuius viri poneretur in corpore alicuius beſtiæ & informaret id, atq; inde reſultaret cõpoſitum,quod eſſet homo, tñ ille non eſſet pater alicuius viri,quia iſte homo non erat ille, cuius anima ibi erat. Nã anima non cõplet totam eſſentiam in cõpoſitis, ſed aïa & corpus.ſed ibi ſola aïa viri prioris eſt. ergo nõ ibi vir ille prior qui fuerat pater alterius, & conſequenter nec carnes eius.Sed adhuc dato,ꝙ aïa cõpleret totam eſſentiam rei.ſ.ꝙ vbicunq; eſſet aïa, eſſet ẽt homo,cuius erat aïa,non ſequeretur hoc. Nam daretur tũc,ꝙ ex eo,ꝙ aïa alicuius viri mortui introiuerat corpus alicuius beſtiæ, ꝙ illud compoſitum reſultans ex anima humana,& corpore illius beſtiæ eſſet vir,qui antè fuerat,& tunc ſi vir, qui antè fuerat, fuit pater aliquorum,ẽt diceretur,ꝙ iſtud compoſitum tale ſit pater illorum genitorum, & tamen

Aïa non cõplet totũ eſſe in cõpoſito, ſed aïa, & corp.

A ſi aliquis de filijs viri prioris comedat de carnibus illius corporis,in quo eſt anima patris ſui,q̃q̃ iſtud cõpoſitum ſit pater ſuus, non comedit de carnibus patris ſui, quia carnes patris ſui, de quib. iſte filius deſcendit corruptæ ſunt recedente anima,& iſtæ.in quibus nunc anima eſt,non ſunt carnes patris ſui,ſed carnes alicuius beſtialis corporis. Nam recedente aïa patris ſui ab iſto beſtiali corpore,in quo erat, nihil manebat ibi,quod ad patrem ſuum pertineret,ſi tñ aliquis occideret illud compoſitum reſultans ex anima patris ſui, & corpore beſtiali, in quo erat,occideret patrem ſuum,qm̃ ex hypotheſi anima ſola patris exiſtens ibi, faciebat, ꝙ id compoſitũ eſſet,quod alias fuerat pater aliquorũ hoĩum. Poſtquam tñ occidiſſet illum patrem ſuum, & comederet carnes B cadaueris illius, non comedere carnes patris ſui,quia iã ibi nihil de patre ſuo manebat. Cõcluſum ergo videtur ſufficienter ex prædictis, ꝙ poſitio Pythagoræ ex prædictis circa animarum humanarum tranſmigrationem nõ poteſt vllatenus ſtare,ſed prorſus erronea eſt.

TERTIA CONCLVSIO.

Delectationibus gaudentes, vel ſupplicia ſubituras animas corpore ſolutas. oportet aliquibus locis eſſe immanſuras.

SEquitur tertia concluſio.Delectationibus gaudentes, vel ſupplicia ſubituras animas corpore ſolutas,oportet aliquibus locis eſſe immanſuras,ideſt ꝙ neceſſarium C eſt,vt animæ poſt mortem ſint in aliquibus locis ad tolleranda ſupplicia pro peccatis,vel vt gaudijs perfruantur. Nec.n.mihi in hac parte repetendum eſt,an animæ ſecundum naturalia fundamenta poſt mortem pœnas, aut gaudia ſuſcipere debeant,cum hoc in ſuperiorib. lucide comprobatum fuerit, ſed ſolum inducendum eſt, qualiter in aliquibus locis immanſuræ ſint. Quod ſatis patet:nam animas poſt corporis mortem permanere ſupra conceſſum,& ab omnibus philoſophis partim probatum,& partim præſuppoſitum eſt: ergò cum ipſæ infinitæ non ſint,ita vt in omni loco eſſe poſſint,quemadmodum de Deo Catholici confitentur,neceſſe eſt,vt alicubi ſint. Nec in hoc tamen dicendum eſt eſſe eas propriè in loco, cum ſolis corporibus locari conueniat per quantitatem ſuam, quæ in animabus nullatenus eſt,ſed dicimus animas eſſe diffinitiuè in locis,ideſt, quòd diffiniunt ſibi aliquas partes mundi,in quibus ſint, non ꝙ ibi propriè ſint,ſed quòd ita ibi ſint, vt in nullo alio lo- D co ſint,& ſic homine viuente dicimus animam in corpore eſſe, nec tamen corpus replere, aut ibi ſecundum leges locorum eſſe,ibi tamen eſſe, ita igitur poſt reſolutionem à corpore ſtare poterunt, in aliquibus alijs locis diffiniendo illa ſibi, & non alia.

Aïæ ſunt diffinitiuè in locis nõ circũſcriptiuè.

Hucuſque naturaliter inductũ eſt, ſed an animæ poſt mortem ſint in cælo, vel in terra, aut in viſceribus terræ, vel in partibus diuerſis aeris, patere non poteſt ſecundum naturam, ſed ex fidei fundamentis hæc habentur. Satis autem conuenienter & rationabiliter dici deberet,ꝙ animæ illę,q̃ in virtutibus & actibus bonis ſtudentes a corporibus receſſerunt,debeant eſſe in loco excellenti,ſicut in cęlo,cũ probauerimus eas ſemper gaudere debere,& animæ quæ ſceleribus implicitæ corporum reliquerunt incolatum, rationabiliter videtur de- E bere in locis triſtibus eſſe. Sed hæc quidem ſuaſoriæ rationes ſunt. Neceſſitas autem demõſtrationis in his nulla eſt. Nam hoc præſupponit aliquem eſſe iudicem diſtributorem pęnarum,& gaudiorum pro ſceleribus,aut ſtudioſis operationibus. De quo apud eos,qui ſola naturali ratione ſpeculantur, nulla fidei illuſtrati luce, dubium ſatis magnum eſt.

De hoc autẽ apud antiquos nimia varietas exſtitit in eis,qui aliquid pęnarũ,& gaudiorũ poſuerũt. Plato nãque q̃q̃ Pythagoricus nõ plenè extitit, Pythagoreorum tñ poſitionẽ, in quibuſdã imitatus eſt, dicẽs animas humanas in corporib. fuiſſe aſtrorũ,& inde in corpora deriuatas in quandam quaſi pęnam. Poſt exitum autẽ a cor-

poribus

poribus iterum ad aſtra redire: rurſus autem ad corpora F alia, ſic vt infinita fiat circulatio. De his Aug. de Ciuit. Dei, lib. 19. Sed iſta Platonica poſitio non poteſt ſtare, ſicut nec Pythagorica. eadem namque iſta aſſerit, quę Pythagorica poſitio in prima parte aſſerebat. ſ. q̃ anima humana in alia humana corpora deriuari, & transmigrare poſſit. Quod patet, quia cũ animæ, poſtquam in corporibus fuerint, ad aſtra tendant, & poſt aſtra in corpora redeant, non dicuntur redire in eadẽ corpora, in quibus antea fuerant: ſed ad alia, quod eſt manifeſte incidere in dictum Pythagoricum, ſ. q̃ anima in vno corpore exiſtens poſſit tranſire ad alterum corpus, quod penitus improbatum eſt. Alium modum locorum, in quibus animæ poſt mortem ſunt poſuit Virgil. in 6. Aeneidos, qui Platonicus valde eſt. ſed q̃a Poeta eſt, poetico modo, et quaſi per integumenta Platonicam aſſertionem dedit. G Introducit enim Aeneam Troianum petentem a Sybilla Cumana, vt eum per infernas duceret ſedes, quo pacto ei Anchiſem patrem ſuum videre, atque eidẽ colloqui contingeret, cui cum Aeneas loqueretur de omnibus, q̃ ſibi occurrerant, qualiter apud infernorum ageretur loca, perquiſiuit. cui pater, vt fuerat interrogatus, reſpondebat, tandem inquiſiuit an de Tartareis illis ſedib. aliquas animas in cælos ire contingeret, vel aliquas in corpora reuerti. Ad hoc autem Anchiſes quaſi aliquid magnum enodare nitens, primo de natura animarum diſſeruit, dicens quomodo in ſingulis rebus animæ eſſent, & de anima mundi. Adiunxitque animas mox a carneo ſolutas carcere inferorum petere loca, ibique iuxta delictorum qualitatem varios ſuſcipere cruciatus, quibuſdã igne viuaci ſcelera exuruntur, aliæ autem in magnitudi- H ne ampliſſimi maris ſub profunditate fluctuum, facinorum eluunt pœnas, quædam autem ad auras pendent. Cum vero ſcelerum maculas prorſus eluerint, ad Elyſios mittuntur cãpos, qui Tartareis ſedibus propinqui ſunt, ipſoſque poetarum concio beatos vocat capos, in quibus cum per annos mille perſtiterint, nullo penitus manente, quod purgari debeat in animabus, ſed ad modũ ignis puri plenam adepti ſinceritatem, tunc omnes illas Elyſiorum camporum per vices ſuas Deus ad Lethęum amnem facto conuocat agmine, vbi cum obliuioſam illam aquam hauſerint, ſuinpſarum prorſus oblitæ, velut ſi inebriatæ forent, in corpora redire cupiunt, quod ideo Deus facit, vt ad corpora gratis redire vellent. redeunt ergo iterum in corporibus victuræ, rurſuſque ſedes Tartareas atque Elyſios petituræ campos. I

Hæc poſitio cũ platonica ſatis conſonat, quin potius Virgilius, cũ prorſus platonicam teneat poſitionem, nihil aliud quam Plato exprimere voluit. Plato tamẽ planè, vt philoſophum decet, Virgilius autem per quaſdã circulationes iuxta poetarũ officia obliquauit. Differt autẽ iſta poſitio aliqualiter a Pythagoreorum poſitione. Nam illa, nec in aſtra iuxta platonicam poſitionem, nec infernas ſedes, atque Elyſios campos iuxta Virgiliũ reduces facit, ſed mox à corporibus exeuntes in alia corpora, ſiue hominum, ſiue beſtiarũ, vt ſors obtulerit, ſubintrare cogit. De hoc Virgil. Aeneidos lib. 6. introducens Anchiſem reſpondentem Aeneæ, ait. K

O pater, an ne aliquas ad cælum hinc ire putandum eſt
Sublimes animas, iterumq; ad tarda reuerti
Corpora? quæ lucis miſeris tam dira cupido?
Suſpicit Anchiſes. atque ordine ſingula pandit.
Dicam equidem, nec te ſuſpenſum nate tenebo.
Principio cælum, ac terras, campoſque liquentes,
Lucentemq; globum Lunæ Titaniaq; aſtra
Spiritus intus alit, totamq; infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.
Inde hominum pecudumq; genus, vitaq; volantum,
Et quæ marmoreo fert monſtra ſub æquore pontus.
Igneus eſt ollis vigor, & cæleſtis origo
Seminibus quantum non noxia corpora tardant.
Terreniq; hebetant artus, moribundaq; membra.
Hinc metuunt, cupiuntq;, dolent gaudentq;, nec auras
Reſpiciunt clauſa tenebris, & carcere cæco
Quin & ſupremo cum lumine vita reliquit,
Non tamen omne malum miſeris, nec funditus omnes
Corporeæ excedunt peſtes. penituſque neceſſe eſt
Multa diu concreta modis moleſcere miris.
Ergo exercentur pœnis, veterumq; malorum
Supplicia expendunt; aliæ panduntur inanes
Suſpenſæ ad ventos, alijs ſub gurgite vaſto
Infandum eluitur ſcelus, aut exuritur igni.
Quiſque ſuos patimur manes, exinde per amplum
Mittimur Elyſium & pauci læta arua tenemus.
Donec longa dies perfecto temporis orbe
Concretam exemit labem, purumq; relinquit
Aethereum ſenſum, atque auraï ſimplicis ignem.
Has omnes, vbi mille rotam voluere per annos,
Lethæum ad fluuium Deus euocat agmine magno;
Scilicet immemores ſupera, vt conuexa reuiſant,
Rurſus & incipiant in corpora velle reuerti.

In hoc inferno pœnarum multiplicitates Virgil. in eodem 6. Aeneidos eſſe dicit, ita quòd enumerari nequeant, cum ait,

Non mihi ſi linguæ centum ſint, oraque centum,
Ferrea vox, omnes ſcelerum comprehendere formas,
Omnia pœnarum percurrere nomina poſſem.

In hoc autem Virgilius non ſolum infernũ eſſe eluẽdis ſceleribus deputatum aſſeruit, ſed etiam vbi fuerit, expreſſit. Dixit enim illum eſſe in Campania apud ciuitatem Cumarum, à qua Sybilla Cumana, vel Cumea dicitur, quã oraturus Aeneas adijt, tanquã Apollinis vatẽ, vt ei inferni reſeraret abſcondita, oſtendẽs ei Anchiſem patrem ſuum. Huius autem cauſa eſt, quoniam propè in Sicilia quædam vorago montis aperta eſt, quæ ignes eru- H ctuat, quam poetæ Aethnam vocant, alia quoq; eſt quã Vulcanum dicunt identidem ignibus exundans euomitis. nullus igitur poetis ad ponendum in toto mundo infernum conuenientior locus viſus eſt, quam terra Campaniæ. in hac autem poſuit Virgilius ad ſtygium flumẽ nautam animarum ad infernas ſedes tranſeuntium portitorem quem Charontem nuncupauit. Deſcripſit quoque tres inferorum Iudices: multa quoque perſonarum cognitarum ab Aenea ſupplicia aſſignauit & cauſas. Alia quoque ad idem pertinentia, de quibus omnib. in toto 6. Aeneidos: nihil aliud miſcet.

Sed non eandem poſitionem ſequitur Seneca in tragœdia prima, cuius nomen eſt Hercules furens: cum introducitur Theſeus de inferis cum Hercule egreſſus, Amphitrioni Regi inferorum principatum, & habitu- I dinem atque cruciatus enarrans in carmine ſeptimo, quod incipit. Spartana tellus nobile attollit iugum.

Hanc eandem poſitionem tenet Ouidius Metamor. lib. 4. idem autem omnes alij Poetæ expreſſerunt, qui propriè poetice locuti ſunt.

Afarum duo receptacula colliguntur à Poetis purgatorij & paradiſus.

Ex dictis autem duo animarum receptacula poſt mortem manere patet, ſ. Purgatorium, & Paradiſum. Primus quidem locus, in quo Virgilius ceterique Poetarum animas pro flagitiorum menſura puniri dicunt, infernus dici non poteſt eo modo, quo nos infernũ appellamus. Infernum ſiquidem Catholicorũ vocat aſſertio pęnalẽ locum, in quo ſeueritate pœnali in æternum animæ cru- K ciantur remiſſione penitus interdicta. Nullum tñ Virgilius locum aſſignat, in quo pęnalis quæcunque acerbitas aliquando non terminetur. Nam cum illas ſtygias ſedes animæ ſubintrauerint, vſquequo iuxta ſcelerum menſuram pœnarum quantitas exequatur, illic mancipatæ ſunt, cunctis autem digne ſublatis ad campos Elyſios tranſmittuntur, vbi lætitiæ locus eſt, nulla namque ibi irrogatur pœnalitas.

Secundus locus, quem Poetæ animarum à corpore ſolutarum receptaculum faciunt, ad campos Elyſios pertinet, vbi animæ in amęnis vagantur locis, cũ delictorum cõdignas pęnas eluerint. Hunc nõ inconuenienter Paradiſum dicere quis valeret. Nã vt in Paradiſo nos ſimpliciter quietẽ ponimus: ita iſti quãdam in Elyſijs cãpis lætitiã conſtituunt. Nec tñ prorſus in Elyſijs campis ipſi cõſtituunt, quæ nos de Paradiſo prædicamus. Nos enim eas animas, quæ in cælo collocantur, integram puritatem attigiſſe aſſerimus, nec in eis quicquam manere

purgan-

Pythagoreorum traditionem, non poteſt ſtare, & animarum poſt mortem tollit punitionem.

Ad huius euidentiam ſciendum eſt, quod Pythagoras inter antiquos magnus ſatis Philoſophus animæ immortalitatem poſuit: pœnarum tamen inflictionem excluſit. Dixit namque animabus poſt mortem nulla remanere ſupplicia, aut gaudiorum fruitionem, ſed eas continua demigratione per corpora labi. Dixit, ſcilicet, quod cum vnum hominem mori contingeret, anima eius egrediens mox alterius animalis corpus ſubintraret: eueniebat tamen, vt interdum animæ ab humanis corporibus egredientes, in corpora humana alia introirent, interdum autem in corpora volatilium, greſſibilium, aut aquatilium, ſicut eis ſors obtuliſſet. Propter hoc autem Pythagoras vitæ frugalitati nimis ſtuduit, alijs eam amandam ac inſectandam admonés, carnium vero cibos valde deuitandos admonuit. De hoc Seneca epiſtolarum libro primo, & recitat poſitionem eius Ouidius Metamor. 15. dicens.

Parcite mortales dapibus temerare nefandis
Corpora: ſunt fruges, ſunt deducentia ramos
Pondere poma ſuo, tumidaq; in vitibus vua.

Addidit quoque ad hæc Pythagoras aliam inſaniam, ſcilicet animam ſuam in prioribus ſæculis in alijs fuiſſe, deinde autem ad eum perueniſſe, ſcilicet, quod anima illa fuerit in Euphorbo Troiano milite, & cum fuiſſe mortuum in bello Troiano, qua deinde factis tranſmutationibus multis ad eum deuenit. Recitat hanc poſitionem Ouidius Metamor. 15. Dicens primo non eſſe timendas pœnas inferorum poſt mortem, quoniam nullæ ſunt, ſed iſta eſſe dicta Poetarum incutientium hominibus timorem, cum ait.

O genus attonitum gelidæ formidine mortis.
Quid ſtyga, quid tenebras, quid numina vana timetis,
Materiam vatum, falſiq; pericula mundi?
Morte carent animæ: ſemperq; priore relicta
Sede, nouis domibus viuunt, habitantq; receptæ.
Ipſe ego, nam memini, Troiani tempore belli
Panthoides Euphorbus eram: cui pectore quondam
Haſit in aduerſo grauis haſta minoris Atridæ.

Hanc de tranſitu animarum poſitionem Ennius Latinorum Poetarum fere primus tenuit, vt de anima Homeri Poetæ Græcorum ſe iactandi aliquatenus daretur facultas. Fuit enim Homerus excellentiſſimus Græcorum Poetarum. Ennius autem, qui in Latinis primo in vrbē Romam tempore Scipionis Africani ductus eſt, fuit de prioribus Latinorum Poetis. Vt autem ea, quæ diceret, maiori ſoliditate atque auctoritate tenerentur, animam Homeri atque Pythagoræ dixit ſe habuiſſe, quorum vnus inter Poetas, alius vero inter Philoſophos ſui temporis præcipue in Philoſophis Italiæ clarurit. Philoſophorum quidem Italorum Pythagoras origo extiterat, vt ait Aug. 8. de Ciui. Dei.

Addidit quoque iſtam animam prius fuiſſe in Euphorbo, ſed ſecundum Perſii narrationem non ponitur gradus animæ in Euphorbo, ſed quod fuerit iſta anima primo loco in Homero, qui Meonides dicitur, ſecundo in quodam Cygno, tertio in quodam Pauone, quarto in Pythagora Philoſopho, deinde in Ennio dormiente in monte Parnaſo inter muſas. Satyricus autem Perſius veritatem ſequens, Ennij poſitionem improbauit, eam irridens modo ſatyrarum, vt patet in 6. ſatyra ſua, quæ incipit admouit iam bruma foco, cum ait.

Cor iubet hoc Ennij, poſtquam deſtertuit eſſe
Meonides quintus, Pauone ex Pythagoreo.

Et eſt ſenſus horum Perſianorum verſuum, quod Ennius deſtertuit eſſe Meonides quintus, ideſt excitatus fuit à ſomno, in quo aduenit ſibi anima Homeri, & in quo putabat ſe fuiſſe factum Meonidem, ideſt Homerū. Et dicitur fuiſſe quintus Homerus, quia fuit quintus

A ab Homero recipiendo animam illam, ſ. quod poſt Euphorbum, in quo animam illam Pythagoræ fuiſſe affirmat, fuerit in Homero, factis aliquibus medijs tranſmutationibus de quibus non agitur: deinde in ſecundo loco fuerit in quodam Cygno, tertio loco fuit in Pythagora Philoſopho Samio, quarto loco fuit in pauone quodam, quinto loco in Ennio poeta. Vnde Meonides quintus. i. quintus ab Homero qui Meonides dicitur, fuit, ſ. ſuſcipiendo animam eius quinto loco. Dicitur etiam pauone ex Pythagoreo, quia Ennius animam Homericam, quam ſe ſuſcepiſſe teſtatus eſt, ex pauone quodam immediate ſuſcepit, vt patet in ſuperiori enumeratione. Dicitur autem pauo Pythagoreus, quoniam poſt Pythagoram mox in pauonem anima illius tranſmigrauit, & ab illo in Ennium deriuata eſt.

B Hæc autem Pythagoricorum poſitio poetica potius quam philoſophica eſt. Nam animæ a corporibus ſeparatæ alijs corporibus viuiri non poſſunt, niſi illis, quæ reliquerunt, vt catholici concedunt. Et ſatis hoc probaretur, niſi multum ab inceptis diſtraheremur. Non quidem, quod neceſſarium eſt animas corporibus ſuis reuniri, ſed non eſt aliquod inconueniens, nec militat contra aliqua naturalia fundamenta animas poſt mortem corporibus reuniri, quamquam philoſophi reuniendas negant, quia vt dictum eſt, non exiſtimant aliquam tantam potentiam eſſe, quæ ſufficiat hoc inducere. Animas tamen poſt mortem alijs poſſe vniri corporibus tam catholici, quam Phyſici negant. Hoc autem naturaliter induci poteſt, & primo probatur, quod nō poſſit anima humana, quæ in vno corpore præfuerat, informare alterius hominis corpus, qui nouiter gigni debeat,

Reſurrectio eſt negatora philoſophis.

C vel quomodocunque.

Et vt fortius concludamus, concedamus quædam, quæ naturales nullo modo concederent propter eorum maximam difficultatem, ſcilicet, quod Deus poſſit animam vnius hominis ponere in corpore alterius. Nam licet Deus poſſit animam, quæ in vno humano corpore fuerit in alio ponere, hoc quidem concederetur diffinitiuè, ſcilicet, quod ſit in corpore illo, & non extra corpus illud. Nam ſic de intelligentiis confitemur, & naturales hoc dicunt, diffinite intelligentias ſibi loca, tamen non erit in corpore illo vnita formaliter, ad hoc, quod eſſe det. Multum enim differt in aliquo corpore ſpiritum aliquem eſſe diffinitiuè, vel formaliter. Nam de Angelis concedimus, quod poſſint eſſe in corporibus humanis, vel beſtiarum, tamen impoſſibile eſt, quod ibi

D ſint formaliter. Quod patet, nam quamquam Angelus ſubſtantia ſimplex ſit, velut anima humana, continet tamen in ſe totam eſſentiam ſpeciei, ideo non poteſt vniri formaliter alicui rei, vt det illi eſſe. Nam dare eſſe formaliter alicui rei, eſt dare eſſe per intrinſecum. Hoc autem non pertinet ad id quod eſt totaliter ens in actu, quemadmodum Angelus. Nam entia, quæ ſunt totaliter in actu, poſſunt deriuare actionem, quæ conſequitur totaliter perfectionem rei, non tamen poſſunt deriuare eſſe, quia hoc ſoli formæ competit, quæ nō eſt perfectum eſſe continens, ſed eſt perfectio alterius. Vnde id, quod alteri eſſe dat, ſecundum Ariſtotel. ſecundo de Anima, actus illius eſt, ſed non eſt in actu. Quod autem

E in actu eſt, alteram rem actuare nequit, quoniam cum aliā res actuatur, ſuſcipit eſſe ſorti aliter, & actuans, & quod actuatur fiunt vnum ens ſimpliciter, nec manet ſubſiſtens aliquod iſtorum duorum, ſed tertiū quod reſultat. Et ſic in omnibus compoſitionibus accipitur communis ſpecies, ſcilicet, quod anima, & corpus ſe habent in compoſitione, vt actuans & actuatum, compoſitione tamen facta, non eſt ipſa anima ens illud, quod eſt, neque corpus, ſed homo, ſi autē id, quod eſt ens perfecte in actu daret eſſe formaliter alteri, neceſſe erat, vt ex compoſitione non reſultaret vnū, ſed duo entia, quia illud, quod ante erat ens in actu, maneret vnum ens actu ſubſiſtens connumerabile contra alia entia. Et cum per illam compoſitionem aliquod ens cauſetur, eſſet illud alterum ens diſtinctū ab ente perfecto, quod ſubſiſtebat ante compoſitionem. Eſſent igitur per compoſi-

contra omnem Catholicorum Doctorum poſitionẽ eſt. Item hoc patet vlterius, quoniã corpora cęleſtia incorruptibilia tam ſecundum totam, quam ſecundum partẽ omnes dicunt, elementalia tamen corpora corruptibilia ſunt, ipſa autem elementa, quamquam ſecundũ ſe tota corruptionem nullam patiatur, ne deficiat aliqua de partibus principaliſſimis vniuerſi, tamen ſecundũ partem corrumpuntur. Si igitur cęlum, aut elementum, aut elemẽtatiuum corpus eſſet, in eo aliquam cauſari ſecũdum ſe corruptionem neceſſe erat. Nullam tamen aduentitiam peregrinam concedimus impreſſionẽ: ergo nec elementum, nec elementatum eſt. Item non conuenit iſta poſitio quantum ad id, quod dicit, ſ. quód infernus ſit in corporibus ſupra cęleſtibus. Nam infernus locus mœroris eſt. non decet igitur, quód ſi in perfectiſſima, atque iocũdiori vniuerſi parte, ſed in ea, quæ imperfectior eſt, atque ad infligendum pœnas apta, ſ. vt ipſa loci facies atque qualitas ex ſeipſa horrorem quendam atque timorem incutiat, in corporibus autem cęleſtibus hoc nõ eſt, cum illa ſint perfectiſſima in tota naturæ vniuerſitate. Non congruit igitur, vt in corporibus cęleſtibus infernorum locus aſſeratur. Aliæ ad hoc rationes eſſe poſſent, de quibus ad nos nihil attinet.

QVINTA CONCLVSIO.

Aeternorum ſuppliciorum locus, qui infernus dicitur, in aere caliginoſo nequaquam ſtatuitur.

Quód infernus nõ ſit in aere caliginoſo.

SEquitur quinta cõcluſio. Aeternorũ ſuppliciorum locus, qui infernus dicitur in aere caliginoſo nequaquã ſtatuitur. Et eſt ſenſus, ꝙ non poteſt poni infernus in aere caliginoſo. Erat aũt ſecunda qualitas actiua, & maximè afflictiua frigiditas. Hæc. n. exceſſiua in aere caliginoſo ponitur, ita vt in toto vniuerſo non ſit tanta frigiditas, quanta in loco illo eſt. Infernali autem loco competit qualitas actiua nimis afflictiua, qualis eſt intentiſſima frigiditas: ergo in media aeris regione eſt: iſta. n. media aeris regio exceſſiuam totius naturæ rerum continet frigiditatem, non quidem ex natura aeris, quoniam aer ſecundum ſe calidus, & humidus eſt. Principatus autẽ frigoris ſecundum naturam in elemento aquæ eſt, aer tamen actualiter frigidior eſt, quam aqua. Hoc autem patet, quia nix frigidior eſt aquatico elemento, niuis tamen generatio in aerea regione eſt, & non in aqua. Oportet ergo locum, in quo niues gignuntur frigidiorem eſſe loco, in quo aquæ ſunt. Item grandines, & lapides magni geniti per meteorologicam impreſſionem frigidiores ſunt aqua, oportet ergo, vt locus ille, in quo gignuntur, frigidior ſit, quam aqua, quoniam id, quod gignitur cõtrahit præcipue virtutẽ a loco generationis, cũ ab omnibus ponatur locus generationis tanquam principium rei genitæ. Et hoc, quia genitum gignitur virtute influẽtiæ receptæ in loco, in quo fit generatio. Sed omnia hæc in aere gignuntur, ergo frigidiſſimus locus eſt aer per cuius actionem res tam frigidæ generantur.

Quare aer ſit frigidior ꝙ aqua.

Item ſi aqua eſſet frigidior aere, eſſet in medio ſui frigidior, quam in aliqua ſuperficie tam ſuperiori, quam inferiori, cum in medio non habeat mixtionem cum aliquo alio elemento, ſcilicet nec cum terra nec cum aere, in ſuperiori namque ſuperficie aqua aeri coniungitur, in inferiori autem terræ permiſcetur, a quibus ad aliquam extraneam qualitatem perduci poteſt, quod in medio fieri nequit. ſed hoc falſum eſt quoniam frigidior eſt aqua in ſuperficie ſuperiori, qua aeri coniungitur, quam in medio, ergo non eſt frigidior aere. Hoc apparet, quia tempore magnæ hyemis piſces fugientes ſuperiores aquæ partes propter nimiam frigiditatem, ima petunt, vbi tanta frigiditas non eſt, quanta in parte ſuperiori.

Item inter omnia frigidiſſima, quæ in vniuerſo ſunt, aqua gelida, ſcilicet ipſum gelu, frigidiſſima eſt, gelu tamen non gignitur in aqua ex virtute actiua aquæ, ſed propter actionem aeris, eſt igitur frigidior aer aqua. Quod autem gelu virtute aeris, & non aquæ generetur, A apparet, quoniam ſi propter aquam fieret, in medio aquæ gelu priusquam in ſuperficie ſuperiori gigneretur, in medio namque aqua purior eſt nulli extraneo commixta elemento, ſcilicet nec aeri nec terræ, fieret igitur, vt gelu prius in medio aquæ gigni inchoaret, ita vt parua cruſta fieret, deinde paulatim concreſcens vſque ad ſuperficiem aquæ perueniret, vbi aeri coniungitur, penitus tamen è contrario fit. Nam cum aqua incipit congelari, in ſuperficie eius, qua immediate aeri coniungitur, quædam parua croſta gelidarum aquarum fit, deinde continuis verſus profundum adaugetur incrementis, quouſque tota aqua gelida fuerit, immo tota gelu facta. Aerem igitur, a quo in aqua intenſa cauſatur frigiditas, aqua frigidiorem eſſe neceſſe eſt.

Sicut autem aerem aqua frigidiorem eſſe inductum eſt, ita identidem de eius collatione ad terram dicetur, ſcilicet eum maiorem continere frigiditatem, quam in B terra ſit. Si enim terra frigidior aere eſſet, cum aqua gelida fiat ex actione magni frigoris, neceſſe eſſet, vt magis terra frigefaciens aquam gelidam efficeret, quàm aer, quod falſum eſt. Nam aer gelu in aquis cauſat, & non terra, quod apparet, quia ſi terra gelidas aquas efficeret, cum omne naturale agens agat in ea, quæ propinquiora ſunt, quia actio per contactum eſt iuxta Ariſto. 2. de Generatione, & corruptione, inciperet aqua gelida fieri ab ea parte, qua immediate terræ coniungitur, ſcilicet in inferiori ſuperficie, & continuis incrementis vſq; ad ſuperiorem aquæ ſuperficiem, in qua aqua aeri coniungitur, perueniret: è contrario tamen accidere ſemper manifeſtum eſt. Nam cum aquas gelidas quiſquam fieri C conſpexerit, primo a ſuperficie ſuperiori aquæ, vbi aeri coniuncta eſt, cruſtulam quãdam gigni videbit, quouſque adaucta frigiditate agente continuæ aquæ partes congelentur vſque ad imum. Neceſſarium eſt igitur cõfiteri aerem aqua, & terra frigidiorem eſſe, & conſequẽter aerem eſſe frigidiſſimum, quod in tota rerum vniuerſitate ſit, quamquam a complexione ſua nulla ei frigiditas inſit, ſed calidus, & humidus eſt.

Cur aer ſit frigidior terra.

Modus autem, quo aer, cum non ſit ſecundum naturam frigidus, ſed calidus & humidus, tantum infrigidetur, vt ſit frigidiſſima rerum, eſt, quoniam ſecũdum cõmunem, & directam naturæ actionem calida calefaciũt, frigida infrigidant, & humida humefaciunt, ſiccorum autem actio eſt deſiccare.

Duplex modus calefaciẽdi, & frigidandi naturaliter.

Eſt autem alius modus actionis naturæ, quo frigida D calefaciunt, & calida frigefaciunt. De humidis autem, & ſiccis idem iudicium eſt. Iſte ſecũdus modus actionis ſecundum Ariſtotelem in libris Meteo. vocatur per antiperiſtaſim, quaſi actio ex contrariorum reſiſtentia.

De hac autem multa in natura exempla patent, velut ſi quis valde frigidatas manus habuerit, cum eas primo ad ignem applicuerit, acriorem frigiditatem ſentiet, quam antequam eas applicuiſſet. Hoc igitur modo caliditas frigefacit. Huius cauſa eſt, quia contraria naturaliter in ſeipſa agunt, & à ſeipſis fugiunt, cum autem aliquis nimis frigidus igni ſe applicat, caliditas in frigiditatem agit, vt eam destruat, frigiditas autem in ſeipſam coniungitur, vt ei reſiſtat. Et cum aliqua virtus, vel qualitas coniungitur, vt reſiſtat, fortior eſt, quam cum diuiſa eſt, iuxta communem regulam in natura: omnis virE tus viuta fortior eſt ſeipſa diuiſa. Vnde neceſſarium eſt fortiorem eſſe illam frigiditatem, cum ei caliditas magna coniungitur. Et quia quęcunque qualitas actiua, tũc fortiorem actionem habet, cum ipſa fortior eſt, neceſſe eſt, vt magis frigeat, qui nimis frigidus exiſtens igni accedit, quam antequam applicetur. Et ibi cum primo adiunctus fuerit magnum ſentit cruciatum, cum intenſiſſime agat frigiditas recedens à calore ignis.

Propter quod interdum accidit, vt qui in alpibus magnam frigiditatem ſuſceperit, cum ad ignem fortiſſimum applicetur, manus ei, aut pedes cadant à reliquo diuiſa corpore, quod non accideret cum in magnis frigoribus alpium ille conſiſteret, quia hic repercuſſa frigiditas a calore igneo fortior efficitur, & cũ ſit proprietas frigoris conſtringere, & à maxima frigiditate conſtrictio

maxima

maxima conſequatur, tanta partium frigidarum conſtrictio fiet, vt ab inuicem ſeiungantur, & ſic manus, aut pedes à reliquo corpore diuidentur. Aliud ſimile huic exemplum paret, ſ. φ frigiditas calefaciat, quod in fabris apparet, qui volentes intenſiorem facere ardorem carbonum ignitorum, ſuper eos aquam guttatim ſpargunt, & tunc maior, quam præfuerat, ignis inſurgit. Cauſa eſt, quia cum aqua ſuper ignitos carbones iacitur, calor in ſeipſum colligitur, & anguſtatur, ne à ſuperueniente frigiditate vincatur: Et quia virtus vnita maior eſt ſeipſa diuiſa, fortior calor efficitur, & acrius exurit. Multa his ſimilia in natura exempla ſunt.

Iſte modus actionis per antiperiſtaſim eſt, quo niues, & grandines, fulmina, & fulgura, ceteræ quoque meteorologicæ impreſſiones fiunt. De his Ariſtot. in libris Meteor.

Nunc autem dicendum, φ regio aerea tenet à ſuperficie terræ, & aquarum vſque ad igneam regionem. In hanc autem regionem aſcendunt de terra, & aquis multæ exhalationes atque vapores diuerſarum qualitatum, quorum quidam humidi, alij ſicci ſunt. Hoc autem, quia Sol calore ſuo ſubtiliat, & erigit has fumoſitates, & eleuat illas in aeream regionem. Nō poſſunt tamen iſtæ fumoſitates exhalationum, aut vaporum ſurgere vſque in regionem igneam ad extremitatem aereæ regionis, quod triplici ratione factum videtur.

Primo quoniam non poſſunt iſtæ fumoſitates ad regionem igneam aſcendere, quia cum fumoſitates iſtæ terreæ ſint, quamquam non ſint partes terræ, retinent tamen quandam terream conditionem in grauitate, ideo eis locus alicuius grauitatis competit, ſphæra autem ignea, & extremitas aereæ regionis loca ſummæ leuitatis ſunt. Nō igitur poterunt competere iſtis fumis eleuatis à terra.

Secunda cauſa horum, quia qualitas iſtarum fumoſitatum eſt contraria ad qualitatem ſphæræ igneæ, & extremitatis aereæ regionis. Nam conditio harum fumoſitatum eſt, quòd humidæ ſint vt plurimum, aut ſiccitatē quandam terreſtrem habeant cum frigiditate: in extremitate autem regionis igneæ, & aereæ caliditas magna eſt. Sed contrarijs iſta lex eſt, vt, cum mutuo ſe expellāt, in eodē ſubiecto, aut loco eſſe non poſſint. Non poterunt ergo hę fumoſitates terreſtres in regione ignea, aut in extremitate aereæ regionis apud ignem conſiſtere.

Tertia in his cauſa eſt, quoniam iſtæ fumoſitates non ſunt directè elementa, aut elementata, ſed quædam impuritates elementorum, potiſſimè ipſius terræ: conditio autem ignis eſt omnes impuritates conſumere, & quælibet res ſeipſam conſeruare cupit, & mortem perniciemque deuitat, neceſſarium eſt, vt iſta ab extremitate, & confinio aereæ, & igneæ regionis fugientia alium locum inferiorem teneant. Hoc autem eſt, quòd iſti vapores à terra eleuati manent ſuper terræ ſuperficiem in ipſa aeris regione. Fit enim iſta eleuatio per radios ſolares incidentes, vel reflexos.

Cuiuſlibet aſtri radij ſunt duplices. In quo breuiter ſupponendum eſt, Solis & cuiuſlibet aſtri duos eſſe radiorum modos, ſcilicet radios incidentes, & directos, & radios reflexos, & obliquos. Primi ſunt, qui directè veniūt à corpore Solis, vel alterius aſtri vſque ad terram, quam non pertranſeunt propter duriciem, & ſoliditatem. Hi ab aſtris venientes vſque ad terram nullius medij obiecto cōfringuntur, nec reflectūtur. Et incidentes dicuntur, quia in aliud cadunt, ſcilicet ab ipſorum aſtrorum corporibus ſuper terram incidunt.

Secundi vocantur radij reflexi, & obliqui: hi ſunt, qui à terra conſurgunt. Cum enim in terram inciderint radij directi aſtrorum, quia illa eſt denſa, non valent vltra pertranſire, ſed ſurgunt ex ipſa in aerem reſilientes ex ipſa. Sic in omnibus rebus duris eſſe videtur. Nam ſi lapis lapidem, aut ferrum tetigerit, confeſtim inde reſilit.

Exēplū, φ radius reflexus ſit. Quod autem iſti, quos reflexos radios nuncupamus, ſint, apparet, quia ſi ponatur vas aliquod magnum aqua plenum, vt lebes, vel peluis ad Solem, & ſit iuxta aliquē parietem, ad quem nulli radij ſolares ante hoc pertingebāt obſtaculo aliquarum mediarum rerum, ex illa aqua radii reſilient tangentes, & illuſtrantes parietem ac ſi in

F cum ſolares inciderent radii. Sed iſti non ſunt radii directi, & incidentes, cum Sol directè illum parietem tangere non poſſit, & antè hoc non tangebat, ſed nunc videntur ex appoſitione aquæ in qua fit reflexio: neceſſe eſt igitur, vt præter radios incidentes alii ſint, qui reflexi nominentur. Non enim poſſumus dicere illos eſſe radios incidentes: quoniam incidentes radii ſunt, qui in aliquam rē ſolum incidunt: nullus ergo iſtorum reſurgit, ſed qui reflexi nuncupantur. Cum igitur fieri debet aliqua eleuatio fumoſitatum terrenarum in aere, fieri nequit à radiis incidentibus, quia cum ipſi non ſurgant in aerem, irrationale dictum videtur, quòd aliquid in aere eleuent. Secūdi igitur radii, ſcilicet, reflexi ſunt, qui aliquid in aerem eleuant, & ad hos pertinent fumoſitates exhalationum, & vaporum ad aeream ſubtiliando, & digerendo

G eleuare regionem. Et quantum iſti radii ſurgunt, tantum ſecum eleuant terrenas fumoſitates. Et quia in vernali, & æſtiuo tempore radii iſti reflexi magis eleuantur: cum radii incidentes ſint directiores, propter multam ad nos appropinquationem Solis verſus perpendicularem, eleuabuntur magis terrenæ fumoſitates verſus igneæ ſphęræ regionem elongatæ à terra multum. In tempore autē hyemali ſunt iſtæ fumoſitates exhalationum, & vaporū propinquiores terræ, quia præ humiditate tēporis groſſiores ſunt, atque ponderoſiores, & radii Solis nequeunt eas multum eleuare.

Et hoc potiſſimè, quia in hoc tempore Sol multum declinat a nobis deſcēdens à perpendiculari, & cum ſint radii incidentes modicum directè, ſed quaſi veniunt à latere, radii reflexi modicum inſurgent, & modicum eleuare valebunt has fumoſitates.

H Hoc modo neceſſe eſt aeream regionem totam tribus partibus, quamquam non æqualibus, diſtinctam eſſe. Et hec ſecundum Philoſophos interſtitia nuncupantur. Prima harum eſt pars, quæ eſt inter caliginoſum aerem, & terræ ſuperficiem. Hęc autem ſerena eſt, quia in ea vapores non ſunt in quantitate notabili, nec exhalationes. *Aerea regio triſariā diuiſa eſt, vel in tria interſtitia.*

Secūda pars eſt, in qua eſt aer caliginoſus, in quo ſunt vapores, & exhalationes. In hac autem parte niues ſunt: indè quoque ad nos imbres veniunt, ibi grandinum atque fulminum ceterorumq; meteorologicorum entium generatio eſt.

I Tertia aereæ regionis particula eſt ſuper aerem caliginoſum vſque ad igneam regionem. Ad ſecundam aereæ regionis particulam vapores, & exhalationes peruenīūt, in qua ſumma frigiditas, quæ in toto vniuerſo ſit, cauſatur. Hoc modo ex actione per antiperiſtaſim, ſ. quòd iſtæ fumoſitates, quæ ex natura terræ, aut aquæ frigidæ ſunt, fugiūt à calore primæ partis regionis aereæ ad medium regionis aereæ, & rurſus fugiunt à parte ſuperiori regionis aereæ propter calorem ſuperioris regionis. ſunt enim inter duas calidas regiones interclusæ, ſ. inter primam partem aereæ regionis, quæ calida eſt propter Solis radios reflexos ibi exiſtentes, & calefacientes. Etiam ab extrema particula regionis aereæ propter confinitatem ſphæræ igneæ, quæ calida eſt. Vt igitur iſtę exhalationes frigidæ ſe conſeruent, vtrinque à contrariis fugientes in

K ſe condenſantur, & per vnionem virtus maior efficitur, ſicut ſupra dicebamus de eo, qui frigus magnum paſſus in manibus, eas ad ignem applicat: nam tunc maior fit frigiditatis intenſio. Non eſt autem alius locus, in toto vniuerſo, vbi continue frigiditas per antiperiſtaſim fortificetur, niſi in aere caliginoſo, qui inter duas calidas regiones eſt. Neceſſe eſt igitur, vt maior totius vniuerſi frigiditas in caliginoſo aere ſit. Cum igitur in hoc caliginoſo aere qualitas magis afflictiua in genere ſuo, ſcilicet maxima frigiditas foret, conueniemer alicui dici videretur, vt in eo infernus, qui pęnarum maximarum locus eſt, ſtatuatur.

Amplius autem hoc induci videtur auctoritate Apoſtoli in Epiſtola ad Ephesios in cap. 6. cum ait, Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem, ſed contra aereas poteſtates, & ſpirituales nequitias in cęleſtibus. Innuit igitur manifeſtè Apoſtolus nobis pugnandum eſſe contra dæmones, qui in aere ſunt. Patet autem, quòd

quòd de hoc dicat, quòd nobis non eſt vlla cõflictatio, niſi aut contra carnem, & ſanguinem, quæ ſunt ea, quæ in nobis ſunt, aut contra id, quod in mundo eſt, aut contra dæmones, qui hoſtes noſtri ſunt. Hæc autem pugna, quam hic Apoſtolus nominat, non eſt contra carnem, & ſanguinem, quod eſt aliquid in nobis: cum expreſsè hoc Apoſtolus inſinuet: ergo contra ea, quæ in mundo ſunt, erit, aut contra dæmones hoſtes generis humani. Non poteſt hoc intelligi de his, quæ in mundo ſunt concupiſcibilibus. Nam iſta non vocantur poteſtates aereæ, quia non in aere, ſed in terra ſunt.

Rñ. ꝙ Infernus ſit in aere.

Item quia ſpirituales nequitiæ appellantur, quod de concupiſcibilibus huius ſæculi dici nequit. De dæmonibus ergo dicendum eſt, qui ſunt poteſtates, & principatum magnum habent iuxta illud Io. 10. cap. Princeps mundi huius eijcietur foras. Quod de diabolo intelligendum eſt neceſſariò. Etiam quia dicuntur ſpirituales nequitiæ, dæmones autem ſpirituales nequitiæ ſunt, qa ſpiritus nequam propriè ſunt. Hos autem vocat Apoſtolus aereas poteſtates, & non terreſtres, nec igneas: ergo in aerea regione ſunt, & non in aliqua alia parte mundi, ſed dæmones in inferno ſunt, ergo infernus in aere eſt. De dæmonibus autem, quin in inferno ſint, dubium nullum eſt: ergo ibi infernum eſſe conſtabit. Ad hæc infra reſpondebitur.

SEXTA CONCLVSIO
principalis.

Infernum, quem ad æterna ſupplicia dicimus eſſe paratum, in terrena regione oportet eſſe locatum.

SEquitur ſexta concluſio. infernum quem ad æterna ſupplicia dicimus eſſe paratum, in terrena regione oportet eſſe locatum.

Hoc autem ex ſignificatione nominis huius ſecundũ omnes linguas, in quibus eſt apparet. Accipio autem omnes linguas, ſcilicet principales, quæ tres ſunt, ſcilicet Latina, Hebræa, & Græca, vt ait Iſido. 9. Etymo. quod etiam apparet ex ſuperſcriptione crucis Dominicæ. Nã titulus eius Græcè Latinè, & Hebraicè conſcriptus eſt, vt patet Io. 19. In lingua enim Latina infernus ab infra dicitur, ſed infernus reſpectu noſtri dicitur: ergo oportet, quod ſit infra nos, ſed regio elementalis non eſt infra nos, niſi ſola terra: oportet ergo, vt infernus in terra ſit.

Item patet hoc ex Græco nomine: nam in Græco gehenna, aut gehennon dicitur, quod nos infernum vocamus, ſed gehenna terra profunda interpretatur. Ge enim terra eſt, enos autem profundum notat.

Idẽ in nomine apparet Hebræo, quia infernus in Hebræo Seol dicitur, quod infernum pariter, & ſepulchrũ ſignificat, ſed Seol aliquid quod infra nos eſt notat.

Idem patet hoc Num. 16. cap. vbi cum diceretur de Dathan, & Abiron, quos terra ſubmerſit, & abſorbuit: ſubiungitur. Deſcenderunt viuentes in infernum. ergo infernus in terra erat. alioquin enim nõ potuiſſent illuc deſcendere Dathan, & Abiron.

Idem patet in Pſal. 85. cum dicitur liberaſti animam meam ab inferno inferiori, vbi ſiue accipiatur comparatiuus comparatiuè, ſiue abſolutè: neceſſe eſt, vt ponatur infernus infra nos eſſe. Nam ſi ponatur comparatiuè oportet ſaltem duos inferos eſſe, & alterum eſſe inferiorẽ altero, & tamen vtrumque infra, ergo infra nos.

Item ex eo, quod habetur Iſa. 7. cap. cum dicitur pete tibi ſignum à Domino Deo tuo, ſiue in profundum inferni, ſiue in excelſum ſupra. Vbi Iſaias duas diſtinxit locorum poſitiones, ſ. ſupra, & infra. ſupra dixit eſſe excelſum, infra dixit eſſe profundum inferni.

Item neceſſe eſt poni infernum in terra, & non in aere, quia præcipua pœna inferni eſt ignis, ſed in caliginoſo aere non eſt ignis: ergo non eſt ibi infernus. Patet antecedens, quia pœnæ infernales ſunt maximæ: ergo debent fieri ſecundum qualitatem maximè afflictiuam, ſed nulla magis, aut æquè afflictiua eſt, vt caliditas ignis,

A oportet ergo ignem poni, vbi infernus fuerit.

Firmius autem adhuc patet hoc ex eo, quod habetur Matth. 25. ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & Angelis eius ab origine mũdi. Ignem igitur præcipuam inferni pœnam poſuit, vel magis ipſum tãquam totam inferni pœnam deſignauit. ꝙ autẽ in aere caliginoſo non ſit ignis, manifeſtum eſt, quoniam regiones elementorum diſtinctæ ſunt. ſed aer caliginoſus eſt in media aeris regione, ergo ibi non eſt ignis.

Sed fortaſſis aliquis ad hoc reſpondebit dicens, quòd ſicut in terra ignem ponimus, quamuis ipſa elemẽtum, & ſphæra diſtincta ſit ab ſphæra ignea, & qui infernum in terra ponunt in ea ignem collocant, ita in aere caliginoſo ignem infernalem collocabimus.

B Reſpondendum eſt, non poſſe ſtare: nam tunc nullus effectus ſequeretur de his, quos ibi ſequi ſcimus. Nam ſi ibi ignis eſſet, poneretur locus ille calidus eſſe, & valdè calidus: ergo non poſſent ibi gigni grandines, & niues, quæ ex magno frigore generantur. Idem de fulminibus, & pluuijs, & omnib. Meteorolog. impreſſionib. Nulla quippe ipſarum ibi gigneretur, ſi poneretur locus calidus: cum omnia hæc fiant per exceſſum frigoris nimis condenſantis. Locus autem maximi frigoris, & cuiuſcunque caloris multum diſtantes ſunt, aer ergo caliginoſus intenſè frigidus eſt, immo frigidiſſimus, & non eſt ibi calor aliquis igneus, ergo nec infernus.

Nunc autem facile reſponderi poteſt ad rationes, quibus inducebatur, quòd infernus eſſet in aere caliginoſo.

Infernus hẽt oẽs qualitates actiuas intẽſas.

Ad primam cum dicitur, quòd infernus eſt in loco
C vbi qualitates actiuæ afflictiuæ ſunt intenſiſſimæ, ſed in aere caliginoſo frigiditas intenſiſſima totius vniuerſi eſt: ergo ibi eſt infernus.

Dicendum, quòd ex hoc modo arguendi potius contrarium inducitur: nam in inferno non ſolum eſt vna qualitas actiua intenſa, ſed omnes, ſed ſi ponentur in caliginoſo aere, ſolum eſſet ibi intenſa frigiditas, & nulla caliditas, cum in caliginoſo aere ſola frigiditas ſit, vt inductum eſt: ergo omnes pœnæ inferni eſſent vna pœna, ſcilicet in frigore, quod falſum eſt.

Ad ſecundam rationem, quando arguitur de dicto Apoſtoli, ſcilicet non eſt colluctatio aduerſus carnem, et ſanguinem, ſed aduerſus aereas poteſtates, & ſpirituales nequitias in cęleſtibus.

Rñdetur, ꝙ ex hac auctoritate inducitur, ꝙ dæmones ſunt in aere, ſed nõ ſequitur, ꝙ ſit infernus in aere, qm̃ dęmones bipartiti ſunt. Quidã ſunt tẽtantes, alij aũt puniẽtes, & puniti. Pro quo ſciendum, ꝙ vbicunque ſint dæ-
D mones, infernum ſuum ſecum portant, id eſt ſemper habent pœnam quam in inferno habituri erant.

Sed adhuc quidam ſunt, qui in inferno ſunt, vbi ſunt aĩæ damnatorũ, & iſti dæmones puniũtur ibi, atque animabus, vt miniſtri Dei pœnas parant, hi aũt nequaquã nos tẽtant, nec aliquẽ noſtrũ realiter, aut in conceptu lędunt, quia de carcere illo infernali non exeũt. Et iſti non ſunt in aere, neq; infernus, in quo iſti ſunt eſt in aere, alij dæmones ſunt ad tentandũ homines deputati, qui bonos, & malos tentant, & pœnas corporales aliaque nocumenta aliquando bonis, & aliquando malis inferunt.

Quod autem dæmones nefarios homines interdum tentent, apparet ex eo quod habetur Ioan. 13. cap. cum dicitur de Iuda: Accepta buccella panis ingreſſus eſt
E in eum Satanas, ſcilicet quòd poſtquam panem conſecratum de manu Chriſti accepit, merito præuaricationis ſuæ diabolus cœpit eum tentare acrius quam antè tentauerat. Nec eſt ſenſus, quòd intrauerit dæmon in Iudam ad torquendum, vel ad loquendum per eum, ſicut in obſeſſis a ſpiritibus immundis, vel in arreptitijs eſt, quòd de Iuda nihil tale conceditur, ſed intrauit fortiter tentans, & ad nefanda ſcelera impellens.

Item dęmones tentant bonos viros, ſicut apparet de Beato Petro, qui tentatus fuit tempore Paſſionis Chriſti ad negandum eum, de quo Mat. 15. c. Satanas expetiuit te, vt cribraret, ſicut triticum, ſed ego rogaui pro te, ne deficiat fides tua, fuit tamen Petrus tentatus, & ſuperatus, quia ter Chriſtum negauit.

Item

Dæmones affligunt, & bonos, & malos.

Item dæmones cruciant homines, ſicut patet in obſeſſis a dæmonibus, & in arreptitiis. Nam hi a dæmonibus puniuntur. Iſti dæmones aliquando bonos viuentes premunt, & aliqñ malos. De malis patet, vt in Aegyptiis, nã Angeli mali intulerunt plagas Aegyptiis, qui peccatores erant, de quo Pſal. 77. Miſit in eos iram ſuam, immiſſiones per Angelos malos. Quod autem dæmon interdum bonos viuentes puniat, patet in Iob. qui vir bonus erat, vt eum laudat ſcriptura. Satanas tñ tentauit eum, & inflixit omnes pœnalitates, quas ſuſcepit, vt patet Iob. 1. & 2. ca.

In hoc aũt non differt an bonos, vel malos iſti dæmones dum viuunt puniant, quia hoc ſecreto Dei iudicio agitur, cum Satanæ miniſtratio in puniẽdo cõueniat. Iſti autem tentantes, aut punientes nõ ſunt in inferno, ſed in aere, & de his loquitur Apoſtolus, cum ait: Nõ eſt nobis colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinẽ, ſed aduerſus G poteſtates aereas, & ſpirituales nequitias in cæleſtibus. Manifeſtè enim de his loquitur, cum dicat eſſe nobis colluctationem non aduerſus carnẽ, & ſanguinem, ſed contra aereas poteſtates. Colluctatio autem tentationem, & pugnam quandam ſignificat: ergo illi, quibus nobiſcum colluctandum eſt, in aere ſunt. Alij autem dæmones ſunt in inferno, & contra hos non eſt nobis colluctatio vlla, quia nihil in his rebus agunt. Et iſti non vocantur aereæ poteſtates, ſed infernales. Patet ergo, ꝙ ex hac Apoſtoli auctoritate nõ infertur eſſe infernum in aere caliginoſo, ſed dicendum eſt eum eſſe in terra. Hanc autem poſitionem Poetæ a principio, quamquã ignari catholicæ fidei tenuerunt, ſicut patet ex Virgiliana poſitione in 6. Aeneidos, & Seneca idem in tragœdia prima, cuius titulus eſt, H Hercules furens. Et Ouid. in 4. Metamor. & Iune. Satyra 2. Accedendum autem magis eſt adhuc ad veritatem poſitionis de inferno, relictis omnibus erroribus ſupra enarratis. Et dicendũ, ꝙ infernus eſt in terra, & non in ſuperficie terræ, ſed iuxta denſitatem terræ in ſphæra, & mole eius, & vbi infernus eſt, ponitur quędam vacuitas terrę, quæ tenebris craſſis plena eſt, ita, vt in toto orbe tenebroſior locus nullus ſit. Et hoc, quia ad illam partẽ inferorũ nullius aſtri radij penetrare poſſunt, vt illuſtrent illam horrendam tenebram atque æternam noctem, nam infernus in remotiſſimo loco vniuerſi eſt reſpectu lucis aſtrorum. Nam in centro terræ eſt. Nullus autem locus a cęlo diſtantior eſt, quam centrum mundi. In hoc autẽ inferno eſt calor intenſior, quam ſit in toto vniuerſo. Nam ibi eſt ignis magis vrens, quã in toto orbe, tñ non eſt lucẽs ignis I iſte, ſed vt nimia tenebra. Et hoc, vt cum per exceſſiuũ, & ineffabilem calorem damnatis dolores intolerabiles inferat, per lucem eis aliquod nõ præſter oblectamentũ. Nã lux delectabilis eſt in oculis noſtris. Sic ait Salomõ, & habetur Eccl. c. vlt. Dulce lumẽ, & delectabile in oculis hominum videre Solem. Cauſa etiã huius nimiæ obſcuritatis in igne inferni vr eſſe ex materia, in qua fomẽtatur. Ignem enĩ hunc in pice pabulum ſuſcipere otũt, nullus autem ignis nigrior eſſe poterit, quã ignis picis, & reſinæ. Nam totus fumus teterrimus eſſe videtur. Et igni nihil penitus ſimile habere videretur, niſi calor magnus eius hoc proderet.

Vbi ſit infernus ſecundũ veritatẽ relictis opinionib. Infernus eſt in centro terrę.

Lux de ſe delectabilis eſt.

Poſitio autem horũ rationabilis ſatis videtur. Nam in omnibus alijs ignibus hoc apparet. Non enim ſunt oẽs ignes æqualiter lucidi, ſed quidam lucidiores, alij autẽ K nigriores ſm differentiã cõbuſtibiliũ rerum, quod experientia manifeſtat. Item in hoc gehennæ loco aqua frigidiſſima eſt, in qua, qui dãnati ſunt, affligũtur. Nam ſicut calor nimius pœna afflictiua eſt, ita & magna frigiditas. Vtrunque ergo pro cruciatibus impiorum tradi debuit. De his Iob. 24. cap. Trãſibunt ab aquis niuiũ ad calorem nimium. Et hoc eis duriſſima pęna erit, vt tanta in eis diſtemperies ſit, nam cum nimis in frigiditati erunt, ſęuius calor aget, & cum vehementer calidi fuerint, intenſius frigiditas cruciabit. Sicut ſupra de eo, qui nimium in manibus frigus patiens eas igni applicabit, diximus, ꝙ grauiorem iſte frigiditatem ſentiet, cum manus igni applicuerit, quã cum eas in pura frigiditate tenuerit. Iſta agentia naturalia, quæ ſunt poſita in inferno tanquam inſtra punitionis, nõ habent ibi agẽdi modum naturalem, quia

Iob. 24.

F agentia naturalia, qñ ſunt in æquali gradu potentię actiuæ, æqualiter agunt in materiam æque diſpoſitam, vt ſi ſint duo calida, aut duo frigida in æqualibus gradibus, neceſſarium eſt eorũ eſſe actionem æqualem. Cum vero fuerint inæquales qualitates actiuæ, ſequũtur inæquales actiones. In inferno tñ ẽ contrario eſt, quia ibi conſiſtit ignis vnicus, & vnius modi, vel quantitatis gradualis in calore, tñ nõ æqualiter agit in animas damnatorum, ſed quidam magis, quidam vero minus affliguntur. Exiſtẽte enim illo igne æquali ſm naturam, nõ tñ ibi quilibet affligitur, quantum ignis afflictiuus eſt, ſed quantum peccata ſua exigunt, vt crucietur. Dicẽdum ſimiliter de illa aqua frigidiſſima, quã apud inferos Scriptura Sacra ponit. Nam illa æqualis frigiditatis omnibus exiſtens non æqualiter omnes cruciat, ſed vt eorum vitia meruerunt. G Et ſic rei huius diffinitio eſt, ꝙ apud inferos ſunt agentia naturalia pęnarum illatiua, non tñ puniunt quantũ punitiua ſunt, ſed quãtum Deo placet, vt puniãt. In his pęnis inferni nullus ordo in permanendo eſt. Nam cũ aliquis nunc fuerit in nimio calore, transferetur ad maximum frigus, cum aũt in frigore, ad calorem. Et ſic aliæ diſproportionatæ mutationes in ipſis punitis fiũt, quę omni repugnant ordini, vt patet Iob. 24. cap. Tranſibũt ab aquis niuium ad calorem nimium. In taxatione tñ pœnarum iuſtiſſimus ordo eſt. Nam quilibet ſolum tantum punitur, quantũ promeruerit. Et ſic ſe habent differenter gradus pęnarum, ſicut fuerunt differentes gradus culparũ.

Iob. 10. vbi nullus ordo.

SEPTIMA CONCLVSIO.

H *Aethna mons: Vulcanus, & Veſuuius non ſunt apertura ad eum locum, qui à nobis vocatur infernus.*

SEptima concluſio. Aethna mons, Vulcanus, & Veſuuius non ſunt aperturæ ad eum locum, qui a nobis vocatur infernus.

Aliqui ponunt iſtos montes hiantes eſſe ora inferni, quorum vnus eſt in Sicilia, qui dicitur Aethna mons. Alius etiam in eadẽ inſula eſt, & Vulcanus dicitur, Veſuuius autem in Italia eſt in Campania. Sunt autẽ in omnibus his hiatus magni obſcuri, & inde interdum ignes eructantur magni cremantes ea, quæ propinqua ſunt, ita vt videantur liquefacere ſaxa calore ſuo. De his, à quibuſdam dicitur, ꝙ ſunt ora inferni, quia ignes ibi eructare vident, quos ad nihil aliud, nec ex aliqua alia cauſa I eſſe putant, niſi vt ex gehennali carcere prodeãt, in quo omnes, qui ſtygias ſedes ponunt, tam catholici quã gentiles conſonant, ſcilicet, quod apud inferos ignis ſit.

Ignẽ eſſe in inferno tã catholici quam poetæ ponunt.

Ouidius autem, qui vt vere Poeta figmentis ſtudet, quamquam hæc interdum ad quaſdam alias veritates detorqueat: de monte Aethna, & eructationibus ignium aliter ſentit. Terram enim Siculorum, in qua Aethna mons eſt, olim gigantum terram fuiſſe præſupponit, in quo nihil fallitur. Dicit autem ab antiquo gigantes cum dijs pugnauiſſe, vt eis eiectis cælum eriperent, in quo vt affectus non careret effectu, montes montibus impoſuerunt, vt ait Ouidius Metamor. lib. 1. Horum autem gigantum princeps ac maximus Tipheus fuit, qui pro miranda ſui atque incredibili magnitudine de terra genitus K dicitur. Huic tota inſula Siculorum ſuperpoſita fuit, cum aliis comparticipibus aliarum terrarum montes ſuperponerentur.

Continet autem Sicilia tres montes, ſcilicet Aethnam, Pachinum, & Pelorum. Lilibeus autem, qui vnus de montibus Siculorum eſt, cum his concidit. Et ob hoc inſula illa poetico vocabulo, & antiquo ſcriptorum more Trinacria dicitur, quaſi tres mõtes habẽs. Acros enim in Græco mons eſt. Cum autem tota hæc inſula ſuperiecta Tipheo giganti ſit, partes iſtæ montium partibus corporis eius diſtributæ ſunt, ſcilicet, ꝙ ſuper caput, & fauces eius ſit mons Aethna, ſuper pectora, & ventrem Pachinus mons iniectus ſit, ſuper crura autẽ Pelorus mons, aut altiſſimum promontorium iaceat.

De Aethna ſuper caput, & fauces iacentis Tiphei habetur per Ouidium in 14. Metamor. in primo verſu:

cum

cum de tranſitu Vlyſsis per terram Siculorum litera dicere vellet, ait.

Iamque giganteis iniectam faucibus Aethnam
Liquerat &c.

Ideſt iam tranſierat Aethnam, quæ eſt iniecta ſuper fauces Typhei gigantis, & tunc cum de cauſa eructantiſ ignium ex monte Aethna quæritur, reſpondet Ouidius hoc eſſe ex ſpiraculo illius gigantis magni viuentis ſub terra, qui ignium magnos globos ex ore mittit per montis illius aperturam. Et cum inſula illa Trinacria, ſiue Sicilia, vt vulgatiori vocabulo vtar, frequenter terræmotibus concutiatur: dicit hoc eſſe, quia tota giganteo corpori ſuperiecta eſt, qui cum ſe in alterutrum latus vertere vult, & mutare poſitionem, neceſſe eſt, vt ſuperiectā concutiat inſulam.

Contra hac poſitionem Ouidianam de monte Aethna argui non conuenit, quia cum pure poetica ſit, neceſſe eſt, vt cum ſolum in cortice fuerit perquiſita non modicam cōtineat falſitatem. De eructatione autem igniū, quoniam de hoc principaliter inquiritur, infra dicetur.

Terræmotus vnde cauſatur.

De frequenti autem terræmotu Siculorum inſulæ, cauſa patet, quia terræmotus fit ex incluſis ſpiritib. ventorum, & fortificatis per aliqua tempora per groſſiciem terrenarum exhalationum, & vaporum, quibus cum nō pateat aditus ſi fortiter concuſſerint, neceſſarium eſt terræ fieri quandam apertionem, vt incluſus exhalet ventorum ſpiritus, & concutiatur terra ex interiori impulſu ventorum collidētium, & ex apertione eorum in exitu. De his Ariſt. in 2. Meteorolog.

Cauſa quare Sicilia patiatur terræmotus crebros.

In terra autem Siculorum hæc maximè ſubſiſtūt propter duo: primo quia tota illa terra mari abluitur, cum ſit inſula quædā a continenti Italia diuiſa in locis Scyllæ, & Caribdis. Loca autem apud mare crebrius terræmotum ceteris paribus patiuntur, quoniam in illa magis ventorum ſubintrant ſpiritus.

Secunda cauſa eſt, quia terra illa eſt tota montuoſa, in montibus autem, quia terræ tumores ſunt, plures cauernæ ſunt quam in terra plana. Et ob hoc neceſſe eſt eſſe plures terræmotus. De hac eructatione ignium in Aethna monte aliter ſentit Virgilius in 6. Aeneidos, quia aut illam aperturam inferni os eſſe putat, aut ſe putare oſtentat. Vnde cum vellet introducere Aeneam loquentem patri ſuo Anchiſæ exiſtenti apud inferos, & recipientē reſponſum de futuro ſtatu gentis ſuæ, quæ Romanorum effecit populos, & de perſonis inſignibus vrbis Romæ, qui poſtea pullularent, non poſuit eum introijſſe in infernum in aliqua parte itineris, quæ à Troiana vrbe vſque in inſulam Siculorum eſt, cum in toto illo terrarum interiecto ſpatio nulla talis eructantium ignium vorago pateat. In Sicilia autem, quia Aethna mons ignes eructat, & Vulcanus, ibidem introduxit Aeneam loquentem ad Sybillam Cumanam de ciuitate Cumarum, quæ apud Aethnæum montem eſt, vt eū introduceret in infernum.

De hac etiam Aethnę montis ruptione, qua ignes eructant, vulgus opinatur communi ſententia inferni eſſe aperturam, quod exiſtimant, quia inde ignium globos prodire ſciunt, ex hoc autem infernum arguunt.

Et quia vt vulgus ſolet quibuſdam exiſtentibus multa imperitè cumulare, addunt in hac Aethnæ montis apertura gementium animarum audiri voces.

Nec hoc quidem vulgo dumtaxat dicitur, ſed & quidam Catholici Doctores hoc tenent. De hoc Franciſcus de Mayronis in 4. ſuo Senten. in conflatu circa finem, cū agit de vniuerſali reſurrectione. Dicit enim quod poſt diem iudicij claudet Dominus montem Gibeium, & alia foramina inferni. Vocat autem montem Gibelum eum, quem Poetæ, & antiqui ſcriptores Aethnam vocant, quia mons Gibelus in vulgari appellatur.

De veritate tamen eius apud antiquos philoſophus perquiſitum eſt, multis autem cauſa ignota manſit. Empedocles autē, quia Philoſophus, & Poeta erat, & oriundus de terra Siculorum, nimis conatus eſt, vt inquireret cauſam huius eructationis flammarum, cumq; hoc inquiſiturus propius accederet, ab igne, & fumo erūpente

A præfocatus eſt, vt certiſſimi hiſtoriographi tradunt.

Horatius tamen inter Poetas quidem magnus, ſed in hac parte velut mordax, & liuidus, infamauit Empedoclem dicens ipſum deſideraſſe, vt tanquam immortalis Deus haberetur, ad cuius experimentum populis de ſe tradendum, poſitis veſtibus in flammas Aethnæi montis inſilijt. De hoc ait, idem in libro de Artificio Poetico.

Dicam, Siculique poeta
Narrabo interitum, Deus immortalis haberi
Dum cupit Empedocles, ardentem frigidus Aethnam
Inſiluit: ſit ius liceatq; perire Poetis.

Expoſitionibus igitur, & argumentis antiquorum nō patet, quid ſit eructatio Aethnæ montis, aut ex qua

B procedat cauſa, & an inferni ruptura ſit, vel aliquid alterum.

Dicendum tamen rationabiliter videtur, & ſecūdum ſolidam ſatis veritatem Aethnam montem, & alias ſimiles partes ruptæ terræ exæſtuantes flammas non eſſe ora inferni, nec illos eructatos ignes de inferno venire vllatenus, ſed naturaliter cauſantur hæ rupturæ ex terræmotu diſſoluente, & aperiente, ſicut in alijs locis terræ multis factum patet. Et in quibuſdam eorum poſtea clauſa eſt terra, in alijs autem manſit aperta, aut verius in his aperturæ ſunt factæ ſine vllo terræmotu ſolo igne interius comburente, & diſſoluente partes terræ, quouſque ad ſuperficiem telluris peruenerit, & tunc voraginē magnam in terra fieri neceſſe eſt.

Cauſa autem eructationis flammarum in locis iſtis

C eſt, quia in eis eſt multa ſulphurea materia, quæ eſt de maxime velociter inflammabilibus, ſicut patet in nutrimentis ignium, quia cum ignem leuem ſcintillātem excuſſum de lapide in combuſtum pannum ſuſcipere volumus, non reperimus materiam ita leuiter inflammabilem, quæ ab illo inflammetur, niſi partem papyri ſulphure linitam, qua faciliter ignis incenditur.

In his etiam terræ hiatibus concauitatibuſque aerei ſpiritus ſunt, qui interdum commoti collidantur ad ſulphureā materiā, vnde ipſa ex cōcuſſione naturaliter calefit. Et quia velociter inflammabilis eſt ocius inflammatur, & tunc magna pars ſulphureæ materiæ cremari incipit, & flammæ combuſtionis per rupturas efflant. Fit autē hoc ſpecialiter in Aethna monte, quia ibi multa ſulphurea materia eſt.

D Præter hanc tamen montis voraginem ſunt alij hiatus terræ, ex quibus flammæ prodeunt, ſicut eſt mons Vulcanus in eadem Siculorum terra. Eſt etiam mons Veſuuius in Campania, de quo crebro ignis eructationes fiunt. Nam ibi Baſſus poeta, Perſij ſatyri magiſter combuſtus eſt, ſicut Empedocles in monte Aethna. De hoc dicit Boet. de conſo. lib. 1. Metro. 4. quod incipit. Quiſquis cōpoſito ſerenus æuo. In quo ſentire ſe innuit ibi inferni os nullum eſſe, ſed concauitates ibi multas eſſe, in quibus ventorum ſpiritus latent, & cauernoſitates illæ ſulphure plenæ ſunt, vbi ex concuſſione ventorum ad ſulphuream materiam ipſa inflammatur, atque flammæ prodeunt, & quamdiu durauerit crematio illius ſulphureæ materiæ, durabit flammarum eructatio. Deinde deficiente materia combuſtibili flammæ reſi-

E dent, Sic enim ait ibidem.

Aut quoties ruptis vagus caminis
Torquet fumificos Veſeuus ignes.

Si enim inferni ora illa crederet, eſſent facta directè ora ab infimis gehennæ ſedibus prouenientia, per q̄ ignis ille gehēnalis ſpiraret, ſed non ſemper per eadem partē ſpirat, ſed dicit eſſe varios caminos, ideſt clibanos, vel fornaces, in quibus ignis ſit, & quòd de omnibus iſtis interdum fiant eructationes, quod eſt eſſe caminos varios, quia multi ſunt, mōs aūt eſt, quia nō ſemper eiſdē partibus flammas exæſtuat, ſed ex quibuſdam nunc, poſtea vero ex alijs nullo obſeruato ordine. Conditiones autem ſulphureæ materiæ quantum ad hoc, quod in

terræ

terræ cauernis ſit,& ꝙ cito inflammabilis ſit,& inflammetur ex leui concuſſione, patent adhuc amplius in concuſſione aquarum balneorum. Nam aquę balneorũ calidæ ac pene ſeruẽtes de ipſa ſua ſcaturigine manãt, quod iuxta Ariſt. doctrinam, & aliorum Philoſophorum ideo euenit, quia loca, per quæ iſtæ aquæ tranſeunt ſulphurea ſunt, & ex concuſſione inflammatur ſulphur, & ardens aquas calefacit. Et ſecundum, quòd fuerit maior abundantia ſulphureæ materiæ in aliquo loco ſcaturiginis fontium, erunt aquę inde ortæ calidiores. Ex quo accidit quædam balnea calida nimis, alia autem tepida, eſſe.

Item probatur adhuc ſolidius hiatus montis Aethnę, & Vulcani Siculorũ, & Veſuuij montis Campaniæ aliorumque ſimilium locorũ non eſſe Gehennæ ora, nec ignẽ illum de inferno eructare. Nam ſi de inferno ignis eructaret, aut ſemper eructaret, aut nunquã. Sed hoc falſum eſt, quia aliqñ eructat, & non ſemper: ergo non eſt ignis ille de inferno efflatus. Conſequentia patet, quia ignis inferni ſemper eodem modo ardet, & in eodẽ gradu calidus eſt, nec vnquam damnati refrigerium vllũ habent, vel quouis modo ab aliqua pęna ſoluũtur. Si igitur ignis gehennæ ſufficeret ſemel tñ, & ab ipſo centro terræ pertingeret vſque ad ſuperficiem terræ, & ſuper eã eructet, cum ęqualis ſemper ipſe ſit, ſemper in eodẽ gradu ſuper terram eructaret, ſed hoc falſum eſt, quia aliquo tẽpore iſtæ eructationes fiunt, alio aũt tẽpore fieri nequeunt, aut non fiunt. Nõ eſt igitur ignis ilte ab inferna efflatus ſede.

Ad hoc fortaſſis quiſquã rñdebit, illum eſſe tartareũ ignem, ſed non ſemper eructari, quia non eructatur naturaliter, ſed ad malorum punitionem, ideo Deus aliquo tempore hanc eructationem patitur aut potius iubet, & H efficit, vt mali torqueantur, ſemper tñ non efficit, quia malorum punitio ab illo igne ſemper neceſſaria nõ eſt.

Huic autem rñdendum eſt, ꝙ ſtare nequit. Nam ſi iſtę eructationes ignium diuino nutu ex igne inferni ad punitiones hominum peccatorũ fierent, ſicut ignis egreſſus eſt de altari holocauſtorum, & cõbuſſit Nadab, & Abiu filios Aaron in ſacerdotio ſuo errantes, quia obtulerunt ignem alienum vt habetur Leu. 10. ca. & ignis egreſſus à Dño cõbuſſit ducentos quinquaginta viros, qui inſurgentes contra Moyſen, & Aaron afferebant thura coram Dño, vt patet Num. 16. cap. Nunquam eſſet aliqua ignium eructatio talium, niſi quando aliqui viri peccatores cremarẽtur, aut animalia eorum deuoraret, vel fructus terræ diſſiparet. Sed hæc falſa ſunt. Nam interdum pauca flãmarum æſtuatio fit, ita vt cum in ipſorum montium ver I ticibus emicuerit ad inferiora, & plana non deſcendat. non ergo ſunt iſtæ inflammationes à Deo illas ſpecialiter faciente, nec ab inferna ſede ignes iſti eructant.

Aliquis autem aliter hoc probare conabitur, ſcilicet, ꝙ iſtæ ignium eructationes ab inferis non fiant. Nã ſi per has voragines montium infernalis ignis erumperet, ille eſſet totaliter obſcurus, & piceus ipſo teterrimo fumo nigrior, quia ignis gehennæ huiuſmodi eſt, cum piceam materiam in fomentũ habeat, & vt damnatis non luceat, vt ſupra dictũ eſt. Sed ignis, q per Aethnæi atq; Vulcani montis aliorumq; hiatus erumpit, lucidus eſt, ſicut iſte ignis, qui apud nos eſt, ergo nõ eſt ab inferna ortus ſede.

Ad hoc dicendum eſt hunc nihil induci: nam dato, ꝙ iſtæ voragines gehennæ ora eſſent, ignisque eructans de K ſtygijs erumperet locis, poterat eſſe ita lucidus, ſicut eſt. Nam ignis eſt magis, aut minus lucidus, ſm̃ ꝙ pabulum eius eſt diſpoſitum ſm̃ naturam ad cauſandum maiorem lucem in ipſo igne, vel minorem, cũ nihil aliud ſit ignis flamma, quam nos conſpicimus, niſi fumus inflammatus. Et quamquam ignis iſte ab origine obſcurus ſit iuxta conditionem materiæ piceæ quam in inferno pro fomento habet, tamẽ cum erumperet ad terræ ſuperficiem tranſiens per concauitates cauernoſas terræ, inuentam materiam ſulphoream inflammaret, atq; ex eadem cauſata flamma lucida eſſet iuxta ſulphuris conditionem. Nihil ergo ratio iſta probat de eo, quod intendit.

Hoc tamen nõ obſtantẽ manet concluſum ex ſuperiori ratione, foramina Aethnæi montis, qui alio nomine mõs F Gibelus dicitur, & Vulcani atque Veſuuij aliorumque huiuſmodi locorum rupturas non eſſe inferni ora, nec per ea vaporem igneum ex inferna ſede exhalare.

Sed adhuc aliquis arguet ex prædictis fundamentis, dicens ꝙ iſta ſunt ora inferni, & ignis ille inde erumpat. Et quando dicebatur ſupra arguẽdo, ꝙ ignis inferni, aut ſemper exiret per illas aperturas, aut nunquam, diceretur, ꝙ ignis inferni nunquam ad hoc ſufficit, vt exeat per terræ voraginem, ſed ipſe accedit vſque ad aliquam partem groſſiciei terræ, & ad hanc ſemper pertingit regulariter. Ibi autem inuenit materiam ſulphuream, quam inflammans maior efficitur, & pertingere poteſt vſque ad ſuperficiem terrę, & ſic ignis inferni erumpit per rupturas Aethnæi montis, & aliorum montium, quia quãquam ipſe per ſe ad eundem ſufficere non valeat, tamen cum maior fiat ex inflammatione ſulphureæ materiæ, quam in medio inuenit, pertingit ad emicandum ſuper G terræ ſuperficiem.

Ad hoc dicendum, ꝙ non poteſt ſtare, nam poſito iſto caſu, neceſſe eſſet, vt ignis Aethnæ montis, & Vulcani atque aliorum ſemper erumperet, aut poſtquam ſemel erumpere deſijſſet, nunquam amplius erumperet. Sed hoc eſt falſum, ergo nec ſic poni poteſt, ꝙ iſte ignis de inferno erumpat. Conſequentia patet, quia cum ignis inferni ſecundum iſtum modum ponatur accedere vſque ad aliquam partem groſſiciei terræ, & non vſque ad ſuperficiem, cremaret ſulphur, quod ibi eſſet, & totum, quod in medio eſt, per quod ille ignis erumpit ad ſuperficiem terræ, quia ignis poſtquam in aliqua materia cõbuſtibili incenditur, non extinguitur quouſque illa totaliter exuſta ſit, niſi ab aliquo extinguatur. Et ſic ſi aliqua materia eſſet in illo ſpiraculo infernalis voraginis ſulphurea cõbuſtibilis, illa non ceſſaret comburi, quouſque combuſta eſſet. Cum vero ſemel cõbuſta eſſet nihil maneret, quod comburi poſſet. Ideo non poſſet erumpere ignis inferni vlterius per illud os: ſed falſum eſt, quia frequenter, & interpolatẽ ignium eructationes fiunt, ergo non eſt inferni os, nec vorago ignis erumpens, ſed modus, quo hoc fit eſt, quia mons quilibet horum multas concauitates ſulphure plenas habet, & inflammatur ſulphur in aliqua earum, & dum illa concuſſio durauerit, ardet ſulphur, & fiunt eructationes ignium, & quamquam vnius concauitatis nunc ſulphur ardeat, poſtea alterius concauitatis inflammabitur ſulphur, & fiet eructatio, & ſic non ſemper in eodem loco montis fient ignium incenſiones.

Et hoc eſt, quod ſignificat Boe. in Metro. 4. libri primi de Conſola. præallegato cum ait.

Aut quoties ruptis vacuus caminis
Torquet fumiſicos Veſeuus ignes.

Quia dicit vacuum eſſe Veſeuum in caminis ſuis: ergo non ſemper in eodem loco ardet, ſed nunc in vna parte nunc autem in alia.

Patet igitur ex ſupradictis qualiter Aethnæi montis vorago infernarum ſedium apertura non ſit, nec ignis inde eructans de inferno erumpit. Sic autem in alijs locis ſimilium eruptionum patet, vnde tales ignium fiunt eructationes, & propter quid.

Cum autem populus dicit, quòd audiuntur voces animarum gementium in voragine Aethnæ montis. Dicendum, ꝙ populus plura fingit quam Poetæ, & magis adhuc Poetis quam populo credendũ eſt, quia Poetæ ſciũt, quod fingunt, populus autem quod dicit, ignorat.

Iuxta exigentiam propoſitæ quæſtionis, ſcilicet, An poſt mortem animab. aliqua ſupplicia, vel gaudia ſint, plenè ſatiſfactum non eſt, quoniam plura adhuc dicenda manent quam dicta ſunt, etiamſi illa breuiter tranſcurramus, cum de ſola inferniorum poſitione, & de hac adhuc ſemiplene dictum ſit. De alijs autem aut gaudiorum, aut ſuppliciorum locis, quid ſecundum philoſophiam dici poſſit, & quid Poetæ teneant, quid etiam ſacra catholicorum poſitio tradat, maioris adhuc inquiſitionis ſunt, de quibus fortaſſis alias dicendi locus erit.

De hac materia vide Parad. 5. & Matt. capitul. 25.

De ſtatu Animarum poſt hanc vitam Opuſculi Alphonſi Toſt. ui Finis.

ALPHONSI TOSTATI EPISCOPI ABVLENSIS

De Optima Politia.

OPVSCVLVM.

LOCVS, ſeu paragraphus, ſuper quem tractationis huius nostræ fundatur intentio, ab Ariſto. 2. Polit. 1. c. circa principium collocatur. Circa quam conſiderationem tria facere destinaui. Primo ſup paragraphum cõmẽtari. Secundo cõcluſiones circa materiam eius declarare. Tertio argumentorũ violentiam propulſare. Circa primum, paragraphus, de quo intendimus, ſic incipit, Neceſſe eſt autem omnes omnibus communicare ciues, aut nullo, aut his quidem, his autẽ non. nullo quidem igitur communicare, manifeſtũ quidem, quod impoſſibile. Politia eſt quædam communicatio, & neceſſe eſt primum loco communicare. Locus quidem vnus, qui vnius ciuitatis. Poſtquam Phil. in 1. Polit. de principijs quibuſdam politiarum tractauit, ſcilicet ponens, quot erant modi communicationum tã politicarum, quam non politicarum, & quaſdam proprietates communicationum, quæ magis erant œconomicæ quam politicæ, in 2. lib. tractat de ipſa communicatione purè politica. Et quia intentio politizantis eſt optimam inuenire politiam, optimam autem dico, vel ſimpliciter, vel huic. Et iſta conſideratio vberius habetur, cum multorum ſententiæ inquiruntur, ideo in hoc ſecundo multas collocat aliorum politias. Inter has autem primo de politia Socratis & Platonis, tum quia inter cæteros Philoſophos eſſet opinatiſſimi, tũ quia ipſius Ariſt. magiſtri tractandum duxit. Ad quam introducẽdam quandã fecit præelocutionem vniuerſalem, quæ in hoc paragrapho continetur, dicens, quod primum principium in politica conſideratione inquirentibus de optima politia eſt, quod neceſſe ſit ciues communicare. Tunc ergo, aut ciues communicabunt in omnibus, ita vt nihil ſit vnius ciuis, quod non ſit alterius, vt poſſeſſio, & cibus, & domus, & filij, aut in nullo communicabunt, aut in aliquo communicabunt, & in aliquo non communicabũt. Quod autem in nullo communicent, impoſſibile eſt, quia ad minus ciues communicabunt loco. Ciues enim non ſunt, qui in eodem loco nõ commorantur. Si qui. n. diuerſas terrenas regiones incolunt, quantæcunque inter ſe pacis compugnationiſq; fœdera fecerint, ciues aut conciues non ſunt. Item repugnat valde hoc ſignificationi huius nominis ciuis. Nam ciuis politiam dicit, politia autem communicatio quædam eſt, ergo neceſſe eſt ciues aliquibus communicare. Item ſi ciues in nullo communicant, nihil cauſæ eſt, quare non homines omnes conciues fateamur: ſed nullus niſi inſanus hoc conceſſerit, ergo ciues in aliquo communicant. Item omnis ciuitas cu-

A iuſcunq; politiæ ſit, i. ſiue Ariſtocratica, ſiue Monarchica; ſiue Oligarchica, ſiue Timocratica, aut Democratica ſit, legibus indiget, vt cuicunq; notiſſimum eſt: ſed ſi ciues in nullo communicarent, nõ eſſent neceſſariæ leges. ergo neceſſe eſt ciues communicare. Antecedens patet. ſ. q ſi ciues non communicarent non indigerent legibus. Nam leges iurgia dirimunt, quæ ex communicationib. oriuntur. Eſt autem contractus, vt politicè loquar, quælibet conuentio inter aliquos conſtituta, & communi deliberatione firmata. Ad ampliorem huius declarationem quædam breuia dubia ſubiungemus, quorum primum Cõtract° diffinitio
B ſit, qui primo ciuitates conſtituerunt, aut quomodo primo conſtitutæ ſunt. Sed ex hac inquiſitione in quandam altiſſimam foueam relabimur. ſ. verũ mundus fuerit æternus. Nam ſi nos ab aliquo, qui Philoſophi ſibi nomen aſſcribat, inquiramus, quis primo ciuitatem condiderit, reſpondebit nullum fuiſſe primũ ciuitatis conditorem, ſed ab æterno eſſe ciuitates; ſicut nõ datur apud eos primus homo nec primum tempus, neq; aliquid in inchoatione primum, quantum ad res naturales: ita dicerent ciuitates eſſe à paruo tempore, ſed æternas. Hoc tamen etiam apud ipſos, qui æternitatem mundi fabu-
C lantur, ſtare non poterit. Nam non reperitur eadem cauſa in ciuitatibus & rebus artificiatis, atque in rebus naturaliter procreatis. Nam ijdem dicunt non eſſe primũ hominem, quia neſciunt dare modum, per quem ille primus homo genitus fuerit.

Nam reuera, vt ipſi arbitrantur, infinitæ potentiæ eſt hominem primum produxiſſe, & primum tempus, & primum motum. Omnia namque illa præſupponunt creationem, quæ fundant poteſtatem eſſe infinitã, quia ſi primus motus fuit: ergo ante materia nõ erat, quia materia non eſt ſine motu. Si autem antea nõ erat, & poſtea
D fuit, cum ipſa non poſſit eſſe ex altero, quia ipſa eſt fundamentum, ſiue ex quo omnia ſunt, neceſſe eſt ipſam de nihilo eſſe productam, quam productionem oẽs creationem dicunt. Hanc autem infinitam potentiam exigere ambiguum non eſt, ſed infinitam Philoſophi oẽs negãt, vt ſatis colligitur ex 8. Phyſicorum vbi Ariſt. vult Deũ eſſe infinitum ſecundum durationem ſecundum q̃ omnes aliæ res naturales, in potentia aũt ſiue virtute agẽdi infinitum eſſe non vult. Et magis hoc declaratur ex ſecundo de cœlo, & mundo, vbi inquit, quod ideo terra nõ
E mouetur, quia non eſt aliqua potentia potens eam pellere extra medium mundi, ſed ſi nos demus materiam habuiſſe primum motum, neceſſitabimur dare creationẽ, quam ipſi refugiunt, & dicunt excedere finitam potentiam: ergo nec dant motum primum, ſed dicunt motum eſſe æternum. Eodem modo nec hominem primũ fuiſſe concedent, quia ſi aliquis fuit primus homo, ille nõ fuit genitus ab illo homine: ergo ille aut homo fuit de nihi-

Materiæ primæ ꝓductio creatio eſt cũ ipſa nõ poſſit eſſe ex aliquo.

Item cum iſti viri regant domum, & iſti viri multa ca- A
pita habeant, neceſſe erit animarum conſequi diuerſita
tem. Et ſic interdum contraria mandarent, ex quo ne-
ceſſario lis ſequeretur, & deſtructio œconomica, &
conſequenter totius politicæ, cum in qualibet œcono-
mica ſimile fieret, ſi cuilibet vxori permitteretur, quòd
haberet multos viros. Item repugnabat hoc ex parte
ſubditorum, quia cum diuerſi viri diuerſa fieri impera-
rent, vxor aut filii, vel ſerui neſcirent cui obedirent. Et
tunc ſequeretur illud, quod dicit ſaluator Mat. 6.c. ne-
mo poteſt duobus dominis ſeruire, aut vnum odio ha-
bebit, & alium diliget, aut vnum ſuſtinebit, & alium
contemnet. Item, quia ſic exiſtente non procurarentur
bona œconomica, cum vnus rector œconomiæ, man-
daret vnum, & alius aliud, non ergo decet ſic eſſe, ſed
ſic, ſicut eſt ordo naturæ, quia regimen naturæ eſt opti- B
mum. Sed natura habet vnum principem, ergo in œco-
nomia erit vnus princeps. Sic enim dicit Ariſt. 12. Meta.
Mala eſt pluralitas principum, bonus eſt ergo vnus
princeps. Iſtæ inconuenientiæ non ſequentur, ſi vnus
vir plures vxores habeat, quia vxor non dominatur,
ſed ſubdita eſt. Sic patet 1. Corint. 11. & 1. ad Timo. 2.
c. mulierem autem docere non permitto, nec dominari
in virum. Datis ergo pluribus vxoribus eidem viro nõ
dantur plures rectores eiuſdem œconomiæ, ſed vnus,
ſed dantur multi ſubiecti, ad quos non ſequitur turba-
tio. Nam datis multis ſubiectis, non dantur multa prin
cipia agendi, nec mouendi, quia ſubditus, ſecundum
quòd eſt huiuſmodi, non habet in ſe principium ſui mo
tus, ſed mouetur à prælato, vel rectore. Datis autem plu-
ribus rectoribus, dantur plura principia agendi, & ſic
ſequitur turbatio œconomiæ. Præter has rationes Beati C
Aug. poſſunt eſſe aliæ. Et ſit prima, quòd eidem viro in-
terdum bona eſt pluralitas vxorum, vt ſi forte ex vna
gignere non poteſt, quòd gignat ex multis, ſicut Abra-
ham fecit, quia Deus promiſerat ei ſeminis multiplica-
tionem, & quia videbat, quod non potuiſſet gignere ex
Sara, cum multo tempore generationi operam dediſſet,
ex conſilio, & precibus Saræ accepit aliam vxorem, ſci-
licet Agar, & ex illa genuit, vt patet Gene. 16. c.

Subditus ſecũdum quòd ſubditus nõ habet in ſe principium ſui mot⁹ ſed mouetur à prælato.

Secunda, quia ſi eidem feminæ darentur plures viri,
dato, quòd iſta femina gigneret cum iſti viri ad eam ac-
cederent, quando vellent, raro daretur, quod cognoſce-
rentur proles. Hoc autem eſt magnum inconueniens,
quia patres valdè deſiderant cognoſcere filios ſuos. So-
læ enim tunc matres filios cognoſcerent, viri autem D
non, quod erat tollere quandam magnam delectationẽ.
Hoc autem non ſequitur datis multis vxoribus eidem
viro, quia tunc quælibet mater cognoſceret filium ſuũ,
& vir cognoſceret omnes natos ab illis vxoribus eſſe
filios ſuos. Tertia ratio, quia pluralitas virorum eidem
mulieri repugnat intentioni naturæ, & rectitudini finis
deſtinati à ratione. Natura enim, & recta ratio volunt
matrimonium ad prolem. Sed vna vxor ex vno viro gi-
gnere ſufficienter poteſt, ergo ſi poneretur alius, ille nõ
eſſet ad gignendum, ſed ad deturbandum, & obſtandũ
generationi, ſatis enim notum eſt, quòd ſi vna vxor ſi-
mul plures viros vellet, quòd non ad gignendum, ſed
ad explendam libidinem faceret. Iſte autem finis deor-
dinatus eſt, & male præſtitutus. Eundem autem virum E
plures habere vxores benè ſtat, non ad libidinem, ſed
ad prolem, quia ad libidinem vna ei ſufficit, ad prolem
autem non ſufficit, quia poſtquam vna concepit vſque
ad nouem, vel decem menſes, concipere iterum non
poteſt. Poteſt autem vnus vir in eodem anno multos
filios ex diuerſis vxoribus procreare, ſicut refert Fran-
ciſcus Petrarcha de quodam Rege in libro de Proſpera
fortuna, qui 600. filios genuit. Neceſſe autẽ erat de iſto,
quod in quolibet anno 20. vel 30. filios gigneret. Quar-
ta ratio, quia pluralitas iſta virorum repugnat paci po-
liticæ, & œconomicæ. Nam ſi plures viri eidem vxo-
ri eſſent, contingeret omnes ſimul ab eadem vxore
debitum petere, ſed quia non poterat ſimul cuilibet
reddere, ſequeretur magna diſcordia inter viros, &
vulneratio. Sic enim in duobus tauris, aut in aliis bru-
tis contendentibus ſuper eadem femella fit interdum
mors, & dura vulneratio. Fortius autem amor iſte viris
infigitur, quia cognoſcunt, quod autem cognoſcitur, ma
gis amatur, beſtiæ autem non cognoſcunt ſic. Quod au-
tem amor in hominibus tam viris, quam feminis for-
tis ſit, nimium patet, quia nullus labor magnus videtur
amanti, ignes non timet, niues ſpernit, gladijs ſe oppo-
nit, omniaque pericula ſibi grata reputat, dum tamen
conſequatur amatum, vt ait Seneca tragœdiâ 4. cu-
ius nomen Hippolytus, in actu 2. in carmine 2. cum Phę
dra amore flagrans Hippolytum alloquens introduci-
tur, dicens.

Amor in hoſb. fortiſſima & paſsio.

Me, vel ſororem Hippolyte, vel famulam voca.
Famulamque potius omne ſeruitium feram:
Non me per altas ire ſi iubeas niues,
Pigeat gelatis ingredi Pindi iugis.
Non ſi per ignes ire, & infeſta agmina.
Cunctor paratis enſibus pectus dare.
Mandata recipe ſceptra me famulam accipe.
Sinu receptam ſupplicẽ, ac ſeruã rege, miſerere viduæ.

Orpheus etiam, qui cetera ſuis cantibus ſuperauerat, a-
morem fortem ſuperare non potuit, ſed quo poten tius
omnia terræ inferniquemonſtra placaret fortius in eo re
crudeſcebat amor, vt ait Seneca in tragędia. 1. cuius no-
men eſt, Hercules furens. in carmine 4. quod incipit.

Immites potuit flectere cantibus
Vmbrarum dominos, & voto ſimplici.

De hoc etiam Boetius de conſola. libro tertio, Metro. vl-
timo, ſcilicet.

Felix, qui potuit fontem viſere lucidum.

Tanta enim amoris viuacitas, & vulnerãdi poteſtas eſt,
vt non iniuria eum antiqua gentilitas ſagittas, & ardẽ-
tes faces habere dixerit, vt ait Iſidorus Erymo. lib. 8. vbi
agit de diis gentium. De hoc etiam Seneca tragędia 4.
quæ dicitur Hippolytus carmine 3.

Diua non miti generata ponto,
Quam vocat matrem geminus cupido.
Nulla pax iſti puero per orbem.
Spargit effuſas agilis ſagittas.
Tela, quæ certè iaculatur arcu.
Non habet latam data plaga frontem.
Nouit hos æſtus iuuenum feroces.
Concitat flammas ſenſibuſque feſſis.

Solus enim amor eſt, qui viros fortes emollit, dura quę-
que confringit, & non immeritò, quia fortis eſt vt mors
dilectio, & dura ſicut infernus æmulatio, lampades e-
ius lampades ignis, aquæ multæ nõ poterunt extingue-
re caritatem, nec flumina obruent illam, vt patet Cant. Cant. 8.
8. cap. Satis enim hoc patet in Hercule, qui cum omnia
terrarum & inferorum monſtra indomitis illis viribus
domuiſſet, ſolo amore Ioles filiæ Regis Aetoliæ ſupera-
tus ad ancillaria miniſteria deductus eſt, ita vt ad præ-
ceptum eius femineam veſtem indueit. De hoc Oui-
dius in libr. Epiſtolarum in epiſtola Deianiræ ad Her-
culem, quæ incipit.

Gratulor Aetoliam titulis ſuccedere noſtris.
Victorem victæ ſuccubuiſſe queror.

De hoc meminit Ioannes Boccatius de Certaldo in li-
bro de Caſu, & ruina principum, & Seneca in tragędia.
4. carmine 3. ait.

Natus Alcmena poſuit pharetras.
Et minax vaſti ſpolium leonis.
Paſſus aptari digitis ſmaragdos.
Et dare legem rudibus capillis.
Crura diſtincto religauit auro.
Luteo plantas cohibente ſocco.
Et manu clauam modo, qua gerebat.
Fila deduxit properante fuſo.

Idem

Idem quaſi de viro forti Achille legitur, qui cũ in Tro- F
iano bello Polyxenam Priami filiam adamaſſet, ita vt deperiret in amore eius, ceteris ad bellum properantibus ipſe in lecto ſedens Threicia lyra cantus amatorios concinebat. De hoc Ouidius in libro Epiſtolarum in epiſtola Briſeidis ad Achillem, quæ incipit.

Quam legis à rapta Briſeide litera venit.
Vix benè barbarica Græca notata manu,

Quid enim pluribus inſiſtam? multa dicemus, & deficiemus verbis. Maior eſt enim omni verbo dura amoris ſæua poteſtas. Et ſi quis ſimpliciter motus ſic fortiter amare poteſt, quanto magis cum alius amatum impedient, aut occupauerit? Tunc enim magna vis increſcit amoris. Sic enim ait Ouid. in lib. 2. de remedio amoris, ſcilicet.

Acrius Hermionem ideo dilexit Oreſtes, G
Eſſe, quod alterius cœperat illa viri.

De hoc idem Ouidius Lib. Epiſtolarum, in epiſtola Hermionis ad Oreſtem, quæ incipit.

Pyrrhus Achilleides animoſus imagine patris,

Sed dices, quòd idem inconueniens ſequeretur dando plures vxores eidem viro. Nam cum vir, & vxor ad paria iudicentur iuxta illud Apoſtoli 1. ad Corinth. 7. (1. Cor. 7.) ſcilicet vir non habet poteſtatem corporis ſui, ſed mulier, & mulier non habet poteſtatem corporis ſui, ſed vir: cum ergo eiſdem pluribus vxoribus pro eodem tempore vir debitum reddere non poſſit, ſequitur contentio, & diſturbatio œconomię. Reſpondeo, quòd non eſt ſi- H
mile in viro, & vxore, quia ſi duo viri ab eadem vxore ſimul debitum peterent, cum ipſa non poſſet vtrique reddere ſimul, viri qui ferociores ſunt contenderent ſuper hoc vſque ad mortem, & nullus eſſet rector œconomiæ, qui eos moderari poſſet. Si autem plures vxores ab eodem viro ſimul peterent, non ſequitur hoc inconueniens, quia vir, qui rector earum eſt, ſedaret litigia, & cui vellet prius daret, cui autem poſterius, poſterius. Vel eis ad reddendum debitum ſuum certa tempora deſignaret. Sicut Iacob, qui 4. vxores habebat, & cuique debitum reddebat. Sed vno tempore determinato manebat apud vnam, & alio tempore apud aliam, & ſic non eſſet contentio. Iacob tamen multum ſe alligauerat voluntati vxorum tradens totam voluntatem I
ſuam, ſcilicet quòd quando erat tempus accedendi ad vnam, non accedebat ad aliam, etiamſi vellet. Et ſi illa, apud quam manere debebat reddendo debitum aliquo tempore vellet ius ſuum vendere alteri vxori, poterat vendere, ſicut patet Gene. 30. c. cum eſſet tempus, in quo Iacob manere debebat apud Rachelem reddendo debitum, & Rachel petiiſſet a Lia, vt daret ei de mandragoris filii ſui Ruben, quas de agro attulerat, dixit Lia, parum tibi videtur, quòd præripueris mihi virum meũ, niſi & mandragoram filii mei tuleris? Dixitq; Rachel, dormiat tecum hac nocte pro mandragoris filii tui. Tamen, quia vtraque huic pacto conſenſit, egreſſa eſt Lia in occurſum Iacob reuertentis de agro ad veſperum, & ait, ad me intrabis, quia mercede conduxi te pro mandragoris filii mei. Quinta ratio eſt, quia ſequeretur ma- K
gna abominatio, cum vnus vir cognoſceret, quod vnus coibat cum ea, quam ipſe carnaliter cognoſcebat. Nam cum iſte actus turpis ſit, & valde fœdatiuus, valde abhorreret quilibet a ſe fœdatam ab alio defœdari, & induceret viros ad non cognoſcendum vxores. Et patet, quia non ſolum aliquis abhorret eam, quæ ab alio defœdata eſt, ſed interdum eam, quam ipſe fœdauit. Ex quo ſequitur illud, quod videtur in amatoribus carnis, vt cum aliquam fœminam, antequam potiantur optatis nimio amore dilexerint, poſtquam eam carnaliter cognouerint modicum appretiantur, iam non eam, ſed aliam diligentes. & non ſolum non appretiantur, ſed fit interdum, vt eam, quam antè ſummo amore dilexerant, duriſſimo odio proſequantur. Hoc enim inter ardentiſſimos amatores viſum eſt, vt patet de Amnon filio Dauid, quia ita vehementiſſimè dilexit ſororẽ ſuam Thamar, ita vt deperiret in amorem eius, cum autem vi opprimens cognouiſſet eam, factum eſt vt maius eſſet odium, quo eam poſtquam cognouit inſecutus eſt, quam fortiſſimus ille amor, quo antequam cognoſceret eam dilexerat. Si autem dentur plures vxores eidem viro, non ſequuntur hæc, quia nihil magis aliqua vxor virum defœdatum reperiet, ſi aliam cognouerit, quam ſi nullam cognouiſſet. Ratio diuerſitatis, quia vir eſt emittens, & non recipiens.

SEPTIMA CONCLVSIO principalis

Communitatem vxorum politiæ Socratis, & Platonis non capit natura, nec vlla vis rationis.

SExta, & vltima concluſio ſit. Communitatem vxorum politiæ Socratis, & Platonis non capit natura, nec vlla vis rationis.

Quod ſic patet, quia ſi communitas daretur vxorum, ita quod nullus acciperet aliquam ſpecialiter in vxorem, ſed omnes omnium eſſent vxores, impoſſibile eſſet diſtinguere proles quantum ad partus, quia quilibet ad quamlibet vxorem accedere poſſet, & incertum eſſet, ex quo viro illa mulier concepiſſet, eſſentque omnes viri vulgo concepti, quod magnum vituperium eſt. Etiam, quia ſic tolleretur probitas virorum, & diſtinctio nobilitatis ciuium. Status enim politiæ conſiſtit in varietate perſonarum, nobilitate, & ſtatu differentium. Nobilitas autem prolis eſt a nobilitate paterna, ignorato autem patre nunquam pateret in poſteris diſtinctio generis, & nobilitatis. Hæc autem omni virtutum probitati viã præcludit, quia homines, qui ſe a nobilibus ortos putant, à generis nobilitate coguntur, vt magna, & conuenientia nobilitati ſuæ faciant, ne viliſſimi reputentur. Sic enim ait Boetius de Conſola. lib. 3. proſa. 5. Quod ſiquidem in nobilitate bona id arbitror mihi ſolum, vt impoſita nobilibus neceſſitudo videatur, ne a maiorum virtute degenerent, cum autem talis nobilitas ignoratur, torpet pigra virtus, & ſenio contabeſcit. Etiam hoc modo homines infames apud ceteras gentes, & degeneres iudicantur. Hæc enim cauſa eſt, quare Spartani, qui & Lacedæmonii dicuntur Græcorum populi inter ceteras gentes viliſſimi habentur. Ab incertis quippe patribus nati erant. Nam, vt quidam hiſtoricus refert, tractans de dea, quæ venus armata dicitur, cum ſemel Lacedęmonij cõtra hoſtes ſuos ciuitatem ſuam longe conſtituti exiuiſſent, cum autem facto bello armati Lacedęmonãi in ciuitatem ſuã redirent, mulieres Lacedęmoniæ eos longe reſpicientes hoſtes eſſe putauerunt. Armato ergo fœminarum exercitu viris obuiam exeuntes bellum inferre parabant, cum autem cominus ſe viderent, viri agnoſcentes vxores ſuas eſſe, cenſuerunt in eas eſſe impetum faciendum, vt ſinguli fœminis ſingulis obuiantes, ſicut ſors cuique tuliſſet eis in gaudium euentus bellici miſcerentur, quo facto proles incertæ, & permixtæ Lacedæmonum prouenerunt, vt de nullo tunc genito certus conſtaret pater, ex quo euentu ab aliis gentibus viliſſimi reputari in opprobrium facti Spartani dicti ſunt. Aliter autem licet in effectu, idem quantum ad intentum principale, refert Paulus Oroſius libro primo, de Ormeſta mundi.

Idem Garamantes, qui in Aethiopia populi ſunt faciunt, matrimonialia namque fœdera nulla iungunt, cunctiliber fœminæ pro libito ſe miſcentes. Ob quam cauſam nec inter ceteros populos cõmemoratione digni ſunt, de quo Solinus in Polyhiſtor. cap. de Aethiopia. Item, quia ſic poſito ſequerentur multa inconuenientia in acceſſu carnali, quia contingeret, quod aliquis cognoſceret filiam ſuam carnaliter, quia neſciret, quæ eſſet filia ſua. Etiam aliquis cognoſceret ſororem ſuam, vel auiam ſuam ex parte. Nam cũ patrẽ ignoret, neceſſe erit auiam

ignora-

Iſte autem Adā ab illa felici ciuitate Dei exul in hac ęrumnoſa lamentabilique tellure, illius quam perdiderat, beatiſſimæ ciuitatis memoriam ſemper agens, caducam vrbem conſtruere non curauit.

Cum autem eſſet Adam annorum 130. vt ait Methodius martyr, qui ſæcula per millenarios ſcripſit, & conſonat tranſlationi interpretum 70. Cain Abel fratrem ſuum inuidia motus occidit, quod tamē litera Hebraica, & tranſlatio Hieronymi, quæ pauciores annos ponit, ante annum 130. vitæ Adæ factum eſſe aſſeuerat. Nam anno 130. Adam filium ſuum Seth genuit, vt patet Geneſis cap. 4. quod tamen poſt mortem Abel factum eſſe Sacra Scriptura denunciat. Nam & ipſe Adam cum genuiſſet filium ſuum Seth, & ei nomen impoſuiſſet, reddēns nominis impoſiti rationem, dixit. Poſuit mihi Deus ſemen aliud pro Abel, quem occidit Cain.

Eo autem tempore Cain in pęna ſceleris ſui vagus atque inſtabilis, & tremens factus oculis parentis ſui comparere non audēs, accepta clam vxore ſua Calmana, quę pariter ſoror erat, vt illius temporis neceſſitas exigebat, egreſſus a facie Domini, vt ſcriptura Geneſis ait, perrexit in terram Orientalem: & tunc ſequitur ibidem textus. cognouit autem Cain vxorem ſuam, quæ concepit, & peperit Henoch, & ædificauit ciuitatem, vocauitque nomen eius ex nomine filij ſui Henoch. Ecce enim veriſſimè prima orbis ciuitas fuit, quæ à ſecūdo hominē facta eſt. Et rectè quidem, nec ſine myſterio factum eſt, vt inquit Aug. 15. de Ciuit. Dei.

Ciuitas prima ædificata eſt à Caī.

Duæ enim ciuitates ſunt, quarum vna ciuitas Dei, alia autem ciuitas dæmonis dicta eſt: Quę duæ ſimul inceperunt, ſimulque percurrunt, vtraque in perpetuum duratura. Ciuitas autem diaboli in hoc labenti ſeculo bonum ſuum habet, poſt vero ſola ei ſupplicia manent, ideo cōueniens fuit, vt ipſe, qui inter homines primus ciuitatis diaboli caput extabat primam in terris conderet ciuitatem. Quod quidem de Cain proculdubio dixerim, ipſe namque eſt, qui inter homines primus Gehennæ incendijs cum diabolo, & angelis eius deputatus eſt. Rectè ergo iſte primus condidit ciuitatem. Quamquam de hac ciuitate quomodo cōſtrui potuerit, cum ſolus Cain cum filio ſuo Henoch extarent, cum nullos alios vſque ad illud temporis exprimat ſcriptura. Et dato quod poſſet, ad quid conſtructa fuiſſet, cum ciuitas multorum ciuiū ſit incolatus: alia ſatis magna difficultas eſt, de qua alibi dixiſſe ſufficiant. Hanc enim latè diſputat Auguſt. 15. de Ciuit. Dei.

In illa autem prima ætate, quæ ſecundum computationem literæ Hebraicę, quam Biblia noſtra tenet, habuit annos mille ſexcentos quinquagintaquatuor. Secundum vero ſeptuaginta interpretes longe plures, ſcilicet, duo millia & ducentos & quinquagintaduos, nullam aliam fuiſſe ciuitatem, nec legitur, nec creditur, quia ſucceſſio ciuitatis Dei, quæ per lineam Seth ab Adam texebatur, tanquam in terra hac peregrina luteam ciuitatem conſtruere noluit. In ſecunda autem ætate, quæ poſt diluuiū ſecuta eſt, cum cepiſſent homines multiplicari, quaſi cētum annis poſt diluuium, videntes ſedes illas, in quibus ea tenus poſt diluuium manſerant, eſſe habitationi eorū incōgruas. ſ. ipſam terram ſitam inter montes Armeniæ, ſiue Ararath, vt nominat ſcriptura, quia aſperrimo ſitu montoſa eſt, venerunt ait ſcriptura è parte Orientali; ſcilicet per latus montis Caucaſi, qui in latere Septentrionali orbis eſt, quæ tota terra nunc Parthia, & Arctuſia, & Aſſyria, atque Media dicitur, tota montibus aſperis eleuata, cumque multum proceſſiſſent, inuenerunt campum ideſt terram planam in terra Sennaar, & habitauerunt in eo. De quo Gen. 11. c. & tunc dixit alter ad alterum: Venite, faciamus lateres, & coquamus eos igni, habueruntq; lateres pro ſaxis, & bitumen pro cemento, & dixerunt: venite, faciamus nobis ciuitatem & turrim, cuius cacumen pertingat in cęlum, & celebremus nomē noſtrum, antequam diuidamur in diuerſas terras. Nec enim iſta turris ad aſcendendum in cælum facta eſt, vt quidam inſcij arbitrantur. Nam huius ciuitatis, & turris conditor præcipuus Nemrod fuit, qui poſtea ibi regna-

A uit. Hic autem, vt Ioſephus in 1. lib. Antiqui. teſtatur, & Euſebius Cęſarienſis atque Lucas Tuden. in Chronicis ſuis Aſtrologię repertor & Geometriæ fuit, & in naturalibus magnus. Cum ergo aſtrologicè cognoſceret cælum primum valdè diſtare a terra: impoſſibile etiam eſſe cognoſceret cunctis mortalibus turrem illuc accedentem conſtruere. Nam & tota ipſa terra in vnum aggerem acutiſſimum conglobata, atque in modum turris extenſa à centro terræ vſque ad cælum Lunæ minimè pertingeret.

Nemrod Aſtrologiæ, & Geometrię reperor fuit.

Item quia ſciebat naturaliter aeris interſtitium mediū ita frigidiſſimum eſſe, vt nihil in eo viuere poſſit: Quo modo ergo ædificarent, quando illuc peruenirent?

Item ſciebat ſphæram ignis orbiculariter extenſam eſſe antequàm veniatur ad cælum: quomodo ergo per B eam tranſire poſſent, aut quidquam conſtruere? Nullo vnquam modo talis amentia in caput ipſius Nemrod ædificatorum principis aſcenderet. Nec quiſquam in hac parte ſe tueri poteſt ea fabula, qua dicitur gigantes cum dijs cæleſtibus decertaſſe, vt eos à cælo excluderēt. De quo Ouid. Metā. lib. 1. quæ fabula apud omnes tam Hiſtoricos, quàm Poetas, quam vulgatiſſima eſt. Nam ordo ipſius fabulæ iſtorum intentioni repugnat. Non. n. turrem, aut ciuitatem iſti conſtruxiſſe feruntur, ſed montes montibus ſuperpoſuiſſe, ita vt ſuper montem Pelion, mons Oſſa poſitus eſſet, & ſuper hunc mons Olympus: deinde ceteros Theſſalię montes ſuperponere laborarēt, niſi eos omnipotens princeps ille Deorum miſſo fulmine deieciſſet: De quo Ouidius vbi ſupra ſic ait.

C *Affectaſſe ferunt regnum cæleſte gigantes;*
Altaque congeſtos ſtruxiſſe ad ſydera montes.
Sed pater omnipotens miſſo perfregit Olympum.
Fulmine, & excuſſit ſubiectum Pelion Oſſa.

Item diſſonant iſta duo facta. Nam turris, & ciuitas Babylon in Chaldæa, quæ pars Aſiæ maioris eſt conſtructa fuit. Fabuloſum autem bellum gigantum, quod bellum quoddam verum illis temporibus factum gerit, ſub cortice in Theſſalia, quæ nunc Theſſalonica, ſiuè Salonica dicitur, & pars Græciæ eſt, accidit. Cauſa ergo veriſſima huius turris magnę, ſecundum quòd in litera Gen. 11. ca. exprimitur fuit, quia homines iam multiplicati in diuerſas orbis partes diſcedere moliebantur, vt aliquid magnum atque admirabile maneret, quod totum genus D feciſſet humanum, turrim illam magnam & ciuitatem fortiſſimam facere inceperunt. Et iſta quidem intentio ſatis honeſta videbatur ſaltem in cortice. Et dato, quòd poſtea multa opera ab hominibus fierent, nullum tamē ita excellens eſſet, ſicut illud, quod totum genus ſimul condidiſſet humanum.

Quare turris Babyloniæ condita fuit.

Quod clarè litera noſtra innuit, dicens: Venite, faciamus nobis ciuitatem & turrim, cuius culmen pertingat ad cęlum, & celebremus nomen noſtrum, ideſt faciamus illam famoſam, antequàm diuidamur in terras. Aliter autem habet hic litera Hebraica, ſcilicet celebremus nomen noſtrum, ne diuidamur in terras, quod quidem aliā longè diſtantem ſententiam facit, ſcilicet, ꝙ homines illius temporis volebant ſimul morari, quia cognati erāt, & ex ſimilitudine ſpeciei ſe diligebant, & ad hoc elegerunt terram Sennaar, quę valdè plana, & campeſtris eſt, E vt omnes ibi caperentur, & quia contingeret, imnio neceſſe eſſet ex aliquibus cauſis homines recedere ab illo loco habitationis ad aliquas alias partes terræ. Et quia terra inuia eſſet, vtpotè in alijs locis non habitata, ne ſcirent regrēdi ad locum habitationis hominum: voluerūt ergo facere quādam turrim, quæ ad cælum pertingeret, ideſt quæ eſſet altiſſima ſaltem pertingens vſque ad nubes, vt hæc altitudine ſua, & latitudine vbique, ſcilicet in partibus terrę ſatis diſtantibus videri poſſet, ideo homines videntes illam, quantūmcunque à locis cōis habitationis diſtantes redire poſſent, & nō perderentur locorum receſſibus. Et hoc ſonat litera, cum dicit celebremus nomen nſm. i. faciamus aliquid famoſum. ſ. vt iſta turris ita alta ſit, ꝙ vbicunq; ſint homines, ſciant hūc locū cōis

habitationis hominum. Et hoc eſt nomen loci eſſe celebre, ſiue famoſum. Ne diſpergamur in terras, ideſt quòd iſta tanta turris altitudo facta fuit, vt homines non diſpergerentur, quia ſi recederent à loco illo cõmunis habitationis, ſi nihil eſſet per quod reducerentur, neſcirent redire. Et ſi diſpergerentur per terras, exiſtente turre ita altiſſima, viderent eam vbique, & ſic non diſpergerentur per terras. Eſt autem, vt arbitror, iſta litera hebraica conuenientior, q̃ litera noſtra, quia exiſtente litera noſtra, non videtur rõ quare Deus moueri debuerit rationabiliter contra ædificantes talem turrim. Exiſtẽte autem litera iſta hebraica, quam nunc ſecutus ſum, conuenienter motus fuit Deus ad puniendũ iſtos deſtruendo eorum ædificationem. Nam ſi turrim, vt ipſi volebãt, cõſtruxiſſent altiſſimam & vrbem, omnes gentes ibi habitaſſent: Deus autem hoc noluit: multæ enim inconuenientiæ ex hoc ſecutæ fuiſſent. Etiam quòd ibi vnitas humanæ linguæ, quæ ab humani generis exordio extiterat deſtructa fuit, ſaluberrimum humano generi fuit, de quibus omnibus alibi ſatis latè dixiſſe ſufficiat. Hæc ergo eſt illa magna Babylon ſecũda totius orbis in prioritate ædificationis, & in ſecunda ætate prima, quæ ideo ceteris totius orbis ciuitatibus excellentior fuit, quia totum genus humanum ad eam conſtruendam conuenerit. Poſt hanc vero crebertimæ in orbe ciuitates conditæ ſunt, de quibus propoſiti noſtri diſſerere non eſt. De ciuitatibus autem tanta dicta ſint, vt earum vera pateſiat origo. Aſſumpti Paragraphi neceſſitas exigit diſſerere, quid ſit ciuis, & quid ciuitas, & vtrum ciuitas monarchica, & ariſtocratica, & oligarchica, & timocratica, & democratica in ſpecie idem ſint, vtrũquemlibet ciuem fieri contingat ſecundum quamlibet politiam: & quid ad hoc ꝙ quiſpiam ciuis ſit, requiratur: & quod ſit optimum genus ciuitatis. Multa quoque in hunc modum, quæ vt in 1. lib. Aeneid. iuxta Virgilium Aeneas ait,

Fortè olim meminiſſe iuuabit.

Quoniam Ariſt. in 2. Politic. vbi Paragraphũ iſtum locat, facit eum introductorium ad Politiam Socratis & Platonis, in qua ſtatuebatur vxorum poſſeſſionumque cõitas, nos quoq; conformiter ad huius Paragraphi declarationem de vxorum cõitate primò qõnẽ ventilabimus. ſ. vtrũ vxorum pluralitas in Politia Socratis, & Platonis iuſtũ quicq̃ ſtatuit, vel ſit extra terminos rõnis. Intentio qõnis vtrum Politia Socratis & Platonis, q̃ conſtituit vxorum cõitatem cõtineat aliquid iuſtum, vel non. Et arguitur primo, ꝙ contineat aliquod iuſtum, & ſic illa politia, ſiue politicus ordo rectus eſt, qui reducit ciuitatem ad maximam vnitatem, ſed cõitas vxorũ & filiorum facit ciuitatem maximè eſſe vnam, ergo eſt recta. Maior patet, quia ciuitates & quælibet aliæ res, dũ magis vniuntur, magis ſunt ens, & magis ſtabiles. Na regnũ in ſeipſum diuiſum deſolabitur, & domus ſupra domũ cadet, iuxta verbum Saluatoris, vt patet Matth. 12. c. Et ibidem: Omnis ciuitas vel domus contra ſe diuiſa non ſtabit. Et Boet. de Conſol. lib. 3. proſa 10. probat ens, & vnum eſſe idem, & dum aliquid magis accedit ad naturam vnitatis, magis accedere ad naturam entitatis. Minor. ſ. ꝙ cõitas vxorum faciat magnam vnitatem, quia ſi eſt cõitas vxorum, oẽs vxores oium erunt vxores vnius viri, & oẽs viri erunt mariti vnius cuiuſlibet vxoris, & ſic tota ciuitas quantacunq; ſit, erit quaſi vna domus, ſ. ſicut vnus vir, & vna vxor. Item ille ordo politicus eſt valde iuſtus, qui conſtituit magnum amorẽ in ciuitatib. ſed cõitas vxorum, & filiorum magnum amorem conſtituit in ciuitatibus: ergo talis politia eſt valde iuſta.

Maior patet, quia ciuitas conſiſtit in quadam communicatione, quæ maxime durat, quando maior amor eſt. Sic enim ait Ariſt. 8. Ethic. quod cõditores politiarũ magis curant de amicitia quam de iuſtitia: quia exiſtente iuſtitia adhuc opus eſt amicitia. Exiſtente autem amicitia non eſt opus iuſtitia. Minor ſcilicet quòd communitas virorum, & filiorum conſtituat amorem magnum in ciuitate, patet, quia ſicut inter patrem & filiũ, & matrẽ & filiam, vxorem & virum, eſt quidam gradus amoris excellens omnes alios gradus amoris: ita erit in tota ciF uitate talis excellens gradus amoris: quia omnes diligent minores ſe vt filios, cum quilibet quemlibet vt filium habere poſſit, quem tantum in ætate excedat, vt ſecundum naturam eius filius eſſe poſſet: etiam quia omnes feminæ diligent omnes viros, vt maritos, & omnes viri diligent omnes feminas de ciuitate tanquam vxores ſuas.

In contrarium videtur, quòd iſte politicus ordo non ſit conueniens: quia illa politia, quæ ſtatuit in ciuitate maximas inimicitias, eſt valdè mala: ſed per talem communicationem vxorum fiunt in ciuitate maximę diſcordiæ: ergo politia, in qua vxores ſtatuuntur communes, peſſima eſt. Maior patet, quia ciuilis communitas pacẽ deſiderat, & pace conſeruatur, per ſeditiones verò ſubito perit. Minor per communicationem vxorum fit in ci-

G uitate ſeditio. Patet: quia aliqua femina eſſet ceteris pulchrior, quam multi ſimul peterent, & ſic ſeditiones mutuæ inextinguibiles naſcerentur.

Ad declarationem lucidiorem quæſtionis apponentur aliquæ concluſiones, quarum prima ſit.

PRIMA CONCLVSIO.

Legiſlator non debet ponere optimas leges, nec optimam politiam.

Legiſlator volens condere aliquam politiam nõ debet ponere optimas leges, nec optimam politiam. Pro quo ſciendum, ꝙ differunt politia & lex: nam politia eſt quidam ordo, ſecundum quem debent conuenire ciues ad conſtituendam ciuitatem. Lex dicitur eſſe que-

H dam regula, q̃ imponitur ipſis iam exiſtentib. ciuibus, vtpote ſi aliqui conuenire debent ad conſtituendam aliquam ciuitatem, neceſſe eſt, vt primo quam conueniant habeant inter ſe quẽdam ordinem. ſ. vel ꝙ conſtituant ſuper ſe vnũ, qui ſemper præſit, aut ꝙ omnes per tempora æqualia præſint, aut ꝙ virtuoſi præſint: vel illi, qui reliquis potentiores ſunt, & ſic de alijs modis.

Iſta autem talis ordinatio neceſſaria eſt eis, antequam conueniant ad aliquid conſtituendum. Nec eſt poſſibile vllo modo fieri ciuitatem, niſi talis interueniat à principio. Nam ſicut in naturalibus forma neceſſario præcedit compoſitum, ſine qua impoſſibile eſt aliquod compoſitum eſſe: ita in politicis neceſſe eſt quandam præcedere formam, quæ efficiat vnam ciuitatem. Nam ſi inter multos homines non ſit aliqua coordinatio ad in-

I uicem, nullo modo facient vnam ciuitatem, aut quid vnum, cum ipſi ſint naturaliter multi: hæc autem coordinatio politia ſiue politica nuncupatur. Lex autem eſt quoddam ius conſtitutum ſuperueniens ciuitati iam conditæ conſiſtente politia. Habet iſta concluſio duas partes. Prima eſt, quod legiſlator conſtituens ciuitatem, nõ debet inquirere optimam politiam. Quod probatur: quia politiarum quædam bonæ ſunt, quædam verò malæ & vitioſæ, vt ait Philoſ. in 3. Polit. Bonæ ſunt tres. ſ. Monarchica regalis, & Ariſtocratica, & Timocratica. Tres aliæ vitioſæ ſunt, Monarchica tyrannica, & Oligarchica, & Democratica. Monarchica regalis dicitur cum vnus dominatur politiæ, & ille Rex eſt, qui principatus ab vnitate principis Monàrchia Græcè dictus eſt. Ariſtocratica politia eſt illa, in qua principatus eſt Ariſto-

K craticus. i. virtuoſus. ſ. ſecundũ gradum virtutis: ita ꝙ ſit aliquis populus ſic ordinatus, vt in eo principes eligantur ſecundum virtutem: ita ꝙ qui magis virtuoſus eſt quantum ad regimen politicum magis regat: qui autem minus virtuoſus eſt, minori præficiatur principatui & iſti principes multi ſint. Sic n. eſt principatus inter virũ & vxorem. Vir. n. quia virtuoſus eſt ſecundum naturam ideſt prudentior ad regendum, totius domus ſumma ei regenda committitur, vxor autem, quia naturaliter non eſt ita prudens, ſuſcipit res minores regendas.

Tertius principatus timocraticus dicitur, ſiue politia timocratica, & eſt vt ait Philoſophus media inter politiam Oligarchicam & Democraticam: cum ſit principatus in hominibus medijs, qui nec pauperes ſunt: nec valdè potentes & diuites, de qua Ariſt. in 4. Pol. c. 9.

Aliæ tres ſunt vitiatę, vt patet quia ſunt cõtrariæ trib. rectis politijs. Prima eſt Monarchica tyrannica, in qua vnus principatus nõ ſequens iuſtas leges, ſed quidquid vult lex eſt: vel quia non intendit vtilitati politicæ: aut quia dominatur contra volũtatem ſubditorum. De qua in 3. & 4. Politi. Secunda eſt Oligarchica in qua dominantur aliqui ſolum quia potẽtes ſunt, aut diuites ſunt. De qua in 4. Polit. c. 5. Tertia eſt Democratica, & hoc qñ populus totus imperat ſiue pauperes ſiue ſimplices, & quicũque, & hoc ſiue ſumma principatus cõſiſtat apud omnes ſimul; ſiue per ſortes aut tempora omnes de populo principentur. De qua in 2. Politicorum, c. 3. & in 4. lib. c. 5. cuius multæ ſpecies ſunt. Inter has autẽ politias optima eſt ſecundum ſe Monarchica regalis, quia nõ eſt diſcordia in vno principante, ſicut in multis. Etiam quia principatus ille politicus eſt melior, qui magis aſſimilatur naturæ principatui. Sed principatus Monarchicus magis aſſimilatur principatui naturæ: ergo melior eſt. nam principatus ſecũdum ordinem naturæ eſt eo ꝙ ille nunquã errat: nec vſquenunc errauit. Et quia vt ait Ariſt. in 12. Met. entia nolunt male diſponi, id eſt res naturales nolunt male eis dominari, ideo neceſſario dandus eſt optimus principatus inter res naturales. Et ſic dicunt Philoſophi, ꝙ nõ poteſt mundus melius regi quam regitur, & concludit ibidem Philoſ. in vltima propoſitione 12. Met. Mala enim eſt pluralitas principum, bonus ergo vnus princeps. Iſte tamẽ principatus Monarchicus, qui optimus eſt, non conuenit politiæ: quia difficile eſt omnia committere vni viro, vt ait Ariſt. in fine 3. Polit. maximè quã iſti viri non aſſumuntur per electionem: ſed ex ſucceſſionib. accipitur. Et ſic interdũ peſſimũ virum regnare contingit, & deſtruere politias. Volũtas enim humana malus canõ eſt, vt ait Phil. 9. Eth. ideo Ariſt. nullo modo vellet politias regales eſſe, quia valde periculoſæ: ſed quendam alium modum habere principatus, vt patet in 3. Polit. c. vlt. Poſt hunc principatum optimus eſt Ariſtocraticus, qui eſt ſecũdum virtutem, ſed nimis ſeditioſus eſt. Nam cum hic fiat electio ſecundum virtutẽ, illi qui eliguntur in principes approbantur a populo tanquam meliores, & ille, qui ad maximũ principatum eligitur, vt melior omnib. alijs tam principib. quã non principib. habetur. Et tunc potentes illi, qui nõ ita virtuoſi ſunt, & non eliguntur ad principatus, videntes alios valdè minores in potentia præferri ſibi in dignitate, & tãquam meliores reputari, liuore ſtimulati concitant ſeditiones, & faciunt diſſenſiones à politia. Iſte ergo principatus ſecurus non eſt. Eodem modo quaſi cõcludit Ariſt. de Democratico principatu qui eſt tertius in bonis.

Manent ergo tres politiæ vitiatæ, ſcilicet, Tyrannica, Oligarchica, & Democratica. De his autem tertiam, ſcilicet, Democraticam dicit eſſe conuenientem ciuitatib. quia iſta ſeditioſa non eſt, cum apud totum populũ maneat principatus, & omnes æqualiter dominentur. hanc ergo concludit Ariſto. in 3. Polit. eſſe meliorem ciuitatibus; licet ipſa ſecundum ſe vitiata ſit: cum in ea efficiantur principes illi, qui indocti ſunt, & naturaliter apti ad ſeruiendum. Volens ergo conſtituere ciuitatem, non debet optimam eligere politiam.

Secunda pars erat, ꝙ non debet legiſlator ponere optimam legem. Et patet: quia ſicut ſe habet politia, ita ſe habent leges. Nam non conueniunt eædem leges in Monarchia, & Ariſtocratia, & ſic de ceteris politijs: ſed optimæ politiæ conueniunt optimæ leges: & peſſimæ leges peſſimæ politiæ, quæ eſt Tyrannica. Leges optimæ, quæ ſunt Regales, vel Ariſtocraticæ deſtruerẽt politiam, nec eſſet conueniens legiſlator: ſed optimam politiam non debet eligere ille, qui condit ciuitatem; ergo nec debet eligere ille optimas leges: ſed debet eligere politiam conuenientem huic populo, etiamſi illa non ſit bona ſin ſe: ita debet eligere leges conuenientes illi populo & politiæ, quæ non ſunt bonæ ſecundùm ſe, id eſt totaliter.

Patet autem hoc in naturalibus. Si enim medicus daret cibum, aut potum ægrotantij, nunquam deberet dare cibum, qui ſecundum ſe eſt ſanus, ſed cibum & potum, qui illi ægrotanti eſt ſanus. Nam cibus eſt ſimpliciter

A ſanus, qui eſt conueniens corporibus ſimpliciter ſanis: ſicut ille cib. eſt delectabilis, qui eſt delectabilis guſtui bene diſpoſito: ſed corpora ægrotantium nõ ſunt ſimpliciter ſana: ergo impoſſibile eſt conuenire eis ſimpliciter ſanos cibos, ſed eos dũtaxat qui ſunt ſani ſibi vel ſecundum quid.

Item ſi quis pueros teneros educaret, vt eos pulchros & corpulentos efficeret: non deberet eis dare cibum, qui eſt nutritiuus ſimpliciter, ſed qui eſt nutritiuus illorum. Nam cibus nutritiuus ſimpliciter, non eſſet nutritiuus puerorum tenerorum, cum eſſet eis adhuc indigeſtibilis. Debet ergo legiſlator conſiderare in dando leges, vt non det optimam legem ſimpliciter: ſed optimã illi politiæ. Nam fortè ille populus, cui datur lex, erit imperfectus, B & non poterit tolerare legem perfectiſſimam. Si enim exquiratur legiſlationes humanæ, quotquot ab exordijs ciuitatum datæ ſunt, non reperietur aliqua bona ſimpliciter, id eſt quæ contineat omnia, quæ cõtinet ſimpliciter bona, & in nullo deuiet ad aliquid, quod in ſe malũ eſt, & contineat aliquem defectum. Nec eſt hoc ex ignorãtia legiſlatoris: quia ſic ex induſtria factum eſt. Nec etiam vocabuntur malæ leges propter hoc, ſed conuenientiſſimæ, quia conueniunt fini & ſtatui politico. Immo ſi quis vellet tollere omnes defectus legum, faciendo eas optimas ſimpliciter, faceret eas peſſimas, & nullo modo cõuenientes politiæ, cui daret eas. Sola lex Euangelica eſt ſimpliciter bona, quæ omnia mala prohibet, & ad actũ omnis virtutis incitat. Si ergo aliquis vellet ponere optimam legem alicui politiæ, imponeret ei legem Euange- C licam, et vetaret omnia mala, ſ. meretrices, & ſimilia. Sed hoc eſſet deſtruere politiam. Licet ergo lex Euangelica in ſe optima ſit, & ſola ſimpliciter bona: ſi tamen imponatur alicui politiæ, peſſima eſt. Stultus enim legiſlator ille eſſet, qui legem Euangelicam totaliter ſub punitione in politia ſua cuſtodiri mandaret. Quomodo autem iſta duo ſtent. ſ. quod lex Euangelica ſit optima ſimpliciter, & tamen ſit mala cuilibet politiæ, in alia repetitione declaratum fuit. Cum ergo optima politia ſit, quæ maximè à malo vetat, & maxime ad virtutem incitat, & promouet, & nulla lex ſiue cõſtitutio ſit, quæ magis hoc faciat, quam conſtitutiones Monachorum & Fratrum, in quibus quiſque profitetur obedientiam, continentiam, & paupertatem: qui voluerit dare alicui politiæ optimas leges, det eis leges Monachorum. Quo quid ſtultius excogitari poteſt, quam facere aliquam talem politiam? Et hoc obſeruauit Deus in dando legem Hebræis. Nam D quia dabat legẽ hominib. imperfectis, nõ dedit legẽ optimam, ſed continentem aliquos defectus à perfecta, & tamen hæc erat illi populo conueniens. Quare autem in lege Euangelica ſic factum non fuerit, alibi dictum eſt. Non debet ergo legiſlator optimam politiæ dare legem: quia illa omnia mala vetaret, quod non oportet eſſe, vt declaratum eſt. Et ſecundum hoc intelligitur illud c. nã & concupiſcẽtiam, in Extrauag. de conſtitut. cum dicit: Bona eſt lex, quę cũm concupiſcentiam prohibet, omnia mala prohibet. ſ. omnia mala, quę ſunt mala politię, cui data eſt lex illa: non tamẽ omnia mala ſimpliciter: immo illa lex eſt peſſima, quæ vetat omnia mala ſimpliciter.

Ex hoc infertur corrolarium. Quamuis veteris legis præcepta iudicialia Deus rectè poſuerit, nulla tamen politia, licet potuerit, poſtea omnia illa recipere debuit. E Quod patet: quia in lege veteri erant præcepta triplicia, ſcilicet moralia, cæremonialia, & iudicialia, de quibus omnibus per ſingula diſſerere, nec locus, nec propoſitum noſtrum eſt. Cęrimonialia autem nec iudicialia non manſerunt in lege noua habentia priſtinam obligationem, ſed ſola moralia. Erat tamen differentia inter iudicialia, & cærimonialia: quia cærimonialia nullo modo manere potuerunt, quia repugnabant totaliter ſtatui Noui Teſtamenti ex natura ſignificationis ſuæ. Iudicialia autem, in quibus non attendebatur talis ſignificatio, licet non haberent aliquam obligationem in Nouo Teſtamento: tamen poterant ſeruari in eo quia non repugnabant. Ita quòd iſta conſeruatio non eſſet ex viribus illius legiſlationis primę, qua nos crede-

remus obligatos ad obſeruationẽ iſtorũ, quia Deus dedit tales leges Moyſi: ſed ex aliqua noua inſtitutione, vt pote ſi aliquis princeps in terra ſua vel Eccleſia ſtatueret in ſua iuriſdictione aliquam de illis legibus obſeruari, ſortiretur illa lex vires obligationis, non ex antiqua Dei legiſlatione, ſed ex noua principis illius vel Eccleſiæ inſtitutione. Nam leges iudiciales à Deo datæ pro maiori parte Exod. 21. 22. 23. c. cõtinentur, de quib. multas canonizauit Eccleſia, vt patet in extrauag. de homicidio. c. ſi quis per induſtriam, & extrauag. de adulterijs et ſtupro. c. ſi ſeduxerit quis Virginem. & extrauag. de iniurijs, & dãno dato. c. ſi rixati, & c. ſi apparuerit, & c. ſi bos cornupeta, & cap. ſi læſerit quiſpiam. Et in alijs locis. In aliquibus ẽt terris plures leges de illis ſpecialiter obſeruantur. Et nihil magis eſt Eccleſiam vel dominos tẽporales accepiſſe iſtas leges, q̃ olim fuerant datæ à Deo, q̃ ꝙ vna gẽs velit accipere leges, q̃ apud alias gẽtes ſeruantur. Sic. n. Romani leges à Græcis acceperũt. Nã decẽ viros Romani Athenas miſerũt, qui leges à Solone legiſlatore datas de Græco ſermone in Latinũ transferẽtes decẽ tabulis expoſuerunt. Et quia iſta legiſlatio Romanis poſtea perfecta viſa nõ eſt, duas tabulas legũ addiderũt 12. tabulas faciẽtes. Et iura iſta vulgariter leges 12. tabularũ appellãtur, de quibus latiſſimè ff. de origine iuris, in l. neceſſariũ. Et de his Paulus Oroſius 2. de Ormeſta mundi, & Iſidorus Etymo. lib. 5. & in Decret. diſt. 8. cap. Moyſes. Conſtat aũt ꝙ Romani non acceperunt illas leges Solonis tanq̃ putarent ſe eis obligatos, ſed quia viri prudentis leges erant, placuit Romanis illis aſſentiri. F G

Et licet decem viri Aethnis eas conſcripſiſſent: nondũ tamen erant leges, nec obtinebant aliquam obligationẽ ſuper Romanos, donec Romam allatæ populo decernente vim legum haberent. Sic Eccleſia non recepit leges iudiciales, quas Deus tradiderat Moyſi, tãquam eis ſe obligatam crederet, ſed quia placuit ei ſtatuere illas aſſentiendo aliquibus earum, quia rectæ poſita erant. H

Et tunc argueret aliquis, cũ intentio legiſlatoris ſit cõdere rectas leges cõſeruatorias ſtatus politici, & cõſtat quod apud homines nõ eſt certitudo iudicij, ita ꝙ ſemper poſſint dare rectas leges, & ideo aliquando dant leges iniquas ex ignorantia propter hoc, qñ reperiunt leges alicuius viri prudẽtiſſimi, aſſentiũtur eis, tanq̃ nõ ita dubitetur de iniuſtitia illarum legum, ſicut de legibus alijs; vt Romani aſſumpſere Solonis Athenienſis legiſlationem, innitentes magis prudentiæ illius viri, quã prudentiæ ſuę. Quia ergo Deus eſt pura prudẽtia, & impoſſibile eſt eum errare, & neceſſe eſt leges ab eo datas eſſe rectè poſitas, deberent igitur omnes politiæ leges illas, de quarum iuſtitia non ambigitur, acceptare. I

Ad hoc rñdetur, ꝙ quilibet legiſlator, vt ſupra diximus, debet dare leges non quidem ſimpliciter optimas, ſed optimas illi politiæ, quam dirigere vult. Deus autẽ, qui erat ſimpliciter bonus, & prudentiſſimus, dedit Iudæis p̃cepta iudicialia, quæ non erant ſimpliciter bona, quia populus Iudaicus nõ erat bonus ſimpliciter diſpoſitione propria, nec diſpoſitus ad hoc diſpoſitione propinqua, ideo lex vetus, cuius quædã pars erant pręcepta iudicialia, non erat perfecta, nec pręcepta illa iudicialia erant ſimpliciter bona, immo ſi eſſent ſimpliciter bona, nõ conuenirẽt eis, ſed eſſent talia qualia conuenirent illi populo. Et quia non ſunt oẽs populi ita diſpoſiti, ſicut tũc erãt Iudæi, nõ ſunt bonæ illæ leges pro omnib. populis, ideo licet illa p̃cepta ſine dubio bona fuerint, & conuenientiſſima Iudæis, non tñ conueniunt nobis, quia non habemus eandẽ diſpoſitionem, quam ipſi. Et qñ dicitur, ꝙ Deus eſt perfectiſſimus legiſlator, non potẽs errare in lege quam dat, ergo omnes populi debent accipere pro ſe iſtas leges, non valet conſequentia: nam licet impoſſibile ſit, ꝙ illa lex, quam Deus dat, ſit illi populo mala, tamen ſatis eſt poſſibile, immo ſic eſt de facto, quod illa lex ſit mala alijs populis. Nam multa ponuntur in ipſis præceptis iudicialibus Hebræorum, quæ ſi à nobis obſeruarentur, militarent contra ſtatũ noſtræ politiæ. Non deceret ergo, vt Eccleſia, vel aliquis de principibus modernis in terra ſua confirmaret omnes illas leges. K

SECVNDA CONCLVSIO principalis.

Ad perfectam politiam volentem ordinare, generandi tempora oportet conſiderare.

TErtia concluſio ſit. Ad perfectam politiam volentẽ ordinare, generandi tempora oportet conſiderare. Eſt ſenſus, quòd ad hoc, quòd aliquis ſtatuat perfectam politiam, oportet vt conſideret de temporibus, in quib. generatio fieri debeat.

Dñr tñ dupliciter tẽpora generandi, quia, aut pro ipſis qualitatibus temporum, in quibus carnalis acceſſus ad generationẽ fieri dẽt, vtpote ſi in vere, aut in hieme, autũno, ſiue æſtate. Aut pro ætate ipſorum gignentiũ, ſ. vtrũ tantæ ætatis, vel tantæ erit, qui generationi operam dare debet. Vtrumque autem horum multum agit ad bonam habitudinẽ corporis, & intellectus ipſorũ genitorum. De tempore autem prout eſt qualitas quædam ipſius temporis poſtea dicetur in alia concluſione. G

De tempore tñ, prout eſt ætas ipſorum gignentiũ hic dicendum eſt, qm̃ multum eſſet generantes tantæ, aut tantæ ætatis eſſe. Primo quidem valdè vitandum eſt, ne homines in parua ætate dẽt operam generationi. Sequũtur. n. multa inconuenientia, quia quando quis à parua ætate coitibus vacat, totum eius robur eneruatur, & poſtea debiles fiunt, nec valent ad actus bellicos, vel aliqua alia opera fortitudinis, vel corporalis roboris, vt ad duros labores. Etiam ad gignendum, potens conuenienter non eſt, cum tota eius virtus à teneritudine exhauſta ſit. Cum autem aliquis in ætate robuſta generationi vacare incipit, virtus eius integra eſt, & robuſta, & manet in eo robur ad oẽs operationes fortitudinis, & ſemẽ illud tẽperatius eſt, & valet ſufficienter contemperare ſemen muliebre. Iſti. n. abundantiores ſunt in virtute generatiua, pluresque filios gignere poſſunt. H *De his vide latius ipſummet Abulenſ. Gen. 30. quæſt. 5.*

Ariſtoteles autem circa hoc in 7. Politic. c. 15. dicit, ꝙ viris tempus generandi eſt vſque ad annos 70. in feminis autem vſque ad 50. Et hoc quidem erat tempore ſuo, in quo vſque ad plures annos durabat tempus generandi, quia ætas robuſtior erat. Sicut in prima ætate gignebant homines in anno 100. & 130. & vſq; ad 500. annos, vt patet Geneſis 5. c. poſtea autem per ætatum ſucceſſiones, tempus gignendi abbreuiatum eſt. In tempore ergo Ariſtotelis vſque ad longiorem ætatem homines gignebant, ſed non multo amplius, quam nunc, licet à tempore ſuo vſque nunc tranſierint anni 1780. cum fuerit tempore Alexandri Magni Macedonis. I *Tẽpus generãdi in viris, & feminis ſcd̃m Ariſ.*

Dicit enim Ariſtoteles vbi ſupra, quòd nõ debent expectare homines, vt gignant in vltimo tempore, quo gignere poſſunt. Nam tunc antequam filij ſint adulti, patres deficient viribus, & non ſufficiunt ad educandum filios propter ætatem, nec filij ſufficiunt ad ſeipſos, vel patres educandos propter paruitatem.

Optimum aũt gignendi tempus tunc eſt, cum ſic filij gignuntur, vt ad robuſtam ætatem veniant antè quã patres eorum viribus carere incipiant, vt patres filijs paruulis procurent neceſſaria, & filij ad ætatem robuſtam venientes, patres iam deficere inchoantes educare incipiant. Et nullum ſit tempus in quo, aut parentes filijs, aut filij parentibus non valeant neceſſaria miniſtrare. K

Dicit etiam Philoſophos in eodem 7. Politic. cap. 15. quòd mala generatio eſt cum vir incipit generare in 17. vel 18. anno, aut ſimili tempore, propter multa. Primo quia pueri nati, quando ad aliqualem ætatem deueniũt ita, vt cognoſcant patres, videntes ſic iuuenes, quaſi coætaneos, non verentur multum qualiter patribus verendum erat. Et hoc magnum inconueniens eſt: quia ſic filij indiſciplinati erunt. Secundo: quia quando viri in valdè parua ætate vxores accipiunt propter inexperientiam ætatis, quæ in paruo tempore fieri non poteſt, vt patet in primo, & 5. Ethico. inepti ſunt ad regimen Oeconomicum, ſcilicet ad diſponendam rem familiarem, & ſic interdum magnæ facultates iuuenibus derelictæ faciliter diſperduntur. Tertia ratio eſt: quia cũ

viri

viri paruæ ætatis mulieribus commiſcentur, filios par- A uí corporis generant, & viribus deficentes, quod nõ expedit perfectæ Politiæ. Generale eſt enim in omnibus animalibus, quod fœtus nouorum animalium imperfecti ſunt, & inducit ſignum, quia multę ciuitates ſunt, in quibus permittuntur paruæ ætatis iuuenes, & iuuenculæ coniugari, & ibi omnes homines, vt cõmuniter parui ſunt. Ratio huius eſt, quia magnitudo fętus geniti eſt ex virtute ſeminis generãtis, cum ergo in iuuenibus deficiat virtus in ſemine, quia nondum ad perfectionem deuenit, ſequitur neceſſario imperfectio in prole, niſi aliterum eueniat per accidens. Quarto, quia in parua ætate coitẽ, genitori & proli genitæ ſimul nocet, quia ſic cotiens viribus caret, & membrorum debita quantitate atque proportione priuatur. Indiſponitur etiam ad vitã, quia actum coitus frequentantes modico tẽpore viuunt, B quia per coitum intempeſtiuum calor innaturalis excitatur deficcans corpora tenera, & cum vita conſiſtat in humido radicali, & calore naturali, inualeſcente calore innaturali ſuper humidum radicale diſponitur homo ad mortem. Alia etiam cauſa huius potiſſima eſt, quæ cuicunque quantumcunque ſimplici nota eſt. Mulieribus etiam antè debitam ætatem coire periculoſum atq; valde nociuum eſt, quia contingit mori, & periclitari in partubus propter anguſtiam, & paruitatem muliebriũ vaſculorum, & teneritudinem naturæ iuuenilis non potentis tantum tolerare dolorem.

Secundo etiam, quia in mulieribus ſic paruæ ætatis coeuntibus, ſequuntur parui fœtus, dato quòd viri perfectæ ætatis ſint. Et hoc ex duobus eſt, ſcilicet, vel propter imperfectionem ſeminis, ſiue menſtrui muliebris, C vel propter anguſtiam vaſculorum matricis fętum ad quantitatem paruulam cohibentis.

Tertio, quia per intempeſtiuos coitus ad gignendum indiſponuntur, ſcilicet vt poſtea concipere nequeant. Vnde ſæpè videmus, quòd aliquæ iuuenculæ, quæ in valde parua ætate à viris cognitæ ſunt, poſtea concipere non valeant.

Quarto, quia valdè malum eſt, nam iuuenculæ in parua ætate coitibus aſſuetæ ardentiores efficiuntur, & intemperantiſſimæ, quæ poſtea nec multiplicatis coitibus ſacientur.

Annus 36. in viro in feminis 18. ad gignendum. Aetas ergo conuenientiſſima ad gignendum, vt ait Ariſtoteles in præallegato libro 7. Politi. & cap. 15. in viris eſt ad annum 36. vel 37. ſiue paulò antè, vel poſt, D in feminis autem ad annum 18. vel 20. Et conuenit iſta generatio proli genitæ, & patri generanti ad bonã corporis habitudinem, & communicationem œconomicam, quia filii geniti in anno 36. vel paulo antè erunt perfecti viri, & potentes generare antequam patres deueniant ad ſenectutem cum viribus carent, & ſic patribus prouidebunt, ſicut eos parentes adhuc pueros teneros nutriuerunt.

Item dicit, ꝙ licet viri vſque ad annum 70. gignere poſſint, tamen non debent gignere vſque ad ipſum tempus, quia fœtus iuuenum, & ſenum imperfecti ſunt corpore, & deficientes valdè in intellectu. Cuius ratio eſt: quia perfectio intellectus noſtri quantum ad cognitionem quam habet, dum eſt coniunctus, depẽdet, vel mẽſuratur ſecundum perfectionem phantaſiæ, & organorum cognitiuorum, non ꝙ intellectus alligatus ſit corpori, vel determinet ſibi certam qualitatem organi, ſicut virtutes organicæ, vt viſus, auditus, & ceteræ, ſed quia ad actum ſuum præſupponit actus organorum præceſſiſſe, vel actualiter eſſe, & ſic dicimus, ꝙ cæcus non iudicat de coloribus, quia caret virtute organica, quæ requirebatur habuiſſe actũ antè operationem intellectus. Sic enim ait Ariſtoteles in lib. 1. Poſterior. quòd neceſſe eſt illa ſcientia carere, de cuius obiecto potentia ſenſitiua caremus. Etiam, quia ad intellectionem requiritur actualis conuerſio intellectus ſuper phantaſmata, vt ait Philoſophus tertio de Anima, & oportet intelligentem circa phantaſmata ſpeculari, ſi ergo phantaſia non ſit diſpoſita, non poterit intellectus habere actum ſuum, vel habebit eum valdè imperfectum.

Et iſta ſola cauſa eſt, quare homo cum eſt ebrius non intelligat, aut modicum, & diſtortè intelligat, etiã quando eſt dormiens. Si enim intellectus non haberet actualem conuerſionem ad phantaſmata ad intelligendum, non minus homo intelligeret cum eſſet ebrius, quam cum eſſet ſobrius, quia intellectus in ſe æqualiter diſpoſitus eſt, licet non afficiatur aliqua corporali paſſione, quia merè incorporeus eſt. Qui ergo meliora organa habet, melius intelligit, ſed diſpoſitio organorum fit ſecundum qualitatem ſeminis, ex quo corpus formatur, & ſecundum influentiam cæleſtem diſponẽtem ſemem, tamen in ſenibus, & iuuenibus ſatis adhuc perfectum non eſt, vel à perfectione iam decidit, ergo tales fœtus imperfecti ſunt ſecundum intellectum. Concludit ergo Philoſophus, quod ſecundum ſententiam Philoſophorum, & Poetarum, tempus ad vacandum generationi in viro ad formandas perfectas proles, debet eſſe ab anno 36. vel paulo antè vſque ad annum 50. vel 54. hæc quidem ad bonitatẽ prolis, tam ſecundum corporis habitudinem, quam perfectionem intellectus indubitatiſſimè conſtant. *Phãtaſiæ turbatio cauſa eſt quare ebrius, & dormiẽs diſtortè Intelligit.*

Licet de hoc iura humana maximè eccleſiaſtica non multum curauerint, concedentia, matrimonialia fœdera iungi in primordio pubertatis, quæ in 14. anno viris, feminis autem in 12. euenire ſolet; vel cum ex habitudine corporis demonſtrant, quòd generare poſſint, vt ait Iſidorus Etymo. libr. vndecimo, capitu. ſecundo, & extrauag. de deſpõſatione impuberum c. puberes. Ratio horum eſt: & primo de iuribus humanis ciuilibus, quia iura illa ciuilia tanquam primum, & ſummum bonum intendunt pacem politicam, vt patet ex principio 7. Politic. ſi tamen homines antè annos 36. coniungere matrimonialia fœdera vetarentur, cum iuuenes antè illam ætatem violentiſſimè ad actum venereum incitentur, tota ciuitas libidinibus repleretur, ex quo innumeræ ſeditiones ortæ diſceſſum facerent Politiæ. Potius ergo conſentit aliqualiter proles imperfectas, quam patiatur totas deſtrui politias.

De iure eccleſiaſtico, ſiue diuino, nunc nõ diſtinguo, licet diſtincta ſint. Ratio iſta eſt: quia ius diuinum magis intendit prohibere homines à peccato, vt perficiantur in vita æterna, quam conſentiendo peccatum deducere homines ad temporaneam perfectionem. Homines autem cum ad pubertatem deueniunt, incipiunt ad coitum inflammari. Quod ſi ſalubri remedio matrimonialia fędera iniendo honeſtè, paſſioni illi non prouideatur in hominibus imperfectis, neceſſario omnia genera libidinum ſequerentur: quare magis intendit deuitare ius diuinum, quam homines ad quamcumque corporis, vel intellectus perducere perfectionem, ideo Apoſtolus ad fornicationis vitandæ remedium vxorem accipere conſulit cum dicit 1. Corinth. 7. cap. *Vnuſquiſque vxorem ſuam habeat propter fornicationem*, ſcilicet vitandam. *Melius eſt.n. nubere, quam vri*. Cum enim eccleſiaſtica politia ad politiam cæleſtem ſubordinetur, magis curat perficere homines reſpectu illius à peccatis diſtrahendo, quam hic temporaliter perficere in corpore, & intellectu aptiſſimos faciendo. *1. Cor. 7.*

Alia autem adhuc potentiſſima ratio eſt: licet honeſta non ſit, quia vt ſecundum vulgatiſſimam carnalium E opinionem loquitur quis de continentia ſua fructum æternæ beatitudinis non ſperans, nemo tanto perficiendę politiæ amore flagraret toto tempore iuuentutis, in qua motus potentiſſimi ſunt vſque ad annum 36. vt iucunditate venerea ſe priuaret. Talis ergo lex licet in ſe bona foret, à nulla tamen vnquam politia obſeruata eſt.

QVARTA CONCLVSIO principalis

Politicum, curantem perfectas facere proles, gignentium oportet ſpectare occupationes.

SIt quarta concluſio. Politicum, curantem perfectas facere proles, gignentium oportet ſpectare occupatio-

pationes. Eſt ſenſus, quia qui vellet habere curam de gignendo proles perfectas, ſiue ille perfectionem talem inducere volens politicus ſit, & hoc curet inducere in tota politia, ſiue alius vir quicunque ſit, debet conſiderare labores, ſiue occupationes generantium. Dicit enim Ariſt. 7. Ethic. c. 15. quod viri volentes generationi operam dare, debent mediocres habere labores, ita vt nec labores fortiſſimi, & conſtringentes ſint, nec rurſus volentes gignere ocijs occupentur. Nam quælibet iſtarum diſpoſitionum, non modicum confert ad bonam corporis habitudinem, & perfectionem intellectus.

Quæ conferant ad prolis generationem.

Ex hoc enim ſequitur, quod illi viri vacantes delicioſis cibis, & potibus, nullis laboribus, aut ſolicitudinibus occupati, filios turgidos ſiue inflatos gignunt, & infirmos corpore, & ſecundum intellectum ineptos, & ad motum tardos, ad omnem tamẽ corruptionem, ideſt G ægritudinem diſpoſitiſſimos. Ratio huius eſt: quia indigeſtio ſeminis, & ſuperflua humiditas inflatiua eſt, & carnes molliſſimas reddit quadã mollicie muliebri diſpoſitiſſima. Nec oportet generationi operã daturos fortibus laboribus implicari, frangentibus corpora humana. Cuiuſmodi sũt haſtiludiũ, & alia genera fortiũ exercitiorũ, vel quotidiana conuerſatio in armis, quemadmodum in bellis, & conformiter in agricolis, qui quotidianis magniſque laboribus affligunt corpora ſua.

Cuius ratio eſt: quia fortes labores & nimius motus, cauſant ardorem exceſſiuum innaturalem, qui non ſolum ſuperfluas humiditates digerit, ſed etiam ſpiritus ſeminis, in quibus totus vigor eſt exhalare facit, & ipſam naturalem humiditatem exurit. Ex quo ſequitur, H quod aliquando videatur, ſcilicet quod filij hominum nimis ſtudioſorum, qui geniti ſunt eo tempore, quo patres ſtudij ſolicitudinibus vigilantius intendebant, parui corpore ſunt, & viribus debiles, nec abundantes in intellectu, immo vt in plurimum de ſtultitia ſuſpecti. Cuius ratio eſt: quia nimia cura ſtudij totum hominem exurit, & deſiccat. Semen autem cum deſiccatum eſt, caret debita humiditate ſecundum quam augmentum in corporibus eſt. Augmentatio enim in humido, & tenero fit. Ideo ea, quæ ſemel areſcunt, vel ariditati propinquant, poſtea augeri non valẽt. Deſiccato etiam vel exuſto ſemine membra organica deſiccantur. Cum autem phantaſticum organum debitam humiditatis proportionem coexigat, fit vt hi, qui aliqualem phantaſiæ deſiccationem incurrunt, in quandam ſtultitiæ, ſiue demẽ I tiæ & admirationis ſpeciem referantur. Quod patet in lunaticis, & furioſis illis, qui habent lucida interualla: nam cum luna totius humiditatis ſit mater, vt maris fluxus ſtatur in fluxu, & refluxu abundantius facto in duabus quadraturis, quam in reliquis duabus. Cum enim luna in augmento eſt, quia influit abundanter de humiditate, lunatici & furioſi habentes lucida interualla benè iudicant. Cum autem luna decreſcit, quia non influit ſufficientem humiditatem, deſiccatur in eis organum phantaſticum, & incipiunt fortiter furere.

Simile etiam videmus in cholericis aduſtis, qui neceſſario ſicci ſunt, ideo generaliter ad dementiam proni ſunt, niſi magno regimine defendantur.

Ex hoc etiam ſequitur, quod viri valde amatores, qui magno tempore amant, nec deſiderio ſuo potiti ſunt, ad K gignendum indiſpoſiti ſunt. Et ſi gignunt, ſequuntur proles deficientes ſecundum omnia ſupradicta.

Cuius ratio eſt: quia ſicut cura vehemens ſtudiorum materiam ſeminalem exurit, & fœtus ſecundum corpus, & intellectum imperfectos reddit, ita nimius amor corpora amatorũ exurit, & fortius adhuc. Nulla nãque paſſio eſt, nec quiſquã labor, qui ita virũ totaliter abſumat, & deſtruat, vt magis infra dicetur. Iſte ergo irrationabilis atque vehementiſſimus ardor, immo potius furor, amantem cito atque potentiſſimè deſiccat, & exuſtum reddit. Ex quo ſequitur id, quod communiter videmus in amantibus, quod pallidi ſint, & iſte eſt verus color eorum, ſi ardenter ament. Sic enim Ouidius huius diſciplinæ magiſter ait in primo libro de arte amandi.

P..lleat omnis amans, color eſt hic aptus amanti.

F Cuius ratio eſt: quia cura nimis ardens, & continua ſolicitudo corpus potentiſſime exurunt.

Eſt autem in corporibus humanis quidam ſubcutaneus ſanguis, ideſt ſub cute poſitus, à quo quidam rubor in ſuperficie cutis oſtenditur, cum vero ardens cura ſubcutaneum exuſſerit ſanguinem, conuertitur in nigredinem, ex quo ſequitur neceſſario in ſuperficie cutis quidam color pallidus, vel luridus ad nigredinem tendẽs. Si autem in vultu hominis rubor non ſit, eſt ſaltem quædam humiditatis teneritudo intra cutem locata, eam diſtendens, atque candidam efficiens, & hæc à vehementiſſimo ardore amantium abſorbetur.

Ex quo vultus neceſſario in rugas contrahitur, & ad colorem atrum tendit. Et ex eiſdem cauſis ſequitur id, quod communiter videmus. ſ. quod filii agricolarum, G qui magnis laboribus occupantur parui corpore naſcantur, & exiguas vires habeant, quia nimius labor, & motus materiam ſeminalem exurunt.

Sequitur etiam & alterum, quod videmus, ſcilicet, quod filii paſtorum magna, & pulchra, & robuſta corpora habent, quia paſtores magnis laboribus non occupantur mouentibus corpora. Nec rurſus totaliter ociantur, quia mouentur congruenti motu, & frigoribus atq; ardoribus cæli patent, & habent quoſdam alios labores, & exercitia, quæ ſunt ſufficientia ad congruentem ſeminis digeſtionem.

In feminis vero idem obſeruari oportet, quia non debent duris laboribus ſtudere poſtquam conceperunt, quia poſſunt faciliter abortum pati. Et ſi forte ſemen formatum nondum ſit, vel etiamſi formatum calor in H naturalis inſurgens cauſabit in fœtibus eandem inconuenientiam, quam de viris diximus, ſcilicet, deſiccationem ſeminis, & indiſpoſitionem ad corporis augmentum, & robur, & malam intellectus humiditatem conſequentem organa phantaſiæ.

De feminis quid agendũ ſit ad fœtum bene ſeruandum.

QVINTA CONCLVSIO principalis.

Si prolis perfectio à generantibus requiratur, neceſſe eſt, vt de loco, & poſitione valde laboretur.

QVinta concluſio ſit. Si prolis perfectio a generantibus requiratur, neceſſe eſt, vt de loco, & poſitio- I ne valde laboretur. Eſt ſenſus, quod ſi quiſquam perfectas proles gignere cupit, debet conſiderare locum, in quo gignit, & contra quam partem mundi locus ille ſituatus eſt. De locis autem ad generationem ait Ariſto. in ſeptimo Politicorum cap. 15. locum eligi oportet magis declinantem ad frigiditatem quam ad calorem, vel ſaltem medio modo ſe habentem. Nam videmus, quod homines nati in terris frigidioribus, vt communiter, & ſecundum quod huiuſmodi robuſtiores ſunt, & maiora corpora habent quam homines nati in terris calidis, vt ait Philoſophus 7. Politic. cap. 5. Cuius ratio eſt: quia frigiditas loci circumſtans conſtringendo detinet ſeminis ſpiritus, ne exhalent, in quibus tota vis prolis futuræ eſt, ſiue quantum ad robur, ſiue quantum ad corpulentiam. K Caliditas autem loci diſgregat, & ſubtiliando aperit, atque ſpiritus ſeminis exhalare facit.

Debet etiam locorum poſitionem inquirere, ſcilicet, contra quam mundi partem, vel contra quem ventum pars illa loci generationis pateat, ſcilicet, an contra Auſtrum, vel contra Boream, aut Subſolanum, vel Fauonium. Non eſt enim conueniens generatio in locis ſitis contra Auſtrum, id eſt quod ſint inclinata ad ventũ Auſtralẽ, vt ea totaliter, & directè perflare poſſit, & quod ex parte Boreæ alij eleuationem aliquam habeant, ita quod Boreas ea non tangat, vel modicum tangat. Sed eſt cõuenientiſſima generatio in locis poſitis contra Boreã. Mediocris autem eſt in locis ſitis contra Subſolanum, qui eſt ventus orientalis ſtans de puncto Orientis, & in locis, qui ſunt contra Fauonium, qui eſt ventus directè occidentalis. Debet etiam attendi quis ventus tunc pro-

Situs loci vbi generatio fieri debeat.

flet

fiet cũ generatio fit. Nam flante Borea generatio conuenientiſſima eſt, vel duobus collateralibus eius: flante vero Auſtro, aut aliquo de duobus collateralibus mediocris generatio eſt, melior tamen in collateralibus eorum vergentibus ad Boream quam vergentibus ad Auſtrũ.

Ratio horum eſt: quia ventus Borealis ſua frigiditate ſpiritus ſeminis continet ne exhalent, & ſua ſubtilitate, & ſiccitate humiditates viſcoſas deſiccat, & conſumit, quod fętui valdè conuenit. Venti auſtrales è conuerſo ſunt calidi, & humidi. Inflant ergo corpora, & humefaciunt, quod valdè repugnat bonę habitudini fętus. Ventus autem Fauonius, & Subſolanus cum collateralibus ſuis, temperatæ caliditatis, & frigiditatis ſunt, & humiditatem conuenientem habent.

Ex hoc etiam ſequitur, quod proles illæ, quæ in hieme frigidiſſima generantur flante Borea, & terra gelata ceteris paribus meliores ſunt ex cauſis ſupra poſitis, ſcilicet ex frigiditate continente ſpiritus ſeminis.

Proles hiemales optimæ ſunt diſpoſitionis, æſtiuę peſſimæ.

Proles autem in calidiſſima æſtate genitæ peſſimæ ſunt deficientes intellectu, & corpulentia, & viribus propter caliditatem facientem ſpiritus ſeminis exhalare, ad quod remedium eſt, vt qualitates locorum, & ipſorum qualitatibus temperentur, ſ. q̃ homines habitantes in terris frigidis valde generationi operam dent incipiente vere. Et ſi terra exceſſiuè frigida eſt, incipiant in ipſa æſtate, quemadmodũ ſunt terrę exiſtentes in ſeptimo climate, & vltra climata in partibus tendẽtibus verſus Arcticum polum. Quia ſi habitantes in terra valde frigida in hieme frigidiſſima coitibus vacarent, gignerentur quidẽ proles ſm̃ corpulẽtiam, & robur perfectæ, in intellectu tamen valde deficientes, quia nulli omnino ſpiritus exhalarent, eſſentq; oẽs tales homines valde paſſionati, & ad omnia impetuoſi. De quo Ariſt. 7. Polit. cap. 5. Si autem illi in vere, aut æſtate coeant, ipſa loci frigiditas adiuuabit ad continendum ſpiritus ſeminis. Temporis autem aliqualis caliditas faciet ad ſeminis digeſtionem, & ita generabitur proles ſecundũ corpus, & intellectum medio modo temperata.

Ex quo ſequitur, quòd nulla terra eſt aptior ad gignendos homines perfectos ſecundum intellectum, & ſecundum corpus ſimul, quam terra quarti climatis, in qua nos habitamus. Nã licet terræ quæ ſunt ſub 7. climate, & vltra ſeptimum, ſcilicet in octauo, & verſus decimum, ſicut ſunt Anglia, Alemania, Dania, Nouergia, & aliæ terræ accedentes ad polum ad faciendum corpora hominum in calore, & animoſitate, & robore potiora, valeant, vt communiter magis quam iſta. Hæc tamen vtrumque gignit, ſcilicet corpulentiam condecentem, & vires ſufficientes, & promptiſſimum intellectum, hominumq; huius quinti climatis fortia geſta, & ſapiẽtia per hiſtorias ſi inquirantur maiora reperiuntur, quã in omnibus aliis climatibus ſimul ſumptis. In hoc enim climate Roma, in hoc Græciæ pars, in qua olim magna floruerunt ſtudia. In hoc etiam ceteræ probę artes abundantius reperiuntur. Qui autem in terra valdè calida gignere volunt, obſeruent tempus hiemale, non quidem quando Auſter cum magna aquarum copia orbem perflat, quia tunc proles inflantur, ſed cum aquilo fortis pruinas, & vehementia frigora generauit.

Loca Cimbrorum Anglorũ Sarmatũ. Scytharũ

Ex ſuperioribus ſequitur corrolarium. Sub vtroque polorum Arctici, ſiue Antarctici generationem, vel corruptionem naturaliter impoſſibile eſt dari. Patet: quia ſub alterutro polorum tanta eſt loci frigiditas, vt ſemen aſtringat, & condenſet, congelet atque mortificet, vt nullo modo ſemen virile muliebri menſtruo vniri poſſit. Et ſi aliquo modo coniungantur, ita calor ſeminis expirat excludente illum loci frigiditate, quia non eſt ibi aliqua vis digeſtiua menſtrui muliebris, & formatiua fętus, quæ ſunt neceſſaria ad generationem. Et ſi arguas, quod frigiditas illa non tollat generationem, quia aqua frigida eſt, tamen piſces in aquis generant.

Reſpondetur, quòd non quælibet frigiditas loci repugnat generationi, ſed frigiditas immoderata. Immo ipſa frigiditas ad generationem adiuuat quando moderata eſt, quia per antiperiſtaſim percutit calorem,

A cludi, & fortificari, & non ſinit ſpiritus exhalare. Ideo ſic digeſtio vberius celebratur, & ſpiritus manentes fortiorem atque corpulentiorem fętum reddent. Frigiditas autem immoderata qualis ſub quolibet polorum eſt, cogit virtutem ſeminis extingui atque deficere.

Licet de hoc diſtingui poſſit: quia ſicut non eſt idem ſanum hominis, & piſcibus, vt ait Ariſto. in 6. Ethic. cap. de ſapiẽtia, ita nec dicitur idem frigidum, vel calidum reſpectu hominis, & piſcium. Ideo bene ſtat, quod piſcibus aqua frigida non ſit, & ibi generent, hominib. autem frigida eſt, & ibi generatio eſſe non poſſit. Etiã quia piſces in aqua viuunt, & foris viuere non poſſunt, homines autem in aere viuunt, & intra aquas viuere non poſſunt, ſi aquæ eorum viſcera ſubintrent.

Item alio modo dici poteſt, ſcilicet, quod licet aquæ, B in quibus piſces morantur nobis frigidæ ſint, ſimpliciter tamen non ita frigidæ ſunt, vt generationem excludant. Nam aquæ calefiunt à Sole per radios incidentes, & per radios reflexos penetrantes profunditates aquarum, & magnam partem terræ, ideo reperitur ibi calor ſufficiens ad digeſtionem ſeminis piſcium: & ſic comparari non poteſt frigiditas fluuiorum frigiditati quæ eſt ſub polo. Nam vt ait Philoſoph. in 2. Phyſic. Sol & homo generant hominem, ſi ergo Sol non exiſteret, impoſſibile eſſet gigni hominẽ, quia deriuatur virtus cauſarum ſuperiorum per iſtam concatenationem naturæ. Sicut ergo eo non exiſtente non fieret generatio, ita eo non influente conformiter non fieret generatio: ſed ſub partibus ſubiectis vtrique polorum Sol influere nequit: ergo nõ erunt ibi generationes. Et patet: quia partes ſup C poſitæ polis ſunt maxime diſtantes in toto orbe ab ipſa æquinoctiali linea, & tota Zodiaci latitudine: Sol tamẽ, & ceteræ ſtellæ agunt in iſta inferiora per radios, qui ſunt duplices, ſcilicet, incidentes, & reflexi, ſed ſub polis nulli horum radiorum eſſe poſſunt, niſi debiliſſimè, ergo nec erunt generationes. De radio incidenti patet: quia radius incidens eſt, qui directè cadit a corpore luminoſo ſuper aliquam rem, & ad iſtum radium requiritur eleuatio corporis luminoſi ſuper corpus in quod radius incidit, & non quantumcumque eleuatio, ſed eleuatio ſatis magna verſus perpendicularem. Nam ſi modicum eleuetur corpus radians ſuper corpus radiatum, erit quidem radius incidens, ſed ad cauſandum calorẽ aliquem, tantum erit ac ſi non foret. Huiuſmodi autem euenit in Sole quantum ad partes ſuppoſitas ſolis, quia D ſi accipiantur partes ſuppoſitæ polo arctico, quando ſol ſteterit in tota medietate Zodiaci, quæ eſt a Libra vſque ad Arietem, occultabitur illis partibus, ſicut occultatur nobis ſol tempore noctis, & erit eis vna nox dimidij anni. Cum autem peruenit ſol ad Arietem, ſcilicet, ad aliã medietatem Zodiaci Aquilonarem, incipit apparere terræ illi, & tamen modicum eleuatur, ita vt radij eius valdè modicum incidant. Et quia radij incidentes modici caloris cauſatiui ſunt, ſicut radij reflexi, ſub polo autem modica reflexio fieri poteſt, quia in maxima eleuatione ſolis ſuper partes illas erit directio, vel eleuatio 23. graduum, & aliquorum minutorum iuxta menſuram declinationis capitis cancri ab æquatore dici. Tam parua autem eleuatio ad cauſandum radios reflexos nihil eſt, maximè quia loca media, per quæ tranſire debet radius ante E ipſum polum, ſatis plena ſunt nebulis, licet ſub ipſo polo nebulæ eſſe non poſſint, ideo nulla actio ſolis erit in illa parte orbis. Conformiter autem dicendum eſt de altero polo, ſcilicet, de Antarctico, qui eſt Meridianus quantum ad partes ſubiectas ei. Frigiditas iſta ſub polis non ſolum ratione conijcitur, ſed etiam experimẽto probatur. Nam in partibus illis verſus Septentrionem, ſcilicet, vltra Angliam, & Nouergiam & terram Scotorũ, & Orchades inſulas, ſunt tanta frigora, vt flumina perpetuo gelata ſint, & quadrigæ ſuper ipſa moueantur. Si ergo in his terris tanta frigiditas eſt, vbi eleuatio poli vix 60. graduum eſt, quid erit cum perueniatur ad inſulam Thile, quę eſt vltimus locus in parte Septentrionali orbis, vt ait Boetius de conſola. lib. 3. Metro. 6. cũ dicit, & ſeruiat vltima Thile. In hac inſula dies, in qua ſol accedit

cedit ad caput Cancri, ſcilicet in medio menſis Iunij eſt dies vnus 24. horarum integrarum, ita quòd nulla tunc nox eſt, & poſtea decreſcunt dies ibi, ſicut hic. De quo Solinus in Polyhiſtor. c. de Britānia. Si ergo in terra illa vbi 60. graduū, vel quaſi eleuatio poli eſt, tanta diuerſitas eſt à noſtra Salamantina regione, in qua eleuatio poli eſt graduum 41. & 19. minutorum, quanta diuerſitas in frigiditate erit continue augmentando eam, donec veniatur ad terrā, in qua 90. graduum eleuatio eſt, & iſtę ſunt partes terræ, vel aquæ ſubiectæ polo arctico. in illa ergo parte orbis, nec flumina, nec fontes ſunt, quia ad generationem fluuiorum requiruntur fontes. Sed fontes ibi eſſe non poſſunt, quia ad generationem fontium requiritur quædam caliditas incluſa in terræ viſceribus eleuans vapores conuertibiles in aquā, & frigiditas loci condenſantis vapores eleuatos ad conuerſionem in aquam. Sed in terra illa non poteſt eſſe aliqua caliditas, ergo nec erūt fontes. Eodem modo nec poſſunt arbores gigni, nec herbæ, quoniam omnia iſta calorem moderatum requirunt, & temperatam materiam, quorum neutrū poſſibile eſt ſub polis exiſtere propter frigiditatem intenſiſſimam excludentem omnem gradum caloris, & nimiam ſiccitatem omnia indurantem, immo nec ibi lapides generabuntur. Sola ergo ibi terra duriſſima eſt, & mare vſque ad fundum gelatum. Et ſic dicendum eſt, ꝙ ibi non poſſunt piſces generari, immo nec poſſunt eſſe, quia non eſt ibi aliqua aqua, ſed mare perpetuo gelatum vſque ad fundum. Nec eſt hoc incredibile, cum ratio ipſa neceſſario hoc conuincat ſecundum actionem cauſarum naturalium. Non ergo poterit ibi homo gignere, immo nec poſſet ibi aliquo modo ſaltem per breuiſſimum tempus viuere. Sed ſi aliquis Angelus, aut dæmon hominem quempiam illuc deportaret, confeſtim moreretur, nulla enim frigiditas maior eſt in toto vniuerſo, nec naturaliter poſſibilis eſt. Niſi forte dicamus, quod Deus maiorem cauſauerit in inferno ad reorum punitionem, quia dicitur Iob. 24. c. tranſibunt ab aquis niuium ad calorem nimium.

Sub polis nec arbores nec herbe nec lapides ſunt nec generantur.

SEXTA CONCLVSIO principalis.

Quamuis in eodem viro conueniens eſſe poſſit vxorum pluralitas, in eadem tamen femina tota rationi diſſonat virorum diuerſitas.

Sit ſexta concluſio. Quamuis in eodem viro conueniens eſſe poſſit vxorum pluralitas, in eadem tamen femina tota rationi diſſonat virorum diuerſitas, id eſt, ꝙ licet vnus vir poſſit habere plures vxores, & non repugnet hoc rationi, tamen vna mulier nō poteſt viros multos habere, quia valde repugnat rationi. Nam aliquis quæreret, quia cum liceat viro plures vxores habere, deberet etiam vxori licere habere multos viros. Et patet aliqua ratione. Nam cum coniūctio matrimonialis ſit ad generationem, & interdum femina accipit aliquem virum, qui frigidus eſt, vel maleficiatus, & hoc, ſiue antè contractum fuerit frigiditas, & maleficium, ſiue poſtea eueniat, impeditur finis matrimonialis. Et ſic ex alijs multis accidentibus, quæ quilibet excogitare pōt. Deberet ergo vxor tūc poſſe recipere multos viros. Ad hoc reſpondetur ſecundum Aug. in lib. de Bono coniugali, ꝙ non eſt ſimile de viro, & vxore ꝑꝑ multas cauſas. Et prima eſt dignitas ſexus, quia vir eſt caput vxoris, & non vxor caput viri, vt patet 1. Corinthior. c. 11. ideo multa oportet viris permittere, quæ non oportet permittere feminis. Secūda rō eſt, quia ꝙ eadē mulier habeat multos viros, repugnat intentioni naturæ, natura. n. instituit coitum, vel Dei voluntas ſtatuit atq; humana ratio dictauit, vt per coitum fieret generatio, & conſeruaretur natura ſpecifica ſm̄ ſucceſſionem. Sed ſi eadem mulier multos viros haberet, impediretur iſta intentio, quia nunquam gignere poſſet. Mulier namque, quæ a pluribus cognoſcitur in tempore vicino ſibi, concipere nunquam poteſt. Sicut patet de meretricibus, quæ cum à

Vir eſt caput vxoris & nō econtra.

F plurimis cognoſcantur, à nemine tamen concipiunt. Si autem mulier a diuerſis viris diuerſis temporibus cognoſcatur, concipere de vtroque poteſt. Ita tamen, quod prius pariat fœtum, quem ab vno concepit, quam ab alio concipiat. Compertum tamen eſt eandem mulierem à duobus viris concepiſſe. Ita quod poſt conceptionem ab vno factam concipiat ab altero. Nam licet communiter facta conceptione claudatur orificium matricis, ita vt ſemen intrare non poſſit, & ſic nec conceptus celebrari, tamen interdum contingit, vt etiam conceptus fiat facto alio conceptu, vtpote, quia aut manſit os matricis apertum, aut quia poſtea ex feruore libidinis apertum eſt, vt ait Solinus in Polyhiſto. c. de his, quæ mirabilia fuerunt in homine, quod Alcmena peperit Herculem, & Iſiclum fratrem ſuum, quos diuerſis concepti-

G onibus edidit. Quod pro tanto manifeſtatur, quia diuerſis temporum interuallis nati ſunt, vtpote ſi vnus poſt alium vno menſe ex eodem vtero natus ſit. Hoc tamen ſatiſſime viſum eſt. Ideo ad hæc lex humana adaptari non poterat. Quia ergo cum eadem vxor plures viros haberet, iſti eiſdem temporibus velut eis placeret ad hanc accedere vellent, ſequeretur inconueniens ſupra aſſignatum, ſcilicet, quod iſta vxor concipere non poſſet. Non eſt autem hoc inconueniens in viro, cum plures vxores habeat, quia poterunt plures vxores ab ipſo concipere, & hoc in tempore ſatis vicino, nec vna impedietur per alteram. Sicut Loth duas filias ſuas in duobus ſibi ſuccedentibus noctibus impregnauit, ſ. vna nocte maiorem, & ſequenti nocte minorem, vt patet Gen. 19. c. Et vtraque virgo erat. Quod adhuc maiorem difficultatem ingerebat.

Mulier a duobus viris grauidata pāt.

Gen. 19.

H Ratio diuerſitatis inter virum, & vxorem eſt, quia vir eſt emittens, & femina recipiens.

Tertia ratio ſecundum Aug. eſt, quòd pluralitas virorum ad eandem vxorem repugnat Sacramento Matrimonij. Nam Matrimonium eſt magnum Sacramentum inter Chriſtum, & Eccleſiam, vt ait Apoſtolus ad Epheſ. 6. in hoc autem Sacramento vir, id eſt, Chriſtus vnicus eſt, vxor tamen, id eſt Eccleſia, licet vna ſit in ſe tota, quodammodo tamen multiplex eſt, & non ſolum in diuerſis temporibus, vt Eccleſia, & ſynagoga, ſed etiam in eodem tēpore, vt diſtinguit Aug. ſ. quadruplex eſt Eccleſia; vt Eccleſia contemplatiuorum ſignata per Rachelem, Eccleſia actiuorum ſignata per Liam, Eccleſia contemplatiuorum mercenariorum ſignata per Balam ancillā Rachelis, Eccleſia actiuorum mercenariorum ſigna-

I ta per Zelpham ancillam Liæ. Hæc autem ratio aliqualiter quantum ad nos conuincit: quantum ad ſtatum politicum inter Gentiles, vel Sarracenos, aut Iudæos, inter quos non curatur de ſignificatione Sacramenti, nulla eſt.

Vxorem hēre plures viros repugnat paci œconomicæ.

Quarta ratio ſecundum ipſum eſt, quia quòd vna vxor habeat plures viros, repugnat paci œconomicæ. Vir autem, & vxor non ſolum accipiuntur, quantum ad communicationem naturalem, quæ eſt propter ſimile tertiū derelinquere, vt ait Philoſophus in 1. Politic. ca. primo, quod principale eſt, ſed etiam propter communionem œconomicam, quæ eſt ad conſeruationem indiuidui, vt declarat Ariſtotel. 1. & 2. cap. primi lib. Polit. pax autem

K œconomica conſiſtit in bona habitudine rectoris œconomici ad ſubditos: rector autem eſt vir, ſubditi ſunt vxor, & filii, & ſerui. Si autem ponerentur plures viri eiuſdem vxoris, eſſent plures rectores æquales eiuſdem domus, quod nec ratio, nec natura patitur, quia omnis poteſtas conſortem recuſat. Sic etiam ait Lucanus 1. lib. de bello Iulij Cæſaris, & Pompei.

Nulla fides regni ſocijs, omniſque poteſtas
Impatiens conſortis erit. nec gentibus vllis
Credite: Ne longè fatorum exempla petantur.
Fraterno primi maduerunt ſanguine muri.

Idem vult Statius in Thebaide, ſcilicet

Summo dulcius vnum
Stare loco, comes ſocijs diſcordia regni.

Item

rionem eſſe nullus dubitat, aut de materia non per generationem ſpeciei, & deriuationis ſeminalis formarentur, quod conformiter infinitæ potentię eſſe, atque æquale creationi ipſorum philoſophorum teſtimonio confirmatur. Neutrum ergo fatebuntur fieri potuiſſe.

Sed dices, bene poterit ſtare æternitas mundi & conſeruatio vniuerſi cum diluuio vniuerſali, quia ſicut in diluuio vniuerſali tempore Noe factũ eſt, vt per ipſum diluuium cunctæ ſpecies ſeruarẽtur: ita in alijs diluuijs, quæ concederent ipſi philoſophi, fieri potuiſſe.

Reſpondetur quod etiam hoc non concederent philoſophi. Nam quis talem arcam facere poſſet, vt in ea cunctæ res ſeruarentur, quæ in centum annis facta dicitur ab omnibus? quod ſatis conſonat literæ Geneſis, in qua dicitur quod à tempore, quo denunciauit Deus Noe, quod volebat deſtruere mundialem creaturam per aquam, vſque ad ipſum diluuium tranſierunt centum & viginti anni, ſcilicet non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt, & erit vita hominis centum viginti anni, vt habetur Gene. 5. c. Conceſſo autem talem arcam potuiſſe ab hominibus cuiuſlibet temporis compingi, quis eis centum annis ante prędiceret, vt talem arcam fabricarent?

Demum dato quòd diluuia aſtrologicè à multis antè temporibus cognoſci potuiſſent, quis tamen mundi pereuntis tãta charitate moueretur, vt ipſas immaniſſimas beluas, leones, vrſos, aſpides, dracones, manticoras, & baſiliſcos, quorum ſine ipſarum rerũ ferocitate nomina ferocia ſunt, cõgregare vellet, ne diluuio ingruente perirent? Et dato quod hoc negociũ eſſet inexecrabile, quis hæc motus nimio mundi pereuntis amore ſuſciperet, quomodo tamen omnium animalium ſpecies noſceret, quorum nec numerum, nec nomina nouit? quomodo ea per vaſtas mundi huius ſolitudines, & inacceſſas hominum vias, & opacos montes, & immania antra ferarum totum orbem colluſtrans inquireret? quis demum inuentas adduceret? Nam quædam ſpecies ſerpentum tanta veneni rabie abundant, vt ſola viſione interimãt: quales baſiliſcos eſſe non dubium eſt.

Quis enim Iaculos ſerpentes ſic dictos acciperet, qui quodam impetu per aera vecti, quodcunque animal obuium habuerint, ſagittarum, aut lancearum more perforant? Vnde à iaciendo ſiue à iaculis noſtris nomen metaphoricum aſſumpſerunt? Quis enim Dipſades acciperet, quæ accipientem ſiti perimunt? Quis ſerpentem, qui Hypenale dicitur ſaltẽ videre velit, qui eum, quem tetigerit ſomno necat? cuius teſtis Cleopatra Aegypti Regina, & Antonij vxor ſufficiens eſt. Quis Hemorrhoin, qui morſu ſuo vniuerſum animalis ſanguinem elicit, caperet? Quis Precem, quis Sepem, quis Amoditas, quis alios innumerabiles ſerpentes, quorum tot mortes, quot nomina accipiat? quorũ Africa teſtis eſt, quæ huius mali adeo fęcunda eſt, vt in hoc præ ceteris terris palmam ferat, de quo Lucanus in lib. 9. de bello pluſquam ciuili Iulij Cæſaris, & Pompei tractans de proceſſu Catonis in Lybiam. De hoc etiam Solinus in Polyhiſtor. capit. de Africa. Hæ enim peſtes Lybiam pro maiori parte inhabitatam reddunt. Quis enim inter tot genera mortis tranquillam eligeret manſionem? Soli autem populi, qui Pſylli nuncupantur inter has duas lues innoxij ſunt. Nã non ſolum eos venena non lædunt, ſed ipſos ſerpentes formidant, & ſputo ſuo venena quorumcunque hominum curant. De quibus Lucanus lib. 9. ſic ait.

Africa ex orb. mundi regionibus ſerpentium feraciſſima.

Marmaride Pſylli per lingua potentibus herbis.

Iam verò dracones, & aſpides, trigreſque dicere quid attinet? quorum non ſolum venena, quæ in eis immenſa ſunt, ſed, & corporum moles, & præualidum robur omnes mortales ſuperaret. Rhinocerotem verò quis viribus capere audeat, cuius tantum robur, & animi impetus eſt, vt nulli hominum ſeruire dignętur de quo Iob 39. capit. ſic dicitur, Numquid volet rhinoceros ſeruire tibi, aut morabitur ad præſepe tuum? Numquid alligabis rhinocerotem ad arandum loro tuo, aut confringet glebas vallium poſt te? Numquid fiduciam pones in magna

A fortitudine eius, & derelinques ei labores tuos? Numquid credes ei, quòd ſementem reddat tibi: & arcam tuam congreget? Quis autem poſtremo, vt alter Dędalus, aut potius Icarus fallacibus alis aſſumptis aeris immenſi ſpatia peruolaret, vt quaſque paruas auiculas ad mundi conſeruationem in arcam ſecum reconderet? His autem omnibus per impoſſibile ſaltem patratis coniunctiſque in arca cunctis animantibus terræ, quis eis pacis legem indiceret? Quis amicitias tantas componeret? Quis talium fęderum beneuolus tractator exiſteret? vt iuxta vaticinium Iſaię. capitulo 11. Habitaret lupus cum agno: & pardus cum hędo accubaret, & vitulus & leo, atque ouis ſimul morarentur, & puer paruulus minaret eos: vitulus, & vrſus paſcerentur in ſimul, & requieſcerent catuli eorum: & leo ſuæ feritatis oblitus, quaſi bos
B paleas manducaret, & ablactaretur infans à nutricis vberibus ſuper foramina aſpidum, & qui ablactatus eſſet manum ſuam mitteret in cauernas regulorum?

Hæc enim, & alia innumera, quæ per ſingula non conuenit explicari tam impoſſibilia naturaliter ſunt, vt nullo vnquam modo philoſophi talia faterentur: nec fuiſſe quidem, nec poſſibilia fore: ſi autem tempore Noe iſta facta ſunt, ſupernaturaliter facta myſterio angelorum nemo ambigit niſi inſanus. Quibus etiam quouis modo conceſſis, quis tamen arcam a foris bitumine clauderet, ne eam pluuiæ ſubintrarent? Nam hoc a ſolo Deo fieri potuiſſe Sacra Scriptura teſtatur, cum dicit Gen. 7. Quod ingreſſo Noe in arcam Dominus clauſit à foris. Nullo modo ergo hoc Philoſophi, aut excogitare aut credere poſſent, ſi quis enarraret. nullatenus ergo diluuia vniuer-
C ſalia Philoſophi fatebantur. Particularia quidem non ſolum fatentur, ſed etiam ad defenſionem poſitionis ſuę de mundi æternitate ea neceſſaria putant, nec enim vllũ eis fortius, aut veriſimilius adinuentum eſt. Sic namque reſpondent cum quis arguat, ſi mundus ęternus eſt, quomodo ſcientiæ in infinito tempore retroacto inuentæ non ſunt, cum vt Ariſt. ait in 1. Ethic. tempus bonus cooperator eſt horum, & per tempus artium additamenta facta ſunt, cum ergo infinitum præceſſit tempus, infinita experientia fuit, quæ ſufficiens erat ad inueniendam omnem artem. Dicunt enim quòd ſcientiæ infinitis vicibus perditæ ſunt & inuentæ, nec enim nunc nouiter inuentæ ſunt, quia fuerunt in alijs ſęculis, quæ fuerunt antè nos. Dicebant tamen, quòd quando per diluuia maior pars orbis deperibat, ſaluabantur ex diluuijs illis quidam
D homines qui olim fuerant ignorantes, in quibus nulla ſcientia manſit. Sed cum alijs poſſeſſionibus, quæ in diluuio perierant extincta eſt. neceſſe ergo fuit, quòd ad hoc vt artes eſſent, iterum nouiter ab ipſis inquirerentur fundamentis. Hæc enim eſt reſponſio Ariſtotelis in 2. Politicorum, cum tractat de legibus, valdè irrationabilibus, quæ antiquis temporibus apud Græcos fuerunt, inter quas vna, quam ipſe ponit, erat, quòd viri poſſent vendere vxores ſuas, vel eas inuicem commutare. Aſſerit. n. hanc & alias iniuſtiſſimas, quas ipſe ponit in prædicto. 2. Politicorum conditas eſſe à quibuſdam rudibus valdè hominibus, qui diluuia euadere potuerãt. Apud hos
E igitur quæſtionis noſtræ certitudo nulla eſt, ſcilicet, quis primo, aut quomodo condiderit ciuitates.

Ouidius autem in 1. Metamor. vbi quæſtionem iſtam aliqualiter tangit, teſtatur in prima ætate ſæculi vrbes non fuiſſe, ſed quòd in ſecunda domus, & vrbes inceperint, nec diſtinguit Ouidius ætates per annorum durationes, vt nos diſtinguimus, nec totidem diſtinguit, vt nos. Quatuor namque ſolas ponit. Has quippe per qualitates diuiſit: primam auream nominans, argenteam ſecundam, æneam tertiam. Quartam verò ferream nuncupauit. Primam dicit fuiſſe ſub Saturno, quia ætates illas per tempora Deorum ſuorum denominat. Et licet illa prima ætas, quę ruditate hominum inſignis fuit, ſub dijs omnibus, qui Saturnum præceſſerunt fuerit, ſcilicet ſub Demogorgone ceteriſque tartareis filijs: quia hi tamen, vt ipſe tartarus apud antiquam gentilitatẽ obſcuri ſunt, de eis mentio non fit, licet de eis Tullius in libris trib. de natura Deor. diſputauerit. Per Deos ergo celeſtes

ignorare (& multa huiuſmodi, quæ inter eos, qui iam ſanguine coniuncti ſunt, indecentiſſimum eſt fieri.

Item quia ſi quereretur irreuerētia filiorum ad patres. Nam non reuereretur filius patrem, quem non cognoſceret, & ſæpe eueniret, vt filii occiderent patres, & vulnerarent, & maledicerent, quæ inconuenientiſſima sūt, Multas alias rationes Ariſtoteles proſequitur in primo lib. Politicorum. cap. 2. Nam in toto illo primo c. nihil aliud agit, Quod nunc intentionis noſtræ dicere non eſt, quoniam ſatis hucuſque digreſſum eſt.

Ad argumenta in contrariū reſpondetur, ad primū argumentū cū dicitur, quanto aliquid magis vnū eſt, melius eſt, ſed ciuitas ordinata in cōitate maximè bona eſt, ergo eſt melior. Reſpondetur, ꝗ quælibet res tantum habet de entitate, quantum habet de vnitate, nec tamē propter hoc oportet reducere res ad maximam vnitatem. Nam homo vnum quid eſt, ſi tamen velimus eum reducere ad ſimpliciorem vnitatem, vt auferendo tantam partium compoſitionem, aut perſonarum pluralitatem, iam non erit homo, quia vnitas eius tantam requirit diuerſitatem, ita de ciuitate. Ciuitas namque non eſt vnum ens per ſe, ſed per aggregationem. Si ergo velimus reducere eam ad tantam vnitatem, vt ſit vnum
A ens per ſe, excedemus naturam ciuitatis, vt ſi quis velit
reducere ciuitatem ad vnam domum, & deinde ad vnum virum, manifeſtum eſt, quod ibi ciuitas non eſt. Ad
ſecundum, quando arguebatur, quòd legislatores magis intendunt cauſare amorem in politia, quam iuſtitiam, ſed nullus maior amor induci poteſt, quam vt ponatur communitas vxorum, ergo illa eſt bona politia.
Reſpondetur, quòd poſitis filiis communibus, & vxoribus communibus nullus amor eſt in ciuitate. Nam, vt
B ait Ariſt. in 1. lib. Politicorum c. 2. Propria quilibet amat,
communia vero nullus. Nam duo ſunt, quæ amare faciunt, ſcilicet proprium, & dilectum. Cum autem aliquis vocat omnes minores ſe filios, non vocat eos filios
tanquam filios proprios, ſed filios, ideſt filios eius, &
omnium de ciuitate. Immo neſcit, ſi aliquem filium habet, ideo nullum, vt filium diligit. Etiam quia pater &
C filius nomina ſunt amoris, & dulcedinis, modicum autem dulcedinis, ſcilicet, mellis, ſi in multam aquā iaciatur nihil facit, ſic ſit ſi vnus omnes, vt filios amet.

Deſunt permulta, quæ promiſſa ab auctore ſupra ante concluſionem primam nequaquam inueniri potuerunt.

Opuſculi de Optima politia Alphonſi Toſtati Finis.

ALPHONSI TOSTATI EPISCOPI ABVLENSIS

In locum Iſaiæ, Cap. VII. Ecce Virgo concipiet, &c.

Commentarium.

AD GVTERIVM A TOLETO TOLETANVM Antiſtitem, ac Hiſpaniarum primatem.

HOc mihi propoſiti ab antiquo fuiſſe congaudeo, idq; eruditiſſimorum arbitratu virorum approbatur, optimis ī eo, qui honeſtiſſimus eſt famulandi, modo complaceri, multumque diffeſenter veſtræ dignitati plurimorum ſententia venerādæ, excellentiſſime domineatque virorum optime. Non mediocriter enim mihi in hac parte ceteriſq;, quo ad exiguitatis meæ virtutis executionem coaptari pōt, voluntas famulandi eſt: ſed vtinā tam efficaciter quam deuotè. Si vototū immenſitati paruulæ efficaciæ modus ſubeſt, tamen ſecundum Ariſtotelicam ſniam in hac re actoris merita comparatiuè non quantum efficitur, ſed quæ agentis electio eſt, inſpicienda erunt. Et quoniā voluntas ad magna eſt, quamquam in re parū quid ſubſit, quod famulatum in hac parte impenderim, vt non ex rei modo, ſed ex affectionis meæ quantitate ius poſcit ſic efflagito. Expoſcit arguta prudentia veſtra ſuper Iſaiam quandam particulam declarari, in qua Catholicis aduerſus perfidiam Iudæorū immortalis iā lis facta eſt. In qua, quamquam reſponſionis meę opus non ſit, præcipuè argutiori ſapientiæ veſtræ, cui hæc abundantius clarent, mihi tamen non diſcutiendi, quæ expoſcētem, aut verius imperantē occaſio impulerit, arbitrium eſt, ſed obſequendi eis, quæ iuſſa ſunt, neceſſitas manet. His igitur mancipatus, quāquam in hoc dicendi genere, nec copioſè, nec lepidè, aut perpolitè mihi eloqui conceſſū, ſit, tamē vtcunq; datur, id agā. Nec mētis eſt, vt tantum vigiliarum aut laborum impendam, quantum fortaſſis ipſius rei, de qua agitur expoſcit magnitudo, ſed vtcunque id protuliſſe ſufficiet, quo quid in hac parte inſeramus appareat.

In hoc igitur duæ particulæ perſtringendæ ſunt.

Primum cum dicitur, Ecce, virgo concipiet, & pariet filium, &c.

Secundum verò, quia dicitur: Butyrum, & mel comedet, &c.

Ad primum dicendum, quod fundamentum expoſitionis huius prophetici dicti eſt; illud de Saluatore noſtro, & virgine exponi debere. Nec quidem hoc ex communi catholicorum Doctorum conſenſu eſt, quaſi hic eiſdem homodoxia conſtet, ſed quoniam ſic agente Spiritu ſancto ab ipſa Sacra Scriptura ad hunc exponendi modum compelluntur, quod manifeſtat Beatus Matthæus 1. cap. Cum enim de conceptu & natiuitate Saluatoris noſtri dixiſſet, atque de nominatione, ſubintulit, hoc totum factum eſt, vt impleretur quod dictum eſt à Domino per Prophetam, Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabis nomē eius Emmanuel, &c. Et quemadmodum hoc dictum Iſaiæ de Chriſto intelligendum neceſſario eſt, ita & continuato ſtylo ea, quæ 9. cap. dicuntur, de eodem ſuſcipienda ſunt, ſcilicet: Primo tempore alleuiata eſt terra Zabulō, & terra Nephtali, &c. Et illud: Paruulus datus eſt nobis, &c. Quod manifeſtatur Matth. 40. cum dicitur. Cum autem audiſſet

A Ieſus, ꝙ Ioannes traditus eſſet, feceſſit in Galilęam, & relicta ciuitate Nazareth, venit & habitauit in ciuitatē Capharnaum, & maritima in finibus Zabulon & Nephtali, vt impleretur quod dictum eſt per Iſaiam Prophetam: Terra Zabulon, & terra Nephtali, & via maris trans Iordanem Galilęæ gentium; populus qui ambulabat in tenebris, &c.

Dixit etiam Propheta Iſaias capit. 7. vbi prædicta ponuntur: Dominus ipſe dabit vobis ſignum, ecce virgo concipiet. Timebat enim Achaz Rex a facie duorum Regum, ſ. Raſin Regis Syriæ, & Phaceæ filiæ Romeliæ, qui coniurauerant, vt acciperent regnum eius.

B Hunc Achaz, quamquam impium Deus conſolaturus, prædixit liberaturum eum de manu duorum hoſtum Regum, & eos perituros. Ad hoc autem datum dedit ſignum, ſcilicet, Virgo concipiet, & pariet filium, &cet. Hanc virginem concepturam, & parituram nemo de nobis ambiguit Dominam noſtram Virginem benedictam fore. Nec enim alicui in mentem venit, vt intelligendū ſit, quod virgo concipiet, & pariet, ideſt, quod illa, quæ aliquo tempore virgo eſt, ſ. cum iſta verba dicebantur, poſtea concipiat per corruptionem. Nam hoc nec ſignū aliquod nec miraculum eſt, cum iſta ſit via concipiendi vniuerſæ carnis ſuper terram.

C Nulla namq; femina concipit, quæ aliqn̄ virgo non fuerit. Hoc igitur pacto de quacumque femina diceretur, virgo concipiet, & pariet. Quod nemini concedendum eſſe videtur, ſed dicitur hoc, quod ipſa, quæ conceptura, & paritura erat, tunc cum pareret atque conciperet, virgo futura erat. Ex quo apparent duæ particulæ earum, quas nos ad virginis noſtræ præconia poſuimus, ſcilicet, quod fuit virgo ante partum, & in partu, & poſt partum. Primæ duæ particulæ hic patent. Primū quidem, quia dicitur: Ecce, virgo concipiet, conceptus autem partum antecedit, & in concipiendo virgo extitit, quoniam ad hoc, quod conciperet, nulla corruptio

D per acceſſum virilem, ſicut in ceteris mulieribus effecta eſt, manſit quippe perfecta virginitas in cōceptione Dominæ noſtræ. Nec quidem ſolum, vt virginitas eſt integritas mentis, & corporis cum inexperientia omnis actus venerei, vt communiter diffinitur, ſed etiam, vt dicit priuationem ſuſceptionis omnis ſeminis maſculini qualicumque modo. Nam prima virginitas in quibuſdam mulieribus concipientibus eſt naturaliter, ſecunda autem nulli vnquam, niſi Dominæ noſtræ collata eſt. Patet, quia multæ feminæ a viris incognitæ concipere poſſunt, & aliquæ ſic conceperunt, ſcilicet, per dæmones incubos, & ſuccubos, de quibus diffuſius ſuper quinto

E cap. Geneſ. & 7. capit. Exod. dictum eſt, nam hos eſſe negare, & feminas ab eis carnaliter cognoſci impudentia magna eſt, vt ait Aug. 15. de Ciuit. Dei. Hi tamen ſemē effundunt, non quidem, quod habent, quoniam eis nullum ineſt, cum animalia nō ſint, ſed quod a viris in pollutione nocturna ſuccubi effecti ſuſceperunt, in genitalia feminea incubi facti refundunt. Hæc enim non eſt virilis cognitio, tamen cum femine res agitur, atque ea, quæ ſic ſemen ſuſcipit vere defloratur per ruptionem virginalium clauſtrorum. Habent namque incubi dæmones in aſſumpto corpore genitale virile, quod id

cauſatur in femina, quod ex virili cognitione patitur.

Sed eſt aliquid adhuc amplius, ſcilicet quod femina concipere poſſit, non ruptis ſuis virgineis clauſtris, ſed manentibus in ea integritate, qua à natura condita ſunt, quod in pleriſque etiam mulieribus coniugatis viſum eſt accidere, quæ ſine vlla clauſtrorum virgineorum corruptione, aut operatione genitalis maſculini, ſuſcepto tamen ſemine conceperunt. Qui modus, quoniam cunctis cognitum eum arbitror, tum quia prolatione hæc indigna ſunt, ſubticebitur. In hoc tamen modo, quamquam maneat in femina carnis integritas, quæ eſt pars quædam virginitatis illæſis vaſis genitalibus, virgo tamen non eſt. Duæ enim deſunt, ſcilicet quòd mentis abfuit integritas, & quod delectatio venerei actus, & experientia ſuſcepta eſt, quorum vtrumque virginitati repugnat. Nam ea, quæ nupta eſt, eo ipſo, quòd virum accipit, mentalem perdit virginitatem. Proponit namque, vel debitum à viro ad gignendum petere, vel ſaltem petitum debitum viro reddere, cum ad hoc matrimonio adiungatur. Immo, & ſi vir debitum petat conuenienti tempore, & loco, mortaliter femina peccat, ſi ſuũ denegauerit, dicens nolle vllatenus reddere. Nam femina non habet poteſtatem corporis ſui, ſed vir, & vir non habet poteſtatem corporis ſui, ſed femina, vt habetur 1. ad Corinth. 7. cap. Quamquam igitur hæc, quæ nupta eſt viro, corpore incorrupta manet, virgo nõ eſt, quia mentis corruptio in ea eſt, cum carnaliter cognoſcere, aut cognoſci intendat, aut ſaltem patiatur. Eſt etiam alterum obuians in hac parte, ſcilicet quòd hæc femina venerei actus delectationem experta eſt, quæ potiſſime virginitati repugnat. Nec enim quiſquam fallatur exiſtimans feminam in actu venereo non delectari, niſi per contactum genitalis vaſis, & deflorationem in clauſtrorum virgineorum ruptione, in alio namque huius actus conſiſtit delectatio. Et quamquam de his fortaſſe dicendum non eſſet, quia tamen naturalia quædam ſunt, & interdum ſpeculationibus altiſſimis neceſſaria, erubeſcendum non putaui, cum in hac parte vniuerſum ruborem noſtrum Auguſt. abſtulerit, qui quædam alia, quæ forſitan cuiquam fœdiora viderentur in 7. & 14. de Ciuit. Dei protulit. Dicendum igitur, feminis nullam eſſe in defloratione, aut genitalis vaſis contactu delectationem, ſed in deciſione menſtrualis ſanguinis, qui loco ſeminis in eis eſt, & in ipſa commixtione maſculini ſeminis ad femineum, & in toratione matricis. Quod quidem, ſi vulgaribus teſtibus contentos eſſe libeat, ipſarum, quæ hæc patiuntur, feminarum teſtimonio iudicandum erit, in quibus ſolida ſatis conſtat probatio. Nobis tamen, qui veritatem inquirimus per altiſſimas cauſas, cum ſapientiæ ſtudeamus, quæ de altiſſimis atque per altiſſima eſt, iuxta Ariſtotelem noſtrum Ethic. lib. 6. & alio modo veritas inquirenda eſt. Patet enim nullam eſſe delectationem in defloratione, & ruptione virgineorum clauſtrorum. Nam id, quo naturæ violentia irrogatur, delectationis materia non eſt, ſed potius mœroris. In defloratione autem, cum ſit violentia quædam, quæ infligitur clauſuris virginalibus, vt ea, quæ clauſa erant rumpantur, erit igitur triſtitia, & nulla delectatio. Potiſſimè, quia in animalibus, quæ ſentiunt, dolor cauſatur ex diuiſione continui, vt ſi aliqua pars carnis a reliquis abſcindatur. Hic autem ſic eſt, quia natura in virgineis clauſtris continuitatem cauſauerat, per deflorationem autem continuitas iſta corrumpitur, quod teſtatur cruor, teſtis verus corruptionis, aut vulneris. Et ſi in hac virginum defloratione quandam contingat delectationem ſentiri, non eſt ob hoc, quia defloratur, quoniam potius ex hoc veri doloris materia eſt, ſed ex aliquo adiuncto ad iſtam deflorationem. Quod apparet, quoniam ſi virginea clauſtra ferro, aut virgultis, aut quauis alia apertione rumpantur, dolor ſolus ſequitur, ſicut in fractione, aut ruptione cuiuslibet alterius partis corporis: igitur, ſi in cognitione, & defloratione virginis opere virili ipſam clauſtrorum ruptionẽ aliqua conſequatur delectatio, non ob hoc eſt, quia ruptio cauſata

Mulier mortaliter peccat viro poſcẽti debitũ tpe, & loco cõuen. negãdo.

Notanter dixit ĩ defloratione, quia poſt bene põt eſſe delectatio in eo actu genitalis vaſis, vt medici diſcũt. & ẽt ipſæmet ſ Græc.

G H I K

eſt, ſed potius, quia aliquid eſt cum ipſa defloratione, quod ſecundum ſe delectabile ſcilicet [illegible] eſt. Hoc autem eſt, quia ſemen effunditur receptum in matrice, & velut in viro in deciſione ſeminis cauſatur delectatio, & non alia aliquo aliud, ita in femina in irroratione matricis, quæ cum calida & ſicca fuerit, irroratione humidi virilis ſeminis delectatur. Hæc autem ſeminis effuſio atque in matrice ſuſceptio, ſine aliqua clauſtrorum virgineorum apertione fit, ideo ibi delectationem venerei actus experiri neceſſe eſt, & fortaſſis maiorem, quam cum ruptio clauſtrorum fit. Cauſa patet, quia his immorari nõ decet. Illa igitur, quæ illæſis virgineis clauſtris ſic concepit, aut ſaltem ſemen ſuſcepit, virgo non eſt, quoniam veneream delectationem eam expertam eſſe liquet.

Eſt autem alius modus, quo, conſeruata virginitate, femina concipere naturaliter poteſt, ſ. vt non corrumpatur integritas mentis, ſi iſta mulier ſemper propoſuerit continere nõ experiendo aliquam delectationem veneream, nec vnquam aliquem contrarium actum habuerit iudicando, aut eligendo, quod facit plenam mentis integritatem. Etiam vt feminis concipiat incorrupta carne, ſcilicet manentibus illæſis virgineis clauſtris, ita vt nemo virorum aperuerit integritatem genitalis feminei, nec vllo alio caſu defloreretur. Item, & quod hæc femina nullam veneream delectationem experta ſit: quæ integram virginitatem conſtituunt, ita quòd alicui mulieri ſic concipienti dabitur in vita æterna aureola, quæ debetur veris virginibus.

Modus quo mulier ſeruata virginitate naturaliter põt cõcipere.

Nam in hac plena virginitas patet, vt ex diffinitione liquet, ſ. virginitas eſt integritas mentis, & corporis cum inexperientia actus venerei. Hæc tamen femina non dicetur ſecundum Sacram Scripturam concipere virgo exiſtens, quoniam ſemine ſuſcepto corruptio eius agitur. Nam, etſi omnia prædicta interueniant, ſemen tamẽ intercidit. Hic autem modus aſſignari non poteſt in mulieribus cognitis per incubos dæmones. Nam quamquã illæ continere in perpetuum propoſuerint, maneatque ibi mentis incorruptio, vaſa tamen feminea genitalia verè corrumpuntur, atque cruorem inde exire neceſſe eſt, quemadmodum ſi a viro huiuſmodi virgines deflorarentur. Etiam ſequitur ibi experiẽtia actus venerei, quoniam quamquam mulier inuoluntaria cognoſcatur, ſemperque repugnans, tamen dum cognita fuerit, neceſſarium eſt eam delectari, quia iſta delectatio non euenit ex voluntatis electione, ſed ex conditione naturæ. Et ob hoc, quamquam aliqua mulier delectetur, cum cognoſcatur, ſi tamen laborauit, ne cognoſceretur, nec poſt cognitionem in hoc conſentit, aut delectetur, nec in hoc peccat, quia peccatum non eſt in his, quæ totaliter inuoluntaria ſunt.

Item non poteſt aſſignari iſte modus in mulieribus, quæ violenter ab aliquib. cognoſcuntur, quoniam ibi ſunt duo prædicta de cognitione dæmonum incuborũ, ſ. quod fit ruptio virgineorum clauſtrorum, & experiẽtia delectationis venereæ. Item ſi dicimus hanc feminã inuoluntarie cognitam deflorationem nullam paſſam fuiſſe, ſuſcepiſſe tamen ſemen maſculinum, ſicut ſupra dictũ eſt, adhuc non ſtat modus, quoniam ibi experientia delectationis venereæ eſt. Non poteſt aũt iſte modus aſſignari vllatenus in femina vulgante, quia quouis modo iuſte ſemen ſuſcipiat, neceſſe eſt delectationem venereã experiri. Oportet igitur hunc modum in feminis ſicut. Sed qualiter ibi integritas mentis, ſit & illibatio virgineorũ clauſtrorum, & nulla venereæ delectationis experiẽtia, credo, cuilibet ad hæc aduertenti, ſatis cogitatione inueniri poſſe. Non.n. decet talia proferre. Quamquam S. Thomas in quodã Quodlibeto hunc modum pro parte aperiat, hic tñ quicquid ſit, ſemper tñ ſemen ad conceptionem intercidit, ſine quo nihil naturaliter fit, In viro autem hic modus reperitur. Nã viri ſine mentis corruptione, & illibatione carnis in vaſe genitali generare poſſunt. In eis tñ difficilius eſt, q̃ in femina, quia femina inuoluntarie cognoſci põt a viro, vir tñ, niſi velit nullam vnquã feminam carnaliter cognoſcit. Quod ſatis liquet. Nã actio eſt in potẽtia agẽtis, & paſſiones non ſunt in potẽ-

te

te patientis, ſed agentis, Iſte modus ſatis patet per dæmones ſuccubos, quoniam virile ſemen pollutionis nocturnę aut alias ſuſcipiunt, & poſtea matrici alicuius feminæ infundunt, & fœtus inde ſequitur, immo, & admirabiles fętus in naturalibus diſpoſitionibus. Sic enim factum eſt per Merlinum, quando ex incubo, & ſuccubo dæmone genitus ſatis veraciter perhibetur. Eius tamen pater vir fuit, quia ille pater eſt, cuius ſemen eſt ad gignendum, dæmon autem ſemen non habet, cum ſpiritus ſit, pater tamen Merlini non cognouit carnaliter matrem eius. Alius tamen modus eſt, quo ſine dæmone ſuccubo, & incubo viri gignant illæſa mentis integritate, & carne, & nulla ſuſcepta delectatione venerea, quod attinet ad perfectam rationem virginitatis. Et ſic viri virgines exiſtentes naturaliter gignere poterunt. Nec tamen in viro virginitatem voco, & integritatem carnis, & priuationē deciſionis ſeminis, ita quod virgo ille ſit, qui ſemen nunquam effuderat quouis modo, quoniam hoc pacto in pollutione nocturna viri virginitatem amitterent, quod falſum eſt. Nam nullus hoc concederet, & ſatis patet. Nam corruptio carnis eſt aliqua violentia illata naturæ, ſecundum quam infringitur aliquid, quod ipſa condiderat, quemadmodum cum femina defloratur: in pollutione nocturna autem nihil tale fit, quoniam ſine vllo motu carnis ſola operāte phantaſia, quæ ſuper naturam corporalem magnam poteſtatem habet, per conceptas imagines, aut ex impotentia potentiæ retentiuæ ſeminalis effluit humor. Sed corruptio integritatis carnis maſculinę conſiſtit in hoc, quod maſculus in primis carnalibus acceſſibus patitur. Nam prout in femina fit vera, & perfecta defloratio, ita in viro pro modo ſuo quamquam non æqualiter. In pollutione autem nocturna nihil horum euenit, quia ēt ſine experientia delectationis venereæ iſta fiunt. Nā qui per ſomnum grauem nocturnā patitur pollutionē, delectationem venereā minime experitur, erit ergo vir generans manente ſibi virginitate. Sancta tñ Scriptura ſtrictius de virginitate loquitur, quocunque n. modo aliqua mulier ex ſemine humano concipiat, non dicit eam Sancta Scriptura in virginitate concipere. De Domina noſtra virgine hæc omnia completiſſime prædicantur, ſ. ꝙ ipſa concepit cum integritate, quoniā nūquā habuit aliquē conſenſum, nec carnalē copulam, dicente ipſa ad Angelum, quō fiet iſtud, quia virū non cognoſco? id eſt, quia non cognoſcere virū propoſui. Non n. loquebatur de cognitione ſola, quia tunc verba ſua impertinētia eſſent. Nam quamquam tunc non cognoſceret nec cognouiſſet virum, poterat eum cognoſcere in futuro, & ſic non excluderet verba Angeli. Oportet ergo, vt intelligatur. Quoniā virum non cognoſco, i. propoſui nunquam virum cognoſcere. Et tūc ſtant rationabiliter verba eius, ſcilicet quomodo fiet iſtud? nā fieri nō poterat, niſi aliquem ſpecialē modū ad hoc Deus daret, ſm quod poſtea Angelus ſubintulit, ſ. Spiritus Sanctus ſuperueniet in te &c. fuit ergo mente incorrupta. Fuit ēt carnis integritas in illa, quia à nullo vnquam viro deflorata eſt, quamquam impiiſſimus Heluidius aſſerat Virginem Dominam noſtram à Ioſeph fuiſſe carnaliter cognitam, & alios filios poſt Saluatorem peperiſſe, de quo latiſſimè argutū eſt, & reſponſum fuit in libro noſtro de quinque metaphoricis paradoxis ad illuſtrem Reginā Caſtellæ. Nullo ēt modo delectationem veneream experta eſt, nam hæc in cognitione à viro eſt, ipſa autem nihil vnquam tale pertulit. Præter omnia autem hæc habuit, quod naturam tranſcendit, ſcilicet quód ſine ſemine cōcepit. In quo exceſſit omnes alias feminas, multæ namque feminæ in perfecta virginitate concipere poſſunt, vt ſupra declaratum eſt, nulla tñ ſine ſuſcepto ſemine concipit. Domina tamen noſtra virgo nullo virili ſemine ſuſcepto concepit, & ob hoc fuit conceptio illa ſupernaturalis, quia non erat ibi aliquod principium actiuum naturale ad dirigendum menſtrualem ſanguinem eius, & formandum in corpus, ſed fuit Spiritus Sanctus faciens in mēſtruo virginali opera omnia, quæ operari debuiſſet maſculinum ſemen. Quomodo autem dicatur Virgo beata concepiſſe de Spiritu Sancto, & quid hoc ſignificet, & an Spiritus Sanctus aliquod ſemē creauerit, quod nullius viri eſſet, & infuderit in vterum virginis loco ſeminis maſculini, in libro noſtro de quinq; methaphoricis paradoxis dictum eſt.

Quid ſit virginitas in viro.

Paradoxis 1 c. q. 40. & ſeq.

Alph. Toſt. ſuper Ecce virgo, &c.

Habetur, etiam ex hoc prophetico dicto, quod Domina noſtra virgo peperit, id eſt ipſa in virginitate exiſtens peperit, propter quod Eccleſia prædicat, non ſolum ante partum virginem, ſcilicet in conceptu, ſed etiam in partu. Quid tamen ſit feminam in conceptu eſſe virginem, manifeſtum eſt, ſcilicet ipſam ſine aliquo ſemine virili concipere. Quid tamen ſit in partu eſſe virginem, multis adhuc abſconditum eſt. In quo ſciendum eſt virginitatem, vt ſupra diffiniuimus, eſſe integritatem mentis, & corporis cum inexperientia actus venerei, aut delectationis eius.

B Quando igitur carnis corruptio eſt, virginitas tollitur. In feminis autem carnis integritas dicitur eſſe incorruptio clauſtrorum virgineorum. Iſta clauſtra, ſicut aperiuntur in conceptu, quando femina à viro cognoſcitur, ita & aperiuntur in partu, & adhuc maiori apertione, & propter hoc maior dolor eſt in partu, quam in prima virginum defloratione, & contingit multas periclitari, ratio eſt, quia ſicut integritas carnis in femina tollitur, cum carnaliter cognita defloratur, & ob hoc ei virginitas adempta eſt, ita & in partu, quia iſta clauſtra virginei pudoris panduntur, virginitas auferri dicitur, immo magis, quam in conceptu, cum maior apertio fiat. Et magis neceſſe eſt feminam in partu virginitatem amittere, quam in conceptu quo ad carnis integritatem. Nā, C vt ſupra declaratum fuit, aliquæ feminę concipere poſſunt ſuſcepto ſemine nulla facta ruptura virgineorum clauſtrorum.

In partu tamē nulla femina parere naturaliter poteſt virgo. Nam cū fœtus emitti debeat per vas genitale mulieris ab vtero, & magnæ quantitatis ſit, neceſſe eſt tantum aperiri de virgineis clauſtris, quanta eſt magnitudo infantis nati, alioquin dabitur corporum penetratio, quam nō conſentit Ariſtoteles noſter in libris Phyſicorum, nec natura rerum hoc tolerat. Et ſic ſecundum naturam hoc in veritate conſtat, quod multæ feminæ in virginitate exiſtentes concipere poſſunt, nulla tamen in virginitate exiſtens naturaliter parit.

Erat ergo dubium de Domina noſtra, quia quamquā ſine vllo ſemine concepiſſet, & penitus virgo maneret, D in partu tamen corrumpi poterat ruptus virgineis clauſtris ad infantuli emiſſionem. Immo, quamquam Deus ſupernaturaliter egiſſet, vt Maria ſine ſemine foret prægnans, & retenta plena virginitate, ſi tamen illam naturaliter parere, quod conceperat, reliquiſſet, nullum vlterius in ea operando miraculum neceſſarium erat, vt ipſa in pariendo virginitatem perdidiſſet, ſcilicet, quia ad exitum corporis Redemptoris noſtri, quod erat in tanta quantitate tēpore natiuitatis, in quanta alii contemporanei fœtus nati erant, rumperentur virginea clauſtra. Ideo ad exprimendam virginitatem omnimodam Dominæ noſtræ, non fuit ſufficiens dici, quód ipſa ante partum, ſcilicet in conceptu virgo extiterit, ſed etiam in partu, ſcilicet quód non fuit facta aliqua ruptio clauſtrorum virgineorum ad exitum Saluatoris noſtri de vtero. E

Et hoc tantum fuit miraculum, quantum, quod ſine ſemine virili conceperit. Quomodo autem Saluator noſter, cuius corpus tantæ quantitatis erat, de virginis aluo exire potuerit, nullo ſigillo pudoris virginei rupto, & an exierit deducendo ſe totum ad indiuiſibile, ſicut eſt in hoſtia, ſcilicet quia eſt in qualibet parte hoſtiæ quantumcumque parua ſit, vel an exierit ſecundum extenſionem quantitatis per corporis penetrationem, ſicut tranſiuit intrans ad diſcipulos oſtiis clauſis, in libro noſtro de quinque metaphoricis paradoxis latè diſputatum eſt.

De exitu Saluatoris ex virgineo matris vtero vide auctorem 1 paradoxis Parado. 1. ca. 64. & Mathe. 1. ca. q. 48. & 49.

Aliis autem alia in hoc ſententia eſt, dicunt enim Dominam noſtram virginem dici ante partum, in partu, & poſt, referendo in ſolam priuationem cognitionis

virilis, ſcilicet quòd ſicut antè partum cognita non extitit, ita nec poſt. Hoc autem ſubſiſtere non poteſt, nam quamquam iſta expoſitio conueniat ad primam, & tertiam particulam, ſcilicet quòd fuit virgo antè partum, & poſt partum, tamen non conuenit ſecundæ particulæ, ſcilicet quòd fuerit virgo in partu. Primum patet, quia ipſa fuit virgo ante partum, ſcilicet quòd ad conceptionem ſuam non præceſſit aliqua virilis cognitio, nec ſeminis ſuſceptio, ſicut in aliis mulieribus naturaliter fit. Etiam poſt partum virgo fuit, quia à nullo vnquam viro poſtea cognita eſt, quamquam impijſſimus Heluidius contrarium aſſeruerit.

Ad ſecundam autem particulam hoc adaptari nequit, cum dicitur. Et virgo in partu. Nam quamquam aliqua femina ante partum carnaliter cognoſci poſſit, & ſimiliter poſtquam pepetit, nulla tamen cum parit cognoſci poteſt. Repugnat enim ſecundum naturam, vt liquet ſatis. Ideo non poteſt dici Domina noſtra virgo in partu, ideſt quia non fuit cognita à viro, dum pareret, quia hoc modo omnes feminæ parientes dicerentur virgines in partu, cum nulla earum cognoſci poſſibile ſit, dum parit. Hoc tamen falſum eſt, quoniam nullam feminarum in partu virginem dicimus, ideo non eſt hoc modo dicendum, Dominam noſtram hoc modo dici virginem in partu extitiſſe. Item non poteſt hoc ſtare, quia ſi femina in partu virgo dicitur, aut fuit virgo antè partum, ſcilicet in conceptione, aut non. Si autem fuit virgo ante partum, ſcilicet quòd ad hoc, quòd conciperet, non fuit cognita à viro, nec ſuſcepit ſemen, neceſſarium eſt, vt in partu quoque virgo ſit, cum non cognoſcatur cum parit, ſi fortaſſis mulier, quæ in partu virgo nuncupari debet, antè partum non fuit virgo, ſcilicet quod vt conciperet, carnaliter cognita eſt, non poteſt dici virgo in partu, cum ante hoc corrupta fuerit, & quæ ſemel virginitatem perdidit amplius virginem eſſe impoſſibile eſt. Et ſic quocunque modo accipiatur, non dicitur conuenienter, quòd Beata virgo ſit tantum in partu virgo per reſpectum ad priuationem carnalis deflorationis, quia tunc non differt eſſe virginem in partu ab hoc, quod eſt eſſe virginem in conceptu, vel ſemper ante partum, & poſt partum, ſatis ſuperuacuum videtur eſſe eam in partu virginem dicere.

Dicendum eſt autem de hac particula maioris miraculi opus eſſe ipſam in partu virginem extitiſſe, quam poſt partum, vel ante partum in conceptu. Sed intelligenda ſunt hæc, ſicut in præcedentibus declaratum eſt, ſcilicet, quod in partu virgo extitit. Quia quemadmodum non fuit aliqua virgineorum clauſtrorum facta libatio ante conceptum opere virili, ita in partu nulla operatio ad exitum Saluatoris noſtri celebrata eſt. Hæc autem operatio ſi interceſſiſſet, virginitatis diſpendia ſequi neceſſe erat, cum carnis integritas in hac virgineorum clauſtrorum apertione maximam ſuſtineat læſionem.

In prophetica prænunciatione conſequitur poſt hæc, & vocabitur nomen eius Emmanuel, ideſt iſte puer, qui de virgine naſcetur, vocabitur Emmanuel, quod latinè interpretatur, nobiſcum Deus. Emmanuel enim in Hebræo nobiſcum ſonat: El autem Deus interpretatur, quod huic puero conuenit. Nam hoc deſignat duas naturas, aut ſubſtantias in Saluatore noſtro, ſcilicet diuinam, & humanam. Et hoc nobiſcum Deus, ideſt in natura noſtra, vel cum natura noſtra Deus deſignat, quòd iſte habuit deitatem cum natura noſtra, quod nulli antè contigerat nec poſtea eueniet. Nam iſtud nomen manifeſtat hunc eſſe Deum: ſic enim decebat, vt qui de virgine ſuper naturam conceptus, & natus eſt, nō ſolum homo eſſet, quod naturaliter contigiſſet, ſed etiā Deus eſſet, quod omnes naturæ vires excedebat, nec tamē erat contra naturam. Et hoc, quod dicitur nobiſcum Deus non interpretatur per nomen oratio, ſ. vt dicamus nobiſcum Deus, i. quod nomen iſtius pueri nati erit nobiſcum Deus, i. quòd Deus ſit nobiſcum, ſed nobiſcum Deus, i. quòd nomen huius pueri erit nobiſcum Deus, i.

F Deus cum natura humana, vel exiſtens Deus, & homo. Nam exponendo primo modo, per orationem non ſolum conuenit Deo, ſed etiā creaturis. Sic enim dicitur Exod. 17. & ædificauit Moyſes altare, atque vocauit nomen eius, Dñs exultatio mea, ideſt Dominus eſt exultatio mea ſine quo non attribuitur aliqua perfectio altari iſti, vel denominatur de illo, ſed de Deo. Si tamen exponeretur ſine oratione, eſſet ſenſus, quod nomen altaris erat, Dominus, & exultatio mea, ideſt, ꝙ ipſum altare erat, Dominus, & exultatio. Sic igitur eſt de nomine huius pueri nati, quod eſt Emmanuel. i. Deus nobiſcum. Et tunc eſt ſenſus, quod per natiuitatem huius pueri dominus eſt nobiſcum, & hoc non erat aliquid magnum, quia quilibet homo poterat ſic vocari, in cuius natiuitate, aut quo viuente Deus aliis bona collaturus foret: hoc modo G poterat vocari Noe Emmanuel, quia per eius vitã Deus dedit aliis requiem, cum ipſe inuenerit modum transferendi labores ab hominibus agricultura à ſe inuenta, quod innuitur cum dicitur de eo Geneſ. quinto capitul. iſte conſolabitur nos ab omnibus laboribus noſtris in terra, cui maledixit Dominus.

In hoc autem erat Deus cum hominibus inquantum tollebatur eis maxima pars laborum ſuorum. Sed non videtur conueniens, quod vocaretur Emmanuel. Altiori enim quodam modo nos redemptorem noſtrum Emmanuel appellamus, & in Sacra Scriptura appellatum exiſtimamus. Debet ergo exponi iſtud nomē non per orationem, ſed alio modo incomplexe, ſ. ꝙ vocabitur nomen eius Emmanuel, i. Deus nobiſcum, ſ. quod ipſe eſt Deus nobiſcum, quia Deus eſt cum natura humana, quia Deus, & homo eſt.

H In his autem aduertendum eſt, quòd quamquam Iſaias prædixerit Chriſtum Saluatorem noſtrum vocandum Emmanuel, tamen non fuit ei impoſitum hoc nomen à matre ſua, nec ab Angelo, ſed vocatus Ieſus, vt habetur Luc. primo capit. ſed dicitur nomen eius Emmanuel, ideſt quia ipſe erit talis, quod debeat vocari Emmanuel, etiamſi ei nemo tale nomen impoſuerit. Nam nominum quædam ſumuntur ab impoſitione, quando non reperitur aliqua cauſa neceſſitatis ex parte rei nominatæ ad id, quod ſignificat nomen, vt Socrates, vel Plato, aut Cicero. In his enim liberum eſt imponere quodcunque nomen voluerimus. Alia ſunt nomina, quę conueniunt ſecundum naturam, vtpote illa, quæ inſunt ex natura ſpeciei, vel generis, vt quòd aliquis vocetur homo, vel animal. Nam ſecundum naturam I homo eſt, & animal eſt, etiamſi nullus ei tale impoſuerit nomen. Ita de Chriſto nomen hoc, quod eſt Ieſus, ſiue Ioſua ſecundum Hebræos ab impoſitione ſibi eſt, quoniam potuiſſet eum vocare mater ſua alio nomine, niſi Angelus prædixiſſet atque præcepiſſet vocari nomen eius Ieſum, vt patet Luc. primo capitu. Nomen autem naturæ in Chriſto erat, quòd eſſet Deus, quia erat filius naturalis Dei, & quòd eſſet homo, quia erat filius naturalis hominis, ſcilicet, virginis matris. Hoc autem ſignificat iſtud nomen Emmanuel, ſcilicet, Deus nobiſcum, ideſt Deus cum humana natura, quod eſt Deus, & homo. Erat ergo nomen Chriſti Emmanuel, ſicut nomen naturale eſt, vt homo, & animal. Et K ſicut nobis non imponuntur iſta nomina homo, & animal, ſed in naſcentibus cognoſcūtur, ita & ipſi Chriſto non fuit a matre, vel ab aliquo impoſitum iſtud nomen Emmanuel, ſed ab ipſa natura cognitum eſt. Circa hoc, vt amplior pateat euidentia tria agenda ſunt, primo apponentur quædam fundamenta, ex quibus Iudæi in nos inſurgunt, aut ſaltem inſurgere poſſunt, proclamantes hanc Iſaiæ authoritatem non intelligi de Saluatore noſtro Ieſu. Secundo hæc ſoluentur. Tertio expoſitio Iudæorum ſubiungetur, & improbabitur. Ad primum, probant ꝙ dictum Iſa. non intelligatur de Chriſto, ex eo, quod ſupra dicitur in litera Iſaiæ, ſ. ꝙ Rex Achaz audiuit, ꝙ Raſin Rex Syriæ, & Phacee filius Romeliæ Rex Iſrael conſilium inter ſe fecerunt, vt ſimul venirent ſuper Regem Achaz Regem Iuda, & delerent eum ponentes alium Regem in Ieruſalem, quod audiens Rex

Achaz timuit,& totus populus eius cum eo. Tunc Deus A
ad Iſaiam dixit, vt egrederetur in occurſum Achaz, & prænunciaret ei, quod non fieret, quod illi reges præordinauerant, & ad hoc adiecit, dicens: Dominus ipſe dabit vobis ſignum. Ecce virgo concipiet &c. igitur iſtud ſignum dabitur ad conſolationem regis Achaz, vt non timeret Reges ſupra ſe irruituros, ſed ſignum de Chriſti natiuitate non fuit tale, vt poſſit conſolari regem Achaz, & populum timentem, cum iſtud futurum eſſet poſt multa tempora. Accidit enim poſt, quaſi per ſexcentos annos. Quid ergo attinere videbatur iſtud ſignum ad ea, quæ regi Achaz prænunciabantur? nihil inquam. Non ergo eſt ipſe puer, qui hic naſciturus prædicatur.

Item, quando Deus dabat ſanctis patribus aliqua
ſigna in Veteri Teſtamento, illa ſigna immediatè com- B
plebantur. Sic patet de Abraham cum quo, cum iniret fœdus de dando ei terram populorum multorum, de quibus habetur Geneſ. 15. miſit ignem inter diuiſiones ſacrificiorum, quando apparuit fornax ardens, & flamma diſcurrens per medias diuiſiones. Sic etiam cum dedit ſignum de Gedeon vincendo Madianitas, immediatè completum eſt, quia apparuit in vellere ſignum ſcilicet quòd vellus erat madidum,& area ſicca, & iterum area compluta, ſicco tamen vellere manente, vt habetur Iudi. 7. cap. Sic etiam de Eliezer ſeruo Abrahæ, quando iuit in Meſopotamiam, & de multis aliis. Si ergo nūc fuiſſet annunciata natiuitas Chriſti Regi Achaz tanquam quoddam prænoſticatiuum, quòd non deberet timere duos reges, qui volebant delere domum
eius, immediatè fuiſſet, ſed fuit poſt valdè multa tem- C
pora; quia fere poſt ſexcentos annos, ergo non fuit hoc datum in ſignum.

Item arguunt non poſſe ſtare, quia quamquam Chriſtiani dicant, quòd mater Chriſti virgo concepit, & peperit, tamen in Hebræo non ponitur virgo, ſed adoleſcentula, ſcilicet puella teneræ ætatis, ſiue ſit virgo, ſiue non. Quod probant per id, quod habetur Prouerbiorum 30. c. vbi dicitur: Tria ſunt mihi difficilia, & quar-
Prou. 30. tum penitus non cognoſco. Et concluditur in fine: Via viri in adoleſcentula. In Hebræo ponitur idem nomen quod hic ponitur, ſcilicet. Alma pro adoleſcentula, ſcilicet via viri in adoleſcentula. Sed cum via viri in adoleſcentula eſt, ipſa non eſt virgo, ergo non ſignat alma ſemper virginem.

Item non videtur poſſe intelligi de Chriſto, quia in D
litera Hebraica dicitur. Ecce, alma, ſiue adoleſcentula concepit,& pariet, ergo videtur, quòd eo tempore, quo iſta verba dicta ſunt iam conceperat illa puella, cuius filius prædicitur hic naſciturus. Sed beata Virgo Maria non concepit, niſi poſt ſexcentos annos quaſi, ergo non intelligitur de ipſa.

Item dicitur in litera huius prophetiæ: Et vocabitur nomen eius Emmanuel. Sed de Domino Ieſu non legitur, quòd fuiſſet vocatus Emmanuel, ſed vocauit eum mater ſua Ieſum, quia ſic prædictum fuerat ab Angelo antequam naſceretur, vt habetur Lucæ 1. c.

Item dicitur de puero iſto, quòd butyrum, & mel comedet, vt ſciat reprobare malum, & eligere bonum. Iſta enim ſunt ad cauſandum in homine quandam
diſpoſitionem ad ſciendum, & ille puer commeſturus E
erat hæc, vt haberet ingenium conuenienter diſpoſitum ad intelligendum, ſed de Chriſto dicemus, quòd ab inſtanti conceptionis ſuæ fuit plenus omni ſapientia, quia erat Deus, & homo, ergo non poteſt intelligi de illo dictum iſtud.

Item non poteſt ſtare iſta expoſitio, quia in litera continuata Iſaiæ in capitulo ſequenti poſt iſtud dictum habetur: Antequam puer ſciat vocare patrem, vel matrem auferetur fortitudo Damaſci, ergo videtur, quòd aliquod tempus erat, in quo iſte puer naſciturus, neſciret vocare patrem, vel matrem, & poſt illud tempus vocaret patrem ſuum & matrem, ſed de Chriſto dicimus, quòd ſemper æqualiter ſciuit, ergo non intelligitur de illo.

Item Chriſtiani de Chriſto dicunt, quod non fuit genitus de virili ſemine, ſed de iſto puero neceſſarium eſt, quòd intelligatur natus ex patre, & matre, ergo non poteſt intelligi de Chriſto. Patet minor, quia dicitur in præallegata auctoritate, antequam puer ſciat vocare patrem, & matrem auferetur fortitudo Damaſci, ergo puer iſte patrem, & matrem habebit, quod nos non concedimus, ergo non intelligitur de ipſo. Alia autem his ſimilia fieri poſſunt de quibus quilibet aduertere poteſt.

Ad hæc autem nobis reſpondendum eſt. Ad primum cum dicitur, quòd natiuitas Chriſti non potuit dari in ſignum Regi Achaz, quia fuit magno tempore poſt: reſpondendum, quòd nihil obſtat ſignum dari poſt rem ſignatam. Et ſi dicas, quòd tunc ſigna non facient ad aliquam certificationem rerum ſignatarum, concedendum eſt, nec hoc eſt inconueniens, nam interdum Deus dat ſigna, non ad certificandum res ſignificatas, ſed innoteſcendum id, quod importatur per ipſa ſigna, cum ſigna ſint diſtincta a ſignatis, & cognito vno, non cognoſcetur neceſſario alterum, & hoc neceſſarium eſt, quando eueniunt poſt iſta ſignata, nam id, quod poſterius eſt non eſt fortificatiuum, aut teſtificatiuum priorum. Nam qui vult accipere certitudinem de aliqua re, antequam ſit, vult accipere certitudinem, quod erit, ſed quando ipſa res, quæ futura erat effecta fuerit præſens, iam plena certificatio eſt de eſſe ſuo, id igitur, quod poſterius eueniet non confert aliquatenus ad iſtam rem præteritam, quia iſta iam totaliter certa eſt cum fuerit.

Eſt tamen iſta conditio ſignorum, quæ fuit poſteriora illis, quorum ſigna ſunt, quod quamuis non certificent quantū ad eſſe ſimpliciter, certificant tamen quantum ad eſſe a Deo, ſcilicet quòd ſigna non poterunt nobis dare firmitudinem de rebus ſignatis, quòd erunt, quia iam eſſe ſuum determinatum eſt cum fuerint, ſed dant certitudinem, quantum ad eſſe a Deo. Nam quando aliqua res euenit, niſi prædicatur nobis à Deo, non intelligimus illam ſpecialiter factam à Deo, cum vero Deus prædicit aliquid, vel aliquam rem futuram, & dat aliquod ſignum, quod poſt illam rem ſequitur, quando tranſierit res, & poſtea euenerit ſignum illud, demonſtrat neceſſario quod illa res fuerit a Deo ſpecialiter, cum antequam res fuerit prænunciata ſit, & ad hoc ſignum datum.

Iſtos modos ſignorum poſteriorum ad rem ſignatam inuenimus in Sacra Scriptura. Sic quidam dicunt de illo, quod habetur Exo. 3. c. cum loqueretur Dominus ad Moyſen, dicens: Hoc habebis ſignum, quod miſerim te, cum eduxeris filios Iſrael de terra Aegypti, immolabis Domino in montem.

Hæc tamen eductio prius facienda dicitur, quam ſuper montem immolarent Iſraelitæ. Hoc ſatis videbatur probare, quod dicebatur, tamen ſenſus literæ non videtur eſſe iſte, qui dicitur, quāquam plures Doctorum noſtrorum hoc intendant, ſed illud magis ponitur tanquam præceptum, quam tanquam ſignum, ſcilicet, quod Dominus iuſſerit Moyſi, vt quando veniret ad montem illum ibi Domino immolaret. Cum autem dicitur hoc habebis ſignum, non refertur ad hoc, ſcilicet, cum eduxeris filios Iſrael, ſed ad aliud, ſicut late declarauimus c. 3. Exod.

Sed hoc non obſtante habemus alia in Sacra Scriptura exempla, in quibus ſignū datur, & euenit poſt ipſam rem cuius ſignum eſſe ponitur, ſicut habetur 4. Reg. 19. c. vbi cum timeret Ezechias Regē Sennacherib venturū ſuper Ieruſalem, atq; deleturum illam, dixit Dn̄s, quòd non veniret, nec pugnaret aduerſus eam, & dedit Regi Ezechiæ ſignum huius, dicens: Tibi aūt Ezechia hoc erit ſignum, comede hoc anno, quod reperieris, in ſecundo autem anno, quæ ſponte naſcuntur, porro in 3. anno ſeminate, & metite, & plātate vineas &c. Et ſic dabatur ſignum, quod vſq; ad tres annos complendū erat, tn̄ id cuius ſignum erat in eadē nocte cōpletum eſt. ſ. mortui ſunt oēs, qui veniebāt cū Rege Sennacherib, cū dr̄ in ea-

dem litera: Factum eſt igitur eadem nocte, venit Angelus Domini, & percuſſit in caſtris Aſſyriorum centum octoginta quinque millia. Sicut ergo in hoc fuit ſignũ poſt iſtam rem ſignatam, ita in eo, quod dicitur de Achaz, & virgine, quæ conceptura, & paritura erat datũ eſt ſignum, & poſt euenturum erat. Sed aliquis dicet hoc ſtare non poſſe, nam ſignum, quod datum eſt Ezechiæ, quamquam poſt ipſam rem ſignatam euenit, tamẽ immediate euenire cœpit, id autem quod dicitur de virgine conceptura, & paritura, ſi de Chriſti natiuitate intelligatur, non ſic fuit, nam poſt valde multa tempora euenit. Ad hoc dicendum eſt, quòd hoc nihil refert nam ſignum euenit poſt rem ſignatam, ſiue pauco tempore, ſiue multo nihil agit. Cuius ratio eſt, quia ſignum ſi quicquam proficit, hoc eſt inquantum eſt confirmatiuum, & demonſtratiuum eius, quod fieri debet, & futurum prænunciatur. Si autem res ſignata prius eueniat, ſignum immediatè eſſe poſt ipſam rem ſignatam, vel multo tempore poſt, nihil differt. Nam qualitercunque eueniat, ſi poſt euenit, nullatenus confirmat rem ſignatam. Vnde ſignum dictum Ezechiæ, quia per tres annos poſt ipſam rem ſignatam completum eſt, nihil magis firmitudinis contulit ipſi rei ſignatæ, quam natiuitas Chriſti deſtructioni Syriæ Damaſcenæ, & Iſrael, quamquam hoc per plures, quam quingentos annos poſtea fuit: ſicut ergo aliquando ſignum reperitur poſt rem ſignatam, ita poterit multoties, vel ſemper dari.

Aliter autem fortaſſis, & valde conuenienter, reſpondert poteſt euitando omnia iſta, & ſimilia argumenta ſcilicet, quòd non accipiatur hic ſignum pro eo, quod H alterius ſignatiuum eſt, ſed pro miraculo, & ſic quælibet res admiranda excedens naturalem potentiam vocatur ſignum. Et iſte modus loquendi eſt vſitatus in Nouo & Veteri Teſtamento. De Teſtamẽto Veteri apparet, quòd illæ plagæ, quas Deus mittebat ſuper Aegyptios vocantur ſigna, ſicut dicitur in Exod. Hac vice mittam ſuper te omnia ſigna mea. Et iterum, non audiet vos Pharao, vt multa ſigna fiant, vt habetur Exo. 11. Et ſimiles locutiones in multis aliis locis, non tamen poſſunt ibi accipi ſigna prout ſunt ſignificatiua alicuius rei, ſed prout ſunt quædam operationes admirabiles, ita ergo dici poteſt, quod accipiatur ſignum pro re admirabili, & erat, quod virgo in virginitate exiſtens conciperet, & pareret non ſuſcepto ſemine, & hoc mirandum Deus I dabat Iſraelitis. Iſte modus loquendi etiam frequentatus eſt in Nouo Teſtamento. Sic enim habetur Actu. 6. quod Stephanus plenus gratia, & fortitudine faciebat ſigna magna, & prodigia coram populo. Vbi neceſſario ſigna pro miraculis, & non pro rebus ſignatiuis aliarum rerum habentur. Sic enim dicitur Marci. 16. ſigna autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur, in nomine meo dæmonia eiicient, linguis loquentur nouis &c. Sed manifeſtum eſt, quod ſigna ibi pro mirandis operationibus ſumuntur. Satis ergo rationabile eſt ſic accipi in præſenti, & tunc nec dicitur ſignum ante rem ſignatam, nec poſt, cum non accipiatur ſignum pro eo quod eſt alicuius declaratiuum & corroboratiuum ſed pro miraculoſa operatione, quæ non habet ad aliquid reſpectum prioritatis, vel poſterioritatis.

Ad ſecundum argumentum, eſt quòd cum dicitur, quòd in Veteri Teſtamento, quando dabatur ſignum aliquibus ſanctis patribus, immediatè complebatur, ſicut patet de Abraham, & de Eliezer, & Gedeone atque ceteris, ergo debuit hic ſic fieri, ſed exponendo de Chriſto non ſtat.

Dicendum, quod Deus volebat dare regi Achaz aliquod ſignum corroboratiuum, & demonſtratiuum eius, quod euenturum prænunciabatur, & quod iſtud ſignũ præcederet rem ſignatam ſicut in ceteris ſanctis patribus fiebat, ipſe tamen malitia ſua demeruit, & fuit datum ſignum, quod eſſet poſterius, per quod non certificaretur de re ſignata, quamuis euentura erat. Et patet hoc quia Iſaias quando primo acceſſit ad Achaz denuncians ei, quod non eſſet id, quod conciliati fuerant duo Reges F ſcilicet, Phaceæ filius Romeliæ, & Raſin Rex Syriæ, nõ dixit ei ſignum, quod in litera habetur, ſcilicet. Ecce, virgo concipiet. ſed dixit. Pete tibi ſignum a Domino Deo tuo, ſiue in profundum inferni, ſiue in excelſum ſupra. Signum de profundo inferni erat, quod reſuſcitaretur aliquis mortuus, ſignum in excelſum ſupra erat, quod fieret aliqua mutatio notabilis in cælo. Et manifeſtum eſt, quod Deus vellet iſta agere. Nam cum ſuaderet Iſaias Regi Achaz, vt peteret aliquid iſtorum, manifeſtum eſt, quod ſi ipſe petiuiſſet fieri, quod fieret, alias enim mandatum illud, & perſuaſio prophetiæ deluſoria eſſet.

Si tamen fieret quodcunque iſtorum, ſiue de inferno, ſiue de excelſo ſupra, immediate fieret. Et ſic eſſet ſignũ datum præcedens res ſignatas. Quod autem ipſe Rex A- G chaz impedierit hoc, patet, quod cum Iſaias ſuaderet, vt peteret ſignum à Domino, ait, non petam, & non tentabo Dñm, & ob hoc iratus Deus non dedit ei ſignum, quod præcederet, & ſignaret atque roboraret quę immediate ſequi debebant, ſed dedit ei ſignũ, quod poſt multa tempora euẽturum eſſet. ſ. de natiuitate Chriſti ex virgine. Vel, vt alio modo loquamur, dedit ei non propriè ſignum, ſed magis prænunciauit aliquam rẽ mirabilem futuram. ſ. conceptum virginalem, & partũ. Et hoc quidem quamquam nihil attineret ad id, quod prædictum fuerat Regi Achaz de deſtructione conſilij duorũ Regum contra ipſum, cum dictum eſt, alias tamen dicendum erat, ſi ad nihil attineret.

Ad tertium argumentum, quando dicebatur, quod non poteſt intelligi de Chriſto, quia nos dicimus matrem Chriſti Virginem concepiſſe, & peperiſſe, hic tamen accipitur alma non pro virgine, ſed pro iuuencula. Reſpondendum eſt dupliciter, vno modo, ꝙ quamquam hic accipiatur alma, vt ſignificet iuuenculam, aliquando Virginem, aliquando corruptam, tamen ex hoc nihil infertur contra expoſitionem datam de natiuitate Chriſti. Nam quamquam iſta dictio, alma, interdum accipiatur pro corrupta, interdum tamẽn pro Virgine accipi poteſt, & ſic accipietur hic pro Virgine Maria, quamquam alibi aſſumatur pro iuuencula, quæ corrupta eſt. Hæc autem reſponſio eſt, ſi nos reſpondeamus Iudæis dicentibus non poſſe intelligi de natiuitate Chriſti, quia alma interdum ſignificat iuuenculam, quæ corrupta eſt. Si tamen nos arguamus contra eos debere neceſſario intelligi de B. Virgine; quia dicitur, ꝙ Virgo eſſe debebat illa, quæ conciperet atque pareret, ex hac dictione alma, poſſunt dicere Hebræi, quod non tenet argumentum, quia iſta dictio, alma, non ſolum ſignificat Virgines, ſed etiam ſignificat iuuenculas defloratas, & tunc ratio noſtra cõtra reſponſionem Iudæorum, ex hac parte non tenet. ſ. conceſſo, ꝙ alma aliquando ſignificat Virginem iuuenculam, aliquando corruptam. Dicendũ eſt ergo aliter, & conuenientius quod iſta dictio alma ſolũ accipitur hic pro Virgine, & alias vbi ponitur identidem pro virgine ſumitur.

Hoc autem conatur Nicolaus de Lyra probare, quoniam dicit iſtam dictionem alma ſicut hic ponitur, ſcilicet. He alma cum adiectione articuli, in tribus locis ſolum reperiri. ſ. hic & in duobus aliis ſeparatim, & ſemper pro virgine incognita viro accipi, ergo hic quoque K pro Virgine accipiendum eſt, & non pro adoleſcentula corrupta.

Primus locus eſt Geneſ. 24. de Rebecca, vbi dicitur, quod erat Virgo pulchra facie, & incognita Viro, & habetur ibi He alma, de Rebecca tamen manifeſtum eſt, quod Virgo erat.

Secundus locus eſt Exod. 2. cap. vbi dicitur de Maria ſorore Moyſis, quando ſtabat in ripa fluminis Nili attendẽs quid fieret de Moyſe, qui erat expoſitus in carrecto fluminis in fiſcella ſcirpea, & venit filia Pharaonis fecitque educi puerum, tũc ſoror Moyſis iuit, vt quęreret aliquam Hebræam, quæ nutriret infantulum, & dr̃ in litera, perrexit puella, & vocauit matrẽ pueri. Et in Hebręo ponitur He alma. Manifeſtum tamen eſt, ꝙ etiam in hoc loco ſignificat Virginẽ, quia ſoror Moyſis, adhuc parua

erat,

erat, & virgo, ſicut ergo in his duobus locis accipitur alma pro Virgine, ita & in hoc loco accipitur pro virgine.

Sed iſta arguatio non multum agit, nam ſiue ponatur in litera alma, ſiue He alma, non differt, quia vtrobique accipitur iſta dictio alma eodem modo. Quod autẽ anteponatur He alma ad ſignificationem nihil agitur, nec mutatur, ſed ad conſignificationem, quia iſta dictio He in Hebræo, eſt articulus, & non dictio principalis, articuli autem ad quandam conſignificationem ponuntur. ſ. quæ dictionem cuiuſdã quaſi relationis vel denunciationis eſſe ſignificant. Ideo ſi iſta dictio alma ſine articulo Virginem ſignificat, cum articulo quoque Virginem deſignabit, & è conuerſo ſi cum articulo deſignat iuuenculam corruptam, eodem modo deſignabit ſine articulo, nihil igitur differt an ponat alma, vel He alma.

Et etiam quia hæc dictio alma pro Virgine cum articulo, non ſolum in locis tribus Veteris Teſtamẽti reperitur, ſicut ait Nicolaus, ſed in multis locis. Sic. n. habetur Canticorum, c. 1. vbi dicitur, in odorem vnguentorum tuorum cucurrimus, adoleſcentulæ dilexerunt. vbi ponitur in Hebræo alma, & Rab. Sal. atque alij Hebræi dicũt, quód intelligit de Virginibus. Item Canticorum. 6. Sexaginta ſunt reginæ, & octoginta concubinæ, & adoleſcentularum non eſt numerus, & in Hebræo ponitur Almoth, quód eſt plurale huius nominis alma, & tamẽ ibi pro virginib. eodem modo accipitur ſecundũ Hebræos.

Et non ſolum hoc ex teſtimonio eorum patet, ſed ẽt neceſſarium eſt ſic dici, quõ fœminæ, quas ſuſcipiebat Salomon, diſtinguuntur in tres ſtatus. ſ. vxores, concubinas, & adoleſcentulas, ex quo patet adoleſcentulas Virgines dici. Nam feminæ, quas Salomon tenebat, aut erãt lege matrimonij, aut ſine aliquo fœdere. ſi autem erant copulatæ matrimonialiter, ſunt illæ, quæ vocantur reginæ, ſcilicet 60. ſi autem non fœdere copulatæ erant, aut erant virgines, quas nondum Salomon carnaliter cognouerat, aut erant cognitæ: ſi autem erant cognitæ, & tenebantur ab ipſo vocantur concubinæ, & iſtæ ſunt, quas vocat ſcriptura octoginta concubinas. Oportet igitur q̃cunque aliæ maneant illæ ſint virgines incognitæ, ſed iſtæ vocantur in litera adoleſcentulæ, & in Hebræo ponitur alma, ſiue almoth pluraliter, ergo neceſſarium eſt, vt accipiatur pro virginibus, Et ſic eſt in multis alijs locis Sacræ Scripturę.

Ad 4. rationem. Ad quartum argumentum quo dicebatur, quód in litera Iſaiæ ponitur. Ecce virgo concepit, & pariet filium, quia ponitur concepit in præterito, & pariet in futuro, ex quo innuitur, quód tẽpore huius denũciationis prophetiæ Iſaiæ, iam extiterat facta conceptio, ſed nondum partus, quod de Chriſto non poteſt intelligi.

Reſpondendum eſt, quód in hoc non eſt vlla vis arguendi, quoniam in Sacra Scriptura mutantur tempora frequenter, potiſſimè in prophetijs, quia Deus volebat, vt ſic Prophetæ loquerentur. Et hoc patet de eo, quod habetur Iſaiæ 53. cap. vbi loquitur Propheta de Meſſia, tam ſecundum diſpoſitionem Catholicorum, quam Iudæorum. Et loquitur de præterito, quaſi per totum cap. cum dicitur: Vidimus eum, & non erat ei ſpecies, nec decor, deſiderauimus eum deſpectum, & nouiſſimum virorum, virum dolorum, & ſcientem infirmitatem, & quaſi abſcõditus eſt vultus eius, & deſpectus, vnde nec reputauimus eum. Vere languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit, &c. Iudæi tamen exponunt iſta adhuc de Meſſia futuro. Ergo quamquam ponatur hic: Ecce, virgo concepit in præterito, poterat tamen intelligi de futuro.

Item potiſſime adhuc apparet hoc nihil confirmando teſtimonio Hebræorum, quoniam ipſi falſo exponũt, ſed adhuc ex litera ipſa Iſaiæ. Nam manifeſtum eſt, ꝙ quando Iſaias iſta verba de Meſſia prænunciauit, nondum venerat Meſſias, & tamen verba ſunt de præterito, ergo neceſſarium eſt, vt reducatur intellectus eorum ad futurum.

Item adhuc patet hoc magis, nam niſi intelligatur, ꝙ tempora in prophetis mutentur, includeret in ſe contradictionẽ, quod apparet ex eo, quod habetur Iſaiæ 53. cum dicitur, ſicut ouis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperuit os ſuum, de iudicio, & anguſtia ſublatus eſt. Ecce enim ponuntur verba de præterito, & futuro, & tamen impoſſibile eſt, vt intellectus horum non reducatur ad idem tempus, potiſſime, cum neceſſario ex litera pateat, illa pertinere ad idem tempus, cum dicatur. Et quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperuit os ſuum. Non aperire os ſuum, & obmuteſcere ad idem tempus pertinet, cum totaliter idem ſint, & tamen vnum ponitur in futuro, & aliud in præterito, ergo neceſſitatio ambo debent referri, & exponi per idem tempus, ſcilicet per futurum, de quo tota illa Prophetia intelligitur. Sicut ergo ibi ponitur præteritum, & futurum, & ambo reducuntur ad futurum, ita ponuntur hic in Hebræo duo tempora eadem, cum dicitur: Ecce, virgo concepit, & pariet filium, ergo eodem modo reduci poterunt, & debent ambo ad vnum tempus, ſcilicet ad futurum, vt dicatur ſecundum literam noſtram: Ecce virgo concipiet, & pariet filium.

Ad quintum argumentum, quando dicitur, quód non conuenit iſta Prophetia Chriſto, quia de iſto puero dicitur, quod vocaretur nomen eius Emmanuel, ſed nomen Chriſti non fuit Emmanuel, ſed Ieſus, vt in Hebræo vocatur, aliter appellatur Ioſua.

Reſpondendum eſt, quod mater Saluatoris noſtri, nec Angelus, qui prænunciauit nomen eius antequam in vtero conciperetur, nõ vocauit eum Emmanuel, ſed Ieſum, immo nec vocare ſic conueniebat, quia hoc dicere erat ac ſi nullum imponeretur ei nomen. Velut ſi cum aliquis naſceretur, parentes eius vocarent eum hominem. Nam hoc ei a natura inerat, nec oportebat, vt quiſquam tale imponeret nomen. Sic autem ſe habet ad redemptorem noſtrum, quod vocetur Emmanuel, ſicut ad nos, ꝙ vocemur homines.

Nomina alia à natura alia à voluntate. Pro hoc conſiderandum eſt, quód nominum quædã ſunt ab impoſitione, & voluntate noſtra, ita quod niſi impoſuerimus non eſſent, alia autem ſunt, quæ conueniunt per naturam, etiamſi nullus illa impoſuerit. Prima ſunt, vt Sortes, Plato, Petrus, & ſimilia. Nihil quidẽ iſta nomina ſignant, quod ſecundum naturam cõueniat ei, cuius ſunt nomina, ſed ſola voluntas noſtra cauſa impoſitionis horum nominum eſt.

Alia autem ſunt nomina, quæ ſecundum naturam conueniunt rebus, etiamſi nullus impoſuerit illa, ſicut nomina ſpeciei, vel generis. Cum enim aliquis naſcitur ab homine, nomen illius eſt homo, vel animal, & hoc eſt ſecundum naturam, ideſt ſecundum principia ſubſtantialia, quæ in eo ſunt. Sunt ergo aliqua nomina ſecũdum ſpeciem, aliqua autem ſecundum voluntatem, & impoſitionem. ſecundum impoſitionem voluntariam eſt hoc nomen Ieſus, quod Angelus prænunciauit. Nam quamquam in re ſic ipſe ſaluator eſſet, ſicut nomen ſuũ ſignificat, tamen voluntarium fuit, quod iſtud nomen poneretur, quoniam poterat aliquod alterum poni. Erãt enim alia nomina, quæ ei ſecundum naturam conueniebant, ſcilicet, quód vocaretur homo, quia verus homo erat, ſicut nos. Etiam erat nomen ſuum ſecundum naturam Deus, quia vere Deus erat, ſicut nos veri homines ſumus. Non igitur oportebat, vt aliquis ei iſta nomina imponeret, ſicut non oportet, vt cum nos naſcimur, aliquis nos homines vocet. Sed hæc numerentur in Chriſto per hoc nomen Emmanuel, ſignificat enim Emmanuel nobiſcum Deus, ſcilicet quia Deus eſt in natura noſtra, & hoc nihil aliud eſt, quam quod aliquis ſimul habeat duas naturas, ſcilicet diuinam, & humanam. Non igitur oportebat, quód iſtud nomen Emmanuel imponeretur Chriſto, quia ſibi inerat. Et quando Propheta dixit, & vocabitur nomen eius Emmanuel, non voluit deſignare, quód iſtud nomẽ Emmanuel imponeretur Chriſto, ſed quod ipſe eſſet Deus, & homo ſimul, ſecundum quód conueniret ei iſtud nomẽ Emmanuel, quamquam nullus illum ſic vocaret.

Ad 6. argumentum, cum dicitur, quód de iſto puero naſcituro dicitur, quod butyrum, & mel comedet, vt

ſciret

ſciret reprobare malum, & eligere bonum, & quia iſtæ ſunt diſpoſitiones ad intelligendum acutius: de Chriſto tamen hoc negamus, quia dicimus ab inſtanti conceptionis ſuæ fuit ſapientia plenus, & non didiciſſe per tempora.

Dicendum, quòd quantum ad hoc, quod eſt comedere butyrum, & mel qualiter ſe habeat ad intelligere, & qualiter iſta in Chriſto fuerint, poſtea in ſecunda particula huius dicetur.

Ad aliud tamen, quòd eſt Chriſtum in tempore didiciſſe, vel non.

Reſpondendum eſt, quòd conſideratur dupliciter, aut quantum ad realitatem, aut quantum ad apparentiā. Quantum ad apparentiam quidem dicendum, eſt quòd Chriſtus proficiebat in ſapientia, quia à primordio ætatis ſuæ, vſque ad maturam ætatem, in qua prædicare cœpit, ſemper viſum eſt, quod proficeret in ſapientia. Sic apparet Lucæ 3. cap. cum dicitur. Et Ieſus proficiebat ſapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & homines, ideſt videbatur proficere in omnibus iſtis, quia quotidie ibat per continuos ſucceſſus, ſcilicet quantum de ætate accipiebatur, tantum & de virtute.

Et conſiderandum eſt, quòd eſt quædam ſcientia in intelligentia, ſecundum quod per intellectum aliquid cognoſcimus, eſt alia in experientia.

Accipiendo primo modo dicendum eſt, quòd Chriſtus non proficiebat, quia, ab inſtanti ſuæ conceptionis fuit perfectus in omnibus, quę poſtea intellexit. Si autem accipiatur pro ſcientia, quæ eſt in experientia, dicēdum eſt, quòd Chriſtus vere addiſcebat. Nam quamquam ipſe cognoſceret quantus futurus eſſet labor, aut dolor in eis, quæ paſſurus erat, tamen quantum ad experientiam neſciebat quantus dolor eſſet, quia nullum vnquam dolorem, aut laborem paſſus fuerat. Et quia quotidiani ei labores atque dolores eueniebant, neceſſarium erat, vt quotidie plura ſciret. Sic habetur ad Hebræos. 5. c. cum dicitur. Etenim cum Dei filius eſſet, didicit ex eis, quæ paſſus eſt, obedientiam.

Ad 7. argumentum quando dicitur, quòd Iſaias de hoc puero in ſequenti capitulo, ait, antequam ſciat puer vocare patrem, & matrem, auferetur fortitudo Damaſci: Sed non poteſt intelligi de Chriſto, ſecundum quòd nos dicimus, quia tunc eſſet aliquod tempus, in quo Chriſtus neſciuiſſet vocare patrem, & matrem. Reſpondendū eſt iſtud Propheticum dictum ſatis ſtare conuenienter. Nam quamquā Chriſtus ſecundum quòd Deus ab æterno eſſet, tamen nō fuit homo ab æterno, quia in tempore aſſumpſit humanitatem, & quia antequam ipſe aſſumpſiſſet carnem noſtram, deſtructā fuit Damaſcus, ſcilicet non multis temporibus poſtquam dicta ſunt iſta ad Regem Achaz, verū eſt, quòd antequam ſciat vocare puer patrem, aut matrem, auferetur fortitudo Damaſci. Et non ſolum antequam ſciret vocare, immo antequam eſſet ille puer, ideſt in natura humana aſſumpta, et vocaret patrē, & matrem. Reſpondebitur non eſſe inconueniens, quia cum fuerit aliquod tempus, in quo Chriſtus inquantum homo nondum erat, & nec mater ſua, nullatenus erat impoſſibile, ꝙ neſciret vocare patrem, aut matrem.

Item adhuc dicendum eſt, quòd poſtquam Chriſtus homo natus de Virgine eſt, nō ſemper ſciuit vocare patrem, & matrem, prout ſcire quandam experientiam vocat. Nam quamquam anima Chriſti ab inſtanti conceptionis plena eſſet omni ſapiētia, & ſciret formare quaſcunque voces, tamen Chriſtus aliquo tempore fuit, quo voces non formauit, ſcilicet, ꝙ quamquam ſciret loqui, tamen non locutus fuit immediate, vt natus eſt, ſed eo tempore, quo alij loqui ſolent, & hoc fuit propter duo, primo quia ad hoc, ꝙ aliquis loquatur, oportet quòd ſit aliqua conceptio in intellectu, quam per vocem exprimere velit mediante potentia interpretatiua. Oportet etiam eſſe alterū, ſcilicet ꝙ in organis locutionis ſit conueniens diſpoſitio ad formandam vocem. In Chriſto autem à principio quamquam vnum eorum eſſet, ambæ tamen perfectæ non erant, ſicut patet intuenti. Secundū, propter ꝙ Chriſtus à principio ſuæ natiuitatis loqui non

F debuit, dato ꝙ potuiſſet: fuit, quia ſecundum naturæ conditionē nemo a principio loquitur articulata verba depromēs, quamquam prolatum emittat, quæ vox articulata iter eſt omnium vocamentorum prouenientium ex ipſa conditione mortalitatis. Ad formandum autem articulatam vocem aliqua determinata conceptio requiritur, & non ſolum diſpoſitio in organis vocalibus, ſed etiam diſpoſitio in organis phantaſticis, vt ſint ibi conceptiones ſpecierum, per quas tanquam per quædam media incorporalia prompte, & pure ſpecierum deriuetur conceptio intellectus noſtri in vocem. Ad hoc autem tēpus aliquantum requiritur. Vnde à principio nullus poteſt habere organa phantaſtica diſpoſita, ita vt voces formare poſſit, ideo vires naturæ excedit aliquem hominē loqui poſſe quando natus ſit, ſed vſque ad aliquantum tempus. Quod quidem non eſt valde paruum, vt ſatis apparet. In quibuſdam autem priuſquam in alijs eſt ſe-

G cundum varietatem diſpoſitionis organorum phantaſticorum, & ſecundum communicationem aliquorum, qui infantulum ad formandas voces magis, aut minus erudiant. Chriſto ergo non conueniebat, vt à primordio natiuitatis ſuæ loqueretur. Nam cum hoc eſſet ſupra vires, aut præter communem modum aliorum naturaliter agentium, Iudæi videntes hoc exiſtimaſſent Chriſtū aliquid monſtruoſum eſſe, & deuitaſſent eum ſemper concepta de eo mala opinione, quod non conueniebat, ergo non locutus fuit à principio. Patet etiam hoc. quia Lucæ 3. cap. dicitur, Ieſus autem creſcebat ſapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & homines, ideſt quòd videbatur quotidie gradualiter creſcere, ſi tamen Chriſtus à princi-

H pio locutus fuiſſet cum natus eſt, non videretur creſcere quotidianis argumentis in conſpectu hominum, ſed ſimul accepiſſe magnam ſapientiam. Ideo dicendum eſt, quòd Chriſtus non locutus eſt immediate, vt natus eſt, & ſic ſatis patet ad iſtud argumentum.

Ad 8. argumentum, quando arguebatur, quòd nō poſſet intelligi de Chriſto, quia Iſaiæ 8. c. dicitur antequam puer ſciat vocare patrem, vel matrem, auferetur fortitudo Damaſci, ergo iſte puer patrem, & matrem habebat, quod de Chriſto non conceditur. Reſpondebit fortaſſis quiſpiam, quòd Chriſtus patrem, & matrem habebat, quia pater ſuus erat Deus, mater autem beata Virgo, ſed hoc non applicatur, quia quandocunque aſſignatur alicuius pater, & mater, aſſignatur ſecūdum eandem generationem, & natiuitatem, ita quòd iſta duo ſint, tanquam

I duo principia eiuſdem geniti concurrentia in vnitatem principij agentis, ſed Deus, & Virgo Maria non concurrunt in vnitatem principij agentis in eadem generatione, ſed Deus eſt pater in generatione æterna, in qua nulla eſt mater, & beata Virgo eſt mater in generatione humana, in qua nullus eſt pater. Non ergo poteſt dici habere Chriſtus patrem, & matrem ſecundum modum loquendi noſtrum, quia non habet eos ſecundum idem.

Item quoniam ſi daremus Chriſtum iſto modo habere patrem, & matrem, non poterat applicari dictum propheticum. Erit namque falſum, & tunc non ſtabit, quòd antequam puer ſciat vocare patrem, & matrem auferetur fortitudo Damaſci. Nam iſte Chriſtus filius Dei ab æterno ſciuit vocare patrem ſuum Deum, cum ſit eius perfectiſſimum, ergo prius ſciuit vocare patrem & matrem,

K antequam auferretur fortitudo Damaſci, ergo non accipitur iſto modo Chriſtus accipere patrem, & matrem.

Item, quia in litera Iſaia 8. c. dicitur: Antequam puer ſciat vocare patrem, & matrem &c. ergo iſte, qui aliquādo neſciebat vocare patrem, & matrem, erat puer, ſed Chriſtus ſecundum quod puer nō habet patrem, & matrem, quia Chriſtus vt homo ſolam matrem habuit, ergo iſte puer ſic acceptus habere patrem & matrem non poteſt. Et ſi accipiatur, vt habet patrem, & matrem, iam non vocabitur puer, quia non eſt ſecundum vtrunque puer: vllatenus igitur non poteſt ſtare iſtā ſolutio. Dicendum igitur eſt, ꝙ iſte puer, de quo hic dicitur, eſt Chriſtus, & de hoc intelligitur, quòd antequam ſciret vocare patrem, & matrem auferretur fortitudo Damaſci, ſicut ſupra dictum eſt, & expoſitum iſte tamē, vt puer habuit

patrem,

patrem, & matrem, quia matrem veram habuit, ſcilicet virginem benedictam, patrem autem ſecundum carnem nullum habuit, tamen ab omnibus putabatur habere patrem. Aliqui namque de fornicatione eum natum exiſtimabant putantes, quòd Ioſeph vir Mariæ non erat potens generare præ ſenectute, & ſic, quaſi per improperiũ eum ex fornicatione natum dicebant, vt cum ſemel Iudæi reſponderunt ei, dicentes: Nos ex fornicatione nati non ſumus, quaſi dicerent, tu es natus ex fornicatione, & nos nequaquam. Alij autem melius de Beata Virgine exiſtimantes, dicentes, Chriſtum eſſe filium Ioſeph, & iſta erat communis opinio. Sic habetur Luc. 3. cum dicitur: Erat Ieſus incipiens, quaſi annorum triginta, vt putabatur, filius Ioſeph, & alibi eum vocabant filium fabri, ſcilicet filium Ioſeph, qui erat faber lignorum. Propheta autem quantum ad hoc non curauit multum attendere veritatem, ſed magis opinionem, dicens: antequam ſciret vocare patrem, & matrem. Et cauſa huius eſt, quia intentio principalis non fundatur in hoc, ideo non curauit radicem veritatis, ſed opinionem, ſi tamen ſcriſſet id, quod principaliter intenderet Propheta, poſuiſſet veritatem rei, non curans de opinione. Et ſic patet ſolutio ad argumenta Iudæorum, tam quæ faciunt, quam quæ facere poſſunt.

Hebræorũ interpretatio loci Iſaiæ, ecce virgo cõcipiet.

Tertia pars, & vltima huius primæ particulæ eſt de expoſitione Iudæorum circa iſtam Iſaiæ auctoritatem, & ipſi non exponunt omnes concorditer. Nam aliqui exponunt de rege Ezechia, dicentes, quòd iſte fuit genitus de quadam puella, quæ vocatur alma, quia paruæ ætatis erat, & hoc fuit datum in ſignum regi Achaz, quòd vxor ſua conciperet, & pareret, & vocaretur nomen eius Emmanuel. Et ad hoc agere videtur id, quod habetur Iſaiæ octauo capitulo, ſcilicet, & erit extenſio alarum eius operiens latitudinem terræ tuæ o Emmanuel! Ezechiæ enim hoc propriè conuenit, quia ipſe fuit filius regis Achaz, & ſucceſſit ei in regnum, atque dominatus eſt toti terræ Iudeæ, cuius latitudinem impleuerunt alæ regis Aſſyriorum, de quo ibidem agitur. De iſto etiam ſatis applicatur, quod poſtea ſequitur: Butyrum, & mel comedet, vt ſciat reprobare malum, & eligere bonum. Nam ille qui erat filius regis, nutriebatur delicatè, & dabantur ei alimenta, quæ eſſent conuenientia ad diſponendum phantaſiam, & cetera organa interiora, quæ requirit intellectus ad ſubſeruiendum ſibi, vt ſic intelligere valeat conuenienter, & his habilitabatur ad ſciendum iudicare, quòd bonum eſſet, & reprobandum, quod malum eſſet.

Sed iſta expoſitio non videtur ſtare conuenienter. Primo, quia in principio literæ Iſaiæ dicitur: Dominus ipſe dabit vobis ſignum, ſiue ergo accipiatur ſignum pro aliqua re miraculoſa, ſicut eſt modus loquendi in Sacra Scriptura, ſiue prout eſt ſignificatiuum futurorum, non conuenit aliquo horum modorum, quia conceptio, & partus regis Ezechiæ non fuit penitus admirabilis, cum concedatur, & aſſeratur ab ipſis Iudæis modo naturali factus. Nec accidit aliquod alterum in illius conceptione, & partu, quam in aliorum conceptionibus euenire ſolet. Non igitur erat ſignum, ſed erat admirãdum aliquid. Nec erat etiam ſignum, prout eſt ſignatiuum, & corroboratiuum eorum, quæ Deus daturus erat, & promittebat regi Achaz. Nam ea, quæ naturaliter fiunt non ſunt ſigna eorum, quæ ſupernaturaliter accidunt, cum non habeãt aliquam cohærentiam cum illis, niſi in quantum Deus dat illis, quod ſint ſigna. Nam ſi aliquid naturale eſſet ſignum eorum, quæ ſupernaturaliter accidunt, cum in omnibus naturalibus æqua applicatio ad Deum ſit, cum omnia æqualiter à Deo proueniant, fieret, vt omnia naturaliter facta, aliquorum ſupernaturalium ſigna forent, quod inconueniens eſt. Naturalia ergo ſupernaturalium operationum, aut eorum, quæ Deus ſe facturum promittit, ſigna non ſunt.

Rab. Salomõ volens aſſignare in hoc quomodo ſignũ propriè aſſumitur, dicit ꝙ hic erat aliquod miraculum ſecundum quod iſta conceptio pueri, quę hic dicitur eſſet ſignum eorum, quę Deus promittebat regi Achaz. Et dicit, quod quamquam iſta conceptio, & partus pueri fuerit naturaliter contingens, tamen miraculum fuit, ꝙ prædiceretur ſexus pueri naſcituri. Nam dictum eſt, quod naſceretur filius, & vocaretur nomen eius Emmanuel, ſed cognoſcere, an eſſet maſculus, vel fœmina antequam naſceretur, miraculum quoddam erat.

Ad hoc dicendum eſt, quòd non poteſt ſtare. Nam quamquam apud vulgares hoc incognitum ſit, qui de ſecretis naturæ nihil inueſtigant, apud eos tamen, qui ſapientes tam inter Philoſophos, quam inter medicos ſunt de hoc aliqua cognitio eſt. Sunt enim aliqua ſigna, per quę hoc cognoſcitur, & ponit ea Arnaldus de villa noua in quodam libello, quem de embrione confecit.

Et ſi forte arguas, quòd quamquam medici hoc cognoſcant per coniecturas, per certitudinem tamen non cognoſcunt.

Dicendum tamen, ꝙ hoc non multum differt, & tamẽ ſi adhuc ad hæc attendere vellemus, dicendum eſſet, ꝙ quamquam homines plene non cognoſcant, tamen dęmones hoc nouerunt certitudine, quoniam omnia naturalia cognoſcunt. Nihil tamen ipſi vltra cognitionem naturalem habẽt, cum in verbo nihil cognoſcant, quia hæc cognitio eſt præmium beatorum.

Sed adhuc obijcies iſta nihil eſſe, ac ſemper miraculũ eſſe, ꝙ ſexus pueri naſcituri prædiceretur. Nam quando aliquis eſt in vtero, cognoſci poteſt a Medicis, vel Philoſophis an maſculus vel ſemella ſit, ante deciſionem tñ ſeminis nemo nouit naturaliter. Repugnat enim naturæ, vt rem non exiſtentẽ in natura ex principijs naturæ quis cognoſcat, ſic ergo eſſet de puero iſto, quod eſſet miraculum prædicere ſexum eius antequam eſſet in vtero.

Ad hoc reſpondendum eſt, ꝙ miraculum quidem eſt ſi antequam quiſquam concipiatur aliquis per certitudinem denunciet de illo, quòd erit, & quod erit maſculus, vel ſemella. Et hoc modo, nec quiſquam homo nec dęmon, niſi a Deo certificatus prænunciare poteſt. Hoc autem non applicatur ad propoſitum ſecundum intentionem Iudęorum, quia ipſi dicunt tempore huius locutionis ad Achaz conceptionem factam fore, cum dicat litera in Hebræo: Ecce, virgo concepit, & pariet filium. Exiſtẽte autem fœtu in vtero ſatis cognoſci poteſt de ipſo ſecundum modum ſuprapoſitum an ſit maſculus, vel ſemella, ſiue accipiatur ſecũdum cognitionem hominum, ſiue ſecundum cognitionem dęmonum, ergo non erat miraculum ex fundamento ſuo, quòd cognoſceretur ſexus pueri naſcituri, & ſic non eſſet ſignum.

Item non videtur cõuenienter aſſignatum, ꝙ natiuitas pueri huius eſſet ſignum, & conceptio iuuenculæ illius, ſi poneretur iuuencula pro puella corrupta. Nam tunc cum omnes feminę ſic concipiant, & pariant cum corruptæ fuerint, non videtur eſſe miraculum nec ſignum aliquod, niſi pro aliqua ſpecialiter aſſumatur. Si autem ponatur pro virgine, ſicut litera noſtra ponit, quæcunque illa virgo ſit, quæ in virginitate exiſtens concipiat, miraculum erit, & non oportet explicare, quæ virgo illa ſit, ſed hic nihil determinatur, quæ mulier iſta fuerit, ergo oportet ꝙ aſſumatur pro virgine, & non pro corrupta.

Item non conuenit, quod exponatur pro Rege Ezechia, quia iſtud ſignum prædictum eſt futurum, ſcilicet: Ecce, virgo concipiet, & pariet filium. Sed manifeſtum eſt, quod quando iſta dicta ſunt, Ezechias natus erat, & habebat annos tredecim, vel nouem ad minus. Quod patet, quia Achaz pater Ezechiæ regnauit annis ſexdecim in Iuda, vt patet 4. Regum. 16. capitulo, & Ezechias erat 25. annorum cum regnare cœpiſſet, vt patet 4. Regum 18. cap. ergo in anno, quo cœpit regnare Achaz, erat Ezechias annorum 9. ergo dato, quòd in eodem anno dicta fuiſſent iſta verba ad Achaz, iam natus eſſet Ezechias, & haberet annos nouem. Potiſſimè, quia multi Doctores in hoc concordant, quòd iſta verba dicta fuerunt in anno 4. Regis Achaz, & tunc Ezechias eſſet tredecim annorum, & ſic quomodocunque ponatur, erit natus hoc tempore, quo iſta verba dicebantur ad Achaz, quod eſt contra literam, cum dicatur in ea, & pariet filium.

Item non poteſt ſtare, quia repugnat ei litera, quæ habetur Iſaiæ 8. c. ſcilicet, antequam ſciat puer vocare patrem & matrem, auferetur fortitudo Damaſci. ſed manifeſtum, quòd antè ſciuit loqui Ezechias, quam auferretur fortitudo Damaſci, & vocare patrem, & matrem, quia dato, quòd fortitudo Damaſci ablata fuiſſet immediatè, vt dicta ſunt iſta verba ad Achaz, iã Ezechias ſciret vocare patrem & matrem, cum in tempore, quo iſta verba dicta ſunt, eſſet Ezechias annorum nouem ad minus, vt ſupra probatum eſt, non igitur poteſt intelligi de Ezechia. F

Alia eſt poſitio circa hoc Rab. Salomonis, & quorundam aliorum Iudæorum, ſcilicet quòd nõ fuit iſte puer, de quo hic dicitur, Ezechias, ſed filius Iſaiæ. & probat, quod non fuerit Ezechias, quia iam natus erat. Sed dicunt de filio Iſaiæ, quod Iſaias tunc acceſſit ad vxorem G ſuam, & cognouit eam atque conceperit. Et hoc manifeſtatur ſequenti capitulo, cum dicitur: Et acceſſi ad Prophetiſſam, & concepit, & peperit.

Sed iſta poſitio ſtare non poteſt, quoniam patitur eadẽ inconuenientia, quæ ſuperior poſitio, quamquam non omnia illa. Et patet, quia non poteſt conuenienter poni tanquam ſignum iſta natiuitas, & cõceptio pueri huius aliquorum, quæ Deus facturum ſeſe promittebat: Nam iſta natiuitas, & conceptio nullo modo erat miraculoſa, ita vt eſſet conueniens teſtimonium rerum quas Deus facturus eſſet.

Et ſi dicatur, ſecundum quòd dicit Rab. Salom. quod erat ſignum illarum rerum, & miraculum, cum prædiceretur hic ſexus pueri futuri.

Dicendum eſt, quòd non poteſt ſtare, ſicut ſupra pro- H batum eſt, quod in cognitione hac miraculum nullum erat.

Item Rab. Salom. applicat auctoritatem Iſaię, quę habetur 8. c. vbi dicitur: Antequam ſciat puer vocare patrem, & matrem auferetur fortitudo Damaſci, & ſpolia Samariæ coram Rege Aegyptiorum, & Aſſyriorum ſcilicet, dicens, quòd paulo poſt quam iſta dicta ſunt, quæ habentur in 7. c. Iſaiæ, ad ipſum Regẽ Achaz venit Rex Aſſyriorum in Damaſcum, & abſtulit fortitudinem eius occidens Regem eius Raſin, & tranſtulit populum eius in Cirenem. De Samaria autem, quæ ad Regem Iſrael, ſ. ad Phacee pertinebat, dicit, quod paulo poſt coniurauit Oſee filius Hela contra Phacee, & occidit eum atque regnauit, & ſic potuerunt iſta facta eſſe antequam puer ille filius Iſaiæ ſciret vocare patrem, & matrem. Sed hęc I non poſſunt ſtare, quoniam Rab. Salo. præſupponit, & aſſerit fuiſſe natum hunc filium Iſaiæ, qui vocatur Emmanuel anno quarto, vel quinto Regis Achaz, quo ſuppoſito non poſſunt ſtare, quæ ipſe applicat. Nam dicit, quòd eodem anno, quo mortuus fuit Raſin Rex Damaſci a Rege Aſſyriorum coniurauit Oſee filius Bela contra Phacee, & occidit eum, ſed Oſee regnare cępit anno duodecimo regni Achaz, ergo in iſto anno fuit mortuus Phacee Rex, & Raſin Rex Damaſci, ergo, quando iſti mortui fuit, erat iſte puer, qui vocatur Emmanuel annorum octo, vel ſeptem ad minus, quia eum natum dicit in anno quarto, vel quinto regni Achaz. Sed ante annũ octauum, & ſeptimum pueri ſciunt vocare patres, & matres, ergo non poteſt ſtare iſta expoſitio, cum litera dicat auferendam fortitudinem Damaſci, antequam puer ſci- K ret vocare patrem, & matrem.

Item non poteſt ſtare iſta expoſitio, quia in litera eiuſdem 8. cap. dicitur, antequam puer ſciat vocare patrem ſuum, & matrem ſuam, auferetur fortitudo Damaſci, & ſpolia Samariæ coram Rege Aſſyriorum. ſed ſpolia Samariæ non accepta fuit a Rege Aſſyriorum ante annũ nonum regni Oſeæ, vt patet 4. Regum 17. cum dicitur, quod Rex Aſſyriorum aſcendit Samariam, & obſedit eã tribus annis, anno nono Oſeæ Regis Iſrael cepit Rex Aſſyriorum Samariam, & tranſtulit Iſraelem in Aſſyrios, ergo vſque nonũ Oſeæ adhuc iſte puer qui vocatur Emmanuel neſciebat vocare patrem, & matrem, ſcilicet in iſto tempore puer, qui erat filius Iſaiæ, & vocatur Emmanuel ſecundum Rab. Salomonem.

Sed nõ ſtabit ſecundum eum, quia tũc eſſet ille puer decem, & ſeptem annorum, in quo tempore ut minus dubium eſt eſſe homines diſcretionis, Hoc probatur, quia vt ipſe dicit, iſte puer natus eſt anno quarto, vel quinto regni Achaz, à quo tempore vſque in annum duodecimum eius quando cępit regnare Oſee in Iſrael tranſierunt anni octo, & poſtea tranſierunt nouem anni regni Oſeæ vſquequo accepta ſunt ſpolia Samariæ à Rege Aſſyriorum, qui ſimul ſumpti ſunt decem, & ſeptem, ergo tot annorum eſſet Emmanuel illo tempore, quo accepta ſunt ſpolia Samariæ ad minus. Non poteſt ergo vllatenus ſuſtineri iſta poſitio Rab. Salo. circa iſtam auctoritatem: Ecce, virgo concipiet &c.

Alia eſt poſitio quorundam Iudæorum, quam tenet Rabbi Dauid, qui vocatur Kimhi, ꝙ iſte, qui genitus eſt, atque vocatus Emmanuel, non fuit Ezechias, ſicut ſupra probatum eſt, nec etiam fuit filius Iſaię, ſicut tenet Rab. Salo. ſed fuit filius Regis Achaz, non tamen Ezechias, ſed aliquis alius, & non fuit ex illa vxore, ex qua ſuſcepit Ezechiam, ſed ex alia, quæ eſſet adoleſcentula. Et probat contra Rab. Salomonem, quoniam ſi intelligeretur de filio Iſaiæ diceretur hic: Ecce Prophetiſſa concipiet, & pariet filium, ſicut 8. cap. Iſaię cum agatur de eadem, vt ipſe intelligit, dicitur, & acceſſi ad Prophetiſſam, & concepit, & peperit. Itemque in litera dicitur: Ecce, virgo concepit, & pariet, ex quo videtur, ꝙ ille, qui vocandus erat Emmanuel in vtero conceptus erat, quando iſta dicebantur ad Achaz, ſed de vxore Iſaiæ dicitur poſtea: Et acceſſi ad Prophetiſſam, & concepit, & peperit, ergo non poteſt de illa intelligi.

De hoc ad nos nihil attinet, an bene impugnet Rab. Salo. conſtat namque vtrumque errare, ſecundum veritatem tamen argumenta iſta nihil ſunt. Poterat tamen ſolidius argui contra poſitionem Rab. Salomonis, ſcilicet ꝙ non poſſit intelligi de filio Iſaiæ, quia ipſe ſit Emmanuel. Nam Iſaiæ 8. c. cum dicat de Rege Aſſyriorum poſſeſſurum regnum Iudææ, dicitur: Et erit extenſio alarum eius implens latitudinem terrę tuæ o Emmanuel. Ergo terra Iudææ erat ipſius Emmanuel, ſed filius Iſaiæ nihil horum poſſedit, ſicut nec pater ſuus Iſaias, ergo non eſt ipſe, qui vocatur Emmanuel. Dicit autem Rabbi Dauid Kimhi de iſto filio Regis Achaz intelligi totam iſtam auctoritatem Iſaiæ, applicando eam, ſicut applicabat Rabbi Salo. loquens de filio Iſaiæ.

Sed omnia eadem inconuenientia, quæ ponebantur ſupra, ſequi ad poſitionem Rabbi Salomonis de filio Iſaiæ, ſequuntur ad iſtam, & quædam eorum, quæ ſequebantur ad poſitionem de Rege Ezechia, quoniam in Conceptione, & Natiuitate iſtius nullum miraculum fuit, ita vt ipſe eſſet ſignum eius, quod Deus prædicebat.

Item ea, quæ inducebantur de 8. c. Iſaiæ, ſcilicet antequam ſciat puer vocare patrem ſuum, & matrem auferetur fortitudo Damaſci. Nam cum iſte ponatur natus ex tempore, quo ponebat Rabbi Salo. natum filiũ Iſaiæ, ſequuntur eadem inconuenientia de tempore.

Item, quia eodem 8. c. dicitur. Et erit extenſio alarum eius implens latitudinem terræ tuæ Emmanuel, ſed nullus filios Achaz præter Ezechiam poſſedit regnum Iudæ, ergo non poterat dici de aliquo filio Achaz, ꝙ ipſe eſſet Emmanuel, nec terra illa eſſet ſua, alia quoque induci poſſent. Reſtat igitur iſtam tertiam poſitionem Iudæorum inconuenientem eſſe, ſicut ceteras, manere ſola expoſitione de Chriſto, ſicut exponit beatus Matthæus, & eo modo, quo ſuperius proſecuti ſumus. Et ſic eſt huius primæ particulæ finis.

Secunda autem huius inquiſitionis particula eſt quomodo accipiendum ſit, quod idem Propheta in præpoſita auctoritate ſubiunxit, dicens: Butyrum, & mel comedet, vt ſciat reprobare malum, & eligere bonum. Hęc autem breuiſſime determinanda eſt.

Inquiſitio 2. huius operis. ſ. quo intelligi debeat, quod ſub intulit Propheta. ſ. butyrũ & mel comedet.

Iudæi hãc particulã ad ſuperiores cõtinuantes dicũt, ꝙ iſte puer, q̃ naſciturus erat, & vocãdus Emmanuel, futurus erat magni iudicij, ideo in tenera ętate dabatur ei butyrũ, & mel in cibũ, vt diſponeretur ad acumẽ ingenij. Nam alimentorũ qualitates ad hoc multũ cõferunt.

Nobis

Nobis autem aliter hoc exponendum eſt, nam iſtam auctoritatem, cum neceſſe ſit ſub eodem contextu totam eſſe, oportet totam ad idem, & de eodem exponi, ſed de Chriſto priora expoſuimus. Neceſſarium eſt igitur, vt hanc quoque particulam ad eundem referamus, vnde niſi huius literæ tenorem in parabolico ſenſu ſequeremur, neceſſarium eſſet Chriſtum dici ſæpe comediſſe butyrum, & mel, quod fortaſſis non oportet concedi, quanquam nihil de Chriſti perfectione diminuit, quod mel, & butyrū comederit, non tamen videretur aliquod magnum, vt Chriſtus mel, & butyrum comederet, nec tale quid prophetia narratu dignum duxiſſet, ſed ad aliquod aliud tendere videtur, potiſſime quoniam quamquam ſatis bene ſit ſedemptorem noſtrum Ieſum Chriſtum comediſſe butyrum, & mel, tamen comediſſe illa, vt ſciret reprobare malum, & eligere bonum, non eſt conueniens, quia tunc videretur, quod Chriſtus indigebat aliquibus diſpoſitionibus naturalibus ad hoc, quod haberet ingenium acutius ad intelligendum, quod falſum eſt. Nam Chriſtus Deus erat, & nihil vnquam addiſcere poterat, cum omnia ſciret. Et quamquam dicatur Lucæ 2. quod Ieſus proficiebat ſapientia, & ætate apud Deum, & homines, non intelligitur ſecundum rem, ſed ſecundum apparentiam. Ad hoc autem, quod Chriſtus ſic videretur proficere in ſapientia, non erat neceſſarium butyrum, & mel, ſed ſi vere profecere debuiſſet. Non ergo concedendum eſt, quod comederit butyrum, & mel, vt ſciret reprobare malum, & eligere bonum.

Ad hoc autem euidentius cognoſcendum, attendendum eſt, quoniam præter ſenſum allegoricum, tropologicum, & anagogicum, qui vocantur tropici, vel myſtici, & differunt a literali, aut hiſtorico, in Sacra Scriptura, præcipue in Prophetis, eſt quidam alius ſenſus, qui videtur eſſe allegoricus, tamen non eſt, ſed eſt vere literalis, videtur tamen myſticus, quia non eſt, quod litera in cortice præfert, ſed quidam longe diſtans, quia quem litera ſecundum corticem ſuum ibi facit, non eſt literalis, ſed parabolicus, qui autem latet ſub cortice, eſt hiſtoricus, vel literalis. Sic patet in libro Iudicum cap. 9. de parabola, quā poſuit Ionatham de lignis ſyluæ, ſcilicet vngentibus ſuper ſe Regem. Idem patet 4. Regum cap. 14. de cedro libani, & carduo, qui loquebantur ad inuicem. Simile patet Iſaiæ. 11. cap. vbi dicitur, quod leo paleas comedet, & quod lupus, & agnus accubabunt ſimul, & de ablactatis mittentibus manus ſuas in cauernas regulorum. Hoc autem apud omnes Prophetas vulgatiſſimum eſt, ita vt ferè plura in parabolis, quam ſine parabolis loquantur. Ea tamen, quæ ſecundum parabolam proferuntur, non ſunt ſecundum corticem literæ accipienda, nec, qui ea protulit, ſic intellexit, ſed ad alium valde diſtantem ſenſum. Sic igitur hic in dictis Iſaiæ quidam parabolicus modus aſſumendus eſt, vt non ſit ſenſus, quod Chriſtus butyrum, & mel comedere debuiſſet, vt ſciret reprobare malum, & eligere bonum, ſed aliquid alterum importent. Pro quo ſciendum eſt, quod ſenſus Prophetæ eſt, quod Chriſtus, de quo litera iſta intelligitur, eſſet nimis intelligens, & differenter ab omnibus alijs, quia alij erant puri homines, ipſe autem Deus, & homo erat, quod deſignat Emmanuel, ſicut in præcedentibus dictum eſt. Et quemadmodum Deus omnia nouit, ita etiam Emmanuel omnia cognoſciturus erat, & vt hoc ſignaretur, poſita fuerunt de eo quædam ſigna, ſecundum quæ alij homines ad ſciendum diſponuntur, ſcilicet comedere mel, & butyrum, ita vt intelligatur, butyrum, & mel comedet, vt ſciat reprobare malum, & eligere bonū, i. valde erit ſciens eligere bonum, & reprobare malum, ac ſi comedißet multū de melle, & butyro.

Ad hoc autem aduertendum eſt, quod magis, aut minus acutius, aut hebetius intelligere prouenit ex acumine intellectus, acumen autem intellectus conſiſtit in duobus, primo in quodam lumine intellectus agentis, ſecundo in diſpoſitione organorum phantaſticorum ſubſeruientium intellectui. Lumen intellectus agentis dicitur quædam virtus, ſecundum quā intellectus noſter ſe reducit de eſſe in potētia ad intelligēdū ad actualiter

A eſſe intelligentem ſecundum Ariſtotelem 3. de Anima, ſcilicet, intellectus agens eſt, quo omnia facere, intellectus poſſibilis eſt, quo omnia fieri. Iſta virtus, ſecundum quam intellectus noſter, qui eſt totus idem ſine numero reducit ſe ad actum intelligendi, eſt in quibuſdam maior, in quibuſdam minor. Et ſic poteſt homo magis ſe reducere, & facilius, vel minus difficiliuſque. Illud autem lumen intellectus agentis non efficitur in nobis maius per aliquam diſpoſitionem corporalem, quia ipſum eſt pure ſpirituale. Nec ad hoc proficit diuerſitas alimentorum, aut aliquid alterum exterius ſumptum, ſed Deus eſt, qui poteſt dare nobis maius intellectus agentis lumen. Alterum, ſecundum quod homo habet ingenium acutius ad magis intelligendum, vel minus,

B facilius, vel difficilius, eſt ipſa diſpoſitio quædam organorum, quæ præſupponit, & coexigit intellectus ad actū ſuum, non quod intellectus noſter ſit aliqua virtus corporea, vel vnita ſpecialiter alicui parti corporis, ſicut potentiæ organicæ ſenſitiuæ, nec conſequens vniuerſaliter, aut particulariter complexionem corporis, cum ſit ſubſtantia pure ſpiritualis, ſed requirit organa ad operationem, vt per ea ſuſcipiat ſpecies. Nam anima noſtra, cum ſit minor in perfectione inter omnes ſubſtantias intelligentes, non eſt plena formis, ſicut ceteræ intelligentiæ, ſed oportet, vt, ſi intelligere debeat, mendicet ab extra ſpecies, per quas intelligat, ab ipſis rebus ſuſceptis. Et hoc fieri non potuit ſine organis, quæ ſunt inſtrumenta quædam potentiarum animæ operantis ſentiendo. Et cum iſta organa inſtrumenta ſint ad agendū, oportet,

C vt ad hoc, quod aliquid conuenienter fiat, organa ſint diſpoſita, ſicut in ceteris generibus artificiorum. Nam ſi artifex habuerit indiſpoſita inſtrumenta artis ſuæ, non poterit conuenienter per illa operari. Intellectus igitur, cum non habuerit organa diſpoſita, quæ præſupponuntur ad hoc, quod ipſe operetur, non poterit conuenienter intelligere. Habet autem intellectus duplicia organa, quorum operationem præſupponit. Quædam ſunt ad aſſumendas ſpecies rerum, alia ſunt ad agendum ſimul cū intellectu. Prima ſunt organa ſenſitiua quinque ſenſuum corporis, ſ. viſus, auditus, &c. In his enim intellectus requirit diſpoſitionem, & exiſtentiam. Dico autem exiſtētiam, quoniam ſi aliquod iſtorum ſenſitiuorum organorum deficiat, non habemus ſpecies rerum intelligibiliū illius generis. Sicut ſi deficiat viſus, non habebimus aliquam ſpeciem viſiuam, nec intelligere poterimus aliquē colorem, aut figuram rei quantæ, quæ ſimul apprehenditur cum colore, ſicut cæci nati nō iudicant de coloribus,

D ſicut enim Ariſt. ait in 1. Poſterior. neceſſe eſt illa ſcientia carere, cuius ſenſu, & organo caremus. Et ſicut ad intelligentiam requiruntur organa, non quidem, quod per ipſa intelligat intellectus noſter, ſicut per oculum videt, & per aurem audit, ſed vt per illa ſpecies habeatur, ita requiritur diſpoſitio organorum conueniens, vt conuenienter intelligamus. Nam ſi fuerint organa indiſpoſita, non ſuſcipient ſpecies conuenienter, & intellectus noſter non poterit bene intelligere per illas ſpecies, ſicut patet de illis, qui patiūtur ophthalmiam in oculis, quoniam non bene iudicant de viſibilibus. Nam omnia, quę vident, apparent eis alba, & ſic iudicat intellectus omnia iſta alba, in quo eſt error. Idem etiam de his, qui patiuntur diſturbationem in guſtu propter aliquam infe-

E ctionem humorum, quoniam non bene iudicabunt de ſpeciebus ſaporum, ſicut ait Ariſto. Ethicorum libro nono. Requiritur ergo diſpoſitio organorum iſtorum, per quæ ſuſcipitur ſpecies ad hoc, quod intellectus noſter bene ſe habeat in intelligendo.

Alia autem ſunt organa, quæ adhoc magis neceſſaria ſunt ad intelligere, & iſta ſunt organa, vel ſenſus interiores, ſcilicet ſenſus communis, imaginatiua, phantaſtica, exiſtimatiua, & memoratiua, inter quæ præcipuū organū ſubſeruiens intellectui eſt ipſa phantaſia, & hæc differētius ceteris neceſſaria eſt intellectui. Nā alia organa exteriora, ſcilicet organum viſus &c. quamquā neceſſaria ſint ad hoc, vt aliquis intelligat, tamen non ſunt neceſſaria, cum intellectus actualiter intelligit, ſcilicet quod

ad

ad hoc, ꝙ aliquis habeat actum intelligendi de homine, vel albedine, oporteat, quòd hominem viderit, vel albedinem, non tamen eſt neceſſarium, ꝙ actualiter hominem, vel albedinem videat, ſed ſufficiens eſt, ꝙ aliquo tempore viderit. In phantaſia autem aliter eſt, quia ad intelligendum aliquid, neceſſarium eſt, vt potẽtiam phantaſticam habeamus, & aliquas ſpecies in ea habeamus. Et non ſufficit, ꝙ aliquando accepimus ſpeciem phantaſticam, ſed requiritur, vt tunc eam habeamus, & intellectus ſuper eam actualiter conuertatur. Sic enim ait Ariſtoteles lib. 3. Animæ; Oportet intelligentem circa phantaſmata ſpeculari, ideſt ꝙ illi, qui vult actualiter intelligere, neceſſarium eſt, vt ſpeculetur, ideſt, vt actualiter conuertatur ad phãtaſmata, ideſt ad ſpecies exiſtentes in phantaſia. Apparet hoc, nam ſi aliquis aliquo tempore vidit albedinem, & nunc claudit oculos, poterit intelligere albedinem non videndo eam, ſic de illo, qui aliquo tempore fuit videns, & poſtea excæcatus, quoniã iudicabit poſtea de albedine, & nigredine, niſi multa tempora tranſierint, quibus illæ ſpecies deleãtur. Nõ eſt autem ſic de phantaſtica potentia. Nam ſi aliquis habet in potentia phantaſtica aliquas ſpecies, poterit per illas actualiter intelligere, ſi tamen efficiatur ebrius, vel dormiens, non poterit intelligere per illas ſpecies, quãuis intellexerit aliquãdo per illas, cuius cauſa eſt, quòd per fumos aſcendentes in ſomno, vel ebrietate ex vino ad cerebrum, tũc cellula phantaſtica diſturbatur, & ſpecies ibi manentes confunduntur, ita vt per eas nulla, niſi valdè diſtorta intellectio fiat. Sunt igitur organa interiora, vtpotè ipſa phantaſtica potentia magis neceſſaria, & magis connaturalia ad actum intelligendi, quam organa exteriora, ſcilicet ſenſitiua. Et cum in his omnibus diſpoſitio requiratur, quædã magis neceſſaria in phantaſia requiritur, quam in ceteris, quoniam cetera organa ad ſpecierum ſuſceptionem operantur, phantaſia autem prodeſt ad actum intelligendi. Et, quando cerebrum alicuius eſt benè diſpoſitum, ita vt phantaſticum organũ benè ſe habeat, dicitur iſte totaliter benè diſpoſitus ad intelligendum, & tales homines ſunt naturaliter valdè ingenioſi ad ſpeculabilia ſecundum gradum maioris, vel minoris diſpoſitionis organi phantaſtici. Vnde ſi Deus alicui vult dare donum naturalis ingenij, vt ex-

F cellentius intelligat ſuper alios homines, dat ei organũ phantaſticum valdè benè diſpoſitum, & hoc ſufficit. Et quia iſtud organum phantaſticum eſt corporeum, diſponitur benè, vel malè per aliqua naturalia agentia; ſcilicet ſecundum conditionem ſeminis paterni, & materni, ſecundum quòd ſunt temperata, vel diſtemperata, quoniam ex his cauſatur. Diſponitur etiam ex qualitate loci generationis. Ideò homines nati in quibuſdam terris ſunt acutiores ingenio alijs, ſicut declarat Ariſt. 7. G Politicorum. Diſponit etiam ad hoc qualitas temporis, & aſpectus aſtrorum tempore generationis, & natiuitatis. Multum namque differt in tali, vel tali tempore natum eſſe. Diſponit etiam ad hoc ciborum qualitas, & hoc multum agit, quoniam immutat qualitas ciborum corporis nutriti qualitatem, ideo, ſecundum quòd cibi fuerint, neceſſe eſt alterari corporis qualitatem, & conſequenter ipſum phantaſticum organum, cum corporeũ H ſit. Ob hoc neceſſe eſt eos, qui melioribus nutriuntur cibis, acutioris eſſe ingenij, & minus impeditos in operationibus phantaſticis. Sic autem eſt de melle, & butyro. Nam cum iſta temperatè, & conuenienti ſumantur tempore, valdè mundificant, & phantaſticum organum diſponunt, ideo ad acumen ingenij ſatis conuenientia ſunt. Et, quia iſta ad hanc ingenij bonam cooperantur diſpoſitionem, dicimus de eis, qui viuaces ſunt, mel, & butyrum comediſſe, vt ſi arguatur prius ex poſteriori, aut I cauſa aliquali in effectu. In Chriſto autem ſic erat, quòd ipſe erat magis intelligens omnibus, cum verus Deus eſſet, ideo videbatur mel, & butyrum comediſſe.

Illud verè fuit in iſto beato Alphõſo Abulen. habuit. n. caput grande, & cerebrũ magnum.

Dicitur autem, vt ſciat reprobare malum, & eligere bonum, quia hoc ad quoddam acumen intellectus pertinet. Nam ſicut acumen circa intelligibilia pertinet ad intellectum, ita & circa agibilia. Scire autem eligere bonum, & reprobare malum, pertinet ad quandam vim intellectus practici, quæ vocatur demotica ſecun- K dum Ariſtotelem Ethicorum lib. 6. & ſecundum hanc ſumus prudentes, vel aſtuti, idem etiam intelligitur de intellectu ſpeculatiuo. Nam cum organa phantaſtica ſint conuenienter diſpoſita, ita vt ſecundum hoc aliquis habeat acumen ingenij ad ſciendum eligere bonum, & reprobare malum, habebit etiam ad ſpeculabilia, vt in eis conuenienter intelligat.

Finis Opuſculi Alphonſi Toſtati Super Ecce virgo concipiet, &c.

ALPHONSI TOSTATI EPISCOPI ABVLENSIS

Contra Clericos Concubinarios.

OPVSCVLVM.

QVO IAM vbi maius periculum vertit. bi cautius eſt agendum, vt in c. vl de elec. lib. 6. Et quia peccatis ex bus hodiernis temporibus multi qua. unt ſcientiam, & pauci conſcientiam, teſte beato Bernardo in lib. de Conſcientia: inquirunt que nonnulli excuſationem ſuorum delictorum per aliorum comparationem, ſecundum criminum attenuationem atque de facili conformãt ſibi conſcientias aliquorum ſuis voluntatibus ſententias applicando Doctorum. Qui quod bona, vel bene ſcripſerunt, non eſt aliquatenus ambigendum reſpectu finalis principij, intentionis videlicet, quod opus qualificat, & denominat, ſecundum patrum ſententias 41. diſt. Quis. Sed quia in dubijs quod tutius eſt tenere & eligere debemus, vt in c. iuuenis, cum concord. de ſponſ. & in foro conſcientia id credatur ſecurius, quod creditur magis Deo placere, ſiue quod minus diſtat à veritate, vel magis à periculo: preſertim quia intentio bona non excuſat malum opus. 1. q. 1. non eſt. Ideo in factis, in quibus periculum vertitur animarum, magis reor ſtandum Patrum ac Doctorum ſententijs, qui in partem tutiorem declinare videntur b. Quas propter infra ſcriptas Concluſiones ſecundum ſententias Doctorum, & determinationes iurium Sacroſancta Eccleſia in materia clericorum concubinariorum commentare decreui, quas tam in principali, quam in incidentibus, & omnibus, & ſingulis determinationi Sacroſancta Romana Eccleſia, & cuiuslibet, ad quem quomodolibet poterit pertinere iudicio, & examini corrigenda ſubmitto.

a Vertitur. Intra corpus militantis Eccleſiæ pleraque incommoda ſequi, præcipuè ſpiritualia, quæ ideo ſunt maiora, 22. q. 1. Duo, quia prouenire certum eſt ex deteſtabili vita maculata ſacerdotum qui in crimen fornicationis, & concubinatus notoriè perſiſtere non verentur, nemo ſanæ mentis ignorat.

b Videntur. Vnde Henr. in c. 1. de obſeruat. ieiun dicit, quòd in illis, in quibus vertitur periculum animæ, non quod æquius, vel mitius, ſed quod tutius eſt ipſi animæ interpretari debemus. De presb. non ordi. c. veniens 50. diſt. ponderet, in fi. & ca. eos, & notat. de ſpon. ca. iuuenis, ſecundum Hoſt. & Io. Andr.

PRIMA CONCLVSIO.

CLerici concubinarij notorij ſcilicet, quorum crimen a concubinatus, eſt ita notorium per ſententiam, vel confeſſionem in iure factam, vel per rei euidentiã talem, ſcilicet, quòd nulla tergiuerſatione celari poteſt, vt quia omnibus in villa, vel in caſtro commorantibus eſt notorium, quòd capellanus habet concubinam in lecto, vel in menſa, vel filios, vel filias, aliàs quomodocunque poſſit notoriè certitudo haberi de ſua manifeſta fornicatione: talis eſt ſuſpenſus b ipſo iure, quoad ſe, & quoad alios, vt in cap. quæſitum, de cohabit. cleric. & mulier. & ibi Doct. c De hoc nemine diſcrepante. Idem Vincent. & Lo. & Bart. & Guliel. in cap. nullus. 32. diſt. c. preter hoc, quod vitari debent ex quo crimen eſt notorium.

a Crimen, &c. Idem ſi ſit clericus iuuenis, qui habet iuuenem feminam in domo quotidiè, & notoriè ad mẽſam: nam talis, licet dicatur fornicator præſumptus, tamen debet vitari, vt ipſe not. in Summa, de cohabit. clericor. & mulier. §. & qualiter, verſ. ſcripſit autem. Idẽ videtur Hẽr. tenere, in c. quòd ſi quiſquam ſacerdotum, de cohab. cleri. & mulier. diſt. 2.

A b Ipſo iure. Idem Petrus Braco in Repertorio, in verbo, concubinatus addit. ſi tales poſt admonitionem concubinas non deſerunt, ipſo iure ſunt priuati. Vincent. 81. diſt. Archid. cum. Gloſ. & Ioan. & Guliel idem tenet do. Ioan. de Lignano, in c. ſi autem, de vita, & honeſtate clericor. vbi dicit, quòd notorius fornicator eſt ſuſpenſus quantum ad ſe, & quantum ad alios. Idem Henr in c. ſi celebrat, de cleri. exc. miniſtrante. Nota, quòd clericus exiſtens in peccato mortali, non repellitur à promotione: eſt text. in ca. ex parte, de tempor. ord. gloſ in c. ſicut noſtris, de iure iur. quod non habet locum in clerico publico concubinario. Eſt Extrauagans de hoc, quæ incipit: Specioſus. De qua

B ſemper fit mentio in qualibet collatione eccleſiaſtici beneficij.

c De hoc nemine. Item Io. Andr. in Nouella, in ca. ſi celebrat, de cleric. exc. 4. in gloſ. Idem videtur tenere de notorio ad medium gloſ. dicit ſic: Cum igitur ſimoniaci, & notorij fornicatores ſuſpenſi ſint ab officio, quoad ſe, & quoad alios, & propter crimen, licet accuſare. 32. diſtin §. verum, reſtat ſecundum Hoſt. quòd ſi celebrant incurrunt irregularitatem, & etiam poſt pœnitentiam non debent celebrare, donec cum eis per Sedem Apoſtolicam diſpenſetur. Idem ibi Henr. & quoad ſuſpenſionem, & quoad irregularitatem.

C

SECVNDA CONCLVSIO.

CLericus in mortali exiſtens peccato, peccat mortaliter quandocunque aliquem facit actum circa diuina, puta tangendo & tractando Sacramenta, etiam ſine apparatu, a & ingerendo ſe diuinis, niſi primo confiteatur. Hæc eſt ſententia Theologorum, ſignanter S. Tho. 3. parte Summa, q. 64. artic. 6. & aliorum; ad idem 4. Sententi diſtinct. 24.

a Etiam ſine apparatu. Quòd ſacerdos in mortali exiſtens peccato peccet mortaliter exequẽdo ordinem ſuum, probatur Deuter. 16. quod iuſtum eſt exequeris. Ex qua le-

D ge Diuina concluditur, quòd interdicta eſt ſibi executio, niſi ſanctè, iuſtè, & impollutè pertractet quæ ſancta ſunt. Immo talis ſacerdos eſt velut blaſphemus, & deceptor, ſecundum Beatum Dionyſium in Epiſtola ad Demofilium, ex quo indignè ſuum officium exequitur, & ſic mortaliter peccat quoties huiuſmodi actum facit. Hæc eſt concluſio S. Tho. 4. Sentent. diſt. 24. vnde dicit beatus Dionyſius c. 1. Eccleſiaſticæ hierarchiæ. Immundis ſymbola, ideſt ſacramentalia. Secus autem eſſet, ſi in aliqua neceſſitate aliquod ſacramentum tangeret, vel exequeretur in caſu, in quo laicis eſſet licitum, ſicut baptizare in articulo neceſſitatis, vel ſi corpus Chriſti in terram proiectum colligit, & hæc etiam eſt Concluſio Abbatis, & Raim. & Bern. in caſi

E bus inferius aſſignatis; ſcriptum namque eſt: Sacerdos in quacunque macula fuerit, non accedat offerre oblationem Deo, vt in c. ſacerdotes, 1. q. 1 & Leui. 21. Vnde, ſicut bonus miniſter comparatur Paulo, ita indignus comparatur Diabolo in omnibus, in quibus exequitur ſuum officium, licet gratia non valeat impedire quantum eſt in ſe, vt in c. ſi fuerit, 1. q. 1. & talis ſacerdos indigniſſimus, & viliſſimus a Deo, & hominibus reputatur, qui indignè, & pollutè tractat Diuina Sacramenta. Vnde tex. 1. q. 1. viliſſimus computandus, niſi præcellat ſcientia, & ſanctitate quæ eſt honore præſtantior.

Nota, quòd alij criminoſi, ſ. adulteri, fures, periu[illegible] huiuſmodi, licet propter peccatum non debeant cele[illegible]e,

quamdiu ſunt in peccato, tamen nexibus Conſtitutionum nõ habent ligatam executionem ſui ordinis; quoniã quantumcunque egerint pænitentiam, ſine alia reconciliatione liceat eis exequi ſuum ordinem, ſalua tamen diſtinctione, quam notabitis in c. ex tenore, de tempor. ordinatio. Idem videtur dicendum de excommunicatis occultis, & de alijs huiuſmodi, quòd quamdiu tolerantur ab Eccleſia, executionem ordinum conferunt, art. 6. q. 5. c. 2. & 1. q. 1. Chriſtus. Hæc omnia per Innoc. in c. 1. de ſchiſmat.

TERTIA CONCLVSIO.

AVdientes a Miſſam notorij concubinarij peccant b mortaliter, c nec excuſantur, niſi ignorantia iuris. Hæc eſt ſententia ſancti Tho. 3. q. De Quolibet. Quod clarè elicitur ex. cap. ſi qui ſunt presbyteri. 81. diſt. nam ibi prohibetur fidelibus indiſtinctè, ne audiant iſtorum concubinariorum notoriorum officia, d & qui contra facit, incurrit peccatum paganiſmi, & idololatriæ, & ariolandi ſcelus, quod eſt grauiſſimum peccatum, & crimen Deo multum deteſtabile. vt patet 1. Regum 15. c. vbi propter inobedientiam Saul amiſiſſe regnum deſcribitur, dicente Domino per prophetam: Quoniam quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare & quaſi ſcelus idololatriæ nolle acquieſcere. Super quo paſſu Beatus Thom. Secunda Secundæ 15. quæſt. articulo 2. dicit, quod comparatio Samuelis non eſt æqualitas, ſed ſimilitudo, quia inobedientia redundat in contemptum Dei ſicut & idololatria magis. Omnis enim inobedientia eſt de genere ſuo peccatum mortale ſecundum Beatum Thom. Secunda Secundæ quæſt. 15. articulo 1. ſiue inobedientia ſit contra præcepta Dei, ſiue contra præcepta ſuperioris. Et parochiani poſſunt excommunicari ſi non pareant Canonicis inſtitutis, 19. diſt. in ca. nulli. Vnde dicit Pe. de Salt. in cap. alleg. ſi qui ſunt presbyteri, quod benedictio ſacerdotum vertitur in maledictionem audientibus eorum miſſam, vel officia illorum, videlicet qui ſcienter, quia ex hoc incurrunt peccatum, & ideo ſunt digni maledictione. Vnde dicit ibi Eugenius. Peccant qui ad eorum orationem e accedunt. Et ſic manifeſtiſſimè apparet, quod parochiani peccant mortaliter poſtquam fuerint inſtructi de tam rigoroſa prohibitione Eccleſiæ, f ſi qui contrafaciant. Iſtud ideo fit, vt ſacerdotes cor[rigan]tur, & non faciant populũ delinquere. De quo in cap. veſtra, de cohabit. cleri. cum iuribus allegatis ibi: Qui enim alios cum poteſt, ab errore non reuocat, ſeipſum errare demonſtrat, vt in c. 2. de hæret. Etiam Eccleſia ſtatuit eos vitare propter eorum correptionem, & periculum, quod imminet g animabus, vt colligitur, & notatur in dicto cap. veſtra: & capit. quæſitum. Grauiter ergo peccaretur, ſi ſacroſanctæ Matris Eccleſiæ ſanctio contemneretur, cum hoc medicinale genus ab Eccleſia inſtitutum in proximum publicè delinquentem, quæſtiones modo ſcienter, vel ex affectata ignorantia, quæ dolo comparatur, vitandum omitteretur, cum ſit medicina. Omnis namque pœna ſecundum philoſophum in 4. Ethic. & notatur in cap. cum medicinalis, de ſenten. excom. libro 6. eſt medicinalis, h quæ à fidelibus ſine periculo animarum non poteſt omitti, quia eſt medicinale. Quod eſt bene aduertendum. Iſtud enim non eſt ſcandalum, ſi parochiani zelo fidei ſuccenſi & ad ſalutem animæ ſuæ, presbyterum auctoritate Eccleſiæ, quantum in hoc caſu iura eis concedunt, non propria præſumptione publicè fornicantem vitent, quia vitando miſerentur, non vitando deſeruiunt ei ſuum, & illius præiudicium ſeu de

crimen-

a Audientes. Statim cum reliquerit concubinam eius miſſam audire poſſumus. Sed idem dicit Archidiac. in ca. propter hoc, 32. diſt. 7. Innoc. in c. ſicut, de cohabit. cleric. & mulieré dicit pœna iuris ceſſaſſe ſi ſacerdos ceſſet a peccato, quantum ad hoc, vt alij poſſint audire eorum officia, ipſe tamen non debet celebrare ſine diſpenſatione, & abſolutione, ex quo notum fuit crimen eius. De qua materia vide latè per Spec. de offic. deleg. §. iuxta propoſitionis. Idem ſentit Hoſt. de ſimo. c. tanta, & de ſententia excom. c. cum medicinalis, ſ. quòd notorius fornicator quantumcunque pœnitentiam agat, nunquam celebrare debet ante obten-

F tam à Sede Apoſtolica abſolutionem, alioquin contrahit irregularitatem. Hæc Archidiac. in c. ad hæc. 32. diſt. quod idem Io. de Lign. in c. autem.

b Peccant. Probatur etiam audientes peccare mortaliter poſtquam fuerint de iuris prohibitione informati: qui enim prohibitionem canonicam ex contemptu tranſgreditur, effici iubetur anathema, vt in c. ſiquis omnem, 1. q. 6. quoniam blaſphemare Sanctum Spiritum videtur, qui contra Canones non neceſſitate compulſus, ſed voluntariè, aut proteruè agit, aut loqui præſumit, aut facere volentibus conſentit. Talis enim præſumptio manifeſtè vnum genus eſt blaſphemantium Spir. S. cuius dono dictati ſunt Sacri Canones. Hæc ſunt verba illius c. violatores, 25. q. 1.

c Mortaliter. In hoc etiam concordat Dominus Franciſc. de Zabarel. vtriuſque iuris monarcha, Cardinalis, de G cohab. cleric. c. quæſitum, dicens in prima ſui q. quam ponit in hac materia, quòd eſt prohibitum ſub pœna peccati mortalis audire diuina officia, & percipere Sacramenta a ſimoniacis, & notorijs fornicatoribus, altero de tribus modis. Quod fallit ſecundum ipſum, de Baptiſmo, & pænitentia, & Euchariſtia, & in mortis neceſſitate. Et ſecũdum Innoc. & Hoſt. de hæret. in ca. fraternitatis, tenent, quòd ab iſtis fornicarijs non debent recipi Sacramenta; & ſunt inobedientes Conſtitutionibus Eccleſiæ, qui ab eis recipiunt, ſed in neceſſitate, licet eis ſit licitum Euchariſtiam alijs tradere, non poſſunt confiteri, nec poſſunt extremam vnctionem in articulo mortis alicui conferre, cum ſit generalis prohibitio; & ſic patet, quod ſunt & in neceſſitate ſuſpenſi a collatione Sacramentorum, præter illa conceſſa ſuperius. Hæc Innoc. & Hoſt. Et tenet ipſe Franc. ibi, quod H hoc ſit prohibitum tam concubinæ quam filiis ipſius presbyteri, dum tamen in apparatu, alias non.

d Officia. Quòd audiens miſſam publici cõcubinarii certificatus de prohibitione Eccleſiæ, peccet mortaliter, probatur: ille, qui accipit medicinam ab aliquo infirmo ex cuius oblatione ſequitur mors corporalis, peccat mortaliter, patet: quia facit contra præceptum, de quo loquitur: Non occides; ſed quicunque aufert à tali ſacerdote hanc pœnã, ſcilicet non audire eius miſſam, aufert ſibi medicinam, ſ. vt peccandi licentia ceteris auferatur, & ad pœnitentiæ fructũ trahatur, vt in ca. veſtra de cohab. clericor. & mulier. Quod pœnæ ſint medicinæ, patet ſecũdum philoſophum, in libr. Ethic. ex qua oblatione ſequitur mors corporalis ſecunda, quæ eſt deterior quam prima, cum ſit ſempiterna, vt dicit Beatus Auguſt. talis peccat mortaliter. Ista etiam I Concluſio patet ex decretis poſitis 32. diſt. nullus, 81. diſt. ſi qui ſunt, vbi grauiſſimè peccare cenſentur tranſgredientes. Item quod talis peccet mortaliter probatur; ille, qui præceptum tranſgreditur, peccat mortaliter, ſed ille, qui audit à tali Miſſam, præceptum tranſgreditur, ergo mortaliter peccat. Et hoc probatur diſtinct. c. per hæc, vbi dicitur: Hæc autem præcipiendo mandamus, vt nullus audiat miſſam ſacerdotis, quem ſcit indubitanter concubinam habere. Hæc etiam eſt Conſtitutio Sancti Thomæ, 4. Sent. diſt. 13. artic. 3. q. 3.

e Accedunt. Super hoc articulo, ſiue argumento, idem ſentit quantum ad vitationem faciendam dom. Fran. Patriarcha de ordine Minorum in libro, qui intitulatur Chri K ſtianus, parte ſecunda, videlicet, quando crimen eſt notorium omnino.

f Eccleſiæ. Dicit Ioan. de Lign poſt Innoc. in c. ſi autem, de vita & honeſt. cleric quòd nõ ſolum ab officio ſacerdotali, ſed etiam inferiorum clericorum eſt abſtinendũ, & nõ ſolum à miſſa, ſed etiam ab inferioribus officijs: Immo nec beneficium habebit, nec cũ alijs ſedebit, & ſic electionibus non intererit, & loquitur de notorio fornicatore.

g Animabus. Richardus de media villa, 4. Sentent. diſt. 13. & 23. tenet, quòd non licet alicui recipere Sacramentum Euchariſtiæ a publico fornicatore, & S. Thom. 4. Sentent. diſt. 13. & 9. tenet, quòd Eccleſia prohibet ab iſtis Sacramenta recipere, & quod peccant ab eis recipientes, nec conſequuntur gratiam.

h Medicinalis. Iuſtæ pænitentiæ ſunt, & iam ſecundum Aug. l. 83. q. omnis pœnitentia eſt inducta, vt per eam omnes homines reducantur ad bonum virtutis. Idem Nicolaus de Lyra ſuper c. 1. ad Romanos.

crimentum, quod ſit ſcandalum clarum, & fulcimentum, quia vtilius ſcandalum naſci permittitur quam veritas relinquatur. Et in cap. qui ſcandalizaueris. de reg. iuris. Eſt enim concluſio Doct. ibi, & Canoniſtarum & Theologorum. vbi de ſcandalo agitur quod veritas vitæ, etiamſi ſit ſcandalum, non eſt relinquenda ſignanter in his, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis, a vt eſt in hoc caſu obedire præceptis Eccleſiæ, & prælatorum. Iſtud enim eſt de neceſſitate conſequendæ ſalutis, vt eſt ſecundum ſanctum Thom. Secunda Secundæ. quæſt. 4. artic. doces. idem 7. Nicolaus de Lyra ſuper Io. capit. 13. & idem Henr. in cap. cum ex iniuncto, de noui operis nunc. Quoniam iſta eſt veritas vitæ, quoad parochianos prædictos, quæ niſi ex reuelatione diuina non eſt dimittenda. Ex quo enim aliquid præcipitur ab Eccleſia, vel prælato, licet alias citra præceptum efficitur de neceſſitate ſalutis. Hæc eſt ſententia Nicolai de Lyra. ſuper Ioan. cap. 13. ſuper illo verbo, niſi lauero tibi pedes, quod eſt notandum ad intelligendum, implendum ſit præceptum Eccleſiæ & prælatorum.

a Salutis. Contemptus igitur præcepti Eccleſiæ verus, vel putatiuus cauſat peccatum mortale. Henr. de celebr. Miſſæ. cap. dolentes.

QVARTA CONCLVSIO.

EX quo, ſi ſacerdos eſt publicus concubinarius vno de tribus modis, vt in cap. alleg. quæſitum. propria auctoritate, non expectata a ſuperioris licentia, vel ſententia, licet ſubditis ab eo recedere, b & eum vitare, tam in auditione diuinorum, quam ſuſceptione Sacramentorum, ex quo iura licentiant eos. c Hæc eſt concluſio Fran. Zabarelli vtriuſque iuris Doctoris famoſiſſimi Card. & Io. Cald. in c. veſtra, & aliorum ſequacium. nec obſtat cap. ſuſcitantibus. 15. quæſt. fin. & cap. nonne. 10. q. vlt. quod licet videantur loqui in illo, qui in crimine deprehenditur, non tamen in notorio illo ſcilicet genere notorietatis, de qua loquuntur iura in propoſito præſentis materiæ quod ſpecialius eſt introductum a iure in odium incontinentium clericorum ſecundum Hug. & Guliel. in c. alleg. ſi qui ſunt presbyteri. Iſtud etiam probatur ſ. deuitandi iſtos fornicatores d notorios in diuinis ex c. veſtra, vt manifeſtè nobis concluſio elicitur. ſ. quod quamdiu ab Eccleſia tolerentur, & non habent rei euidentiam &c. Ab Eccleſia tolerantur duobus modis. e Primo modo ſi crimen eſt omnino occultum. Secũdo modo ſi penè eſt occultum, vt quia aliqui ſciunt, ſed nõ eſt diuulgatum, alias non tolerantur Eccleſia. Item ad veritatẽ copulatiuè ſecundum dialecticos requiritur, quod vtraq; pars ſit vera, aliter tota copulatiua eſſet falſa: cum, ergo tex. ponat copulatiuè hæc verba ſ. quamdiu tolerantur, & non habẽt operis euidentiam, conſtat liquido, quod licet tolerẽtur, ſi habeant operis euidentiam. f nec diuina ſunt audienda, g nec Sacramenta ſumẽda, vt dicit Glo. in cap. veſtra, quod in notorio facto. vel

a Non expectata. Illud autẽ quod aliqui fingunt, quod debeat in notorio præcedere monitio, ſalua eorũ reuerentia, nihil eſt: quia nec iure cauetur, nec ratione fulcitur: immo totum oppoſitum eſt iuridicum, & eſt vera concluſio. Et quod non requiratur monitio, nec ſententia. glo. in cap. ſacerdotes. 2. quæſt. 7. ſic dicit ſi prælati ſunt hæretici; vel excommunicati, vel ſimoniaci, vel notorii fornicatores, tunc poteſt recedi ab eis antè ſententiam. Cum igitur tex. in c. veſtra. de coha. cler. dicat, indubitanter teneatur, non oportet de iure amplius dubitare, ex quo crimina habent operis euidentiam.

b Recedere. Vnde Hug. in c. ſi qui ſunt presbyteri 81. diſt. dicit, ꝙ prædictum c. ſi qui ſunt, & illa 32. diſt. nullus, & propter hoc ſunt latæ ſententiæ quoad ſuſpenſionem, & ideo ſi presbyteri recipiantur, tales ſubditi ſua auctoritate poſſunt ſe remouere ab eorum officio non expectata alia ſententia, licet fortè Epiſcopus toleret eos. Sunt. n. iam ſuſpenſi a Domino Papa ipſo iure. Ar. in alleg. c. ſi qui ſunt. presbyteri. Idem & Tho. Item Hen. in c. veſtra. ad finem de coha. cle. & mul. tenent opin. Inn. dicentis generaliter; quod ſuſpenſum à iure tantum etiam ſine ſententia hominis, ſi crimina pro quibus ius eos ſuſpendit ab officio, vel à quocunque alio actu ſint nota per euidentiam facti cuiù-

A ſcunq;, licet eos vitare in his, quæ eis interdicta ſunt, licet adhuc ſecus ſi crimina ſint occulta quantumcunque ſint grauia, vt ſimonia, & homicidium, quod in talibus vitari non debent in his, quæ ab eis recipi debent de iure. idem Archidiac. in cap. ſacerdotes. 2. quæſt. 7.

c Eos. Idem per omnia Ioan. And. in Nouella. in cap. veſtra, de cohab. cler. & mulie. in verbo, euidentiam, glo. quæ incipit hoc generale, idem Ioan. de Lignan. ibi.

d Fornicatores. Io. de Lig. in c. ſi autem, de vita & hone. cler. dicit ſic, licet quis poſſit ſua auctoritate recedere ab officio publici fornicatoris; poteſt etiam procedi contra eũ via ordinaria, per quæ etiam aliæ pœnæ imponuntur. Et ſic ex eadem ſententia clarè patet, ꝙ notorius fornicator, poteſt de iure dupliciter puniri. Primò quia non expectata ſententia, & abſq; alia hominis monitione debet vitari. Se-
B cundo, ꝙ etiam via ordinaria poteſt contra eũ procedi ad alias pœnas. quod eſt bene notandum. Ioan. And. in c. quæſitum, de præpo. ord. in nouella tenet, ꝙ pro quolibet peccato mortali notorio, liceat ſubditis a ꝓpriis ſacerdotibus abſtinere in officiis. idem D. And. in c. alleg. veſtra. in repetitione ipſius c.

e Modis. Nota hic, quòd duobus modis tolerat Eccleſia aliquod peccatum, de quibus hic habes.

f Euidentiam. In iſta materia ius non facit differentiam, immo in totum parificat eſſe confeſſum in iudicio, vel condemnatum per ſententiam, vel habere operis euidentiam, quæ non poſſit aliquatenus tergiuerſari. Sicut ergo non requiritur alia monitio, ſi clericus condemnatus eſſet de crimine, ita neque de iure requiritur alia ſententia, vel monitio, vel nunciatio, vbi adeſt operis euidẽtia. De quo in cap.
C quæſitum. de cohabi. cler. & mulier. quod in nullo aliorum trium caſuum ibi determinatorum facit diſtinctionem, vnde S. Tho. in quadam quæſt. de Quolibet. tenet, ꝙ etiamſi tales ſuſtineantur à prælatis, non ꝓpterea excuſantur, quia hoc fit, vel propter negligentiam, vel propter miſeriã, vel propter defectum prælatorum, qui non ſunt auſi corrigere alios, cũ in ſe multa corrigenda cõmittant, aliquando propter timorẽ: vndè propter hoc nõ excuſantur. Hoc S. Tho. Item de mente Ioan. Andr. in c. veſtra. de coha. cler. eſt, quod non requiratur monitio in notorio fornicatore. Eſt etiam ſententia Do. Inno. in c. tanta. de ſimon. ſic, quod in ſimoniaco in ordine ad hoc, quod vitetur, non requiratur alia ſententia. Idem in publico concubinario. Et huius ſententiæ eſt Rainaldus in ſimili lib. tit. 7. qui dicit, quod ſunt vitandi etiamſi tolerentur à ſuis prælatis. Et ſic concludit
D generaliter in hac materia, quod denegatur eis Miſſa, & eadem ratione omnes alii ordines, & per conſequens omnia alia Sacramenta. Et non ſolum presbyteris, ſed etiam clericis cuiuſcunque ordinis ſecũdum Inno. & alij poſſunt eis denegare ſuam audientiam, nõ ſolum de licentia iuris, ſed virtute interdicti Eccleſiæ, & eadem ratione alia iura eccleſiaſtica, vt notat Inno. & Ioan. Andr. de deci. c. tua, & de reſti. ſpo. in literis. Hoc Ioan. de Lignan. in c. veſtra. de coha. cleri. Et licet aliqui pauci Doct. teneant, quod requiratur prius monitio, tamen plures, & ſolemniores, & magis approbati, etiam moderni Theologi, & Canoniſtæ teneant indiſtinctè, quod nulla requiratur monitio. Vehementer igitur admiror, cum qua ſcientia poſſit quis ſecure dematizare contrarium, & conſciẽtiam habere ſecuram, cum iura ſint clara, & Doctores plurimi, & vniformes. Credo indubitanter, quod ſit periculoſa, & non iuridica contraria
E oppoſitio. Nõ obſtat c. cõſulẽ di. 28. i. vbi dicitur de presbyteris. Vos qui laici eſtis, nec iudicandum eſt, nec de eorum vita quidquid illud eſt, ſic ſeruãdum. Nam dico, quod iſti, ſiue laici ſint, ſiue alij, qui tales cõcubinarios vitare faciũt, non ex proprio iudicio, quod eſſet temerarium, vt in c. intelligitur, ſed faciunt iuris licentia, vt in c. quæſitum, de cohab. cleri. & mulier. Immo verius iuris neceſſitate, cum iuri obedire tenentur, quod eis neceſſitatem euitandi imponit, vt in c. ſi qui ſunt presbyteri 81. d. & ſic eſt in hac materia perſpicuum. Vnde vt Cyprianus ait Eccleſia non eſt aliud, niſi fideliũ multitudo, fide & caritate vnita, ita quod vna eſt mater Eccleſia, cuius plures ſumus filij, ſicut plures ſunt radij, ſed vnum lumen. De qua auctoritate. 10. q. 1. c. loquitur, & ibi de hoc.

g Audienda. Item licet de iure nullus debeat contempto

ſto, vel cum ſunt in iure confeſſi, vel cum ſunt condemnati, ſunt eorum officia reſpuenda. Eſſet tamē populus informandus, q hoc ideo fit, vt presbyteri ad fructum pœnitentiæ facilius inducantur, & q hæc intētio ſit Eccleſ. iura oſtendens, & vt ſacrificia nō reſpuantur tanquam iniuſta, vel indigna, ſed reſpuatur indirectè tanquam ab indignis: a & ſceleratis miniſtris temerariè oblata. Itē iſtud verbū, quod dicitur: Sed quādiu ab Eccleſ. tolerētur, b intelligi debet ſ. à cōione fideliū, quæ eſt in Eccleſ. & nō ab Epiſc. vel officialib. quia illi non ſunt Eccleſ. ſed mēbra Eccleſ. De quo ſatis p Gl. & Doct. in c. ſi. ne prælati vi. ſu. Clarè ēt hoc elicitur ex ſnīa S. Tho. in 3 p. Sum. q. 64. art. 6. loquentis in iſta materia vbi determinatè tenet, q iſte, q recipit ſacramenta a ſacerdote peccatore, non peccat, nec cōicat eius peccato quādiu ab Eccleſ. ipſe ſacerdos toleratur. Et ſequitur: Qui accipit Sacram. Eucha. nō accipit ab eo inquantū talis pſona, ſed inquātū eſt miniſter Eccleſ. & ſic cōicat Eccleſ. quæ eū miniſtrum exhibet. Si vero ab Eccleſ. non toleratur, puta quia degradatur, excōmunicatur, ſuſpenditur, peccat q ab eo ſuſcipit, & ſic eſt perſpicuū in hac materia nomine Eccleſ. nō ſingulos prælatos, ſed totā congregationē fideliū intelligi: quæ nō tolerat iſtos cōcubinarios notorios in diuinis, ſed eos manifeſte dānat, punit, et reprobat, vt patet in iuribus & in concluſionibus allegatis. Et q nomine Eccleſ. intelligatur fideliū vnio facit c. firmiter, in §. vno, de ſumma Trin. clarius facit c. frequēs, de exceſſi. prælat. in cle. in §. verū vbi dicit text. ſic regulariū, & ſæculariū prælatorū, & ſuperdictorū exēptorū, & non exemptorum vna eſt vniuerſ. Eccleſ. Sequitur ibi: Vt oēs q eiuſdē ſunt corporis, vnius ēt ſint voluntatis, & ſint vinculo caritatis affecti. Et ſic reuera iuris fictione oēs fideles tā prælati q ſubditi intra corpus Eccleſ. Sed dānare & reprobare cōſtituti cēſentur. Nec debēt vitare, ſed dānare, & reprobare cōcubinarios notorios c ex quo corpus Eccleſ. eos nō tolerat d in qua Eccleſ. nulla eſt turpitudo, vel macula q̄tū ad fidei vnitatē. Alias. n. q aliter ſentiret quā corpus Eccleſ. notaretur de turpitudine, quia turpis eſt pars, quæ ſuo nō cōgruit vniuerſo. Itē q ēt vitet, et vitari mādet publicè excōmunicatos, nemo ſanæ mētis dubitat, q iura noui, & tamē de facto toleramus eos: verumtamē pp hoc ēt nō intelligitur tolerare eos. Etiā ſicut nomine Eccleſ. e intelligi debet tota vniuerſ. fideliū ſub vnico militādi capite ſ. Romano Pont. in quo eſt tota auctoritas determinādi ſecūdū Tho. 2. 2. q. 11. art. 2. & 3. Et iſtā ēt q S. S. regit & ordinat, eſt impoſſibile errare ſecūdū S. Tho. in quadā qō. de Quolibet. Et ſic iſta vniuerſ. Eccleſ. nō tolerat notorios cōcubinarios, ex quo eos dānat, & beneficijs priuat, et a populis fidelibus ſub grauib. pœnis vitādos imperat, & aliter ſentire non eſſet recti dogmatis introductorium. Item licet omnes nūc viuentes toleremus de facto aliquos hæreticos ſchiſmaticos, tamen etiam non ſolū ſingulares prælati, ſed oīum fideliū vnio ſemper eos reprobat, & damnat.

Itē q in hac materia nō intelligātur ſingulares prælati, Epiſc. vel alij nomine Eccleſ. ſed vniuerſalis Eccleſ. Etiā vltra ſupradicta cogit ro, q repugnat abſurditatib. quoniā q Eccleſ. Valētina nō toleret cōcubinarios, vt quia de facto pcedit cōtra eos has pœnas iuris irrogādas, et Eccleſ. Toletana toleret f eos, vt quia contra eos non procedit, ſequeretur abſurditas, videlicet quòd Eccleſ. tolerat, & non tolerat concubinarios. Sed cum vtrobique ſit par ratio vitandi

ſuo parochiali presbytero audire dieb. Dom. Miſsā in alia Eccleſia ſaltem votiua, tn̄ ſcdm̄ ſniam Ioa. de Lig. notorius fornicator, & præciſus ab Eccleſia poſſunt contemni. & hoc dicit de mente Ioan. de Lign. & Hoſt. in cap. 2. de paroch.

e Ab indignis S. Bonauent. 4. Sent. d. 13. q. 4. dicit, quod quorundā Miſſę audiri prohibentur, & hoc in pœnam peccati eorū, quia non ſunt digni conficere, & ſi cōficiant, nō ſunt digni audiri. Alia ratio eſt, vt confuſi de culpa reūcāt ad gratiam. Tertia ratio eſt, vt alij retrahātur ab eorū imitatione. Vnde Hoſt. eſt opus iuſtitiæ, miſericordiæ, & prouidentiæ. Dicit etiam ibi, quod quatuor genera hominum propter peccatum prohibentur audiri. ſ. hæretici, ſchiſmatici, ſimoniaci, & notorij fornicatores. Et dicuntur notorij per ſententiam, vel per confeſſionem, vel per rei euidentiam. Voco per rei euidentiam, quando factum eſt noto-

F rium, ita quòd non indigeat teſtibus, cum nulla poſſit tergiuerſatione celari. Hæc dicit Bonauentura.

b Tolerentur. Item Innoc. in c. veſtra, de cohabit. cleric. ſcribit, q non ſolum in iſtis, ſed generaliter in omnibus ſuſpenſis à iure locū habet, q crimina, pro quibus eos ſuſpendit, neceſſaria ſunt per facti euidentiam, q cuicunq; licet eos vitare in his, quæ ſunt eis interdicta, licet ipſi ſuſpenſi tolerentur à ſuis prælatis. dicit ibi Hoſt. Io. Andr. & Henr. vltimò ad idem ipſe iuncto eo c. ſicut dicit, quod quilibet ſua auctoritate poteſt recedere ab officio publici fornicatoris. ad idem Inn. Ioan. And. Hoſt. in c. tanta, de ſimon, & ſimoniacorum officia non debent audiri, etiamſi nulla ſententia feratur contra eos. Eſſe. n. dicunt ipſi Doctores ſpeciale in eis, ſicut in notorijs fornicatoribus. Eſt. n. concluſio Domini Ant. de Butr. in repetitione, c. conſuluit, de iure pa-

G tronat. quod non dicitur quis tolerari ex quo factum ſuum eſt notorium. & Henr. tenet, quod pœna cap. tanta, de ſimonia. extenditur ad omnes criminoſos notorios, à quibus licet indiſtinctè recedere, dicit Inno. quod ſi crimina, pro quibus clerici ſuſpenduntur, à iure ſunt occulta, q̄tūcunq; ſint grauia, vt ſimonia, homicidiū, & huiuſmodi, tn̄ nō debet recipi ab eis. Ita ipſe notat in c. ſacerdotes. 20. q. 7.

c Notorios. Ad hoc vt clarius iſte articulus cū ſua virtute liqueſcat, de quo notat Bern. in ſua glo. ordinaria, in c. cum non liceat, de præſ. dicit, q in crimine notorio fornicatoris, & ſimoniaci in ordine, poteſt recedi ppria auctoritate. In alijs vero criminibus etiamſi ſint notoria, expectāda eſt ſententia. idem Inn. in c. per tuas. 2. de ſimonia, in verſ. q benè credimus. Neceſſarium dicit, q ſimoniaticis, & fornicatoribus notorijs eſt ſpeciale, quia etiam ſine ſentētia licet ab

H eorum officijs recedere. Idem tenet ipſe Inn. in c. 1. de ſchiſmat. quaſi ad mediū, in verſ. illo. & ſic iſti Doct. clarè concludunt, q non debet expectari ſententia, ſed cuilibet eſt licitum propria auctoritate eos vitare. Nā dicit ibi Bern. de præſcrip. iure meo, & mea volūtate poſſum vitare eos ſimoniacos, & fornicatores, ſ. publicos, quia canō ſic dicit, ſecus in alijs. Idem dicit Vinc. cum his cōcordat Dom. Franc. de Zabar. in c. quæſitū de cohabit. cler. idem Ianus, & clarius Dom. Ant. de Butr. in c. veſtra. de cohabit. cler. in ſua repetitione ſolemniſſima, in vna appōne, vbi propriè dicit idē, etiamſi à ſuis ſuperioribus, vel prælatis tales fornicarij tolerentur, cū ius eos non toleret. Nam, vt ipſe dicit, in pendētibus ex conſcientia non attendimus errorem Eccleſiæ, quādo de conſcientia, & veritate informati ſumus, in c. inquiſitioni. de ſententia excommunicat. cuius cunctā laus, atq;

I doctrina à tota irrefragabiliter amplectitur Italia.

d Tolerat. Nota. Quicunque. n. ſcit aliquem depoſitum, excommunicatū, vel ſuſpenſum, dicunt quidā, q quantūcunq; ſit occultum, nūq ab eo Sacramēta recipienda ſunt: Arg. in c. per tuas. 2. de ſimo, niſi baptiſmū & corpus Xp̄i, vt nota. infra de hęre. c. 2. Sed licet nō debeamus recipere ab eis dū ſunt occulti, ipſis tn̄ petētib. in publico dare tenemur. 1. q. 1. Xp̄s de cōſecr. d. 2. nō prohibeatur, nec eos vitare in publico debemus. 6. q. 2. c. 2. & 3. de offic. ord. ſi ſacerdos. Hoc totū & multa alia in c. per tuas. 2. de ſimo. p Inn.

e Nomine Eccleſiæ. Vnde Nicolaus de Lyra ſuper Matthæum. 16. c. tenet, quòd etiam non cōſiſtit in hominibus ratione poteſtatis, vel dignitatis Eccleſiaſticę vel ſecularis, quia multi principes, & ſummi pontifices, & alii inferiores inuenti ſunt apoſtataſſe à fide, propter quod etiam cōſiſtit

K in illis perſonis, in quibus eſt notitia, & vera confeſſio fidei & veritatis. Et ſic etiam ex vi vocabuli propriè aſſumitur pro congregatione iuſtorum.

f Toleret eos. Hæc ſnīa vr̄ verior, & ſecurior, & eſt cōis opinio fere Theolog. & Canoniſt. ēt modernorum. Nec eſt neceſſaria monitio, nec requirit ſnīa expectari, nec reuelari, ſi prælati in ſuis diœceſib. tolerent cōcubinarios, ex quo iura condēnant, non oportet quærere excuſationes in peccatis, quia etiam inter Doctor. de ſub menſa quorum non digni ſumus micas colligere, quod fuerunt habentes conſcientiam nimis ſtrictam, & iſti nimium reſtrinxerunt. Alij vero habuerunt conſciētiam ſuo modo informatam, & hi laxarunt. Quis enim non putat maximum illum Doctorem eximium Origenem eminentiſſimæ fuiſſe ſciētiæ? & tamen tantum miſericordiam Dei relaxauit, vt dogmatizare auderet etiam dæmones, aut reprobos homines poſt multa tempora in alio ſæculo miſericordiam habituros, &

tandi eos, verius cenſetur nomine Eccleſia intelligi vniuerſalem Eccleſiam, & non particularem, & tolerantia, & non tolerātia referri debet ad ius, & non ad factum a. fuit tamen ipſe condemnatus. De quo in cap. ſancta Romana 15. diſtin. de quo oppoſitum recitat latius Nicol. de Lyra ad Hebræos 6. c. hæc præſupponit, vt nemo ſibi quærat Angelos, quia veritas ſimplex eſt, ac recta, & neſcit orbitare, ſummè adiuuat, quia Curia Romana in foro pœnitentiali cenſet tales concubinarios fore eſſe irregulares, & reſeruat ſibi diſpenſationem. Et quia Archid. oppoſitū ponit in alleg. c. nullus. aliqui adderūt conantes ponere eam in reſcriptis, dicit enim ſic, quòd tunc demum eſt abſtinendum ab officio ſacerdotis, ſi tamen prius commoneatur, & ceſſare velit, aliter non ſecundum Lau. Sed vide, quòd ibi recitat tres opiniones, quarum prima eſt Hug. quæ dicit, quòd debet præcedere admonitio, ſed ſufficit à quocunque fiat. Et ſi eius admonitionem non audierit, tunc ceſſabit ab eius officio. Secunda, quòd tantum debet ab Epiſcopo admoneri. Tertia, quòd eo ipſo, quòd eſt notorius, ceſſandum eſt ab eius Miſſa, etiam non præmiſſa monitione, quia ſuſpenſus eſt, & quoad ſe, & quoad alios. de cohabitat. cleric. & mulier. c. fin. Et dicit, quòd hæc vltima ſententia eſt dura, ſed ſi benè inſpicias ſupradictam nullam determinat, immo tenet, quod ſimpliciter ſit abſtinendum in c. per hæc 32. diſt. in glo. quæ incipit, vt extra in cap. ad hæc 32. diſt. clarè innuit, quod ſit aliquorum opinio, ſed non ſua, quod requiratur admonitio. in glo. quæ incipit nam literam indiſtinctè.

a Ad factum. Iſta concluſio eſt. Ant. de Butr. & in alleg. c. veſtra. in ſolemni repetitione ipſius cap. veſtra. de cohab. cleric. & mulierum.

QVINTA CONCLVSIO.

EX quo ſacerdotes concubinarij notorij ſunt ſuſpenſi quo ad ſe, & quo ad alios, vt præmiſſum eſt, iſtud non eſt aliud dicere, niſi quoad ſe ipſi ſunt omnino inhabiles, & impotentes de iure, & ſine peccato non poſſunt exercere diuina & quoad alios, id eſt alijs licitè, & ſine peccato ea manifeſtare & miniſtrare non poſſunt. Et ſic eſt concluſio quòd iuriſdictione ſuſpenſi ſunt, nec ea vti poſſunt efficaciter, quia eius exercitio carent. a *Hæc eſt ſententia Domini Alexan. de Ales in 8. compendio ſub his verbis. Quamuis omnes ſacerdotes habeant claues, non poſſunt tamen omnes abſoluere nec ligare, ſicut excommunicati, hæretici, damnati, ſuſpenſi.* b *Hoc autem non propter defectum clauium, ſed quia non habent materiā, ſcilicet ſubditos, qui ſibi ſubtrahūtur. Hæc Alex. In hac eadem ſententia aſſentit clarius Haſten. libro 6. tit. 26. art. 2. In hæc verba prorumpens: deficiente iuriſdictione, etiamſi adſit clauis, non poteſt aliquis aperire,* c *& ſi amittatur iuriſdictio, ceſſat clauis executio.* d *Hæc autem amittitur in ſchiſmaticis, hæreticis præſertim, & fornicatorijs notorijs, & in excommunicatis. Hæc Dom. Haſten. Et ſic luculenter, ſecundum tantorum Doctorum ſententias notorios concubinarios conſtat nullam prorſus habere iuriſdictionem quoad exercitium, & effectum actualem, & hoc eſt manifeſtum, quia ſecundum eos iuriſdictio ſacerdotalis, quæ neceſſaria eſt abſoluendi, vel ligandi, de pœn. diſt. 6. & ſecundum S. Tho. in ſumma, contra Gentiles, accidentaliter adhæret ordini ſacerdotali. Quod ſatis eſt manifeſtum, quia religioſi in traditione ſacerdotalis officij, eandem poteſtatem recipiunt, quàm alij ſacerdotes etiam Curati. ſed ea carent ex inſtitutione Eccleſiæ, vt in c. ecce ſufficienter. 16. q. 1. de iure enim communi nullus ſacerdos indiſtinctè habet iuriſdictionem, niſi ab Epiſcopo, vel à iure ſibi concedatur. 16. q. 1. c. cunctis & ſecundum iſtos Doct. Alex. & Haſten. quo ad non habendam iuriſdictionē parificantur hæretici, & ſchiſmatici, excommunicati, ſuſpenſi, & notorij fornicarij. Idem S. Tho. 3 parte Summæ. q. 82. art. 9. Et idem communiter Doct. Theol. 4 Senten. diſt. 18. Nam hæreticus, ſacerdos excommunicatus, eſt ſuſpenſus quoad ſe, & quoad alios, & religioſi ſecundum iſtos Doct. claues habent: nec tamen poſſunt ligare, vel ſoluere, & in quantum tales, non habent ſubditos, & carent e iuriſdictione. Vnde B. Tho. 4 Sent. diſt. 19. dicit, quod ſchiſmatici, hæretici, & ſuſpē-*

A *ſi, & excommunicati, & degradati habent poteſtatē clauiū*
quan-

a Exercitio carent. Item in eod. tit. tenet quod irregularitas homicidij vel infamiæ, vel contemptus cenſuræ, eccleſiæ executionem ordinariam impedit, & remouet aliquem à ſtatu præſidentium quoad executionem, & ſic clarè concludit, quod clericus præciſus, vel ſuſpenſus quoad ſe, & quoad alios nullum habeat iuriſdictionis exercitiū, & per conſequens abſolutio à tali impenſa in foro animæ nullius eſt roboris, & momenti. idem dicit Alex. 4. Sent. d. 17. q. 4. ad finem dicens, quod poteſtas abſoluendi non ſolum exigit characterem, ſed oportet, quod concurrat iuriſdictio.

b Suſpenſi. Et nota quæ ſequuntur. Nam notorius fornicator ſacerdos non poteſt abſoluere in foro confeſſionis
B aliquem, nec valet eius abſolutio cum nulla ſit, nullus eſt abſolui poteſt à peccato per hoc, quod peccat. Hæc etiam videtur rō S. Tho. Sed recipiens pœnitentiam à tali fornicatore peccat ſic cōtra præceptū Eccleſiæ faciens, igitur à peccato abſolui non poteſt per eum. Præterea cum iſti ſint ſuſpenſi ab officio, nullum habent exercitium iuriſdictionis, nec vſum clauium. Eſt enim regula in Theologia, & in iure, quod vſus clauium impenditur in ſuſpenſis. Vnde D. Pet. de Taran. in 4. Sent. diſt. 19. q. 3. tenet, quod vſus clauium tollitur in depoſitis, & degradatis, ſed ſuſpenditur, vel impeditur in excommunicatis, & ſuſpenſis. Et altiſſi. in 4. Sent. in materia de clauibus dicit, quod excommunicati, vel ſuſpenſi, vel hæretici non poſſunt ligare & abſoluere. Et conſtat, quod notorij fornicatores ſuſpenſi ſunt quoad ſe, & quo ad alios, & ſic tales non poſſunt ab-
C ſoluere ſibi confitentes. Item in expreſſo ponit hanc concluſionem Bonauent. 4. Sent. diſt. 19. problemate. 2. q. dicens, quod ſi amittatur iuriſdictio, ceſſat clauis executio. Vel per ablationem ſubditorum quantum ad rem. Sic eſt in ſchiſmaticis, præciſis, & notorijs fornicariis, excommunicatis, & huiuſmodi. Vel quantum ad rem, & ſpem, ſicut in degradatis. in hac ſenten. eſt Haſten. in ſum. lib. 5. tit. 36. cum his etiam concordat Durandus in ſumma iuris, parte 1. diſt. 1. ad fin. dicens ſic: ſuſpenſus ab officio priuatur à poteſtate abſoluendi, ſiue ſit ſuſpenſus ab homine: puta quia Iudex eum ſuſpendit. Siue ſit ſuſpenſus à iure, vt notorius fornicator, qui nec poteſt ligare, nec poteſt abſoluere. Vel ſimoniacus in ordine, etiamſi ſit occultus, Et iſti non poſſunt conferre Sacramenta, vel ab eis recipi excepta neceſſitate in mortis articulo. Ad idem frater Io. de Saxo.
D vtriuſque iuris Doctor in lib. quem intitulauit, Tabulam. tenet quod in quatuor caſibus tenetur quis iterare confeſſionem, & duo ſunt propter confeſſorem, & duo propter confitentem. Primus eſt ſi cōfeſſori deficit clauis poteſtas, quia tunc non poteſt à peccato abſolui, & ſic eſt ſuſpenſus ſacerdos ab officio, ſiue ab homine, ſiue à iure. Si à iure, vt notorius fornicator, vel ſimoniacus in ordine, etiamſi ſit occultus, dummodo ſciant eum eſſe ſimoniacum. Ecce Doctorum irrefragatorum concors ſententia, quod notorius fornicator nullo penitus modo poteſt aliquem abſoluere in foro confeſ. quia caret vſu clauium iure prohibente.

c Aperire. Dom. Guliel. de monte Laug. in ſacramentali titulo de clauibus dicit, quòd cum vſus clauium requirat prælationem, & prælatio non poſſit eſſe ſine ſubiectione, quia correlatiua ſunt: ideo ſi ille, qui parat materiam id eſt tradidit ſubditos, ſicut Papa, & Epiſcopus tollat ipſos. iam
E talis amittit quantum ad vſum eſſe prælatus. Vnde licet quoad poteſtatem clauium tantum habeat ſacerdos non præciſus, ſicut præciſus, vel excommunicatus, vel è contra. Impeditur tamen vſus clauium propter materiam ſibi ſubtractam.

d Executio. Item eod. lib. tit. de Sacramentis tenet, quod à ſacerdote præciſo poteſt quis in mortis articulo pœnitentiam, & corpus Chriſti accipere, ſed extra tempus neceſſitatis nullo modo licet. Et ſi quis cōtra facit peccat. 32. d. c. nullus. & in §.

e Et carent iuriſdictione. Vnde Dom. Pe. de Tarantaſia. 4. Sent. & Bar. in Summa, in verbo confeſſ. 2. diſt. ait. iſte eſt vnus de quatuor caſibus, quando quis iam confeſſus tenetur iterum confiteri. ſ. quando ſacerdos non potuit abſoluere, ſicut in iſtis concubinarijs.

quantũ ad eſſentiam, ſed vſus impeditur ex defectu, maxime quando Eccleſia iſtis ſubtrahit ſubditos, vel ſimpliciter, vel ad tempus. Vndè quantum ad hoc priuati ſunt vſu clauium a.

a Vſu clauium. Ho. de paroch. tenet, quòd ſi aliquis clericus habeat beneficium, ſed non de iure, cum talis non poſſit abſoluere, vel ligare, decipiũtur animæ ſubditorum, licet ipſi ſubditi habeant iuſtam cauſam ignorantię. Et addit Inn. quòd ſi quis ignorans, à tali pœnitentiam accipiat, & poſtea ſciat, debet ire ad ſacerdotem verum, & ei confiteri, & ab eo abſolui, & ſinguis iſtorum ſubditorum requiretur ab iſtis ſacerdotibus, ac ſi amiſiſſent, idem Bart. in ſumma Piſſana, in verbo Confeſſio. Idem eſt in concubinario notorio, cum nullam habeat iuriſdictionem, nec poteſtatem abſoluendi, ac ſi beneficium tituli non haberet, & grauiſſimum ſibi mortis periculum imminet ex tali
G deceptione in ſacramento penitentiæ.

SEXTA CONCLVSIO.

ELicitur ex præmiſſis neceſſario, videlicet ex quo clerici concubinarij, & notorij mortaliter peccant diuina exercendo, & ſuſpenſi ſunt quoad ſe, & quoad alios, & incurrunt peccatum paganiſmi, & idolatriæ tam ipſi quàm qui ab eis audiunt diuina, vel Sacramenta ſuſcipiunt ſecundum determinationem Eccleſiæ in alleg. c. ſi qui ſunt presbyteri, ſequitur neceſſario, quod iſti non poſſunt abſoluere a *aliquem à peccatis, & per conſequens parochiani tenentur illa eadem peccata iterum confiteri, ex quo non fuerunt abſoluti per iſtos ſacerdotes. Concluſio iſta ex eo patet, quia iſtis iam ſubtracta eſt iuriſdictio, & ſic remanẽt, vt priuata perſona, quæ nulli præeſt iuriſdictioni,*
H *licet alias eſſent Curati, Rectores vel Prælati, vel quomodolibet animarum regimini præſidentes. Et licet Parochiani ſciant, & ſpontaneè velint ſe ſubmittere talibus ſacerdotibus, nulla per hoc eis iuriſdictio attribuitur ſecundum notata in ſimili. 16. q. 1. in ſumma, quia priuatorum iuri publico derogari non poteſt, vt in cap. ſi diligenti, de foro comp. Hæc eſt in expreſſo ſententia Do. Io. in ſumma Tabula iuris. Idem videtur ſentire beatus Tho. de Aquino in ſumma contra Gentiles ad fin. vbi tenet, quòd requiratur iuriſdictio in ſacerdote ad hoc, quòd poſſit abſoluere. Ratio quare parochianus, qui ſcienter confitetur tali ſacerdoti non conſequitur abſolutionem, eſt ſecundum beatum Thom. quia nemo conſequitur gratiam in eo, quod peccat.* b *Ad hoc enim, quod peccata ſaltem*
I *mortalia deleantur requiritur ſecundum Theologos nona gratiæ infuſio. Cum igitur iſte, qui confitetur tali concubinario notorio, peccet mortaliter, quia inobediens præceptis & inſtitutionibus ſanctæ matris Eccleſiæ: conſtat, quòd gratiam non conſequitur, & per conſequens, nec peccatorum* c *remiſſionem, quæ ſine gratia fieri non poteſt, ar. ff. contra verbum, ac pœnitent. diſt. 1. Grauiter enim peccat parochianus, qui errantes ſacerdoti conſentit. vnde dicit text. quid enim prodeſt illi, ſuo errore non pollui, qui conſenſum præſtat erranti? 23. diſt. 1. cap. quid enim, quod eſt menti figendum, quia nulla eſt abſolutio, ex quo ſacerdos talis nulli præeſt* d *iuriſdictioni & iam deſiit eſſe ſuus Curatus & Iudex. Et ſic abſolutio non valet, quia facta à non ſuo Iudice, vel a non Iudice, nulla eſt. vt in c. ad no-*
K *ſtram, de conſue, & de iudicijs. c. at ſi clerici. & C. ſi à non compet. iud. l. 2. Et licet parochiani credentes bona fide à talibus ſacerdotibus ſe abſolutos eſſe quo ad Deum, ſint ſecuri quamdiu eos ratione inuincibilis ignorantia, tamẽ poſtquam ſciuerint defectum in iuriſdictione aſſuiſſe, tenentur eadem peccata neceſſario confiteri* e *tali, qui poſſit abſoluere vel ligare ad hoc quod ſint in ſtatu ſaluationis.* f *Alias contemnere viderentur legitimas ſanctiones, quæ neceſſitatem imponunt cuicunque annos diſcretionis habenti, vt omnia peccata ſua confiteatur ſaltem ſemel in anno, vt in c. omnis vtriuſque, de pen. & remiſ. & de hoc late patet per Doct. in c. duanm, a de ele. & per Io. And. in c. ſuper cathedram, de ſepul. in cle. in ſimili quaſt.*

a Abſoluere. Vnde Pet. de Tarantaſia. 4. Sent. diſt. 18. art. 2. dicit, quod ad abſoluendum requiritur poteſtas iuriſdictionis libera. excommunicatis autem & ſuſpenſis nõ habent liberam, ſed ligatam, & ſi habeant poteſtatem, non
F tñ executionem, & ideo non poſſunt ligare, vel abſoluere.

b Peccat. Durandus in 4. Sentent. tenet, quòd qui contra ordinationem ſe ſubijcit alicui ſacerdoti per abſolutionẽ, peccat actualiter peccato inobedientiæ, & peccat mortaliter. Et ſic à nullis peccatis poteſt abſolui ab illo. Secus ſi ſimpliciter ſe ſubmittat alicui ſacerdoti, vt ab eo abſoluatur, qui cum non poteſt abſoluere, talis non mortaliter peccat, tamen tenetur iterum confiteri poſtquam cognouerit, quod primus non potuit abſoluere. Hæc Durandus. Et ſic confeſſi notorijs concubinarijs mortaliter peccant, & iterum confiteri tenentur illa eadem peccata. Sic Magiſter 4. Sententiarum dicit, quòd requiritur auctoritas abſoluendi in ipſo ſacerdote, qui eſt Iudex. Nam in vſu clauiũ iudicium exercetur, nulli autem iudicium committitur, niſi in ſibi ſubiectos.

G c Peccatorum remiſſionem. Item S. Tho. in 4. Sentent. dicit, quòd in Sacramento Pœnitentiæ non imprimitur character, ſed ſtatim confertur gratia ad remiſſionem peccati, quam remiſſionem nullus cõſequitur peccando. Peccat autem qui ordinationem Eccleſiæ prætermittit.

d Præeſt iuriſdictioni. Ad hoc enim, quod ſacerdos poſſit abſoluere, oportet vt habeat iuriſdictionem, aliàs non poteſt. Tho. in 4. Sent. diſt. 7. de confeſſione, art. 4. & diſt. 19. q. 1. art. 2. tenet, quod ſchiſmatici, & excommunicati, hæretici, & ſuſpenſi, & degradati non habent vſum clauium, quia per Eccleſiæ ordinationem ſubtrahitur eis materia propria, ſcilicet ſubditi.

e Confiteri. Et quòd is, qui confitetur notorio fornicatori, teneatur confiteri illa eadem peccata numero, alij poteſtatem habenti. Expreſsè tenet Dom. Ioan. de Saxon. in ta-
H bula Iuris. vbi tractat de abſolutione ſacramentali. Idem tenet Durandus expreſsè in ſacramentali, diſt. 4. q. 26. cuius ratio eſt, quia notorio fornicatori deficit vſus clauium, ita quòd non poſſit abſoluere. Hæc opinio eſt Theologorum & Canoniſtarum, & quod vnus de caſibus, in quibus quis tenetur de neceſſitate iterare confeſſionem, eſt, cum ſacerdos non habet poteſtatem, vt tenet Ricardus de Media villa, & Petrus de Tarantaſia 4. Sentent. 18. diſt. & Bonauentura 4. Sententiarum, d. 18. & diſt. 17. q. 1. item Henr. in c. omnis vtriuſque ſex. de pę. & rem.

f Saluationis. Qui enim peccatorum remiſſionem per claues Eccleſię deſiderat conſequi, quærat diligenter ne ſacerdos, cui iudicium animæ ſuæ exponit ſit ligatus, puta excõmunicatus, hæreticus, ſchiſmatic⁹, interdictus, irregularis.

SEPTIMA CONCLVSIO.

I *ISti concubinarij notorij ſi officium diuinum faciunt in apparatu, ſunt irregulares,* a *quia propter delictũ ſuũ ſunt a iure ſuſpenſi quoad ſe, & quoad alios. Determinatio eſt Dom. Henr. in capitul. ſi celebrat de clerico. excommunic. cum quo fere omnes Canoniſtæ concordant* b *Hanc regulam ponit Dom. Archidia. in cap. cum æterni tribunal. de re iud. libr. 6 dicens: Suſpenſus a iure propter crimen celebrans irregularis eſt. Hæc eſt cõmunis Doctorum ſententia. Quod autem iſti concubinarij ſunt ſuſpen-*

ſi, ita

a Irregulares. Idem Innoc. in c. cum medicinalis, de ſent. excom. vbi dicit Hoſt. & in c. tanta, de ſimon. q̀ aliquis ſuſpenſus ab officio propter crimen quantum ad ſe, & quan-
K tum ad alios, ſiue a canone, ſiue a iure, ſemper fit irregularis celebrando, idem in cap. cum æterni tribu. de ſenten. & re iud. lib. 6. De quo latius per eum, in c. ſi celebrat. de cleric. exc. min. vbi dicit determinando, quod notorij fornicatores quantumcunque pœnitentiam egerint, nunquam celebrare debent ante obtentam à Sede Apoſtolica abſolutionem, aliter contrahunt irregularitatem.

b Concordant. Communis opinio habet, quæ fuit Henr. in c. 1. de ſent. excom. lib. 6. & Io. Mo. ibidem, & in c. ſi celebrat. quod clericus concubinarius, vel fornicarius eſt ſuſpenſus quoad alios, & incurrit irregularitatem celebrando. Idem Inno. in c. 1. de ſentẽtia excom. lib. 6. idem Spec. de offic. deleg. §. iuxta enim, Hæc opinio, quæ tenet, quod notorij fornicarij ſunt ſuſpenſi ſuſpenſione inducente irregularitatem, eſt vera de iure. Notorij enim fornicarij debent vitari. Et eſt ſpeciale in fornicatore propter frequentiam criminis. Hoc Io. de Lign. originaliter in cap. veſtra, de cohabit. cleric. & mulierum, de verbo ad verbum.

ſpica dicit tex. 81. diſtinc. ſi qui ſunt presbyteri, vbi interdicitur eis ingreſſus Eccleſiæ. ex conſequenti ergo ille, cui interdicitur Eccleſiæ introitus, ſi poſtea in ea celebret eſt irregularis, vt in cap. bis qui. de ſenten. excommunic. lib. 6.

OCTAVA CONCLVSIO.

CLerici concubinarij notorij, effecti vt præmittitur irregulares, per ſolum Romanum Pontificem, vel habentem eius vicem a poſſunt ſuper irregularitate diſpenſationem hanc obtinere. b Iſta eſt concluſio Doct. in cap. cum æterni. de ſent. re. iud. libro ſexto. etiam Henr. Et ſic ſeruiæ hodie curia Romana c Nec Epiſcopus poteſt cum eis de iure diſpenſare. d Ideo dato quòd ſacerdos notorius concubinarius effectus irregularis pœniteat, & ad meliorem vitam redeat, peccabit tamen mortaliter miniſtrans diuina, quia immiſcet ſe rei à cuius commercio eſt ſeparatus, e vt in regula. non eſt ſine culpa, de regulis iuris lib. 6. cum ibi notat. per Doctores.

a Eius vicem. Legati etiam ſecundum ſtylum ipſorum habent, quod diſpenſent cum celebrantibus, niſi in contemptum: & Papa ſcit, & tolerat. Stylo tamen & conſuetudine ceſſante ſolus Papa poteſt, Pœnitentiarius tamen generalis in Curia, vel ſpecialis virtute officii ſimplicis non poſſunt diſpenſare, niſi aliter habeant poteſtatem. Hæc Dom. Io. de Lign. in c. clerici. de cler. exc. 4. Innoc. variauit in fornicatore notorio, ſed in c. 1, de ſenten. excom. lib. 6. dicit quod eſt irregularis. Et hoc verius eſt ſecundum Io. de Lign.

b Obtinere. Item quod notorius fornicator celebrans in apparatu ſit irregularis, & ſolum ſecum per Papam valeat diſpenſari, eſt concluſio Domini Fran. de Zabar. Doctoris vtriuſque iuris & Cardinalis in c. fin. de cohabit. clerico. & mulierum. Idem de ſimoniaco quamdiu eſt ſuſpenſus a iure vel ab homine. Et hoc dicunt communiter Doctores, in cap. ſi celebrat. de cler. exc. miniſtr. & Hoſt. & Ioa. Cal. & Ant. de Butr. in alleg. c. ſi celebrat. Et iſta eſt veritas, & cōiter communior, & verior opinio, ac generalis ſententia.

c Curia Romana. Tenet, & ſic ſeruatur hodie, quod cum tali irregulari Epiſcopus non poteſt diſpenſare, & eſt communis opinio, pro qua. in cap. cum etiam, de re iud. in lib. 6. & cap. 1. de ſent. excom. eodem lib.

d Diſpenſare. Vnde Henr. in c. ſi celebrat. de cler. exc. 4. dicit, quod cum tali Epiſcopus diſpenſare non poteſt, ſed ſolus Papa. Sed Ver. & Hoſt. in c. latores, eod. tit. in ſumma, eo. c. fin. idem Spec. & Archidiaco. 50. diſt. miror. nec obſtat. 2. q. 5. quanto. & ibi Epiſcopus diſpenſauit auctoritate Papæ ſecundum Ioan. And. hic, & Archidiaco. Et quod D in hoc caſu poteſt diſpenſare ſolus Papa, eſt expreſſum in c. cum æterni. §. ſtatuimus de re iud. lib. 6. idem Ioa. And. de cenſib. in c. exigit, & hoc tenet Cardinalis, & Guliel. de monte Laug. & Gen. & Haſten. Vndè non credo ſecundū Vincen. hoc, quod ille, qui inſtitutus eſt in Curia ad imponendas pœnitentias, poſſit cum eo diſpenſare Hen. vbi ſup.

e Separatus. Sed an iſti concubinarii notorii poſſint abſolui à crimine concubinatus pendente irregularitate, eſt dubium. Guliel. de monte Laug. in clem. dudum, de ſepul. dicit quod non. Toletanus tenet, quod ſic in c. ſi quis, de cleric. excomm. Ioan. de Lign. ibi diſtinguit ſic, quod cum irregularitas inſurgit à crimine non ad effectum: tunc ſi talis pœnitere velit de crimine, contemnit tamen abſolui à E peccato manente irregularitate, tunc ex ſolo contemptu peccat mortaliter. Nam non eſt pœnitentia fructuoſa, & in hoc caſu opinio Guliel. vera eſt, quod nō poteſt abſolui à peccato manente irregularitate. Sed ſi vult abſolui, nec per eum ſtat, quin abſoluatur: tunc opinio Toletani eſt vera. Hæc Io. de Lign. c. ſi quis, de clerico. excom. miniſtr.

NONA CONCLVSIO.

CVm iſti concubinarij ſint notoriè in peccato mortali, non faciunt fructus ſuos, quos percipiunt ab Eccleſia reprobo eorum ſtatu durante, & tenentur ad reſtitutionem perceptorum tempore talis ſuſpenſionis Eccleſiæ faciendam, quia de iure non poſſunt ſeruire a Eccleſiæ, cui ſeruire tenentur, in ſtatu Deo non accepto; iuxta illud Deuteron. 10. cap. Iuſtè quod iuſtum eſt exequaris. Iſte autem in tali ſtatu exiſtens, cum teneatur ad celebrandum ſiue ex ordine, ſiue ex beneficio, vel ad alia diuina officia non poteſt dignè b pro ſe vel alijs, quibus tenetur ſacrificia offerre impediente peccato mortali, ſecūdum ſententiam ſancti Tho. 4. Sententiarum, diſtin. 14. cum quo concordant Albertus & Raynaldus. Vide in ſumm. Piſ. in verbo ordinatus. Item quia de iure beneficium datur propter officium, in cap. cum ſecundum Apoſtolum, de præben. cum concor. Illicitè ergo tenet beneficium, qui ſua culpa ad officium ſe reddit indignum. Hæc igitur concluſio clarè elicitur ex c. eos, 81. diſt. & ibi Glo. facit in ar. c. paſtoralis, ad finem, de appe. de quo tex. in c. præter. 32. diſtinctio. idem Vincen. & Henri. de cohabita. clericor.

a Seruire. Idem Innoc. & Hoſt. in c. ſicut, de cohab. cler. & hanc q. in expreſſo tenet D. Martinus Petri in ſuo Director. confeſſionum, vbi tractat de ſuſpenſione dicēs, quod tales concubinarii ab officio, & beneficio ſunt ſuſpenſi.

b Non poteſt dignè. Et cui interdicitur officium interdicitur beneficium 81. diſt. ſi quis ſacerdotum, & c. eos, ita no. Bern. de conſuetudine, cum dilectus. Idem videtur ſentire c. cum paſtoralis, de appel. de quo tex. eſt expreſſus in c. propoſuit, de fil. presb. ord. cum ſecundum Vin. in c. præter hoc 32. diſt. dicit ſuſpenſo ſunt bona Eccleſiæ deneganda, quando eſt in mora petendi abſolutionem, nam indignum eſt, vt Eccleſię alimoniis ſuſtententur, qui illam diffamare non deſiſtunt notoriè maculatè viuendo.

DECIMA CONCLVSIO.

C IN locis vbi clerici ſolent decimas, vel primitias, quæ ex lege debentur per ſeipſos leuare, ſi ſint notorij fornicatores non ſunt eis dandæ: a ſed potius epiſcopo. b Hæc eſt determinatio Fran. de Zabar. vtriuſque iuris Doctoris in cap. tua nobis. 2. extra de decimis. Cuius ratio pēdet à notatis ſuperiori cōcluſione, quòd non faciūt fructus ſuos, ergo

a Eis dandæ. Idem Archidiac. in cap. præter hæc 32. diſt. qui ſic dicit. A talibus clericis, ſcilicet notorijs fornicariis poſſunt laici ſubtrahere decimationes voluntarias, ex quo ab eorum officiis abſtinere debent. item Ioan. de Lign. in cap. veſtra. de cohabit. cleric. dicit, quod parochiani poſſunt iſtis concubinariis notoriis denegare ſuam audientiam, non ſolum permiſſione, ſiue licentia iuris, ſed virtute interdicti Eccleſiæ. Et eadem ratione alia iura eccleſiaſtica, vt notatur per Ioan. Andr. & Hoſtien. de decimis, in D cap. tua.

b Sed potius Epiſcopo. Ioan. in alleg. cap. tua, de decimis, & in nouella. variauit in iſto paſſu. Nam modo adhæret opinioni Hoſtienſ. ſ. quod non debent ſolui decimæ publicis concubinariis, ne nutriantur in delictis. Modo videtur dicere, quod parochianus nunquam poteſt ſe opponere contra presbyterum parochianum de decimis non ſoluendis, quantumcunque ſit criminoſus, niſi oppoſitum probet, & quod ſit notoriè intruſus in beneficio. Sed veritas eſt, quod in vtroque caſu non poteſt opponere quantum ad hoc, vt nullo modo teneatur ſoluere, vel poſſit eas conuertere in vſus ſuos, quia hoc eſſet etiam contra ius diuinum, ſed debet eas ponere in depoſito, vel conuertere in vtilitatem Eccleſiæ de conſenſu Epiſcopi. Et pro iſta E concluſione, & determinatione veriſſima, etiam vltra hic allegata, faciunt notata per Anto. de Butr. in cap. cum inter priorem. de except. vbi dicit, quod legitima exceptio eſt, quam opponit Archi. contra ſuum presbyterum Curatum de non ſolutione decimarum, ſcilicet, quod non facit diuinum officium, vel adminiſtrantur ei Sacramenta eccleſiaſtica. Idem etiam tenet Lapus de Caſtilione in ſuis allegationibus. Et ibidem refert Dom. Andr. modo certum eſt, quod publicus concubinarius non facit diuina officia, nec adminiſtrat Sacramenta in ſtatu, in quo debet, propter quod fuerunt propriæ decimæ aſſignatæ in dicto cap. tua, eodem tit. & ſic perinde eſt, ac ſi non faceret, quia nihil, & inutile æquiparantur, in capit. tuæ, de cleric. non reſident. immo non ſolum facit inutiliter, ſed damnabiliter, vt patet in iſta concluſione decima, & præcedentibus ſuis gloſſis. Et quoniam Docto. prædicti dicunt de decimis perſonalibus, & prædialibus, ſicut realibus, vt eſt ſententia, & no-

ergo non debent aliquam ſuſtentationem ab Eccleſia re- F *cipere* a *durante eorum ſtatu reprobo, vt in c. alleg. eos. & c. præterea cum ibi notatis,*

ua determinatio Dom. Franc. de Zabar. qui dicit, quòd gl. vel poſita in alleg. cap. tua, debet limitari, ſ. niſi delictum eſſet notorium, quia tunc non debent laici ſoluere aliquas decimas perſonales, vel reales notoriis fornicatoribus, vel ſimoniacis, art. cap. paſtoralis. de appel. Et dicit etiam, q parochianus debet ſua auctoritate, ſi Epiſcopus etiam ſit notorius fornicator, vel ſimoniacus conuertere in vtilitatẽ Eccleſiæ, vel pauperum. Et huius eſt ratio, quia ſicut decimæ perſonales debentur pro labore, ita etiam prædiales, vt in c. vanum genus. de decim. & cap. quęſitum 16. quæſt. 1. & ſic idem ius in vtriſque.

a Recipere. Dom. Hoſt. in c. tua nobis, de dec. dicit, quòd G perſonales decimæ non ſunt reddendæ clerico notorio, concubinario, quia decimę dantur ratione diuini obſequij 12. quæſt. 2. conceſſo. & nõ debent percipere beneficium, qui non faciunt obſequium, & eis non ſunt dandæ, ne in peccato ſuo nutriri videantur. Ipſas tamen parochianus retinere non debet, ſed de conſenſu Epiſcopi in Eccleſiæ vtilitatem conuertentur. Iſte autem, cui pręſtanda eſt decima, reddit ſe indignum perceptione decimarum, cum non faciat id propter quod decima eſt Eccleſiæ aſſignata, vnde eſt, vt puniatur in eo in quo deliquit ſecundum Hoſtienſ. in fine. idem Henri. ibi, & Toletanus. Poſſet aliquis opponere, d. c. cupientes. de priuileg. in cle. poſt prin. vbi cauetur, q eſt excommunicatus religioſus qui in prædicatione, vel alibi talia dicat per quæ populus retrahatur à ſolutione decimarum. Dic. quod non obſtat illud, quoniam, etſi H illa conſtitutio habeat locum in religioſo: non tamen in aliis, & illud c. intelligitur quando intereſſe proprio, & voluntate aliquis religioſus hoc faciat, vt decimæ non ſoluantur. ſecus ſi aliàs, vt in caſu noſtro: voluntas enim & propoſitum diſtinguunt maleficia, vt in cap. cum voluntate, de ſententia excommunicationis. Hæc ergo prædicta clem. habet locum in tribus concurrentibus. primo ſi ſit religioſus. Secundo ſi intentione retrahendi aliquos à ſolutione decimarũ hoc faciat. Tertio ſi faciat, vt decimæ Eccleſijs debitæ non reddantur, ſed in concluſione ſolum concluditur decimas, & oblationes non eſſe reddendas iſtis fornicatoribus, ſed omnino Eccleſiæ, vel Epiſcopi vtilitatib. applicandas: interueniente tamen Epiſcopi diſpenſatione, & ſic ceſſat oppoſitio quę nõ habet locũ in concluſione pręc.

VNDECIMA CONCLVSIO. I

CLericus notoriè concubinarius, viuens non debet permitti ingredi in Eccleſiam, & moriẽs non debet cum alijs fidelibus ſepeliri. Hæc concluſio manifeſte elicitur ex tex. omnis vtriuſque de pœnit. & remiſ. ſi benè examinetur ipſum cap. vbi eſt caſus, quod quicunque fidelis habens annos diſcretionis, ſi non confitetur ſaltem ſemel in anno, & ſuſcipiat Euchariſtiam in paſcha ſecundum Doct. peccat mortaliter, & viuens habet interdictum ingreſſum Eccleſiæ, & poſt mortem ſibi interdicitur eccleſiaſtica ſepultura. Cum igitur concubinarius, de quo ſupra ſit notoriè peccator, & perſeueret in peccato mortali, & non confiteatur, nec recipit Sacramentum Euchariſtiæ prout debet recipere, concluditur, quod hanc pœnam incurrit. Item quod non debeat ſepeliri ſatis iura expri- K *munt, quia interdicto Eccleſiæ durante Eccleſiaſtica ſibi interdicitur ſepultura, vt in cap. his qui de ſenten. exc. lib. 6. & quod talis ſit interdictus tali ſtatu durante, eſt caſus in alleg. cap. ſi qui ſunt.*

DVODECIMA CONCLVSIO.

SAcerdotes habere fœminas ſaltem publicè eſt nefariũ dicere & horribile audire, a *& contra ſacrorum canonum inſtituta, & per eos nomen Dei blaſphematur, vt in cap. omnis 81. diſt. ſunt enim ſcandalum omni populo Dei, cum deteriorem vitam ducant, quam populus, & in publico. Tanto enim peccata ſunt grauiora, & exiſtunt deteſtabilia, quanto in eis diutius perſeuerant, vt in cap. fin. de conſuetud.*

a Et horribile audire. S. Thom. Doct. 2. 2. q. 5. art. 8. tenet, quod ceteris paribus plus peccat ſacerdos faciẽdo aliquid contrarium ſanctitati, quam aliquis alius religioſus qui ſit infra ſacros ordines. & ſic conſtat, quod grauiſſimum eſt iſtud crimen in ſacerdote, cum eſt præſertim notorium. quis enim non blaſphemaret? nam ſi vnus religioſus tenet publicè concubinam quandam ſanctimonialem, qui religioſus aliter exiſteret infra ſacros ordines, indubitanter totus populus vellet lapidare eos, & tamen maius peccatum eſt fornicatio in ſacerdote quam in illis religioſis, & ſic multominus deberet hoc nefarium vitium tolerari in viris Deo dedicatis, & ſacerdotibus. Sed quomodo iſti ſacerdotes inferunt plura damna toti Eccleſiæ viuentibus, ſ. & morientibus in purgatorio exiſtẽtibus per hoc cognoſces. nam ſacrificia, & oblationes ſacerdotum proſunt dupliciter ſupradictis, ſcilicet ex virtute Sacramentorum quæ nõ poſſunt violari, nec fœdari, nec maculari propter qualemcunque miniſtrorum vitam, vt in cap. veſtra. de cohabitat. cleric. & ex vita ipſorum miniſtrorum, vita namque ſacerdotum eſt neceſſaria Euchariſtiæ non quantum ad conſecrationem, ſed quantum ad effectum prima quæſtione vulnerato paſtore c. qui curandis ouibus adhibet medicinam, quomodo populum tuebitur orationis clypeo, qui iaculis hoſtium ſe feriendum exponit, aut qualem fructum de ſe producturus eſt, cuius graui peſte radix infecta eſt. Magis ergo metuenda eſt illis locis calamitas, vbi tales interceſſores ad locum regiminis adducuntur, qui magis in ſe ad iracundiam prouocant quos per ſeipſos placare debuerant. Et ſic vulnerato paſtore, medicina non adhibetur curandis ouibus, & de infecta radice fructus non producitur, & maior calamitas in futuro metuitur. Hæc eſt ſententia originalis beati Gregorii in quadam epiſtola deſtinata Regibus Francorum, vt habetur. 1. quæſt. 1. cap. vulnerato: Ecce luculenter conſtat, quod nullus fructus prouenit viuis, & mortuis ex vita iſtorum, cum tamen vita eorum ſit neceſſaria ad hoc, quod ſacrificia eſſent magis expiatiua. Et ſic non eſt dubitandum, quod Deus plura bona ſpiritualia, & temporalia ſuæ Eccleſiæ concederet, & animæ defunctorum expiarentur à pœnis, & flammis, ſi iſtorum vita non eſſet maculata, & vltra hæc multa debemus formidare pericula. Non hæc eſt mea ſententia, ſed præfati Gregorii.

XIII. CONCLVSIO.

CVm ſit de neceſſitate ſalutis præceptum Eccleſiæ, vt ſuperius eſt probatum obſeruare, ideo parochiani omnino abſtinere a *debent ab audiendo Miſſam, & alia diuina, & ab aſſumendo quæcunque Sacramenta ſub pœna peccati mortalis ab iſtis concubinarijs. Et non debent contrafacere, etiamſi ſit ſcandalum, cum propter ſcandalum non ſint dimittenda quæ ſunt de neceſſitate ſalutis. Et hæc eſt communis ſententia Theologorum, & Canoniſtarum ſignanter S. Tho. 2. 2. q. 12. art. 7. & idem Henr. in cap. cum ex iuncto de noui. operis nunc. Idem B. Hieronymus, & B. Gregorius ſuper Ezec. In neceſſitate tamen poſſunt iſta duo Sacramenta miniſtrare concubinarij ſ. baptiſmum, & viaticum, vt in c. alleg. veſtra. etiam poſſunt pœnitentiam iniungere in extremis, vbi alius reperiri non poſſit. Parochiani vero ſi cõtrafaciant, ſunt veri idolatræ, vt dicit tex. expreſsè in alleg. cap. præter. §. porro.*

K a Abſtinere. Sacerdos enim ſi peccauerit quis, orabit pro eo 9. diſt. alienum. Et ſic grauiter peccant, quoniam ſecundum ſententiam Domini Hoſt. ceteris paribus plus peccat ſacerdos qui fornicationem commiſit, vel committit, quã religioſus infra ſacros, vel quælibet monialis, aut quicunque alius adulterium committendo. Et quanto plures ſunt, tanto plus contemptibiles efficiuntur 92. diſtin. cap. remiſ. in fin. poſſunt tamen parochiani in Eccleſijs ſuis facere orationes, dum tamen non illo tempore, quo aliquis publicus concubinarius facit aliquod officium in Eccleſia. Immo in diuinis magis tenentur vitare talem concubinarium publicum, quam excommunicatum notorium. extra diuina tamen non vitabunt fideles Chriſti talem impium ſacerdotem, cum non ſit maiori excommunicatione excommunicatus. Et nota, quod ſecundum Deum, & iura maius peccatum eſt, & maior indè pœna infligitur

ſtigatur ſi quis communicet in diuinis notorio fornicatori ſacerdoti, quam notoriè excommunicato, vt patet ex ſuperius allegatis. Participare vero cum notorio excõmunicato non eſt peccatum mortale, niſi in diuinis, & adeſſet contemptus hæc ſententia eſt S. Tho. in quadam q. de Quodlibetis ſuis. Vide latius per Hen. iſtum paſſum in c. ſacris, de ſepul. & quòd me cauſa, vbi ponit 5. caſus, quibus peccatur mortaliter participando cum excommunicato.

XIIII. CONCLVSIO.

Vtiliſſimum eſt, & laudabile, & valde meritoriũ a populis, tribubus, & linguis promiſcui ſexus vniuerſis prædicta ignorantibus euangelizare, & illa deteſtari, vt Domini præcepta, ac Eccleſiaſtica imperia executioni efficaciter mancipentur. Et vt populus Chriſtianus ſacris eruditionibus inſtruatur, leproſi ac contaminati ſacerdotes contagione peſtifera ſalubriter arceantur. Si enim excommunicatus ideo publicatur, vt ab alijs euitetur, & ab alijs euitatur, vt rubore ſuffuſus emendet in melius, quod illicitè perpetrauit, vt in cap. paſtoralis, de appellation. in fin. iuncto cap. ſi inimicus 93. diſt. & cap. audi. 2. quæſt. 3. à ſimili eſt in iſtis concubinarijs, vt per hanc euitationem, quam fieri imperat Eccleſia, ſalubrius ad agẽdam pœnitentiã ſatisfactione præuia inducantur. Sola enim vitia eorum ſunt in odio, non natura humana, quæ ſub præcepto charitatis eſt diligenda, vt in c. odio 86. diſt. ad ſolum illum finem pœnalia iura contra eos ſunt introducta. Nec obſtat, quod aliqui populares ſcandalum ſe dicant pati, quia re vera illud ſcandalum eſt puſillorum, & verius non eſt ſcandalum quia illud, quod perfectè rectum vel dictum eſt, non habet permiſſionem ruinæ, & per conſequens non eſt ſcandalum, ſecundum S. Thom. 2. 2. q. 20. Et cum iſti concubinarij arguantur, vt emendentur, & populus informetur, vt ſalutis præceptis obtemperet, & ſeruetur in hoc intentio Eccleſiæ, nec exceditur modus principaliter nec conſequenter. Non eſt ratio, nec conſentaneũ cur ſit deſiſtendum. Cum tacere in tali cauſa illos, ad quos pertinet ſit peccatum. Vnde Propheta: Væ mihi, quia tacui Iſa. 6. Phariſæi enim ſcandalizabantur de doctrina Chriſti, & populum concitabant, cum eis vera, & cœleſtia prædicaret, & eum volebant reprehendere viuentes, & facientes contra legem Dei, quod ſcandalum Chriſtus contemni iubet Matthæi 15. c. quo ſcandalo non eſt ambigendum illos ligari, & inuolui, qui ſcientes, ſeu ſcire nolentes ſanctiones canonicas impediunt, & procurant, vt viri ſpirituales, & Deum timentes, vita irreprehenſibiles, annuncient populo verbum Dei, & vitia reprehendant, atq; pericula detegant animarum, cum ſit eis odioſum, quando in ſermonibus de hac materia aliquid tractatur. Cum tamen vas electionis, & Doctor gentium, in quo Chriſtus loquebatur, Paulus egregius Apoſtolus imperauit Timotheo dicens: argue, increpa &c. 2. ad Tim. 4. cap. Et licet propter illud ſcandalum puſillorum, quod ex ignorantia, vel infirmitate procedit, ad tempus quandoque ſit ſuperſedendum, tamen poſtquam ignorantes fuerint informati de veritate, ſi ſcandalizentur, non eſt propterea à prædicatione deſiſtendum, b *quia tunc tale ſcandalum videtur procedere ex malitia, cui prorſus eſt obuiandum,* c *tales. n. ſecũdum Prophetam nolunt intelligere, vt bene agant. Et ſententia hæc eſt beati Tho. Secunda Secundæ q. 43. art. 7. vbi expreſſe tenet, quòd opera ſpiritualia, vt doctrina,* d *& ſimilia, ad tempus ſunt occultanda, tamen non ſunt omnino prætermittenda In qua ſententia eſt B. Hieronymus, qui dicit, quòd propter ſcandalum ſunt aliqua prætermittenda ſalua triplici veritate ſ. doctrinæ, vitæ, & iuſtitiæ. Et ſic de tali ſcandalo non eſt curãdum. Quòd. n. ſacerdotes a tanto facinore remoueantur & quod populus non incurrat peccatum paganiſmi, & idolatriæ, pertinet ſine dubio ad veritatem vitæ, vt in ſuperioribus eſt probatum, cum iſta ſit finalis intentio Eccleſiæ, vt in præalleg. cap. veſtra. Sed ecce hoſtis humani generis a principio ſui caſus vehementer ingemit, vt humanum genus nebuloſa cæcitatis ignorantia modis omnibus inuoluatur, & ſummo ſtudio vigilat, vt peccata non cognoſcantur, nec redarguantur, vt ſecurius populares decipiat, prout dicit B. Bernardus, vbi non eſt reprehenſor ſecurius accedit tentator. Et*

A *hanc malitiam ſua obſtinata peruerſitatis iam dudũ tempore Iuliani Apoſtatæ inferre voluit, qui Imperator ex inſtinctu diabolico omnes libros quotquot reperire potuit Chriſtianorum igni cremari mandauit, vt latius patet in hiſtoria tripartita. Hãc etiam incitauit tempore B Tho. de Aquino, & B. Bonauentura per myſterium Armachani, vt ipſe Tho. ſcribit latius in tractatu quem ipſe edidit contra Armachanum, qui volebat deſtruere ordines mendicantium, vt nullus perfectus eſſet in ſcientia. Ignorantia. n. eſt mater cunctorum vitiorum 38. diſt. c. ignorãtia. Ignorare. n. eſt ignorare Chriſtum ſecundum quod ait B. Hieronymus ſuper Iſaiam, & eſt textus in c. ſi iuxta, eadem diſt. §. 1. ignorantia eſt mater errorum maximè in ſacerdotibus, qui tenentur ſcire decreta, & Scripturas Sacras, & populum inſtruere, vt patet per totam illam diſt.* B *quia ſacerdos cæcus cæcum populum ad foueam deducit, vt in cap. cum ſit de ata. & qualit. & Iſa. 5. Propterea populus ductus eſt in captiuitatem. quia ignorauit legem. Sacerdotes. n. debent ex commiſſo ſibi beneficio populum illuminare, & docere ſecundum ſententiam B. Dionyſii in 1. de Eccleſiaſt. Hierarch Propterea clerus eſt hodie contemptibilis. Malach. 2. c. Hæc eſt ſententia B. Aug. in quodam ſerm. Vnde ſi obijciatur populum ignorantia excuſari circa prædicta. Eſt dicendum, quòd ignorantia prædicta poteſt excuſare a tanto, ſed non a toto 1. quæſt. 5. ſi. 4.*

Et ſic

a Meritorium. Omne opus humanum, & actus eſt meritorius ſi ſubijciatur caritati, & ſit regulatus in Deum. Sententia eſt S. Thom. Secunda Secundæ q. 2. art. 9. cum igitur is, qui caliginem ab oculis clericorum, & populorum fi- C deliter ſeparat, & viam veritatis oſtendit, intentionem ferat ad Deum, non eſt dubitandum, quod opus per eum exercitatum, puta prędicatio, & criminum ac erroris propalatio ſit ſatis meritorium. Vnde ſecundum eundem Sanctum Tho in quadam quæſt. de quodlibet. tanto opus eſt magis laudabile, quanto à nobiliori virtute procedit. Cum ergo prædicatio verbi Dei maximè circa prædicta procedat ex latria quę eſt nobilis, & ſumma virtus, cõſtat profectò, ꝙ talis prædicatio eſt nimium vtilis ac laudabilis. Ceterum ſi dicas, ꝙ ad religioſos non ſpectat talibus ſe implicare negociis, & prædicationibus: præſertim cum de iure communi prædicare verbũ Dei pertineat ad clericos parochiales, vt in clem. dudum de ſepul. Reſpondit S. Tho. in quadam q. de quodlibet. ꝙ ad religioſos, qui vitam contemplatiuam eligunt, ſpectat magis quam ad clericos ſæ- D culares prædicare, & cõfeſſiones audire, & Sacras Scripturas docere. Et tamẽ de licentia ſuorum prælatorum. Et eadem pœna puniuntur in conſtitutione, quę incipit, ſpecioſus forma per Petrum de Luna olim Papam Benedictum, cum erat legatus Domini Clementis 7. in partibus Hiſpaniæ. Item etiam puniuntur ibidem, ꝙ ſunt inteſtabiles, & aliis pœnis ibi cõtentis. Sed clerici allegant contra eandẽ, quod non fuit moribus vtentium approbata. Sed aduerte, quòd illud qđ dicitur, inteſtabiles, debet limitari, vt aliquã pœnam addat quantũ ad fructus eccleſiaſticos, ſ. quod de illis, quando viuunt non poſſint teſtari, quod eſt verum ſi habent adminiſtrationem, vel curam animarum ſecũdum Ioan. Andr. opinionem in c. præſenti de officio ordi. lib. 6. in gloſ. ordinaria. ſecus dicit de nõ habentibus adminiſtrationem, quia iſti poſſunt, vt ibi videas. Sed Archidiacon. te- E net contrarium, vt ibi, & in c. ſtatu. de reſcriptis lib. 6. idẽ Petr. de Ancharano. in ſuo apparatu nouiſſimo in c. pręſenti, vbi dicit, qđ iura alleg. per Ioan. Andr. tenent clerici pro Euangelio, quod eis fauent in parte. Sed opinio cõtra, videtur verior de iure. Et illud, qđ dicitur, quod non poſſint teſtari, intelligas liberè ſecundum prædic. Docto. Nam alias bene poſſunt in vita, & in morte donare ſeruitoribus, & ceteris moderate, vt in cap. regulatum, eodem tit.

b Deſiſtendum. Idem Nicolaus de Lyra ſuper Matth. 4. c.

c Obuiandum. De quo eſt tex. in c. ex parte de priuileg. iuncta l. in fundo. ff. de rei ven. Nam publicæ vtilitati Eccleſię intereſt, crimina non remanere impunita, vt impunitatis audacia non fiant nequiores, qui nequam fuerunt in l. ita vulneratus 1. §. ff. ad leg. Aquil. in fine, 1. cap. vt famæ, de ſententia excomm. cum ibi notatis. (ſunt in practica,

d Vt doctrina. Iſta memoriæ commenda, quia hodiè

Et ſic videtur etiam, quòd ignorantes peccent in hoc caſu. Maximè aliqui, qui neſcire procurant, quia talis eſt affectata ignorantia, quæ omnibus eſt nociua, & in nullo eſt excuſabilis, quando quis non vult intelligere, vt benè agat 37. diſt. c. fin. Et ſi iſta prædicantes ſentiant æmulos, non tamen debent à veritatis prædicatione deſiſtere 44. diſt. ſcimus Vnde Dominus per Prophetam prædicatoribus loquitur. Clama ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo ſcelera ſua Iſa. 58. cap. Item licet iura omnia claudamus, & viri prudentes obmuteſcant, qui per ſalutaria monita nobis pandunt regna cælorum, ac verſutias diabolicæ fraudis detegunt. ſufficiebat nobis indignis, qui volumus corrigi de peccatis, illius Angeli perſpicua, ac prælucida ſententia ſanctiſſimi confeſſoris domini Vincentij, qui voce ſonora, vtpote organo diuinæ legationis piè fulgens iſta mundo palam ſæpiſſimè Euangelizauit, ac diſcreti iudicij ſententiam ſuperni interminanauit, quorum teſtes ſuperſtites plures ſumus, cuius doctrina in his, quæ non obuiant Sacris Scripturis, eſt tenenda, quia prædicti ſancti Doctoris totus vitæ decurſus palam extitit Euangelicus, cuius vitam ſanctiſſimam, necnon & admiranda prodigia, infinitaq́; miracula aſſidua, Chriſti nouit Eccleſia. Quis obſecro ſanæ mentis, & præſertim tantæ ac tam miræ ſcientiæ, & bonitatis eximiæ, vir intrepidè, & palam mundo nunciaſſet concubinarios notorios fore vitandos ſub tanto rigore, niſi & cognouiſſet eſſe Domini voluntatem per ſcientiam infuſam, vel acquiſitam, & populis ac fidelibus vniuerſis eſſe neceſſarium ad ſalutem? quis enim narrare ſufficiat, quot indiuiſim ſacerdotes hac labe contaminati, ſunt ad viam rectitudinis reuocati per eius ſanctam prædicationem, & catholica monita? hoc ſolum ſufficiebat vniuerſis, & ſingulis, quibus de hoc notitia iuridica non exiſtit: maximè cum eius ſententia pluribus iuribus fulciatur, & plurimorum veridicorum Doctorum Theologorum, & Canoniſtarum præfulgidis teſtimonijs comprobetur. Faciendo igitur concluſionem in præſenti Opuſculo, id cũ ſana conſcientia ſentio, prædictis concluſionibus oppoſitum aſſerendo fidelium animabus eſſe damnoſum, ac ſeminarium vitiorum, cum tot, & tanta iura, necnon tantorum Patrum, & Doct. ſententias, & determinationes non debeamus cõtemnere. Plures namque alij famoſi Doctores id ſentiunt, quorum ſententiæ ob breuitatis cauſam hic omittuntur. Hodiè namque clerus efficitur contemptibilis propter flagitioſas ſacerdotum vitas indignè viuentium, cum nemo ſit, qui eis medicinalem correctionem apponat. Sed ſub quadam libertate peccandi, & conſuetudine deteſtanda tendunt ad baratrum, quos malè viuentes, aut publicis fornicationib. inuolutos. firmiter teneo eſſe inimicos Chriſti, & S. Spiritus contemptores, quia ſi quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, Ioan. 9. & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Ecce quomodo Spiritus Sanctus, cuius eſt fugere fictum, in iſtis pollutis domicilijs habitare non vult, immo longè eſt ab eis ſalus, quia Chriſti iuſtificationem non exquiſierunt. Et ſic remanẽt viuentes mortui, Sunt enim priuati gratia, & virtute. Et ſic cum iſti Deum negligant, operibus reprobis Chriſtum blaſphemant. Ad quorum etiam confirmationem inſero præclaram ſententiam B. Hieronymi in Epiſt. ad Damaſum in hæc verba. Vere Domine ſi fornicantium ſacerdotum velles ſacrificium, & libamen, mendax fieres, & peccatorum ſocius, cum huiuſmodi ſacrificium ſit ad ſacerdotis damnationem, nec prodeſt eis pro quibus ſit. immo vt veriſſime dicam, qui vitam ſacerdotis agnoſcit, & eum pro ſe celebrare facit, ſit eiuſdem peccati conſcius, necnon & pœnæ particeps. Hæc beatus Hieron. & ſecundum iſta conſulerem a cuicunque, quòd non faciat celebrare

brare

a Conſulerem. Pro iſtorum opinione, & cõtra Glo. arguitur ſic. Certum eſt, quod ſuperiorum lex per inferiores tolli non poteſt, vt in c. inferior. 21. d. & c. cũ inferior. de ma. & obe. ſed ꝙ creatura adoret ſuum creatorem, & ei reuerentiam impẽdat eſt ex lege diuina. Vnde Dominũ Deum tuum adorabis &c. ergo hoc non poteſt tolli per legem inferioris, puta per conſtitutionẽ Papæ, vel Eccleſiæ. Ad hoc

F reſpõdetur, quòd cõſtitutio humana, ſiue ius canonicum, non poteſt in totum tollere legem diuinã, ſed bene in parte modificare, diſtinguere, vel circa eadẽ diſpenſare, vt notatur, per Doctores in c. à nobis, de decim & c. quæ in Eccleſiarum. de conſt. ſignãter per Inn. & Io. Andr. poſt eum in Nouella. Sed contra iſtam ſolutionem opponitur, de c. ne Romani. de alleg. in clem. in principio. vbi dicitur, ꝙ cum lex ſuperioris per inferiorem tolli non poſſit, collegiũ Cardinalium ſedę vacante non poteſt aliquid addere, diminuere, mutare, modificare, vel etiam diſpenſare quocũque modo circa conſtitutionem Bonifacii ęditam in Concilio Lugdunen. c. vbi maius periculum lib. 6. Ad hoc poſſet dici, quòd ſit ibi hoc ſtatutum ſpecialiter in fauore vniuerſalis Eccleſiæ, & in odium illorum, qui ſuæ ſcientiæ innitentes per cauilloſas rationes impediebant electionem G Summi Pontificis, in graue prȩiudiciũ, ſeu periculum totius Eccleſię militantis. Sed huic ſolutioni manifeſtè reſiſtunt mens, & verba prędictę cle. vbi apparet, ꝙ Papa nõ ſtatuit ibi aliquid ſpecialiter nouum ius condendo, ſed reſpondet ad id, quod erat de iure, vbi cum dicit, opinionem &c. tanquam veritati non conſonã de fratrum noſtrorum conſilio reprobamus. Qua propter poſſet aliter dici, ꝙ conſtitutio eccleſiaſtica, quę loquitur de vitandis concubinarijs non diffinit, ſeu derogat, vel diſpenſat, ſeu aliter diſponit in præiudicium legis diuinæ, conſiderata ipſius mente, ſed ſi benè aduertatur, iuuat eandẽ legem diuinam per pęnę appoſitionem, quod benè poteſt facere: immo debet, vt nota. Glo. in clem. & notant Doct. & ſignanter in dicto c. cum inferior. Quis. n. ſanæ mentis, neget, ſacrificia talium concubinariorum publicorum redundare in Dei irreuerẽ-H tiam, & blaſphemiam, vt patet per totum tractatũ? Et conſiderata eius mente non prohibet aliquem Deũ adorare, vel debitam reuerentiã exhibere, quod eſſet attentare cõtra ius diuinum, ſed prohibet ſacrificiis talium concubinariorũ intereſſe ſub pena peccati mortalis. Et hoc, vt concubinarii rubore cõfuſi exeãt de tam grauiſſimo crimine, ac ex hoc Deo acceptabile ſacrificium ac debitum honorem impendant, ideo & iſtud eſt iuuare legẽ diuinam, vt ſupra dixi. His viſis circa principalem paſſum, qui tangitur, & in gloſ. poſſet dici ꝓbabiliter, ꝙ ſi aliquis ex propoſito accedit ad videndum Euchariſtiã quando eleuatur à publicis cõcubinariis hoc ſciẽte, peccat mortaliter, quia eſt in fraudem legis. Secus ſi non ex ꝓpoſito, ſed caſu ſic cõtingente faciat tranſitũ per Eccleſiã, & ipſo ignorante eleuatur corpus Chriſti ꝑ publicũ concubinarium. Nã tunc crederẽ, ꝙ I poſſet eiſdẽ facere reuerentiã, & recedere ſtatim. Non obſtant rationes Gloſ. quia tunc ceſſat mẽs, & cauſa prohibitionis ipſius conſtitutionis Eccleſię. Hoc tñ dico ſalua correptione illius, ad quẽ pertinet, & iudicio melioris. Sed aduerte, ꝙ aliqui volunt piè tenere, & ſic dogmatizant, ꝙ licet verũ ſit, ꝙ concubinarii notorii debent in officiis, & Sacramentis vitari, tñ quicunq; fidelis, poteſt abſq; peccato dũ eleuatur Euchariſtia accedere ad videndum, & poſtea ſtatim recedere debet. Sed ſalua eorũ reuerentia, quia veritas eſt in cõtrarium. Nam erubeſcimus, dicit lex, cũ ſine lege loquimur. Cum igitur nulla ratione, vel iure hoc valeat ſuſtineri, non eſt tenendum. Nam iura indiſtinctè prohibent audire non ſolũ Miſſam, ſed nec Euangeliũ, vel Epiſtolã, vel quodcunq; aliud officium qđ in Eccleſia publicè fiat, vt in c. præter q. 32. d. & cum prohibitio ſit generalis, K & nulla fiat exceptio, nec diſtinctio, vbi ius nõ diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus, & qđ non eſt ſanctorum Patrum decreto ſancitũ, veſtris non eſt adinuẽtionibus præſumẽdũ, vt in c. inter corporalia. §. ſed nec illud de trãſlat. Conſtitutio. n. negatiuè emanauit, & ſic abſoluta eſt prohibitio, niſi inueniatur expreſſẽ conceſſum, ſemper in omni caſu intelligitur eſſe prohibitum iuxta notata in c. alleg. inter corporalia. Item cum quid prohibetur, omnia quę ſequuntur ex illo prohibentur, vt in regul. cum quid, de reg. iur. in 6. ſed audire Miſſam à talibus notoriis fornicatoribus eſt prohibitũ, & per conſequens omnia, quę intra Miſſam ſunt, præſertim quia Miſſa ſolum dicitur Euchariſtia, & non alia, quæ potius ſunt ſuffragia, & orationes vel inſtructiones. Et ſic firmiter tenendum eſt, quod nullo modo, licet videre Euchariſtiam in Miſſa talium, ad euadendum pœnas iuris, & peccatum mortale.

brare miſſas nec ſacrificia, nec alia diuina officia, ſiue pro viuis, ſiue pro mortuis, per tales notorios fornicatores, quia ipſi benedicunt, & Deus maledicit, Malachiæ 2. Maledicam benedictionibus veſtris. Et non dico, quod Sacramenta Eccleſiæ ſunt inania, polluta, quia, quæ ſancta ſunt, coinquinari non poſſunt, vt in cap. veſtra. ſuperius alleg. ſed quia iſti infelices ſacerdotes, ſe illicitè ingerendo diuinis ſemetipſos polluunt, eiſque fauentes. Nā omnis qui diſplicet, ad intercedendum mittitur, irati animus ad iracundiam prouocatur 3. quæſt. 7. in grauibus. Qui enim Deum prouocat peccatis proprijs, non benè poteſt intercedere pro alienis 2. q. 1. §. vulnerato quia ſacrificia impiorum ſacerdotum non placent Deo. Et ſic concluditur ex præmiſſis, quod peccat mortaliter ſecundum ſententiam ſancti Hieronymi, ille, qui inuitat ſacerdotem ad celebrandum, ſi alias non erat celebraturus, dum talis ſacerdos ſit de illis, de quibus hactenus eſt præmiſſum. Id tenet Sanctus Tho 4. Senten. diſt. 14 qui dicit, quod non eſt ſecurum, quod aliquis præter neceſſitatis articulum induceret talem ſacerdotem ad exequendum aliquid ſui ordinis durante conſcientia, quod ſacerdos ſit in peccato mortali. a Sed hæc ſecuritas non eſt propter aliud, niſi propter peccatum mortale, quod poteſt incurrere ex participatione. Et notanter eſt aduertendum, quod iſti fornicatores omnes ſunt in ſtatu damnationis ſecundum præſentem iuſtitiam, cum mortalibus inuoluantur peccatis, & ſint in poteſtate diaboli, & miniſtri Sathanæ, & non Chriſti, quia qui mihi miniſtrat, me ſequatur. Et cum ſummo ſtudio, & zelo religionis Chriſtianæ, ac profectu animarum, eſſet prouidendum, vel quod emendarentur, vel omnino amouerentur à tanto ſacerdotio, quo indigne vtuntur, ne templum Domini polluerent quantum in eis eſt. Sancti namque Prophetæ teſtimonio, immemores ſuæ ſalutis iugiter proclamant. Pſ. maledicti qui declinant à mandatis tuis. Multum namque & peramplius vtilius foret, vt eſſet vnus ſacerdos in tota vna ciuitate, qui non eſſet in peccato mortali, quam tanta miniſtrorum multitudo inutilium, arg. cap. cum ſit de ætate & qualitate iſti enim cum ſint inutiles, nihil reputantur, quia nihil, & inutile æquipollent. in regula nihil, de reg. iuris in 6. iſti enim cum ſint inutiles populo, Dei deuorantes decimas, & oblationes fidelium vſurpantes, quæ non debentur ex lege diuina, niſi illis, qui ſuum officium debitè exequuntur, & facientes ea, ad quæ ex ordine tenentur, ſunt detentores, & inique agentes. Item non ſunt excuſati apud Deum à peccato illi, ad quos ſpectat eos corrigere, vel loco eorum alios ſubſtituere. arg. cap. facientes 45. diſtinct. vbi clarè oſtenditur, quòd nullo modo excuſatur à peccato, imo particeps peccati efficitur ille, ad quem ſpectat corrigere delinquentem ſi non corrigit: iuris enim fictione conſentire præſumitur. Et audiant, quod de eis dicitur, ſanguis ſubditorum requiritur de manibus prælatorum, vt in cap. irrefragabili. de officio ordinar. Et licet prælatus ſit ſanctus, & innocens, & vita merito commendabilis quantum in ſe eſt, tamen ſi iſtorum notoriorum fornicatorum correptionem non exerceat, formidare debet diuinam ſententiam, quæ nihil dimittit impunitum. Exemplum Heli, qui licet in ſe bonus exiſteret, quia tamen filiorum exceſſus efficaciter non corripuit, in ſe pariter, & in ipſis animaduerſionis diuinæ vindictam excepit. De quo 1. Reg. cap. 2. & in cap. licet Heli. de ſimon. vbi dicit tex. ad corrigendos ſubditorum exceſſus tanto diligentius debet prælatus aſſurgere, quanto damnabilius eorum offenſas deſerit incorreptas.

Ad confirmandum igitur ſupradicta omnia quandam viſionem diſtricti iudicij ex ſacris reuelationibus beati A *Nicolai ad inſtructionem præſidentium, & fornicantium clericorum, decreui inſerere originaliter in hæc verba quæ ſequuntur. Presbyterorum, & clericorum incontinentium ſalus maximè periclitatur modernis temporibus, propter Pontifices, qui tam enorme ſcelus in iniuriam cæleſtium Sacramentorum, in quibus omnium fidelium ſalus, & vita conſiſtit, quæ iſti temerariè cum ſint polluti, & fœdi, tangere non verentur, corrigere diſſimulant. Quorum diſſolutio, & languor ſibi, & ſuis actoribus damnationem acquirit æternam. Et ſequitur. Sacerdotum plures, quos incontinentiæ ſuæ reatus pænitendo, & confitendo obligauerat innumeris, & immenſis ſupplicijs, & ardoribus in purgatorio confectos miſeros per omnia ferè vidi. Verum cogitanti intra me eorum numerum, reſponſum eſt mihi, quòd idcirco pauciſſimi de numeroſitate ta-* B *lium ibi torquentur, quia vix & raro quiſquam ex eis verè pænitens ſuper iniquitate, & fornicationibus ſuis in vltimo vitæ inuenitur, ideoque multitudinem maximam eorum, quos in carne morientes videmus, mors proculdubio æterna confeſtim excipit. Hucuſque viſio. Item prælati ſuſtinentes concubinarios in ſuis criminibus maximè obtentu pecuniæ, vel alterius cuiuſcunque commodi temporalis, grauiſſimè peccant, & ſunt puniendi* b *ſecundum canonicas ſanctiones, vt in capit. clericorum mores, de vita, & honeſtate clericorum. Quæ omnia, & ſingula, determinationi ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & iudicio cuiuſcunque alterius melius ſcientis, ſubmitto, & ſubmiſſa profiteor: credens, & firmiter tenens omnia, & ſingula, quæ à catholicis catholicè tenentur. Iuris tamen peritus* C *exiguus, & inter ſacræ paginæ profeſſores minimus, has concluſiones ſummatim commentatus ſum ſub compendio eorum, quæ diuerſimodè, & prolixè Theologi, & Canoniſtæ in diuerſis locis tractant. Quis enim eruditus, ac Chriſti legis zelator, audeat tenere contrarium, cum iura ſint manifeſta, & tantorum Doctorum concors ſententia, quæ ſecurior eſt apud Deum? Et licet aliqui Doctores videantur ſentire oppoſitum, timeo tamen ne in finali iudicio, vbi de iſtis nulla erit dubitatio, eis qui blandas tenent ac bleſas opiniones dicatur. Surgant, & opitulentur vobis, & in neceſſitate vos protegant, quando nullum prorſus ſibi, & nobis poterunt præſtare remedium.*

a Peccato mortali. Hanc etiam cōcluſionem tenet idem ſanctus Tho. in q. de Quodlibet. vbi dicit ſic. ſi conſtaret mihi ſacerdotem eſſe in peccato mortali, & inducerem D eum ad celebrandum, peccarem mortaliter. peccat enim faciens exequi quemcunque actum eccleſiaſticum ſibi interdictum. Et clarum eſt, quia talis efficiens, agit contra legem diuinam, vbi dicitur, iuſtè quod iuſtum eſt exequeris Deut. 16.

b Puniendi. Propter hoc in pluribus religionibus inuenitur, quod plurimi ſancti viri apparentes poſt mortem amicis ſuis quærentibus de ſtatu defunctorum, ab illis eſt reſponſum, ſi fuiſſet de numero prælatorum vtique fuiſſet de numero damnatorum. Specialiter hoc reperies de beato Gaufidio priore Claræ vallis, & tempore beati Bernardi tunc ibidem abbatis. Qui beatus Gaufidius dum eſſet electus ad quendam Epiſcopatum, & beatus Eugenius, & E beatus Bernardus ei mandaſſent, quod conſentiret, reſpondit, quod citius fugitiuus exiſteret quam electioni conſentiret. Et ſic credo vere, quod hodiernis temporibus nihil eſt periculoſius apud Deum, quam prælaturam aſſumere. iuxta notata in cap. multi 40. diſt. alias clericorum, idem beatus Hieronymus in Epiſtola ad Euſtochium, & reliquas ſanctas virgines.

Deo gratias.

INDEX CONCLVSIONVM
Huius Opuſculi.

Prima Concluſio.

Clerici concubinarij, quorum crimen concubinatus eſt notorium vno de tribus modis, vt eſt præmiſſum, ſunt ſuſpenſi ipſo iure quoad ſe, & quoad alios.

Secunda Concluſio.

Clericus in peccato mortali exiſtens, peccat mortaliter, quandocunque facit aliquod officium ratione ordinis ſibi commiſſi miniſtrando.

Tertia Concluſio.

Audientes Miſſam notorij concubinarii, vel alia officia eccleſiaſtica, peccant mortaliter.

Quarta Concluſio.

Licitum eſt parochianis propria auctoritate, non ſpectata ſententia recedere à concubinariis publicis.

Quinta concluſio.

Notorii concubinarii nullum habent iuriſdictionis exercitium in foro conſcientiæ, nec valet eorum abſolutio à peccatis.

Sexta Concluſio.

Parochiani tenentur iterum confiteri illa eadem peccata numero alicui poteſtatem habenti, quæ confeſſi fuerant notoriis concubinariis, ad hoc vt ſint in ſtatu gratiæ, ſiue ſaluationis, habita informatione de impotentia ipſorum concubinariorum.

Septima Concluſio.

Notorii concubinarii facientes quodcunque officium ratione ordinis in apparatu, ſunt irregulares.

Octaua Concluſio.

In hac irregularitate poteſt ſolum per Romanum Pontificem cum iſtis diſpenſari.

Nona Concluſio.

Notorii fornicatores beneficiati, ſtatu illo durante non faciunt fructus ſuos, & tenentur ad reſtitutionem eorum.

Decima Concluſio.

Primitiæ, & decimæ, & alii prouentus eccleſiaſtici non ſunt reddendi notoriis concubinariis à populo Chriſtiano.

Vndecima Concluſio.

Clericus concubinarius notorius moriens, non debet ſepeliri in eccleſiaſtica ſepultura, & viuens non debet permitti intrare Eccleſiam.

Duodecima Concluſio.

Per iſtos concubinarios nomen Dei blaſphematur.

Tertiadecima Concluſio.

Parochiani audientes diuina, & percipientes eccleſiaſtica Sacramenta ab iſtis notoriis concubinariis, poſtquam fuerunt de prohibitione eccleſiaſtica informati, & contrafecerint, idolatræ reputantur.

Quartadecima Concluſio.

Iſtud prædicari populis palàm, eſt valdè meritorium, & iuri diuino pariter, & humano valdè conſentaneum.

Opuſculi Contra Clericos concubinarios Alphonſi Toſtati Finis.

VENETIIS,
Ex Typographia Euangeliſtæ Deuchini. 1614.